PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA.

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III:

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXLVIII.

SANCTI GREGORII VII EPISTOLÆ ET DIPLOMATA PONTIFICIA. — TOMUS UNICUS.

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA *AVENUE-DU-MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU-MAINE*, 127.

1878

Clichy. — Ex typis Pauli Dupont, 12, via dicta Bac-d'Asnieres. — 1138, 10-78.

SÆCULUM XI

S. GREGORII VII

ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLÆ ET DIPLOMATA PONTIFICIA

ACCEDUNT

PROLEGOMENA ET APPENDICES AMPLISSIMÆ

VETERUM ET RECENTIORUM MONUMENTA PERPLURIMA GREGORII VII APOLOGETICA, VEL ÆTATEM EJUS ILLUSTRANTIA, COMPLECTENTES

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

PARISIIS,

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA *AVENUE DU MAINE*, 189, *OLIM CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1878

SÆCULUM XI

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXLVIII CONTINENTUR

S. GREGORIUS VII PAPA

ANNO DOMINI MLXXXV.

S. GREGORIUS VII

PONTIFEX ROMANUS

PROLEGOMENA.

ELOGIUM EX MARTYROLOGIO ROMANO.

Salerni depositio beati Gregorii septimi, Ecclesiæ libertatis propugnatori ac defensoris acerrimi.

LEGENDA EX BREVIARIO ROMANO.

Lectio iv. Gregorius Papa septimus, antea Hildebrandus, Suanæ in Hetruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cumprimis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi, Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine : quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regula sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maxime vigebat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem cœnobii patribus Prior sit electus. Sed, divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono. Nicolao Secundo, et Alexandro Secundo, præcipuis muneribus et legationibus perfunctus est, sanctissimi et purissimi consilii vir a beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa Secundo legatus a latere in Galliam missus, Lugduni episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit, Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjurationem compulit : Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

Lectio v. Mortuo Alexandro Secundo, invitus et mœrens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei : nam potens opere et sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, exstirpandis erroribus et corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur qui majores pro Ecclesia Dei labores molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias a Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici imperatoris impios conatus, fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eumdem Henricum, in profundum malorum prolapsum, fidelium communione regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

Lectio vi. Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e cœlo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare : quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Roma gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo crucis exstinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit, atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam sancti Matthæi Apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere : Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exsilio. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel, multis coactis in urbe Synodis, sapienter constituit vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiæ

defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim, migravit in cœlum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

SANCTI GREGORII VII
ACTA.

(Apud Bolland, *Maii* tom. V, die 25, pag. 568.)

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. *Laudatores et defensores defuncti, Vita a Paulo Bernriedensi scripta, Acta pontificalia triplicia.*

Sanctissimus et generosissimus Pontifex Romanus Gregorius septimus, antea dictus Hildebrandus, defunctus 25 Maii ann. 1085. præfuit universæ Ecclesiæ annos duodecim, mensem unum, et dies quatuor; scilicet inchoandos a die 22. Aprilis anni 1073. uti evidenter liquet ex decreto electionis infra proponendo. Erraverunt enim, qui solum 25 die dicti mensis electum volunt, sumpta errandi occasione a Catalogis, in quibus decessoris, triduo ante istam electionem defuncti, obitus cum depositione confunditur. Hic plurimas in vita passus est persecutiones, et adhuc post mortem calumnias. Sed non defuerunt ejus innocentiæ, et pro Ecclesia Dei propugnanda fortitudinis ac justitiæ acerrimi defensores: inter quos censeri possunt Cardinalis Cæsar Baronius et Jacobus Gretserus: ille quidem in Annalibus suis Ecclesiasticis, in quibus res ejus gestas per singulos annos deducit ex scriptoribus maxime coævis, et Conciliis sub eo habitis, atque Registro epistolarum ejus in undecim libros distincto: Gretserus vero Tomo 2. Defensionis Controversiarum Cardinalis Bellarmini, propugnans eum contra varios hujus temporis sectarios, potissimum libro 4. c. 13. ac dein illustri Apologia, in qua quinquaginta testes adducit, qui suis scriptis res gestas hujus S. Gregorii proponunt, et contra adversarios defendunt.

2. Horum primus est S. Anselmus Episcopus Lucensis, proximo post obitum sancti Pontificis anno vita functus; qui contra Guibertum Antipapam, pro defensione Gregorii legitimi Pontificis Romani, librum scripsit. Secundus testis est auctor Vitæ dicti S. Anselmi, domesticus Presbyter Pœnitentiarius: quam Vitam nos ad diem ejus natalem 18. Martii illustravimus. Succedunt Acta Vaticana apud Baronium ad annum 1073, et Acta publica electionis, quæ infra proferuntur. Dein allegantur antiqui Historici seu Chronologi, inter quos est Lambertus Schafnaburgensis, De rebus gestis Germanorum, sed solum deductis ad annum 1077. et Pontificatus S. Gregorii quartum: tum Paulus Langius in Chronico Citizensi, cum adductis testimoniis ex Annalibus Magdeburgensibus et Chronicis Turingensibus: Marianus etiam Scotus, ejusque Continuator Dodechinus, et ab hoc productus Stephanus Episcopus Halberstatensis, qui causam Gregorii fortissime contra Heinricum Regem egit: deinde S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, cujus Acta dedimus 21. Aprilis: Bertoldus Constantiensis et Paulus Bernriedensis, de quibus mox agimus: Domnizo Presbyter, in Vita Comitissæ Mathildis, libris duobus carmine conscripta; Leo Ostiensis, in Chronico Casinensi, ad annum 1086. deducto; Bruno in Historia belli Saxonici; S. Gebehardus Archiepiscopus Salisburgensis, et S. Gebehardus Episcopus Constantiensis, et qui eorum Vitas scripserunt, quas suo tempore dabimus 16. Junii et 27. Augusti; denique, aliis omissis, Bernaldus Presbyter Constantiensis, cujus opuscula ex Ms. Ratisbonensi edita sunt a dicto Gretsero, et fere spectant ad defensionem rerum a S. Gregorio gestarum; et maxime Apologeticus et Epistolæ ejus pro Decretis S. Gregorii, quas etiam erudite exposuit Christianus Lupus inter Synodorum generalium ac provincialium Decreta et Canones, integro libro seu parte quinta. Subjunxit illis omnibus prælaudatus Gretserus Gregorii VII. Vitam, electionem et res gestas, ex libro quarto Onuphrii Panvinii De varia creatione Summi Pontificis, et ex Bibliotheca Bavarica. Istæc omnia apud illum videri possunt, edita Ingolstadii anno 1609. ubi is anno sequenti vulgavit Apologiam pro Cardinale Baronio, in qua aliquot capita spectant controversiam in causa S. Gregorii motam; uti curiosus lector ibidem reperiet. Dignus etiam est qui legatur Franciscus d'Enghien, Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Licentiatus, edito novissime libro cui titulum fecit, « Auctoritas Sedis Apostolicæ pro Gregorio Papa VII. vindicata adversus Natalem Alexandrum ejusdem Ordinis Doctorem Theologum, » inter selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita, seculi XI parte 3, usque adeo suæ professionis oblitum, ubi de Gregorio agit, ut vel ea sola causa potuerit commeruisse gravissimam, qua libri ejus omnes fulminati sunt, censuram Innocentii Papæ XI.

3. Nos, omnibus aliis omissis, damus hic primo

loco Vitam S. Gregorii a Paulo Bernriedensi scriptam. Fuerat hic Paulus Canonicus Ecclesiæ Ratisponensis, sed, ab Henrico IV. in exilium actus, in cœnobio Bernried recens fundato habitum Ordinis Canonicorum Regularium suscepit; circa annum 1120. ab Udalrico Episcopo Passaviensi (qui rexit dictam Ecclesiam ab anno 1091. usque ad ann. 1124) Presbyter consecratus, et elapsis ab hujus Episcopi obitu septem annis, absolvit hanc Vitam, circa annum 1131. Gretserus, qui eamdem una cum Apologia pro Cardinale Baronio edidit, arbitratur « Paulum, cum Romæ esset, familiarem fuisse Callisto II Papæ, » qui sedit a die 4. Februarii an. 1119. usque ad 12. Decembris anni 1124, et confirmavit fundationem cœnobii Bernriedensis an. 1122, quando potuit hac de causa Paulus Romam profectus fuisse : qui infra n. 11. adducit « Callistum Papam narrare consuetum quod Episcopus simoniace electus non valuerit recitare Gloria Patris et Filii et Spiritus sancti. » Ita deinde, n. 16, ait « Joannem, Camerarium olim Alexandri II Pontificis, narrare solitum » quod precibus S. Alexandri febris ardens depulsa sit : atque ita hinc inde inserit varia miracula, tempore vitæ patrata : sed n. 104. « quæ ad sepulcrum ejus cælitus facta, vel quæ fieri dicunt religiosiores quique Romani, illis qui viciniores sunt percensenda reservat. » Sub finem tamen n. 114. addit « superlatam narrationem duorum miraculorum, Salerni cælitus patratorum. » Ex quibus colligimus summam ab Auctore adhibitam diligentiam, ut accurate omnia traderet : quod unusquisque etiam poterit colligere, si quæ addimus Annotata perspexerit, contuleritque cum reliquis Auctoribus, item epistolis Gregorii et Synodis tunc habitis. Etenim plane conveniunt omnia; maxime ubi de Simoniacis et Nicolaitis seu Clericis fornicariis agendum fuit. B. Petrus Damianus passim etiam illos Nicolaitas appellat, quorum facta se odisse ait Christus in S. Joannis Apocalypsi c. 2; et de quibus epistola S. Ignatii ad Trullenses, sed a posteris interpolata, hæc leguntur : « Fugite immundissimos falsi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores. »

4. Ceterum in hisce Actis deest Præfatio, quam adfuisse innuunt prima verba. Omissa etiam a Paulo sunt quæ in Berengarii damnatione a S. Gregorio peracta fuerunt; et paucioribus explicantur quæ in obsidione Romana, ab Henrico sæpius resumpta, relatu et scitu digna acciderunt. Ad hæc historiam, non Chronicon texere intendens Auctor, non curavit temporum ordinem scrupulose servare; nec etiam quid quoque Pontificatus sui anno in celebratis Synodis egerit explicare. Congruum itaque duxi Acta Pontificalia triplicia subjungere : quorum prima colligemus ex Bertholdo Constantiensi, qui, ut infra habetur n. 18, ab Ottone Episcopo Ostiensi et Legato Sedis Apostolicæ, ac postmodum Summo Pontifice et Urbano II. dicto, Presbyter creatus est anno 1084 in festo S. Thomæ Apostoli, id est quinque mensibus ante obitum S. Gregorii; qui et ipse singula sui temporis gesta annotavit, subjunxitque pro Appendice ad Chronicon Hermanni Contracti usque ad annum 1100. Eodem tempore, nec minus certa, si et certiori scientia, scripta sunt Acta quæ Centius Camerarius (idem, ut putat Ciacconius, qui an. 1216. creatus Pontifex, sumpsit nomen Honorii III.) retulit in Codicem censuum Romanæ Ecclesiæ, prægrandi volumine asservatum in secreto Archivio Vaticano; cujus copiam favore D. Saraigæ, Archivium illud custodientis, nacti Patres nostri Joannes Franciscus Vannius et Conradus Janningus, cum eo contulerunt ipsa, jam antea ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice descripta. Codicem istum, sæpe laudatum a Baronio, et Pontificum gesta a Leone IX. auspicantem, « ordinavit et scribi fecit (sicut præfert titulus) ex diversis registris et libris Cameræ Apostolicæ Fr. Nicolaus Cardinalis Arragoniæ, » adeoque intra annum 1352, quo creatus, et 1362, quo mortuus est : Fuit is Ordinis Prædicatorum insigne decus, sub nomine Nicolai Rosselli notus Ciaconio ejusque interpolatoribus; dictus autem de Aragonia a Patria, et quia Provincialis Aragoniæ existens Regique Petro carissimus promotus ad Purpuram est. Tertia denique Acta, in multis etiam ampliora distinctioraque, nec multo recentiora aut forte etiam antiquiora secundis, transcribere placet ex nostro Ms. de Vitis Pontificum, usque ad Martinum V. deductis : licet pro majori parte accepta sint ex registro Epistolarum, continente Summaria singularum fere quas Gregorius Romæ celebravit Synodorum : quæ Summaria primus inde extraxit Baronius, Binius autem a Baronio accepit, et retulit in corpus Conciliorum. Erit fortassis post hæc aliquis, qui ex ipsis epistolis hujus S. Gregorii, sicut in Registro habentur plures quam trecentæ quinquaginta, minutius prosequatur et colligat singula hujus sancti Pontificis gesta; quemadmodum olim ex Epistolis S. Gregorii Magni fecit Joannes Diaconus, ad 12. Martii ab Henschenio nostro illustratus : seu potius qualiter habemus S. Leonis æque Magni Acta, similiter ex Epistolis ejus collecta digestaque ab eruditissimo viro Paschasio Quenel : nam nobis ad ejusmodi laborem otium modo non est. Fecit aliquid in eo genere Natalis Alexander, seculi 11. parte 1, melius istic quam alibi de Gregorio meritus : fecit et Teutonica lingua, in suo Romanorum Pontificum Triumpho, noster Cornelius Hazartius, perpetuus in Belgio hereticorum malleus, quorum circa hunc ceterosque Pontifices monstrosas calumnias dilucida confutatione redarguit.

5. Paragrapho huic de Scriptoribus, Gregorii Acta colligentibus, defendentibus, laudantibus, finem faciat insignis Epistola Wilhelmi Abbatis, in monasterio S. Arnulphi Metis post Warinum, jam quidem in primo Analectorum Mabilionis Tomo publici juris facta, digna tamen quæ hic recudatur; utpote manifestius explicans quantas spes de eo conceperint boni omnes audito electionis talis nuntio. Illa sic habet : « Domino venerabili et univer-

sali Papæ G. W. peccator, devotæ orationis affectum, et humilis servitutis effectum. Licet sapientia Dei, universa quæ per ipsam facta sunt, dispositione mirabili, et ordine imperturbabili moderetur; nunquam tamen commodius consulit rebus humanis, quam cum eligens virum [*an* unum] de plebe, in populi eum sui caput constituit, in cujus nimirum vita et moribus, quo nitendum sit, plebs inferior valeat intueri. Quod quidem beneficium nostris Dominum concessisse temporibus, quisquis non invidet, videt; dum te, jam olim disciplinis ecclesiasticis eruditum, illius nunc Cathedræ fecit esse sessorem, a qua per orbem terrarum omnia virtutum lumina diffunduntur; et ad quam, velut in circulo lineæ, ad illud medium, quod Centrum Geometrici vocant, universa convergunt. Tantus autem, ut nobis relatum est, totius populi in tua electione conspiravit assensus, ut nullus omnino ex tanta multitudine visus fuerit dissentire. Et unde, quæso, tanta unanimitas, tanta potuit esse concordia? nisi ex Spiritus illius instinctu, cujus olim aspiratione plebs primitiva credentium unum cor et unam animam habuisse describitur.

6. « Gratias ergo Deo, præcellentissime Pater, gratias Deo, qui sic tuæ favit electioni, ut non pateret Ecclesia schismati. Quisquis jam igitur tuo Sacerdotio adversatur, cujuslibet esse meriti vel scientiæ videatur, ad illud cœleste ædificium non aspirat, quia, per tumoris vitium atque discordiæ, omnium pace membrorum se privat. Quod quidem neminem ausurum esse confidimus, nisi qui, respectu miseræ conscientiæ, pondus tuæ sibi formidat imminere sententiæ. Unde et ille diabolus Vercellensis cum suis complicibus elaborat ut tu in Sede non debeas confirmari, metuens miser ne illo zelo tuo, quo in hostes Ecclesiæ exardescere soles, nunc ejus flagitia, ejus dedecora, ejus debeant probra damnari. Verum omnibus bonis eo ipso plus places, quo pessimis displices : quia non leve vel minimum testimonium est probitatis, displicuisse filiis iniquitatis. » Hæc Willelmus Abbas, graphice depingens Vercellensem Gregorium, eo nomine indignum, Henrici Imperatoris in Italia Cancellarium; qui jam inde ab anno 141. per Nicolaum Pontificem fuerat excommunicatus, una cum Mediolanensi, Taurinensi, Novariensi, Brixiensi, et Laudensi Episcopis : quia duobus ante annis conventum habuerant Fontaneti, in quo communi sententia statuerant quod Clericis uxores habere liceret; qui tamen, jussu Henrici Imperatoris, Gregorii electionem approbavit, calamo potius quam animo, uti vel ex hac Epistola liquet, quam Willelmus sic prosequitur. « Nunc ergo accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; illo, inquam, gladio, quem non prohibendum esse a sanguine Propheta proclamat, quemque devoraturum carnes Dominus salubriter pollicetur. Vides certe in Israelitica castra Amalecitas et Madianitas, cæterasque pestes pariter conspirasse. Magna sollicitudine, grandi consilio, continuoque studio opus est, ut tot monstra et bestiæ possint vel jugulari vel subjugari. Nullius ergo metu, nullius minis ab hoc spirituali conflictu sanctoque certamine retarderis, et Gedeonis illius in morem ad prælium processurus, lagunculæ ne timeas fractionem. Ecce te in sublimi et in speculo positum oculi omnium vultusque suspiciunt; singuli magna de te audire desiderant; ex præteritis colligentes quid nunc in majori officio sis acturus, qui quondam positus in minori non sine gloria militasti. At ineptus ego, qui te admonere præsumam, currentemque nitar impellere : cum tu fervore mirabili majora moliaris quam nostra suspicetur infirmitas; et, aquilino more omnia inferiora transvolitans, in ipsius solis ardorem tuos infigere coneris obtutus. »

§ II. *De Translatione corporis, et cultu B. Gregorii VII.*

7. Marcus Antonius Marsilius Columna, anno 1574. Salernitanus Archiepiscopus salutatus, præter alia Episcopalis sollicitudinis opera quibus Prælaturæ suæ annos quatuordecim reddidit posteris memorabiles, librum conscripsit de vita et gestis ac translatione B. Matthæi Apostoli et Evangelistæ; necdum quidem nobis visum, cognitum tamen ex descriptione elegantissima Metropolitanæ ipsius ecclesiæ, quam inde deprompsit Ferdinandus Ughellus, præmittitque Catalogo Salernitanorum Archiepiscoporum, tom. 7. Italiæ sacræ. Hic cum tribunam sive absidem templi descripsisset, ita loquitur : « Qui a dextris conficitur angulus in imo templi illustris plane factus est, ob præclaram capellam vermiculati operis, quam Joannes de Procida Salernitanus erexit atque dotavit; tum ob plurium Prælatorum splendidissimas urnas, tum vero præcipue ob marmoreum tumulum, in quo Robertus Guiscardus Gregorii VII. summi optimique Pontificis corpus collocavit, quem ut Henrici IV. Romanorumque perfidiæ subtraheret, quasi perfugum hospitio receperat : cujus nos ipsi reliquias, nulla ex parte labefactatas Pontificiisque indumentis ornatas, hoc anno, qui est a tumulatione fere quingentesimus, propriis oculis inspeximus, propriisque manibus contrectavimus; locumque ipsum, vetustate pene collapsum, restituimus; et in sanctissimi ac generosi Pontificis honorem, pene delitescentem, hujusmodi monumentum ereximus, » (quale scilicet in marmorea tabula etiamnum spectatur, et a Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia etiam recitatur) « Gregorio VII Soanensi, Pont. Opt. Max., ecclesiasticæ libertatis vindici acerrimo, assertori constantissimo : qui, dum Romani Pontificis auctoritatem adversus Henrici perfidiam strenue tuetur, Salerni sancte decubuit A. D. CIↃ, CXX. V. VII. Kal. Junii. M. Ant. Columna Marsilius, Bononiensis, Archiepiscopus Salernitanus, cum illius corpus, post quingentos circiter annos, sacris amictum et fere integrum, reperisset; ne tanti Pontificis sepulcrum memoria diutius careret, Gregorio XIII. Bononiensi sedente, M. P. pridie Kal. Quintiles A. D. CIↃ.IↃ. 77. »

8. Robertus Guiscardus, Normannici in Calabria atque Sicilia Ducatus, postea Regni, conditor, eodem quo Gregorius aut saltem altero post anno, mense Julio obiit; eique filius Rogerius successit, usque ad 1101 superstes. Et hic forte melius adscriberetur marmorei sepulcri erectio : nam Ordericus Vitalis seculi 12. scriptor Historiæ Eccl. lib. 8. indicare videtur, alio loco prius conditum Sanctum fuisse : sic enim loquitur : « Defuncti Papæ corpus in Confessione B. Batholomæi Apostoli tumulatum est, ubi meritis ejus fidei petentium, miraculorum copia divinitus ostensa. Nam leprosi de aqua unde corpus ejus ablutum fuerat, petierunt; qua consecuta fideliter loti sunt, et opitulante Deo protinus mundati : » idque fortassis in translatione corporis ex loco primæ sepulturæ in ipsa Confessione, ad locum in quo ducentis fere post mortem Gregorii annis tumulum ejus reperit Joannes Prochita, celebratissimus ille Vesperarum Sicularum auctor. Hic vero nescio quam aliam potuerit habere causam ejus sacelli, ipso sepulcri loco, tam magnifice extruendi, quam peculiarem affectum erga ibi sepultum Pontificem, innixum vulgari de ejusdem sanctitate et miraculis opinioni, quamvis ipsum sacellum S. Michaeli Archangelo, non autem Gregorio fuerit dedicatum. Nec nihil ad probandum ejusdem antiquum cultum facit, quod Anastasius Papa IV, annis haud multo pluribus quam sexaginta post Gregorium, picturis exornans absidem et altare Oratorii S. Nicolai in Urbe, prout ipsum ænea tabula expressum dedi in Appendice ad primam partem Chronicohistorici Conatus de Romanis Pontificibus, Gregor. VII, æque ac Sanctos alios ipsamque Deiparam, depingi fecerit cum titulo Sancti et diademate circum caput ducto. Sed ista Marsilio vel ignorata penitus vel dubia cum essent, prudenter titulo istiusmodi abstinuit, et Romanæ Sedis arbitrium sibi credidit expectandum. Hujus autem sententia, an et quomodo ei fuerit declarata, ignoro : unum video, quod præfatus Gregorius XIII, elapso jam sexennio a memorata inventione, mortuoque Marsilio, cum « emendato Kalendario, Romanum quoque Martyrologium corrigi per viros eruditos curaret anno 1584, correctumque et multis locis auctum imprimi, » quale penes nos habemus exemplar; eidem post S. Bonifacium IV. permiserit inseri etiam Gregorium VII. cum hoc elogio. « Salerni depositio B. Gregorii Papæ septimi, qui, Alexandro secundo succedens, Ecclesiasticam libertatem a superbia Principum suo tempore vindicavit, et viriliter Pontificia auctoritate defendit. » Pro quibus, in ejusdem Martyrologii editione nova, Cæsaris Card. Baronii Annotationibus mox aucta, Sixto V probante scriptum fuit : « Salerni depositio B. Gregorii Papæ septimi, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi : » eademque hactenus sic leguntur.

9. Ex hinc cœpit festum B. Gregorii a Canonicis Salernitanis celebrari, ipsius Sancti Pontificis memoriæ haud mediocriter obligatis, quod eos ornaverit titulo Cardinalitio, concesseritque mantello rubro ac mitra Damascena uti, privilegio per Lucium III. postea confirmato. Manebat interim sacrum corpus, vel in ipso ubi illud Archiepiscopus Marsilius invenerat monumento, vel inde exemptum servabatur in sacrario, quousque Romanus Pontifex annuisset sub altari condi. Id vero primum anno 1595. esse factum asserit auctor recentissimi marmoris, quod anno 1685. sub manu sculptoris versabatur, finem huic Paragrapho facturum. Erat tunc Romanus Pontifex Clemens VIII, cujus rescriptum aliquod proferri optarem; erat etiam Salernitanus Archiepiscopus Marius Bologninus; qui, si prædictam Translationem fecit, potuit etiam a reliquo Corpore separasse sacrum Caput, argenteo capiti includendum, pretiosæque ex ære inaurato gemmisque et lapidibus ornatæ statuæ imponendum : idque die 4. Maii, quo die Translationem præmemoratam, annua celebritate colendam, exinde suscepit Salernitana Ecclesia, solita ipso die 4. Maii; atque etiam die 25. deferre ex sacrario prædictum Caput ad istud altare, cum pompa processionali magnoque luminarium apparatu et populi concursu. Sunt tamen qui Translationis istius auctorem faciunt ipsum Archiepiscopum Marsilium : hic vero dicitur obiisse anno 1582; adeoque Martyrologii Gregoriani editionem præmemoratam ipsa Translatio præcessisset duobus annis : sed et istam præcesserant editiones Martyrologii duæ, quarum annos nobis indicare non curavit Baronius; utraque autem vel alterutra earum potuit Gregorii VII. nomine aucta fuisse, priusquam Translationem faceret, si eam forte fecit, Marsilius.

10. His veluti gradibus paulatim provectus B. Gregorii VII. cultus, denique ad celebritatem Officii Duplicis, proprie de ipso agendi, erectus est, sub Joanne Bellarminio Bolognini successore. Ab hoc siquidem impetratum et ad notitiam usumque totius Cleri Salernitani imprimi jussum est Breve, anno 1610, cujus exemplum, cum aliis nonnullis instructionibus huc spectantibus, ut manu et fide Notariali acciperem; fecit B. D. Nicolaus Lavianus, Salernitani Collegii nostri Rector anno 1685. Ipsum tale est :

PAULUS *papa quintus ad perpetuam rei memoriam :*

« Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti in terris gerentes; ex injuncti nobis officii debito omnino tenemur procurare ut eorumdem servorum Christi honos et veneratio in terris quoque promoveatur; ideoque fidelium votis, quæ peculiarem erga illos cultum respiciunt, libenter annuimus, prout in Domino conspicimus expedire. Sane nobis nuper fuit expositum, nomine Fratris Joannis Archiepiscopi Salernitani, ac dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesiæ, necnon totius Cleri Civitatis Salernitanæ, quod ipsi ex peculiari, quam erga Beatum Gregorium Papam VII, cujus indignum successorem divina dignatio nos esse voluit,

devotionis gerunt affectum, peculiari quoque ritu die Natali ipsius, et illius Translationi sacro, de eodem Beato Gregorio sacrosanctum Missæ et alia divina Officia tenoris subsequentis recitare desiderant. » Officium duplex recitandum per Capitulum et Clerum Civitatis Salerni quotannis in die festo, et in die Translationis B. Gregorii Papæ VII. Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter illa quæ ponuntur propria. « ORATIO. Deus qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem, Sanctorum tuorum gloria sublimasti; concede propitius ut, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum, » etc. Sit Commemoratio S. Urbani Papæ et Martyris in primis Vesperis, et in Laudibus (dum occurrit) et in Matutino IX. Lectio. Similiter in secundis Vesperis S. Eleutherii P. et M.

11. Ad Matutinum in primo Nocturno Lectiones de initio secundæ Epistolæ B. Petri Apostoli, prout habet Breviarium Romanum in feria sexta infra Octavam Ascensionis. In secundo Nocturno « LECTIO IV. Gregorius Papa VII, Soanæ in Etruria natus, doctrina, sanctitate omnique virtutum genere cumprimis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam; supremam vero Sacerdotis sui in terris dignitatem admirabiliter, qui est admirabilis in Sanctis suis Dominus, præmonstrare dignatus est. Nam cum parvulus, ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius luderet; ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa Oraculi « Dominabitur a mari usque ad mare, » divinitus conformasse narratur. Is ab ineunte ætate Romæ honestis animum disciplinis excolens, in domo S. Petri est enutritus, tali nutritore dignus alumnus : ut cujus altissimam, Deo largiente, auctoritatem suscepturus aliquando erat, ipsius Apostolico in gremio educatus, Apostolicis illis, quas postea in gerendo summo Pontificatu exhibuit, virtutibus plenius imbueretur. Tu autem, Domine, etc.

12. « LECTIO V. Juvenis Ecclesiæ libertatem, a Laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula S. Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maxime vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ Majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem Cœnobii Patribus Prior sit electus. Inde mox a S. Leone Papa nono, quia lucerna lucens et ardens in claustrorum angustiis latere non debebat, sed in Ecclesiæ altissimo vertice Dei jussu locanda erat, Romam adductus, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus ordinatus, eidem S. Leoni ac successoribus usque adeo carus fuit, ut nihil sine ipsius consilio gererent. A Victore Papa secundo legatus a latere in Galliam missus, Episcopum publice Simoniaca labe infectum, quia humanitus convinci non poterat, divinitus convicit; cum jussus Antistes, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto palam pronuntiare, duabus quidem Divinis Personis facile pronuntiatis, tertiam, cujus donum Episcopatum pecuniis coemerat, proferre nullo modo valuisset. Tu autem.

13. « LECTIO VI. Denique a Nicolao secundo Pontifice Archidiaconus Cardinalis, et ab Alexandro item secundo Cancellarius S. Romanæ Ecclesiæ creatus, eidem in summum Pontificatum succedere meruit. Ad tanti vero honoris apicem assumptus, jam forma gregis factus, quod verbo docuit, etiam exemplo demonstravit; ac fortis per omnia athleta, se pro muro domui Israel ponere non timuit. Henricum Germaniæ Regem quartum, Ecclesiæ infestum, Fidelium communione regnoque privans, subditos populos fide ei data liberavit. Cum postea ab iniqui Regis exercitu Romæ gravi obsidione premeretur; excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit; aliis quoque, tam vivus quam mortuus, miraculis clarus. Ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse traditur, qui majores pro Ecclesia Dei labores molestiasque pertulerit; aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit. De manu Henrici tandem a Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Salernum veniens, ibidem octavo Kalendas Junii, cum præfuisset Ecclesiæ annos duodecim, mensem unum, dies tres, creatis compluribus Romæ atque alibi Cardinalibus et Episcopis, die Dominico migravit ad Dominum; ejusque sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum. Tu autem, » etc. In tertio Nocturno Lectiones de Homilia S. Leonis Papæ in Evangelium, « Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, » quas habet Breviarium Romanum die 22. Febr. in festo Cathedræ Antiochenæ S. Petri.

14. Missa dicitur, quæ ponitur in Missali Romano die 11 Aprilis, in festo Sanct. Leonis Papæ, præter Orationes. ORATIO PRIMA. « Deus qui B. Gregorium etc. » ut supra. « SECRETA. B. Gregorii Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solemnitas nos [tibi] reddat acceptos; ut per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum. POSTCOM. Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis B. Confessoris tui atque Pontificis Gregorii semper veneratione lætari, et ejus perpetua supplicatione muniri. Per Dominum, etc.

15. « Cumque tam Joannes Archiepiscopus quam Decanus et Capitulum ac Clerus prædicti nobis humiliter supplicari fecerint ut de opportuna sibi in præmissis licentia providere benignitate Apostolica dignaremur; Nos, eorum laudabile desiderium in Domino plurimum commendantes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt; ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de

venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, sacris Ritibus præfectorum, quibus rem examinandam et mature discutiendam commisimus consilio, eisdem et pro tempore existentibus, Archiepiscopo Salernitano, ac Decano et Capitulo Ecclesiæ, et Clero Civitatis Salernitanæ, ut Officium prædictum cum Missa de communi unius Pontificis, cum Orationibus, et Lectionibus secundi Nocturni propriis, annis singulis, tam ejusdem B. Gregorii quam ejus Translationis diebus festis, sub ritu duplici recitare libere et licite valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuam licentiam et facultatem concedimus et impertimur : non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non D. Ecclesiæ, etiam juramenti, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 18 Julii, 1609. Pontificatus nostri anno 5. » *S. Cobellutius.*

16. « Joannes Beltranus de Guevara, Miseratione Divina et Apostolicæ Sedis gratia Salernitanus Archiepiscopus, Regius Consiliarius, et in præsenti Neapolitano regno per sacram Regiam Majestatem Generalis Visitator, inter alios cælestes ac pene innumeros thesauros quibus divinæ benignitati Salernitanam Ecclesiam ditare atque illustrare placuit, haud postremo loco numerandum profecto videtur sancti Gregorii VII sacrum ac venerandum corpus; qui post tot labores, tot ærumnas atque persecutiones, pro Dei Ecclesia fortissime et constantissime invictissimo animo toleratas, tandem (divina sic disponente Providentia) in Salernitana civitate obdormivit in Domino; ut quam in corpore mortali, sua venerabili præsentia, ad tempus lætificaverat, etiam pretiosa morte, ad cœnam nuptiarum Agni vocatus, in perpetuum illustraret. Nos autem, quamvis indigni, in Salernitanæ Ecclesiæ regimine constituti, cum, loca Divinæ Majestati dicata visitantes, in ipsa Cathedrali nostra Basilica monumentum memorati gloriosi Pontificis accurate perspiceremus, et debito Cælitibus honore ac veneratione illum carere haud æquo pati animo possemus; ex Apostolica Sede diploma nobis haud segniter impetrandum esse censuimus, ut et congruus sancto Pontifici exhiberetur honos ab omnibus, et Salernitana civitas ex hoc in dies singulos magis magisque Dei promereretur clementiam, tam præclari Confessoris atque Pontificis Deoque cum primis accepti adjuta suffragiis. Ne illam quidem causam silentio prætereundam arbitramur, quam nulla unquam apud vos vetustas, nulla unquam delere debebit oblivio : quod, cum Salernitanum Capitulum (quemadmodum a Prædecessore nostro fel. memor. Marsilio litteris proditum est) ab eodem Beato Pontifice magnos consecutum sit honores, alacriter atque omni studio ad illius ita bene de vobis meriti cultum atque venerationem debetis incumbere. Hoc igitur tempore volentes impetratum jam nuper a Sede Apostolica diploma A pie et fideliter exequi, auctoritate qua fungimur mandamus atque præcipimus dilectis in Christo filiis, Capitulo et Clero civitatis nostræ Salernitanæ, ut quotannis, juxta commemorati diplomatis seriem, tam in Natalitiis S. Gregorii Papæ celebrandis die 25 mensis Maii quam in festo Translationis ejusdem celebrando die 4 mensis Maii, Missam et Officium proprium sub duplici ritu, nostro jussu typis excusa, post hac ad ipsius gloriosi Pontificis honorem cantare vel recitare teneantur. Si quis autem huic nostræ semper valituræ constitutioni parere contempserit, is quidem gravioris culpæ vinculo apud tremendum Dei omnipotentis Tribunal sese noverit illigatum, Datum Salerni, 11 Kal. Septembris, 1610. »

B 17. His non contentus Beltraminius, egregiam ex marmore statuam, quæ hodieque extat, sculpendam curavit, ipsoque in sacello collocandam, usus periti sculptoris manu, nescio an etiam vera effigie viventis Gregorii, qualis Salerni potuit fuisse conservata. Talis certe digna esset quam hic vellemus æri incisam repræsentare, potius quam inventum I. B. de Cavalleriis, qui Gregorium proximosque decessores ac successores repræsentavit barba rasa, contra temporis illius morem, ex Anastasiana S. Nicolai in Urbe tabula, cujus alibi exhibitæ supra meminimus, cognoscendum. Beltraminio, ad Pacensem in Hispania Ecclesiam translato, successit anno 1612 Lucius Cardinalis Sanseverinus : qui tertio sui Archiepi- C scopatus anno, suam quoque religionem erga B. Gregorium testatam facit, hujusmodi titulo, sub antiquiori Marsilii tabula, in alia similiter marmorea : « Ego Lucius Sanseverinus, Archiepiscopus Salernitanus, altare hoc in honorem B. Gregorii Papæ VII consecravi; ejusque sacrum corpus in eo inclusi; præsentibus, annum unum; anniversaria deinceps consecrationis die, ipsum pie visitantibus, quadraginta dies veræ Indulgentiæ de Ecclesiæ more concessi. A. D. 1614. die 4 mensis Maii. » Novum hoc altare fuerit, quod iterandæ Translationis occasionem dedit : ea autem prudenter fuit in eumdem diem indicta quo prior, ne festa multiplicare opus foret. Eadem occasione crederent fuisse a Soanensibus impetratum Brachium; nisi missæ mihi in- D structiones dicerent Cardinalem Soanensem, Pauli V creatione sacro Collegio adscriptum, pio erga concivem Pontificem affectu motum, cum Sede vacante Salerni resideret, ab eodem Paulo V impetrasse Pontificium Breve ad Capitulum Salernitanum, quo jubentur Canonici, ad solatium civitatis Soanensis, ipsiusque B. Gregorii honorem, insignem aliquam ejus Reliquiam largiri. Hoc Breve, una cum commendatitiis Magni Hetruriæ Ducis litteris, aliisque ipsius Cardinalis, per duos Soanensium Legatos oblatum Capitulo, persuasisse dicitur ut dextrum brachium iis donaretur, scriptumque esse de ea re instrumentum Notariale, et in archivio Cathedralis servatum. Hæc cum vacante Salernitana Sede, Paulo autem quinto sedente, sic scribantur facta :

oportet ut facta sint digresso in Hispaniam Beltraminio, Lucio autem necdum suffecto, id est anno 1612. Sed quis tum ferit inter Cardinales, cui Soana fuerit patria, discere non potui ex novo Ciacconio Oldoini, nullum ejusmodi nominantis, inter sexaginta quos Paulus creavit : quare optarem ipsum instrumentum videre, ex eoque dubii hujus solutionem petere.

18. Quæ porro ipsius Sacelli jam toties memorati fortuna fuerit, ibidem post hac legitur in marmore, sequentibus verbis, per D. Fabritium Pintum dictatis exarato. « Sacellum hoc Divo Michaeli Archangelo, Duci invictissimo, a strenuo Milite Joanne de Procida, Salernitano Patricio, ac patriæ ornamento, olim dicatum; anno 1595. sacra Beatissimi Gregorii, non Magni, sed Pontificis plusquam Maximi, translata sub aram accepit ossa; ut in Archangeli tutela jaceret mortuus, qui Romæ dum viveret arce S. Angeli a schismatico Imperatore Henrico se tutum reddidit; et Propugnatoris ecclesiasticæ libertatis reliquiæ defensorem haberent illum per quem a rebellantibus Deo spiritibus liberum se agnoscit cælum ipsum. Tandem Eminentissimi Cardinalis Fabritii Sabelli munificentia, Salernitano Reverendissimo Capitulo Sacelli jure donato, auctori Vesperi Siculi possessores successere Canonici; qui Cardinalitiis et nomine et insigniis ab eodem ornati Pontifice; Gregorii Septimi glorias perpetuo canent, non gloriosam de Gallis reportatam a Joanne victoriam. » Hæc Pintus; quæ, sic intellecta quasi, usque ad Translationem prædictam, alibi quam ipso in Sacello jacuerit Gregorii corpus; non satis consona essent prælaudato certissimoque Marsilii testimonio; proinde accipienda sunt citra ejusmodi restrictionem. Miror porro nullam hic fieri mentionem nuper defuncti Archiepiscopi Gregorii Caraffæ, cujus atque memorabili munificentia idem Sacellum, ut mihi scribitur, nova undique pictura aureoque splendore exornatum resplendet : picturis autem illis præcipue repræsentatur honorifica Pontificis in Urbem exceptio, una cum Roberto Duce ipsam subventus (*sic*), inter fidelis populi acclamationes festivas, Christi Vicarium suppliciter venerantis.

§ III. *De monachatu S. Gregorii VII, et tempore Prioratus Cluniacensis ab eo gesti.*

19. Quæ de hoc argumento continent Lectiones supra memoratæ, suis mendis non carent : nam et habitum Cluniaci susceptum a Gregorio asserunt, et Priorem inibi electum videntur dicere, priusquam Romano Clero adscriberetur, quorum neutrum putamus cum veritate subsistere : quapropter digna videtur causa quæ hic accuratius examinetur. Vitæ auctor Paulus, Sancti hujus Pontificis primordia describens, num. 6. asserit quod « in pueritia avunculo suo, Abbati monasterii S. Mariæ in Aventino monte, ad instructionem liberalis scientiæ et compositionem moralis disciplinæ, a parentibus commendatus... adolescentiam vero ingressus, profectus est in Franciam, domiturus ibi carnis petulantiam A et molestia peregrinationis et instantia eruditionis; inde post aliquot annos Romam rediturus, moram fecit aliquantum temporis in aula Henrici III... Post hæc Romam reversus : cum studio perfectionis insisteret... ingredi statuit in partes Germaniæ et Galliæ; cumque venisset ad Aquas-pendentes, » triplici visione prohibitus ultra pergere, « sicque in Romanæ Ecclesiæ solatium revocatus,... Subdiaconus a Leone Papa IX. ordinatus, monasterio S. Pauli miserabiliter desolato prælatus est. » Hæc legens, Abbatem factum vides; sed Regularis, an Secularis seu Commendatarius, merito dubitabis, dum in prægressis nihil invenis unde intelligas Monachum revera fuisse. Monachum tamen expresse vocat, qui scire optime potuit, dum ait : « In illis diebus erat » ibi, scilicet Wormatiæ et anno 1047. cum B Leo Pontifex coram Imperatore designaretur, « Monachus quidam Romanus, nobilis indolis adolescens, Hildebrandus nomine, clari ingenii sanctæque religionis. Hunc igitur beatus Episcopus » Bruno Tullensis, postea Leo dictus, « vocavit ad se, rogavit ut simul Romam rediret. »

20. Monachus ergo Hildebrandus fuit, et quidem Monachus Romanus; utique ejusdem monasterii in quo fuerat puer educatus; nec nisi Monachus transiit in Franciam, nec aliter est in aula Henrici Imperatoris conversatus : proinde monasticorum Fastorum Auctores, Dorganius, Menardus, Bucelinus, merito illum adscripsere suis. Maxime cum Ottho C Frisingensis dicat eum « Cluniaci Prioratus obedientam administrasse, » quando Leo Pontifex designabatur. Sed dubium est quando id verum esse potuerit si verum est, quod solum anno 1046 transgressus est Alpes cum Gregorio VI; et adhuc erat adolescens, quando eum Wormatiæ secundo post anno invenit Bruno. Quid? An venerandi illi Patres, in tam grandi abbatis sui S. Odilonis ætate, quantam habuit moriens anno 1048. exeunte, peregrinum adolescentem, paucis apud se mensibus versatum, Priorem sibi constituerint, et mox ad aulam Imperatoris miserint? Atqui et in aula aliquantum temporis actum scribit Paulus præcitatus, et aliquot annos in Francia traductos, priusquam Romam reverteretur. Difficilis nodus : sed qui videtur solvi posse, D paulo laxius accipiendo nomen « Adolescentis »; et duplicem Hildebrandi profectionem trans Alpes distinguendo, sicut circa annum 1020. natus, postea ætatis 16. Christi 1036. quando Romana Ecclesia fœdissimis agitabatur procellis, sub tyrannide potius quam Pontificatu Benedicti IX, migraverit Cluniacum adhuc tiro; et fortassis ex consilio avunculi sui, ne Romanæ urbis corruptissimis tunc moribus (ubi omnis pene Clerus aut Simoniacus erat aut concubinarius, aut etiam vitio utroque sordebat) inquinaretur ætas tenera, et primum accensi igniculi pietatis tam mali exempli suffocarentur. Ibi ergo sex annos vel septem egerit sub optima S. Odilonis disciplina, donec jam satis notus atque probatus permissus est redire Romam, ad discipli-

nam Cluniacensem in avunculi monasterium inducendam; prius tamen occasione aliqua dederit se in aulam Imperatoris, ac tandem Romam venerit circa annum ætatis 24. Christi 1044. Hic vero cum pejori omnia in statu reperisset quam antea, duobus simul Papatum gerentibus, eo scilicet quem dixi Benedicto IX. et recens contra hunc a Romanis electo Silvestro III; iterum deseruerit Babylonicam istam confusionem, in Galliam vel Germaniam se recepturus : sed iis quas dixi visionibus ex itinere revocatus, et in Clerum Romanum sit adscriptus a Gregorio VI : qui sub idem tempus utrique Pseudopontifici persuaserat male invaso loco cedere, eoque commeritus fuerat ut ipse in eumdem eveheretur libera electione.

21. Certe Hildebrandus ipse, factus postea Gregorius VII, in Concilio Romano protestatur, dicens : « Vos scitis quia non libenter ad sacrum Ordinem accessi, et invitus ultra montes cum Domino meo Papa Gregorio abii : » quibus verbis satis aperte significat se, priusquam secunda ac passim notiori vice Roma abiret, extractum e monasterio fuisse, ad ipsius Gregorii VI famulatum, et Romanæ Ecclesiæ Clero donatum. Quomodo autem cum ipso Gregorio rursum Alpes transierit, paucis hic videtur explicandum. Fuerat Gregorius VI in tam præsenti necessitate Ecclesiæ, justoque metu, ne Benedictus mutata voluntate cessionem retractaret, non præhabito consensu Regis Henrici, hoc nomine Regis Germaniæ Tertii, Imperatoris Secundi, ordinatus Pontifex. Cumque maximam reformandæ Ecclesiæ spem bonis faceret, malis vero metum; ii qui sibi conscii erant Ecclesiarum dignitates Simonacie possidere, vel fornicarie inquinare, facile animum Henrici, se præteritum dolentis, eo flexerunt ut, quando Romana Ecclesia jam dicebatur tres simul habere Pontifices, in Italiam ipse se conferret, tantum scandalum amoliturus in legitima Synodo Episcoporum. Non displicuit ea res Gregorio VI nihil dubitanti quin suam causam facile probaturus esset Regi, confirmandusque in Papatu. Sed longe opinione falsus est. Etenim, convocata Sutrii Synodo, accusatus est ipse pecuniam dedisse Benedicto, adeoque incapax fuisse obtinendi Papatus. Hoc inopinato successu perculsus Gregorius, vidensque Episcopos ad Regis votum in sui damnationem depositionemque propensos; ultro cedens, eorum arbitrio se permisit; quamvis eo quod accusabatur facto, non commisisse Simoniam, sed solum injuriam avertisse ab Ecclesia; neque emisse a Benedicto dignitatem, sed eamdem ex merito a Clero Romano obtinuisse plusquam verosimiliter sustineant alii; unde et a S. Petro Damiano laudatur, et Ecclesiastici status reformationem ab eo habuisse principium agnoscunt Rudolfus Glaber, Ottho Frisingensis, aliique. Quo posito, sicut Joanni Gratiano (ita enim antea vocabatur) honori fuit Ecclesiam redemisse ab ea cui mancipata injuste erat servitute, et sustulisse schisma quo affligebatur; sic etiam verti laudi debet quod, videns suam promotionem displicere Principi Synodoque Episcoporum, licet de causa informatis, renuntiare maluerit, quam a se constitutam pacem obtinendo dissolvere.

22. Hac autem in tota re maximi faciendum est Hildebrandi, licet adhuc juvenis, judicium; quod senior postea summæ auctoritatis suffragio confirmavit, probavitque quanta etiam juvenis constantia fuerit. Sic enim scribit Ottho prælaudatus : « Hunc Gratianum, Alpes transcendentem, secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postea summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de Catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium septimum vocari voluit; et, sicut in Lucano habes,

« Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni : ita et huic Hildebrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia Principis et episcoporum prævaluit, semper displicuit. » Ms. nostrum de Gratiano prædicto agens, dicit quod post abdicationem ductus extitit in Cisalpis partibus; utique ab imperatore, novandarum rerum occasionem sic auferente iis quibus intelligebat non plane probari factum. Hic si mendum nullum latet, dicendum erit Gratianum et Hildebrandum ad aliquod Longobardicorum monasteriorum se recepisse, puta S. Salvatoris juxta Papiam; quippe quod ante annos circiter sexaginta, ex Cluniacensis institutionis forma per S. Majolum reformatum, ubique celebrabatur fama severioris disciplinæ. In eo tamen diuturna mora eisdem fuisse non potuit : quia non placuit discedenti ex Italia imperatori, cis Alpes relinqui Gratianum.

23. Quo autem eum deduxit Hildebrandus? « In Gallia, » inquit ad an. 1049 Baronius, « profectus cum Gregorio VI apud Cluniacenses, penes quos sciebat monasticam vigere observantiam, habitavit, monachus inter monachos degens. » Addo ego, « et pridem notus hospes, atque omnibus pro merito eximiæ virtutis sapientiæque charissimus : » Ad quas ejus prærogativas cum accederet gratia auctoritasque Gregorii, licet jam depositi, apud Cluniacenses monachos pro merito ingens; mirum non fuerit, si eum S. Odilo priorem constituerit, sustentaturum vigore adolescentiæ (qua tamen jam attigerat ætatis annum 27) senectutem suam ipsique Gregorio majori cum potestate ministraturum necessaria. Interim contigit Romæ mori, non solum suffectum Gregorio Clementem sed etiam Damasum, ambo ejus nominis secundos, omniaque misceri a Benedicto, iterum in Sedem Apostolicam regredi moliente : quare Romani optimum censuere, legatione missa, rogare regem, designaret ipse quem eligi a se Pontificem vellet. Hujus autem rei fama Cluniacum perlata, existimo Hildebrandum excurrisse ad regem, cui jam pridem carus fuerat, si forte ei persuadere posset restituere Gregorium, quem non credebat citra injuriam aliquam loco motum, sciebatque eodem quo flagrabat ipse reformandæ Eccle-

siæ zelo æstuare. Sed alium huic itineri exitum destinaverat Deus; quia per talem occasionem venit in notitiam novi Pontificis, exeunte anno 1047 designati; qui, hominem nactus Romanæ urbis vitia et corruptelas non scientem minus quam odientem, crediderit eum sibi consilio et auxilio utilissimum esse posse, si secum venire persuasisset.

24. Ottho Frisingensis paulo aliter rem narrat, quasi per Gallias iter Romam tenens noviter designatus Pontifex, et Cluniaco transiens, ibi invenerit Hildebrandum priorem : additque quod hic illum « adiens, æmulatione Dei plenus, constanter de incœpto redarguit; illicitum esse inquiens per manum laicam Summum Pontificem ad gubernationem Ecclesiæ violenter introire : verum, si suis credere velit consiliis, utrumque, et quod majestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas Ecclesiæ in electione canonica renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille, ad monitus ejus purpuram deponit; peregrinique habitum assumens, et ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Urbem usque venientes, consilio Hildebrandi a clero et populo in Summum Pontificem Bruno, » mox Leo dictus, « eligitur ». Nihil quidem de assumpta purpura habet Vita Leonis; et quoad habitum peregrini, eum susceptum ait, post natalem domini Tulli celebratum. Nolim tamen propterea rejicere totam narrationem auctoris tam antiqui, et non solum seculo post rem gestam scribentis; modo permittat excusare et corrigere leve erratum in loco, et quod ille Cluniaci factum ait, actum Wormatiæ credere. Profitetur in Romana synodo supra citata « Gregorius VII. » quod qui « invitus ultra montes cum domino suo papa Gregorio VI abiit, magis invitus cum domino suo papa Leone ad specialem » Romani cleri « ecclesiam rediit. » Credo autem non alia conditione consensisse in reditum, quam si Leo, consilio isti suo obsequens, Romam privatus ingredi decerneret, cleri consensum liberum in sui electionem requisiturus; quamvis id fortassis non erat omnino necessarium, si per compromissum Romanorum ipsorum arbitrium eligendi Pontificis fuit imperatori delatum, uti existimant aliqui contra mentem Baronii. Ms. nostrum de Vitis Pontificum, de Leone agens : « Hic a Deo, inquit, electus Pontifex, ad urbem devenit Romanam, secum deducens Hildebrandum, qui cum papa Gregorio ad partes illas ierat... et ejusdem Hildebrandi consilio omnia in itinere et in hac civitate fecit. »

25. Sed quærat hic fortassis aliquis qua fiducia Hildebrandus, sesquianno duntaxat in curia Romana versatus cum Gregorio, indeque jam alterum sesquiannum absens, potuerit tam efficax auxilium Leoni polliceri ad obtinendum cleri ac populi Romani consensum, nedum reipsa exhibere. Si liceat aliquid divinare, dixerim id pollicitum Hildebrandum, non fiducia propriæ auctoritatis, quam scire debebat Romæ fore exiguam; sed alienæ, S. Odilonis videlicet sui abbatis, et magistri sui Laurentii

A Amalfitani archiepiscopi; quos ambos tum Romæ esse sciebat, et pro egregiæ sanctitatis merito maxima ibidem pollere auctoritate ac gratia. Utrumque ex S. Odilonis Vita scimus : qui cum hic Silviniaci in Gallia obiit, ultima die anni 1048 sub noctem, necdum integer annus effluxerat quod Roma redierat; Laurentius autem (ut in eadem Vita habetur) eidem ibi ægrotanti per menses quinque maximo solatio fuerat, vir, [S. Petro Damiano teste, « qui potens in litteris ac bigiossus, Græce noverat et Latine; et, quod longo præstantius est, laudabilis vitæ claritate pollebat, » mortuus ibidem Romæ proxima post mortem S. Odilonis Quadragesima : in cujus altera et antiquiori Vita per Liziardum, idem Laurentius appellatur « vir per omnia sanctissimus in Scripturis utriusque linguæ facundissimus, istiusque Patris familiarissimus; quorum uterque animus conglutinabatur individui amoris spiritu. » Si interrogas ubi et quando magistrum Laurentium habuerit Hildebrandus; ex mendacissimo Bennonis ore disce certissimam veritatem. Accusat hic Gregorium sextum quod « Laurentium Romæ agentem domi semper retinuit, in suo archipresbyterio S. Joannis, ante portam Latinam; » nec dubium quin etiam in Lateranensi patriarchio, cum esset Pontifex domesticumque clericum vel secretarium haberet Hildebrandum. Hunc autem nesciremus fuisse Laurentii discipulum, nisi idem Benno, satanico furore contra illum actus, nos id docuisset; dum Baronio teste (neque enim ipsum dignor inspicere) in illum declamat, ut « insignem magum, malorum omnium Benedicti IX complicem, doctorem et principem maleficiorum, qui et aruspicinam publice exerceret, magiamque et alia id genus vetita Romæ palam cunctis discere volentibus profitebatur; a quo et Hildebrandus ejus discipulus easdem magicas artes, legibus divinis et humanis improbatas, didicerit. » Horum igitur duorum et aliorum forsitan eximiorum virorum, Romæ tunc pariter commorantium, operam sibi in tanti momenti negotio procurando minime defuturum sperans Hildebrandus, potuit quod pollicitus est, cum fiducia optimi successus, spondere Leoni. An autem Romam advenientes ibi adhuc S. Odilonem repererint, incertum mihi est; Laurentium plane debuerunt invenisse.

26. Porro ad excusationem Ottonis Frisingensis perperam Cluniaco attribuentis quod factum Wormatiæ erat, hoc etiam facit, quod minime dubitari possit quin ex itinere, per Lotharingiam Burgundiamque instituto, Cluniacum deflexerint Leo et Hildebrandus. Secundo enim Arari commodissima Lugdunum via est : in cujus medio ad dexteram ripam est Cabillonensis civitas, et duabus inde ad occidentem leucis Cluniacum; quo Leonem quidem invitare poterat tum sanctitas celeberrima loci, tum Gregorii Expontificis ibi alloquendi commoditas, a quo posset opportunissimis consiliis informari; ipsum vero Hildebrandum eodem trahere debebat

necessitas abdicandi Prioratus, et statum monasterii constituendi, necdum ex Italia reverso Odilone abbate. Quanto deinde Leonis pontificis anno Hildebrandus præfectus sit monasterio S. Pauli regendo reformandoque, nullus explicat. Visionem ipsimet ea de re factam Paulus Bernriedensis refert num. 8, similem aliam Leoni oblatam sic describit Ms. nostrum : « Postea, ad regendum, ecclesiam S. Pauli » Leo « tradidit » Hildebrando, « pro quadam visione quam viderat; videlicet quia B. Petrum in prædicta visione hilarem videbat, B. Paulum tristem et turbulentum erga se prospiciebat. »

§ IV. *Quomodo ordini Vallumbrosano nuper ascriptus Sanctus hic sit.*

27. Præmissa, collatis undique auctorum testimoniis, solum habere vel per conjecturam potui de Gregorii VII monachatu ; donec, ante non multos annos, amicus noster Tiberius Petraccius, sui Vallumbrosani ordinis tunc procurator generalis, nunc abbas S. Michaelis Pistorii, obtinuit a sacra rituum Congregatione Decretum, signatum 21 Januarii 1693. Quo tum nonnulli ordinis istius sancti jubebantur Martyrologio Romano inscribi, tum ad elogium Gregorii nostri supra relatum expresse addit, quod fuit « ordinis Vallumbrosæ ». Postea 4 Martii ejusdem anni, alterum emanavit decretum, ad ejusdem procuratoris instantiam ; quo approbantur conceduntur que lectiones propriæ de eisdem sanctis, ac nominatim de « S. Gregorio papa VII, » ubi dicitur quod, « cum a sæculo alienus soli Deo servire cuperet, monasticam vitam professus, cœnobium S. Benedicti in patria sua exstruxit, sub instituto Vallumbrosano, quod pridem amplexus fuerat. » Historiæ Vallumbrosanæ parens et eruderator diligentissimus Ambrosius Locatellus, centum ab hinc annis, « Gregorii VII » sæpe meminit cum laude, tanquam suo ordini optime affecti ; ac nominatim cap. 63, eadem Italice referens, quæ in Vita mox allegand a exprimuntur latine, de gestis in synodo Romana sub Alexandro II, ubi plerique prælati ipseque etiam S. Petrus Damianus obsistebant monachis a S. Joanne missis ad Petrum episcopum Florentinum Simoniæ accusandum : exprimuntur autem his verbis : « Interea insurrexit in concilio quidam vir egregius et excellentissimus, alter quasi Gamaliel nomine scilicet Hildebrandus, monachus et archidiaconus Ecclesiæ Romanæ et cardinalis : qui prius fuit prior monasterii Cluniacensis ordinis S. Benedicti, et qui post decessum Alexandri II Apostolica est dignitate præditus. Et quia placuit sibi ut fieret defensor causæ Christi, factus est postea Vicarius ejusdem Christi, hoc est Papa, et vocatus est Gregorius VII. Qui, dum esset cardinalis, hanc controversiam prudenter audiens, et auctoritatem canonum sapienter perpendens, monachorum in universis adjutor et defensor nobiliter exstitit ; quos non pedetentim ratiocinando, sed aperte atque fortissime defendit, contra omnium opinionem. »

28. Sed neque hic auctor, neque ipsum aliosque sui ordinis scriptores antiquiores præ oculis habens Locatellum præfatus, isto vel alio ubi res ferebat loco dixerunt uspiam, ordinis Vallumbrosani monachum fuisse Hildebrandum. Solum cap. 67, invenio eumdem Locatellum narrare, quomodo idem Hildebrandus, Florentiam veniens cum prædicto papa Alexandro, ad componendam discordiam inter monachos et episcopum anno circiter 1063, tentandum sibi proposuerit S. Joannis Gualberti patientiam, ad capiendum experimentum solidæ fucatæve sanctitatis, compositis ad injuriæ speciem verbis : « Quorum tamen omnium (sicut ipsemet postea retulit) memoria ei exciderit, mox atque in sancti conspectum venit. Quam adeo sibi, alioquin eloquenti, insolitam obmutescentiam pro miraculo accipiens cardinalis, » inquit Locatellus, « pro indicio eam habuit Dei, sanctitatem viri comprobantis ; eumque deinceps dilexit ut fratrem, et ex hora annumerari voluit filiis nostræ religionis Vallumbrosanæ. » Ut vera hæc esse probarentur omnia, spiritualis tamen filiationis nomen, quo nonnullis religiosis ordinibus ascribi se faciunt cujuscunque conditionis ac sexus fideles pii, adeo late se extendit, etiam ad laicos et conjugatos, ut ea sola ratio ægre videatur sufficere ad aliquem sanctum uni particulari ordini ascribendum ut proprium ; sic enim una eademque persona in multos posset ordines distrahi, et contentionum fatuarum ansam præbere, certantibus partibus, utri plus juris in ipsam competat. Ad manum exempla sunt, sed nihil attinet ea nunc adducere ; solum dico quod, si Petraccius aliud nullum habuit fundamentum suæ prætentionis quam dictum Locatelli testimonium, infirmum illud omnino habuit. Sed prius quam id demonstrem, exhibenda est quædam ipsius Hildebrandi jam papæ Epistola post mortem sancti fundatoris scripta hoc tenore :

29. « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clericis, monachis ac religiosis laicis, disciplinam sanctæ recordationis Joannis Gualberti abbatis imitantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Licet venerandæ memoriæ eumdem Joannem Patrem vestrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fidei ejus puritas in Tusciæ partibus mirabiliter resplenduit, multo eum amore dileximus. Cujus sanctæ conversationis quamvis vos imitatores esse studiosos non ambigimus ; ut vigor rectitudinis vestræ ad exstirpandam de agro Dominico zizaniam sollicitius invigilet attentiusque ferveat paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque, dilectissimi, in quantum possibilitas permittet, vitam illius sequentes, et vere filios ejus et hæredes simili vos conversatione probantes, viriliter agite et confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Documenta sanctarum Scripturarum, quibus hæreticorum argumenta destruuntur et fides sanctæ Ecclesiæ defenditur contra membra diaboli, mens vestra quotidie meditetur, et ea qua solet libertate in malorum confusione erigatur. Eos autem qui in vobis confidunt, et consilium religionis vestræ sequi dis-

ponunt, more prædicti Patris vestri suscipite, et de iis quæ ad salutem eorum pertinere videntur sanctis exhortationibus instruite; ut non solum vestra, sed et vos sequentium circumpositi populi considerantes sancta opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nos autem ipsum amorem quem Patri vestro et vobis olim impendimus, donec nostros spiritus rexerit artus, exhibere desideramus; et tanto quidem deinceps majori vos charitate fovebimus, quanto vos in divinis negotiis ferventiores esse probabimus; quibus non solum spirituale, sed et sæculare, si necesse fuerit, auxilium, Deo adjuvante, ministrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate ut ipse vires et facultates nobis tribuat, quatenus suscepti regiminis importabile pondus possimus tolerare, et sanctam ecclesiam in statum antiquæ religionis reducere. Valete. »

30. Obiit S. Joannes Gualberti 13 Julii, ipso quo pontifex Gregorius fuerat anno 1072, paucis diebus post episcopalem seu pontificalem ejus consecrationem, factam, sicut infra ostendemus, die 30 Junii; adeo ut hæc fuerit una ex primis Gregorii, jam episcopum se scribentis, epistolis. Hanc autem nobis suggessit sancti Fundatoris Vita, quam ex ms. ecgrapho Ripolensis prope Florentiam Abbatiæ, apud Reverendiss. Abbatem Ascanium Tamburinum Florentiæ asservato, habemus beneficio illustriss. D. Francisci Redii. Vitæ illius Auctor ita de seipso in Prologo loquitur: « Rogante Reverendo in Christo Patre D. Bartholomæo Abbate monasterii S. Bartholomæi de Fossato, Ordinis Vallumbrosæ et diœcesis Januensis; ego D. Andræas de S. Ambrosio, natione civis Januensis, et humilis Prior monasterii S. Matthæi diœcesis Januensis, Ordinis S. Benedicti.... novissimus et tantillus inter tantos ejusdem B. Joannis discipulos, qui ejus gesta, virtutes et signa descripsere, aggrediar in nomine Domini, ... fabricare unicum opus de scriptis dictorum discipulorum, ac etiam de aliis gestis ejusdem B. Joannis habitis ex archiviis majoris monasterii Vallisumbrosæ, mihi traditis Florentiæ anno Domini 1419 de mense Septembris; ac etiam ex aliis gestis, habitis ex scriniis dicti monasterii S. Bartholomæi de Fossato.... Sed ut dubitationis occasionem subtraham, per singula quæ describo, quibus mihi hæc auctoribus sint comperta superius manifestavi et iterum manifesto, quia ex scriptis discipulorum suorum, quorum nomina sunt hæc: D. Acto, qui fuit Pistoriensis Episcopus; et D. Andreas, qui fuit Abbas monasterii S. Fidelis Strumensis ejusdem Ordinis Vallisumbrosæ. »

31. Egimus de B. Andrea jam nominato die 10 Martii, et num. 13 doluimus præclarum ejus opus de Sancti Joannis vita modo nuspiam reperiri. Sicut tamen S. Arialdi Martyris Vita, ab eodem conscripta, et a nobis danda 28 Junii, feliciter hoc seculo emersit in lucem, ita speramus illam quoque alicunde prodituram e tenebris, prius quam sub manus nostras veniat Julius. Iste autem Andreas, vivente adhuc

A Sancto Fundatore florebat, in expugnandis Simoniacis, B. Arialdi Martyris apud Mediolanenses adjutor fidelis, anno 1060. S. Acto, sicuti jam vidimus ad ejus Natalem 22. hujus mensis Maii, mortuus anno 1155. et circa 1070. primum natus, nulla ratione potuit viventis sancti discipulis adnumerari; sed sua accepit ex illis, ac nominatim ex B. Theuzone uno ex primis qui usque ad annum 1095. dicitur vitam propagasse, ac nonnulla de Vita Sancti patris mandasse litteris. Hic vero Theuzo, prout ejus verba allegantur ex veteri traductione italica anni 1250. existente in archivio Vallumbrosano, non Hildebrandum, sed Gregorium Cardinalem nominat, cui res superius narrata usuvenerit: pro quo si Hildebrandum S. Atto constituit, ratus per anticipa-
B tionem vocari Gregorium, ex propria id fecit conjectura, eaque minime solida; cum Gregorius Papa profiteatur quod sanctum « corporeis oculis non viderit » umquam. Alphonsus quidem Ciacconius, in Vitis Pontificum et Cardinalium, ejusque recognitores amplificatoresque Victorellus, Ughellus, Oldoinus, pro anno 1063, in quem incidisset congressus iste cum S. Joanne, nullum nobis exhibent Cardinalem Gregorium. Sed cum certum sit multos ab iis medio isto ævo prætermissos, quorum notitiam non fuerunt assecuti, quod vel sola supplementorum identidem adjunctorum copia probat; nihil obest quo minus cogitemus, sub Alexandro Papa II. inter Cardinales revera fuisse Gregorium aliquem, necdum
C aliunde notum: quod centum post annis non discernens S. Atto male supposuerit Hildebrandum Cardinalem, dictum in Pontificatu Gregorium.

32. Interim manifestam contradictionem verborum Attonis et Locatelli cum ipsiusmet Gregorii assertione agnoscens Didacus de franchis, Ripolensis Abbas, in Historia S. Joannis Gualberti sub annum 1638. libris duodecim Italice vulgata; alibi quidem, notatis ad utrumque marginem accurate locis verbisque Auctorum, fidem suam liberat; in libro autem undecimo, tractans præcitatum argumentum, et in extimo margine adnumerans Italica verba Theuzonis, ubi Gregorii meminit; in altero, Latina verba Lectionum propriarum anno 1624. edita-
D rum in quibus Hildebrandi nomen exprimitur; omittit omnia ex quibus intelligi posset in conspectum Sancti revera objurgatorem præmeditatum venisse. Imaginatur autem sibi Auctor iste, quod cardinali præordinata verba recolenti privatim apud se, eorum exciderit memoria; postea vero eumdem petito alloquio frustratum esse, eo quod Sanctus nemini se conspiciendum tunc temporis præberet, sed omnia per internuntios et litteras ageret. Quod sane pro eo rerum articulo, quo geri personaliter tam difficilia negotia debuissent, incredibile videtur, nullo id veterum asserente. Tum Auctor interrupta quæ dixi S. Attonis verba Latina resumens, in margine paginæ 429, illo citato, hæc habet: « Deinceps tantus inter utrumque firmatus est amor, quantus inter

amicos carissimos et uterinos solet esse germanos. »

33. Habes fontem filiationis, a Locatello primum excogitatæ gratis, a Petraccio magis etiam gratis sic acceptæ, et in Lectiones Martyrologii matutinique officii inductæ, quasi « Vallumbrosanum institutum pridem amplexus, » tenuisset Hildebrandus. Quam autem « pridem ? » Audi iterum Lectiones : « Monasticam vitam professus, cœnobium S. Benedicti in patria sua extruxit sub instituto Vallumbrosano, quod pridem amplexus fuerat, deinde profectus in Galliam in monasterio Cluniacensi permansit. » Romæ ergo, adhuc totus juvenis ac pene puer, Vallumbrosanum institutum amplexus est Hildebrandus, ante annum 1046, si amplexus est unquam. Atqui nullum Vallumbrosani instituti monasterium eo seculo Roma habuit : quod autem nunc habet sub titulo S. Praxedis, primum Vallumbrosanum esse cœpit circa annum 1170, si recte tempus quadringintorum annorum subduxit Onuphrius Panvinius, in libello de præcipuis Urbis ecclesiis edito sub annum 1570. De monasterio Soanensi (quod a tam juvene fundatum fuisse nemo prudenter crediderit) agens prælaudatus Didacus de Franchis lib. 8 pag. 254. ad extremam Joannis ætatem refert acquisitionem loci suburbani de Calvello dicti, quem eremitæ pauci tunc habitabant; et ubi ædificata paulatim Abbatia prædicta, anno denique 1496. intra civitatem translata est, reductis eodem Eremitis. Cum autem hujus loci meminit Didacus, non obliviscitur annotare quod « Soana » sit » patria famosi monachi Hildebrandi : » addit et traditionem incolarum esse (nam scripturas sub annum 1550. incendio dicit periisse) quod sua præsentia locum aliquando dignatus sit ipse S. Joannes : et credemus de fundatore Hildebrando nil dicturum fuisse, si vel eminus quidpiam subolfecisset ?

34. Universim vero, quod ad Gregorium Papam VII. Vallumbrosanis Sanctis adnumerandum attinet, præfatus Didacus lib. 9. pag. 293. aliam causam non assignat quam « obsequii et gratitudinis, quia S. Joannem Gualbertum canonizavit, et primum Ordini Cardinalem dedit S. Petrum Igneum : eodem plane modo quo Ordo Vallumbrosanus conservat honoratam memoriam Victoris Papæ II, similem ei quam retinet Beatorum suorum ; non pro cultu sanctitatis, sed pro obsequio gratitudinis ; propterea quod primus ille fuerit qui noviter natam Congregationem Apostolicis Privilegiis communivit. Sed hanc piam, inquit ille, et honestam consuetudinem non satis cognitam habentes extraneorum aliqui, vitio nobis inconsiderate vertunt; attribuentes ipsam desiderio immodico augendi numerum illustrium apud nos personarum. » Bene sit animæ Scriptoris, candidissimi simul et discretissimi; qui citra præjudicium veritatis, scivit mentem Ordinis, Gregorium et Victorem appellantis suos, sic explicare, ut eam nec ulterius extendi per ignorantiam patiatur, nec aliis obligationem inducat Vallumbrosani Ordinis titulum attribuendi iis quos, quia consuetæ Professionis vinculo ipsi non fuisse adstrictos sciunt, absque ejusmodi titulo appellare malunt, propter periculum ambiguæ significationis in vulgo, titulum ejusmodi accepturo secundum magis obviam strictioremque notionem. Interim per illam sinceram Didaci confessionem, non solum intelligimus quo sensu præcitata verba apponi Martyrologio et in Lectionibus recitari petierit Petraccius, et sacra Rituum Congregatio approbarit; sed habemus viam expeditam et commodam ad explicandas innumeras tricas, nobis objectas sæpius sæpiusque objiciendas ab iis qui dolent quod, inhærentes communiori vocum in vulgo usurpatarum acceptioni, eos omnes Sanctos non proferamus sub titulo sui Ordinis, quos illi quacumque ratione adscribendos ipsorum majores æstimaverunt; quosque in propriis cuique Ordini Officiis privatim sic tribui, indulget potius quam mandat Ecclesia. Si quid autem neque amicissimus nobis Petraccius, neque Vallumbrosani Monachi, quorum hospitio liberali nos illum usos charitateque mirabili adjutos grataanter monuimus, non succensebunt mihi quia suam mentem hic explicui : sic opto ut alii quicumque Religiosi nos habeant excusatos, quoties absque sui Ordinis titulo agimus de aliquibus Sanctis, de quibus ipsi, vel ex antiquo usu, vel ex recentiori Congregationis sacræ indulto, Officium recitant tanquam de suo, quando titulus iste nobis minus certus exploratusque est. Quoniam vero non est ab omnibus speranda ea moderatio qua Vallumbrosanos Patres hæc lecturos confidimus, conveniet ut talis omissionis causas subinde reticeamus, neque ad eas proferendas invitos velit cogere quisquam : ne, postea quam eas protulerimus, sero pœniteat importunitatis male consultæ, velitque eam quæstionem nunquam motam contra nos fuisse. Unum addiderim, quod, hisce jam ad prælum postulatis, venerit epistola Dom. Placidi Poltri Vallumbrosani, nescio quid novæ probationis pollicens, quod libenter in Appendice post Tomum 7 danda expendam, et quatenus potero etiam sequar : proinde dicta hactenus accipiantur citra præjudicium sententiæ, aliquando forte melius quam nunc usque sit factum, comprobandæ.

§ V. *Stemma Sancti genealogicum, ejusque ordinatio Episcopalis.*

35. Superiori Paragrapho sæpe mihi memoratus Reverendiss. Abbas Petraccius, de suo Ordine simul ac S. Gregorio non solum mereri bene studuit, quod explicato jam sensu ipsum huic innexuerit per additiones factas ad Romanæ Ecclesiæ Martyrol. et suæ Congregat. Breviar. favente sibi in his omnibus, et difficultates magnas superare faciente Cardinali Bona, cujus judicio rem commiserat sacra Rituum Congregatio ; sed omnes etiam ingenii atque studii sui nervos intendit, ut sanctorum, novis Officiis ad ipsius instantiam donatorum, genus quam clarissimum fuisse ostenderet ; ipsosque inter se non spirituali magis profectu similes, quam prosapia carnali conjunctos. Scrutatus ergo latebras archiviorum, stemma eorumdem genealogicum texuit,

quod ut huic loco insererem obnixis a me precibus **A** rogavit, Florentinæ nobilitatis judicia explorare cupiens in nostro opere, interim dum suum luci parat tractatum, in quo productis veterum instrumentorum tabulis comprobetur veritas graduum singulorum, quoad affinitatum nexus et consanguinitatis progressus. Non erat nobis tam propinqua prælo dies 25 Maii, quam sibi persuadebat ista scribens Petraccius, vixdum inchoata annis ab hinc 10. impressione primi Tomi; sed, priusquam huc veniretur abunde fuit temporis, ut ille suum interim tractatum ederet. Hoc autem cum non fecerit; et eruditi Florentiæ viri, quibuscum schema prædictum communicavi, responderent, plus eo sibi videri pollicitum Auctorem quam solide possit comprobare; **B** nec ego consultum puto, locum ei dare in opere nostro, et sumptus facere in cælaturam genealogicæ arboris, parum firmis forsan radicibus nixæ.

36. Liceat tamen verbo indicare prætensæ a Petraccio Genealogiæ seriem. Præsumit ille Aldobrandescam gentem, in Hetruria nobilem, quæ nunc nominari desiit, deficientibus masculis, mulieribus autem in Ursinam et Sforziam familias innubentibus, ex Carolingico Francorum Regum stemmate fluxisse; in eademque Domo frequens nomen Hildebrandorum, indeque eo seculo quo cognomenta firmari in familiis nobilioribus cœperunt, « Aldobrandescorum » cognomen natum : pro anno autem 948. producit quemdam Hildebrandum, Theuzonis filium, qui Comes Soanensis simul et Tusciæ Marchio, ge- **C** nuerit Villam, matrem S. Joannis Gualberti Vallumbrosanorum Fundatoris; et Bonizonem, anno 979. Comitem Pitaliciensem ac Soanensem, patrem S. Gregorii Papæ VII, adeo ut consobrini inter fuerint sancti illius duo, Abbas et Pontifex. Ex eodem porro Bonizone Petraccius facit nasci Desiderium, Comitem Soanensem, a quo genitus sit Petrus Igneus ex Ordine Vallumbrosano Cardinalis, defunctus anno 1078. die 8 Februarii; et Aldobranda, mater S. Bernardi, ex eodem Ordine Episcopi Parmensis et Cardinalis, defuncti anno 1133. die 4. Decembris. Ita ille. Alia deinde schematis ejusdem parte, S. Gualberti paternum genus ducit a quodam Schiava Comite Vallis-Pesciæ, ex Longobardorum Regibus **D** orto; Bernardi vero Sancti, ex Ubertis; familia (ut Ricordanus aliique volunt) ab antiquis Romanis propagata, licet recentius nomen sit, tractum ab Uberto aliquo nominis ejus primo, qui seculo 10. vixerit. Penes assertores probatio sit istarum tam antiquarum originum : Petraccius incumbit documenta proferre, quibus Sanctorum Joannis Gualberti et Gregorii VII. processio a Comitibus Soanensibus, et cognatio tam propinqua, probentur. Nam quidquid sit de sancto Abbate, quem nobili genere natum extra controversiam est; de Pontifice vereor ut Petraccius aliud fundamentum habuerit, ipsum ad Aldobrandescos trahendi, quam quia hi genus suum referunt ad Hildebrandos Soanæ Comites, Soanæ autem ille natus dicitur, et Hildebrandi nomen in baptismo intulit. Sed novum non est ea nomina, quæ Principibus familiaria sunt, inter eorumdem subditos, quantumvis ignobiles, frequentari intuitu suorum Dominorum, aut alia ex causa.

37. Cardinalis Baronius, ad annum 1073. n. 15. de Hildebrando jam electo Pontifice acturus, cum dixisset quod « alii Soanensem, alii Senensem fuisse tradunt » (quorum sententia facile conciliabit cum auctore Fastorum Senensium, qui Senensi ditione Soanam contineri intelliget), « humili loco natum » asserit, parente fabro : quod ignominiæ, inquit, causa adversarios ei objecisse comperimus; cum ex hac parte magis laudandus esset, quod evidentiora in eo ex his elucescerent veri Apostolatus signa; siquidem Apostolus dicat : « Videte enim vocationem vestram, Fratres, quoniam non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (*I Cor.* XXVI, 27,28). » Hæc Apostolus; cum aliquot superbe nimis respuat humanus fastus illum natalis titulum, quo Deus Filium suum omnem hominem factum voluit insignire, ut fabri filius diceretur. Addunt vero ista de fabri filio, quod, cum puer luderet ad pedes patris, ligna dolantis; ex rejectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formarit quibus simul conjunctis illud Davidicum exprimeretur oraculum : Dominabitur a mari usque ad mare (*Ps.* LXXII, 8); quo significaretur, manum pueri ductante Numine, ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. » Ita Baronius, sed nullum nominatim Auctorem vel in margine laudans : eadem vero in lectionibus Officii proprii sic narrantur, ut generis ejus ignobilitati non suffragentur, dicuntur enim evenisse, « cum parvulus ad pedes fabri, ligna edalentis, jam litterarum inscius, luderet, » non « ad pedes patris fabri; » quin potius nobilitati minime vulgari favet, quod, in Mss. nostris Vitis Pontificum, « Nepos Gregorii » Rusticus, » Præfectus Septem soliis, » ad instar artis munitæ domui, eamdem tenuisse dicatur contra obsidentem eam machinisque adomotis quatientem Henricum imperatorem : cujusmodi officium non videtur plebeio homini committendum fuisse. Taceo de « Avunculo Abbate monasterii S. Mariæ in Aventino, » de quo Vita n. 5; licet enim generis clarioris ratio non parvæ considerationis semper fuerit etiam in monasticarum Præfecturarum collatione, minus tamen inusitatum est ad eas provehi etiam infimo loco natos, quam stirps non dederit claritatem, moribus, meritis, aut litteris conferentibus.

38. A primo Gregorii in terris Natali, transeo ad alterum sanctiorem in Cathedra, quem more institutoque majorem annue eum celebrasse dubitandum non est. Dubitari tamen potest, quo die eum celebraverit, eo quod Lambertus Schafnaburgensis illius ipsius temporis scriptor, ad annum 193, quo electus Pontifex Gregorius est, die (ut ex decreto habe-

tur) 10 Kalendas Maii, dicit quod Regis consensum præstolans, primum ordinatus fuit « anno sequenti in purificatione S. Mariæ; » cum Acta Pontificalia apud Centium Camerarium asserant quod « Rex, mox ut electionis veritatem cognovit, assensum præbuit, et Gregorium Vercellensem Episcopum, Italiæ regni Cancellarium, ad urbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret, et consecrationi ejus interesse studeret : quod sine dilatione factum est. Nam infra octavam Pentecostes in Presbyterum Hildebrandus ordinatus est, et in Natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus. » Pentecoste illius anni, qui Pascha habuit 31 Martii, et litteram Dominicalem *F*, celebratum fuit 14 Maii : Natalis vero Apostolorum cecidit in Sabbatum. Videri autem posset ex peculiari electione ipsius sancti Pontificis assumptus is dies, cum alioqui soleret in Dominicis Pontificum consecratio fieri, quia meminerat quod ipsum Apostolorum Princeps Petrus « ab infantia sub alis suis singulari quadam pietate nutrivit, et in gremio suæ clementiæ fovit, » uti antea ad Saxonia Principes scripserat. Dominicam tamen expectatam ex more fuisse, qua Commemoratio specialis S. Pauli agenda erat, continuato quodammodo festo Natalis Apostolorum, persuadet Epistola ejus 12 in Registro, per quam « Gregorius, in Pontificem Romanum electus, Guilielmo Papiensi Episcopo salutem in Domino Jesu Christo » scripsit, ipsomet die 3 : « Kalendas Julii, Indictione undecima. » Quod autem nec uno quidem die serius facta sit Consecratio, quam 30 Junii, probat sequens epistola, qua « data secundo Kalend. Julii, Indictione » similiter « undecima, Gregorius, » jam non amplius « in Romanum Pontificem Electus, » sed (mutato de more stylo) « Episcopus, servus servorum Dei, Manassi Remensi Archiepiscopo salutem et Apostolicam benedictionem impertivit. »

39. Non habuit hic Pontifex in usu id, quod Clementem Papam III, cœpisse, et Cælestinum Papam similiter III, constanter videmus observasse, centum post hæc annis, ut sui Pontificatus annos adnumeraret subscribendis epistolis, saltem in Registro; nec aliarum extant exempla, quibus pleniori forma subscribentes S. R. E. Scriniarii sive Cancellarii, illum et alios temporis characteres apposuere : proinde non possumus ex iis demonstrare, quod idem Gregorius annorum suorum Pontificalium initium ducere sit solitus a 30 Junii. Credere tamen possumus eum in hoc quoque secutum morem decessorum suorum ; adeoque Pontificatui ejus, tunc primum inchoato cum cœpit esse Episcopus, solum adscribendos esse annos 11, menses 10, dies 26. Hoc autem modo præcedentium omnium Pontificum spatia numeramus, in nostra de Pontificum Romanorum Chronologia tractatu, tandem nunc edito; simulque observamus Dominicam diem, ut Ordinationibus faciendis antiquitus præscriptam : et hac duplici regula expediendas speramus infinitas historiæ ecclesiasticæ difficultates, quæ Baronianam

A circa Pontifices chronologiam, ubi neutra regula tenetur, identidem perturbant implicantque.

40. Dilatæ usque eo Ordinationis causam, non absque aliqua veri similitudine, videtur præmemoratus Ottho Schafnaburgensis satis idoneam proponere, dum scribit, quod intellecta Gregorii electione, et « quo modo zelo Dei ferventissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoveri cœperunt, ne vir vehementis ingenii et acris erga Deum fidei, districtius eos pro negligentiis suis quandoque discuteret : atque ideo communibus omnes consiliis Regem adorti, orabant ut electionem, quæ ejus injussu facta esset, irritam esse decerneret; asserentes quod nisi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc non in alium magis
B quam in ipsum Regem redundaturum esset. Statimque Rex a latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos Proceres conveniens, causam ab eis sciscitaretur quare, præter consuetudinem majorum, Rege inconsulto, Romanæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent; ipsumque, si non idonee satisfecisset, illicite accepta dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam benigne a prædicto viro susceptus est : cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit se, Deo teste, honoris hujus apicem numquam per ambitionem affectasse : sed electum se a Romanis, et violenter sibi impositam fuisse Ecclesiastici regiminis necessitatem : cogi tamen nullo modo potuisse ut ordinari se permitteret, donec in
C electionem suam tam Regem quam Principes Teutonici Regni consensisse certa legatione cognosceret : hac ratione distulisse adhuc Ordinationem suam et sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus inde veniens nuntius intimaret. Hoc ubi Regi est nuntiatum, libenter suscepit satisfactionem ; et, lætissimo suffragio, ut ordinaretur mandavit. »

41. Nescio quam procul aut prope Roma tunc Rex abfuerit, adeoque nec definire possum utrum intra decem illas hebdomades, quæ inter Electionem Ordinationemque fluxerunt, toties potuerint commeare nuntii, quoties opus est ut Gregorius expectaverit donec post reditum prædicti Comitis novos a Rege nuntios acciperet. Sed neque id opus fuisse video : siquidem prælaudata ex Vaticano Archivio
D Acta habent quod « altera die » ab Electione, « apud se ipsum sollicita mente pertractans ad quam grave periculum sit adductus, æstuare cœpit ex nimio dolore. Sed cum excusationem de relinquendo Papatu non invenisset, nuntios ad Regem Henricum celeriter destinavit, per quos et electionem super se factam aperuit, et ne assensum præberet attentius exoravit, quod si non faceret, certum sibi esset quod graviores et manifestos ejus excessus nullatenus impunitos toleraret. » Rem ergo sic gestam existimo, ut Gregorii nuntios præcurrerit (ut fit) fama Electionis, eamque secutæ vel mox secuturæ Ordinationis, eo quod Romanus populus dilationem nullam videretur pati velle (sicut ex responso Gregorii ad Comitem satis intelligitur) et Episcopis Gallicanis

qui tum forte ex Burgundia et Lotharingia in Regis Curia aderant, regiæ auctoritatis neglectum pro certo exaggerantibus missus Comes sit; quo digresso supervenerint nuntii cum epistolis, falsi arguentes famam prædictam; ideoque, non expectato Comitis reditu, missum mandatum ad Vercellensem Episcopum ut Ordinationi Pontificiæ curaret interesse, quod hic sine mora faciens, advenerit Romam decima post Electionem hebdomade, citius forte quam Comes ad Regem potuit rediisse. Atque hoc modo, etiamsi Rex fuisset in intima Germania, potuerunt esse facta omnia quæ utrimque narrantur. Unde autem Lambertus diem Purificationis acceperit, ignoro : errasse, certis documentis convici, quod satis est.

S. GREGORII VII

VITA

Auctore PAULO *Bernriedensi, Canonico regulari.*

CAPUT PRIMUM.

Nomen Hildebrandi, et huic conformia ignis miracula circa ipsum ostensa. Acta usque ad annum 1052.

Igitur Gregorius septimus, super quem vere primi Gregorii requievit spiritus, natione Teuscus, patrem habuit nomine Bonicum (1), et ipse Hiltebrandi sortitus est in baptismo vocabulum, non sine grandi præsagio futurorum. Hiltebrandus (2) enim, Teutonicæ linguæ vernacula nuncupatione, Perustionem significat cupiditatis terrenæ, qualem Psalmista sibi divinitus impertiri precatur, dicens Psal. XXV : Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum... Apte vero in baptismo datum est hoc nomen, dicente Joanne Baptista, Marci I : Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam; qui autem venturus est post me, fortior est me, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse baptizabit in Spiritu sancto et igne. De hoc igne ipse Salvator ait, Lucæ 12 : Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? Quoniam ergo vir iste ignito eloquio Domini repulsurus erat a domo Dei ignita jacula inimici, non incongrue prætulit incendium appellatione, quod exhibiturus erat ferventissima caritatis et veritatis attestatione.

2. Habemus adhuc firmiores in eo divini fervoris præmonstrationes, ex quibus eum quondam Eliæ Prophetæ assimilavimus, cum forte Isidorum de ortu et obitu Prophetarum legeremus. Ibi enim, si memoria non fallit, caput Eliæ recens nati globo ignis traditur illustratum; ad præsignandum videlicet divinæ æmulationis ardorem, quo tandem inflammandus erat contra prævaricationes pessimorum Regum, atque seductiones pseudoprophetarum. Simili modo ex Gregorii sive Hiltebrandi parvuli vestibus scintillæ ignis visæ sunt emicuisse, ad prænotandum sine dubio sancti zeli fervorem quo et ipse igniendus erat contra gravissimas insolentias Henricianæ vesaniæ, et contra intolerabiles effrænationes Sacerdotalis incontinentiæ. Hanc autem scintillarum visionem sæpius ostensam, primitus in eo Cluniacensis monasterii Pater S. Majolus (3) fertur adnotasse, atque illud B. Joannis Baptistæ adaptasse : Iste puer magnus erit coram Domino. Denique ut cunctas visiones ignis, quas de eo comperimus, sine intermissione commemoremus, visa est etiam de ipsius capite quodam tempore flamma procedere, ad expressiorem similitudinem Eliæ, si ætatum fulciremur cooperatione. Verum, sicut illud propheticæ increpationis prodigium contigit in infantia, ita istud Apostolicæ examinationis ostentum accidit in ætate perfecta.

3. Fuit et in hoc aliqua similitudo Eliæ, quod

(1) Ms. nostrum nomen patris rectius expressit, *Bonizonem* scribens, qui hic saltem *Bonizus vel Bonitus* non *Bonicus*, scribendus erat.

(2) Pro varia dialecto varie nomen hoc scribitur, *Hiltebrant*, *Hildebrand*, *Heldebrant*, et (suavioris pronuntiationis causa) etiam *Hellebrand :* quod postremum, quia varie accipi potest, inimicis Gregorii et maledicis occasionem dedit, ut infra num. 4 dicitur. *Infernalem titionem :* quamvis *Helle*, non solum substantive *infernum*, ab *Hellen* in declive vergere, sed adjective etiam *Clarum* significet. Noster auctor, omissa prioris partis etymologia, in sosteriori *a Branden*, urere, ardere sumpta, hic ptetit, *Perustionem* reddens : est autem *Brand*, ardor, incendium, titio. *Hilt* vero vel *Held*, significat *Heroem*; atque adeo *Hildebrandus* est *Ardor heroum* seu *heroicus :* vix autem in usu antiquo distinguitur a *Childebrando*, sicut nec *Childebertus* ab *Hildeberto :* est tamen notionis differentia, quatenus *Childe* antiquis Francis Saxonibusque, et hodie adhuc Anglis, significet *infantem*, *filium*, etc. Itali fere sine aspiratione *Ildebrandum* dicunt, quod recentior usus in *Aldobrandum* vertit. Porro quæ, occasione ignei ardoris ipso nomine significati, mox dicuntur, de Elia, ex apocryphis sumpta, poterunt ad jus festum 20. Julii accuratius [referri].

(3) *Majoli* Vitam damus 11. Maii, ubi ostendimus obiisse illum anno 994 : atqui anno 1048. Hildebrandus adhuc erat adolescens : itaque quod hic S. Majolo tribuitur, sub aliquo ejus discipulo vel successore S. Odilone dictum fuerit.

contemptus a quodam calumniatore, terribiliter vindicatus est cœlesti igne. Nam cum esset Archidiaconus antecessoris sui Alexandri; pauper quidam intolerabilem sustinens sibi hereditatis ablatæ injuriam, ab iniquissimo et metuendæ potentiæ viro, flebilem querimoniam detulit Pontifici Romano. Verum hic, cum propterea sibi quoque damnum ab animo irreverenti et infrunito subeundum formidaret, et justa sententia misericordiam sublevare trepidaret; justus Hiltebrandus, quasi leo confidens, cum primum Pontificem ad exerendum ultionem excitare et confortare tentasset, sed eum a pusillanimitate spiritus nequaquam liberare prævaluisset; sibi vicem illam misericordiæ et veritatis committi postulavit. Qua protinus accepta, sententiam anathematis in prædonem dedit. Atille, vel non habens, vel erubescens habere videri timorem tanti judicii; cum exinde tertia die solito (more) exultantis vel insultantis equestrem militiam inter commilitones ventilasset; subito fulminis ictu percussus, veluti durus Pharao, in stagno ignis ardentis submersus est.

4. Interea vidit illud famosum somnium, Pontificalis excellentiæ et efficaciæ vaticinium, quod scilicet ex ore ejus ignis exiret, qui totum mundum igniret; haud dubium quin ille ignis, quem Dominus Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Verum non sic impii interpretati sunt, neque sic malignantes experti sunt. Nam quia Spiritum sanctum blasphemaverunt, eumque in servo suo arguentem de peccato, Infernalem titionem vocaverunt: justi Dei ultione, irremissibili delicto obligati, perpetuam miseriam malignæ appellationis inciderunt, et mirum in modum, quod piis erat salutiferum, impiis factum est mortiferum. Hic succedit miraculum, non solum Eliæ, sed etiam justi Abel, et sapientissimi Salomonis, nec non et aliorum Patrum exemplis gloriosum, quorum videlicet libaminibus illapsa est per speciem ignis gratia sancti Spiritus. Domino namque auctore sublimatus in specula Apostolorum Petri et Pauli, cum in universam terram produceret sonum eorum, et in fines orbis terræ disseminaret verba eorum; moderni Neronis, scilicet quarti Henrici Regis, cujus flagitiis et facinoribus omnis prædicatio veritatis, velut ignis urens, intolerabilis erat, gravissimam contra se persecutionem commovit: ideoque necessitate compulsus fugere de civitate in civitatem, Christianissimæ Comitissæ Mathildis tutelam ad tempus expetiit. Cumque apud eam in pace factus esset locus ejus, et habitatio ejus in Sion, hoc est in specula divinæ contemplationis; recurrente temporum rota, forte imminebat dies maxime dedita Pontificalibus officiis, quæ muncupari solet Cœna Domini. Hanc ergo A celebraturus, adiit Abbatiam, vocabulo Nonantulam (4), sanctorum prædecessorum ejus Silvestri et Adriani patrociniis gloriosam. Ibi nempe sacrosanctis insistens ministeriis, cum jam consummaret sanctificationem Chrismatis, subito cœlitus inflammante benedictum liquorem clara specie ignis, conglorificatus est antiquis Patribus signo divinæ acceptionis.

5. (5) Sed jam congruum videtur miracula de igne in mirabili extinctione ignis finire, quæ in Chronicis venerabilium virorum hac occasione legitur accidisse. Cum prædictus Henricus Romanæ civitatis mœnibus hostili manu assedisset, et ob hoc ignem quodam loco injecisset, ut, populo a tutandis propugnaculis ad avertenda combustionis pericula converso, sine prohibitione irrumperet; intelligens hanc versutiam fortissimus in fide Christi Gregorius, signum Crucis appinxit, et, velut Tiberis inundantiam effunderet, incendium protinus extinxit, plebemque ad propugnacula defensanda redire præcepit.

6. Nobis etiam redire placet ad commemorandam pueritiam ejus, in qua avunculo suo Abbati monasterii sanctæ Dei Genetricis Mariæ in Aventino monte, ad instructionem liberalis scientiæ et compositionem moralis disciplinæ, a parentibus commendatus, in brevi ostendit spectabiles flores utriusque nutrimenti. Jam vero adolescentiam ingressus, profectus est in Franciam, domiturus inibi carnis C petulantiam et molestia peregrinationis et instantia eruditionis. Inde post aliquot annos Roman rediturus, occulta Dei præparatione, moram fecit aliquantum temporis in aula Henrici III, ut quia sublimandus erat in culmine Sacerdotii, profectus ejus manifestus fieret omnibus ex alta specula regni. Hinc ipse Imperator aiebat nunquam se audisse hominem cum tanta fiducia Verbum Dei prædicantem. Probatissimi quoque Episcoporum, reipublicæ consulentium, admirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.

7. Post hæc Romam reversus, cum studio perfectionis insisteret, et accepta divinitus talenta intellectus atque operationis duplicare satageret, torpentes domesticos sensit inimicos, et illud veritatis D elogium probavit: *Nemo propheta acceptus est in patria sua* (*Luc.* IV). Proinde parcere volens invidiæ, et majorem caritatis fructum quærere, ingredi statuit in partes Germaniæ et Galliæ. Cumque venisset ad Aquas pendentes (6), apparens ei in visione B. Petrus, qui jam ascensiones ejus in Cathedram suam disponebat, prodire eum ulterius prohibebat. Ipse autem, fallacem existimans imaginem, a proposito itinere non reflexit. Item secundæ noctis similem visionem præterivit. Tum vero tertia nocte

(4) *Nonantula* in confiniis agri Mutinensis et Bononiensis fundata *S. Anselmo primo Abbate*, qui ditavit illam reliquiis *S. Silvestri*, ut dictum est ad S. Anselmi Vitam die 3. Martii, Ibidem etiam haberi corpus *Hadriani Papæ* non I. sed III. ostendi in Chronologia Pontificia.

(5) Meminit sequentis historiæ Bertholdus Constantiensis ad annum 1082.

(6) *Aqua-pendens* oppidum ditionis Pontificiæ in territorio Urbevetano.

cum maximo terrore ingerens se facies Apostolica, graviter eum luiturum, si non reverteretur, intentavit; sicque eum in Romanæ Ecclesiæ solatium revocavit.

8. In diebus illis, mortuo Damaso (7) secundo, successit nonus Leo (8); qui, laudabilis viri prudentiam et sanctitatem ex corde veneratus et amplexatus, ejus per omnia consilia suscepit; et hæc eorum concordia plurimum in agro Dominico spinis erutis fructificavit. Interea Subdiaconus ab eodem Papa ordinatus, monasterio S. Pauli, miserabiliter desolato, prælatus est, tali primitus visione confortatus. Apparens ei B. Paulus in basilica sua stabat, ac palam manibus tenens stercora boum, de pavimento levabat, ac foras jactabat. Cumque spectator otiosus assisteret, increpabat eum Apostolus, quare non se adjuvaret : jussitque eum palam apprehendere, et fimum (sicut ipse faceret) ejicere. Latrunculis enim Campaniæ diripientibus subsidia alimoniæ, in tantum languorem inciderat observantia sanctitatis et regulæ, ut et armenta, licenter ingredientia domum orationis fœdarent; et mulieres, in refectorio necessaria ministrantes, famam paucissimorum, qui ramanserant, monachorum dehonestarent. Eliminata igitur omni spurcitia, et recuperata victualium sufficientia, congregavit honestam multitudinem Regularium monachorum : quorum religione et disciplina venerabiliter usque hodie pollet locus iste.

9. Denique tam singularem cœpit habere fiduciam super opitulationibus precum illorum, ut, si quando non liberaretur ab adversitatibus, certissimum ei signum fieret, alicujus delicti impedimentum esse inter eos : quo præsenti ipsius examinatione correcto, solito cursu liberationem ejus acceleratam ferebat oratio (*Gal.* VI). Beatus plane Pater, beati filii, quos inter ignorantia et impunitas culpæ moram non potuit habere, sed, exemplo quidem Josue prodita, in spiritu lenitatis, secundum Apostoli præceptum, castigata est! Si qui tamen, cujuslibet professionis fuerint, majores culpas, et maxime ad immunditiam vel sacrilegium pertinentes, apud S. Paulum committere præsumpserunt, mox in Apostolicæ reverentiæ (honorem) ab exterminatore perierunt. Sicut enim, (9) primi Gregorii tempore, B. Andreas Apostolus ultor exstitisse legitur sui sanctuarii; ita et in diebus Hiltebrandi ejusdemque Gregorii VII. B. Paulus Apostolus vindex enituit sui sanctificii, utroque scilicet Apostolo cooperante suo operario.

CAPUT II.

Miracula et gesta ante Papatum.

10. Interea spiritualis agricola, sanctus videlicet Leo IX. Papa (10), considerans et admirans multum fructum palmitis hujus, eo quod ipse maneret in Christo, et Christus in ipso; dilatavit in eo mansionem Christi per impositionem Ordinis Levitici, et ut fructum plus afferret, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum instituit. Post hæc in partes Galliarum directus, ita creditum sibi Apostolicæ vicis exhibuit officium, ut merito cum Apostolo dicere posset « Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam (*II Cor.* II :). »

11. Primam sane odoris hujus fragrantiam Lugdunum, quæ prima sedes est Galliarum, synodali discussione suscepit. Nam, sicut Papa Kalistus narrare consuevit, prima Concilii die, proclamatus est quidam Pseudo-episcopus de Simoniaca Pontificalis culminis ascensione; sed quia ad finem perduci non potuit probatio, in sequentem diem prolata est. Interim quid faceret sibi male conscius? Quo se verteret? Adamante duriorem judicis mentem nullo munere ausus est attentare, non dubitans se per hoc ardentissimum veritatis amatorem magis exasperare quam placare. Data igitur pecunia, oppilavit ora tam accusatorum quam testium, et cooperante securitatis insolentia, tumidus crastinæ sessionis cognitori insultavit, dicens : Ubi sunt, qui me accusabant? nemo me condemnavit. Ad hæc zelotes Dei alto gemitu suspirans, et frixorium cordis sui super illis qui corrupti erant dedignativo gestu significans, ait ad corruptorem : Credis, o episcope, Spiritum sanctum unius cum Patre et Filio esse substantiæ et deitatis? Quo respondente, Credo ; Dic, inquit, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Cumque hunc Versiculum, ad commendandam sanctæ Trinitatis fidem à Nicænis Patribus hymnizando prolatum, et B. Hieronymo pro succentu (11) singulorum Psalmorum Damaso Papæ commendatum, fiducialiter adorsus fuisset; Gloria Patri et Filio, dicebat, sed, Spiritum sanctum nominare minime valebat. Secundo tentare admonitus, defecit in Filio. Tertio repetere permissus, obticuit in Patre. Tunc demum pedibus Apocrisiarii provolutus, Simoniacum se esse professus est. Qui mox ut ab Episcopatu depo-

(7) *Damasus II.* creatus est die 17. Julii anno 1048. et, cum sedisset dies 23. extinctus est, ut creditur, veneno.

(8) Vitam S. *Leonis IX.* dedimus 19. Aprilis. Annus autem tunc erat 1084.

(9) Hæc habentur in Vita S. *Gregorii*, a nobis 12. Martii illustrata, auctore Joanne Diacono lib. 4. num. 96.

(10) Cum S. Leoni IX. successisset Victor II. creatus 13. Aprilis anno 1055. missum se in Gallias testatur ipse Hildebrandus apud Desiderium Abbatem Casinensem, dein Victorem II. Papam lib. 3. Dialogorum, et apud Petrum Damianum Opusculo 19. cap 6. apud quos sequens narratur historia, sed *Subdiaconus* appellatur. Verum infra apud Bertholdum num. 1 et apud Grutmundum Archiepiscopum Aversanum lib. 3 de Veritate Corporis Christi in Eucharistia, *Archidiaconus* dicitur.

(11) De hoc *succentu*, a S. Hieronymo commendato, egimus, in Annotatis ad Epistolas prævias utrique adscriptas, ante Catalogos veteres antiquorum Pontificum, editos ante tomum I. Aprilis p. IV.

situs est, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, clara voce personuit. Et his divinæ cognitionis indiciis feruntur nonnulli Pseudoepiscoporum compuncti, malas conscientias spontanea confessione prodidisse, et injuste acquisitas dignitates juste demisisse.

12. Idem venerabilis Archidiaconus Synodum tenuit, cui Hugo (12) Cluniacensis Abbas interfuit : in qua Episcopum quemdam ordine judiciario deposuit. Inde simul ambo profecti, ad flumen quoddam pervenientes transvadabant : Archidiaconus vero præcessit Abbatem. Transmisso igitur flumine, conversus retro respexit, et dixit : Cur talia de me cogitasti? Abbas vero respondit : Tunc es Deus, qui cogitationes hominum te scire asseveras? Deus, inquit, non sum : sed tamen, quæ in animo volvebas audivi. Dixisti enim in corde tuo, me magis Episcopum illum causa jactantiæ, quam zelo Dei deposuisse. Perculsus Abbas conscientia : Rogo te, inquit, per caritatem Dei, ut edicas mihi quomodo hoc sentire potuisti? Quia venientem te, inquit, per alveum fluminis respexi; et, quasi filum tensum [foret] ab ore tuo usque ad aures meas, inde hoc perpendisse te sensi.

13. Altera item die, cum ambo, Archidiaconus videlicet et prædictus Abbas Cluniacensis, ecclesiam quamdam ingressi fuissent; Camerarius Abbatis stans ad orationem, clam aliquos nummos e marsupio protulit, atque pro expensis tribuendos de manu in manum calculavit. Interrumpens autem orationem Archidiaconus vociferando : Exi, diabole; ecclesiam eum relinquere coegit. Tum Abbas : Inhumane, inquit, agis, quod neque orationem nos complere permittis. Orationem, ait, monachi tui sciscitare, et cur id fecerim, poteris cognoscere. Requirens igitur Abbas, invenit quod nummos computasset. Consequenter Archidiaconus intulit : Et ego teterrimum spiritum ante ipsum hoc idem simulare vidi.

14. Eodem itinere venerunt ad quamdam civitatem, multa mortalitate laborantem; in qua vidit Angelum Dei erecto gladio paratum ad occisionem. Unde, cum irent ad oratorium secundum consuetudinem, rogabat Abbatem ut breviaret orationem et quantocius relinqueret civitatem, alioquin omnes perituri essent. Dicto parens Abbas velociter reversus est ad hospitium, et ecce reperit duos viæ socios repentina morte prostratos. Cumque festinantissime deseruissent locum pestilentiæ, Abbas jam potitus sciscitandi libertate, percunctatus est venerabilem Levitam quid vidisset, quod tantam properationem indixisset; et, quod prædictum est, audivit.

15. Inter hæc, Romam proficiscens, cum audisset mortuo Stephano Papa (13) Benedictum quemdam ab iniquis et importunis hominibus contra Canones in Apostolica Sede substitutum, magis acceleravit iter suum : collectaque Synodo Episcoporum in Tuscia, Benedictum quidem sancti Spiritus judicio condemnavit, Gerhardum vero, Florentinæ civitatis venerabilem Episcopum, communi bonorum consensu electum Apostolicæ Sedi inthronizavit, atque Nicolaum II (14) nominavit. Hoc autem post biennium defuncto, successit Alexander II.

16. Hujus camerarius, nomine Joannes, narrare solebat factum in semetipso divinæ curationis miraculum, per venerabilem Hildebrandum adhuc Archidiaconum. Nam cum idem Joannes apud Tusculanum nimis acri febrium dolore fatigaretur, misso nuntio beatum virum rogavit obnixe ne pigritaretur venire usque ad se. Nec mora, quia boni nuntii hominem esse cognovit, venire non renuit. At ille nimio gaudio repletus in adventu ejus, traditis ei omnibus suis, commendavit etiam, humiliter implorans, ut communem Dominum pro se deprecari, ac religiosos homines in idipsum curaret adhortari. Tunc vir Dei, domestica pietate ab intimis visceribus commotus, ejectis omnibus, se diutissime in orationem cum lacrymis absque verborum strepitu dedit. Completa oratione, Comitissam, cum qua idem Joannes morabatur, vocavit; eamque ut refectionem, pullum videlicet gallinæ, infirmo præpararet hortatur. Cui renitenti, eo quod longa debilitate stomachum adeo infirmatum esse non ignoravit, ut etiam ante aliquot hebdomadas cibum percipere fastidierit, vir Dei respondet : Sine modo. Scias enim quod tam festinanter non præparabitur quomodo ipse desiderabit. Hoc ita res probavit. Nam sufficienter refectus, obdormivit soporatus, ac de omni illa validissima invaletudine sine mora convaluit.

17. Iterum vir beatus ad Ecclesiarum directionem a Domino Papa destinatus, cum inter multa bona opera quæ operatus est, Antistitem quemdam, falsis criminibus impetitum, a malignantium calumniis duce Spiritu veritatis eripuisset; Romam reversus, Basilicam Petri Apostoli, causa orationis et gratiarum actionis, ingressus est. Erat ei familiare diverticulum, ut ad B. Mariæ Dei Genitricis iconem, consistentem intra eamdem Basilicam, ante eam orando procideret, et plorando cor suum effunderet.

(12) Acta varia *S. Hugonis* dedimus 29. Aprilis.

(13) Mortuo anno 1054. *S. Leone IX.* substitutus anno sequente *Victor II.* et huic anno 1057. vita functo successerat *Stephanus IX.* qui post octo circiter menses decessit e vivis. Hic, teste Leone Ostiensi lib. 2. Chronici Casinensis cap. 100 mandavit ut nullus a suo obitu eligeretur Papa, nisi adesset Hildebrandus.

(14) *Nicolaus II* sedit a Januario anni 1059. fere usque ad Junium anni 1061. cui tunc successit *Alexander II*, a quo *Hildebrandum Cancellis Apostolorum præfectum* ait Malmesburiensis, lib. 3. de Gestis Regum Anglorum, pag. 107. ex editione Francofurtensi.

Igitur cum hac vice secundum hanc consuetudinem facturus accessisset; vidit, quod dictu mirabile est, ipsam imaginem lacrymas stillare, et quasi dolorem suum pro aliqua dilecti sui molestia significare. Ipse autem repletus stupore et ecstasi, postquam satis in admirationem defixus est, lacrymis lacrymas ubertim reddidit : et supplicatione completa, Lateranense Palatium, salutaturus Domnum Papam, revisit. Qui mox perlati ad eum falsi rumoris excipiens indicium; quod videlicet pro muneribus prænotatum justificasset Episcopum, patenter dedit intelligi quid in sacra imagine significasset similitudo condolendi. Verum cum sapientia, quæ lucebat in vultu ejus, rationem cœpisset reddere; erubescebant omnes, qui in præsentia erant, adversarii ejus : et juxta B. Hieronymum, falsus rumor cito opprimebatur, et mordax lingua cito confodiebatur : quippe vita ipsius voce et exemplo commendabatur. Inde cum prædicto more solito repeteret imaginem, converso miraculo, vidit eam arridere sibi tanquam triumphatori.

18. Ne autem hæc miracula, quamvis de sanctis, tamen de insensatis rebus, incredibilia videantur : ex probabilioribus orthodoxorum Patrum scriptis fidem dare volumus, quædam ex his mutuantes exempla quæ contra hujusmodi incredulitatem non putamus invalida. Sic enim legitur in Actionibus septimi universalis Concilii, auctoritate primi Adriani Papæ collecti (15) : Narravit nobis Dionysius presbyter Ecclesiæ Ascalonis, de abbate Joanne anachoreta, dicens : Quia hic magnus in præsenti generatione fuit homo, et ad statum suum Deo placentem hoc de eo miraculum asserebat : In specu, inquiens, senex sedebat in partibus Sochus, possessionis ab Hierosolymis milliariis IX (16) ferme distantis. Imaginem autem habebat senex in specu sanctæ et intemeratæ Dominæ nostræ, Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ, habentem in ulnis Christum Dominum nostrum. Quotiescumque igitur volebat quoquam pergere, aut ad eremos longinquas, aut Hierosolymam ad adorandam sanctam Crucem et sancta loca, vel etiam in Sina monte oraturus, aut ad martyres qui ab Hierosolymis multis spatiis aberant (erat enim amicus Martyrum oppido senex; nam, nunc quidem ad S. Joannem Ephesum, nunc vero ad S. Theodorum [17] Euchaitam, aut ad S. Theclam Seleuciam pergebat, vel ad S. Sergium Araphani [18]), præstruebat candelam et succendebat, sicuti habebat consuetudinem : et ad deprecationem stans, ut iter sibi dirigeretur, dicebat ad Dominam, in imaginem ejus atten- A dens : Sancta Domina, Dei Genitrix, quoniam viam habeo longam ad ambulandum, multorum dierum spatium habentem, de candela tua curam habeto, et inextinguibilem eam secundum meum propositum custodi : ego enim adjutorium tuum comitem habens vadam. Et his ad imaginem dictis, abibat : et proposito itinere completo revertebatur, aliquando quidem mense uno, aliquando vero duobus vel tribus, nonnunquam quinque aut sex moratus : et sic inveniebat candelam ordinatam et ardentem, ut eam ad iter agendum egressurus sinebat numquam illam aliquando a semetipsa extinctam vidit, neque a somno surgens, neque ab eremo rediens in speluncam.

19. Item ex eisdem Actionibus ex Vita (19) S. B Theodori Archimandritæ, cum esset annorum quasi XII, facta est mortalitas ex bubone in illa villa, ita ut et ipse infirmaretur pene ad mortem. Porro detulerunt eum in oratoriam domum S. Joannis Baptistæ, quæ erat juxta villam, et straverunt eum ad introitum altaris. Porro supra illum in receptaculo Crucis stabat imago Salvatoris Jesu Christi; cumque ex dolore bubonis cruciaretur, repente de imagine ceciderunt super eum roris guttæ; et statim, gratia Dei, a dolore convaluit, et sanus effectus est, et ivit domum suam. His exemplis, ad adstruendam fidem sufficere valentibus, ad nostræ narrationis ordinem redeamus.

20. Igitur venerabilis Hiltebrandus vidit visionem, C Apostolicæ pietatis in proximo suscipiendæ præsignationem. Apparuit ei Simon Magus, tripudians et exultans in navi : et ipse sibi videbatur illum insilire, et colluctando pedibus subactum insolubilibus nexibus vincire. Quod navis Ecclesiam significet, rarus est qui ignoret : in qua nimirum Simon Magus, ante beati viri hujus Apostolatum, longe lateque per suos sequaces sacrilega venalitate luserat, libere scilicet et impudenter emens ac vendens ecclesiasticas dignitates. Quomodo autem per hunc athletam Dei prostratus et alligatus sit, suo loco dicemus. Per idem tempus quidam Pisani pernoctabant in Basilica B. Petri gratia orandi : cum ecce vident ipsum Principem Apostolorum in eadem domo sua, cum hoc prædestinato herede suo deambu- D lantem, eique præcipientem ut stercora diversorum jumentorum, quæ sparsim inibi jacere videbantur, in saccum, qui cominus haberi cernebatur, congereret, et dorso imposita egereret. Et quidem per hæc stercora, luxurias et spurcitias diversorum hominum, maxime autem Nicolaitarum, et quarti Henrici

(15) Habentur hæc in Prato Spirituali seu lib. 10. de Vitis Patrum, auctore Joanne Moscho cap. 180.

(16) Ibidem *milliaribus fere viginti*. Scriptura variis locis *Socho* nominat, resque inter ipsum et *Azecha* factas narrat, est autem ad Euronotum versus Ægyptum.

(17) Perperam impressum *Eucharetam*. Consule quæ de S. Theodoro diximus ad Vitam ejus die 7. Februarii § 2.

(18) Imo *Saraphas*, uti dicetur ad ejus et S. Bacchi Vitam 7. Octobris. Consule notas Baronii ad dictum diem.

(19) Ex actione 4. constat hunc esse S. *Theodorum Siceorum Abbatem;* cujus Acta valde illustria dedimus 22. Aprilis; sex ex sola versione Latina, curata per Lipomanum : in qua cum hoc miraculum desit, apparet nec ipsum Lipomanum, integrum Græcum textum habuisse, quem vel ideo magis optamus inveniri.

patroni eorum significari, in promptu est. Sed quomodo et portata et exportata sint, suo tempore, Deo aspirante, demonstrabimus.

CAPUT III.

Electio ad Papatum et hanc secuta visio columbæ: morbi divinitus Gregorio immissi et ablati, ægri sanati.

21. Nunc electionis ejus, post mortem Alexandri Papæ, legitimum ordinem, prout ipsi electores ejus conscripserunt, proponamus, regnante Domino nostro Jesu Christo, anno clementissimæ Incarnationis ejus 183, Indictione et Luna XI, decimo Kalend. Maii feria secunda, die sepulturæ Domini Alexandri bonæ memoriæ secundi Papæ. Ne sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta Pastore, congregati in Basilica B. Petri ad Vincula, nos sanctæ Romanæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri; præsentibus venerabilibus Episcopis; Abbatibus, Clericis et Monachis consentientibus; plurimis turbis utriusque sexus diversique ordinis acclamantibus; elegimus nobis in Pastorem et Summum Pontificem, virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis et justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, et, juxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio hujus Matris Ecclesiæ a pueritia satis nobiliter educatum et doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodo usque in sempiternum et esse et dici Gregorium Papam et Apostolicum volumus et approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ X Kalend. Maii, Indictione XI.

22. Ipse quoque Gregorius de electione sua continuo has misit epistolas. Gregorius, in Romanum Pontificem electus, Desiderio Abbati Monasterii S. Benedicti montis Casini, salutem in Christo Jesu. Dominus Papa Alexander mortuus est: cujus mors super me cecidit, et omnia viscera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus populus contra morem ita quievit, et in manu nostra consilii frena dimisit, ut evidenter appareret ex Dei misericordia hoc provenisse. Unde accepto consilio hoc statuimus, ut post triduanum jejunium, post Litanias et multorum ora-

A tionem, eleemosynis conditam, divino fulti auxilio statueremus quod melius de electione Romani Pontificis videretur. Sed subito, cum prædictus Dominus noster Papa in Ecclesia Salvatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi et fremitus, et in me quasi vesani insurrexerunt; ita ut cum Propheta possim dicere: Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me; Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; et: Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Sed quia in lecto jacens valde fatigatus satis dictare nequeo, angustias meas enarrare supersedeo. Te igitur per omnipotentem Dominum rogo, ut suffraganeos Fratres et Filios, quos in Christo nutris, ad exorandum Deum pro me pro-
B voces, et ex vera caritate invites: quatenus oratio, quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, saltem tueatur in periculo positum. Tu autem ipse quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana Ecclesia te indigeat, et in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Dominam Agnetem Imperatricem (20), et Rainaldum (21) venerabilem Cumanum episcopum ex nostra parte saluta: et quantum erga nos dilectionis habuerint, nunc ut ostendant, nostra vice fideliter obsecra. Data Romæ, IX Kal. Maii, Indictione undecima.

23. Gregorius, in Romanum Pontificem electus Gottifredo (22) Duci salutem in Domino Jesu Christo. Grata nobis est lætitia tua, quam in litteris
C tuis de promotione nostra te habere cognovimus; non ut hoc aliqua causæ nostræ delectatio faciat, sed quod eam ex fonte sinceræ dilectionis et fideli mente derivatam esse non dubitamus. Nostra enim promotio, quæ tibi ceterisque fidelibus piam de nobis existimationem et gaudium administrat, nobis interni doloris amaritudinem et nimiæ anxietatis angustias generat. Videmus enim quanta nos solicitudo circumstat: sentimus quam nos suscepti oneris sarcina gravat: sub quibus, dum nostræ infirmitatis conscientia tremit, anima nostra in Christo potius dissolutionis requiem, quem in tantis periculis vitam cupit. In tantum quippe commissi nobis officii consideratio nos sollicitat, ut, nisi in orationibus, spiritualium hominum, post Deum,
D aliqua fiducia nos sustentaret, curarum immensitate mens nostra succumberet. Peccatis enim facientibus, ita pene totus mundus in maligno est positus, ut omnes (et præcipue qui in Ecclesia Prælati sunt) eam potius conturbare, quam fideli devotione

(20) Henrici quarti mater *Agnes Imperatrix*, eo parvulo post viri mortem gubernacula regni pacifice est moderata: sed postea, Principum invidia videns filii animum a se aversum discessit in Italiam: et *per medium fere anni spatium*, ut loquitur Leo Ostiensis l. 3. Chronici Casinensis c. 32. *Casini commorata est*, ac proinde eam tunc ibi existentem salutat S. Gregorius.

(21) Videtur *Rainaldus* tunc exul, Casini fuisse. Eum S. Gregorius consolatur epistola 20. libri primi, anno sequenti data, in qua meminit dictæ *Agnetis Imperatricis*. Eidem epistolam libro 6 etiam scripsit Indictione 2. anno 1079.

(22) *Gottifredus* seu *Godefridus*, cognomento *Barbatus* seu *Senior*, *Lotharingiæ* et *Tusciæ Dux*, duas habuit uxores; primo *Dodam*, ex qua genuit *Godefridum Gibbosum*, et *B. Idam viduam*, Comitissam Boloniæ, cujus Vitam dedimus 13. Aprilis. Dein duxit anno 1054. *Beatricem, viduam Bonifacii Tusciæ Marchionis*, quæ eidem Bonifacio ante genuerat *Mathildem Marchionissam*, seu *Comitissam*.

defendere vel celebrare contendant, et, dum suis aut lucris aut præsentis gloriæ desideriis inhiant, omnibus, quæ ad religionem et justitiam Dei pertinent, se velut hostes opponant. Quo magis nobis dolendum est, qui susceptum universalis Ecclesiæ regimen in tanta difficultate, nec rite administrare, nec tuto deserere possumus. Ceterum, quia fidei et constantiæ virtutem (donante Deo) in te sitam esse cognovimus; omnem, quam oportet in carissimo S. Petri filio, in te fiduciam habentes, animum tuum de nostra itidem constantissima dilectione, et erga honores tuos promptissima voluntate, nequaquam dubitare volumus. De rege vero mentem nostram et desiderium plene cognoscere potes; quod, quantum in Domino sapimus, neminem de ejus præsenti ac futura gloria aut sollicitiorem, aut copiosiori desiderio nobis præferri credimus. Est etiam hæc voluntas nostra, ut, primum oblata nobis opportunitate, per nuntios nostros, super his quæ ad profectum Ecclesiæ et honorem Regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna eum dilectione et admonitione conveniamus. Quod si nos audierit, non aliter de ejus quam de nostra salute gaudebimus; quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si, in tenenda justitia, nostris monitis et consiliis acquieverit. Sin vero (quod non optamus) nobis odium pro dilectione; omnipotenti autem Deo, pro tanto honore sibi collato, dissimulando justitiam ejus, contemptum non ex æquo reddiderit; interminatio, qua dicitur : « Maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine, » super nos, Deo providente, non veniet. Neque enim liberum nobis est, alicujus personali gratia legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apostolo : Si hominibus placere vellem, servus Dei non essem. Data Romæ II Non. Maii, Indictione XI.

24. Post hæc, Pontificali benedictione confirmatus, quam acceptus sibi fuerit, ad exemplum Evangelii Pater cœlestis ostendit, quoniam mysteria, quæ abscondit a sapientibus et prudentibus, revelavit parvulis. Nam duo rustici, non improbabili curiositate ducti, cum adventum novi Pontificis in Lateranam diœcesim comperissent, ad videndum eum mutuis cohortationibus instigati, ad ecclesiam properant. Quo cum pervenissent, invenerunt eum juxte altare Missarum solemnia celebrantem. Quem curiose inspicientes, omnes motus corporis et gestus ejus diligenti animadversione notarunt. Sed alter eorum velut in ecstasin raptus, vidit columbam (23) de cœlo descendere, humeroque Gregorii dextero insidentem alis extensis caput ejus velare. Completo vero Canone, columba collum protendens, calici rostrum, ut sibi visum est, immisit : quo retracto,

A unde venerat, illico reversa est. Stupefactus igitur novo miraculo rusticus, atque post paulum ad se reversus, ad propria remeavit.

25. Sequenti nocte tres viri, habitu decoro vultuque splendido, ei apparuerunt : quorum unus, vestitu succincto canicieque decenti, figuram Petri, (ut in picturis videre solebat) sibi expressit : alius vultu splendidus, statura procerus, in admirationem simul et timorem convertit inspectorem; tertium, cujus qualitatis esset, non adeo curiose quæsivit. Proinde affabilior horum trium, quis esset diu hæsitans, tandem canum illum sermone aggressus, quis ille major esset, vel quo censeretur nomine, sciscitatus est : a quo responsum, quod Sol vocaretur, accipiens, insuper ita increpatus est : Quare non annuntiasti B Gregorio, quod heri vidisti? Ille vero perterritus, nihil se vidisse testatur. Oblitusne es, inquit, quod columbam heri inter Missarum solemnia requievisse super humerum ejus videris? totamque visionem ut, viderat, sibi retexuit. Deinde præcepit ei ut quantocius ad Gregorium iret, quia eadem die inde erat transiturus, atque ex ordine ei visionem recitaret. Mane facto rusticus, quid ageret dubitans, atque visionem illusionem esse secum pertractans, quemdam ejusdem loci religiosum virum adit, et quid sibi visum fuisset intimavit. Id autem consilii accepit, quatenus Dominum obnixe deprecaretur ut, si ex illo hæc visio fuisset, secundo ac tertio ei revelare dignaretur : quod ita rusticus devote peregit. C Secunda igitur nocte item commonitus, obnixius precibus institit. Tertia vero nocte, cum iidem viri terribilius solito se ingessissent : præcepit ei unus ut, si vitam aliquandiu vellet differre, ne dubitaret, quod jussus fuerat, Domino Apostolico denuntiare; ac subintulit : Si tu, cum prope fuerat, jussis nostris minime obtemperasti, necesse est te post eum longius eundo laborare. Sed ille, certius adhuc aliquid ab his elicere gestiens, dixit : Ego quidem rusticus sum et indoctus, quid mihi in signum dabitur, ut a tali persona credatur? Unus eorum, qui tantum solebat pro ceteris loqui, dicebat : Hæc dices Gregorio, quod etiam ipse verum esse cognoscit : quoniam accedens ad altare, quod eodem die cogitavit, apud omnipotentem Dominum impetrare meruit. Rusticus D ad Gregorium perveniens, secretum ab eo petiit; et quæ itineris et laboris ejus causa extitisset, fideliter insinuavit. Ille vero benigne subridens, ac signum præcognoscens, rusticum, tantæ legationis nuntium, ad sua regredi cum Apostolica benedictione permisit.

26. Alio quoque tempore (24), cum maxima detineretur corporis infirmitate, quædam neptis sua ad eum visitandi gratia venerat, et qualiter se contineret, inquirebat. Tum ille ut nepti super ægritudine sua animum levigaret, monilia ejusdem manu tenens,

(23) Aliquid simile eidem Gregorio postea Casini contigisse narrat Leo Ostiensis, l. 3. Chronici Casinensis c. 54.

(24) Anno scilicet sequenti 1074. ægrotavit, ac se a morbo convaluisse indicat Beatrici ejusque filia Mathildi, epistola 9. libri. 2 scripta 18. Kalendas Novembris : qua dolet se *ex periculoso morbo emersisse, ac servatum ad solicitudinem pene naufragantis Ecclesiæ.*

an nubere vellet, requisivit. Post, recepta sanitate, A dum solitis rationibus incumberet, nec recordatione præteritorum malorum, nec spe futurorum bonorum, aut desiderio, et, ut breviter concludamus, nullo modo ad hoc, ut saltem unam lacrymulam exprimere valeret, pertingere potuit. Diu igitur mœsto animo revolvens quid egisset, quo delicto Deum offendisset, qua denique culpa datam sibi compunctionis gratiam perdidisset; tandem, temperato mœrore, id consilii accepit ut religiosos viros secum in jejuniis et orationibus supplicare Domino deposceret; quatenus ei revelare dignaretur pro qua noxa donum illi, quod pridem habuerit, sublatum sit. Quod congrua devotione peractum est. Completis itaque duarum hebdomadarum vigiliis, jejunio, et B corporali disciplina, pius et velox auditor desiderium cordis tribuit ei. Nam cuidam innocenti et simplici viro Beata Dei Genitrix in visione apparuit, eique præcepit dicens : Vade, et dic Gregorio, quod cum ego illum in chorum (non dubium quin Virginum) elegerim, ipse e contrario aliter quam deberet egit. Novo autem permotus elogio Gregorius, magis hæsitare cœpit; intentiusque orare, ut apertius sibi Dei misericordia, quid esset, ostenderet. Iterum eidem, cui supra, sanctissima Virgo Maria mater Domini in somnis apparens, inquit : Hæc dices Gregorio; quoniam ipse contra gravitatem institutionis nostræ monilia tractavit neptis suæ : idcirco gratiam, quam habuit, amisit. Sed nunc, quia pœnitentiam de peccato suo peregit, donum lacrymarum recipiet. Hinc C admonemur illius dicti : « Bonum est homini mulierem non tangere (*I Cor.* VII). »

27. Quadam æstate, quæ Romæ humanis corporibus valde contraria est, dum idem vir Dei maximis per integram hebdomadam æstuaret febribus; apparuit ei B. Dei Genitrix semper Virgo Maria; atque, ut indignationem ostenderet, ventrem ejus manu versa percutiens, recessit. Deinde per alteram septimanam adeo debilitatus est, ut respirare eum, qui exitum ejus præstolabantur, vix sentire possent. Finita hebdomada illa, rursus ad eum Beata Dei Genitrix, hora diei quasi sexta, accessit; qualis se haberet, et si adhuc satis pœnarum luisse sibi videretur, ab eo sciscitatur. Cui ille respondit : Domina piissima, ut tibi videtur. Tum leni manu, quasi cor- D pus ejus perungens, ab oculis ejus evanuit. Mox illo vestimenta sua, quasi ad ecclesiam processurus esset, requirente; hi, qui aderant, præ nimia infirmitate minus sanum sentire æstimabant. At ille, nil mali se habere affirmans, extorquet ut vestibus se induant, atque ad ecclesiam perducant. Quo facto, in tantum sanitate recepta convaluit, ut etiam sacra Missarum solemnia publice in ecclesia Salvatoris sequenti die celebraret.

28. Inter hæc, quanta obedientia tanto viro exhibenda foret, Hermanno tunc temporis Cardinali, sed postmodum Brixiensis Ecclesiæ præsuli (25), divinitus ostensum est. Nam cum ab eo ad mensam quadam die vocatus non venisset, nocte insequenti, terribilis ei quædam species apparuit, eumque vehementer increpavit, dicens : Ut quid, miser, imitatus es contumaciam Dathan et Abiron, supersedendo Gregorii ad convivium invitatione, sicut illi superbe respuerunt Moysi ad concilium vocationem? An excidit tibi, quanta millia millium in inferno demersa sint propter unius Protoplasti inobedientiam? Festina ergo ad satisfactionem, si evadere cupis debitam rebellibus damnationem. Itaque mox, ut opportunitas data est, provolutus est pedibus clementissimi Papæ : nec mora, veniam impetravit lacrymosa supplicatione.

29. Nunc libet duo miracula sanctitatis per B. Gregorium divinitus facta breviter assignare : ne forte ingressis nobis silvam densioris historiæ, excidant memoriæ. Quodam namque tempore, cum de more sacras manus ablueret, ipsa ablutionis aqua instar lactis facta, ægrum quemdam, cum fide recuperandæ sanitatis eam in usum sumentem, confestim ab ægritudine liberavit. Item, cum in comitatu gloriosæ Mathildis delitesceret, et rabiem persecutionis, de qua posthac plenius dicturi sumus, declinaret; quadam die venerabilis Hubaldus (26) Mantuanus Episcopus indicavit ei quod coquus ejus nimia infirmitate prægravatus, de lectulo surgere non valeret. At ille, necessarii commutationem non habens officii, cum fide grano sinapis comparanda, transtulit montem infirmitatis, et crevit in validum gratia sospitatis. Eadem quippe hora, qua jubentis vocem audivit, surrexit, ac necessaria preparavit.

CAPUT IV.

Gregorii Decretales Epistolæ contra Simoniacos et fornicarios.

30. Jam tempus exigit, aliquot Decretales beati Præsulis Epistolas, contra Simoniacos et Nicolaitas (27) in Galliam atque Germaniam transmissas ponere : et subinde, quid sibi velit saccus ille stercoribus refertus, quem supra Pisanis visum commemoravimus, aliquam, ut promisimus, conjecturam facere. Denuntiatio quippe regularis judicii, prædictorum hæreticorum eisque faventium concutiens et coercens ignominiam, non absurde videtur comparari sacco stercora continenti; quem videlicet vir sanctus quodammodo portavit, dum, Epistolas mittendo, conversionem eorum, quos notavit, diu patienter expectavit : exportavit autem, quando pertinaces in errore, synodali consensu ab Ecclesia separavit. Harum igitur Epistolarum prima nobis

(25) *Hermannus*, sive, *Arimannus*, aut *Armanu*, favore Comitissæ Mathildis electus est Episcopus Brixiensis anno 1096.

(26) *Hubaldus* sive *Ubaldus*, creatus Episcopus Mantuanus an. 1082. sed ab Henrico Rege pulsus, etiam exul degebat cum S. Gregorio.

(27) Extat hæc epistola inserta Concilio primo, Romæ sub S. Gregorio habito anno 1074, in Apologetico, capitulo 1.

occurrit, ad Ottonem Constantiensem Episcopum directa, quæ ita se habet.

31. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Ottoni, Constantiensi Episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Instantia nuntiorum tuorum, » etc. *Vide infra inter epistolas S. Gregorii.*

32. Qua vero contumacia prænominatus Episcopus decretis salutaribus resultaverit, vel potius insultaverit, sequens Epistola prodit. « Gregorius, servus servorum Dei, (28) Ottoni Constantiensi Episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Perlatum est ad Nos, » etc. *Vide inter epistolas.*

33. Hic Clero et populo demandat ne inobedienti Episcopo obediant. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Clericis et Laicis majoribus et minoribus in Constantiensi Episcopatu consistentibus, Christianam legem diligentibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Misimus Fratri nostro, Episcopo vestro, Ottoni, » etc. *Vide inter epistolas S. Gregorii.*

34. Ad Laicos, pro exequendis superioribus institutis. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Rodulfo Duci Sueviæ, atque Bertholdo Duci Carentano, salutem et Apostolicam benedictionem (29). Scimus quoniam prudentia vestra miserabilem Christianæ religionis desolationem perspicaci mente perpendit, » etc. *Vide inter epistolas.*

35. Item ad Laicos pro iisdem institutis. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio et nobilissimo Comiti Adelberto, et ejus uxori, salutem et Apostolicam benedictionem. Gratia Deo referimus, » etc. *Vide ubi supra.*

36. Ut nullus obediat Episcopis præfata statuta contemnentibus vel negligentibus. « Gregorius, servus servorum Dei, omnibus Clericis et Laicis in regno Teutonicorum constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Audivimus quod quidam Episcoporum apud vos commorantium, » etc. *Vide ubi supra.*

37. Has Epistolas prosecuta est, ipso præsidente generalis Synodus; in qua, sicut gesta ipsius continent, sententia anathematis data est in omnes Simoniacos et Nicolaitas hæreticos, qui in erroris sui secta indurati, synodalibus Sanctorum Patrum definitionibus et Decretalibus eorum statutis scienter inobedientes, apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes, studio et voluntate refragantur. Ecce saccus stercoribus plenus (*Ezech.* I, 9), eatenus arguendo, obsecrando, increpando cum omni patientia et doctrina portatus; sed ex tunc justa ultione divini zeli exportatus, secundum ordinem quem suis ultoribus ipse Dominus per Ezechielem Prophetam ostendit, dicens : A sanctuario meo incipite. Clamor namque Sodomorum et Gomorrheorum usque ad ipsius Pontificatum multiplicatus fuerat nimis (*Isa.* I, 9) : in eo scilicet quod prædicti hæretici eorumque fautores, nimia peccandi libertate effrænati, peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt nec absconderunt : ideoque, nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen incorruptionis, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.

38. Hac fama justificationis instigati Babenbergenses Clerici (30), detulerunt ad aures ejus Simoniacum introitum Pseudo-episcopi sui, nomine Hermanni. At ille, contracta non minima pecunia pretiosi metalli et vestimenti copia, speravit Apostolicum rigorem muneribus emolliri posse : et approximans Romæ, exoravit venerabilem (31) Hermannum, Metensis Ecclesiæ Episcopum et Apostolicæ Sedis Legatum, qui tunc forte (in) societatem itineris inciderat, uti se ad Dominum Papam præiret, et intercederet. Quod cum attentasset, et humanæ placationis non parvam materiam affore designasset; vir justus, excutere manus suas ab omni munere solitus, ut erat in conclavi suo positus, Spiritu sancto se inflammante, respondit : Fac eum, si aliquam fidelium communionem velit obtinere, in partes suas redire, et monasticæ regulæ districtum jugum pœnitendo subire : quoniam, propitius sit mihi Deus si domum istam mihi impleret auro et argento, nunquam, me consentiente, Episcopali fungetur officio. Hoc itaque modo et iste Simoniacus submotus est a Sacerdotio.

CAPUT V.

Conjuratio in vitam S. Gregorii. Comprehensio et liberatio.

39. Jam vero qualiter inimicorum fraudes, tentationes, pericula, detractiones, irrisiones, captiones custodias propter nomen Domini; postremo, qualiter, Domini juvamine et sustentatione Apostolorumque comitante suffragio, Reges, Tyrannos, Duces, Principes, animarumque hominum captivatores, voratores; insuper lupos, Antichristi videlicet ministros, Archiepiscopos, Episcopos, et reliquos Ecclesiasticos pervasores fortissimus athleta Dei superavit, nequaquam silentio præterire dignum ducimus : quatenus tam præsentibus quam subsecuturis sit in

(28) *Partes Henrici Regis fovet Otto, quapropter excommunicatus, in exilium missus anno* 1074, *et post duos annos in excommunicatione mortuus, et Basileæ sepultus.* Ita Chronicon Constantiense a Pictorio editum.

(29) Est epistola 45 libri 2.

(30) *Hermanno Bambergensi* scripta est epistola 84 libri 1 qua monuit eum. Verum, quia judicio Sedis Apostolicæ se subtraxit, et Simoniace ecclesiam invasit ejusque bona dilapidavit, eum Gregorius excommunicavit, et sacerdotali officio privavit, ut scribit ad Bambergenses, Segefridum Archiepiscopum Moguntinum, et Henricum Regem, et sunt Epistola prima, secunda, et tertia libri tertii. Fruschius ait quod tandem monasterium Swartzachianum in Francia Orientali, id est Franconia, intraverit.

(31) *Hermanno Episcopo Metensi* commiserat S. Gregorius vices suas in causa Episcopi Bambergensis, ut dicitur citata epist. 84 l. 1. Eidem scripsit epist. 35 l. 1, epist. 2 et 21, l. 2, epist. 5 l. 6, et epist. 21, l. 8, in quibus varia illi committit, et indicat auctoritatem Sedis Apostolicæ in excommunicando Henrico Rege.

exemplum, et populus sanctæ Ecclesiæ olim nostrum sæculum fuisse cognoscat sub tanto talique Pastore prolapsum. Indecens enim et inconveniens esse videtur tradere oblivioni Patris hujus laborem, cum etiam profanarum causarum memoria penes seculares pro fortitudinis exemplo fiat. Hujus quidem exemplum si tenaci memoriæ tradatur, fit sanctæ Ecclesiæ supplementum, Christi fidelium ornamentum; et in hæreseon profanarum veniet detrimentum. Hinc enim justorum (pugnæ) iterum prima sumpsere principia : hinc Ecclesiastica victoria et perpetuæ felicitatis quodammodo per filium hæreditas (propagatur).

40. Fuit itaque quidam vir in Urbe, perditionis filius, omnium hominum sceleratissimus et iniquissimus; cujus quidem memoria aerem ipsum commaculat? cui pro dulcedine perjuria, fallaciæ, luxuriæ, traditio, homicidia, machinationes, susurrationes, conspirationes, fraudes, deceptiones, conventicula fuerant; et quidquid virtuti esse potest inimicum, sibi per omnia (licere) credebat; pater furum et socius perjuriorum, clypeus fallacis et hasta mœchi, galea homicidarum et scutum traditionis, tegumentum machinationis, custos susurrationis, anxietas conspirationis, coloratio fraudis, risusque deceptionis, et crypta malæ conventionis : ad cujus confugium omnis hæreticus omnisque scelestus properabant : cujus ala velabat scandala, sub cujus umbra Leviathan ipse tortuosus coluber dulciter et suaviter quiescebat. Qui ad augmentum tanti commercii turres quamplures in Urbe construxerat; et, posthabitis tam Dei quam hominis inimicitiis, quidquid ante suæ perversæ mentis oculos incentor malitiæ, diabolus videlicet, adduxerat, peragere satagebat. Levia quidem sibi et dulcia verba, sed in fine jacula et absynthium fuerant : qui ad sui destructionem quemdam suum compatrem occidit : in cujus domum re nondum plene cognita, perrupit, quam etiam destruxit : et peracto tanto scelere, in turrim, quam, vivente patre suo Stephano Urbis Præfecto, construxerat, se recepit. (32) Ad cujus facinus vindicandum vir Dei accensus, una cum adhuc vivente Papa Alexandro, maledictionis et anathematis eum vinculis alligavit. Ille, ad augmentum suæ confusionis, cum quibusdam quos sibi asciverat, Nicolao videlicet et Berthramo, ad perditionis filium, scilicet Henricum Regem properavit; et, communicato magnæ impietatis consilio, Cadaloum Parmensem (33); hæreticum, Romam conductum, (34) hospitio recepit; et prælia multa, illius ob adjutorium, in urbe commisit : cui solatium omnes hæretici Simoniaci pro posse impendebant, et per ipsum sanctam Ecclesiam confundere disponebant. Sed, hæresiarcha tandem illo mortuo (35), confusus iste pactum se cum Domino Papa facere, et fidelitatem jurare spopondit. Quod et fecit : sed quæ fides ei esse potuit, cui veritas nunquam adhæsit? Stabat quidem, propter summi Sacerdotis potentiam, ut prædo ligatus : sed quas poterat fraudes animo tenus perpetrare non desinebat tartareus hæres. Si quando eum venerabilis Pater Gregorius ut a talibus pedem retraheret hortabatur, in pejus quotidie suum verrebat pectus : sicque factum est ut in ipsa turri, quam miræ magnitudinis supra pontem S. Petri construxerat, viros sicarios poneret; qui, ab omnibus introeuntibus et exeuntibus, ex rebus quæ ferebantur prædam caperent.

40*. Qua de causa Præfectus Urbis, Cincius (36) nomine, vir utique prudens, carus Deo et hominibus (qui non ut laicus, sed veluti fidelis monachus Deo serviens justitiam excolebat in omnibus), quadam die eum cepit, et in carceris squalloribus tantum latronem, ut dignum fuerat, tradidit. Tandem interventu quorumdam Nobilium Romanorum, permittente hoc clementia Domini Papæ, peractis supra sancti Petri corpus sacramentis suæ meliorationis, datisque obsidibus et reddita turri de qua confidebat, dimissus est. Tunc allatis arietibus, et machinis, ferreisque malleis, funditus est eversa, et sic Urbs aliquantisper quievit, et iniquorum factio, timore magno concussa, conticuit. Sed quid miser faceret? Quousque potuit, iniquos, licet longe positos, tam per se quam per suos nuntios adiit. Ipse lustravit Apuliam, Lucaniam, Ducem Guiscardum (37) et ceteros excommunicatos visitans; statuitque cum ipsis tempus opportunum, quomodo Dominum Papam caperet et occideret : filium vero suum ad Guibertum hæreticum Ravennatem (38) direxit, idem pactum compositurum : sicque ac Regem etiam suæ fallaciæ destinavit litteras, promittens eumdem Patrem regio conspectui repræsentandum. Compositis itaque hujusmodi molitionibus, ad tempus quievit; expectans nimirum opportunitatem ut eum caperet, et iniquorum populo ad necandum traderet. Sed Dominus omnipotens, qui captione sua mundum liberans diabolum captivavit, Patris istius

(32) In Gestis Mss. Pontificum usque ad Martinum Papam V. deductis, appellatur *Centius Stephani*; Bertholdo *Cincius*. Nomen hic videtur silentio tectum, propter familiam, et Cincium Præfectum Urbis virum sanctissimum, uti infra patebit.

(33) *Cadalous* Episcopus Parmensis, novo schismate formato Pseudopapa constitutus est, assumpto Honorii II, nomine, 28. Octobris anno 1061.

(34) In Gestis Romanorum Pontificum a Nicolao Aragonensi collectis apud Baronium an. 1064. num. 34. *Censius, Præfecti filius, vir nequam et pessimus, eidem Cadaloo astitit; eumque in castello S. Angeli recipiens, juramentum ipsi et defensionem præstitit.*

(35) Ibidem num. 39. idem Nicolaus Aragonensis : *Idem quoque Cadalous post paucos dies ex divino judicio pessimam mortem incurrit.*

(36) *Cinthius* D. Petro Damiano, qui lib. 8 epist. 1. et 2. eum laudat.

(37) *Robertus Guiscardus Northmannorum* Dux, excommunicatus fuit a S. Gregorio anno 1074, sed Ecclesiæ obediens anno 1080. absolutus : uti pluribus deducit Baronius, ad dictos annos.

(38) *Guibertus Archiepiscopus Ravennanensis*, postea Antipapa, S. Gregorio semper infestus, adversarios fovit, et excommunicatus fuit.

captione et sanguine, Ecclesiæ statum in melius provexit; et filium iniquitatis non solum puero suo nocere prohibuit, sed etiam propriis rebus privavit.

41. Prolapso itaque fere anno, ministri diaboli tempus advenit. Nam, instante festivitate Dominicæ Nativitatis, conspiratores suos, cum quibus conjuraverat, hortari cœpit ut ad tantum flagitium mente prompti concurrerent, animumque aptarent; promittens eis ineffabilia, libertatem futuram, quæstum sine mensura, imitator per omnia fratris et magistri sui diaboli; qui solius morte Domini mundum sibi totum possidendum promittebat. Sed, sicut scriptum est, dum capit, capitur; dum prædari incipit, præda fit; et dum ambit illicita quæ nondum possederat, perdidit acquisita quæ retinebat. Sic etiam iste, minister utique illius, si corde deprehendisset se tantis rebus expoliandum, fortasse quoquo pacto a tanti sceleris perpetratione, amore suarum rerum magis quam Dei, manum retraheret. Sed quoniam obcæcavit eum malitia sua, qua suffarcinatus incedebat, rem ad effectum perducere conatus est; non timens, imo postponens animæ suæ periculum; alter Judas, manus in Dominum suum et Christum Domini injecit. Præsente itaque tantæ festivitatis die ad peragendum Vigiliarum obsequia Pontifex, ut mos est, ad B. Mariæ ecclesiam, quæ, ob tantarum devotionum merita, Major vocata est, cum parvo Clericorum et Laicorum numero properavit. Nam mos Urbis fuerat semper, in tantæ solemnitatis excellentia, omnes ad eamdem ecclesiam confluere, totamque noctem illam hymnis et laudibus intentos pervigilem ducere. Sed, Domino disponente, ad evitandam tantam ecclesiam tanti Pastoris sanguine perfundi, ut ministri diaboli animus, inhians sui ad destructionem, quæ male voluerat perficere possit, populus tunc convenire prohibitus est. Diei namque ipso Vigiliarum tantam æther aquarum inundationem profuderat, ut ipsum primi temporis imminere diluvium omnibus videretur. Vix enim aliquis domus suæ limen linquere, vicinique sibi juncti casam, si necessitas aliqua exigeret, intrare, ne dum ecclesiam tam longe sitam penetrare valebat. Loquebantur enim quodammodo mundi elementa futurum scelus, et inauditum facinus præsagiebant.

42. Sed quid plura? Adest nox, in qua tenebrarum filius lucis aggreditur ministrum. Missis itaque exploratoribus ad alios exquisitores venerunt: nam quamdam societatem, juxta eamdem ecclesiam, ex ipsius vici habitatoribus sibi asciverant: et, notantes omnia, ad notitiam scelesti illius miserant quæ scrutati fuerant. Tunc ille legionem suam, loricis indutam, cum festinatione conduxit; ponens ita, ut post peractam sive de nece victoriam, seu de vivo portato triumphum, quemcumque equum quis habere posset, ascenderet: ne quis contra ipsos meditaretur insurgere. Ventum tandem ad ecclesiam est: Papa vero gloriosus in Præsepi positus Missam noctis primam, sicut docet religio, decantabat; A corpusque Dominicum tam ipse quam Clerus ejus susceperat; reliqui vero qui aderant, eadem adhuc Sacramenta percipiebant; cum magnus subito clamor, magnus et ululatus ex improviso intonuit, et ecclesiam ipsam implevit. Tunc undique lustrantes ecclesiam, evaginatis mucronibus percutientes quos poterant, ad locum Præsepii, quo Papa eximius residebat, convenerunt: percussisque ibidem aliquantis, ruptisque ostiolis illis, angulum brevem Præsepii æterni Regis et Matris truculentis manibus intraverunt. Tunc injecerunt in eum manus, et tenuerunt. Quorum unus educto gladio caput ejus abscindere voluit, sed tamen Domino volente non potuit. Percussum tamen in fronte, graviterque vulneratum, de Missa nondum finita violentis ma- B nibus abstraxerunt, cædentes et percutientes. Ille vero, ut agnus innocens et mansuetus, ad cœlum oculos erigens, nullum eis dedit responsnm, non reclamavit, non reluctatus est, neque ut sibi in aliquo miserentur rogavit. Tandem, exutum Pallio et Casula seu Dalmatica et Tunica cum Camisia, relictis ei tantum amictu et stola, ut furem tractum, post dorsum cujusdam sacrilegi posuerunt. Ille vero, qui frontem gladio percusserat, arreptus a dæmonio, ante ejusdem ecclesiæ atrium diu volutatus est spumans, equusque ejus fugiens nequaquam ulterius inventus est.

43. Tanti fama mali totam cito perculit Urbem. Quis unquam tanta flentium tantaque funebria nar- C rare lamenta poterit? Sicut enim de Domini nostri Nativitate Urbs ceteris civitatibus altius congratulari solita fuerat; sic modo commota, tristitiam sibi non modicam advenisse proclamabat. Expavit pariter hoc factum cœlum et terra, et ad tantum facinus vindicandum corda præparantur omnium. Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam: « Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum, et gaudium vestrum in planctum » (*Tob.* II.) Et illud: « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus » (*Thren.* I.) Tunc sancta Ecclesia Dei dicebat: « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte? » (*Hier.* IX.) Et illud: Audite, obsecro, uni- D versi populi, et videte dolorem meum. Tunc, omnis maritus sumpsit lamentum; et quæ sedebant in toro maritali, lugebant. Omnis itaque Clerus, Pastore percusso, huc illucque discurrebat, et cuncta pene altaria exeuntes denudabant. Nihil alicubi, præter quod ante dictum fuerat, in ecclesiis divini Officii illo die factum fuit. Elementa tamen, ad tempus usque illud turbata, ne populum zelantem Domini zelum præpedirent pacata monstrabantur. Terra vero aquam pene cunctam, quam nimia inundatione sustinuerat, absorbens, iterum quodammodo siccum ad hoc omnibus ulciscendum ostendit. Tota itaque nocte signis tubisque sonantibus, militibusque omnes aditus lustrantibus, ne aliquo portaretur extra Urbem ingenio, nullum usquam vesti-

gium patuit : sane re dubia omnibusque ignorantibus utrum vivus an mortuus esset, populo congregato in Capitolio, referentibus quibusdam innotuit quod in quadam turri captus teneretur. Tunc omnes gentes tulere voces ad sidera.

44. Verum, ubi primum dies terris est reddita, omnes inter se hortantes populi innumerabiles ad domum Antichristi venerunt. Incepta itaque pugna est : sed primo congressu pars hostilis fugam arripuit, omnisque factio in eadem se turri conclusit. Tunc omni parte vallatæ ignis appositus est, allatisque machinis et arietibus, rumpitur murus, cunctaque inibi conclusa fit Domini populo præda. Nemo suum periculum vitabat, sed sui oblitus pro posse pugnabat. Porro quidam vir, cum quadam nobili matrona, Patrem Gregorium secutus est, qui ei solatium aliquantisper fuerunt. Vir namque ille, tædio detractionis, et algore hibernalis noctis afflictum, allatis calefecit pellibus, pedesque ejus in sinu suo composuit. Matrona vero ipsa, fomento medicaminis sui, Patris nostri plagam, nimio sanguinis rosei profluvio tabidam, deplorando mulcebat; omnesque illos Dei inimicos, homicidas sacrilegos acclamabat, altera nimirum Maria effecta. Nam quemadmodum illa, flens sua delicta, Domini vestigia lacrymando perfuderat : sic ista, omnium crimina perferens, lacrymis suis tantum Pastorem proluebat. Osculabatur illa pedes Domini Salvatoris, quo deinde lota caput ad usque perveniret : hæc autem Dei et Domini famuli primo baptismate munda, postremo pectoris ardore adusta, caput pectusque deosculans lacrymis rigabat. O memorabile pectus ! O devotissimæ feminæ laudabile jecur ! quantus tibi tunc caritatis ardor inhæserat ? cum ante oculos tuos æterni Regis ministrum, iniquorum manibus male tractatum vulneratumque prospiceres; nec satanæ ministris ex ore pudico, sanctisque osculis quæ pedibus manibusque et capiti tanti Patris feceras jam purgato, convicia digna et maledictionis jacula subtrahebas. Vere credibile est, animam tuam te pro Patris vita ponere velle, et tormenta potius inexistimabilia percurrere, quam Dominum captum et tam male tractatum videre. Pugnabat manibus omnium generosa virago, et immodicæ mercedis omnium particeps, quantum sibi accumulabat.

45. Verum, quanto istius animosa fides, tanto alterius mulieris linguosa perfidia. Nam sicut olim, Dominicæ Passionis tempore, ancilla ostiaria Petrum terruerat; sit ista Vicarium ejus mordacibus opprobriis conturbabat : quæ quidem illius traditoris soror fuerat, et idcirco tanto Patri maledicere non formidabat. Alter vero, ejusdem traditoris minister et sequipeda, evaginatum gladium retinens, tanti viri caput ipso die se abscissurum, blasphemando asserebat. Cujus impietatis vindictam velocissimum Domini judicium non distulit. Nam lancea, a foris vibrata, guttur ejus diræ vocis venam obtruncans, ad terram morientem palpitantemque prostravit, sicque ad tartarum misit.

46. Traditor autem, jam jamque videns capiendam esse turrim, et sibi periculum mortis imminere, coactus procidit ad pedes beatissimi Papæ, dicens : Semper misericordiam, Pater, docuisti, docens perfecisti ; errantesque convertens, conversos in fide solidasti, suscipe errantem, et ab iniquitatibus se convertentem ; conversum solida, ne me desperationis profunditas absorbeat. Peccavi, erravi, tradidi, interfeci, sacrilegium perpetravi. Matris Regis enim thalamum corrupi, violentisque manibus (39) tugurium et parvum secretarium Dei Filii violavi. Te Patrem, et meum Dominum, ut parricida, perjuriis, sacrilegiis, manibus pollutis ex illius gremio attraxi. Suscipe, libera, tuere, misericordiam fer; da remedium, consilium, suffragium : injunge pœnam, pone pœnitentiam carceris, exilium, patriæ diffugium ; et Dei judicio in me justissime commotum, ex more, placa populum. Tuis me pollutum sanctis suscipe manibus : et hujus diei mihi pœnitenti concede spatium. Furcas mihi jure paratas corde conspicio, dignam pœnam intueor; et idcirco corpore prostrato, corde demisso me potentiæ tuæ trado. Tunc Papa clementissimus, pio ut erat pectore, tanta supplicantem adorsus est : Video te felle amaritudinis obligatum, et tuæ mentis oculos tenebroso squalore contectos; qui lumen veræ lucis, nobis tanto tempore laborantibus, cognoscere nequiverunt. Tu ipse nosti quantis religiosis viris te commonuerim, quantisque per memetipsum patientissimis admonitionibus sollicitaverim, quibus non solum non acquievisti, verum etiam in deteriora prorupisti : sed tamen adhuc janua tibi vitæ patet, tantum ut convertaris corde. Qui mox ad terram corruens, verum se reum miserumque confessus est, promittens omnia sibi injuncta incunctanter perficere. Tandem vir mitissimus, solita sibi pietate commotus, respondit : Quid mihi ex ipsa injuria irrogasti, paterne indulgeo. Quod autem in Deum et Matrem ejus, Apostolosque seu omnem Ecclesiam contraxisti, luendum fore pronuntio : ita ut primo Hierosolymam tendas ; et postmodum, si vivus inde reversus fueris, nostris te manibus et consilio repræsentes, ut sic saltem modo aliquo gratiam tibi conciliare omnipotentis Dei valeas. Et quemadmodum cunctis filiis Ecclesiæ, subversionis hactenus exemplar fuisti, ita de cetero conversionis fias. Hæc itaque cuncta, prout jussum est, ut videbatur, explere libentissime spopondit : et sic, diei illius liberationem promeruit.

47. Tandem Papa pius ad fenestram erectus, turbæ furenti expansis manibus, ut componeretur, et aliquanti majorum turrim accenderent, innuit. Nonnulli vero, putantes quod eos ad opus quod inceperant, hortaretur, fortissimo impetu turrim scandunt. Et sic foras adductus est,

(39) *Præsepe Domini,* a quo S. Gregorius abstractus fuerat, intelligitur.

turbis omnibus flentibus præ gaudio, et præ pietate clamantibus; cernebatur enim totus cruoris magnitudine respersus; et ideo nimio horrore perculsi voces ad sidera proferebant. Facta igitur victoria omnes una cum papa Gregorio ad Dei Genitricis ecclesiam, de qua nocte ipsa abstractus fuerat, gaudio non modico repleti conveniunt. Tunc Pater communis Missam, quam nocte, ministris diaboli præpedientibus, finire non potuerat, hora ipsa complevit; et cum tanta victoria revertentibus benedictionis Dominicæ gratiam dedit.

48. Deinde, cibis summo tenus degustatis, rursum conveniunt, adhuc plenius perscrutari omnes, qui inimico Dei se conjunxerant. Inventis autem illis, omnia bona ipsorum perdunt et exterminio tradunt, nihil omnino linquentes præter personas, quæ fugæ præsidium ceperant. Verum dum apud præfatam ecclesiam populus pro Pastoris liberatione grates Deo redderet, iniquus ille Judas fugam cum uxore, filiis et fratribus arripuit, et, sic dimissis rebus suis, nudus evasit. Quidquid vero sui juris olim esse poterat, populus postea adveniens distraxit; turribus ac domibus subversis, prædiis vero fisci titulo sociatis. Perditionis vero filius et Antichristi minister, ante mundi constitutionem damnatus, post suam evasionem, quidquid promiserat non solum minime persolvit; sed etiam quibusdam sui similibus profanis associatus, consilia malignitatis contra liberatorem suum dare, quoad vixit, non abhorruit.

CAPUT VI.

Henrici IV identidem ad vomitum redeuntis perversitas contra jura Ecclesiæ.

49. His itaque præmissis, ad ea quæ cum Rege Henrico peracta sunt, veniamus; et innocentiam Gregorii Papæ ostendendo, mala, quæ pro bonis receperat, tam præsentibus quam etiam subsecuturis, prout possumus, indicemus. Nonnullos enim fore credimus qui, partim rei gestæ, partim auctoritatum SS. Patrum ac Decretalium ignorantia, contra

A suæ salutis periculum, Patrem communem reprehendere, infamare, et, quod omnino inspectante Deo malum est inexistimabile, maledictiones ingeminare nequaquam timeant. Qui si forte, divina inspiratione commoti, magis amore cognoscendæ veritatis quam superbæ procacitatis instinctu hoc agerent; veridicis et approbatis religiosisque viris interrogatis crederent. Habent enim religione pollentes Episcopos infinitos, et, ut e multis paucos enuntiemus Geraldum Ostiensem (40), qui, ob vitæ meritum ab Apostolica Sede Gallicanis ex partibus assumptus, septimum inter Cardinales Episcopos thronum promeruit, qui ad ejusdem Regis causam investigandam ab Apostolica Sede est transmissus, et ad confirmandum suo prolatum ore testimonium, plurimos **B** est labores, pericula, vincula, carceresque ipsa pro veritate expertus. Habent Prænestinum (41), qui ad eumdem sufferendum laborem ab Urbe Roma missus est. Habetur insuper et Petrus Albanensis (42), qui ad confirmandum contra Simoniacos veritatis testimonium, immanem rogum pertransiens nudis plantis, sicut in Registro Domini Alexandri II. Papæ scriptum reperitur, illæsus exivit. Habentur etiam complures ex ultramontanis partibus, Udo Trevirensis (43), et Hermannus Metensis, Altmanus Pattaviensis vel Lauriacensis, Adelbero Wirzeburgensis (44), Hugo Diensis (45), in cujus electione tantum lumen fertur cœlitus descendisse, ut diem vinceret, et corda omnium qui aderant, advenisse Spiritum **C** sanctum, non dubitarent. Ad satisfaciendum etiam incredulis ceterorum ordinum viri conveniantur; abbas videlicet Cluniacensis (46), ejusdem Regis Pater in baptismate; et Berinhardus Massiliensis (47), qui, ob instantissimum fidei calorem, bis confessor factus, propter Dominum exilia compedesque est perpessus, Rapoto (48), qui nimirum, propter sanguinis nobilitatem et morum honestatem, in regem a populo expetitus asseritur : Adelbertus et Odalscalchus (49); quibus tam a Rege quam etiam a papa, res commissa fuerat.

(40) *Geraldus*, seu *Gerardus*, Ratisponensis, ex majori Priore Cluniacensi Episcopus Ostiensis factus an. 1072 Ciaconio dicitur *octavo loco* Cardinalis creatus. Hic anno 1074 ad Henricum IV Legatus est missus. Extant ad eum S. Gregorii epistola 6. et 16. libri primi.

(41) *Hubertus*, infra *Humbertus*, Episcopus Prænestinus, cum dicto Geraldo creatus Cardinalis, et ad Henricum IV missus.

(42) *B. Petrus Igneus*, Monachus Vallumbrosanus, S. Joannis Gualberti alumnus, a S. Gregorio anno 1074. Cardinalis Albanensis creatus, sancte obiit die 8. Januarii : quod autem hic dicitur contigit tempore Alexandri II. in causa Petri Simoniaci Episcopi Florentini, et legitur etiam in vita S. Joannis Gualberti.

(43) De *Udone* infra agitur : De *Hermanno* supra actum. *S. Altmanni* Vita danda est 8. Augusti. Ad hunc vero est epistola 10. libri 9

(44) *Adelbero* cum S. Altmanno constantissime schismaticis restitit, et sæpius est in exilium pulsus, atque anno 1090. mortuus in Lambacensi cœnobio, a parentibus condito.

D (45) *Hugonis*, *Diensis* in Delphinatu Episcop., Acta et legationes per Gallias, a S. Gregorio illi commissas, describit per 8. paginas Joannes Columbus in Episcopis Diensibus. Ad eumdem extant epistolæ S. Gregorii septem.

(46) Is est *S. Hugo Abbas*, cujus Acta dedimus 29. Aprilis : et supra de eo agitur num. 12, 13 et 14. Extant quinque S. Gregorii ad illum epistolæ.

(47) *Bernhardus Abbas S. Victoris Massiliæ*, creatus an. 1066. defunctus an. 1080. a S. Gregorio cum Bernardo Patavino legatus ad Principes Imperii, et in Hispaniam propter dissidium Berengarii Comitis Barcinonensis. Extant epistolæ illius ad istum, et ad monachos Massilienses de eo in quarum altera lib. 6. epist. 15. illos hortatur ut absentiam sui Abbatis æquo ferant animo ; in altera lib. 7. ep. 8. dolet de obitu ejusdem Abbatis.

(48) *Rapoto* videtur esse *Comes Palatinus*, cujus obitum refert Urspergensis ad an. 1099.

(49) *Adelbertus* sive *Albertus Comes*, ad quem ejusque uxorem extat epistola 11. lib. 2. et huic similis Comes Imperii videtur fuisse *Odalscalcus*. De his tribus agit epistola 10. lib. 3. sub finem.

50. Et, ut nullus sexus pertranseat, veniamus etiam ad honestas, et tam religione quam etiam secularium rerum potentatibus locupletes mulieres, Reginam videlicet Agnetem, ejusdem iniquissimi Regis matrem, et vere Reginam; quæ, regali diademate dimisso, seculum istud deserens, Dei ejusque Matris Apostolorumque ejus Petri et Pauli vestigiis inremissibiliter adhæsit; Beatricem insuper, ejusque nobilissimam prolem Mathildem; quæ, licet mundana cura Ducum officium, Italiam gubernando, gesserunt (ut Debbora nimirum effectæ, quæ judicans Israël, Jabin cum suis omnibus in torrentem Cison dispersit) iniquos multoties confusibiles contriverunt : quæ quidem inter Dominum Papam et Regem mediatrices fuerunt, et regni statum componere et confirmare desideranti desiderio cupiebant. Horum omnium aliorumque probabilium totius conditionis testimoniis non acquiescere, nihil est aliud quam Dei iram promereri, perpetuæque damnationis subire sententiam. His itaque ad tanti Patris innocentiam ostendendam commemoratis, illius Regis fraudes, machinationes, et interdum etiam in S. Petrum contumelias, nostræ schedulæ conjungentes, ne in erroris tenebrosi ignorantia scire volentes jacere permittamus, pro viribus cœpta sequamur.

51. Tertio igitur Henrico mortuo (50), quartus ille Henricus Rex, permittente Romano Pontifice Victore, qui tunc morienti præsens erat, hereditario jure, nimirum puer, successit. Sed (Salomone attestante, et dicente : Væ tibi terra, cujus Rex puer est, et cujus principes mane comedunt!) ad destructionem sui et totius regni, quidquid usquam sceleris esse potest patravit. Cæco corde petulans Patrem non timuit, sed reddentibus cunctis testimonium pueritiæ imperfectæque ætati, lasciviam ejus Romani Pontifices supportarunt; existimantes illum virile scandere tempus, quo corrigi posset per se; non attendentes quod scriptum est : Qui parcit virgæ, odit filium suum. Nutritur namque vitium : et dum ramus tener non mundatur aut evellitur, in maturitatem veniens, manu vix aut ferro præciditur. Sic nimirum ille, majorum ascendens currum, omnem Ecclesiam superbienti calcaneo supponere, calcandamque præbere, vilem ut ancillam, pro viribus conabatur. Quod scelus Romana Ecclesia non ferens, quæ caput totius Religionis et magistra est; et cui cunctos seculi potentes præ ceteris corrigere, vacillantesque consolidare proprium est, ipso Domino præcipiente Apostolo Petro : Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos; litteris eum convenire, et commonefacere et prædicare cœpit. Cujus collum Christi jugum ferre nescium, libertatis suæ arbitrio induratum, hac illacque avertendo diffugit; novo pectore nova versans consilia, tempus opportunum exspectavit, quo Romanam Ecclesiam, ut ceteras, sibi subjicere posset : ad quod postea, ut reipsa patuit, annisu quo valuit erectus est. Nam mortuo Nicolao II Papa, subintroductoque sanctæ memoriæ Alexandro, vesania suæ mentis arreptus, hæreticum Cadaloum, Parmensem male nominatum Episcopum, data per manum suam investitura, in Papam erigere non formidavit. Verum, cedentibus omnibus, controversus Deo, quod deliberaverat, nequaquam ad effectum perducere potuit. Quo tempore quantis sit paternis litteris commonitus, ejusdem Patris Alexandri libri (51) testantur.

52. Cui Pater Gregorius, postquam Domini voluntate, fugiens et renitens, succedere coactus est, ut decebat, paterna illum visitavit commonitione; orans et postulans ut pro amore omnium Regis, etiam pro sui status salute, pro animæ suæ remedio, ab actis, quibus oportebat tantum sanctæ Ecclesiæ filium et membrum abstinere, pedem retraheret; agnosceretque Regem Regum super se inspectorem, qui, cordium consilia et tenebrarum abscondita cognoscens, unicuique secundum opera sua reddit; rogans etiam ut consiliarios pessimos, qui magis sua quam eum diligebant, dimitteret : quoniam talium consiliis consentire, nihil aliud esse quam mortem acquirere, regnumque subvertere, et in fabulam cunctis gentibus fieri velle, significabat. Ad hoc Rex ipse parumper commotus litteras supplices (52), et magis (ut postea claruit) subdolas, emendationem promittentes, misit. Allatis itaque litteris, tota Ecclesia lætata est; sperans Sacerdotium et Regnum, Dei gratia coadunandum, ad purgandum, omne quod in ipsa sparsim incumbebat sordidum. Tunc communi consilio definitum est ut pro tanta causa, tamque Deo digna ratione, Agnes mater ejus Augusta, una cum venerabilibus Episcopis, Ostiensi videlicet et Prænestino, a latere Domini Papæ missis, (53) Regem cum Apostolicis litteris adiret, ut, tanta promissione percognita, certum finem malæ rei hactenus commissæ imponere vellet. Quam Rex ipse cum memoratis Apostolicis nuntiis honorifice suscepit : reversusque ad cor, ut justum fuit, in omnibus Deo et S. Petro satisfecit. Quidquid etiam Legati sibi superposuerunt, humillima mente portare promisit in manibus eorum, de cetero se custodire, omnesque Simoniacos malosque consiliarios et excommunicatos a se procul repellere, et Dei Ecclesiam, secundum Canonicam institutionem, per consilium Papæ ordinandam componendamque dimittere. His aliisque causis determinatis, ad Apostolicum reversi sunt.

53. Rex quoque reversus est ad eadem volutabra quibus involvi consuerat; credens nimirum magis suæ blandienti voluntati malisque consiliariis, quam sanæ religioni. Ad quod corrigendum mater ejus

(50) Die 5. Octobris anno 1056. Borfeldiæ prope Herciniam silvam.

(51) Potissimum lib. 2. ep. 30, et 31 ; lib. 3. ep. 3, 7 et 10.

(52) Extant hæ litteræ apud Baronium an. 1073. num. 49.

(53) Lambertus Scafnaburg. asserit *Regem, celebrata in Bamberga Paschali solemnitate Nuremberg*

Augusta iterum a Sede Romana missa est : cum quo tempore aliquo conversata, sanctæ Matris Ecclesiæ erga illum affectum omnem aperuit. Ille vero jactum verbi semen cordis agro recepit; sed, secundum Evangelicam parabolam, dum mater serit, aliud cecidit secus viam, quod tam humanis gressibus conculcatum, quam a volucribus est raptum; aliud vero inter spinas, et ab exortis suffocatum, fructum ferre non valuit; aliud vero super lapidei cordis duritiam jactum, adustum solis ardore, radices habere non potuit. Per humanos quidem gressus, malorum hominum, quibus utebatur, consilia ; per volucres vero, immundorum spirituum suggestiones; per spinas vero, divitias regiasque voluptates, per petram vero, duritiam cordis significari, intelligere quilibet sensatus poterit. Moram autem faciente Regina, suas iterum litteras Papa misit, ut instaret verbo et liberationi filii ; ipsumque rogavit ut, quemadmodum in litteris sibi olim missis (54) continebatur, Legatorumque in manibus promissio et fides data ostenderat, sic se custodiret; et maxime a Simoniaca hæresi, qua insudabat, spiritum suum cohiberet; excommunicatos consiliarios, quos pro salute sua regnique statu Apostolica Sedes et Synodus juste damnaverat, procul abjiceret, ne in eamdem maledictionem incideret. Regina Romam revertens, filium ad Dei justitiam et honorem inclinatum fore asseruit : cui non multo post vacillanti blandientes et idoneæ litteræ bis missæ sunt (55).

54. Illo quidem tempore Saxones, quoniam videbant ab eo se nimium crudeliter tractari, unanimiter conspiraverunt ut pro Rege illum amplius non haberent. Tunc coactus supplices ad Apostolicum litteras direxit, orans ut suis orationibus commendatum susciperet quatenus eum de tam horrendo pavendoque judicio jam imminenti, suis meritis excelsi Regis dextræ eriperet; iterum iterumque promittens nil unquam amplius de ecclesiis Dei facere quod sancti Canones reprehendere possent. Cujus precibus motus Papa eisdem Saxonibus litteras et nuntios misit: et circa ejusdem Regis radices fodiens, prædicationis suæ cophinos misit, exspectans scilicet ut grossos ex ficu colligere posset. Sed, unde sumere humoris boni plenitudinem debuit, inde post marcidus aruit : et exspectata vitis ad pingues botros ferendum, labruscas viles et exiles portavit; et seges foliis pulchrioribus ornata, messis tempore nil aliud

A quam infandæ permistionis lolium protulit. Monuit equidem Regem, interim se ab armis suspenderet, donec e Saxonum partibus nuntios haberet : Rex vero, non acquiescens litteris et commonitionibus Patris, terras Saxoniæ intravit; ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus, multus humanus sanguis effusus est. Regis tamen in manibus, justo Dei judicio, victoria data (56), pro qua, sub manibus Domini humiliari debuit, tanquam ignitus et spiritu elationis inflatus, contra ipsum intumuit. Nam cuncta quæ pridem per Matrem, per Episcopos, per Clericos, per communes nuntios et privatos antea promiserat : postmodum, quia securus, in irritum duxit. Siquidem Ecclesias, quas in manibus Domini Papæ corrigendas sub juramento
B posuerat, non solum non dimisit; verum etiam, contra decretales Patrum institutiones, quibusdam adulteris et Simoniacis sub investitura contradidit. Inter quos etiam Gotefridum (57), propter Ecclesiæ Mediolanensis invasionem excommunicatum, ejusdem invasionis adulterio investivit; Altono (58) cum Papa morante, quem archiepiscopum melior pars cleri, et populi suum Dominum elegerant. Dedit etiam Firmanam, et Spoletanam (59).....

CAPUT VII.

Synodus Romæ a Gregorio celebrata contra Henricianum conventiculum Moguntiæ actum.

55. His autem ad Apostolicam Sedem perlatis, Papa
C Gregorius non modicum conturbatus est. Cœpit interea agitari multis sollicitudinibus : quoniam cuncta quæ ad pacem provenire speraverat, verti in contraria perspiciebat. Tandem causas aliquas, sibi per quosdam Legatos secrete missas quibusdam personis honestisque viris patefecit; ut perpenderent quid super his statuendum foret. Tantis itaque promissionibus, imo simulationibus inspectis, omnes mirari cœperunt. Verum, ne Romana Sedes videretur aliquid injuste seu præcipitanter agere, definitum est ut eidem Regi acriores litteræ scriberentur, in quibus plene cognosceret nullo timore amoreve justitiam dimittere posse Romanum Pastorem. Scripsit autem ad Beatricem ejusque filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ cæteris
D gubernabant, ad eumdem regem, ad invasorem Mediolanensem, ad Suffraganeos omnes.

56. Tunc Rex, gravi mœrore et timore correptus,

perrexisse obviam Legatis Apotolicæ Sedis, et duobus hic indicatis adduntur *Episcopus Curiensis et Episcopus Cumensis.*

(54) Est ea epistola 85. lib. 1.

(55) Sunt eæ 30. et 31. lib. 1.

(56) Monachus Herfeldensis, in Chronico historico Germaniæ, late hoc bellum describit, a pag. 774. tomo I. Scriptorum illustrium Germaniæ excuso Basileæ anno 1574. Item Bruno monachus de Bello Saxonico, tomo I. Scriptorum Germanicarum Rerum per Freherum edito.

(57) S. Gregorius, epistola 15 lib. 1. ad omnes Christi fideles in Lombardia, nuntiat se excommunicasse *Gotefredum*, quod Simoniace Ecclesiam Mediolanensem occupaverit.

(58) Altonus, *Ughello Atho*, Clericus Ambresiani Collegii, electus 1076, de quo et perturbatione Ecclesiæ Mediolanensis legi potest Ughellus in Archiepisc. Mediolan. col. 156.

(59) S. Gregorius epist. 15. lib. 3. ad Henricum Regem : *Contra statuta*, inquit, *Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam et Spoletanam Ecclesiam... quibusdam personis nobis etiam ignotis.* Firmanam Sedem accepit Grifforanus, Spoletanàm quidam *natione Teutonus*, quos ambos S. Gregorius excommunicavit et de Sede deposuit. Consule Ughellum in dictis Episcopis, tomo I. et II. Italiæ sacræ.

hac illacque mente furibunda transcurrens, omnes suos nequam consiliarios advocavit : deductis in medium nonnullis seductoribus ante perversæ mentis oculos, qui plura, quibus humana mens falli solet, proposuerunt; regni honorem a Patre dimissum, liberum arbitrium, opes infinitas, militum abundantiam et fortitudinem, Episcopos, Duces, Tyrannos, et sub fidelitate Principes constrictos, superborum etiam colla suo jugo contrita, quæstum insuper Ecclesiarum suis manibus traditarum, et multa alia quæ, ut diximus, secularium mentes illiciunt : inter quos (60) Moguntinus fuit Archiepiscopus, et reliqui qui sub ipso degebant Suffraganei. Facta vero tali conventione, statuerunt ut Imperialis constitutio cunctos in suo regno manentes Episcopos, cursoribus ubique missis, ante suam præsentiam juberet assistere (61); et, coadunatis omnibus anathemati quod Moguntinus hæreticus contra B. Petri Vicarium, imo in Dominum et Apostolum ejus componeret, subscriberent. Quod si forte motus aliqua reverentia quis eorum se subtrahere vellet, rebus omnibus et dignitate privatus, ut Regalis majestatis obnoxius, capitalem subiret sententiam. Interea, Legatis undique missis (62), ab Urbe quidam Hugo, olim Cardinalis, tunc autem inter Episcopos hæreticos præcipuum caput (qui jam tertio ab Apostolica Sede damnatus fuerat, quia quosdam Simoniacos reconciliare præsumpserat), fictitiis suis litteris Archiepiscoporum et Episcoporum personas repræsentans, advenit; laudans omnia quæ super Dominum Papam composuerant; projectis in medium aliis epistolis sub omnium Cardinalium Senatusque ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam regiam delatæ; ubi etiam continebantur postulatio novi Pontificis, et abjectio legitimi Pastoris, subintulit etiam multas inimicitias, quas patiebatur a Nortmannis a circumjacentibus Comitibus ab ipsis etiam traditoribus in Urbe manentibus. Quibus visis Rex non modice lætatus, ad opus componendum fomentum desideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis Pontificibus, anathema super Dominum Papam, imo super seipsos protulerunt. (63) Missis etiam in Longobardiam et Marchiam a latere Regis tam nuntiis quam apicibus, visum

A est ut facto anathemati subscriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ ex præcepto Regis, et magis ex propria malevolentia et odio, ut res patuit, anathemati subscripserunt. Nam ad ostendendum malæ voluntatis cumulum, positis sacrosanctis Evangeliis, juramento firmaverunt nullo modo se deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros, missisque nuntiis, idem ut alii facerent effecerunt.

57. Scripsit autem idem Rex Romam litteras, omni injuria inhonestas, falsitateque repletas, præcipiens Domino Papæ ut de Sede surgeret Ecclesiamque dimitteret : vocans eum perjurum, invasorem, et Regiæ dignitatis diminutorem, maxime Simoniacis Longobardiæ elaborantibus. Statuerunt etiam ut B non ante litteræ darentur et verba, quam Synodus quæ congregata in Romana fuerat Ecclesia plenius hoc audire posset, quod etiam factum est. Nam et Papa Synodum faciente, quidam Parmensis Clericus, Domini Apostolici ad injuriam, cum eisdem litteris præsentare se non abhorruit; et easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ et conventus proferre non formidavit. Per idem tempus prodigium, ad illius iniquitatis indicium et confirmationem futuræ rei, in Urbe juxta B. Petri Ecclesiam ortum est, quod omnium corda nimium in stuporem converterat : nemo enim aliquam significationem super ipsum dare et proferre digne convenienterque poterat. Siquidem gallina ovum mirifico cœlatum opere pepe- C rit (64), in quo duo mira insignita fuerant : serpentis scilicet et scuti similitudo, nimio horrore tenebrosa. Serpens vero qui in triplicem ex eodem ovi cortice se sinuationem erexerat, vertice se sursum erigere velle ad summitatem ovi conabatur : caudam vero in partem tenebrarum illius extenderat. Sed dum ad ovi dignitatem tenderet, quodam ictu repercussus, ventre tenus caput reflexerat. Scupea vero ejus (65) non depicta, sed extra corticis ordinem posita, manu deprehendi, et tractari, velut alia materialis res, poterat. Considerantibus autem omnibus et mirantibus Episcopis ceterisque qui in Synodo consederant, nuntius ille Antichristi advenit.

58. Postquam vero, finito Hymno, facturus sermones exhortationis omnibus, Papa consederat; D ille præcursor Antichristi, non tribuens honorem

(60) *Ut feria secunda secundæ hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ objicerentur causam dicturus, alioquin sciret, absque omni procrastinatione, eodem die de corpore Ecclesiæ sanctæ Apostolico anathemate abscindendum esse.* Ita Lambertus ad an. 1076, econtra Pseudo-synodus Wormatiensis, de qua mox, indicta fuit in Dominicam Septuagesimæ.

(61) Hic est *Sigefridus,* qui præfuit Ecclesiæ Moguntinæ ab anno 1059. ad 1084. Ejus res gestas latissime deducit Serarius lib. 5. Rerum Moguntiacarum, a pag. 742 ad pag. 788. Infra nomen exprimitur, quando transivit ad partes Rudolphi Regis.

(62) *Hugo cognomento Blancus,* inquit Lambertus, qui similia habet : et Domnizo in Vita Mathildis lib. I, sic canit :

Huc Hugo tunc falsus venit, qui dicitur Albas;
Offert hic multis Romanæ Presbyter Urbis :
Ter damnatus erat, pretio quia restituebat
Emptores Christi templorum, junctus et ipsis
Adversus Papam, fingens mala, lætificabat
Corda malignorum, Regis simul et sociorum.

(63) Idem Domnizo ita prosequitur :

Audax Antistes Moguntinus nimis ille,
Non Christum timuit, Papam quando maledixit,
Cuncti subscribunt : magis ipsi se maledicunt.

(64) Idem Domnizo insinuat *ovum quasi sculptum* fuisse. Dum hæc imprimuntur, audimus ejus figuram exstare, quam si acceperimus, Lector inveniet post tomum VII, in Appendicibus. Ita ego, etc. Vide pag. 1144, col. I.

(65) Per *Scupeos* intelligit Gretserus pellem squammosam : Germanis enim *Schuppen* squammæ dicuntur.

Deo, magisque diligens terrenum quam cœleste imperium, sic eumdem Papam alloquitur : « Dominus meus Rex, et Episcopi omnes Ultramontani et Italici, præcipiendo mandant ut invasam Sedem B. Petri et Romanam Ecclesiam amodo dimittas. Non est enim dignum sine præcepto illorum et Imperiali dono tantum honorem scandere. » Et conversus, Clero Romano dixit : « Vobis dicitur, Fratres, ut ad futuram Pentecostes solemnitatem Regio conspectui vos repræsentetis, suscepturi de manibus Regis Papam et Patrem : quia hic non Papa, sed lupus esse dignoscitur rapax. » Ad cujus verba mox (66) Joannes Portuensis Episcopus, morum honestate et religione vir præclarus, facto impetu surgens, immensa voce clamavit : « Capiatur. » Tunc Præfectus, facto impetu B cum judicibus, militibus, et Romanis nobilibus, tantum impostorem, evaginatis in ipsa Ecclesia Salvatoris gladiis, ante Domini Papæ præsentiam interimere voluit : et fecisset, nisi pius Pater toto corpore se super eum projecisset, omnibus de ejus morte clamantibus.

59. Tandem, vix impetrato silentio, Dominus Papa dixit : « Nolite, filii, Ecclesiæ sanctæ Domini Dei nostri quietem in seditionem aliquam commovere. Oportet enim instare tempora, secundum divinarum Scripturarum seriem (*II Tim.* III), periculosa : in quibus homines se ipsos amantes, cupidos, superbos, elatos, parentibus inobedientes, esse necesse est : ut, patientia filiorum Dei, exhibitio fidei nostræ multo pretiosior sit C auro quod per ignem probatur. Clamat nobis divinus sermo dicens : « Necesse est, ut veniant scandala : « væ autem homini illi, per quem scandalum venit « (*Math.* XVIII). » Et iterum, ad ostendendum nostræ qualitatis modum, qualiter ad inimicos nostros conversari debeamus, subjunctum est : « Ecce, ego mitto « vos sicut agnos inter lupos. Estote ergo prudentes « sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Luc.* « *et Matth.* X). » Nunc vero, licet Antichristi præcursor in Ecclesiam surrexit, nos tamen, multis a temporibus tam a Domino quam a sanctis Patribus edocti, sic geminæ scientiæ munere gressus incedamus per pristinos, ut, quemadmodum pii Patres, serpentis prudentiam simplicitati columbæ jungentes, hæreticos serpentina utentes astutia fugaverunt (67); D ita et nos mansuetudinem felle carentis alitis teneamus, et prudentiam serpentis non relinquamus. Utramque enim mente gestare non est vitium, sed dignæ discretionis arcanum. Non enim aliquem odio prosequi debemus, sed, imprudentia fatuitate velegem Domini volentes infringere, subportare. Ecce enim acceptabile tempus adest; ecce iterum Dominus spiritualiter inter homines ambulat, clamans, et di-A cens. « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, (*Matth.* XVI) et reliqua. »

60 « Ad viam ergo vitæ nos Dominum vocantem sequi oportet, si hæreditatis æternæ fructum desideramus carpere. « Per multas tribulationes, » ut Doctor noster docuit, « oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* XIV). » Satis est quod huc usque in pace viximus Ecclesiæ : nunc vero diu aridam messem Sanctorum iterum sanguine convenit irrorari, ut fructus illius, longo tempore tabidus senio, recenti rore perfusus, in pristinum redeat decoris aspectum. Videmus pugnam diaboli in apertum prosilire campum, hactenus fuscis squalloribus adopertam : ideo nunc tirones Christi, doctas manus ad prælia gestantes, convenit obviare : quatenus Christi fides, quæ, eodem inficiente diabolo, toto pene terrarum orbe dispersa relictaque cernitur, cuncta, Domino Deo per nos pugnante, instauretur. Ad detrimentum nempe nostræ salutis sæculares quotidie propugnare conspicimus, qui nihil aliud quam gehennam acquirunt : sic nos, quibus vivere Christus esse debet, et ejus etiam amore mori lucrum; quibus in retributione, post istam miseram et imaginariam vitam, felicitas præparatur æterna; a Dei legibus et fide nostra orthodoxa, pedem, hosti cedendo, non retrahamus. Commoveat nos saltem vox Dominica, quæ dicit : « Qui me erubuerit et sermones meos, hunc « Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate « sua, et Patris, et sanctorum Angelorum (*Luc.* IX). » Terribile nobis videri debet, si tempore illo, a tanto tribunali sententiam nostris negligentiis diræ verecundiæ capiamus; quorum laboribus Judex omnium alios remunerare vult (*Num.* VIII). Ideo enim domus suæ speculatores nos æterna Sapientia esse voluit, ut ipse postmodum venturus inhabitator mundam domum nostro studio habere possit. Ad quod scilicet opus egregium instare Domini Sacerdotes hortantur, cum in maturo tempore legibus Domini, senescentes post quinquagesimum annum, custodes vasorum Domini præcipiuntur fieri. Vasa quippe, ut B. Gregorius ait, nostra sunt corda, quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Corda etiam Dei vivi templum esse, sacra testantur eloquia (*I Cor.* III) : quæ quidem tanto mundari convenit diligentius et ornari, quanto illorum inhabitatorem cæteris mundiorem esse dignoscimus. Scriptum quippe est : « Mundus « habitator mundam quærit domum (*I Cor.* XV). » Et iterum : « Evigilate justi, et nolite peccare. (*Ibid.*) » Et iterum : « Ecce sto ad ostium, et pulso. Si quis « audierit vocem meam, et aperuerit mihi, intrabo ad « illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Videmus jam, Fratres, si corda nostra exigere conemur intente, Auctorem nostrum pulsare, nosque

(66) *Joannes* alteri Joanni successit circa annum 1066, et S. Gregorio fidelissime adhæsit, ut nec Imperatoris minæ potentiaque illum avertere potuerint. Laudatur a Petro Ostiensi lib. 4. Chronici Casinensis cap. 2. et aliis.

(67) Hunc locum de serpentina prudentia et columbina simplicitate, mutilum in mss. et, etiam cum editoris Bollandiani supplemento, intricatissimum, nos hac illius conjectura innixi, textum autem ad Matthæi (X, 16) verba fidelius affingentes, ita restituimus (EDIT. PATROL.)

commonefacere, ut aperiamus illi, et claudamus ostium diabolo; et ejus satellitibus et complicibus pro viribus resistamus, in promptu habentes ulcisci, secundum Apostolum (*II Cor.* x), omnem inobedientiam. Neque timendum est, etiamsi prævalere possint adversum nos : quoniam ideo illis potestas a justo traditur Judice, ut fiant nostræ probationis caminus, cito in cinerem et favillas consumendus, nosque vasa explorata perpetuo in Domini ministerium assumenda. Speramus sane, nec dubitamus, quod nulla tribulatio, persecutio, gladiusve, vincula, carceres, exsilia, instantia, futura, poterunt nos separare a caritate, quæ est in Christo Jesu, et sanctis ejus legibus. Melius est enim mori pro legibus Domini, quam eorumdem persuasoribus et destructoribus terga vertendo Ecclesiæ (jura prodere) : quoniam non obviare talibus, Christi planissime est fidem negare.

61. Videmus præ oculis et manibus signum antiqui serpentis; quod omnipotens Deus ideo vobis ostendit, ut cautos sollicitos que redderet, et quid super filium superbiæ, extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam Catholicam facere debeamus insinuaret. Sancta quippe Scriptura, Fidem, sanctæque Ecclesiæ figuram ovi nomine designat; in qua quidem malos cum bonis permistos esse usque ad mundi terminum nullus fidelium dubitat. Sed licet fraudibus deceptionibusque aliquandiu se occulere studeant, non semper latere, Domino revelante, possunt; ut, cum in apertum venientes emicarint, cunctis appareat fraus quæ latebat, et in cognitos sancta Dei Ecclesia ultionis gladium exerat. Rex iste, cujus figuram Deus mihi demonstrari et cognosci per serpentis similitudinem voluit, hactenus timens, suis subdolis verbis et nuntiis, velut in tenebrosæ noctis caligine latuit : qui modo foras saliens, quod corde gestabat, ostendit sufficienter ad condemnationem quam passim per Dei Ecclesias commiserat. Nunc vero, ut cernitis, caput ad fidei nostræ fundamentum erigere cœperat, sicut scriptum est : Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra. De quo Joannes Apostolus dicit : « Et datum est ei os loquens magna, et blasphemias (*Apoc.* XIII). » Et illud : « Et cauda ejus (draconis) tertiam partem stellarum traxit (*Apoc.* 18). » Non attendit miser quid Veritas ipsa dixit Magistro nostro et Principi Ecclesiæ : « Super hanc, inquit, petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Math.* XVI, XVIII). » Nunc igitur, Fratres, convenit gladium ultionis exerere, et inimicum Dei et Ecclesiæ alligando percutere, ut percussum caput, quod ad Fidei fundamentum et omnium Ecclesiarum erectum esse dignoscitur, corruat : ut, quemadmodum in primo superbiæ suæ timpore ei dictum est, pectore et ventre repat. « Nolite timere, ut ait Dominus, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (*Luc.* XII, 32). » Satis est, quod hucusque sustinuistis, bene convenienterque illum commonuistis, nunc vero cauteriatam conscientiam se habuisse cognoscat.

62. His atque aliis nonnullis peroratis, sancta et magna Synodus dixit : Tua, sanctissime Pater, censura, quem ad regendum nostri temporis sæculum divina peperit clementia contra blasphemum, invasorem, tyrannum, desertorem, talem sententiam proferat, quæ hunc conterat, et futuris sæculis transgressionis cautelam conferat. Dignum quippe est jussis tuis obedire et obsecundare, ut possumus neque facere cupimus animas nostras pretiosiores nobis. Libenter enim, si necesse est, mortem amplectemur, ut Patrum nostrorum vestigia relinquere non videamur. Cur enim non demus pro Dei nostri sanctis legibus illud, quod a nolentibus nobis aufertur? Gladium exerce, judicium exerce : ut lætetur quilibet justus, cum viderit vindictam, manus suas lavet in sanguine peccatoris. Tandem omnibus acclamantibus definitum est, ut honore regio privaretur, et anathematis vinculis, tam prænominatus rex quam omnes assentanei sui colligarentur.

CAPUT VIII.

Rex Henricus excommunicatur. Litteræ S. Gregorii ea de re, et ultionis mox secutæ exempla.

63. Accepta itaque fiducia, dominus Papa, ex totius Synodi consensu et judicio protulit anathema in hunc modum. Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, et audi me servum tuum; quem ab infantia nutristi, et usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt et odiunt. Tu mihi testis es, et Domina mea mater Dei, et Beatus Paulus Frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua sancta Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, et ego non rapinam arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere; potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi, sæculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia non ex meis operibus credo, quod tibi placuit et placet, ut populus Christianus, tibi specialiter commissus, mihi obediat specialiter, pro vice tua mihi commissa : et mihi tua gratia est potestas data a Deo ligandi atque solvendi, in cœlo et in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, per tuam potestatem et auctoritatem, Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum et Italiæ gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere vel facient, absolvo; et, ut nullus ei sicut Regi serviat, interdico. Dignum est enim, ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimisit, participando excommunicatis, et multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misit, te teste, spernendo; seque ab Ecclesia tua, tentans

eam scindere, separando : vinculo eum anathematis vice tua alligo : et sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes et comprobent quia tu es Petrus, et super tuam petram Filius Dei vivi ædificavit Ecclesiam suam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI).

64. Post hæc misit ad diversos Epistolas, idem anathema et causas ejus manifestantes, ex quibus has duas interponere præsenti opusculo curavimus. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, omnibus qui cupiunt annumerari inter oves quas Christus B. Petro commisit, salutem et Apostolicam benedictionem. Audistis, Frates carissimi, novam et inauditam præsumptionem, audistis sceleratam schismaticorum, et nomen Domini in B. Petro blasphemantium, garrulitatem et audaciam : audistis superbiam, ad injuriam et contumeliam sanctæ Apostolicæ Sedi illatam, qualem vestri Patres nec viderunt, nec audierunt umquam, nec scripturarum series aliquando a paganis vel hæreticis docet emersam : cujus mali, et si aliquod umquam, post fundatam et propagatam fidem Christi, præcessisset exemplum, omnibus tamen fidelibus, pro tanto contemptu et conculcatione Apostolicæ, imo divinæ auctoritatis, dolendum foret et gemendum. Quapropter, si B. Petro claves regni cœlorum a Domino Deo nostro Jesu Christo traditas esse creditis, et vobis per manus ipsius ad æternæ vitæ gaudia introitum patere cupitis; cogitandum vobis est, quantum nunc irrogata sibi injuria dolere debeatis. Nisi enim hic, ubi per discrimina tentationum vestra fides et corda probantur, socii passionum efficiamini, proculdubio non estis digni, ut participes futuræ consolationis, et filii regni, cœlestem coronam et gloriam sortiamini (*II Cor.* I). Rogamus igitur caritatem vestram, ut instanter divinam misericordiam implorare studeatis; quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quam insipientes et stulti sint, qui petram a Christo fundatam evertere et divina privilegia violare conantur, ostendat. Qualiter autem, aut pro quibus causis B. Petrus anathematis vinculo Regem alligaverit, in (68) chartula, quæ huic inclusa est, plene potestis cognoscere. »

65-68. « Gregorius Episcopus servus servorum Dei, omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus cæterisque fidelibus in Regno Teutonicorum Christianam fidem defendentibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Audimus quosdam inter vos de excommunicatione quam in Regem fecimus, dubitare, etc. *Vide inter epistolas S. Gregorii.*

69. Igitur post excommunicationem et depositionem Regis, Domini præeunte gratia, multi nobiles et mediocres, ad Deum toto corde conversi, præfatum Regem reliquerunt. Ipsi etiam, qui prius partim regalibus blanditiis, partim terroribus et minis contra Apostolicam Sedem conjuraverant, conversi postmodum, digno in Regem anathemati conscripserunt, mittentes supplices ad Apostolicam Sedem nuntios, epithemium (69) pœnitentiæ postulantes. Quibus misericordiæ discipulus, non quærens saturari pœnis reorum gremium sanctæ Ecclesiæ aperuit; et ut in fide Domini solidarentur, consolatorias eis litteras misit. Nonnulli vero Episcoporum, gementes tantum facinus, ad Apostolicam Sedem discalceatis pedibus venerunt, tam diu inibi perdurantes quo usque Dominus Papa misericordiæ manum et pietatis viscera, eis compatiens, aperiret.

70. Interea Dominus magnum miraculum in Regis et omnium oculis fecit : quo cognito, multi eum reliquerunt. Nam post excommunicationis diem (70), Paschalis diei solemnitate, cum regio apparatu et comitatu pompaticæ multitudinis, ad Ecclesiam, divinitus sibi clausam, venire nequaquam abhorruit. Jussu itaque Regis quidam (71) Episcopus si fas est, imo hæreticus et Simoniacus, ad Missæ se præparavit officium. Tandem perlecto Evangelio ex more facturus popularem sermonem Pontifex idem, pulpitum conscendit. Parum autem de tractatu locutus Evangelico, statim se ad blasphemiam Papæ Gregorii cæco corde menteque vesana prorupit, quæ pro nimio sui horrore silentio præterire complacuit. Difficile est enim ut bene sibi conscientium probitatem, obtrectantium lingua non mordeat, et iniquorum evadat opprobria, cui est amica justitia. Verumtamen eadem blasphemia qualis in oculis Domini fuerit, continuo sequens ultio, si perpendatur, innotescit. Nam Paschalis diei gaudio nondum finito, subito cœlum fragore intonuit, in quo ignis descendere cœlitus visus est; qui omnem illam ecclesiam, omnesque domos regali receptui præparatas, repente consumpsit, et lætitiam profanorum in mœrorem commutavit : Episcopum vero illum blasphemum, subito (72) percussum, divina ultio interemit. Sed antequam vitam penitus exhalaret, ministros suo exitio præparatos, quales essent, compulsus est dicere : Video me, inquit, igneis loris astrictum, tetris trahentibus imaginibus ex hac vita

(68) Hanc *Chartulam* fuisse credo, vel ipsam excommunicationis sententiam supra positam, vel eorum quæ in sequenti Epistola leguntur exemplar.

(69) *Epitimium*, Græce ἐπιτίμιον, *mulcta*, *pœna*, *castigatio* : sed fortassis *Epithemium* a τίθημι, pono, *impositionem* hic significat.

(70) *Pascha* anno 1076 celebratum fuit 27 Martii, et quidem ab Henrico Rege Ultrajecti, quem, exactis Paschalibus feriis inde discessisse, tradit Bruno in Chronico pag. 795.

(71) *Withelmus Ultrajectinus, causam Regis contra bonum et æquum obstinate tuebatur, et studio partium Regis multa in injuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus solennibus, inter Missarum solennia, rabido ore declamabat, perjurum eum, adulterum, et pseudo-Apostolum appellans,* etc. Ita Lambertus Scafnaburgensis, et ante citatus Bruno A. Langius in Chronico Citicensi. *Cum Rex,* inquit *esset Trajecti, et excommunicatio Regis, a Romano Pontifice facta, præsentata fuisset..... Episcopus inter Missas sermonem faciens ad populum, derisorie, quod Rex excommunicatus esset, indicavit.*

(72) Hæc dicti Lambertus et Monachus Herveldensis ita referunt. *Repente gravissima ægritudine*

convelli : sed tamen ite, et dicite (73) Regi ut flagitium, quod in Deum, et B. Petrum, ejusque Vicarium commisit, emendet ; ne me præeuntem ad inferi loca sequatur ; et hæc dicens, exspiravit. Hoc exemplo commoniti, hortamur et obsecramus omnem hominem qui hæc scripta legerit, ut declinet detrahentium linguis, si mavult consortium habere cum Gregorio in resurrectione vitæ, quam cum detrahentibus supplicium subire. Nunc hic ad memoriam redit non minus terribilis damnatio Spirensis (74) Episcopi, qui eadem die, id est VI Kalendas Martii, imo eadem hora, subito quasi quodam invisibili telo percussus, apud Spiram infirmari cœpit, qua hora et causam ejus in Romana Synodo noster Gregorius Papa ventilare incepit. Idem quoque tertio die, id est IV Kalendas Martii, miserabiliter exspiravit, non imparem expertus efficaciam illius sententiæ qua Petrus Apostolus Ananiam et Sapphiram damnavit.

CAPUT IX.

Henrici simulata pœnitentia. Principum conventus Ulmæ. Gregorii ad eos Legatio.

71. Cum igitur prædicti Regis conversionem jam diu et frustra Principes exspectarent, et statum Regni periculosius in dies disturbandum, imo sine capite jam penitus destituendum viderent ; tandem zelo Dei armati, cum Legatis Apostolicæ Sedis (75) convenerunt, et eumdem, ut eorum consilio acquiesceret et resipisceret, satis fideliter rogaverunt : alioquin, se non ulterius communicare vel obedire, protestati sunt. Hac ille necessitate, simulate quidem, ut postmodum apparuit, se per omnia, et consiliis Principum et præceptis Apostolici Domini, obediturum promisit. Erat autem eorum consilium, ut Dominus Apostolicus ad generale colloquium Augustam in Purificatione S. Mariæ tunc proxima veniret : quatenus ibidem causa ejus in audientia totius Regni legitime determinari posset. Ipsi quoque Principes, missa legatione, Dominum Papam ad prædictum diem venire suppliciter rogaverunt ; ad quod iter agendum, illum promptissimum, ut subscriptæ ejus litteræ testantur, invenerunt. Rex autem, contra promissionem suam, contra consilium Principum, hoc ab Apostolico per Legatos suos voluit extorquere, ne Augustam veniret, sed ut eum ad se Romam venire permitteret ; ea utique intentione, ut tanto facilius Papam fallere posset, quanto pauciores Regni Principes, jam sæpius astutias ejus perpessi, discutiendæ ejus causæ interessent. Unde et Papa votis ejus non annuit, sed ut Principes rogaverant, ad condictum diem venire disposuit ; et subsequentes Epistolas Principibus Regni, pro disponendo itinere suo, transmisit.

72. « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, nec non majoribus atque minoribus in Regno Teutonicorum constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Nos, indigni et inutiles Principis Apostolorum servi, » etc. *Vide infra inter epistolas.*

73. « Gregorius, servus servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, et Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, omnibusque Christianam et B. Petri fidem et doctrinam defendentibus et observantibus, salutem et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli benedictionem : omniumque peccatorum absolutionem. Ego, qualiscunque Sacerdos, Apostolorum Principis servus, » etc. *Vide infra inter epistolas.*

74. Interea Rex, propriæ causæ diffidens, et idcirco audientiam istius Regni subterfugiens, furtive Italiam cum excommunicatis, contra præceptum Papæ et consilia Principum, intravit ; et Apostolico ad prædictum diem Augustam tendenti, ante Purificationem S. Mariæ apud Canusium obviavit ; ibique ante portam castri per triduum, deposito omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus et laneis vestibus indutus, persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes qui aderant, et ad quos ille rumor pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus et lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam domini Papæ duritiam mirarentur ; nonnulli vero in eo, non Apostolicæ serenitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ severitatis crudelitatem esse clamarent : denique instantia compunctionis ejus, et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione Papa devictus, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum sanctæ Matris Ecclesiæ recepit : acceptis ab

correptus…… miserabili ejulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur : Justo Dei judicio se et præsentem vitam amisisse et æternam, quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu tribuisset ; atque in spem gratiæ ejus Romano Pontifici, sanctissimo et Apostolicarum virtutum viro, graves contumelias, sciens et prudens, innocenti irrogasset. In hanc vocem, ut asserunt, sine communione, sine ulla satisfactione, expiravit.

(73) Langius ita exponit : *Hoc mitto Regi mandatum : quod ipse, et ego, et omnes iniquitati ejus faventes, sumus damnati in perpetuum…… Ecce demones lectum meum circumstant, quatenus mox, ut expiravero, capiant. Itaque cum fuero e corpore eductus, rogo vos et omnes fideles, ne se fatigent pro me faciendo supplicationes. Hic igitur in desperatione defunctus, diu jacebat insepultus ; donec Romam mittitur, et inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apostolico jussu sine commendationibus sepelitur.* Hæc Langius ex Chronicis Magdeburgensis Ecclesiæ.

(74) *Henricus Episcopus Spirensis,* a puero cum Henrico Rege educatus, ab illo ad Sedem illam promotus, *cum Thesauros Ecclesiæ puerili levitate dilapidasset, et prædia militibus in beneficium erogasset…….. sensit repente parvulam sibi pustulam in collo excrescere ; qua intumescente ante mediam noctem defunctus est.* Ita Lambertus, et priora Bruschius.

(75) Convenerunt *Oppenhemii,* urbe tunc Imperiali, postea Palatino Rheni oppignorata, inter Moguntiam et Wormatiam, anno 1077, vel, ut alii volunt, convenerunt *Triburiæ,* e regione Oppenhemii, urbe olim celebri : nunc vilis est vicus sed adhuc nomen retinens.

eo securitatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, et nobilium Comitissarum Mathildis et Adalaidæ (75 *bis*), et aliorum Principum, Episcoporum et Laicorum, qui sibi ad hæc utiles visi sunt, in hunc modum suscepit.

75. « Ego Henricus Rex, de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi, Episcopi, Duces et Comites, ceterique Principes Regni Teutonicorum et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum quem dominus Papa constituerit, aut justitiam secundum judicium ejus, aut concordiam secundum consilium ejus faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit : quo transacto, ad idem peragendum paratus ero. Item, si idem dominus Papa Gregorius ultra montes vel alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mea parte, et eorum quos constringere potero, ab omni læsione vitæ et membrorum ejus seu captione, tam ipse quam qui in ejus conductu sive comitatu fuerint, in eundo, sive ibi morando, seu inde redeundo ; neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit ; et si quis ei fecerit, cum bona fide, secundum posse meum, illum adjuvabo. »

76. Rex, postquam communione recepta; sed quæstione Regni dilatata, solutus ab Apostolico discessit ; parum attendens quod ei in reconciliatione sua juramento promiserit, ad solitam nequitiam redire, et Simoniacorum suorum consiliis contra Papam assentire non expavit. Omnes enim Simoniaci eorumque socii, quorum tyrannidi ipse sanctam Matrem Ecclesiam subjugaverat, quorum etiam factione jam pridem Apostolicam Sedem deauctorizare tentaverat ; ipsi, inquam, omnes ad eum reconciliatum recurrentes, non terrorem sed audaciam ab eo, pro perpetrata iniquitate, acceperunt ; quin etiam in damnatione Apostolici apud eum conjurandi locum invenerunt. Ipse vero ejusque complices, communionem utcunque idcirco festinaverant recipere : quia, juxta legem Teutonicorum, se prædiis et beneficiis privandos esse non dubitabant, si sub excommunicatione integrum annum permanerent : cujus adhuc unus mensis superfuit, dum ad reconciliationem redirent. Communionem itaque, non ut se corrigerent, repetebant ; sed, ut plurimos jam dudum ab illis anathemate separatos sibi resociarent ; sicque tanto audacius, tanto crudelius, quanto cum pluribus, solita tyrannide sanctam Ecclesiam opprimere possent. Nam statim post reconciliationem, ut prædictum est, ad pristinum volutabrum redire, sed et Simoniacis, utpote sui similibus, contra Apostolicam Sedem assentire non dubitarunt.

77. Non multo post tamen Rex ab Apostolico jam Regni concessionem callide, ut communionem, elicere volebat. Missa enim legatione, humiliter ei supplicabat, ut vel eum semel apud S. Joannem in (76) Moytia, per Episcopos Papiensem et Mediolanensem, more priorum Regum, coronari permitteret : vel, si hoc nollet fieri per hujusmodi Episcopos, utpote excommunicatos, saltem hoc privilegium Apostolica auctoritate cuilibet Episcopo concederet exsequendum ; ob hoc maxime appetens coronari, ut communione etiam Regnum a Romano Pontifice videretur recepisse. Sed Papa, calliditatem ejus jam satis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquiescere : diligenter secum ipse reputans se quidem eum pro multis criminibus, et maxime pro inobedientia et contumacia Apostolicæ Sedis irrogata, a Regno deposuisse, omnesque ei juratos ab ejus domino liberos reddidisse : et ob hoc, nullatenus eum, sicut nec alium, in Regem Principibus, utpote liberis hominibus, superponi debere, absque eorum electione. Nam et a toto Regno de tot ac tantis injuriis ac perfidiis erat inculpatus, ut de his eum necesse esset primitus expurgari (si tamen hoc aliquatenus posset fieri) et sic demum cum consensu totius Regni legitime coronari. Rex igitur ea vice quoque simulata obedientia apud (77) Moytiam Regalia insignia non usurpavit : quæ tamen non multo post contra bannum domini Papæ resumere, et interdicta Regni gubernacula usurpare non timuit.

78. Interim transibat terminus, quem rex coram Legatis Apostolicæ Sedis cum Principibus Regni ad Augustam in Purificatione S. Mariæ condixerat, ad quem jam Papa venire conceperat : et jam illuc pervenisset, si non idem Rex, contra commune decretum omnium ingressus Italiam, conducturos Apostolicum a conductu deterruisset : terminus, inquam, ubi coram Apostolico in audientia totius Regni canonice de criminibus illatis expurgari, si inculpabilis esset, expurgatus legitime in Regnum, cum consensu omnium, restitui posset : ad quem ipse venire contempsit, imo suæ causæ diffisus, non præsumpsit ; et Papam, ne vel illuc veniret, fraudulenter in Langobardia præoccupavit.

79. Cum igitur principes Regni terminum generali decreto statutum Regem subterfugisse, et se etiam hac vice, solita ejus perfidia, delusos esse animadvertissent ; cumque ejus versutiam nec in ipsa reconciliatione vel postea cessasse, certissima relatione didicissent ; mox in Suevia apud Ulmam, conventu facto, deliberaverunt ; ne se deinceps ab illo ludificari, vel potius pristina ejus calliditate periclitari permitterent ; sed suæ saluti, in legitimi Principis electione, providerent. In eodem autem

(75 *bis*) *Adalaia* sive *Adelasia* aut *Adalais*, Olrici Magnifredi Marchionis Secusiæ filia, nupta anno 1014, Humberto Saxoni, in Marchioni Secusiæ et Comiti Sabaudiæ Maurianæque, ob plurima Sedi Apostolicæ beneficia prestita, filia S. Petri dicta, e vita excessit anno 1080, uti indicat Pignonius in Augusta Taurinorum.

(76) Additur in nostro Ms. *Actum 5. Kal. Februarii, indictione* 15.

(77) *Modoetia*, 10 milliaribus Mediolano distat ; ubi etiam Imperatores solebant Coronam ferream accipere.

Conventu apud Ulmam, generalius Colloquium A ad (78) Forecheim 4 Idus Martii, ad novi Regis electionem condixerunt : ad quod etiam Domini Apostolici consilium et auxilium sibi venire, missa legatione, postulaverunt. Quo audito, Papa ad id colloquium Legatos direxit, qui Principes rogarent, ut dispositionem Regni usque in adventum ejus differrent, si hoc sine periculo fieri posse sperarent. Noluit sane eis hoc ex definito præcipere, ne sibi jure imputari posset, si quod periculum status Regni ex illa dilatione incurrisset. Altera autem die post dimissionem legatorum, Manegoldus Comes, magnus amator veritatis, advenit; cujus relatione Papa de novo Rege constituendo certior factus, alium Legatum, Gregorium scilicet Romanæ Ecclesiæ Diaconum, ad Principes Regni destinavit : qui, eos Apo- B stolica auctoritate adventum ejus præstolari compelleret : eo tamen primitus explorato, si Rex, qui adhuc in Longobardia morabatur, ab eodem Legato conventus, securitatem facere vellet, ut domino Papæ transitum ad Teutonicas partes, pro ipsius causa determinanda, concederet. Quod si Rex nollet concedere, præcepit Papa ut Legatus ad se rediret, nec Principes cum aliqua dilatione a providenda Regni necessitate suspenderet. Item eidem Legato præfatam legationem imponens Papa, dixit inter alia : se quasi pro indicio hujusmodi securitatem exegisse, cujus, inquam, securitatis exhibitio illum in Regnum restitui posse præsagiret : sicuti, ejusdem securitatis denegatio, hoc eum non posse, ex C divino indicio denotaret.

80. Inter hæc verba Papæ tres digiti ejus dextræ, usque ad medium, repente sanguinei apparuere; quos sanguine ex naribus profluente maculatos existimans, detergere cœpit : sed eos sanguineis notis nullatenus emaculare potuit. Hinc ipse et reliqui sapientes, qui hoc miraculum conspexerunt, aliquid magni per hæc signa portendi non dubitarunt. Erant autem ibi tunc præsentes prænominatus Comes Manegoldus, et venerabilis Presbyter Erkinbertus, cum aliis quam pluribus in oppido Canusii in capite Jejunii, quod eo anno contigit (79) in Kal. Martii. Percepta igitur legatione, statim Legatus ad Regem properavit, cum prædicto Comite : sed Rex securitatem, quam Papa postulabat, facere contempsit : D unde et ille Legatus ad Apostolicum redire non tardavit. At Comes ad proximum Forecheimense Colloquium venire acceleravit; quo et priores Legati jam pervenerant, qui una tantum die, priusquam præfatus (discederet) Comes, ab Apostolico missi fuerant. Hi autem erant Legati : Bernhardus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus; item alter Bernhardus (80), Abbas religiosus de Massilia, fere sexcentorum monachorum Pater, qui etiam secum duxit egregium Doctorem quemdam, nomine (81) Christianum, postmodum Aversanæ civitatis Episcopum. Cujus opus extat eximium contra Turonensem Berengarium.

81. Non indignum videtur hoc in loco paulisper orationis cursum retentare, et quam fidelem Apostolicæ institutionis sectatorem et propagatorem in Comite Manegoldo non semel commemorato Gregorius noster habuerit, declarare. Hic enim ex generosa et religiosa (82) B. Udalrici Augustensis Episcopi genealogia procreatus, et a sapientissimo fratre suo, Herimanno videlicet Contracto, in omni observantia Christianæ religionis ad unguem informatus, virgo virginem sortitus est uxorem; duosque filios ex ea generatos in tanta disciplina usque ad juvenilem ætatem educavit, ut alterum eorum ad similem monogamiam perducens heredem sui relinqueret; alterum, in cœlibatu occisum, imo ipsius occisionis ejus (diem) longo locorum intervallo remotus, per spiritum mirabiliter agnoscens, fieret et gauderet; flevit enim propter acerbitatem inopinatæ mortis, et gavisus est propter impunitatem incontaminatæ juventutis. Hoc autem maxime castificabat liberos, quod verax pater comminabatur eis exheredidationem, si quam, præter legitimam copulam, cum mulieribus perpetrasse detegerentur coinquinationem. Vir igitur Christianissimus, cum B. Gregorium Papam nimio affectu propter justificationes ejus diligeret, eumque sæpius propter alternas morum similitudines inviseret; quadam vice, in tantam Romæ positus infirmitatem inadit', ut qui præsentes erant, vitam ejus desperarent. Cumque tristis nuntius Domino Papæ venisset, valde condolens, festinus ad eum venit; et pauxillum panis in scyphum confringens, meroque perfundens, ægro pro benedictione porrexit. At ille, protinus ut gustavit, recepit non solum delectationem comedendi, sed et virtutem cum incolumitate de lecto surgendi. Qui, cum ad propria remearet, et Apostolica statuta, maxime de vitandis Officiis incontinentium Sacerdotum, non segniter ubique divulgaret, et in Clericis atque Ecclesiis ad se specialiter pertinentibus hujusmodi abominationes minime toleraret; uxor cujusdam Presbyteri sub ejus ditione positi, malignans propter separationem' mariti, hoc familiaribus suis audientibus se minabatur effecturam, ut qualem molestiam ipsa sustineret in separatione conjugis sui, talem et Comes sustineret in disjunctione conjugis suæ.

(78) *Forcheim*, munitissimum oppidum Episcopi Bambergensis, inter Bambergam et Norimbergam.

(79) Ita fuisse confirmat Pascha, dein celebratum 16 Aprilis, cyclo Lunæ 14, Solis 22, littera Dominicali A.

(80) De utroque *Bernardo* supra actum cap. 6. In nostro Ms. dicitur *Udo Trevirensis una missus*.

(81) Imo nomine *Guismundum* seu *Guitmundum*, qui etiam Gallus, et monachus Lofredi in Normannia fuerat. Ejus opera exstant in Bibliotheca Patrum. Consule Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

(82) S. *Udalricus* colitur 4 Julii, quando hæc poterunt discuti. Interim inspiciatur genealogia, quam ad calcem Vitæ adjecit Velferus, in editione Augustana anni 1595.

Dixit, et eheu! permittente Deo, tam pessimum facinus in dominam peregit. Nam delectabiles cibos veneno infectos obtulit, eamque nihil mali suspicantem simulata benignitate decepit. Igitur Comes religiosus, adhuc in robusta ætate viduatus, nullis suorum adhortationibus ad secundam copulam permoveri potuit; dicens, sibi pudendum et horrendum videri, si cum duabus uxoribus processurus esset ante tribunal Christi in die judicii. In tantum autem profecit per devotam obedientiam Papæ nostri Gregorii, ut ante finem suum, quem senex et plenus dierum attigit, quibusdam virtutum signis effulserit, et prophetiæ, quemadmodum in occisione filii patuit, (dono) venerabiliter claruerit (83).

82. Huic beatæ recordationis Comiti non incongrue adjungitur memoria pretiosæ mortis B. Cincii, Urbis Romæ Præfecti, cujus et superius virtutes breviter descripsimus. Hunc etenim, propter fidem sæpe dicto et sæpe dicendo Papæ Gregorio exhibitam, Dominus noster Jesus Christus martyrio coronavit, ejusque sepulchrum continuo viginti miraculis, in Synodo numeratis et probatis, illustravit (84). Nam cum zelum Domini haberet, et exhiberet fidem secundum sanctam Apostolicæ institutionis formam, occisus est ab apparitoribus Henricianæ persecutionis.

CAPUT X.

Conventus Forchemiensis, Rudolphi Regis electio, seditio a Simoniacis et Concubinariis excitata.

83. Facto igitur conventu apud Forecheim, præfati Legati litteras Apostolicas in medium protulerunt: Quam parum dominus Papa de promissione Regis lætatus fuerit, cum adversarii Ecclesiæ plus audaciæ, quam terroris ex præsentia Regis acciperent. Ad hoc, aiebant, eum petere ut novi Regis electionem de qua audierat, in adventum ejus differrent, si hoc sine periculo fieri posse perpenderent. Peracta igitur legatione, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites majores atque minores, debitam reverentiam Legatis impendentes, per consessum singuli surrexerunt; et, quot contumeliis et quot periculis jam ab Henrico Rege affecti essent; vel se afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt; seque toties insidias ejus inter ipsa pacis oscula vix evasisse, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere possent. Hoc quoque addentes, se tamdiu eum post depositionem tolerasse, non utique ut correctionem ejus, utpote penitus desperatam, exspectarent; sed ut quibusdam occasionem calumniandi auferrent, qui fortasse ei, si non tamdiu expectaretur, correctionem interclusam fore conquererentur; totaque illa die cum hujusmodi querimoniis transacta, nec medietatem injuriarum sibi illatarum enumerare potuerunt.

84. In crastinum vero iterum ad hospitia Legatorum convenientes, pro sua necessitate sublevanda, eos consuluerunt; suggerentes eis periculosissimum et irrevocabile schisma in toto Regno futurum, nisi in eodem Conventu, ut deliberaverant, in alicujus novi capitis sublevatione confœderati, illud anticipare festinaret. Legati autem legationis suæ non immemores, satis compendiose ad hæc responderunt, sibi quidem optimum videri, si Regis constitutione, juxta eorum legationem, in adventum Domini Papæ sine periculo differre possent: ceterum provisione Regni non tam in eorum consilio, quam in Principum arbitrio sitam esse dixerunt, qui rem publicam in manibus tenerent; ac totius Regni damnum sive proficuum optime prænossent. Itaque Principes Regni, de adventu Papæ incerti, sed de maxima dissensione eventura et periculo, si differrent, certissimi; accepta licentia a Legatis, apud Magontinum Archiepiscopum convenerunt, et quid eis agendum esset singulari diligentia invicem tractaverunt: considerantes quidem se ad nullam dilationem ab Apostolico coactos, sed hoc in eorum arbitrio positum esse; nec alicui nisi sibiipsis deinceps imputandum fore, si dilatio noceret. Insuper se nullius subjectionis exhibendæ Henrico Regi obnoxios, imo per Apostolici banni transgressionem damnandos, si aliquam subjectionem Regi deinceps exhiberent. Nam Papa, priusquam eum anathematizaret, ex parte omnipotentis Dei et S. Petri et sua, illi Regnum interdixit; et omnes Christianos juramento, quod sibi fecissent vel facturi essent, absolvit; et, ut nullus ei, ut Regi serviret, interdixit: qui postea ab eo Communionem tantum, non Regnum, falsa correctionis promissione recuperavit.

85. Hoc igitur Principes Regni diligentissime perscrutati, se quidem a Regis Henrici potestate penitus, ut prædictum est, emancipatos, nec se illi plus, quam illum illis alicujus fidelitatis vel subjectionis (juramento) obnoxios; ut liberi homines, Rudolphum Ducem Suevorum, frustra multum renitentem, frustraque vel unius horæ inducias ad consulendum petentem, Regia dignitate sublimaverunt: virum sane in humilitate præcipuum, regio honori ætate et moribus idoneum; eique se debito fidelitatis sacramento subdiderunt. Qui utique Regnum, non ut proprium, sed pro dispositione sibi creditum reputans, omne hereditarium jus in eo repudiavit, et vel filio suo se hoc adoptaturum fore penitus abnegavit: justissime in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus libere non magis filium ejus quam alium eligerent, nisi quem ad id culminis ætate et morum gravitate dignum invenissent. Hunc igitur Rudolphum, legitime electum, Archiepiscopi Mogontinus et Mag-

(83) Mirum est hunc nusquam inter Augustanos Sanctos nominatum inveniri, ac neque de loco sepulturæ vel die mortis quidquam legi.

(84) Utinam miracula illa exstarent cum beatificationis decreto, itaque dies sui cultus viro restitui posset, tam digno inter Martyres honorari; aut saltem sciretur ubi sepultus sit.

deburgensis, cum eorum suffraganeis, Legatis Sedis Apostolicæ præsentibus et Regni Principibus, regali inunctione consecrarunt. Electus est autem ab Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus majoribus atque minoribus, in Conventu apud Forcheim, anno Dominicæ incarnationis 1077, anno 4 venerabilis Papæ Gregorii in hoc nomine septimi, indictione 15, Idibus Martii. Postea die duodecimo apud Mogontiam consecratus est, id est 7 Kal. Aprilis, ubi tunc medium Quadragesimæ occurrit. Die autem prædictæ electionis nix ac gelu resolvi cœperunt, quæ eo anno a festivitate omnium Sanctorum usque in illum diem terram Teutonicorum et Longobardiæ occupaverat; quod quidam sapientum ita interpretati sunt : Deum in legitimi Principis electione suam adstipulationem mundo denotasse, per insoliti frigoris depulsionem et per clementioris aeris reparationem : præcipue, cum nullis hujusmodi promotio displicuerit, nisi illis tantum qui se, sub legitimo Principe, Simoniacæ hæresi aliisque criminibus abrenuntiaturos fore non dubitabant : qui superiori Rege, non dico permittente, sed cooperante, sanctam Ecclesiam fœdare non cessaverant. Nulli sane Clerico, monacho, sive laico hujus Principis promotio displicuit, nisi qui seipsum sub ejus auctoritate corrigendum fore timuit; nisi qui sanctam Ecclesiam juxta Canonicas sanctiones instituendam fore contabuit; nisi qui, intercluso Simoniacæ heresis mercimonio, divitias suas attenuari non dubitavit.

86. Nullus autem Rudolpho Regi ejusque Principibus perjurium poterit jure objicere, licet jam dudum deposito Regi juramentum fidelitatis fecissent. Illud enim juramentnm tam diu observandum erat, quamdiu ipse Regno præerat. Postquam vero omnes Christiani eo sacramento a Papâ soluti sunt, eo quidem deposito et anathematizato, non magis illi aliqua subjectio pro hujusmodi juramento debebatur, quam cuilibet Episcopo a subditis suis obeditur, postquam ille, etiam retenta communione, deponitur. Nemo autem Romanum Pontificem Reges a Regno deponere posse denegabit, quicumque decreta sanctissimi papæ Gregorii non proscribenda judicabit. Ipse enim vir Apostolicus, cui Spiritus sanctus in aurem decernenda dictavit, in Apostolica Sede constitutus, irrefragabiliter decrevit Reges a suis dignitatibus cadere, et participatione Dominici corporis et sanguinis carere, si præsumerent Sedis Apostolicæ jussa contemnere. Si enim cœlestia et spiritualia Sedes B. Petri solvit et judicat, quanto magis terrena et sæcularia, juxta illud Apostoli : Nescitis, inquit, quoniam et Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia? Sic utique auctoritate Stephani Papæ Hildericus Rex Francorum pro ignavia sua deponitur : eique deposito insuper et detonso, et in monasterium misso, Pipinus in Regnum surrogatur. Præterea, liberi homines Henricum eo pacto sibi proposuerunt in Regem, ut electores suos juste judicare, et regali providentia gubernare sat-

A ageret. Quod pactum ille postea prævaricari et contemnere non cessavit; videlicet, quoslibet innoxios tyrannica crudelitate opprimendo, et omnes quos potuit Christianæ religioni repugnare constringendo. Ergo et absque Sedis Apostolicæ judicio, Principes eum pro Rege merito refutare possent, cum pactum adimplere contempserit quod eis pro electione sua promiserat : quo non adimpleto, nec Rex esse poterat. Nam Rex nullatenus esse potest, qui subditos suos non regere, sed in errorem mittere studuerit. Quid plura? Nonne quilibet miles Domino suo fidelitatis juramento subjicitur eo pacto, ut et ille sibi non deneget, quod Dominus militi debebat? Si ergo Dominus militi debitum reddere contemnit, numquid non libere miles eum pro Domino deinceps

B recusat habere? Liberrime, inquam. Nec hujusmodi militem infidelitatis vel perjurii merito quis accusabit, cum totum adimpleverit quod promisit; Domino suo, inquam, tam diu militando, quam diu ille fecit sibi quod Dominus militi debebat.

87. Igitur Rudolphus Rex, ubi in Regem sublevatus est, statim Apostolico, missa legatione, de sua promotione innotuit, eique debitum obsequium in Ecclesiasticis administrationibus promisit : multoque se promptiorem ad obediendum Sedi Apostolicæ quam antecessor ejus exhibuit. Ipsa enim suæ consecrationis die, obediens banno Domini Papæ, officium cujusdam Diaconi Simoniaci recipere noluit, qui ea die ad legendum in Missa ante Regem

C jam sacris vestibus indutus processit : unde Sigefridus Mogontiuus Archiepiscopus, amoto eo ab altaris ministerio, alium in ejus locum surrogavit. Hoc autem maximam invidiam Simoniacorum et incontinentium altaris ministrorum Regi conflavit; qui in ipsa sui promotione banno Apostolico obediens, se officia talium respuere per præfati Subdiaconi repulsam monstravit. Nullatenus enim dubitabant, se, sub tam legitimo Principe, aut officium depositoros, aut concubinis et Ecclesiis Simoniace acquisitis abrenuntiaturos. Quapropter illius civitatis Clerici, eadem ipsa regiæ consecrationis die, post prandium concives suos, vino et insania furentes in Episcopum suum, et Regem, et reliquos Principes concitaverunt. Quidam enim puer ex civitate,

D nescimus si propria voluntate ductus, an ab aliquo persuasus, cuidam militi Archiepiscopi partem pretiosæ vestis furtive voluit detruncare : qui statim captus est a milite. Quo audito, Procurator civitatis eumdem per manus exceptum, liberum abire fecit, nulla tamen seditione commota. Clerici autem, audito hujusmodi rumore, captum fuisse puerum quem tamen jam dimissum scirent, campanas compulsare, cives nutibus et probrosis adhortationibus ad seditionem excitare, vel potius compellere non timuerunt. Sed Rex jam finito prandio ad ecclesiam de palatio descendit, et Vesperas audire cœpit. Interim plebs furens, sanguinem Regis et reliquorum sitiens, ipsam ecclesiam et palatium irrumpere nititur : sed a Militibus Regis compescitur, licet inermibus : nam

in diebus Quadragesimæ consuetudo erat sine armis procedere; sed et ipsa, si quæ habebant per civitatem in hospitiis dimissa, præ seditione civium acquirere non poterant. Finitis autem Vesperis, Rex cum Archiepiscopo et reliquis Principibus, in palatium de ecclesia regressus, cum populum furentem ab incepto nolle desistere, sed eos ipsam Quadragesimam diem Dominicam, cœmeterium ecclesiæ, imo ipsam eorum matricem ecclesiam furibunda seditione profanare, sicque cum multiplici sacrilegio in mortem suam, Episcoporum, suorumque omnium, nihil ab ipsis injuriatos, conspirasse vidisset, gladio accinctus, eorum insaniam compescere deliberavit. Sed Principes ejus, eum contra regium morem procedere non permiserunt. Ipsi autem ex præcepto ejus, mutuatis undecumque poterant armis, primum quidem ad supplicandum Deo ecclesiam ingressi, deinde Kyrie eleison in altum concinentes, per portam, quæ magis impugnabatur, exsiliunt de ecclesia. Qui statim, licet paucissimi, maximam multitudinem hostium adeo in fugam verterunt, ut quidam eorum etiam se in Rhenum morituri præcipitarent; licet regii Milites parum eos ultra cœmeterium ecclesiæ inesquerentur.

CAPUT XI.

Gregorius Legatos, ad schisma imperii ex compromisso tollendum, in Germaniam dirigit.

88. Anno ab Incarnatione Domini 1078. Indictione prima, cum uterque Rex, Henricus videlicet et Rudolphus, ab Apostolica Sede adjutorium requireret; Gregorius Papa septimus, generali Synodo præsidens, decrevit: « Quoniam iis et perturbatio Regni, in maximum sanctæ Ecclesiæ periculum et detrimentum quotidie redundare cernitur, placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione quam etiam scientia pollentes Nuntii, et latere Sedis Apostolicæ ad partes illas mittantur, qui omnes religiosos et justitiæ amatores, in Teutonici Regni partibus commorantes, Clericalis et Laicalis ordinis viros, et ad hoc opus idoneos, convocent; cum quibus (Domini gratia præeunte) aut finem et pacem juste componant; aut veritate percognita, cui parti justitia magis faveat, ad plenum addiscere valeant; quatenus pars injusta desistat, et Apostolica auctoritate munita justitia, vigoris et auctoritatis robur obtineat. Verum quoniam nonnullos, diabolico instinctu collectos, tyrannidis suæ facibus accensos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes, fore non ignoramus; statuimus ut nulla unquam persona alicujus potentiæ, sive Rex aut Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, sive Miles, aliqua præsumptione temerariove ausu, fraude dolove, seu aliqua perturbatione, Legatis nostris obsistere et contraire, ne justitiam et finem componant, pertentet. Quicumque autem temerario ausu (quod non optamus (hujus nostræ constitutionis violator exstiterit, Legatisque nostris prænominatis, ad hanc pacem componendam euntibus, fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, et non solum in spiritu, verum etiam et in corpore, et omni prosperitate hujus vitæ, Apostolica potestate innodamus, et victoriam ejus in armis auferimus: ut sic saltem confundatur, et duplici confusione et contritione conteratur. Actum Romæ in Ecclesia Domini Salvatoris, 5 Nonas Martii, Indictione prima. »

89. (85) « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Clericis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque majoribus atque minoribus in Teutonico Regno constitutis, exceptis his qui Canonica excommunicatione tenentur, salutem et Apostolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, Fratres carissimi, quod in ea Synodo, quam nuper Romæ celebravimus; » etc. *Vide inter epistolas S. Gregorii, infra.*

90. (86) « Gregorius, Episcopus, servus servorum Dei; Udoni (87), Trevirensi Archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta nobis sollicitudo quantaque tristitia sit de perturbatione, imo de dissidio regni vestri, olim clarissimi et potentissimi, » etc. *Vide ubi supra.*

91. Anno ab Incarnatione Domini 1078, Pontificatus vero Domini Gregorii septimi Papæ sexto, decimo tertio Kalendas Decembris, Indictione secunda, congregata est Synodus Romæ in ecclesia, S. Salvatoris, in qua juraverunt legati Henrici et Rudolphi, quisque pro Domino suo, quod nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ, in Teutonico Regno habendun, impedient.

92. Anno ab Incarnatione Domini 1079. Mense Februario, Indictione 2, Pontificatus vero Domini Gregorii septimi Papæ VII, Legati Regis Rudolphi super Henricum proclamaverunt, quod nulli loco nullique personæ parcens, regionem transalpinam contereret et conculcaret, neminem debitus honor vel reverentia tueretur, et ceu vilia mancipia non modo Sacerdotes, sed etiam Episcopi et Archiepiscopi caperentur, vinculisque manciparentur, partimque jam trucidarentur. Decreverunt ergo quam plures Concilii, in illum tyrannidem gladium Apostolicum debere evaginari : sed distulit Apostolica mansuetudo, simul et illud attendens, quod (88) Pe-

(85) Est hæc Epistola 15 libri 5.

(86) *Udo Trevirensi Ecclesiæ* præfuit ab an. 1068 usque ad annum 1077. Ejus res gestas refert Browerus lib. XII Annalium Trevirensium, ubi docet ipsum a Schismate Henrici IV defecisse, et alios Schismaticos Episcopos ad saniora consilia retraxisse.

(87) Est hæc Epistola 16 lib. V. Ad eumdem quoque sunt Epistola 81 libri primi, et Epistola 10 libri 2, tum 12, libri III. ad Udonem simul et Theodoricum Virdunensem, et Hermannum Metensem, demum alia 7. libri 5. ad ipsum et Suffraganeos.

(88) De *B. Petro Igneo* et S. *Altmanno* supra fuit actum.

tro Albanensi et Altmanno Battaviensi Episcopis de eodem negotio scribens, inter cetera dicit : Sic vos utrique parti communes, et ab omni suspicionis nævo, quantum in vobis est, cum divinæ gratiæ adjutorio exhibete immunes, ut justitiæ semper, et nullo modo partibus faveatis, sicut habetis formam nostram : qui videlicet, postquam judicium tanti hujus negotii in manu B. Petri commissum est, nihil aliud testibus vobis intendimus, nisi ut per justitiæ semitam incedamus. Ad nullam partem sinceritatem Apostolicæ discretionis inflеximus, nullis promissionibus aut terroribus cessimus, nec aliud umquam, Deo protegente, acturos nos esse confidimus.

93. Porro legati Henrici Regis, qui prædictæ querelæ super eumdem prolatæ præsto fuerunt, secundum hunc tenorem juraverunt : « Legati Domini mei Henrici Regis ad vos venient infra terminum Ascensionis Domini, exceptis legitimis (89) sonnis, id est morte vel gravi infirmitate, vel captione absque dolo, qui legatos Romanæ Sedis secure ducent et reducent; et Dominus Rex obediens illis erit in omnibus secundum justitiam et judicium illorum : et hæc omnia servabit absque dolo, nisi quantum ex vestra jussione remanserit. Et hoc juramus ex præcepto Domini nostri Regis Henrici. Itidem legati Rudolphi Regis juraverunt, quod sequitur : Si colloquium ex præcepto vestro constitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco et tempore a vobis definito, ante præsentiam vestram vel Legatorum vestrorum, Dominus noster Rex Rudolphus vel ipse veniet, vel Episcopos et fideles suos mittet; paratusque erit judicium, quod sancta Romana Ecclesia decreverit, de causa Regni subire; nulloque malo ingenio Conventum, a vobis sive a vestris Legatis constitutum impediret : et postquam certum inde vestrum Nuntium videbit, de pace statuenda in Regno confirmanda studebit, ut legatio vestra pervenire ad Regni pacem et concordiam possit. Hæc omnia observabuntur, in quantum ex vestra licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet morte vel gravi infirmitate vel captione, sine dolo. »

94. Posthæc rursus exiit edictum Apostolicæ benignitatis, quod idcirco ex abundanti ponimus, ut clarescat et sapientibus et insipientibus, principem fuisse Gregorium nostrum in illa beatitudine, de qua Dominus dicit : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v, 9) (90). « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Archiepiscopis et Episcopis, in Teutonico atque in Saxonico Regno commanentibus, cunctis etiam majoribus atque minoribus, qui non sunt excommunicati et obedire voluerunt, salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam ex lite et dissensione, quæ tamdiu inter vos est, » etc. *Vide inter epistolas, infra.*

CAPUT XII.

Promulgata depositione Henrici et electione Rudolfi, pie moritur Gregorius.

95. Anno ab Incarnatione Domini 1080, Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ septimi anno 7. Indictione tertia, celebravit ipse Papa Synodum Romæ, ubi interfuerunt Archiepiscopi et Episcopi diversarum Urbium, nec non Abbatum, ac diversorum Ordinum Clericorum et Laicorum innumerabilis multitudo. Supervenerunt autem et Legati Rudolphi Regis et Principum Regni Teutonici, et hujusmodi querimoniam protulerunt super tyrannidem Henrici : « Nos, ex legatione Domini nostri Regis Rudolphi et Principum ejus, conquerimur Deo et S. Petro, vestræque Paternitati et cuncto huic sanctissimo Concilio, quod ille Henricus, quem vos Apostolica auctoritate deposuistis a Regno, id ipsum Regnum contra vestrum interdictum tyrannice invasit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devastavit : Archiepiscopos, Episcopos de Episcopatibus suis impia crudelitate expulit, et eorum Episcopatus suis fautoribus in benificia distribuit. Per cujus etiam tyrannidem piæ memoriæ (91) Weinharius Magdeburgensis Archiepiscopus occisus est : Adalbertus Wormatiensis Episcopus adhuc ab eo contra Sedis Apostolicæ præceptum in captione cruciatur (92) : multa hominum millia ejus factione sunt occisa; quam plures ecclesiæ, ablatis Reliquiis, incensæ ac penitus destructæ. Innumerabilia quidem facinora sunt, quæ idem Henricus in Principes nostros perpetravit : eo quod sibi contra Sedis Apostolicæ decretum ut Regi obedire noluerunt : et colloquium, quod vos pro inquirenda justitia et pace componenda fieri decrevistis, ex culpa Henrici et fautorum ejus remansit. Quapropter vestram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, imo sanctæ Dei Ecclesiæ decretam sacrilegio pervasori Ecclesiarum justitiam faciatis. » His et talibus excitatus viri Dei spiritus, sentiens et imminere diem quem sibi in visione Beata Dei Genitrix, ad proferendam damnationis sententiam in eumdem adversarium Ecclesiæ designaverat, et, ne ultra differret, præcipiendo interminaverat, gravi cum dolore et gemitu parturivit, et auscultante atque aspirante Concilio, tandem in hæc verba prorupit.

96. (93) « B. Petre Princeps Apostolorum, et tu B.

(89) In nostro Ms. *excepta matrice vi.* Est autem *Sonna, Sunnis, Sunnia* apud Cangium in Glossario, Causa, quam quis prætendit, quo minus juri audiendo se sistat : de cujus vocis ambigua etymologia, multa vir ille eruditissimus, quæ apud eum legi possunt.

(90) Extat etiam apud Brunonem de Bello Saxonico tomo I Collectionis Freherianæ pag. 147.

(91) *Werinharius,* sive *Wernerus;* aut *Wecel, cæsus anno* 1078. *die* 7. *Augusti ab Henrico IV. prope fluvium Unstrow, dum partes Romani Pontificis tueretur.* Ita Strenesdorfius in Primate Magdebursensi, *juxta Annales Mss.* Ast in nostris in Annalibus Mss. Anonymi Saxonis dicitur, *in fuga a vulgaribus hominibus occisus.*

(92) *Adelbertus*, post longum exsilium restitutus, obiit anno 1108, die 6 Julii. Ita Bruschius. De restitutione sub sequenti Papa facta infra agitur.

(93) Hæc habentur in Actis Concilii Romani.

Paule Doctor gentium, dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire; quia veritatis estis discipuli et amatores; adjuvare, ut veritatem vobis dicam, omni remota falsitate, quam omnino detestamini; ut Fratres mei melius mihi acquiescant, et sciant et intelligant, quia ex vestra fiducia, post Dominum et matrem ejus semper Virginem Mariam, pravis et iniquis resisto, vestris autem fidelibus auxilium præsto. Vos autem scitis, quia non libenter ad sacrum Ordinem accessi, et invitus ultra montes cum domino Papa (94) Gregorio abii : sed magis invitus cum domino meo Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redii, in qua utcumque vobis deservivi : deinde, valde invitus, cum magno dolore et gemitu et planctu, in throno vestro valde indignus sum collocatus. Hæc ideo dico, quia ego non vos elegi, sed vos me eligistis, et gravissimum pondus vestræ Ecclesiæ super me posuistis. Et quia super montem excelsum me jussistis ascendere, et clamare, et annuntiare populo Dei scelera eorum, et filiis Ecclesiæ peccata eorum; membra diaboli cœperunt contra me insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas injicere. Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt; sæculares et ecclesiastici, aulici et vulgares convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus vos Christos ejus, dicentes : Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum; et, ut me omnino morte vel exsilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere.

97. « Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis Ultramontanis et Italicis conspiratione, annitens, me dejiciendo, eam sibi subjugare. Cujus superbiæ vestra resistit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas : qui confusus et humiliatus, ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quæsivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de vitæ suæ emendatione, solam ei communionem reddidi; non tamen in Regno, a quo eum in Romana Synodo deposueram, instauravi; nec fidelitatem hominum, qui sibi juraverant vel erant juraturi, a qua omne absolvi in eadem Synodo, ut sibi servaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, ut inter eum et Episcopos vel Principes ultramontanos, qui ei causa ussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, justitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus juramento per duos Episcopos mihi promisit. Prædicti autem Episcopi et Principes Ultramontani, audientes illum non servare quod mihi promiserat, quasi desperati ab eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem : A qui Rex Rudolphus, festinanter ad me misso nuntio, indicavit se coactum Regni gubernacula suscepisse, tamen se paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdem sermonem mihi misit : adjiciens etiam, filio meo obside et fidelis sui Bertholdi filio, quod promittebat firmare. Interea Henricus cœpit me præcari, ut illum contra prædictum Rudolphum adjuvarem. Cui respondi me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem cui justitia magis faveret. Ille autem putans suis viribus eum posse devincere, meam contempsit responsionem. Postquam autem persensit se non posse, sicut speravit, agere, duo Episcopi (95), Virdunensis videlicet et (96) Ofenburgensis, de consentaneis suis Romam B venerunt; et in Synodo ex parte Henrici, me ut ei justitiam facerem, rogaverunt; quod et nuntii Rudolphi fieri laudaverunt. Tandem aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem Synodo, in partibus Ultramontanis fieri colloquium, ut illis aut pax statueretur, aut cui plus justitia faveret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos mihi testes estis, Patres et Domini mei, usque hodie nullam partem disposui adjuvare, nisi eam, cui plus justitia faveret. Et quia putabam quia injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia suum locum servaret, excommunicavi, et anathemati alligavi omnes personas, sive Regis sive Ducis aut Episcopi aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ut non fieret.

C 98. « Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus, non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, et seipsum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradidit, et ecclesias fecit dissipari, et totum pene Teutonicorum Regnum desolationi dedit. Quapropter confidens de judicio et misericordia Dei, ejusque piissimæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, prædictum Henricum, quem dicunt Regem, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio et anathematis vinculo alligo, et iterum Regnum Teutonicorum et Italiæ, ex parte omnipotentis Dei et vestra, interdicens ei, omnem dignitatem et potestatem regiam illi tollo; et ut D nullus ei Christianus sicut Regi obediat, interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de Regni dominatione, a juramenti promissione absolvo : ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rudolphus Regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram fidelitatem ex vestra parte dono, largior et concedo, omnibusque sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, veram benedictionem in hac vita et in

(94) Iste est *Gregorius* VI. Cujus iter refert Baronius ad an. 1047.

(95) *Theodoricus* Virdunensis præfuit ab an. 1047 ad an. 1090.

(96) *Bernardus Osnabrugensis Ecclesiæ* præfuit ab an. 1068 ad an. 1086. a Cratepolio plurimum laudatus.

futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus, pro sua superbia et inobedientia et falsitate, a Regni dignitate juste abjicitur; ita Rudolpho pro sua humilitate, obedientia, veritate, potestas et dignitas Regni conceditur.

99. « Agite nunc, quæso, Patres et Principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat quia, si potestis in cœlo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, ducatus, principatus, marchias, comitatus, et omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique et concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia judicatis, quid de sæcularibus vos posse credendnm est? Addiscant nunc Reges et omnes sæculi Principes quanti vos estis, quid potestis, et timeant parvipendere jussionem Ecclesiæ vestræ; et in prædicto Henrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant quia non fortuito, sed vestra potestate cadet et confundetur, utinam ad pœnitentiam, ut spiritus sit salvus in die Domini. Acta Romæ, Nonis Martii, Indictione 3. »

100. Igitur Satanæ traditus infelix Henricus rabidoque dæmonum furori, magis ac magis ad summum iniquitatis conscendit; et legitimum Papam destituere cupiens, auream statuam Simoniacis et Nicolaitis in Romana civitate, quam Babylonem Petrus et Joannes appellant, novus Nabuchodonosor, erexit (97); Guibertum scilicet Ravennatem Episcopum, jam pridem a Gregorio nostro, propter incestum et alia flagitia sua, Synodali sententia damnatum. Proinde gravissima persecutione contra virum Dei commota, Salernum recessit : ibique supernæ medicationis absynthio per corporales ægritudines efficacissime purgatus, divinæ consolationis dulci responso meruit exhilarari, videlicet purgationes istas ei in perpetuum proficere et sufficere; nec ullam castigationem oportere post obitum timere : denique, in signum sempiternæ sospitatis, temporalem incolumitatem recepit, et, quod valde gloriosum videri potest, circa Kalendas Januarii prænosse cœpit dissolutionem corporis sui futuram circa Kalendas Junii. Quibus cum appropinquasset, et ultimi doloris luctam inchoasset, astantibus ei Episcopis et Cardinalibus, eumque pro laboribus sanctæ conversationis et doctrinæ beatificantibus, respondit : Ego, Fratres mei dilectissimi, nullos labores meos alicujus momenti facio; in hoc uno solummodo confidens, quod semper dilexi justitiam, et odio habui iniquitatem. Item, cum anxietatem suam de statu suo post discessum ejus deA plorarent; elevatis pius Pater in cœlum oculis, et eodem porrectis instar ascensionis palmis : Illuc, inquit, ascendam, et obnixis precibus, Deo propitio vos committam.

101. Præterea rogatus ut in tanta fidelium perturbatione, sibi successorem et Ecclesiæ contra prænominatum adulterum designaret ultorem, trium dedit optionem : videlicet Desiderii, Cardinalis et Abbatis cœnobii Cassinensis; atque reverendissimorum Episcoporum, Ottonis Ostiensis, et Hugonis Lugdunensis. Verum quia Otto nondum a Germaniæ et Galliæ partibus redierat, ubi Apostolica legatione functus, venerabilem Gebehardum (98) Constantiensibus Ecclesiæ Præsulem se præsente et favente consecraverat, et alia nonnulla ad stabilimentum B Ecclesiæ pertinentia prudenter (99) ordinaverat (100); Hugo quoque sua lustrans gubernacula procul aberat; interim suasit eligi vicinum Desiderium, licet brevissime victurum, non tamen absque typo victorem esse appellandum. Nam in diebus ejus, qui quatuor aptati sunt mensibus, famosam victoriam dedit Dominus Apostolicæ Sedis propugnatoribus de adversariis ipsius; per quam etiam Cathedram suam diu ab invasoribus detentam recepit Wirzeburgensis Episcopus nomine Adalbero, vir spectabilis natu, honorabilis vultu, et actu, reduces habens venerandos Cœpiscopos prædictum Gebehardum Constantiensem, et Hermannum Metensem, qui et ipsi pro fidelitate Gregorii nostri Sedes suas C amiserant. Prædixerat eidem Desiderio Pater sanctus quod non interfuturus esset migrationi ipsius, quamvis ob hoc infirmitatem invisisset, et cum eo usque in finem perseveraret, et sanctas exequias cum ceteris fidelibus celebraret, multumque eum attonitum tristemque reddiderat. Cumque hæreret in admiratione, quidnam impedimenti futurum esset, subito nuntiatur ei a Normannis facta circumvallatio cujusdam castelli suo monasterio subjecti : et compulsus necessitate succurrendi suis, abeundi licentiam accepit : sicque, licet invitus, explendæ Prophetiæ locum dedit.

102. Interea Pontifex beatus Gregorius super his, quos excommunicarat, requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit : Præterea Henri- D cum Regem dictum, et Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, et omnes illas principales personas quæ aut consilio aut auxilio favent nequitiæ vel impietati illorum, omnes absolvo et benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri et Pauli credunt indubitanter: præter hæc admonens eos de multis, et hoc dedit illis præceptum : Ex parte Dei omnipotentis, atque auctori-

(97) *Guibertus*, ab Henrico Rege creatus Archiepiscopus anno 1072 fuit excommunicatus anno 1078, in Concilio Romano VI, centum fere Episcoporum et aliis, et iterum anno 1080, in Concilio Romano VII.

(98) Fuerat *Constantiæ* summa perturbatio per annos sex, quod Henricus Rex suos Sacellanos Rupertum, dein Bertholdum ad gubernandum Episcopatum miserat : sed iis a Clero non acceptis, *Gebehardus* assumptus fuit.

(99) *Otto* postea creatus est Papa anno 1088, et *Urbanus II* appellatus.

(100) Hic est supra memoratus *Hugo* celebris Episcopus *Diensis*, et Legatus Gregorii VII per Gallias : qui ut majorem haberet auctoritatem, factus est, anno 1080, Archiepiscopus Lugdunensis.

tate Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, præcipio vobis, ut neminem habeatis Romanum Pontificem, nisi canonice electum, et sanctorum Patrum auctoritate electum et ordinatum. Ubi vero in extremo positus erat, ultima verba ejus hæc fuerunt : Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exsilio. Quo contra quidam venerabilis Episcopus respondisse narratur : Non potes, Domine, mori in exsilio, qui in vice Christi et Apostolorum ejus divinitus accepisti gentes hæreditatem, et possessionem terminos terræ. Itaque septiformi gratia plenus septimi Gregorii spiritus, qui mundum et principes ejus arguerat de peccato et de justitia et de judicio, in fortitudine cœlestis cibi nuper accepti cœlestem viam arripiens, meritoque divini zeli, velut igneo curru, instar Eliæ subvectus, (101) Urbani prædecessoris sui, cujus ea die festivitas exstitit, omniumque beatorum lætitiam in cœlesti gloria cum Christo gaudentium excellenter ampliavit; in terris vero peregrinantem Ecclesiam discessu suo non parvo mœrore consternavit. Corpus ejus sepulturæ traditum est apud beatum Matthæum Evangelistam, de cujus nova inventione lætabundus scripserat ante paucos annos Epistolam (102).

CAPUT XIII.

Exempla eorum qui Gregorii decretis obedientes vel inobedientes fuere, divinitus probata vel improbata.

103. Consequenter hic introducendus videtur præcipuus virtutum ejus sectator et heres, beatus (103) Anselmus, Ecclesiæ Lucensis Antistes, qui ante omnia id studii semper habuit, ut imitaretur eum in omnibus, adeo, ut discrepare ab illo prorsus nollet in aliquo : deinde, quid in ipso fuit, illius semper meritis attribuit. Gregorius namque, veluti fons erat; Anselmus quasi rivus fluebat, et arida irrigabat : ille, quasi caput totum corpus gubernabat : iste, ceu manus studiosa, quod injunctum operabatur : ille, sicut sol illuminavit omnia ; iste, velut splendor, declaravit singula. Olim Elias, ex mortalium cohabitatione transiturus, dimisit Elisæo pallium suum, Prophetici muneris instrumentum : similiter et Gregorius, ex hac mortali vita migraturus, transmisit Anselmo Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui ; hoc nimirum Deo cooperante, ut, sicut ille Prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam, ita et iste Sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eo, usque processit similitudo, ut, sicut Elisæus per pallium Eliæ per virtutum signa demonstraverat, ita et Anselmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut ne pluribus unum magis divulgatum proferamus, reverendus Mantuanæ Præsul Ecclesiæ Ubaldus (104), multis jam annis gravissime spleneticus, et toto corpore ulceratus præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere vel sedere : qui et multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat; apposita eadem mitra ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati. Liber ejusdem Anselmi de Psalmorum tractatibus paucas sententias excipere ; et quam pium affectum erga sanctitatem magistri sui Gregorii habuerit, evidentius ostendere. Sic ergo loquitur in tractatu secundi Psalmi : « Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus. » Reges terræ, membra videlicet ejus qui regna super omnes filios superbiæ, non solum venerunt, sed et astiterunt, et exercitu suo Romanam Ecclesiam obsederunt ; et principes Sacerdotum conspirantem convenerunt in unum, contra sanctum Petrum, et contra Vicarium ejus Gregorium, imo ipsum qui dixit : « Qui vos tangit me tangit; qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x); crucifigunt iterum Filium Dei. » Constat etenim, quia caput nostrum in membris suis patitur, in membris infirmatur; sicut ipse Beato Petro dixit : « Vado iterum Romam crucifigi. » Nonne tibi videntur Principes Sacerdotum in domo Pilati colligere concilium ut Christum morti tradant, cum tot falsos testes contra summum Pontificem Henricus adornavit, cum omnes clamant : Reus est mortis? Nonne iterum Barrabas eligitur, et Christus sub Pilato morti addicitur, cum Ravennas Guibertus eligitur et Papa Gregorius reprobatur? Sic vivere latronem petunt, qui lege damnatur, et justum damnant, per quem omnes salvantur. Nonne tibi videtur iterum Pilatus manus suas lavisse, et dixisse : Mundus ego sum a sanguine hujus, nullam in eo causam invenio ; quando simulata pœnitentia Henricus adoravit summum Pontificem, deinde falsis Episcopis suis dixit : Secundum legem vestram judicate eum ? Amplius : Dirumpamus vincula eorum, etc. Opprimamus, inquiunt, virum justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Si enim dimiserimus eum sic, venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Item : Si papa Gregorius vixerit, mittet contra nos prædicatores veritatis, qui discutientes vitam et actus nostros, eripient oves Christi de manibus nostris ; et justi diripient spolia nostra, et dimittent Ecclesiam facientibus fructum in ea. Quando vero sanctitatis tractator iste fuerit, partim ex lectione sanctorum gestorum ejus animadvertimus, partim ex relatione religiosorum Fratrum, qui se de longinquo ad sepulchrum ejus per revelationem invitatos venisse, et a gravibus atque diutinis languoribus absque mora liberatos fuisse testati sunt, perpendimus.

104. Nunc operæ pretium arbitramur paucis demonstrare qualiter vel gratia vel ira Dei, nostris, hoc est in Germanicis partibus commendaverit de-

(101) S. *Urbani I, Papæ et Martyris*, cujus Acta jam dedimus.

(102) Est hæc Epistola 8 libri VIII, ad Alphanum Episcopum Salernitanum.

(103) S. *Anselmi* episcopi Lucensis Vitam dedimus 18 Martii.

(104) *Udaldus* creatus anno 1082 Episcopus, ab Henrico rege de sede pulsus.

creta Gregorii nostri contra avaritiam et luxuriam Simonis et Nicolai; quatenus et justi vigilantiores fiant, ad cavendum interdictæ communionis piaculum; et operarii iniquitatis formidolosiores effecti, summis pœnitentiæ conatibus enitantur ad evadendum suæ prævaricationis supplicium. Nam ad sepulcrum ejus cœlitus facta, vel quæ fieri dicunt, religiosiores quique Romani; nos illis, qui viciniores sunt, percensenda reservamus; quibus et personæ facilius innotescunt, in quibus vel facta vel fiunt. Ut ergo contra primam in Ecclesia Simonis pestem primum ponamus exemplum, reverendissimus Hirsaugiensis cœnobii Pater (105) Willelmus, cujus religionem scripta quoque Gregorii nostri venerabiliter acceptant, inter multos, qui specialem ejus medicinam expetebant, recepit quemdam Presbyterum, Simoniacæ pravitatis lepra maculosum, humilitatis antidoto curandum. Sed eheu! vim faciente monachorum importunitate, quorum pessima consuetudo est de sacris Canonibus aut parum aut nihil curare, non compescuit eum ad illicita immaculati Agni immolatione. Unde contigit ut ipse Salvator horrenda eum visione deterreret, cum forte post inchoatam Missam catechumenorum in proprio (stallo) resideret. Oppresso namque sopore apparuit, scissis vestibus, aspectu quasi leprosus; eique stupenti et admiranti, quem respiceret causa hujuscemodi apparitionis: Taliter, inquit, tu me tractasti: qui cum, te Simoniacum non nescires, ad conficienda Sacramenta Corporis et Sanguinis mei nihilominus accedere præsumpsisti. Inter hæc, urgente hora surgendi ad lectionem Evangelii, multi Fratrum innuerunt ut excitaretur; sed prædictus Abbas altiori consideratione renuit, ne revelatio, si qua esset, impediretur: animadvertit enim non otiosum esse tam profundum illius temporis et loci soporem. Itaque ventum est ad Missam Sacramentorum, et tunc necessario expergefactus, celebrandi causa mysterii, manifestavit gravedinem et impossibilitatem suam, acceptoque protinus ejusdem Missæ vicario, ex tunc in reliquum penitus cessavit a Sacerdotali officio.

105. Abhinc proferenda sunt exempla contra Nicolaitas, et eorum communicatores valentia. Felicis namque memoriæ Virgo Herluca, cui familiares erant visiones et revelationes Domini cum infirmitatibus Apostoli, fideli relatu nobis insinuavit quod ipsa vice quadam, dum solitaria resedisset in cellula sua, subito viderat Dominum Jesum ad se introire, comitante beato Wicterpo (106) Augustensis Ecclesiæ quondam Præsule; habitoque paulisper silentio subsistere, et vulnera tantum sua cruore manantia offendere. Cumque horripilasset a timore visionis insolitæ, affatus est eam Episcopus ita dicens: Abhorresne, Soror, a cruenta specie Salvatoris? Ait: Etiam, Domine. Vis eum, inquit, taliter

A ulterius non videre? Respondit: Volo. Noli, inquit, ergo amodo Richardi Presbyteri Missas audire, qui debitam tanto officio castimoniam non vult custodire. Sic enim vocabatur Presbyter, qui illi ecclesiæ indignus præerat, juxta quam Virgo Deo dedita manebat. Et ex tunc eum publica visitatione confutatum, et exemplo suo plebem, ut idem faceret, animavit.

106. Illa quoque (107) visio non indigna commemoratione videtur; qua dilectus Deo et hominibus, benedictæ memoriæ Adalbertus monachus, et ipse contumelias et terrores ab adversariis Gregorii nostri propter obedientiam decretorum ejus passus, eamdem Herlucam vidisse referebat de quodam Nicolaita, qui carnalibus desideriis inserviens ecclesiam B illam contaminaverat, quæ est in loco qui dicitur Rota. In illa namque confinia, hoc est in confinio Noricorum et Alamannorum quos Lycus fluvius disterminat, non procul destinabat mansiones ejusdem venerandi senis et beatæ Virginis, multumque se invicem in Christo diligebant, quia excellentem Dei gratiam in se mutuo recognoscebant. Ita ergo dilectus de dilecta narrabat. Beata Herluca inter socias virgines et viduas quadam die ex more sedebat, et operi manuum juxta consuetudinem suam diligenter incumbebat; cum ecce subito per fenestram prospiciens, miserabiliter lamentari cœpit et vociferari, dicens: Væ, væ! Melius homini illi erat, si natus non fuisset. Cumque nimis attonita quædam illustris femina, nomine C Hadewiga, interrogasset eam quidnam vidisset, unde tantum commota fuisset? Mortuus est, inquit, infelix Presbyter illud de Rota, et anima ejus ab angelis Sathanæ sublata portatur ad inferna: vidi enim eos prætereuntes cum insultatione, et animam comitantem cum ejulatione. Illa optante hoc verum non esse, Mittatur, inquit, qui veritatem inquirat. Missus nuntius familiam lugentem invenit; et eadem hora comperit mortuum, qua beata Virgo spiritum ejus viderat a malignis spiritibus asportatum.

107. Interea super ipsas quoque uxores seu concubinas Nicolaitarum terribiliter desæviit divina ultio. Nam quædam illarum, in reprobum sensum traditæ, semetipsas incendio tradiderunt: aliquæ dum sanæ cubitum issent, mortuæ repertæ sunt in D matutino, absque ullo præeuntis infirmitatis indicio: aliquarum etiam corpora, post evulsas animas, maligni spiritus rapientes, et in sua latibula reponentes, humana sepultura privarentur. Porro incestuosis Missarum celebratoribus ita se manifestavit aliquoties ira Dei; quod, dum jam jamque communicare vellent, turbo vehemens irruit, calicemque subvertens Sanguinem effudit, Panem vero sanctum humanæ inventionis mirabiliter abripuit. Qualis vero Presbyter ille fuerit, qui sæpe dicti semperque dicendi Gregorii nostri casulam,

(105) *Wilhelmus* anno 1091, die 5 Julii mortuus, plurimum laudatur a Bertoldo Constantiensi, et a Trithemio in Chronico Hirsaugiensi.

(106) Vitas *S. Wicterpi episcopi et B. Herlucæ virginis* dedimus 18 Aprilis, et postremam quidem auctore eodem Paulo Bernriedensi: ubi n. 22 meminis hujus historiæ, a se in hac Vita descriptæ.

(107) Hæc visio ibidem repetitur n. 24.

sibi in pignore positam, tempore II (108) Gelasii Papæ ad Missam semel induere præsumpsit, non satis investigavimus : sed hoc pro certo, Romanorum relatu, didicimus, quod illico scabiosus effectus, vix per dignos pœnitentiæ fructus evasit.

108. Quanta vero gratia Dei subsecuta sit obedientes Gregorianæ institutioni, ostendit Religio quadrata, per Apostolicam Gregorii nostri (109) benedictionem venerabiliter in his regionibus inchoata et feliciter multiplicata, videlicet attonsorum Christi servorum, eisque fideliter servientium Fratrum (110) barbatorum; Virginum singulari devotione jugiter inclusarum, itemque Virginum regulari moderatione introitus et exitus suos custodientium. Sane quadraturæ hujus sive quadrigæ quatuor præcipui rectores fuere ; videlicet Canonicæ vitæ renovator eximius Altmannus Episcopus de Patavia, et beatæ recordationis (111) Odalricus Prior de Cluniaco, venerandi Patres Wilhelmus de Hirsaugia, et Sigefridus de Sancti-Salvatoris Cella (112).

109. Verum quia Cluniaci mentionem modo repetivimus, ad commonitionem cœnobiis Præsidentium, libet ad memoriam revocare duas visiones, inibi Gregorio nostro factas; ut qui verbo et exemplo ejus hactenus profecerunt, amodo nihilominus et harum visionum contemplatione proficiant. Igitur cum adhuc Legatus apostolicus quadam vice Cluniacum venisset, et (113) Abbati Fratrum Capitulo præsidenti assedisset, sublevatus spiritu videre cæpit medium Jesum, modo se placide acclinantem eidem Abbati, recte judicanti; modo indignanter avertentem, cum forte minus invigilaret rectitudini : qui, postquam finito Capitulo eidem Patri secreto referebat, non parum cautionis in reliquum suggerebat. Item, cum divina revelatione præmonitus ex apostolica auctoritate præcepisset ut omnes qui ibidem vel homicidiæ, vel adulteri vel quolibet modo criminosi exstitissent, ab altaris officio secundum scita canonum cessare deberent, et iidem protinus pavida confessione declarati fuissent, narrabat prædictus abbas, se in somnis eosdem velut ab angelo decollatos vidisse.

110. In calce libri commemorare delectat plenæ dilectionis bigam, martyrii cruore perfusam : Burchardum videlicet Halberstatensem, et Theodomarum Juvavensem episcopos, Gregoriani dogmatis assertores efficacissimos. Horum namque Burchardus, Annoni Coloniensi et Werenhario Magdeburgensi reverendissimis archiepiscopis sanguine et religione proximus, postquam gravissimum Henricianæ persecutionis pondus laudabili constantia diu sustentaverat, tandem appropinquante supernæ retributionis die, videt sibi in visu noctis beatum Blasium martyrem ac pontificem assistere, et beatæ passionis socialem gloriam repromittere. Itaque furiosæ schismaticorum plebis (114) horribili circumdatione

(108) *Gelasius II*, creatus anno 1118, præfuit uno solum anno.

(109) Confirmatur hoc ex epistola ejus 24 libri VII, ad dictum *Wilhelmum abbatem Hirsaugiensem*, in qua approbat quod curam monasterii S. Salvatoris susceperit : et Trithemius de dicto Wilhelmo ait : *Ipse namque est, qui Ordinem nostrum in omnibus pene Teuthonici regni Provinciis reformare studuit.* Vocatur autem *Religio quadrata*, Ordo ex quatuor generibus, id est duplici utriusque sexus gradu, constitutus. Plura vide apud jam citatum Trithemium.

(110) Id est *Conversorum*, quorum usum idem Wilhelmus vel instituisse, vel abolitum renovasse dicitur a Trithemio : nam clericis barbas radentibus, ipsi illas alebant causa distinctionis. Hos porro Germanus quidam Poetaster in Chronico Laurisheimensi tomo I ill. scriptor. Germ. in Satyra quadam ad Henricum V, sic explodit :

Nunc quoque Barbati, qui sunt, attentius audi.
Sunt ergo Laici Miliensibus

(ita monachos Hirsaugienses scurræ iste appellare videtur propterea quod pane ex milio communiter vescerentur).

Sunt, inquit, Laici Miliensibus associati,
Quos risus populi dedit hoc agomine fungi
Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis
Deformes .. facie austera et tonsi caput alte.
Cautius ancisis certoque tenore capillis :

id est non prolixis, haud tamen ad cutem tonsis, sicut illis quos ex re noster Paulus *Attonsos*, vocat, quosque idem Poetaster sic subsannat, tenui duntaxat capillorum brevium linea caput in modum coronæ cinctos.

Hic per tonsuras grandes, grandesque cucullos,
Per capvt abrasi, terra tenus et manicati.

Cæterum insignem utrorumque in monasteriis prælaudatis virtutem, dignior audiri Bertholdus, in Chronico ad annum 1083, sic describit : *Eodem tempore in regno Teutonicorum tria monasteria cum suis cellulis, regularibus disciplinis instituta, egregie pollebant : quippe cœnobium S. Blasii in Nigra-silva; et S. Aurelii, quod Hirsaugia dicitur, et S. Salvatoris, quod Schafhusen dicitur, id est, navium domus. Ad quæ monasteria mirabilis multitudo nobilium et prudentium virorum hac tempestate in brevi confugit, et depositis armis, evangelicam perfectionem sub regulari disciplina exequi proposuit; tanto inquam numero, ut ipsa monasteriorum ædicfiia necessario ampliarint : eo quod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque monasteriis nec ipsa exteriora officia per seculares, sed per religiosos Fratres administrantur ; et quanto nobiliores erant in seculo, tanto se contemptibilioribus officiis occupari desiderant ; ut, qui quondam erant comites et marchiones in seculo, nunc in coquina et pristino Fratribus servire, et porcos eorum in campo pascere, pro summis computent deliciis. Ibi nempe et porcarii, et bubulci, præter habitum, iidem sunt qui monachi. Tanto autem caritatis ardore omnes fervent, ut quilibet eorum, non tam suum, quam alienum desideret profectum; et in exhibenda hospitalitate insudant tam mirabiliter, ac si se perdidisse æstiment quidquid pauperibus Christi et hospitibus non erogaverint.*

(111) In Vita B. Herlucæ n. 42, appellatur *Udalricus, Cluniacensis attinentiæ apud Suevos præpositus.*

(112) *In villa Scaphusen et diœcesi Constantiensi* : ut dicitur in citata Gregorii epistola 24 libri VII.

(113) Is est S. *Hugo* abbas, in cujus Vita auctore Raynaldo abbate idem refertur, 29 Aprilis, pag. 649, nu. 4, et in alia Vita pag. 656, n. 3.

(114) Bertoldus Fista habet ad annum 1088 : *In Saxonia piæ memoriæ Burchardus Halverstatensis episcopus, in causa S. Petri firmissimus, heu! occiditur..... Migravit autem ad Dominum 8 Idus Aprilis*; uti tunc inter prætermissos diximus, et ad hunc diem rejecimus, si forte de ejus veneratione ecclesiastica possemus aliquid intelligere.

apud Goslariam coarctatus, et letaliter vulneratus, quamdiu supervixit cum admirabili alacritate præsentes admonuit ut sibi et ab hæreticorum contagio caverent, et in obedientia Catholici pontificis permanerent. Denique inter verba sanctæ exhortationis et orationis spiritum emittens, sepultus est in Memoria apostolorum Petri et Pauli, quam ipse a fundamento construxerat et dedicaverat.

111. Porro (115) Theodomarus, naturæ præstantia et totius humilitatis et honestatis artificio præclarus, crebra fugiendi necessitate a Guibertinis et Henricianis tribulatus, et longa demum captione maceratus; postquam se vidit in suis terminis non posse fructificare, statuit Hierosolymam transmeare; atque inter eundum a paganis interceptus, et pro inexpugnabili confessione nominis Christi membratim intercisus, supernam Hierusalem victor gloriosus intravit. Hic ordinaverat nostræ humilitatis ordinatorem, reverendissimum scilicet Udalricum Lauriacensem sive Pataviensem episcopum (116), atque apostolicæ sedis legatum, qui ante hoc (117) septennium, post multos agones, pro assertione Gregoriani dogmatis, cujus ad normam et electus et promotus fuerat, legitime decertatos, obdormivit in Domino, anno ætatis suæ centesimo quinto, neminem, proh dolor! sui similem relinquens inter omnes Germaniarum præsules. Nullum etenim videmus ita compositum moribus, honorabilem vultu, modestum habitu, auctoritate reverendum, semper habentem in gratia sale conditum sermonem, et opportunis undique responsis expeditum, et alias possidentem prærogativas, quas maluimus dissimulare quam concitare inanem invidiam illum exæquare non valentium. Hoc tamen cum pace cunctorum putamus dicendum, quod nihil illius severitate jucundius, nihil erat jucunditate severius; et quod miræ abstinentiæ cum tanta alacritate moderabatur virtutem, ut nullam penitus redoleret ostentationem.

112. Cujus specialis alumna, (118) virgo Deo devota, vidit cœlestes visiones, et accepit donationes, ad commendationem Gregorianæ obedientiæ non ineptas, ideoque silentio minime prætereundas. Dilexerat enim quemdam presbyterum, eo quod caste vixisset, et a tam legitimo pontifice, videlicet Odalrico, sacros Ordines accepisset; ejusque in divinis Officiis, etiam ipso tenore vocis, delectabilem suæ caritatis similitudinem attigisset. Unde contigit ut quadam vice videretur ei sacra mysteria celebrare, dextera divinæ majestatis desuper apparente, et ca-

A nonice signa cum ipso faciente. Verum post excessum divini Præsulis, cum, peccatis exigentibus, posuisset Deus tenebras insipientiæ, et facta esset nox insolentiæ, in ipsa pertransierunt omnes bestiæ silvæ, et catuli leonum rugientes ut raperent et quærerent a Deo escam sibi, videlicet spiritus maligni: et, quod miserabile dictu est, sacerdotem istum, eatenus integrum, morsu luxuriæ corruperunt: quod præfatæ Virgini sic assignatum est. Visus est ei denuo sacris mysteriis insistere, dextera quidem Domini nihilominus apparente; sed veluti languida dependente, ac nihil penitus conficiente. Et hæc quidem divinitus ostensa sunt Virgini.

113. Cæterum aliquoties, cum incontinentium B sacerdotum officia, juxta Gregorianam prohibitionem, corporaliter declinaret; ac per fidem et orationem illis intenderet, quibus corporalem præsentiam exhibere non potuit; mira Salvatoris largitate ejusdem suavitatis gustum sentire cœpit in ore, quem interdum, realiter communicando Catholicis, se gratulabatur sensisse ex manifesta sacramentorum perceptione. Diligebat autem hanc Virginem præ cæteris virginibus beatæ recordationis antistes Odalricus, non magis propter suam indolem bonam, quam propter honorabilem sanctæ matris viduitatem, et materterarum ejus (quæ omnes illam maxime erudiebant) laudabilem virginitatem. De matre, cui nomen Helisæa, (119) breviter adjiciendum, quod in fervente obedientia Gregorii nostri multis virtutibus C et prophetiæ spiritu præpollens, cum ad momentum transitus sui de hoc mundo, benignis spiritibus se invisentibus, opportunam solitudinem, procurasset, et in eorum glorioso præsidio ad Christum migrasset; e vestigio revertentes, quæ discesserant sorores, invenerunt eam, ad similitudinem Pauli primi eremitæ, manibus ad Dominum expansis, instar supplicantis; quo nimirum pius Conditor in defuncta ostenderet, quam devote sibi dum viveret supplicasset.

114. Hæc nobis scribentibus forte superlata est narratio duorum miraculorum Salerni cœlitus patratorum, unum mox ut eodem beatus Gregorius recensisset. Nam cum primitus illic prædicare cœpisset, astans quidam rusticus maligna (mente) cœpit D intra se taliter dicere: En, auctor præliorum et seditionum, postquam totum commovit orbem, hanc inquietare venit urbem. His ita cogitatis, cum etiam proloqui voluit, mutum se factum doluit. Cum vero necessitate compulsus accessit ad hominem

(115) S. *Theodomarus* sive *Diethmarus*, et potius *Thiemo*, archiepiscopus 29 Salisburgensis, seu Juvavensis, factus circa 1088, et cum Bavarorum duce Welfone profectus in subsidium Christianorum, in Palestina rem Christianam, recepta Hierosolyma, restaurantium, incidit in manus Saracenorum; a quibus martyrio affectus est anno 1101, die 28 Septembris, quando ejus Acta erunt illustranda, quæ extant tomo IV Antiquarum lectionum Canisii, et in metropoli Salisburgensi Hundii a Gewoldo edita pag. 58, et seq.

(116) *Udalricus*, successor S. Altmanni anno 1091, in dicta Metropoli dicitur obisse anno 1124.

(117) Ergo circa annum 1131, hæc scripsit auctor.

(118) Gretserus opinatur intelligi *B. Herlucam*: sed malim intelligere aliam aliquam, dum hæc scriberentur adhuc viventem, ideoque non nominatam: alioqui non prætermisisset postea auctor in Vita Herlucæ meminisse matris et materterarum, de quibus infra, tanta sanctitate spectabilium.

(119) Idem Gretserus, non illius virginis, sed ipsius episcopi matrem hanc fuisse credidit; in quo putamus hallucinatum.

Dei, provolutusque pedibus ipsius, quibus signis potuit, peccasse se pœnitere innotuit; ipso miserente et benedicente recepit loquelam, omnipotenti Deo famuloque ejus gratias relaturus. Postquam vero defunctus et sepultus est, nocturno silentio subintroierunt fures, aperire sepulcrum volentes propter A induvias pontificales. Verum tantæ vehementiæ ventus obvius eis fuit, ut cunctæ lampades, quæ in crypta B. Matthæi ardebant, exstinguerentur; et ipsi cadentes in amentiam tam diu jacerent, quousque cleri populique spectaculum fierent.

ACTA PONTIFICALIA.

I.

EX CHRONICO BERTOLDI CONSTANTIENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Acta sancti Gregorii usque ad annum 1083.

Anno 1056. Victor papa, misso Hildebrando tunc archidiacono, sed postea apostolico, (120) synodum Turonis generalem collegit : in qua Berengarius, Andegavensis ecclesiæ canonicus, a quo Beringariana hæresis denominatur, synodaliter et præsentialiter pro eadem hæresi examinatur. Qui cum se defendere non posset, hæresin suam coram omnibus anathematizavit et abjuravit, secundum formam, quam sancta et universalis synodus Ephesina præscripsit.

2. Anno 1061. Anselmus episcopus Lucensis papa ordinatus, et Alexander vocatus, (121) satis strenue Simoniacam hæresim destruxit, et ministris altaris cum conjugibus coire juxta canonum statuta cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos clericorum incontinentium officia audire per bannum prohibuit : sicque clericorum incontinentiam satis prudenter refrenavit. Hujus autem constitutionis maxime fuit auctor Hildebrandus, tunc Romanæ ecclesiæ archidiaconus, hæreticis maxime infestus.

3. Anno 1073. Romæ Alexander Papa decessit : pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, communi omnium consilio expetitur Papa constituendus. Quo audito ipse Archidiaconus, se viribus esse imparem tanto honori, imo oneri, reputans, inducias respondendi petiit : et sic fuga elapsus, aliquot dies ad Vincula S. Petri occultatus latuit. Sed tandem vix inventus, et ad Apostolicam Sedem vi perductus, Papa centesimus quinquagesimus nonus septimo Kalendas Maii ordinatur, et Gregorius VII appellatur : cujus prudentia non solum in Italia, sed etiam in Teutonicis partibus, refrænata est Sacerdotum incontinentia : scilicet quod prædecessor ejus in Italia prohibuit, hoc ipse in tota Ecclesia Catholica prohibere studuit.

B 4. Anno 1074. Legati Sedis Apostolicæ in Alemanniam ad Regem venere, pro ipsius Regis moribus corrigendis : in quorum manus se Rex ipse correctionis sponsione commisit, suumque auxilium Domino Apostolico ad deponendos Simoniacos firmissime promisit. Ipsi etiam Regis Consiliarii omnes res Ecclesiarum injuste acquisitas se reddituros, coram ejusdem Legatis sub sacramento promisere, quippe qui easdem res a Simoniacis emerint, concilio suo eisdem indignos ad Ecclesiasticum honorem adjuvando. His ita dispositis, Legati Sedis Apostolicæ redierunt.

5. Anno 1075. Hermannus Babenbergensis Episcopus, a Clericis suis pro Simoniaca hæresi accusatus, a Papa deponitur : cui Rudbertus substituitur. C Gregorius Papa in prima hebdomade Quadragesimæ Synodum Romæ collegit : in qua causam Episcopi Spirensis, sed Simoniaci, examinavit : qui ipsa die cum examinaretur causa Romæ, id est, 6 Kalendas Martii, infirmatus est Spiræ; sed deinde 4 Kalendas Martii, miserabiliter expiravit, quando et a Gregorio Papa definitam suæ damnationis sententiam in Romana Synodo excepit. In eadem Synodo decretum est a Gregorio Papa, ut Clerici, aliquem sacrorum Ordinum gradum et officium pretio adepti, deinceps in Ecclesia non ministrent, nec Ecclesiam pretio acquisitam aliquis retineat, nec deinceps alicui Ecclesiam vendere et emere liceat. Deinde ut a Clericali officio cessent, quicumque se D per incontinentiam reprehensibiles exhibent. Item ut populus Clericorum officia nullatenus recipiat, quos prædictas Apostolicas institutiones contemnere percipiat.

6. Anno 1076. Henricus Rex, per Simoniacam hæresim, sanctam Ecclesiam fœdare non cessavit : scilicet pro pretio Episcopatus, Abbatias et alia hujusmodi investiendo, et inter alia crimina etiam excommunicatis communicando. Cincius quidam,

(120) Hujus Synodi meminerunt B. Lanfrancus libro contra Berengarium c. 4. et Guitmundus lib. III, qui etiam Gregorium tunc Archidiaconum fuisse ait.

(121) In Conciliis Romæ habitis anno 1063 et 1065.

Romanus civis, Gregorium Papam, die Nativitatis Domini missarum solennia celebrantem, comprehendit; quem ita comprehensum quidam ex militibus ejusdem Cincii occidere destinavit : sed cum gladium supra caput ejus vibraret, nimio terrore correptus corruit, nec inceptum ictum explere potuit. Cincius autem Papam in turrim suam captum deduxit : quæ postea statim a Romanis penitus dilapidatur, et Papa prudenter eripitur, qui et suo captori vix a Romanis vitam impetravit. Cum autem Rex, jamdudum sæpe a Papa præmonitus, se corrigere nollet, et Papa in admonendo nihil proficeret, ad ultimum mandavit ei quod in Romana Synodo proxima eum excommunicaturus esset, nisi resipisceret : quæ legatio in Octava Nativitatis Domini ad Regem pervenit. Unde Rex, in Septuagesima apud Wormatiam colloquio facto, et alio in Lombardia apud Placentiam, omnes quos potuit obedientiam prædicto Papæ exhibendam abjurare fecit : et missa legatione ad Romanam Synodum, quæ in proxima Quadragesima celebrata est, ipsum Apostolicum ab Apostolica Sede contumaciter jussit descendere. Sed missi ejus turpissime in Synodo tractati, vix a Romanis adjuvante Papa evaserunt. Ipsum autem Regem, Synodo judicante, fidelitate hominum, Regno et communione privavit, et omnes ei ad regnum juratos juramento absolvit. Omnes Episcopos, qui Regi sponte contra Papam faverant, officio et communione privavit : reliquis autem, qui inviti eidem conspirationi intererant, usque ad festivitatem S. Petri inducias dedit.... Wilhelmus Trajectensis Episcopus, multa in Apostolicum conviciatus, subitanea morte absque Ecclesiastica communione, post Pascha mulctatur. Jam omnes pene Principes Regni a communione Henrici se sequestrarant. Mense igitur Octobri colloquium apud Oppenheim a Principibus Regni colligitur, cui Legatio Sedis Apostolicæ interfuit. Ibi Henricus, in Purificatione S. Mariæ tunc proxima se præsentandum Domino Papæ apud Augustam firmissime promisit : nam et illuc Dominum Apostolicum ipse cum Principibus Regni invitavit.

7. Anno 1077, Henricus Rex, propriæ causæ diffidens, et idcirco generalem auctoritatem subterfugiens furtive Italiam contra Papæ præceptum et consilia Principum intravit : et Apostolico, ad condictum diem Augustam tendenti, ante Purificationem S. Mariæ Canusii obviavit : ubi et ab eo per inauditæ humiliationis simulationem, utcumque potuit, non Regni, sed communionis tantum concessionem vix demum extorsit : dato tamen prius sacramento, ut de objectis criminibus ad judicium Papæ satisfaceret; nec Papæ aut alicui ejus fideli usquam eunti et redeunti aliquam inferre molestiam consentiret. Hoc autem juramentum nec quindecim dies observavit, captis venerabilibus Episcopis Geraldo Ostiensi et Anselmo Lucensi. Unde et Papa, missis Legatis, Principibus Regni declaravit se parum profecisse in eo quod illum in communionem receperit, cum Simoniaci et excommunicati non minus tunc foverentur ab eo quam primum. His ergo auditis, Principes Regni, generali Colloquio apud Forcheim tertio Idus Martii habito, egregium Rudolphum Ducem sibi in Regem sublimarunt : quem septimo Kalendas Aprilis, ubi eo anno medium Quadragesimæ occurrit, coronarunt. Maxima autem nix, quæ eo anno tamdiu totam terram obtexit, in electione novi Regis resolvi tandem cœpit. In die autem consecrationis ejus, per suggestionem Simoniacorum Clericorum, maxima seditio Moguntiæ orta est : ita ut etiam palatium irrumpere vellent, et religiosissimos Clericos et Monachos occidere. Sed dextra Dei Milites novi Principis, licet inermes, ita protexit, ut ne unum quidem ex suis perderent ; ex adversariis autem plus quam centum, partim ferro, partim aqua necarentur. Quibus etiam pro homicidiis hujusmodi a Legatis Apostolicæ Sedis talis pœnitentia imposita est; ut singuli aut quadraginta dies jejunarent, aut quadraginta pauperes semel pascerent, nec tamen Ecclesiasticam communionem quasi homicidæ vitarent.

8. Rudolphus Rex, post consecrationem in Sueviam secedens, Regnum sibi subjugavit. Interim Henricus Longobardiæ morabatur ad quem Cincius, civis Romanus, secum ducens captum venerabilem Cumarum Episcopum, nomine Reginaldum, Papiam venit : quippe remunerari volens ab Henrico, eo quod in servitium ejus modo hunc Episcopum, et in præterito anno Dominum Apostolicum, captivaverat. Sed ibi subitanea morte præventus, debitam remunerationem accepit, quam tot sacrilegiis promereri non timuit. Henricus, audita promotione Rudolphi, auxilium Papæ contra illum imploravit, licet supradictum Ostiensem Episcopum in captione adhuc teneri permiserit. Unde et Papa illi respondit, se non posse ejus interpellationi satisfacere, quamdiu apud illum S. Petrus in Legato suo ligatus teneretur. Frustrata ergo supplicatione sua, animum in tyrannidem convertit : nec jam Regnum per justitiam, sed per violentiam obtinere cogitavit. Rex autem Rudolphus apud Augustam gloriosissimum Pascha celebravit cum Legatis Apostolicæ Sedis : ex quibus unus, religiosissimus Abbas Bernhardus, Romam dirigitur : sed ab Udalrico Comite de Lentzburg, Henrici complice, captus et prædatus, annum pene dimidium in captivitate mansit : quem Cluniacensis Abbas de manibus Henrici vix demum eripuit . . . . Vercellensis Episcopus (122), depositi Regis Cancellarius, cum omnibus suis sequacibus colloquium generale circa Kalendas Maii in Runcalibus condixit, ut, si aliquo modo posset, Gregorium Papam deponeret : sed ipse ad eumdem terminum,

(122) Gregorius, anno 1046 factus Vercellensis episcopus, modo sanus, modo vecors, ipsis Kalendis Maii periit. Consule Ughellum, et Franc. Augustinum ab Ecclesia in Episcopis Pedemontanæ. regionis.

absque Ecclesiastica communione, vitam simul et A Episcopatum, heu! miserabiliter deposuit, quo ille Papam nefaria præsumptione statuit deponere. Non multo post interitum (122*) Præfectus Romanæ Urbis, indefessus miles S. Petri contra schismaticos, a quodam fautore Henrici crudeliter occiditur : ad cujus corpus in parvo tempore plusquam viginti miracula contigerunt, ut fidelium virorum relatione didicimus. Imbrico (123) Augustensis Episcopus, qui in præterito Pascha Rudolpho Regi fidelitatem juravit, nil de perjurio curans, Henrico advenienti adhæsit : et apud illam quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, ut sacræ Oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus Regnum sibi injuste usurparet. B Post hanc temerariam perceptionem, parvo quod supravixit tempore usque ad mortem, nunquam se sanum de lecto levavit. Nam circa Kalendas Julii, absque Ecclesiastica communione defunctus est. Item Sighardus (123*), Aquileiensis Patriarcha, in auxilium Henrico contra bannum Apostolici armata manu veniens in amentiam vertitur apud Ratisponam, et ex ipso itinere repentina morte intercipitur : sicque domum, non absque aliquibus suorum funeribus, in corpore et anima mortuus, reportabatur.

9. Papa utrique Regi ex parte S. Petri præcepit, ut treugas ad invicem facerent, ad adventum ejus ad Teutonicas partes pro dirimenda lite non impedirent, sed debitum consilium et auxilium ad hoc C iter ei præberent. Legatis autem suis, qui adhuc in Teutonicis partibus morabantur, præcepit, ut ex duobus Regibus illum excommunicarent, qui prædictæ legationi non obediret; obedientem vero ex parte S. Petri in Regno confirmarent : quod et non multo post factum est, scilicet in die sequenti post festivitatem S. Martini Goslare, Henrico pro inobedientia iterum excommunicato, Rudolpho pro obedientia in Regnum sublimato. Nam Henricus prædictam legationem Papæ nec suscipere dignatus est, nec animum ad treugæ compositionem, sed ad tyrannidis crudelitatem intendit.

10. Anno 1078. Henricus iterum Apostolicæ Sedi de sua, quasi injusta, damnatione conqueritur : unde Gregorius Papa, facto Concilio mense Martio D (in quo Concilio facta est exceptio quarumdam personarum de Henriciana excommunicatione, et hoc utique ad tempus; id est, uxorum, filiorum, servorum, et reliquorum, qui non scienter, saltem non libenter excommunicatis sociantur), idoneos Legatos iterum destinavit, qui, facto generali Colloquio, causam Regni juste determinarent : et omnes synodali sententia damnavit, quicumque impedirent ne Colloquium fieret. Quod Rudolphus libentissime voluit fieri. Henricus autem, utcumque potuit, impedire non cessavit. Nam contra Apostolicum præceptum, maxima multitudine flagitiosorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit : cui Rex Rudolphus apud Struvam cum exercitu obviavit, et illo fugato ipse campum victoriæ obtinuit 7. Idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Rudolphi (124) Wecel venerabilis Magdeburgensis Episcopus, et Wormatiensis Episcopus (124*) captus est. Infinita autem multitudo utrimque occubuit, plures tamen et excellentiores ex parte Henrici. Facto autem alio Concilio Romæ 10 Kalendas Decembris, utriusque Regis Legati, licet non eadem veritate, in Synodo juravere quod Domini eorum non impedirent colloquium pro causa Regni statuendum. Unde et Papa ea vice inter eos judicare non potuit, quamvis bene sciret cui parti magis justitia faveret. In Synodo ista Berengarius Andegavensis Canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter, convenitur, eique induciæ usque ad proxime futuram Synodum dantur.

11. Anno 1070. Gregorius Papa Synodum Romæ mense Februario collegit : in qua Berengarius, jam tertio convictus, hæresim suam abjuravit et anathematizavit. In eadem Synodo Henricus Aquileiensis Patriarcha Papæ juravit nulli se deinceps communicaturum quem sciret a Papa excommunicatum. In hac Synodo Papa Presbyteros, deinceps in fornicationem lapsos, absque spe recuperationis deposuit. . . . Legati Regis Rudolphi super Henricum proclamaverunt, eo quod totum Regnum confundere, et sanctam Ecclesiam conculcare non cessaret. Iterum ergo Papa Legatos suos, pro causa Regni determinanda, ad Teutonicas partes destinavit, videlicet venerabilem Petrum Albanensem Episcopum . . . . cum quo Udalricus Paduanus Episcopus in legationem destinatur. Legatus autem Henrici Legatos Papæ, priusquam abirent, in eadem Synodo jurejurando securos fecit de conductu et obedientia Domini sui. Item Legatus Rudolphi de obedientia Domini sui juravit in Synodo. Legati ergo Sedis Apostolicæ in Teutonicam terram pervenientes, obedientiam Rudolphi et inobedientiam Henrici indubitanter probaverunt : quod et postea, cum redirent, Papæ viva voce protestati sunt.

12. Anno 1080, Gregorius Papa Synodum Romæ mense Martio collegit, ad quam Teutonicis partibus prædictæ Sedis Apostolicæ Legati redierunt, et omnimodam Rudolphi obedientiam et Henrici inobedientiam Domino Apostolico renuntiaverunt : unde ipse in fine Synodi Henricum deposuit, ipsumque cum omnibus suis fautoribus anathematizavit, et Rudolphum Apostolica auctoritate in regia

(122*) Paulo numer. 40 *Cincius;* Petro Damiani, *Cinthius*.

(123) *Imbrico* Augustæ Vindelicorum creatus Episcopus ab Henrico IV, anno 1064, mortuus 3 Augusti anno 1077 a Bruschio satis laudatus.

(123*) *Sigheardus*, Ughello *Sigiardus* seu *Singifredus*, *Germanus*, præfuit ab anno 1068 ad 1077.

(124) *Wecel*, in priore Vita *Werinharius* capit 12, not. 91

(124*) *Adelbertus*, de quo ibidem actum.

dignitate confirmavit. Unde æmulus ejus, congregata multitudine schismaticorum sive excommunicatorum, apud Brixinam legitimum Papam abjuravit; et Guibertum Ravennatem quondam Episcopum, sed jam triennio a Papa Gregorio irrecuperabiliter depositum et anathematizatum, sibi non in Papam, sed in hæresiarcham elegit. Deinde apud Moguntiam Conventu facto, eamdem ipsam electionem a quibuscumque potuit confirmari fecit. Jam autem mediante Octobri, Henricus expeditionem in Saxoniam iterum parans, a militibus Rudolphi itinere unius diei fugatur, quamvis in eadem congressione Rudolphus Rex piæ memoriæ occubuerit. His temporibus Henricus tam Italiam adeo conturbavit, ut nullus secure ad Limina Apostolorum posset ire, qui non prius abjuraret quod ad Papam Gregorium diversurus non esset.

13. Anno 1081. Henricus, post obitum Regis Rudolphi, Veronam in Pascha venit : et inde ad invadendam Romam, cum suo non Apostolico sed apostata Guiberto, utpote Domini Apostolici non semel perjuro et anathematizato, profectus, sed mox regressus est. Eodem tempore Principes Regni Teutonicorum, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones et Comites, Conventu facto, Hermannum nobilem virum sibi in Regem elegerunt..

14. Anno 1082. Henricus in Italiam, assumpto apostata suo Guiberto, iterum Romam invasurus proficiscitur, advocata multitudine schismaticorum : ibique ea æstate moratus, pene incassum laboravit, quia eum nec hac vice Romani intrare permiserunt. Ignem quoque in domum S. Petri per quemdam traditorem immittere voluit, sed Dei misericordia protegente non potuit : cogitavit enim ut de improviso portas irrumperet, si Romani, derelictis propugnaculis, ad incendium restinguendum concurrerent : sed Dominus Apostolicus huic versutiæ obviavit. Nam primum viso incendio omnes milites Romanos ad gubernacula defendenda transmisit, ipseque solus, fiducia S. Petri fretus, facto signo Crucis contra incendium, ignem ulterius progredi non permisit. Igitur Henricus, capto venerabili Episcopo (125) de Sutria aliisque nonnullis, suoque apostata Guiberto in Tiburtina urbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur.

CAPUT II.

Res gestæ ultimis duobus annis. Obitus, sepultura.

15. Anno 1083. Iterum Henricus, cum multitudine schismaticorum sive excommunicatorum, ante Pentecosten Romam, impugnaturus aggreditur;

A sicque Guibertum Ravennatem, perjurum, depositum et anathematizatum, apud S. Petrum inthronizavit; non per Ostiensem, et Albanensem, et Portuensem (125*) Episcopos, qui hoc privilegium habent ut et Papam consecrent, sed per Mutinensem et Ariminensem Episcopos (126), utpote jam multis annis depositos et anathematizatos. Statim ergo juxta S. Petrum quemdam monticulum, nomine Palatiolum, in castellum (erexit); eique milites multos, ut impugnarent Romanos, imposuit, qui eum Transtiberinas urbis regiones nullo pacto intrare permittebant. Multi tamen ex Romanis consenserant, partim pretio inducti, partim multis promissionibus seducti, omnes autem æqualiter jam triennii impugnatione nimium fatigati. Quid plura?
B Omnes pene Romani, præter Principem Salernitanum, hoc laudaverunt, ut Papa Gregorius Synodum in medio Novembri colligeret Romæ, cujus Synodi statuta de causa Regni, nec Henrico nec Romanis, imo nulli penitus liceret prævaricari. Henricus quoque ituris ad illam Synodum et redituris securitatem jurejurando fecit : unde et Papa omnes religiosos Episcopos et Abbates ad Synodum litteris suis vocavit. Reverso ergo Henrico Longobardiam, milites ejus, quos in castello prope S. Petrum dimisit, repentina mors fere omnes invasit. Inter quos et Udalricus Goscezehim absque Ecclesiastica communione, heu miser! interiit, auctor hujus schismatis et incensor conspirationis. Ex quadringentis
C autem militibus, qui in illo castello pro custodia dimissi sunt, vix triginta gladium S. Petri, ut aiunt, concessa vita evaserunt : ipsum autem castellum a Romanis penitus solo adæquatum est. Henricus ergo (Ravennate suo interim Ravennam transmisso) ad prædictam Synodum profectus est, quo et Legati Teutonicorum Principum ire debuerant; sed ab Henrico in via apud Forum Cassii (127) capti sunt circa festum S. Martini, licet omnibus Synodum illam petentibus securitatem juramento promiserit : unde et Romani multa contra Henricum murmurare cœperunt. Erant autem religiosissimi Monachi et Clerici, quos in captivitate fecit cruciari : cum quibus et Ottonem venerandum Ostiensem Episcopum captivatum, videlicet ad ipsum ab Apostolica Sede
D transmissum : multi tamen ex Francigenis ad illam Synodum tam Episcopi quam Abbates pervenerunt. Meliores autem Episcopi et Domino Apostolico magis necessarii, id est Hugo Lugdunensis, Anselmus Lucensis, Reginaldus Cumanus (128), specialiter ab Henrico ad Synodum pervenire prohibiti sunt.

(125) *Bonizonem* alibi appellat ipse Bertholdus, ait autem de eo Ughellus tomo II Italiæ sacræ, quod *floruit anno* 1078, et *post varia duraque exilia, a Catholicis Insubribus Placentinæ civitatis Præsul adlectus est; demumque ab hæreticis captus, utroque orbatus oculo, ac ceteris membris per exquisita tormenta truncatus, nobilem martyrii palmam adeptus est anno* 1089.

(125*) Hi erant *Otto* dein Urbanus II Papa, *B. Petrus Igneus* et *Joannes* anno 1066 factus *Portuensis* Episcopus, semper fidelissimus summis Pontificibus, et qui potissimum Urbanum II promovit, uti testatur Leo Ostiensis lib. IV Chronici Casinensis cap. 2.

(126) Isti erant *Herebertus* Mutinensis, creatus anno 1054, fato functus anno 1094, et *Obizzus*, electus anno 1071.

(127) *Forum Cassii.* Urbs olim Episcopalis, nunc vicus in Patrimonio S. Petri, 7 milliaribus Viterbo in Austrum distat.

(128) De his autem in priori Vita num. 101, 103, 122, ubi nostra Annotata inspicienda.

Dominus tamen Papa Synodum tribus diebus solenniter celebravit; et, ne Henricum iterum specialiter anathematizaret, vix a Synodo est exoratus : omnes tamen excommunicavit, quicumque aliquem ad S. Petrum et Papam venientem impedirent quoquomodo.

16. Sed jam advenit terminus ad quem Romani, nesciente Papa, hoc Henrico se effecturos juraverant, ut eum Gregorius Papa incoronaret, aut alius quem ipsi illo expulso eligerent. Quod juramentum, licet in præterita æstate factum fuerit, omnes tamen intimos papæ usque ad terminum pene latuit. Adveniente ergo termino, Romani Papæ de juramento manifestaverunt, dicentes se hoc jurasse, non ut Papa solenniter regali unctione incoronaret, sed tantum simpliciter ut ei Coronam daret. Annuit ergo Papa eorum votis, ut eos a juramento absolveret, videlicet Henrico, si vellet cum justitia, sin autem cum maledictione, Coronam daret. Unde Romam mandaverunt ut veniret ad accipiendam Coronam cum justitia si vellet; sin autem, de castello S. Angeli per virgam sibi demissam a Papa reciperet. Sed Henrico utrumque recusante, alium Legatum illi direxere, quod juraverint, nec se eo juramento detineri obnoxios : igitur Domino Papæ multo firmius, quam pridem, consilio et auxilio adhæsere. Henricus autem multo instantius, pro eis suæ parti applicandis, nunc minando, nunc promittendo laboravit; multumque tempus circa Romam moratus, huic negotio invigilavit. Sed jam septennio totum Romanum imperium civili bello, nimio schismatis dissidio laboravit, aliis quidem Domino Apostolico, aliis autem Henrico faventibus, et ob hoc utrimque totum Regnum præda, ferro et igne miserabiliter devastantibus. Paucissimi Catholici Episcopi ex parte Apostolici remanserunt : qui et propriis Sedibus expulsi, suis gregibus providere non permittebantur. Quapropter omnes pene religiosi, sive Clerici sive laici, in aliqua monasteriorum latibula hujusmodi mala declinaverunt : ne videlicet devastationem sanctæ Ecclesiæ cernerent, cui in nullo adminiculari possent : satius enim illis videbatur, ut saltem seipsos delitescendo salvarent quam pro aliis incassum laborando, cum eisdem perirent.

17. Anno 1084. Henricus in Romanorum finibus hiemavit, ibique Guibertum Ravennatem suum Romam venturum expectavit, ut ab eo apud S. Petrum incoronaretur, eo quod Gregorium Papam ad hoc flectere non posset, et eum, nisi legitime reconciliatum, incoronare vellet. His temporibus Constantinopolitanus maximam pecuniam Henrico quondam Regi transmisit, ut Ruodbertum Wiscardum (129) Ducem Calabriæ et Apuliæ conjuratum militem Domini Papæ, in ultionem ejusdem Regis, A bello appeteret... Sed Henricus acceptam pecuniam, non in procinctum contra Ruodbertum, quod juramento promisit, sed ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendit : cujus adjutorio Lateranense palatium feria quinta ante Palmas, cum suo Ravennate Guiberto, intravit. Nobiles autem Romani, præter admodum paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt qui et quadraginta obsides ei dederunt, Papa autem in castellum S. Angeli se recepit, omnesque Tiberinos pontes et firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate. In die Resurrectionis Dominicæ Henricus, ab hæresiarcha suo Ravennate, Coronam non gloriæ, sed confusionis accepit... Erat enim ipse Ravennas Archiepiscopus, B et omnimodam obedientiam Romano Pontifici juravit, quam et nullo tempore fideliter executus est; sed non multo post, spreto juramento, singulari contumelia contra Apostolicam Sedem erigitur : unde ab Apostolica Sede et ab Episcopis totius Ecclesiæ in Romana Synodo, post canonicas inducias, irrecuperabiliter deponitur et anathematizatur : nec hoc semel, nec in una Synodo, sed in omnibus Synodis, quotquot in sexennio Romæ celebratæ sunt... Quapropter et Henricus ab eodem incoronatus damnationem ejus hereditasse non dubitatur, similiter et omnes, quicumque aliquid, quod a Domino Papa suscipiendum esset, a prædicto hæresiarcha quasi susceptum usurpaverunt. Morabatur autem Henricus in Lateranensi palatio cum Ravennate suo, nec a fide- C libus Papæ per civitatem ad S. Petrum transire permittebatur : sed in ipsa Paschali hebdomada fideles aggreditur, in qua congressione quadraginta pene inter mortuos et vulneratos perdidit (nam reliqui fugerunt), ex parte autem Domini Papæ nec unus cecidit.

18. Robertus Wiscardus, Dux Normannorum, in servitium S. Petri, post Kalendas Maii Romam armata manu invasit, fugatoque Henrico totam Urbem Gregorio Papæ rebellem, penitus exspoliavit, et majorem ejus partem igni consumpsit (130), eo quod Romani quemdam ejus militem vulneraverunt. Deinde acceptis obsidibus a Romanis, et in castello S. Angeli, quod domum Theodorici dicunt, reservatis, ipse ad recuperandam terram S. Petri reversurus, in brevi plurima castella et civitates Domino D Papæ recuperavit. Henricus autem Ruodberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinanter revertitur... Dominus autem Papa, collecta Synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham et Henricum et omnes eorum fautores promulgavit : quod et in festo S. Joannis Baptistæ præterito jam dudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam Legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis

(129) Robertus Guiscardus anno 1080 reconciliatus Papæ.

(130) Leo Ostiensis lib. III cap. 53 hanc incendii causam affert : *Ex consilio*, inquit, *Cencii Romanorum Consulis ignem in Urbem immisit. Romani igitur re inopinata perculsi, ac in igne exstinguendo dum essent intenti, Dux confestim cum exercitu ad arcem S. Angeli properans, Pontificemque inde abstrahens Romam sine mora egressus, Papam Gregorium ad hoc monasterium usque deduxit : quem Apostolicum usque ad ipsius exitum cum Episcopis et Cardinalibus, qui eum secuti fuerunt, sustentavit.*

Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus in terra Teutonicorum usquequaque divulgarunt. Ostiensis quoque cum in Alemannia moraretur, sanctæ Constantiensi Ecclesiæ jam dudum viduatæ Catholicum Pastorem ordinavit, scilicet Gebehardum, Bertholdi Ducis filium... undecimo Kalendas Januarii Episcopum consecravit, quem pridie, id est in festo S. Thomæ, cum aliis Clericis Presbyterum fecit : inter quos et horum Chronicorum scriptorem in eadem solennitate in Presbyterum ordinavit, eique potestatem ad suscipiendos pœnitentes ex Apostolica auctoritate concessit.

19. Anno 1085. Jam Deus omnipotens famulum suum Gregorium Papam nolens diutius laborare, imo pro laboribus suis digne remunerare volens, de hujus vitæ ergastulo eum vocavit. Nam aliquanto tempore graviter corpore infirmatus, sed in defen- A sione justitiæ usque ad mortem firmissimus, Salerni diem clausit extremum. De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, et maxime pauperes, doluerunt : erat enim Catholicæ religionis ferventissimus institutor, et Ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sane ut Ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem et morum sanctitate, et ordinis dignitate præemineret. Quod illum latere non poterit, quicumque ejusdem Apostolici Registrum diligenter perlegerit. Postquam autem in gubernatione Sedis Apostolicæ, imo totius Ecclesiæ, duodecim annos et unum mensem legitime decertavit, tandem ex hac luce anno Incarnationis Dominicæ 1085, indictione 8, 8 Kalendas Junii subtractus, supernæ vocationis βραβεῖον accepisse non dubitatur, sepultus Salerni in ecclesia S. Matthæi, quam ipse eodem anno dedicavit.

II.

EX LIBRO MS. CENSUALI CENTII CAMERARII,

POSTEA HONORII III,

Collato cum ms. Nicolai Cardinalis de Arragonia (131).

CAPUT PRIMUM.

Electio Gregorii; Centii Romani et Guiberti Ravennatis machinationes punitæ; Henrici ad depositionem Pontificis progressa insolentia castigata.

1. Gregorius VII, natione Tuscus, patria Suanensis, oppido Ronaco (132), ex patre Bonito, sedit annis 12, mense uno, diebus quatuor. Defuncto Alexandro Papa, et in Lateranensi ecclesia honorifice tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus adhuc esset in ejus obsequiis occupatus, repente factus est in ipsa ecclesia maximus Clerici et Populi Romani concursus, clamantium et dicentium, Hildebrandum Archidiaconum Beatus Petrus elegit. Quo audito idem Archidiaconus expavit, et quasi extra se raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frementem (133) sedare et a sua intentione retrahere. Sed Hugo Candidus Cardinalis, ubi omnium vota in eumdem Archidiaconum convenisse indubitanter cognovit, citius percucurrit ad populum; et in hunc modum alloquitur, dicens : Ecce, charissimi fratres, B scitis et indubitanter cognoscitis quod a diebus B. Leonis Papæ hic Archidiaconus, tamquam vir prudens et probatus, hanc sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltavit, et civitatem istam ab imminentibus periculis liberavit : unde, quia idoniorem ad Ecclesiæ regimen et Urbis defensionem invenire nequimus, Nos, Episcopi et Cardinales, in nomine Domini, unanimiter ipsum nobis et vobis in Pastorem et Episcopum animarum vestrarum eligimus. Et continuo (134) universitate Populi et Cleri acclamante, Dominum Gregorium Papam sanctus Petrus elegit, indutus rubea chlamyde (sicut moris est) et Papali mitra insignitus (135), invitus et mœrens in Beati Petri cathedra fuit inthronizatus.

2. Altera autem die apud semetipsum solicta C mente pertractans, ad quam grave periculum devenisset, æstuare cœpit, et nimis dolere : sed cum aliam excusationem de relinquendo Papatu non invenisset, nuntios ad regem Henricum celeriter destinavit, per quos et electionem de se factam ei aperuit, et ne

(131) *Nicolaus Rosellus*, ex Ordine Prædicatorum assumptus, *de Aragonia* dictus, quia patria Tarraconensis perpetuo fere mansit apud Arragoniæ Regem Petrum : is hunc præmittit titulum : *De Gregorio Papa VII, qui cœpit an. Domini* 1703, *regnante Henrico Imperatore hujus nominis III.*

(132) Nicolaus, *Ronaco*; Ms. nostrum, *Raonaco*; ignobile id oppidum fuisse oportet in diœcesi Suanensi, cujus hodie nec nomen quidem in tabulis topographicis reperitur : quod ipsum haud modicum præjudicium affert generis nobilitati, a Comitibus Petilianensibus et Suanensibus accersitæ : non tamen eam peremptorie excludit : et infra ex Ms. nostro adducemus aliquid, quod e converso eam affirmare possit.

(133) Nicolaus, *frequenter*.

(134) Hoc, *Continuo*, restringendum erit ad solam acclamationem populi; si verum est quod *diebus aliquot occultatus latuit*, ut habet Bertholdus.

(135) Aliunde sciebam, electo mox Purpuram injici solitam : de Mitra invenies in Actis S. Petri Cœlestini, descriptis a Card. S. Georgii l. III v. 165

assensum præberet ipsum attentius exoravit : quod si non faceret, certum sibi esset quod graviores et manifestos ipsius excessus impunitos nullatenus toleraret. Rex vero, ubi electionis veritatem cognovit, electioni ejus assensum præbuit : et statim Gregorium Vercellensem Episcopum, Italici Regni Cancellarium, ad Urbem transmisit, quatenus auctoritate Regia electionem ipsam confirmaret, et consecrationi ejus interesse studeret. Quod sine dilatione factum est : nam et infra octavas Pentecostes in Presbyterum est ordinatus, et in Natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus. Percepta igitur Apostolicæ dignitatis plenitudine, eumdem Regem benigne ac paterne commonuit ut Matri suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ se devotum et subjectum filium exhiberet, atque ab Episcopatuum et Ecclesiarum venditione omnino quiesceret : ad quod pium opus efficaciter prosequendum transmittere studuit matrem ipsius Agnetem Imperatricem (136), una cum Gherardo Ostiensi, Uberto Prænestino, et R. (137) Cumano Episcopis : qui ejusdem Pontificis legatione suscepta usque in Bavariam transeuntes, ad Regis præsentiam pariter accesserunt. Receptis igitur affectuose Legatis ipsis, et digno cum honore tractatis, cum per dies plurimos Rex de sua emendatione sanctæ commonitionis verba mansuete ac patienter audiret, quinque nobiles viros familiares suos, ab Alexandro Papa excommunicatos, vix a consortio et societate sua removit, Synodum vero in regione ipsa celebrare Legatis nequaquam permisit ; allegans per Lemarum (138) Bremensem Episcopum, vices Romani Pontificis Moguntino Archiepiscopo in Germania, sicut in antiquis Ecclesiæ suæ privilegiis continetur, esse concessas. Cui Legati Sedis Apostolicæ sic responderunt : De Legationis officio Venerabilis Fratris certum tibi esse debet, quod neque auctoritas canonica neque mos ecclesiasticus habet, ut ultra obitum ejus qui dederat Romani Pontificis protendatur. Præterea sicut in quodam primi Leonis Papæ Capitulo continetur (139), Romanus Pontifex ita Episcopis vices suas committit, ut in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis. Sed ut breviter ad finem hujus controversiæ veniamus, Synodo hac sagacitate disturbata, et eodem Bremensi pro inobedientia et rebellione ab officio Sacerdotali suspenso, Legati a Rege amplis muneribus honorati, cum ejus gratia et benigno responso, incolumes ad urbem redierunt Romanam.

3. Evolutis autem paucis diebus, Hermannus Bambergensis Episcopus, qui pro susceptione (140) Pallii Romam venerat, convictus de Simonia in conspectu Gregorii Papæ, Episcopalis et Sacerdotalis officii depositionem incurrit, et in locum ejus per mandatum ejusdem Pontificis alius est subrogatus : de Constantiensi quoque (141) Antistite idem factum est. Interea nihil mali de Rege Henrico suspicans Gregorius Papa Romanus, generale Concilium convocavit, in quo Guibertus Ravennatensis, cum Episcoporum diversarum Provinciarum immensa multitudine, sedit. Præterea et egregia Comitissa Matildis, Aczo Marchio (142), et Gisulfus Salernitanus Princeps eidem non defuere Concilio : sed inter cetera ipsius Concilii acta Normanni et Robertus Guiscardus excommunicati fuerunt. Soluto itaque Concilio, et redeuntibus ad propria cæteris, qui fuerant convocati, Guibertus Ravennatensis cum Papa Gregorio, in dolo, utpote qui ad Papatum jam anhelabat, remansit. Et quoniam uniuscujusque proprium solet esse, ut qualis ipse fuerit, tales sibi et alios conjungi velit, quoscumque in Roma facinorosos et adversarios Pontifici reperit, muneribus vel promissis favorabiles sibi et juratos facere studuit : inter quos illum sceleratissimum virum Centium, Præfecti Stephani filium, de quo supra (143) fecimus mentionem amicum et secretarium acquisivit, et cum eo contra Patrem suum nequiter se armavit. Hic inter alia, quæ impune fecerat mala, excelsam turrim supra pontem S. Petri construxerat, et a

(136) De hac Saxonicum Ms. Chronicon, usque ad finem fere sæculi XII pertingens, ita habet : *Anno Domini* 1609 *Agnes Imperatrix, Mater Regis H. tædio affecta, vel potius divinitus compuncta, Ducatum Bavariæ deposuit ; et Regni gubernacula penitus spernens pro Christo, Romam se contulit : ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira inserviens humilitate, post aliquot annos in Domino migravit*, scilicet an. 1077, ut constat ex Epitaphio, apud Baronium. Ex labore autem hujus legationis pro Sede Apostolica susceptæ intellige, quam ejus fuerit studiosa. Res ipsa adscribitur an. 1074.

(137) Cumanæ Ecclesiæ, ante finem seculi 13 extinctæ, vix sex Episcopos potuit nominare Ughellus t. VI Italiæ sacræ : habes hic quem iis addas pro an 1074. *R.* puto *Rogerium*, *Robertum*, *Rolandum*, vel quid simile : aliorum nominum, similiter per initialem litteram scriptorum a Centio, facile fuit supplere defectum.

(138) *Leimarum Buvarum* vocat Albertus Stadensis, docetque Alberto suffectum an. 1077 annis 30 sedisse, obiisse 1101, 17 Kal. Junii, cui Humbertus successerit. Ejus excommunicationem confirmatam deinde legimus in Synodo Roman. an. 1075.

(139) Capitulum istud necdum inveni.

(140) Bullam Leonis IX Hartwico Bambergensi Pallium concedentis, intuitu Clementis II et S. Henrici imperatoris ibidem quiescentium, dedimus in Chronologia Pontificia agentes de Clemente isto : quam tamen in Appendice ad ipsum Leonem fatemur non esse usquequaque sinceram. Veritas tamen facti ex hoc Centii loco confirmatur.

(141) *Otto* hic fuit, de quo Chronicon Constantiense editum a Pistorio ad ann. 1070, quod Henricus, dum præciperet eum ordinari, dixerit : *Noluit Collegium Constantiense Præsulem idoneum, capiant igitur hunc stultum Ottonem in Episcopum.*

(142) Nicolao præteritus *Azo Marchio*, adfuisse videtur occasione incesti sui matrimonii cum Mathilde, non illa famosa Comitissa hic nominata, quæ tunc habebat maritum Godefridum Lotharingiæ Ducem, licet thoro ejus nunquam usa ; sed sorore Guilielmi Episcopi Papiensis, in quarto gradu ipsum contingente.

(143) Hinc apparet etiam Alexandri præcedentis Acta ab eodem Auctore scripta fuisse.

transeuntibus de novo Pedatiam (144) jugiter extorquebat. Hic, Deo et hominibus odiosus, in sacratissima nocte Nativitatis Domini, ipsum Christi Vicarium Dominum Gregorium Papam, Missarum solennia celebrantem, ab altari sanctæ Dei Genitricis, quod dicitur ad Præsepe, ausu sacrilego rapuit! et cum suis complicibus ad prædictam turrim violenter asportare præsumpsit. Unde universitas Romanorum in ira pro invasione sui Pontificis vehementer exarsit, et in eadem nocte ipsum in eadem turri districte obsedit. Mane autem facto Romani, et turrim funditus destruxerunt, et ipsum sacrilegum atrociter trucidassent, nisi eum boni Magistri discipulus Beatus Pontifex ex mortis periculo liberasset. Quo facto, celebraturus cum Fratribus, et aliis Ecclesiæ fidelibus de more convivium, ad Lateranense palatium remeavit. In secunda vero die post Pascha populus Romanus eumdem Centium cum omnibus suis complicibus in rebus propriis condemnavit, et in perpetuum ab urbe Romana exclusit.

4. Post hæc autem supradictus Guibertus licentiam revertendi Ravennam a Domino Gregorio dolose petivit, quatenus eum lædere opportunius posset, quem fraudulenter se diligere ostendebat. Nam ubi Ravennam devenit, postposito juramento quod in consecratione sua Alexandro Papæ ejusque successoribus fecerat, cum Theobaldo Mediolanensi, et aliis cervicosis Episcopis Lombardiæ conspiravit, atque adversus Pastorem suum occulte seditionem exercuit. Unde factum est quod expeditio, quam Pontifex per Ducem Gotifredum ejusque uxorem illustrem Comitissam Matildam atque alios Nobiles, contra Normannos et cæteros Ecclesiæ hostes, de Lombardia excitaverat, in detrimentum Ecclesiæ disturbata est atque dirupta. Per Hugonem quoque Candidum, Regem Henricum et Robertum Guiscardum contra eumdem Pontificem omnimodo studuit instigare, sicut vir apostaticus omni dolo et malitia plenus, qui jam secundo ad apostasiam redire nequaquam erubuit. Eodem tempore Dominus Gregorius circa mediam Quadragesimam Concilium celebravit, in quo sæpedictum Guibertum, quia vocatus venire contempsit, ab Episcopali officio tamquam perjurum suspendit, et eumdem Hugonem Candidum, secundum Apostoli dictum (*Tit.* III, 10), Hæreticum hominem post primam et secundam commonitionem devita, perpetuo ab Ecclesia sequestravit. Sed cum ista in Italia fierent, Saxones contra Regem Henricum fortiter rebellarunt, ea videlicet occasione, quia eis onus importabile satagebat imponere : unde accidit quod Rex, in manu valida et multitudine gravi, Saxoniam ex improviso intravit : sed quoniam eos imparatos invasit, victoriam quamvis cruentissimam habuit. Quippe, sicut a prudentibus dicebatur, quinque millia virorum ex parte Regis in eodem bello ceciderunt ; verumtamen quia eosdem Saxo-

A nes sibi non potuit subjugare, Rex tamquam victoriosus in Franciam (145) remeavit. Statim immensa Episcoporum multitudine convocata, non egit gratias Deo pro adepta victoria, sed elevatum est cor ejus, et se super se nimis extollens, in tantam audaciam vesaniamque prorupit, ut Patrem suum Gregorium Papam, qui sedem Apostolicam per triennium in pace tenuerat, impiorum consilio abdicare præsumpsit, et ab Ecclesia quantum in eo fuit expellere operam et studium pro viribus (146) dedit. Decrevit etiam firmiterque constituit, ut nullus deinceps Episcopus, vel Abbas, seu Dux, aut alia principalis persona, eidem Gregorio tamquam Papæ aliquatenus obedire deberet.

5. Ut autem hanc perniciosam dispositionem posset
B efficaciter adimplere, quemdam Rolandum Parmensem, detestabilem Clericum, et alios execrabiles viros, cum litteris suis Romam transmisit, quatenus causam ipsam vivaciter et intrepide prosequerentur. Qui, nefaria legatione suscepta, processerunt usque ad Urbem : et venientes ad Pontificem tunc in Synodo residentem, in primis Regis litteras præsentarunt, et consequenter per os ipsius Rolandi cum nimio fastu et contumacia, locuti sunt in hunc modum : Misit nos Dominus noster Henricus Rex, de consilio Episcoporum suorum et Principum, ut ea quæ noviter de statu Ecclesiæ censuit et irrevocabiliter statuit vobis publice demonstremus, et efficaciter prosequamur. Inde est quod præcipimus,
C et ex auctoritate Regis præcipiendo mandamus tibi Gregorio, ut de Apostolica Sede sine mora descendas, et amodo de Papatu, sicut vitam tuam diligis, te nullatenus intromittas. Vobis autem Episcopis et Cardinalibus eodem modo injungimus, ut recepturi Pontificem ad ejusdem Regis præsentiam festinetis. Quibus blasphemiis auditis, contra eumdem Pontificis conviciatorem tota Synodus ita vehementer exarsit, quod nisi pia mansuetudo beati Papæ Gregorii se objecisset, ipsum fideles Ecclesiæ cum lapidibus trucidassent. Die vero altera litteræ ab Episcopis Ultramontanis Pontifici sunt delatæ, in quibus confitebantur se errasse, et nimium deliquisse : postulabant quoque veniam, et omnem de cætero sibi obedientiam observare firmiter spoponderunt. Vix
D itaque sedato tumultu, Synodalis tractatus in tranquillitate processit : sed cum tempus jam instaret absolvendi Synodum, Pontifex, habito cum centum et decem Episcopis utiliori consilio, in eumdem Regem, qui Ecclesiæ unitatem scindere attentavit, excommunicationis sententiam protulit, et usque ad condignam satisfactionem sententiam ipsam firmiter observari præcepit. Quod neque reprehensibile, nec novum ab aliquo æstimari debet : cum a sanctorum Patrum sanctionibus minime discreparet, et a pluribus Romanis Pontificibus hoc ipsum etiam pro minoribus causis reperiatur factum.

(144) Nicolao *Pedagium* : de utraque voce vide Cangium.

(145) *Francia* hic identidem dicitur pro *Franconia*, latius nomen hoc sumendo, sicut etiam vicinam complectatur.

(146) Nicolaus minus recte, pro *victoribus*.

6. In Chalcedonensi namque Concilio, præsentibus sexcentis (147) Episcopis, de Dioscoro Alexandrino sic legitur : Quoniam secundum excessum priorem iniquitatem valde transcendit (præsumpserat enim excommunicationis sententiam supra sanctissimum Papam Leonem dictare) Anatolius Constantinopolicus Episcopus dixit, Propter fidem non est damnandus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni. Numquid ibi legitur inquisitionem factam fuisse utrum juste, an injuste, Dioscorus excommunicatus fuisset? Non utique : sed ideo, quia cum esset inferior conatus est majorem quibuslibet injuriis lacescere. In octava itaque Synodo inter cætera ita legitur : Definivimus neminem prorsus mundi portentum, quemquam eorum qui Patriarchalibus Sedibus præsunt inhonorare, aut a proprio throno expellere, sed omni honore ac reverentia dignos judicare; præcipue sanctissimum Papam sanioris Romæ; sed nec quicumque contra Romanum Pontificem circumscriptiones ac verba complicare vel componere, quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod nuper Photius, et multo ante Dioscorum fecit. Quisquis vero tanta jactantia, et audacia usus fuerit, ut secundum Photium et Dioscorum, in scriptis, vel sine scriptis, injurias quasdam contra Sedem primam S. Petri Principis Apostolorum moveat, æqualem et eamdem quam illi condemnationem accipiat (148) : si vero quis aliqua Dei potestate fruens vel potens, pellere tentaverit præfatum Apostolicæ Cathedræ Papam vel aliorum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Præterea notissimum et indubitatum est quod multi Ro-

A manorum Pontificum, etiam pro minoribus causis, nonnullos Imperatores et Reges, non solummodo excommunicaverunt sed a Regno deposuerunt, et in eorum locis alios subrogaverunt. Innocentius siquidem Papa Imperatorem Arcadium, magni Theodosi filium, pro eo quod Joannis Chrysostomi depositioni interfuit, quam Theophilus Alexandrinus una cum aliis Orientalibus Patriarchis consensu aliorum Episcoporum sine assensu Romani Pontificis dictaverat, excommunicavit, eorumque depositionem cassavit; mitissimus vero Imperator, mox ut factum cognovit, non rebellis extitit, sed veniam humiliter petiit et impetravit. Constantinus Papa Justinianum Imperatorem Constantini filium (149), propter non decentem legatorum suorum susceptionem, excom-

B municavit : qui post modum in Constantinopolitanæ urbis platea pedibus ejus cum regno prostratus, tamdiu petiit veniam donec impetravit. Anastasius (150) Papa Anastasium Imperatorem excommunicavit, qui proterve loquens de Papa, in ipso Palatio fulmine percussus interiit. Gregorius III Leonem Imperatorem, non solum excommunicavit sed etiam Regno privavit (151). Stephanus Papa Carolum (152) Pipini Regis fratrem a Regno deposuit, et Pipinum in ejus loco substituit. Nicolaus quoque Romanus Pontifex duos Imperatores uno eodemque tempore excommunicavit; Michaelem videlicet Orientalem, propter Ignatium Constantinopolitanum Episcopum sine judicio Papæ a Sede sua dejectum; et Lotha-

C rium (152*) Occidentalem, propter Gualdradæ pellicis suæ societatem. Beatus quoque Ambrosius, non Romanus sed Mediolanensis Pontifex, Maximum

(147) In prima Actione nominantur 360 circiter, nec plures deinde est reperire : habita est autem Synodus illa anno 451, et damnati Dioscori causam subscribens Anatolius, ponit, *quod omnibus sanctorum Patrum regulis extitit inobediens, et tertio canonice vocatus noluit obtemperare*.

(148) In Chalcedonensi an. 870, Act. 10, Can. 13, sic legitur : *Si quis tanta efferatur audacia, quemadmodum Photius et Dioscorus, sive scripto sive sine scripto, insanias quasdam contra Cathedram Coryphæi Apostolorum Petri audeat jactare, eamdem atque illi sententiam damnationi subeat*. Cæterea quæ hic allegantur, ut sequentia vel præcedentia, ubi inveniantur nescio.

(149) Ita recte Nicolaus; ubi in Centii libro perperam legitur, *Justinus Imperator Constantini filius*, qui nullus fuit, nedum tempore Constantini Papæ; hunc vero scimus an. 710 a Justiniano Rhinotmeta Constantinopolim evocatum, et ea quæ hic describitur humilitate receptum; causam vero evocationis hujus non aliam putat fuisse Baronius, quam *ut finis poneretur controversiæ ob Canones ad quintam et sextam Synodum superadditos*.

(150) *Anastasius II*. Hic scripsit quidem Anastasio Imperatori epistolam commonitoriam, quam vide apud Baronium an. 497, sed qui eum excommunicavit Symmachus Papa fuit, ut habes apud eumdem Baronium ad an. 502, n. 29.

(151) *Gregorius III* Leonem Isauricum et omnes Iconomachos *anathemate obstrinxit*, inquit Zonaras, *et vectigalia quæ usque ad id tempus Imperio inde* (id est ex Italia) *pendebantur inhibuit, inito cum Francis fœdere* (ut videre est apud Baronium ad an. 726, n. 24) *deserta Imperatoris obedientia, ob perversam ejus opinionem*. Cum ergo Otho Frisingensis ait, *Lego et relego Romanorum Regum et Imperatorum gesta, et nusquam invenio quemquam eorum ante hunc* (Henricum) a Romano Pontifice *vel excommunicatum vel Regno privatum*, ostendit se loqui de iis qui in Occidente regnarunt, non autem de Imperatoribus Græcis, quorum plures anathemate perculsos fuisse ob hæresim certum est.

(152) Sciens Nicolaus quod *Pipini* frater *Carolus*, seu potius *Carlomannus*, multo prius quam *Stephanus* Papa fuerit, factus sit Monachus Cassini, *Zachariæ* Papæ nomen hic substituit et Regem *Childerinum*; volens, credo, *Chilpericum* intelligi, Merovingorum Regum ultimum, in cujus depositionem Zacharias consensisse ab aliquibus dicitur. Ad

D Carlomannum quod attinet, ex Anastasio Bibliothecario scimus, quod jam monachum, atque ab Aystulfo Longobardorum Rege missum in Franciam, ad fratrem ab auxilio Papæ ferendo alienandum, idque serio agentem, sicut male persuasus fuerat; de communi consilio Rex Pipinus et Papa Stephanus *in monasterio illic in Francia collocaverunt, juxta id quod se devoverat monachicam agere vitam* : atque hoc occasionem dare potuit Centio allucinandi, quasi aliquid de Carlomanni depositione per Regem facta ibi legisset.

(152*) Hic confunditur *Lotharius Rex* (unde *Lotharii regnum*, postea Lotharingia) cum parte suo Imperatore Lothario; et illi quidem excommunicatio sæpe intentata fuit, in Waldradam etiam personaliter lata; ipse tamen eam simulata pœnitentia declinavit. Similiter contra Michaelem Balbum ultra minas non processit Nicolaus Papa, qui anno 867 vivere desiit.

Tyrannum et Theodosium Imperatorem ab Ecclesia pulso excommunicavit, ut non ambiguum est. Quis ergo, nisi mente captus, ignorat Regiam potestatem pontificibus esse subjectam? et quis credat a subjectione Romani Pontificis se alienum esse, nisi qui exigentibus peccatis suis inter oves Christi non meruit numerari? Sed jam rei ordinem, quem incepimus, prosequamur.

CAPUT II.

Henrici pervicacia, Rudolphi electio, irriti conatus Gregorii pro pace.

7. Interea ubi de Regis banno ad aures vulgi personuit, totus orbis Romanus nimio timore perterritus non mediocriter vacillavit : Italici namque Antistites et Episcopi Teutonici Regni super tanta dissensione in partes se diviserunt, et auctore Guiberto apud Papiam contumaces Episcopi Lombardiæ post Pascha convenerunt in unum : ibique, imitantes Photium et Dioscorum, Dominum Papam senioris Romæ ore sacrilego excommunicare instinctu diabolico præsumpserunt. Quod factum attendentes Principes Regni, non mediocriter dubitare cœperunt, an excommunicationem ipsam contemnere, an eam reverenter observare (deberent) : maxime cum in eorum lege contineatur, ut si quis infra annum et diem ab excommunicationis vinculo non fuerit absolutus, omni careat dignitatis honore. Unde ad eorum consolationem prudentes Episcopi hujusmodi dederunt responsum, quod, secundum statuta et exempla sanctorum Patrum, Romanus Pontifex a nemine judicari seu excommunicari ullatenus potest. Ideo Principes ipsi (quoniam secundum malitiam instantis temporis melius nihil invenerunt) cum Rudolpho, Guelfone, ac Theoderico Ducibus, et aliis majoribus Regni juramento firmarunt, ut si Rex consilio eorum acquiescere vellet, operam suam efficaciter adhiberent, ut Gregorius Papa ultra montes veniret, et a vinculo excommunicationis eum absolveret. Quo facto Rex ore proprio juramentum præstitit, quod in adventu ipsius Pontificis absque malo ingenio ejus staret mandato : et consequenter Principes iterum juraverunt in hunc modum, ut si rex quod juraverat observaret, ipsi cum eo in manu valida proficiscerentur ad urbem Romam; et recepta Imperialis Coronæ dignitate a Domino Gregorio Papa, descenderent cum exercitu in Apuliam et Calabriam contra Normannos, qui tunc adversabantur Apostolicæ Sedi; et terram ipsam, expulsis Normannis, Beato Petro et Ecclesiæ Romanæ restituerent. Quod si Rex hoc facere denegaret, ex tunc ipsi Principes eum neque pro Rege neque pro Domino habere deberent. Quibus rite completis et juramento firmatis, Archiepiscopum Treverensem miserunt Romam, quatenus ea quæ de sedanda discordia inter Ecclesiam et Imperium constituerant, Episcopis et Cardinalibus innotesceret, et propter hoc Romanum Pontificem usque ad civitatem Augustam secure conduceret. Sed quod fraudulenter Archiepiscopus (153) ipse, per velatam Regis astutiam; captus fuerit apud Placentiam, et postmodum vix liberatus, propter historiæ longitudinem prætermittimus scribere.

8. Venerabilis itaque Papa Gregorius, audita legatione tantorum Principum, licet gravissima hiems instaret, ne tantum bonum, quod de pace sperabatur, per ipsius negligentiam remaneret, cum eodem Archiepiscopo ipsius itineris difficultatem assumpsit, et usque ad Vercellas processit. Eo autem nihil sinistre suspicante de Regis promissione, repente insonuit, quod ipse rex velocissimo cursu jam transierat Alpes, et in occursu Pontificis hostiliter festinabat. Quod facinus inopinatum postquam Episcopus Vercellensis cognovit, licet Regis Cancellarius haberetur, Pontifici tamen rei veritatem fideliter intimavit. Quo audito et in veritate comperto, Pontifex statim avertit habenas, et ad tutissimum castrum Comitissæ Matildis, Beati Petri devotissimæ filiæ, quod dicitur Canusium, non segniter festinavit, et se in tuto cum Fratribus suis recepit. Rex vero, perpetrati perjurii conscius, ubi reatum suum indubitanter publicatum cognovit, deposita ferocitate, tamquam vulpes callida, simplicitatem columbinam induit, et usque ad ipsum castrum, ut mereretur absolvi, Pontificem sequi non destitit : in quo loco super nivem et glaciem nudis pedibus per dies aliquot stetit, et absolutionis gratiam instantissime postulavit. Post multas itaque disceptationes et vari consilia, post satisfactionem et absolutionis gratiam, idem Pontifex inter Missarum solennia Regi, Hostiam Christi porrigens, dixit : Si corde bono accedis, et quod ore profiteris mihi observare disponis, hoc sacrum Corpus sit tibi, sicut Apostolis, ad salutem; alioquin indigne percipies illud sicut Judas, et judicium tibi absque dubio manducabis. Et statim ad osculum eum recepit, et post Missam cum ipso paterna charitate comedit : præterea excommunicatos qui cum Rege venerant fecit absolvi, et in pace omnes dimisit.

9. Decurso itaque instantis anni circulo, quamquam in facie Pontifici Rex devotus et obediens videretur, corde et opere, sicut rei effectus postmodum indicavit, contrarius sibi, et semper in insidiis efficaciter extitit. Nocturnis enim temporibus, cum Guiberto et Centio Romano viro nequissimo, de quo mentionem fecimus superius, et aliis Ecclesiæ inimicis familiariter loquebatur, et nefariis eorum consiliis favorem præstabat. Sed cum videret Papam Gregorium a Castro Canusii nullo modo posse divelli, Papiam moraturus perrexit, ubi eumdem Centium pessima morte defunctum invenit; cujus exsecrabile funus idem Guibertus cum cæteris excommunicatis pompatice et lamentabiliter celebravit. Eodem tempore, cum Rex Henricus in partibus Ita-

(153) *Udo*, quibusdam *Ado*, Trevirensis Archiepiscopus ab an. 1067. ad 1078. meminit hujus legationis Browerus in Annal : Trevir. ad an. 1077 num. 57 ; sed ignoravit injuriam Udoni ea occasione factam.

liæ moraretur, Principes Regni apud Villam Forchem in unum pariter convenerunt, et Rodulphum egregium Ducem sibi in Regem unanimiter elegerunt, virum siquidem magni consilii, et in armis frequenter expertum, ac nimis illustrem. Quod ubi Rex Henricus audivit, non mediocriter commotus est, et in iracundiam vehementer exarsit. Verumtamen, sicut vir callidus et sagax, Dominum Papam Gregorium per nuntios suos blande et humiliter exoravit quatenus eumdem Rodulphum mox excommunicationi subjiceret. Pontifex autem, consilio habito, respondit se hoc libenter facturum, si Rodulphus a se vocatus rationem sui facti reddere nollet : non enim justum aut rationabile videbatur, ut priusquam conveniretur excommunicationis gladio puniri deberet. Hujus itaque responsionis occasione adversus Pontificem maximam indignationem concepit; sed quia gravissima sibi negotia incumbebant, hoc prætermisso, in Franciam et Bavariam contra Rodulphum in manu valida festinavit : econtra Rodulphus, de justitia sua confidens, ad conflictum certaminis animositate maxima properavit. Quid plura? Horribili bello acriter utrimque commisso, cæsa sunt multa millia hominum hinc inde : sed quis eorum prævaluerit non habetur certum.

10. Post hoc autem Dominus Gregorius regressus est cum honore ad urbem Romam : illico Synodum convocavit, in qua interfuerunt Nuntii amborum regum, quibus Pontifex districte præcepit ne ipsi Reges ante adventum Legatorum suorum pugnare præsumerent, sed congruus locus ab episcopis utriusque partis inveniretur, in quo ante ipsos Legatos rationes suas quæque pars secure valeat demonstrare. Quod verbum licet Nuntiis ipsis placuerit, impediente tamen humani generis inimico, disturbatum fuit; et iterum peccatis exigentibus inter eosdem Reges horribiliter est pugnatum, ubi maxima virorum fortium multitudo cecidit. Quæ causa dum devenit ad aures summi Pontificis, pro tanta occisione vehementer ingemuit : sed a pio quod tanta cœperat opere nolens desistere, Synodum in proxima Quadragesima iterum convocavit : in qua utriusque partis Nuntii venientes, juraverunt ore proprio quod statutum ab Apostolica Sede colloquium per culpam ipsorum Regum nullatenus est disturbatum. Ideoque, deliberato Consilio, Pontifex ad partes illas venerabiles viros Petrum Albanum (154), atque Odalricum (155) Paduanum episcopos, et Aquilegicum Patriarcham (156), pro sedando tantæ discordiæ malo, transmittere studuit : quibus in mandatis dedit, ut eosdem Reges a bellorum congressibus prohiberent, et convocata Synodo Episcopos et religiosos viros ad suam præsentiam juberent accedere. Qui accepto mandato transierunt A ad Regem in Bavariam, et ei consilium et voluntatem Patris sui Pontificis ostenderunt : sed apud ipsum efficere nullatenus potuerunt, quod in Regno suo pateretur Synodum celebrari, nisi Rodulphum Regem absque citatione, non confessum vel convictum, excommunicationis vinculo innodarent. Quod quia Legati facere non præsumpserunt, dolentes quod absque fructu eorum fatigatio remanebat, infecto negotio remearunt ad urbem Romam. Iterum autem inter eosdem Reges acriter est pugnatum, et multa millia hominum, maxime Bohemorum, cæsa sunt. Interea venerabilis Pontifex, receptis Nuntiis Roberti Guiscardi, egregii Normannorum Ducis, versus Apuliam post octavas Pentecostes iter arripuit, et cum ipso apud Aquinum B colloquium habuit. Congrua itaque ab eo satisfactione suscepta, prius a vinculo excommunicationis eum absolvit et consequenter fidelitatem et homagium ejus recepit. Postmodum vero jam assumptum in specialem Beati Petri Militem, de totius Apuliæ et Calabriæ Ducatu, per vexillum Sedis Apostolicæ, investivit.

CAPUT III.

Guiberti Antipapæ promotio : Henrici fuga ab Urbe : mors Gregorii.

11. Eodem quoque tempore Rex Henricus, in magna superbia elevatus, antedictum Leimarum Bremensem et Hermannum Bambergensem Antistitem, cervicosos viros, destinavit ad urbem Romanam per quos C nimis proterve mandavit Papæ Gregorio, ac si potestatem super eum haberet, quatenus Rodulphum sibi adversantem excommunicare nullatenus protelaret : quod si non faceret, ipse Papam (157) sibi acquireret, qui ecclesiastica censura sui hostis insolentiam coerceret. Venerabilis papa, qui pro justitia sanguinem proprium fundere paratus erat, non ad procacitatem (158) verborum superbi Regis, sed ad mandata Judicis æterni respiciens, sæpe fatum Rodulphum, rationem justam prætendentem, anathematizare, sicut non debuit, minime voluit, sed eumdem Regem frequenter commonitum, et a suis excessibus non resipiscentem, quoniam legatos Sedis Apostolicæ Concilium in terra dominationis suæ nequaquam celebrare permisit, tamquam inobe- D dientem et rebellem iterato excommunicationi subjecit, quibus ita peractis, Legati cum indignatione ad Regis præsentiam redierunt, ipsius animum ad deteriora, sicut viri Deo odibiles, instantius commoventes. Rex vero ubi se cognovit per sententiam Romani Pontificis a consortio fidelium segregatum, tristis effectus est : sed cum a diversis diversa darentur sibi consilia, in anxietatis dubio positus, quid potius eligeret ignorabat. Tandem perversorum Antistitum et impiorum Principum sententia

(154) Hic est S. *Petrus Igneus*, ex Ordine Vallisumbrosæ, an. 1074 creatus Cardinalis Episcopus Albanensis.

(155) *Uldaricum* appellat Ughellus, qui ecclesiam Patavinam rexit usque ad an. 1090, haud diu ante hanc Legationem creatus Episcopus.

(156) *Henricus*, mortuo miserabiliter schismatico Sigefrido suffectus, hoc ipso anno 1077, alii *Sigehardum* appellant : Ughellus *Sigefridum* a *Sigehardo* non distinguit.

(157) Cencius, *Papatum*.

(158) Idem, *Procacitatis verba*.

prævalente, apud Brixiam generalem Curiam disposuit celebrare. Convenerunt itaque in loco ipso plurimi seditiosi et infames Episcopi, cum multitudine Clericorum et Principum, quatenus in jacturam Domini Gregorii Papæ possent aliquid mali ordinare vel statuere, ut inter Romanam Ecclesiam et Imperium discordia futuris temporibus fulciretur. Communicato itaque execrabili et detestando consilio, de consensu ipsius Regis, elegerunt in Romanum Pontificem, immo Antipapam, Guibertum Ravennatensem, virum manifeste perjurum, atque omni malitia et dolositate plenum. Et quoniam plerumque contigit, ut peccatum sit pœna peccati, de superbiæ radice processit ad perjurium, de perjurio ad inobedientiam, de inobedientia ad excommunicationem cecidit, et de excommunicatione pervenit ad idololatriam. Hunc talem, sicut diximus, Rex Henricus adoravit pronus in terram; qui etiam, suadente Dionysio Placentino Episcopo, jurasse asseritur ut ab eo Imperii coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus, omnes qui præsentes aderant mente excæcati sunt, non ut respicerent cælum, sed ad ejus vestigia osculanda, heu! proh dolor! se pariter incurvarunt. Et his ita peractis, Rex in apertam hæresim lapsus, ad propria in Octavis Apostolorum regressus est; Guibertus vero hæresiarcha, insignitus Papalibus insigniis, cum complicibus suis pompose intravit Italiam.

12. Eodem tempore idem Rex, in maxima potentia et manu robusta, commissurus prælium cum Rege Rodulpho, contumaciter intravit Saxoniam; cui ex adverso Rodulphus potenter occurrit; et atrocissimo hinc inde facto congressu, Henricus contumeliose terga vertit; atque in longum accerrime ab hostibus persecutus, jam de vita diffidens, in quodam se castro recepit, ubi per septem dierum spatium latitavit. Rodulphus autem, sicut vir fortissimus et famosus, et in armorum exercitatione probatus, nequaquam fugit, sed victor et triumphator occubuit, quia eum sui non cognoscentes exitialiter vulneraverant (159). Cum autem diutius requireretur a sociis suis, tandem super stragem et cadavera inimicorum, non sine planctu maximo, repertus est, cujus mors postquam Henrico, latitanti et de fuga cogitanti nuntiata fuit, mox in altum cornu suum erexit, et adversus Dominum Gregorium Papam contumelias et terrores procaciter loqui cœpit, credens detestabilia facta sua in mortem Rudolphi Domino placuisse. Post ubi vero hæc gesta sunt, evolutis paucis diebus, Henricus filius

A ejus cum exercitu illustris Comitissæ Matildis pugnavit: et quia, sicut fieri solet, varius est eventus belli, victoriam habuit. His igitur successibus provocatus derepente intravit Italiam, et post Pascha cum idolo quod erexerat Romam veniens, circa Pentecosten castrametatus est in prato Neronis. Sed quis tantorum prudentium virorum admirari non poterat Regis et Guiberti hæresiarchæ apertam insaniam, et impudentem stultitiam? Quamvis enim mentis oculos perdiderint, visum tamen corporis non amiserant. An non videbant illam bestiam, quæ ab eis ducebatur, quam honorifice a Romanis suscipiebatur et venerabatur? Quippe pro laudibus exhibebant convicia; pro canticis ululatus, pro cereis lanceas, pro cœtibus

B Clericorum armatos. Ut autem in paucis plurima perstringamus, post agrorum vastationem et multas cædes suorum civium, post varias clades atque miserias, quas perpessi sunt Romani, quia Pseudopapam recipere contempserunt; Rex, concepta spe ac desiderio suo fraudatus, et in sua erubescentia confusus, in Lombardiam cum suo idolo remeavit, et Dominus Gregorius Papa in Apostolica Sede remansit intrepidus.

13. Anno quoque secundo per Spoletanum Ducatum ad Urbem iterum redit, et per totum Quadragesimale tempus ipsam Romam cum multa hostilitate obsedit. Adveniente vero tempore Paschali, ut æstivum cauma vitaret, dispersit per circumpositas civitates exercitum, et ipse in Lombardiam cum

C paucis reverti studuit; Guibertum vero apud Tiburtum dimisit, et exercitui suo præfecit, qui, postposito Sacerdotio, per incumbentem æstatem agros et segetes Romanorum vastavit, et alia mala tamquam vir sanguinum eisdem Romanis hostiliter intulit. Sic tertio quoque anno idem Rex ad obsidendam Romam reversus est: sed quia seipsum excommunicatum a Cluniacensi Abbate (160) atque aliis religiosis Deum timentibus pro certo haberi cognovit, ut eorum simplicitatem melius circumvenire posset, ad callida se argumenta convertit. Post captionem itaque Ostiensis Episcopi et aliorum multorum, quos præcepit absolutos dimitti, universis Romam visitare volentibus firmam securitatem dedit, quam juramento publice confirmavit; et ut

D popularem favorem omnino consequeretur et gratiam, in publico dixit quod a Domino Gregorio Papa imperialis coronæ dignitatem vellet accipere. Quod postquam populus Romanus cum religiosis viris audivit, non mediocriter lætati sunt omnes;

(159) Longe aliter alii de morte *Rodulphi*: quem ab Aquilifero Cæsareo (Godefridum Bullionium credunt fuisse nonnulli) transfixum, et ab alio superveniente dextera mutilatum volunt. Et de dextera quidam expresse Abbas Uspergensis et Auctor Vitæ Henrici sic meminerunt, ut hanc dicant ultionem fuisse fidei Henrico non servatæ: quin etiam Uspergensis ait, ipsummet in morte sua id agnovisse: quæ an fidem mereantur scripta ab Henrici partiariis, merito dubites: uti et ea, quæ contra ipsum scripta sunt a partis melioris defensoribus, haud quaquam in omnibus certa sunt.

(160) S. *Hugo Cluniacensis* hic fuit, cujus gratiam quam supplicibus litteris ambiverit simulate pœnitens Henricus, maxime cum cœpit filium sibi oppositum experiri, ostendimus § 2, ante S. Hugonis Acta 29 Aprilis. Erat autem ille tunc in Italia visitque Cassinense monasterium, uti ad an. 1083, num. 16, Baronius docet.

et ad vestigia Pontificis lacrymabiliter accedentes, ipsum cum magna instantia exoraverunt, ut patriæ jam fere perditæ misereretur, et paterna clementia condoleret. Pontifex autem, qui pro justitia et ecclesiastica libertate tuenda, si rationabilis causa exigeret, mortem subire paratissimus existebat, constanter in hunc modum respondit : Ego versutias et calliditates Regis frequenter expertus sum : sed, si vult in iis in quibus manifeste peccavit Deo et Ecclesiæ satisfacere, ipsum libenter absolvam, et Imperialem sibi coronam cum benedictione imponam; alioquin nec debeo, nec possum vos in hac parte ullatenus exaudire.

14. Quod verbum cum Rex remordente conscientia denegaret facere, et populus Pontifici per plures dies vehementer instaret, ut absque satisfactione Regem susciperet, et Pontifex ad eorum cæcas preces omnino permaneret immobilis, Rex paulatim cœpit popularem favorem pecunia et terrore sibi acquirere. Quod ut Pontifex manifeste cognovit, de constantia populi prorsus diffidens, in Castro Crescentii se cum Fratribus suis recepit. Rex itaque, quoniam populum Romanum ad voluntatem suam indubitanter attraxerat, Guibertum in Sede Apostolica violenter intrusit. Sed cum de Romana Ecclesia nullum Episcopum vel Cardinalem posset habere, a Bononiensi, et Mutinensi, atque Cerviensi (161) Pseudoepiscopis fecit eum, secundum consuetudinem Romanorum Pontificum, execrabiliter benedici : et in festo Paschatis ab eodem Huberto Imperii coronam impudenter assumpsit : post modicum vero ad obsidionem Castri (162) Crescentii universos Romanos conduxit. Pontifex autem, sicut vir cautus et providus, jam diu Robertum Guiscardi, egregium Normannorum Ducem, sollicitare studuerat, ut in manu valida contra illatam sibi violentiam, et potenter succurreret; quem ad ipsius liberationem cum maximo exercitu celebriter venientem audivit. Quod ubi Rex Henricus in veritate cognovit, vehementer expavit, et illico ad ecclesiam S. Petri rediens, domo Capitolina et Leonina civitate destructa, vale faciens Romanis, cum eodem Guiberto, non sine multo rubore, aufugit. In sequenti die, antequam Senam Rex pervenisset, memoratus Robertus Dux, tanquam leo fortissimus Romam violenter intravit, quam non per triennium sicut Rex Henricus, sed una et eadem die in manu valida cepit : atque beatissimum Patrem et Dominum nostrum Papam, suffragantibus sibi sanctorum Apostolorum Petri et Pauli meritis, ab obsidione qua tenebatur potentissime liberavit. Sic itaque ipsam venerabilem civitatem velociter expugnatam, sicut gloriosus triumphator, per plurimos dies possedit, vendens plurimos ex ipsis perfidis civibus, qui Dominum et Pastorem suum perdiderant : quosdam vero mutilavit, et quosdam secum usque ad Calabriam captivos duxit? sed in ingressu ipsius Civitatis regionem Lateranensem ad Colosseum (163) ferro et flamma combussit. His igitur ita peractis Dux ad propria rediit, et Patrem suum Gregorium Pontificem, in Lateranensi palatio sedentem cum Fratribus suis Episcopis et Cardinalibus, in pace dimisit, pertractantem Ecclesiæ negotia pro sui officii debito, de diversis mundi partibus emergentia.

15. Hic liberavit ab illicita occupatione sexaginta Mansionariorum B. Petri ecclesiam, qui universa Oratoria seu ministeria ipsius ecclesiæ, præter majus altare, quadam violentia detinebant, cuncta oratorum advenientium oblationes in usus proprios redigebant. Erant autem Cives Romani, uxorati seu concubinarii, barba rasi et mitrati, mentientes oratoribus et præcipue multitudini rusticanæ Lombardorum, asserentes se Cardinales Præsbyteros esse; quorum utique oblationibus receptis, indulgentiam eis et remissionem peccatorum ausu nefario impudenter præstabant. Hi, occasione custodiendæ ecclesiæ, consurgentes intempestæ noctis silentio, infra et circa eamdem ecclesiam multa impune homicidia, rapinas, varia stupra, et diversa latrocinia exercebant : quos, sicut diximus, Beatus Pontifex ab eadem ecclesia non sine multa difficultate removit, et custodiæ curam honestis Clericis et Sacerdotibus commisit et tradidit. Hic ter quaterque vere beatus Pontifex, post diutinam in Urbe moram, descendit in Apuliam; et, occurrente sibi jam dicto Duce Roberto Guiscardi, Salerni famosam civitatem gloriose intravit. Ibique, dum salutis monita concurrenti populo daret, repente in lectum ægritudinis decidens, in beata confessione, post modicum, diem feliciter clausit extremum. Ad cujus utique corpus, in B. Matthæi basilica honorifice tumulatum, mirabilis Deus multa miracula operari dignatus est.

(161) Erant hi *Sigefridus* Bononiensis, *Heribertus* Mutinensis : *Cerviensis* nomen ignoratur, deficiente Episcoporum serie ab anno 1069, quando scitur quemdam *Bonum* vixisse (qui forte usque huc superfuit) ad annum 1101. Blondus autem pro Cerviensi *Tarvisinum* substituit, qui posset fuisse *Accelinus*, anno 1082 Ecclesiæ isti præsidens : ab his autem execrationem suam potius quam consecrationem accepit Guibertus, in Dominica Palmarum anno 1084, adeoque 24 Martii : nam Pascha celebratum fuit 31 ejusdem.

(162) *Moles Adriani* antiquitus, deinde *S. Angeli* sub Gregorio I dici cœpta, adjectisque postea munitionibus *Castrum*; et anno 985, ab eo qui postea ipsum novis operibus communivit, *Crescentio Numentano*, nomen diu tenuit, et ut apparet etiam hac ætate tenebat. Ospergensis nominat *Castellum Crescentii, quod vulgo domus Theodorici dicitur*.

(163) Nicolao *Coliseum*, quod nomen hodieque in usu est, et erat cum scriberet Anastasius Bibliothecarius : ita autem dictum volunt Amphitheatrum illud maximum, quod a Vespasiano et Tito extructum esse juxta viam sacram, eo loci, qui jam a Neronis tempore nomen habebat ad immani 120 pedum Colosso, quem ille sibi erexerat.

III.

EX MS. NOSTRO DE VITIS PONTIFICUM
USQUE AD MARTINUM V DEDUCTIS.

CAPUT PRIMUM.

Acta primo hujus Pontificatus quinquennio (164).

Hic præclarus et almificus Pontifex, 3 anno sui Pontificatus, in Nocte Nativitatis Domini, apud S. Mariam Majorem ad Præsepe, dum Missam celebrabat, in confractione Dominici Corporis super altari, a quodam Centio Stephani captus fuit et perductus in domum dicti Centii : quæ domus posita erat in loco, qui vocatur Parrioni (165). Sed quia dies erat celeberrimus, omnes Romani in unum convenerunt, ad prædictam domum capiendam perrexerunt, et Dominum Papam de tanta injuria liberaverunt. Liberatus itaque D. Papa, ad ecclesiam in qua captus fuit, indutis solemnibus vestimentis ut mos erat reversus, Missam quam incœperat perfinivit : ad palatium denique coronatus, et cum omni laude Episcoporum atque Cardinalium et Procerum reversus, quidquid consuetudinis est celebravit. Romani, tantam injuriam ferre non valentes, domum Centii cum omnibus bonis devastarunt, et in terram contra D. Papæ voluntatem prostraverunt. Ipse vero qui malum et prædictum scelus commiserat, aufugit a manibus eorum, et Curiam Teutonici Regis requisivit. Quid vero mali commiserit, quas falsitates composuerit, quam discordiam inter Regnum et Sacerdotium fecerit, et ad ultimum suo instinctu usque in finem perduxerit, in sequentibus (prout melius potero) explicare curabo. Nunc pauco intervallo, quod prædictus Pontifex, interea dum ipse ivit, stetit, et A rediit, operatus est, dicere pro posse studeam.

2. Secundo anno sui Pontificatus, antequam istud factum fuisset, unde præfatus (166) malevolus occasionem acceperat, in Concilio, quod ipse Romæ a VI Kal. Martii usque ad II Kal. prædicti mensis celebravit; quinque de familia Regis Teutonicorum, quorum consiliis ecclesiæ vendebantur, a liminibus Ecclesiæ separavit. (167) Ita ut, si abinde usque ad Kalendas Junii Romam non venirent et satisfacerent, excommunicati haberentur. Philippus (168) Rex Francorum, si Nuntiis Papæ ad Gallias ituris, de satisfactione et emendatione securitatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremensem Archiepiscopum, pro inobedientia superbiæ suæ, ab Episcopali officio suspendit, et a Corpore et sangui- B ne Domini interdixit. Guarnerium Strazburgensem ab episcopali et sacerdotali officio suspendit. Henricum Spirensem suspendit : Herimannum Bambergensem, si ante Pascha non venerit satisfacturus, similiter suspendit. Item in Longobardia Gulielmum Papiensem et Cunibertum Taurinensem suspendit. Dionysium Placentinum deposuit. Robertum Ducem Apuliæ jam anathematizatum, et Robertum de Loritello, invasores bonorum S. Petri excommunicavit.

3. Tertio vero anno idem Papa Romæ in Basilica Salvatoris Synodum (169) celebravit, in qua Sigefridum Maguntinum Archiepiscopum, qui conatus est Episcopos et Abbates Regni Teutonicorum a

C

(164) Præmittitur decretum electionis, iisdem verbis quibus in Vita num. 21 cum hac dumtaxat varietate quod ibi simpliciter electio facta dicatur *die sepulturæ Domini Alexandri:* hic vero die 3 *Sepulturæ.* Quia autem facilius fuit originali textui aliquid decedere per incuriam transcribentium, quam accedere, ideo non videtur id otiose prætermittendum : sed suspicor originaliter scriptum fuisse, *die* 3, *mortis et die sepulturæ.*

(165) Ecgraphum quidem nostrum *Parriam :* sed hujusmodi mendis ipsum scatet, elegantia majori quam accuratione transcriptum. Est autem *Parrione* nomen Regionis unius ex 14, in quas Urbs tota dividitur, simulque plateæ ab illa ducentis versus Pontem S. Angeli : atque ita facile conciliabuntur textus, in quibus vocatur *turris ad pontem S. Petri,* quia per hunc itur ad Burgum S. Petri, seu urbem quam vocant Leoninam.

(166) Mss. Vitæ Pontificum apud nos habent quidem *Maii:* sed Summarium Actorum, descriptum in Registro libri seu anni secundi, uti testatur Baronius, habes *Martii* et merito. Nam summarium istud in quo notatur Dionysii depositio, continetur in epistola 54, *data Romæ* V *Nonas Martii, Indictione* 13, ipsumque summarium ponitur statim post Epistolam 2, datam *in Synodo, secunda Kalendas Martii.* Cum ergo sequens Pascha, ad quod infra citatur Hermannus Bambergensis, celebrandum fuerit 5 Aprilis, sequitur Synodum hanc cœpisse fer. 3 primæ Hedbomadæ Quadragesimalis in festo S. Matthiæ. Notatus autem in eodem Registro annus Christi 1074 indicat usque ad proximum Annuntiationis festum tunc adhuc Romanis cucurrisse suum annum, ex usu Florentinorum, quod et Baronius notavit.

(167) Quæ sequuntur visum est ex registro juxta Baronium hic adjungere, tanquam ex fonte, unde partem delibavit auctor horum Actorum.

(168) *Philippum Franciæ regem,* de Simonia apud se accusatum a clero Matisconensi, jusserat Gregorius a Ruderico Caballonensi episcopo moneri per epistolam, *datam Piperni* II *Nonas Decembris, indict.* XII, adeoque tribus fere mensibus ante hanc synodum.

D (169) Hanc quoque synodum esse in Quadragesima celebratam, cujus I Dominica incidit in 15 Februarii, persuadet nota anni 1075, adhuc usque ad Annuntiationem currentis, addita apud Baronium ex eodem (ut putamus) registro; ubi non dubito quin in summariis aliarum sequentium sub Grego-

sancta Romana Ecclesia speciali Matre sua scindere, A judicio sancti Spiritus et auctoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ab omni Episcopali officio suspendit, et a communione Corporis et Sanguinis Domini separavit, nisi forte mortis periculum ei superveniret, ita tamen ut pœnitentia ductus resipisceret: cæteros vero qui ejus schismati consentiendo subscriberent, ab omni Episcopali officio suspendit. (170) Illos vero qui non sua sponte consenserunt usque ad festivitatem S. Petri toleravit, eo quidem respectu, ut si infra istum terminum idoneam, aut per se aut per nuntios suos, satisfactionem præsentiæ suæ non obtulerint, Episcopali deinceps officio priventur. Episcopos Longobardiæ, qui, spreta Canonica et Apostolica auctorita e contra B. Petrum Apostolorum Principem (eique præstitum) B sacramentum conspiraverunt, auctoritate ejusdem B. Petri ab omni Episcopali officio suspendit, et a communione Sanctæ Ecclesiæ separavit. Agathensem Episcopum Berengarium, quia Narbonensi Episcopo excommunicato, communicavit, et vices Episcopales pro illo fecit, excommunicavit. Viennensem Episcopum Herimannum, juste depositum pro Simonia, perjuriis, sacrilegiis, apostasia, quia Viennensem Ecclesiam infestare non desistebat, excommunicavit: et Ecclesiis Romanensi et S. Isidori Lugdunensi, quousque eas occupaverit, divinum interdixit Officium. Desiderium et Romanensis Ecclesiæ Clericos, qui Regulares ab ea expulerunt et excommunicatis communicaverunt, inde donec satisfacerent excommunicavit. Abbatem S. Ægidii similiter et C Comitem S. Ægidii, propter consanguineam; et Comitem Forensem, et Umbertum de Bello Joco, propter infestationes Lugdunensis Ecclesiæ; Podiensem Simoniacum (171) (et) homicidam Stephanum, scilicet a Legatis suis excommunicatum, et Pontium Gratianopolitanum quousque resipisceret excommunicavit, et ea quæ Diensis episcopus in Episcopatu Diensi de decimis, et primitiis, et ecclesiis fecit, et cætera quæ in Legatione (172) Apostolica statuit, confirmavit.

4. Item Henricum, filium Henrici Imperatoris, in eadem Synodo in hunc modum excommunicavit: Beate Petre, Apostolorum Princeps, etc. (173)... Post excommunicationem vero multum rogatus a quibus- D dam fuit ut pacem cum eo faceret. Responsio (autem) illius talis erat: Cum eo nos pacem velle habere, se ipse cum Deo pacem (habere) studuerit: nam vestra fraternitas minime ignorat, quanto tempore sancta Ecclesia inauditas pravitates et diversas iniquitates Regis (et utinam Christiani veri!) sustinuit, et quantæ ruinæ quantæque calamitatis ipso auctore, hoste antiquo præcedente, (janua) patuit: cui nos paterna dilectione, et amore patris ac matris ejus ducti, adhuc in Diaconatu positi, admonitionis verba suavissima transmisimus, atque summopere et frequenter eum per viros revocare procuravimus. Illis autem qui dicebant Regem non posse excommunicari, sic respondebat: Quando Deus Ecclesiam suam ter Beato Petro commisit, dicens, *Pasce oves meas*, Reges excepit? Ubi Deus principaliter B. Petro dedit potestatem ligandi et solvendi in cœlo et in terra, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit: nam qui se negat Ecclesiæ vinculo non posse alligari, restat ut neget se non posse ab ejus potestate absolvi: et qui hoc impudenter negat, se omnino a Christo sequestrat. Nunc qualiter est reversus prædictus Rex post excommunicationem ad D. Papæ obedientiam, et quid fecerit, dicamus.

5. Ad oppidum Canusii apud Longobardiam, in quo D. Papa erat cum paucis, Rex advenit: ibique per triduum ante portam castri... persistens... omnes ad compassionis misericordiam movit... Denique instantia compunctionis ejus et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devictus D. Papa, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum Matris Ecclesiæ recepit, acceptis ab eo securitatibus quæ inferius scriptæ sunt... Hoc est jusjurandum Henrici Regis Teutonicorum: Ego Henricus Rex, etc. *ut supra in Vita num.* 75. Actum Canusii v Kal. Februarii, Indictione 15 (174). Dum vero in excommunicatione manebat, divortium quoddam inter Henricum Regem et Rodulfum de dignitate ortum est: quod videlicet divortium multi a D. Papa factum esse clamabant: sed nullo modo se illos offendisse (175) prædictus Pontifex profitebatur, imo utrique misit ut viam sibi præpararent, quatenus pro diffiniendo tanto negotio secure posset procedere: quia mallet millies, si posset, mori, quam sua occasione tot millia hominum morti traderentur.

6. Quinto anno (176) sui Pontificatus celebravit Romæ Synodum, ubi interfuerunt Archiepiscopi et Episcopi diversarum urbium fere numero centum, nec non et Abbatum ac diversorum Ordinum Clericorum et laicorum innumerabilis multitudo: in qua Apostolica auctoritate (multa quæ corrigenda erant correxit et quæ corroboranda firmavit. Inter cætera autem in fine Synodalis absolutionis Tedaldum, dictum Archiepiscopum Mediolanensem, et) Guibertum Ravennatem, inaudita superbia et hæresi adversus sanctam Ecclesiam Catholicam se extollentes,

rio synodorum anni uniformiter incipiantur; licet Baronius, abhinc stylum mutans, annos notet velut a Kal. Januarii cœptos.

(170) Ex eodem fonte rursus addo sequentia.

(171) Deerat conjunctio, quam supplemus; agitur enim (ut apparet) de Podiensi episcopo, qui tunc erat Stephanus, adeoque de eodem.

(172) Legationis, *Hugoni Diensi* per Galliam commissæ, multa est mentio in epistolis Gregorii, sed omnes hoc anno posteriores sunt, ut videatur non diu ante cœpta fuisse.

(173) Eamdem ipsam formulam jam legisti in Vita num. 63, quare hic omittitur.

(174) Adeoque anno 1077. Datam omiserat Paulus, quem apparet hinc verbotenus descripsisse totum istum locum; quare eadem hic iterare nolentes, punctis signatis lectorem illuc remittimus.

(175) *Offendisse*, id est in mutuam offensionem concitasse.

(176) *Annum* 1078 notant Acta Synodi, apud Ba-

ab Episcopali et Sacerdotali officio suspendit : et olim jam factum anathema super ipsos renovavit, eo quod vocati ad Synodum venire (177) contempserunt. (Arnulphum Cremonensem, publice coram D. Papa convictum et confitentem se Simoniacum, ab omni Episcopali officio absque spe recuperationis deposuit, et usque ad condignam satisfactionem anathemate percussit). Rolandum quoque Tarvisiensem, qui pro adipiscendo Episcopatus honore subdolus factus Legatus, inter Regnum et Sacerdotium schisma facere non abhorruit, (ut amodo et usque in sæculum Episcopali careat dignitate, Apostolica censura censuit; et ut nullus successorum suæ consecrationi aliquo modo consentiat, modis omnibus prohibuit; et) perpetuo anathemate eum alligavit, nisi resipuerit et digne Deo satisfecerit. Ugonem Cardinalem tit. S. Clementis, tertio ab Apostolica Sede damnatum, eo quod aspirator et socius factus hæresis Caduli Parmensis Episcopi; (et iterum constitutus Legatus Apostolica Sede damnatis se conjunxit; et tertio factus apostata et hæresiarcha, schismata et divisiones atque scissuras in Ecclesia Dei, tentans eam scindere, fecit; ab omni Sacerdotali officio privavit, et tam ab ingressu et honore prædictæ Ecclesiæ, quam omnium Ecclesiarum sub perpetua et irrevocabili sententia submovit, et) usque ad satisfactionem anathemate percussit. (Renovavit etiam excommunicationem a prædecessoribus factam super Gaufredum Archiepiscopum Narbonensem, et absque ulla recuperationis spe ab Episcopali Officio eum submovit.)... (178) Expleto Concilio misit nuntios suos, videlicet Bernardum (179) Diaconum et Bernardum Massiliensem Abbatem (180), cum Udone Treverensi Archiepiscopo, ad componendam pacem cum Rege Henrico et Rodulpho, quem Teutonici sibi Regem elegerant; præcepitque eis ut stricte discernerent, quis ex duobus majorem haberet justitiam; et cuicumque justitia competeret, illi Regni gubernacula traderent: quia justior pars amplius de Deo confidere potest, et potestate B. Petri omnino erit adjuta.

CAPUT II.

Plures synodi reliquo Gregorii pontificatu ab eo habitæ.

7. Anno sexto pontificatus Gregorii, mense Novembri die 18, indictione XI, Marro, Guilleri filius, habitator in ducatu Spoletano, pro redemptione animæ suæ et parentum suorum, obtulit B. Petro et super altare ejus omnia quæ ei pertinebant de castro quod vocatur Moricida, posito inter Muricem et Clarignanum; quod conquisitum habebat per concambiationem a Liraldo et Hugone, nepotibus Ugonis filii Ascari, in plebe de Luzano (180 *bis*), reservato usu fructu diebus vitæ suæ et Bruturi sui filii et filiorum Bruturi, si masculi fuerint de legitimo matrimonio procreati. Eodem vero anno (III Kal. Decembris, synodus) celebrata est ab eodem pontifice, in qua inter cætera excommunicatus est Constantinopolitanus imperator (181). Juraverunt quoque in eadem synodo legati Henrici et Rodulfi, quisque pro domino suo, quod nullis dolis colloquium legatorum Sedis Apostolicæ in Teutonico regno habendum impedient. Multa etiam alia sunt ab eodem in eadem synodo constituta (182), quæ longum est enarrare. Renovavit autem et anathema factum super Guibertum Ravennatem, et civibus majoribus omnibus atque minoribus nuntiavit, eum esse excommunicatum et destructorem Ecclesiæ Ravennatis.

8. Altero quidem anno (183) pontificatus ejusdem 6 mense Februario, indictione II, celebrata est synodus Romæ, ad honorem Dei et ædificationem Ecclesiæ, in basilica Sancti Salvatoris; in qua omnes archiepiscopi, religiosæ personæ, congregatæ sunt, ut sanctam synodum celebrarent. Omnibus igitur congregatis, habitus est sermo de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hæc, nonnullis illa, prius sentientibus. Maxima siquidem pars, panem et vinum, per sacræ orationis verba et sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum, de Virgine natum, quod et in cruce pependit, et in sanguinem, qui de ejus latere militis effusus est lancea, asserebat, atque auctoritatibus orthodoxorum Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, modis omnibus defendebat; quidam vero, nimia cæcitate perculsi, figuram tantum (et substantiale illud corpus in dextera Patris sedens esse); se et alios decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere. Verum ubi cœpit res

ronium, et ex lib. v, epist. 13, constat indictam fuisse, pro *proxime venturæ Quadragesimæ hebdomada* prima, cujus Dominica eo anno, Pascha habente ad 8 Aprilis, incidere debebat in 25 Februarii.

(177) Ms. nostrum præcitatum not. 166 quia de Thedaldo tacuerat, omnia posuit in singulari; sed epistolam Guiberto nominatim scriptam, ad omnes etiam Lombardiæ episcopos, etc., directam esse, habet titulus; et verosimiliter Thedaldo nominatim exemplar missum fuit, tanquam capiti episcoporum Lombardiæ, sicut Guibertus erat Æmiliæ.

(178) Sequebantur hic quæ habet Paulus de mittendis ad pacem legatis num. 90 et ante conclusionem, qua dicitur id totum *Actum Romæ in ecclesia Domini Salvatoris*, v *Nonas Martii, indictione* I, alia quædam decreta leguntur apud Baronium, indeque in Collectione conciliorum, quæ satis est ibi posse inveniri.

(179) *Bernardum diaconum* Papiensem, a Nicolao II creatum cardinalem, ait Lambertus Schaffnaburgensis, aliqui ab ipsomet Gregorio primum volunt esse promotum.

(180) Hunc quoque abbatem S. Victoris Gregorius cardinalem creaverat; qui a Bertholdo Constantiensi laudatur ut *vir omni charitate plenus*, et obiit anno 1079.

(180 *bis*) *Luigianum* Spoleto versus Marchiam distat 5 p. m. et hinc intervallo 2 aut 3 milliarium, secundum tabulam topographicam Umbriæ, *C. Moro*, id est, *Castellum Mauri*; et *Can-Moro* id est, *Campus-Mauri*, quæ videntur huc facere, licet nomina *Muricis* et *Clarignani* modo non reperiantur.

(181) *Nicephorus Botoniates*, tyrannice sibi Imperium vendicant, Michaelem cum conjuge et filio in Blachernis captos in monasterium relegarat : erat autem Michael Ducas Romanæ Ecclesiæ communioni adhærens.

(182) Inveniuntur adhuc Tituli 33 Capitulorum, decreta vero iis respondentia 12 duntaxat supersunt.

(183) Anno 1079, nam prior Synodus pertinet ad an. 1078.

agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in synodum, defecit contra veritatem niti pars altera. Nempe Spiritus sancti ignis, emolumenta palearum consumens, et fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius, hujus erroris magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram concilio frequenti confessus, veniamque postulans et orans, eam ex apostolica clementia meruit, juravitque sicut in consequentibus continetur:

9. Ego Berengarius, corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi; et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est; non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ et veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. Tunc D. papa præcepit Berengario, ex auctoritate Dei omnipotentis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret; excepto causa reducendi ad hanc fidem eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.

10. His itaque pie et feliciter actis, inter multas proclamationes conquesti sunt legati regis Rodulphi super Henrico, quod, nulli loco, nulli personæ parcens religionem (*forte*, regionem) transalpinam contereret et conculcaret; neminem debitus ordo, honor aut reverentia tueretur; et uti vilia mancipia, non modo sacerdotes et clerici, verum etiam archiepiscopi et episcopi caperentur, vinculisque manciparentur, partimque trucidarentur. Decreverunt ergo quam plures concilii, in illius tyrannidem gladium apostolicum debere evaginari; sed distulit apostolica mansuetudo. Juraverunt igitur legati Henrici regis illud, quod in sequentibus scriptum reperitur; Legati Domini mei ad vos venient infra terminum ascensionis Domini (184), excepta majori vi, id est morte vel gravi infirmitate vel captione absque dolo, qui legatos Romanæ Ecclesiæ secure ducent et reducent; et Dominus Rex erit obediens illis, secundum justitiam et judicium illorum; et hæc omnia absque dolo, nisi quantum ex jussione vestra remanserit. Et hæc juro ex præcepto domini mei regis Henrici. Itidemque Rodulphi quod sequitur: Si colloquium ex vestro præcepto constitutum fuerit A in partibus Teutonicis, loco et tempore a volis definito, ante præsentiam vestram vel legatorum vestrorum, dominus noster rex Rodulphus vel ipse veniet, vel episcopos et fideles suos mittet; paratusque erit judicium de causa regni subire, nulloque malo ingenio conventum a vobis sive legatis vestris constitutum impediet; et postquam inde certum vestrum nuntium videbit, de pace in regno statuenda et confirmanda, studebit ut legatio vestra provenire ad pacem regni et concordiam possit. Hæc omnia observabuntur, nisi quantum ex vestra licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet morte vel gravi infirmitate vel captione sine dolo. (185)

B 11. Septimo quoque anno sui pontificatus idem Pontifex Romæ celebravit synodum, in qua interfuerunt archiepiscopi et episcopi diversarum urbium, nec non et abbatum ac diversorum ordinum clericorum et laicorum innumerabilis multitudo; in qua apostolica constituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, et quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine synodalis absolutionis hæc annexuit, et perpetuæ memoriæ posteris scribenda mandavit, ita dicendo: Patrum sanctorum statuta sequentes, sicut in prioribus conciliis, quæ Deo miserante celebravimus, de ordinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus, ita et nunc apostolica auctoritate decernimus ac confirmamus, ut si quis deinceps episcopatum vel abbatiam C de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo seu abbati audientia concedatur; insuper ei gratiam S. Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quousque locum quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cædit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quarumlibet sæcularium potestatum aut personarum investituram episcopatus vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sentiat. Insuper etiam nisi resipiscat, et Ecclesiæ propriam libertatem dimittat, divinæ animD adversionis ultionem in hac præsenti vita, tam in corpore quam in cæteris rebus suis sentiat, ut in adventu Domini Spiritus salvus fiat.

12. Item sententiam depositionis et excommunicationis, jam plerumque datam in Theodaldum Mediolanensem dictum archiepiscopum, et Guibertum Ravennatem, et Rolandum Tarvisiensem confirmamus et corroboramus; et Petrum olim Rodonensem (Ruthenen) episcopum, nunc autem Narbonensis Ecclesiæ invasorem, pari sententia damnamus. Item si quis

(184) Ascensio Domini, eo anno quo celebratum est Paschæ 24 Martii, incidit in diem 2 Maii.

(185) Addit Labbeus, eodem *anno* vi *Nonas* Maii, alterum Concilium, in quo coram quatuor Episcopis, pluribus Cardinalibus, Abbatibus, et Archipresbyteris deliberatum sit, *Utrum bona ecclesiarum possint poni in pignore pro pecunia colligenda, ad resistendum Guiberto Archiepiscopo Ravennati, Romanam Sedem invadere conanti.*

Normannorum terras S. Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ quæ nondum pervasa est, et ducatum Spoletanum et Campaniam, nec non maritimas atque Sabinum et comitatum Tiburtinum, nec non monasterium S. Benedicti Montis Cassini et terras sibi pertinentes, insuper et Beneventum invadere vel deprædari præsumpserit, gratiam S. Petri et introitum ecclesiæ ei usque ad satisfactionem interdicimus. Verumtamen si quis illorum adversus habitatores harum terrarum aliquam justam causam habuerit, prius a nobis, vel rectoribus seu ministris inibi constitutis, justitiam requirat; quæ si ei denegata fuerit, concedimus ut pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat; non tamen ultra modum neque more prædonum, sed ut decet Christianum, et eum qui sua magis quærit recipere quam aliena diripere, et qui timet gratiam Dei amittere et maledictionem beati Petri incurrere (186).....

13. In octavo sui Pontificatus anno, episcopis per principatus Apuliæ et Calabriæ constitutis, inter cætera verba, in quadam epistola (187), malignitates regis Henrici et Guilberti Ravennatis archiepiscopi, « in jam dicta synodo excommunicatorum » denuntiavit. Primum namque malitiam, quam super ipsum D. papam Alexandrum per Cadulum Parmensem facere conatus est, innotuit; et quod Deus, qui superbis resistit, humilibus dat gratiam, superbiam eorum in foveam, quam aliis paraverant, cadere pro suis sceleribus juste permiserit, nuntiavit. Guibertum vero, Romanæ Ecclesiæ perjurum, Ravennatis Ecclesiæ devastatorem, antihristum et hæresiarcham, pro nefandissimis suis sceleribus, designavit. Omnibus vero episcopis et Ravennatis Ecclesiæ suffraganeis, et omnibus majoribus et minoribus ejusdem civitatis, ac per totam Marchiam nec non totum ducatum, sine spe recuperationis damnatum atque depositum notificavit; quorum almificus præsul auxilio fretus, sicut B. Petrus B. Apollinarem transmisit ad prædicandum; sic ipse, qui licet indignus vicem ejus gerebat, archiepiscopum (188) ibi ad hominum animas Deo lucrifaciendas, et hæresim prædicti Guiberti destruendam, mittere curavit. Eodem vero anno Romæ in basilica S. Salvatoris celebrata est ab eodem Pontifice (189) synodus; in qua inter cætera (sententiam depositionis archiepiscoporum Arelatensis et Narbonensis, atque excommunicationis per legatos apostolicæ Sedis promulgatam D. papa, his qui aderant collaudantibus, firmavit). Henricum quoque dictum regem et omnes fautores ejus, qui in prædicta excommunicatione animum induraverant, iterum excommunicavit et anathematizavit; item Ildimundum et Landum Campaninos tyrannos, omnesque adjutores eorum. Præterea suspendit ab officio quosdam episcopos, qui ad concilium invitati, neque ipsi neque nuntii eorum pro ipsis venerunt.

14. Anno duodecimo pontificatus ejusdem D. Gregorii, ab Incarnatione Domini 194, XII Kalendas decembris, præsidente eodem apostolico, celebrata est tribus diebus in Lateranensi basilica synodus, in qua fuerunt archiepiscopi, episcopi et abbates Campaniæ, et de principatibus Calabriæ atque Apuliæ, paucique Gallicani; nam plurimos perfidia Henrici tyranni iter revertere compulit; qui Ostiensem (190) episcopum, de legatione apostolica redeuntem, contra fas et juramenti fidem, capi jussit sive permisit. Tres autem synodos Quadragesimales (191) ejusdem Henrici persecutio præpedivit; qui semel B. Paulum, bis B. Petrum aggressus, demum post multum fusum sanguinem, non tam suorum fortitudine quam negligentia civium, portas et muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennali bello fatigatum, acri inedia laborabat; cum nec ipsis ad vicina oppida vel castra liceret, nec jurati Henrici ad urbem vellent negotiatum venire; multi autem fame adacti urbem reliquerant; proinde ceteri, bello remissius attenti rem ex animo minus gerebant, et a custodiis prout cuique libebat sine timore negligentius aberant.

15. Hæc super Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, perstrinxisse sufficiat. (Ceterum Dominus Apostolicus in eadem Synodo, de fidei forma et Christianæ religionis conversatione, sed et de robore animique constantia, ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano sed Angelico patenter edisserens, die tertia totum fere Conventum in ge-

(186) Sequebatur in Ms. nostro ex Vitis Pontificum *excommunicatio Regis Henrici . . . . . . Acta Romæ Nonis Martii Indictione* III, plane sicut eam impressam habes in Vita num. 96 et seqq. et omnia simul cum duobus Capitulis hic omissis, de falsa pœnitentia et de electione Pontificum reperiuntur impressa apud Baronium ad an. 1080, nam quod in Registro unde accepta sunt notetur annus 1079, oritur a ratione prænotata anni Florentini usque ad Annuntiationem protrahendi : cumque Pascha anni 1080 bissextilis celebratum sit 12 Aprilis, intelligitur etiam hæc Synodus prima hebdomade Quadragesimæ convenisse, post Dominicam quæ cadebat in 29 Februarii.

(187) Hæc est lib. VIII Epist. 5, *data Cicani* XII *Kalendas Augusti.*

(188) Ejusdem libri Epist. 14, scripta *omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus atque Militibus, in parochia Ravennati atque Pentapoli, nec non et in Marchia Firmana et in Ducatu Spoletino, commorantibus; illis videlicet qui B. Petrum diligunt, neque vinculis excommunicationis tenentur.* Et his solis *salutem et Apostolicam benedictionem* impertiens, data II *Idus Decembris*, commendat iis *Ravennatem Archiepiscopum R. quem post longas et innumeras pervasorum occupationes, nuperrime, sicut olim a B. Petro Appollinarem ita hunc Ravennas ab Ecclesia Romana meruit accipere.* Baronius *Richardum* legit, et *magnæ æstimationis virum* appellat: neque minus possumus de eo credere, etsi nihil uspiam ab eo actum inveniamus.

(189) Si hæc æque ac aliæ Quadragesimalis fuit, quod præsumere licet, coacta fuerit post primam Dominicam, cadentem anno 1081 in diem 21 Februarii, quando Pascha fuit 4 Aprilis.

(190) *Otho Castillionæus* hic fuit, postea Papa *Urbanus II.*

(191) Annorum scilicet 1082, 1083, 1084.

mitus et lacrymas compulit : sicque Concilium, Apostolica benedictione lætificatum, in pace dimisit.) Tres autem vices Henricus, ut dictum est, Romam venerat. Sed unum est quod cum silentio prætcrire non oportet : in ultima namque secum Guibertum Raventinatem, jam multoties damnatum et depositum, deduxit; et invasorem super D. Gregorium Papam præposuit. Sed quid diabolus et Antichristus Romæ et in omnibus ejus finibus est operatus, longum est narrare. In castro namque S. Angeli, se cum paucis Dominus Papa reclusit, quoniam aliter Romæ remanere non poterat : Romani vero malam, quam habuerunt a principio, consuetudinem perficere ut prius cœperunt : castrum undique muris obseraverunt, ita quod nulli fas esset introeundi vel redeundi. Rex Capitolium ascendit, domos omnes Corsorum evertit, Romam ut propriam domum cœpit habere. Dehinc (192) Septem-solia, in quibus Rusticus (193), nepos prædicti Præsulis, considebat, obsidens, cum multis machinationibus attentavit, quibus quam plurimas columnas subvertit. Cui nuntius advenit, si non de obsidione exsurgeret, a Roberto Guichardi Duce Apuliæ expulsus esset, et de ejus manibus nemo eum liberare posset : quoniam prædictus Dux fidelis et devotus erat B. Petri et præfati Pontificis, et dignum erat ut filius patrem de tanta captione eriperet.

16. Rex vero, accepto cum suis consilio, Romanos omnes sic allocutus est : Patres et filii, vobis coronam Imperii et regni gubernacula manibus vestris et potestati committo, animamque meam in A vestram curam trado. Quoniam mihi operæ pretium in Longobardiam vertere iter, promitto vobis quod, si unquam rediero, totum meipsum et omnia quæ habeo et habere potero modis omnibus tradam. Sed pius et clemens Dominus, qui novit omnium cogitationes, diu per eum non est passus Ecclesiam suam vexari : qui ad hanc civitatem ultra non est reversus. Robertus Guichardi, Romæ appropinquans diebus his ad liberandum D. Papam, primitus non intravit : sed diu non stetit, donec intravit : aditum namque per portam Flamineam habuit. Romani, audito eum intrasse, bellum erexerunt : sed nihil ei facere potuerunt, imo ipse cum suis totam Regionem illam, in qua ecclesiæ S. Silvestri et S. Laurentii in Lucina sitæ sunt, penitus destruxit et fere ad nihilum B redegit. Dehinc ivit ad castrum S. Angeli, D. Papam ab eo abstraxit, secumque Lateranum deduxit : omnesque Romanos deprædari cœpit et exspoliare, atque (quod injuriosum est nuntiare) mulieres dehonestare, regionesque illas circa Lateranum et Colisseum positas igne comburere (194).

17. Eodem anno per totum orbem magna fames fuit, quod exinde multi homines mortui sunt, et sol (195) eclipsim passus est : terra mota est, castrum S. Angeli (196) captum est. Dux vero Apuliæ secum D. Papam deducens, apud Salernum dimisit; ibique amabilis Deo vir Catholicus, et contra hæreticorum arma defensor Ecclesiæ, liberator pauperum, captivorum consolator, orphanorum miserator, vitam finivit, atque Deo animam reddidit C octavo Kalendas Junii.

(192) Ciacconius, in Vita Gregorii IX, creatum ait *prope Septizonium, in Diaconia S. Luciæ in Septisolio.* Alexander Donatus eam esse censet quæ nunc dicitur S. *Luciæ in Silice,* et in Esquiliis sitam fuisse ait : est autem verosimile *Septisolium,* corrupte dictum a plebe, pro *Septizonio.*

(193) Præfectura hæc fuit, ut apparet, militaris; proinde a nobilitate muneris quod gessit nepos, argumentum duci posset ad nobilitatem ipsiusmet Gregorii patrui vel avunculi, in favorem Petraccii eamdem adstruentis.

(194) Hic ex Bertholdo ponendum esset, quomodo Romæ in festo S. Joannis Baptistæ, puta 24 Junii, cum ibi Henricus adhuc moraretur, Gregorius anathema in eum et Guibertum renovavit : quod iterum post Regis discessum fecit in Synodo, collecta mense Decembri, ut credimus; siquidem, ut D ait Paulus num. 100, *circa Kalendas Januarii prænosse cœpit dissolutionem corporis sui.* Potuit tamen etiam initio sequentis Quadragesimæ habita Synodus fuisse post 9 Martii, cum Pascha agendum esset 20 Aprilis. Cum autem Bertholdus priorem anathematismi renovationem tam expresse dicit factam Romæ, videtur indicare Synodum hanc ibi factam non esse, sed alibi, puta in Monte Cassino, prius quam Salernum deduceretur Pontifex.

(195) Hanc eclipsim nemo alius historicus adnotavit, unde ejus accuratius definienda occasio defuit Calvisio in Opere chronologico, omnium quas reperit eclipseon calculos subducere solito, ex astronomicis præceptis.

(196) An a Romanis seditiosis, post Gregorii discessum vel decessum, Guiberto faventibus? Ita suspicor : residebat enim tunc Romæ Guibertus.

PROŒMIUM MABILLONII

Ad Vitam sancti Gregorii VII, scriptam a Paulo Bernriedensi, subæquali.

(*Acta SS. Bened.*, parte II Sæculi VI, p. 403.)

1. Magnis controversiis occasionem præbuit ingens illa sacerdotium inter et imperium discordia, quæ sub Gregorio septimo papa et Henrico quarto imperatore exarsit. De his alii aliter scripsere auctores historiarum, tum veteres cum recentiores, prout scilicet partibus addicti fuerunt. Nec animus est ejusmodi quæstiones refricare, quæ nihil ad nostrum institutum pertinent, et ex aliis auctoribus facile haberi possunt. Satis erit nobis Vitam hujus pontificis proferre, quam a Paulo Bernriedensi;

æquali auctore, paulo post ipsius Gregorii mortem litteris mandatam ex Gretsero et Bollando mutuati sumus. Porro Paulus, Vitæ hujus auctor, fuit primum Ratisponensis Ecclesiæ canonicus, qui cum ex ea urbe ab Henrico IV, quod ejus partibus non faveret, fuisset ejectus, in cœnobium Bernried, recens constructum, sese recepit, ubi, suscepto canonicorum regularium instituto, aliquot annis degit. Inde Romam profectus pontificibus familiaris fuit. Præter Gregorii Vitam alia item opuscula conscripsit, e quibus ipsemet beatæ Herlucæ Vitam infra laudat, quam ab eodem Gretsero editam Bollandiani die 18 Aprilis ediderunt.

2. Recentiores nonnulli Gregorium ex prænobili Aldobrandinorum familia ortum fuisse scribunt, ad quod probandum vix aliud quidquam proferre valent, præter nominum similitudinem. Hildebrandus quippe vocabatur priusquam eveheretur ad pontificatum, ut omnibus notum est. Sed quam sit frivola ejusmodi ratio, nemo non videt. Baronius e contrario Gregorium humili loco, patre scilicet fabro lignario, natum fuisse ait, quod Gregorio probro verti non posse, Jesu Christi Domini nostri exemplo, evincit. Qui cum Verbum Patris et verus Dei Filius esset, ex paupere Virgine nasci, et fabrum patrem, ut putabatur, habere non est dedignatus. Papebrochius vero licet primam opinionem rejiciat, alteri tamen non assentitur in præmissis ad Vitam Gregorii VII, die 25 Maii Bollandiani, ubi Gregorium e nobili familia prodiisse probari posse exinde censet, quod in Actis pontificum manuscriptis, quæ penes se asservari dicit, legatur Gregorii *nepotem* fuisse *Rusticum præfectum Septem-soliis*, seu *domui* quam instar arcis munitam frustra machinis bellicis expugnare conatus fuit Henricus imperator. Quod quidem officium, inquit ille, plebeio homini commissum minime fuisset. Eamdem sententiam suam confirmat Pauli ipsius auctoritate, qui in Gregorii Vita, observat eumdem pontificem habuisse avunculum abbatem monasterii sanctæ Mariæ in Aventino. Verum cum in antiquis monumentis nihil certi ad dirimendas ejusmodi controversias, auctoribus minime sibi consentientibus, inveniatur, frustra iis fusius agitandis vacare non licet. Eumdem in Tuscia natum diserte asserit Paulus, quod alii Senis, alii apud Soanam contigisse volunt. His adversatur Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, ubi Gregorium *Romæ natum ex parentibus civibus Romanis*, disertis verbis affirmavit.

3. Aliquot futura ejus sanctitatis præsagia profert Paulus : at silet quod ei adhuc infantulo contigisse aiunt in fabri, quem quidam volunt, ut mox dicebamus, ipsius patrem fuisse, officina; ubi ex segmentis rejectaneis cum adhuc nesciret litteras, tamen ludendo eas ita composuisse memoratur, ut Davidicum illud exprimerent oraculum : *Dominabitur a mari usque ad mare*. Aliud ejus futuræ potentiæ priori adjicit præsagium Theodoricus Engelhusius canonicus Hildesheimensis in Vitis imperatorum ex

A domo Brunswicensi oriundorum, ubi in Vita Henrici II imperatoris, cognomento Nigri, narrat Hildebrandum, qui tunc Henrici filii ejus pædagogus erat, visum fuisse in somnis ipsi imperatori cum suo ipsius filio ad mensam assidere, cornua habentem ad cœlum usque sublimia, quibus eumdem Henricum filium in lutum dejiciebat, quam visionem cum Augusta de Henrico filio per Hildebrandum ex Imperiali sede exturbando interpretata fuisset, imperator eumdem Hildebrandum in vincula conjecisse fame enecandum narratur, quem postea tamen, uxoris intercessione, liberum abire permisit, ne temere somniis fidem adhibendo, innocuum perire juberet, sed hæc incerta sunt, sicut et alia multa a recentioribus conficta, quæ proinde omittere visum est.

B 4. Certum est omnino Gregorium ab ipsa pueritia monasticæ professioni nomen dedisse, quam reliquo vitæ tempore et dilexit, et ejus exercitiis, quantum patiebatur rerum gerendarum necessitas, incubuit. Eum a *puero monachum* fuisse disertis verbis tradit Ordericus Vitalis, auctor illorum temporum accuratissimus, libro IV Historiæ ecclesiasticæ. Idem repetit libro VII, ubi fuse ejus historiam prosequitur. [Eumdem *professione monachum* appellat Chronographus noster Saxonicus ms. *Adolescentiam*, inquit Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, *assumpto sanctitatis proposito, inter mundi contemptores, non sine magnis perfectionis indiciis perdomuit*. His accedit Domnizo in Vita Mathildis, ubi
C Gregorii mortem monachos præ cæteris, quod ipse monachus fuisset, deflevisse observat. Et quidem Petrus Damiani in opusculo 32, quod adhuc monachus ipsi Hildebrando nuncupavit, eum semper *fratrem* suum appellat, tum in præfatione, tum in totius operis decursu. Omittimus Theodoricum supra, num. 3, laudatum, Trithemium et alios ejusmodi auctores. Locum vero in quo monasticam professionem vovit, indicasse videtur ipse Paulus, num. 9, ubi scribit Hildebrandum a pueritia avunculo suo abbati sanctæ Mariæ in monte Aventino commendatum fuisse, ad litteras simul et morum disciplinam addiscendas, quod brevi ab eo factum fuisse commemorat.

5. Eumdem in percelebri monasterio Cluniacensi
D monasticam vitam egisse sentiunt plerique scriptores, potissimum recentiores, qui eum testantur ibidem prioris officio fuisse donatum. Id diserte tradit Otto Frisingensis episcopus, scriptor haud ignobilis, qui refert Leonem IX ab imperatore pontificem designatum in Italiam properantem Cluniacum divertisse, ubi tunc Hildebrandus prior erat, cujus consilio eumdem, abdicatis pontificalibus insignibus, sub peregrini habitu Romam perrexisse ait, comitante eum eodem Hildebrando, qui Romanos ad eligendum ipsum jam ab imperatore electum induceret. Certe Gregorium erga Cluniacenses optime affectum fuisse nemo in dubium revocare potest. Ipse etiam] sancto Hugone familiariter utebatur, ut ex ejus Vita patet. Sub sancti Maioli, seu potius,

nam ibi memoria lapsum fuisse Paulum censemus, sub sancti Odilonis disciplina in rebus spiritualibus eum eruditum fuisse colligi potest ex Vitæ initio, ubi legitur, scintillarum visionem sæpius ostensam primitus in Hildebrando Cluniacensis monasterii patrem sanctum Maiolum adnotasse, eique illud Joannis Baptistæ adaptasse : Iste puer magnus erit coram Domino. Observat idem auctor Hildebrandum *adolescentiam ingressum in Franciam profectum* fuisse, *domiturum ibi carnis petulantiam et molestia peregrinationis et instantia eruditionis*. Quæ fortasse in monasterio Cluniacensi, tunc temporis celeberrimo, perfecit. Romam reversus, indeque cum Gregorio VI, exsulare coactus, rediit procul dubio Cluniacum, ubi prioris officio donatus fuit, si tamen hac unquam dignitate potius fuit. Certe eumdem in monasticis disciplinis eruditum fuisse inde colligi potest, quod a Leone IX, post reditum in Urbem, monasterio sancti Pauli præfectus fuerit, ut eo in loco regularem disciplinam, quæ ibi tepuerat, restitueret. Is est ipse qui eo nomine Vindocinensibus ecclesiam sanctæ Priscæ in monte Aventino Romæ sitam eo pacto cessit, ut ibi semper duodecim monachi Vindocinenses, nec unquam minus quam octo *regulariter vivant*. Id discimus ex litteris Alexandri papæ, quinto pontificatus sui anno datis, quibus *convenientiam* confirmat ea de re factam *inter Hildebrandum archidiaconum atque cœnobii sancti Pauli œconomum seu rectorem*, et Odericum Vindocinensem abbatem. Qua ratione nonnulli eum Vallumbrosano ordini nuper ascripserint, fuse exponit et confutat Papebrochius, paragrapho 4, sed nulla ea de re apud eruditos auctores potest esse difficultas. Distinguendus est tamen noster Hildebrandus ab alio ejusdem nominis Cluniacensi priore sive præposito, qui in Vita sancti Odonis laudatur. Quanta vero fuerit nostri erga professionem monasticam, cum ad pontificatum evectus fuit, propensio, ex variis ejus epistolis liquet, in quibus passim monachorum sanctimoniam laudat eorumque quieti, adversus quoslibet eis infensos, paterne providet. Legenda est ea de re ejus epistola 13, lib. I, ubi Manassem Remorum archiepiscopum monachos sancti Remigii vexantem comprimit; plures ad Lanfrancum scripsit in gratiam monachorum Angliæ. Eorum plerosque in cardinalium collegium adlegit; statim atque pontifex fuit renuntiatus, Casinensem abbatem sibi adesse voluit, ac morti proximus Hugonem Diensem, Ottonem ex Remensi canonico monachum, tunc cardinalem Ostiensem, ac Desiderium Casinensem, solos ut sibi substituantur dignos designavit, ex quibus duo ultimi Benedictini pontifices fuere. Denique, ut ait Ordericus Vitalis, libro IV, *alios quoque monachos, prout ratio ducebat promovit, et diversarum ecclesiarum tutelæ digniter præfecit.*

6. Auctoritatis et disciplinæ ecclesiasticæ acerrimus vindex fuit Gregorius, tam ante quam post initum pontificatum. Fervebat potissimum ejus studium adversus sacerdotes concubinarios, et Simoniacos, quæ duo vitia tunc temporis Ecclesiam pessumdabant in Germania potissimum et in Longobardia. Ii cum Henricum Germanorum regem, occasione investiturarum jam in pontificem male affectum suas in partes traxissent, nec id ferre posset Gregorius, magnum in Ecclesia catholica incendium excitarunt; cum alii pontifici, alii regi faverent. Pontifex regem tanquam multorum criminum reum, et frustra sæpius per litteras et legatos admonitum communione, tum regno privavit. Quæ res ideo Henricum ejusque sectatores commovit, ut et ipse pontificem e sede disturbare conatus fuerit, procurata per episcopos sibi adhærentes adversus Gregorium Guiberti Ravennatis electione, qui Clementis III nomen usurpavit. Hinc natum gravissimum schisma; et episcoporum procerumque conventus frequentes tunc temporis fuere.

7. Placet omnino Gregorii cautio, quam in concilio Romano anno 1078 habito adhibuit in ferenda excommunicatione. Ut enim simpliciorum hominum qui ad ejusmodi dissensionum causas apprime discernendas non erant sufficientes, conscientiæ quieti provideret, declaravit tales homines excommunicationis vinculo innodatos non esse; sicut neque illos quibus pro conditione, ætate, aut natura excommunicatorum consuetudinem vitare non licebat. Gregorii verba proferenda sunt ex Hugonis Flaviniacensis Chronico Virdunensi ad annum 1078. *Et quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis quotidie perire cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam nimia necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam, prout possumus, ad tempus opportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo subtrahimus videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos et servientes, et omnes alios qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et illos qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicunque autem orator, sive peregrinus aut viator in terra excommunicatorum venerit, ubi non possit emere, aut non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, non prohibemus.* Idem testatur Bertholdus Constantiensis presbyter in Chronico ad annum 1078. Hæc procul dubio didicerat Gregorius ex beati Patris Benedicti regula, qui semel et iterum vetat, ne illi, qui quanta sit excommunicationis pœna ignorant, ea feriantur. Et quidem cum ejusmodi censuræ nonnisi ad ædificationem adhibendæ sint, aliter agendo, in destructionem eas frequentius usurpari contingit. Plura habentur variis in conciliis, quæ ab eo pontifice congregata sunt, ad disciplinæ ecclesiasticæ restitutionem, vitiorumque exstirpationem præclare sancita, quæ hic fu-

sius describere non est nostri instituti, et quidem habentur in vulgatis conciliorum collectionibus.

8. Idem reformandæ Ecclesiæ, virtutisque promovendæ ardens studium, plerisque in ejusdem beati pontificis epistolis elucet. Inter quas complures sunt ad varios totius orbis Christiani reges et principes, quibus bonos laudibus et gratulationibus ad majora pro Ecclesiæ utilitate suscipienda adhortatur; vitiosos vero nititur minis et ecclesiasticis censuris ad meliorem frugem revocare. Alfonsum Castellæ regem, qui uxoris suæ consanguineam in conjugem assumpserat ab incestuoso connubio deterruit; Robertum Guischardum Nortmannorum in Italia principem, qui Ecclesiæ terras devastabat, communione privavit, ac postea facti pœnitentem restituit communioni ecclesiasticæ. Econtra optimos principes modis omnibus quibus valebat, sibi satagebat devincire. Hinc mitræ usum Bohemiæ duci, ab Alexandro II jam permissum, confirmavit. Sueino Danorum regi litteras non semel scripsit, quibus ipsi, ob propensissimam in sedem apostolicam voluntatem gratulatus est, atque ab eo expetiit ut unum e suis filiis in Italiam mitteret, qui *dux, princeps ac defensor Christianitatis* esset. Ad ejusdem regis Sueini filium, jam patri defuncto suffectum, scripsit, ut eum patris sui virtutis æmulum ad Ecclesiarum defensionem invitaret.

9. Ingens etiam illi desiderium inerat omnes Ecclesias in unam fidei concordia revocandi; quantum vero efflagitaverit unionem Ecclesiæ Grecæ cum Romana, discere licet ex ejus epistola decima octava libri I, quæ est ad Michaelem Orientis imperatorem data. Quin et in Orientem proficisci meditabatur, quod Henrico Romanorum regi epistola 30 libri II testatus est, non solum ut Græcos, Armenos aliosque hæreticos Ecclesiæ reconciliaret, sed etiam ut Christianos eriperet, qui sub Saracenorum servitute gemebant.

10. Omnes ita Romanæ Ecclesiæ communionem ambire volebat, ut etiam rituum discrepantiam ægre ferret: hinc tantopere desudavit, ut ritum Mozarabicum, quo a compluribus sæculis Hispaniarum Ecclesiæ utebantur, penitus auferret. Exstant ea de re ejus epistolæ 63 et 64 libri I ad Alfonsum Castellæ, et Sancium Arragoniæ reges. Miraculo hac occasione Mozarabicum ritum divinitus approbatum fuisse aiunt vulgati auctores Hispanici, ita ut projecto in ignem libro Mazarabico simul cum eo qui ritum Romanum complectebatur, isto in favillas statim redacto, prior illæsus servatus fuerit. At nemo hoc scripsit ante Rodericum archiepiscopum Toletanum, ut observat piissimus cardinalis Bona, qui Rodericus circa sæculi decimi tertii medium vivebat. Nec verisimile est ritum hunc ab Hispanis fuisse dimissum eo ipso tempore quo tam aperto miraculo ab ipso Deo comprobatus fuisset. Quamvis non ita in Hispaniarum Ecclesiis ejus usus abolitus fuerit, ut in plerisque monasteriis, imo etiam in nonnullis ecclesiis cathedralibus, adhuc tempore Roderici, non servaretur. Typis tandem editus est, jubente cardinale Ximenio, qui in capella quadam Ecclesiæ Toletanæ, nonnullisque in ecclesiis parochialibus hodieque observari dicitur. Cæterum eodem flagrabat desiderio Gregorius cum F. Sueonum regi gratulatus est, quod Gallicanos quosdam verbi Dei administros suscepisset, a quibus ritus Romanæ Ecclesiæ acceperat; ipsum vero interpellat epistola 11 lib. VIII, ut nonnullos e suis clericos aut episcopos Romam mittat, qui, sedi apostolicæ *gentis moribus* et *terræ habitudinibus* expositis, inde mandata in patriam referrent, queis tota gens imbueretur. Ad idem pertinet epistola 13 libri VIII, in qua Olaum Norvegiæ regem monet (quod se jam Danorum regi scripsisse dicit) ut de junioribus et nobilioribus regni sui aliquot ad aulam Romanam mittat, qui sub *alis apostolorum Petri et Pauli* eruditi, postea in patriam reduces, totam regionem in Romanæ Ecclesiæ consuetudinibus erudire possent. Nonnulla ab eo circa ritus ecclesiasticos instituta refert auctor Micrologi, quæ a Baronio laudantur ad annnm 1085.

11. Berengarium hæreticum post iteratas condemnationes sæpius ad vomitum redeuntem compressit vigilantissimus pontifex, et quem anno 1055, sub Victore II tunc sedis apostolicæ legatus in concilio Turonensi, ad ejurandam suam hæresim jam compulerat, pontifex factus eumdem Romam accersitum semel et iterum in duobus conciliis, post editas duas fidei confessiones Ecclesiæ restituit. Sed de hac re actum est in præfatione huic tomo præfixa.

12. At hic omittere non licet, summam ejus in sacrosancti eucharistiæ sacramenti frequentatione devotionem, ac pietatem in beatissimam virginem Mariam, quæ duo tanquam firmissima in humani generis hostem propugnacula, Mathildi comitissæ ita commendavit, ut simul ea cum peccati odio, humilique cordis contritione conjuncta esse voluerit. Legenda est ea de re ejus epistola 47 libri primi. *Inter cætera,* inquit, *quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicum frequenter acciperes indicavi, et ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres præcepi.* Tum profert selecta ex sanctis Ambrosio, Gregorio, et Joanne Chrysostomo testimonia, quibus illi sanctissimi viri ad frequentanda sacramenta, sui ævi fideles invitabant; tandem laudata beatissimæ Virginis erga *peccatores conversos* clementia, sic concludit : *Pone itaque finem in voluntate peccandi, et prostrata coram illa, ex corde contrito et humiliato lacrymas effunde, invenies illam indubitanter promptiorem,* etc.

13. Gregorium etiam ante mortem miraculis claruisse innuit Lambertus Scafnaburgensis monachus ad annum 1077, ubi ait signa et prodigia, quæ per ejus orationes frequentius fiebant, simul cum zelo ferventissimo, quo pro Deo et ecclesiasticis legibus exæstuabat, sufficientia fuisse ad explodendas ejus inimicorum venenatas detractiones. Obiit Salern,

quo, ut Henrici insidias evitaret, confugerat. Nulla est circa ejus mortis tempus dissensio apud auctores vulgatos, qui omnes fatentur eum anno 1085, die 25 Maii, e vivis excessisse. Ibidem sepultus est in ecclesia metropolitana. At memoria lapsus est Ordericus Vitalis lib. VIII, ubi scribit Gregorium Beneventi excessisse e vivis, ibique fuisse sepultum *in confessione beati Bartholomæi apostoli.* Miraculorum copiam ad ejusdem pontificis tumulum factam fuisse testatur idem auctor. *Ubi,* inquit, *meritis ejus fidei petentium miraculorum copia divinitus ostensa est.* Tum subjungit : *Nam leprosi de aqua unde corpus ejus ablutum fuerat petierunt. Qua consecuta fideliter loti sunt, et opitulante Deo protinus mundati sunt.* Laudes ejus auctores plerique, recentiores simul et antiqui, fusius prosequuntur. Gretserus in ejus apologia quinquaginta omnino recenset ejus laudatores. Petrus Damiani eum *sanctissimi ac purissimi consilii virum* appellat. Desiderius abbas Casinensis, qui ei sub Victoris III nomine successit, libro tertio Dialogorum eumdem *Christi Ecclesiam verbis simul et exemplis illustrasse* scribit. Sanctus Anselmus Lucensis episcopus singularem pro ejus defensione librum edidit contra Guibertum antipapam. Cæteros omitto, quorum vel nomina solummodo recensere ob multitudinem facile non esset. Eum *confessorem et martyrem* obiisse dicit Hugo Flaviniacensis in Chronico, ubi plura de ejus gestis et obitu referuntur.

14. Gregorii tamen festum ante sæculi hujus initium publico cultu celebratum nusquam fuit, quod primum fieri permisit Paulus V summus pontifex, ut ex ejus bulla patet, data anno 1609, quam integram refert Papebrochius in præmissis ad ejusdem beati viri Vitam paragrapho 2, ubi et habet litteras Joannis Beltrani de Guevara archiepiscopi Salernitani, qui ejusdem beati pontificis officium solemni ritu in tota sua diœcesi recitari præcepit. Gregorii tamen memoria jam antea in Martyrologio Romano consignata fuerat, anno scilicet 1584, quo Gregorii decimi tertii auctoritate illud fuerat emendatum. In nova ejusdem editione a Baronio procurata auctoritate Sixti V, idem beatus pontifex laudatur his verbis die 25 Maii : *Salerni depositio beati Gregorii papæ septimi, ecclesiasticæ libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi.*

VITA SANCTI GREGORII VII

Auctore Paulo Bernriedensi.

(Vide supra in Actis jam editis hujus voluminis, col. 39.)

DE GESTIS GREGORII VII

Contra investituras et Simoniam, et pro cælibatu clericorum.

(MABILL., *Acta SS. Bened.*, Præf. ad part. II, Sæc. III, p. 41.)

Gregorium VII magnum virum fuisse, et magnos in exiguo corpore gessisse spiritus, etsi non consentirent omnes, certe satis superque contestarentur præclara facta quæ pro instauratione ecclesiasticæ disciplinæ aggressus est et maxima ex parte perfecit. Quod si in quibusdam videtur excessisse modum, ut difficile est eum in rebus arduis et difficillimis semper tenere, excusare ipsum debent tantorum factorum merita; quæ in rem publicam Christianam redundarunt, a nemine jure improbanda. Quid enim probabilius, quid vero difficilius quam ecclesiasticarum investiturarum abusus, tanto temporum decursu, tanta sæcularium principum auctoritate obfirmatos, penitus evellere, Simoniam fere ubique grassantem exstirpare, cælibatum clericorum pene ab interitu revocare? Et tamen (quod Leo IX cæterique post eum Romani pontifices nullo propemodum fructu tentaverant) hæc omnia præstitit strenuissimus pontifex, renitentibus passim sæculi principibus, obstrepentibus undique insultantibusque adversariis, id est Nicolaitis et Simoniacis, qui principum animos in eum accendebant in primis Henrici imperatoris cujus partibus adhærebant, ut ipsos adversus Gregorium ejusque decreta tutaretur. Sane Gregorium suopte genio potius ad indulgentiam quam ad immoderatum fervorem propensum fuisse probant tum ea quæ pro restitutione multorum episcoporum gessit (GREG. VII, lib. V, ep. 17), tum litteræ quas principio ad Henricum imperatorem scripsit (lib. III, epist. 7 et 10, etc.). Verum pontificis animum exasperavit illius pervicacia simul et inconstantia : pervicacia quidem in resistendo Gregorii piissimis ac necessariis studiis pro reformandis clericis; inconstantia vero, quippe qui toties datam fidem fefellit. His accessit quod pontificem ipsum Romæ in custodiam retrusit, Guiberto antipapa in locum ejus intruso. In his porro aliisque ita modum semper tenere, ut

in aliquo non excedatur, impossibile est. At Gregorium, si qui conviciis lacessiverunt ejus adversarii, satis superque vendicarunt illius temporis haud ignobiles auctores, ad quos lectorem remittere præstat quam de re trita et lubrica plura dicere.

Jam anni amplius centum effluxerant ex quo clericorum cælibatus sacer, ad id tempus intaminatus, tot sæculorum usu, tot tantorumque virorum pudicitia et auctoritate consecratus, ab incontinentibus quibusdam et corruptis Ecclesiæ ministris attentatus fuerat, cum nimirum indigni Romanam sedem pontifices occuparent; eoque res devenerat ut quosdam presbyteros publice uxores ducere non puderet. Ejus rei unum e primis exemplum habemus in quodam presbytero (*Analect.* t. III, p. 438) parochiæ Catalaunensis in Gallia, nomine Angelrico, qui feminam B quamdam coram parœcianis suis desponsaverat. Hanc autem cum ducere domum pergeret, *restiterunt nequissimo conatui ejus boni et pii fidelesque homines*, qui eum apud Mantionem episcopum accusarunt. Citatus ille ad episcopi præsentiam in synodo Nonis Maii, Catalaunis habita, culpam confessus est, missusque ab episcopo ad Fulconem metropolitam, incerto ac dubitante qua *correptione* et pœna novam illam *ac malam præsumptionem* mulctaret. Quid hac de re Fulco rescripserit, non liquet; sed tamen ex Mantionis epistola intelligimus novum illud facinus fuisse et ad id temporis inauditum. Verum sensim eo processit abnormis hæc licentia ut sæculo undecimo publicæ infamiæ meritum C dedecus pene exuisset. Tanto ecclesiæ probro Nicolaus II occurrendum censuit constituto edito in concubinarios clericos; et quia in clero Mediolanensi maxime vigebat hæc pestis, eo direxit Petrum Damiani cardinalem et episcopum Ostiensem cum Anselmo Lucensi episcopo, ut eam emendare, simulque Simoniacam labem, quæ illius Ecclesiæ ministros infecerat, tollere conniterentur. Convenere ad synodum clerici coram legatis tanto tumultu ut vix manus ab eis abstinuerint; sed tandem Petri Damiani oratione ac prudentia composita seditio est, juratumque a clericis ut deinceps castius ac A purius viverent. Quæ omnia fuse prosequitur Petrus Damiani in epistola ad Hildebrandum, tunc Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, cujus sine dubio instinctu et consilio id factum est. Verum ubi is summus pontifex evasit, rem utcunque cœptam ubique promovit, ac demum perfecit, frendentibus in eum impudicis clericis, et calumnias in ejus pudicitiam jactantibus, sed tam vano conatu *ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret*, inquit Lambertus Scafnaburgensis. Certe adeo portentosa et extra omnem fidem visa est etiam Bennoni, schismatico cardinali et Gregorii hosti infensissimo, hæc calumnia ut, licet multa in eum confinxerit, hoc crimen nunquam illi objecerit. De his plura dicere supersedemus, cum omnibus obvia sint.

Ad investituras quod attinet, diu cum imperatoribus luctandum fuit, ut tandem utrique imperio, sacro et profano, sua jura servarentur. Sed tandem post multas altercationes, in quibus ad extrema, non sine utriusque partis culpa ventum est, tandem sub Callisto II res ita composita fuit ut imperatores loco annuli et baculi, quos novis episcopis dare consueverant, eos sceptro tantum tradito investirent; quo significaretur eos temporalia jura accipere ab imperatore, quod ille per investituras sibi vindicare contendebat; et spiritualia non recipere, quod pontifices merito ipsi denegabant. Quæ hujus litis componendæ ratio si ab ipso principio inita fuisset, multis et maximis scandalis, bellis ac cædibus obviam itum esset. Breve, sed eruditum ac solidum hac de re opusculum edidit Goffridus abbas Vindocinensis, in quo recte jura Ecclesiæ ac regni distinguit. Morti proximus Gregorius, rogantibus cardinalibus consilium dedit ut, si vellent hominem in sæculo potentem, eligerent Desiderium abbatem Casinensem qui violentiam Wiberti antipapæ infringeret; sin ecclesiasticum et eloquentem acciperent episcopum Ostiensem Odonem. *Ita obiit vir apud Deum felicis gratiæ, apud homines austeritatis fortassis nimiæ*, inquit Willelmus Malmesburiensis (WILLELM. lib. III, *de Reg. Angl.*).

SANCTI GREGORII VII

PONTIFICIS MAXIMI

VITA, ELECTIO, RES GESTÆ.

AUCTORE ONUPHRIO PANVINO.

(Lib. IV De varia creatione Rom. Pont.)

Edidit GRETSERUS, *Operum tomo II, pag.* 97, *ex bibliotheca Bavarica.*

LECTORI.

Paucis te, Christiane lector, monitum volo, Onuphrium, dum Sigeberti, Urspergensis et Aventini vestigia nimis propere sequitur, ac recta linea aliquando excidisse, ut contingere solet iis qui duces schismaticos, qualis fuit Sigebertus, vel alioqui parum sanæ fidei et doctrinæ scriptores, qualis Aventinus, absque accurato singulorum quæ afferunt examine sibi deligunt. Sed habes, cujus filo ductus, a vero nunquam

avius habeas, illustrissimum cardinalem Baronium, Annali undecimo, qui ab anno 1073 usque ad annum 1085 Vitam et res gestas Gregorii VII copiose et fideliter persequitur. Ex quo etiam notulas ad hanc Onuphrianam commentationem attexuimus.

Divinitus autem accidisse reor ut dum sectarii turmatim hujus pontificis nomen et decus oppressum eunt, conflictis et congestis in eum immensis calumniarum struicibus partim novis, partim antiquis, alii e contra ex orthodoxis existerent, qui perditis conatibus sese opponerent, et magnanimi pontificis gloriam a nebulis tenebrionum vindicarent; quorum pro optimo pontifice studium nos itidem imitari voluimus.

Porro ad reliquos Gregorii VII criminatores accessit his diebus liber posthumus Witackeri, qui in Controversia de summo pontifice, quæst. 6, sibi temperare non potuit quominus ipse etiam virulenti sui styli et calami spicula in hunc pontificem vibraret. Sed qualia? ut trivialia, sic et obtusa; quippe ex Bennonis et Sigeberti pharetris deprompta; quorum alter juratus, alter juratissimus Gregorii hostis fuit. Risi cum Witackerus Bennonem *virum doctum* nominat. Qui doctus ille, cujus totus commentarius nil aliud est quam inscitia et mania? cujus stylus est unus quidam perennis barbarismus et solœcismus? Nimirum judicio sectariorum *doctus* est, quisquis projecte calumnias in papam fundit, licet id faciat insulsissime et inscitissime; ut fecit ille Benno : cui tantum ingenii non suppetebat, ut apte et astute calumniari posset. Ejusdem farinæ sunt reliqui Witackeriani testes, ut conciliabulum Brixiense, Aventinus et clerici apud Lambertum et Nauclerum : qui cum scortationi et Simoniæ suæ, aliisque sceleribus a Gregorio fibulam imponi ægre ferrent, conviciis in eum debacchari instituerunt, ut plerumque fieri assolet, cum quis alicui illud quod efflictim deperit, eripere tentat. Illud concoquere nequit Witackerus, quod papa, Henricum absolutionem ab excommunicatione suppliciter postulantem, depositis ad papæ palatium imperatoriis insignibus, nudis pedibus, cum omnia gelu rigescerent, nonnisi post tridui spatium admisit et exaudivit. *Quæ hæc Luciferiana superbia erat,* vociferatur Witackerus. *Hiccine vir bonus? Diabolum certe ipsum hac in re malitia et superbia vicit.* Minime vero, o Calvinista. Pertinax morbus acrem desiderabat medicinam; et piaculum schismatis tanto cum dispendio imperii commissum, duriore pœna expiandum fuit, et versatilis ac inconstans Henrici animus explorandus, num serio de meliore fruge cogitaret. Nudis pedibus et deposito omni corporis cultu, vestibusque ad luctum et mœrorem idoneis, pœnitentiam agere, offensique gratiam et amicitiam postulare, in ecclesiastico foro perquam usitatum fuit, est cum et in civili.

Audi, Calvinista, quid ipse Henricus non erga unum, sed plurimos Saxoniæ principes egerit, cum in gratiam Henrici recipi vellent; nec mea hic adhibebo verba, sed Lutherani Fabricii lib. III Originum Saxonicarum : *Planities ibi late patens fuit, quam Spiraugiam nominant, in qua rex in solio suo, auro purpuraque fulgens, solemniter assedit : quem exercitus ad spectaculum dispositus circumstetit, relicto per medium spatio, quo prætereuntes Saxonum duces atque antistites omnibus conspicui essent. Incedebant habitu lugubri præsules, Uvezelo Magdeburgius, Bucco Halberstadius, Benno Misnensis, Uvernerus Merspurgius. Inter duces erant Otho Gotingensis, Bavariæ exsul, Magnus Elector Saxoniæ, Hermannus patruus ejus Saxoniæ comes, Fridericus Saxoniæ palatinus, Ditericus comes Catelnburgi, Albertus Turingiæ; comites item, Rudigerus, Sizzo, Beringarius, Berno, et alii quinque, ut Siffridus, sed eorum cognomenta expressa non sunt. Eos hominum generosorum, ingenuorum, nobilium magna sequebantur agmina. In conspectum regis venientes, ad ejus pedes sordidati provolvuntur; qui eos jacere tam diu passus est, donec ipsorum miseria animum atque vultum suum explevisset.*

Hæc Lutheranus Fabricius de Henrico, qui contra fidem datam omnes istos sibi supplices principes conjecit in vincula, et a se mutuo disjunctos, in varias provincias sedulo custodiendos ablegavit. Nec forte unquam evasissent, si Henrico omnia ex animi sententia successissent. Quæro, quis durior fuerit in supplices, Henricus an Gregorius? Hic, Henricum post tridui, qualem qualem, submissionem; nec certe spernendam, si seria ; aut si tum seria fuit, si constans fuisset, absolvit. At Henricus tot principes, qui ultro se dediderant, eo solum consilio ne Christianus sanguis amplius effunderetur, contra pacta conventa in carcerem compegit, et indigne prorsus habuit; et nisi metus majoris mali obstitisset, neci dedisset, præsertim Burchardum Halberstatensem præsulem, quem pessimis modis oderat. Sed nunc, misso Witackero, Onuphrium audiamus.

GREGORII PAPÆ VII VITA, ELECTIO, RES GESTÆ

ET

CONSTITUTIONES CIRCA NOVAM ROMANI PONTIFICIS ELECTIONEM.

Comitia quibus Gregorius papa VII renuntiatus est, et, quæ circa electionem constituerit, descripturo, quam vir maxime memorabilis et Romanæ Ecclesiæ pernecessarius fuerit, non alienum ab instituto nostro erit pauca quædam repetere quæ de eo in Leonis papæ IX renuntiatione dixi, et alia postmodum addere, quibus quisnam vir ille ante pontificatum fuerit, et qua occasione tot tantaque memoratu digna contra imperatorem Henricum IV pro libertate ecclesiastica gesserit, intelligatur.

A Gregorius igitur VII, Hildebrandus antea vocatus, fuit natione Tuscus, patria Soanensis et nobili genere ortus, ex ea scilicet familia, quæ postea ab eo *Hildebrandina*, sive de Pitiliano (cujus oppidi princeps aliquando fuit) appellata est. Patrem ipse habuit nomine Bonitium, virum strenuum. Adolescens altæ indolis factus, ad imperatoris curiam, ubi valde profecit, se contulit. Inde invidia ob virtutem contracta, cessit multorum furori, se in religionem recludens. Monasticam enim vitam in cœ-

nobio Cluniacensi, viris sanctissimis per ea tempora refertissimo, sub Odilone abbate professus est.

Sunt qui dicant (197), eum infimo ac pene sordido loco natum, fabrique lignarii filium fuisse, atque adhuc puerum ad aulam imperialem profectum in Cæsaris Chunradi, et ejus filii Henrici III curia adolevisse. De quo comminiscitur nescio quis fabulator inconcinnas fabellas : quod cum filius esset fabri lignarii, ex sarmentis ordine compositis inscium ipsum has litteras ordine conseruisse, quibus astans homo litteratus legerit, ex ea compositione scandularum, *Dominabor a mari usque ad mare;* vel, ut alii dicunt, spiritu prophetico magis ductus quam instructus, monstraverit se futurum dominum a mari usque ad mare. Inde conjectans vir ille litteratus divinum aliquid in puero, suasit patri ut eum litteris traderet : traditus, ita profecit ut in cancellariam imperatoris pervenerit : (198) ubi somnio admonitus imperator de eodem tum scriniario suo, quod cornua videretur habere quibus filium ejus contereret, hominem in vincula conjecisse, sed ab imperatrice Hagnete vinculis liberatum, Cluniacense monasterium petiisse, indeque profecisse primum in subdiaconum, deinde in cardinalem, novissime in Gregorium papam VII. Sed ego levissimum hominem ridendum dico. Satis tamen constat eum ex aula imperiali ad cœnobium Cluniacense profectum : in quo, cum vir evasisset, rebus gerendis maxime idoneus, atque admodum sagax, et prudens ab omnibus existimaretur : Romam ab eodem abbate suo missus est, ut monasterii et congregationis Cluniacensis negotia apud apostolicam sedem percuraret. Diu autem in monasterio ejusdem congregationis sanctorum Laurentii et Stephani extra muros Urbis laudabiliter vitam transegit Benedicto (199) IX Rom. pontifice, quo tempore maxima familiaritate usus est Joannis Gratiani S. R. E. cardinalis, et archipresbyteri S. Joannis ante portam Latinam, qui postea Romanus pontifex, tribus schismaticis abdicantibus, factus, (200) Gregorius VI appellatus est. Hic Hildebrandum jam monachum, propter ejus suavissimos mores, prudentiam atque admirabilem doctrinam, maxime diligebat. Eo autem in concilio (201) Sutrii congregato, ex auctoritate Henrici Imperatoris III pontificatu privato, ejus non immemor amicitiæ, et beneficiorum, ipsum secutus est usque ad suum Cluniacense monasterium, quod ab Imperatore Henrico, vitandi schismatis causa, relegatus fuerat, ubi non longe post, Gregorius ipse animi dolore confectus diem clausit extremum.

Contigit vero ut eodem anno prior cœnobii Cluniacensis, quæ secunda post abbatem dignitas est, moreretur. Quare statim ab abbate, et monachorum consensu, magistratus ille, Hildebrando demandatus est. (202) Quo tempore Brunonem, Romanum pontificem electum Cluniaco, vel per Bisuntium transire contigit : quem, clam conventum, zelo honoris Dei plenus Hildebrandus constantissime de ipsa novitate redarguit, inconveniens omnino esse dicens, et contra sanctorum Patrum instituta, a manu laica maximum Christiani orbis pontificem ad totius Ecclesiæ regimen vi immitti : verum, si suis consiliis acquiescere vellet, se utrumque pollicetur effecturum, et quod Imperatoris indignationem propterea non incurreret, quodque libertas ecclesiastica in legitima, justaque pontificis ordinatione illæsa conservataque maneret. Cujus monitis vir pius, et sanctus humiliter parens, purpuream vestem statim, et alia Pontificalia indumenta deposuit; peregrinique habitu suscepto, secum ipsum Hildebrandum monachum, qui salubre consilium sibi dederat, comitem assumpsit, et cœptum iter Romam versus cum legatis Romanis, et aliis comitibus episcopis arripuit. Romæ honorificentissime susceptus, altero post adventum suum die, congregatis in basilica S. Petri cardinalibus, clero, senatu, populoque Romano, eos his verbis ab Hildebrando instructus allocutus est.

Fratres, et amici in Christo mihi charissimi, legatione vestra cognita, ad imperatorem profectus sum, ut voluntatem et propositum suum requirerem : non, ut ab eo Romanus pontifex eligerer (203) *: quem scio nihil juris in hujusmodi electione habere : sed eam ad vos libere pertinere. Huc autem non ob aliam causam veni, quam ut apostolorum limina visitarem. Et quoniam hæc apostolica sedes, jam diu pastore vacavit, eam amplius sic manere non expedit. Quapropter vos omnes hortor, et moneo, ut, nulla interposita mora, idoneum vobis quamprimum eligatis pastorem, et episcopum.* Statim autem Hildebrandi consilio ab omnibus episcopis cardinalibus, cæterisque nobilibus ei responsum est : te unum et non alium volumus, atque in Romanum pontificem eligimus. Tuncque archidiaconus S. R. E. more majorum clamavit : *Brunonem episcopum B. Petrus elegit.* Dumque omnis clerus, et populus hoc ipsum conclamaret, statim ab omnibus raptus in Pontificali solio collocatus est; consecratus est autem Pontifex ab episcopis cardinalibus, et diademate S. R. E. redimitus Romæ in basilica S. Petri in Vaticano, astantibus clero et populo, die Dominica prima Quadragesimæ pridie idus Februarii, anno Domini 1059, Leoque IX appellatus est. Sedit autem in apostolica sede annos V, menses II, dies VIII.

Consecratus igitur Pontifex, ipsum Hildebrandum monachum, cujus sano consilio hæc omnia facta

(197) Ita Baron., ann. 1073, num. 16.
(198) De hoc somnio nil Baronius; fabulam resipit, ut recte judicat Onuphrius.
(199) Iniit Benedictus Pontificatum anno 1040.
(200) Electus anno 1044.
(201) Vide Baron. 1046.
(202) Lege Baron., anno 1049.
(203) Nihil juris habet imperator in electione pontificis.

fuerant, subdiaconum cardinalem, custodem altaris A S. Petri apostoli S. R. E. œconomum, atque abbatem monasterii S. Pauli extra muros Urbis via Ostiensi creavit ; cujus postea consiliis, et auctoritate in omnibus totum fere pontificatus sui tempus transegit. Ab eo enim admonitus, beatus pontifex, inter alia multa, quæ fecit, synodum quoque celebravit, in qua pleraque contra uxoratos sacerdotes, et Simoniacos episcopos decreta statuta sunt.

Eo vero mortuo, Hildebrandus subdiaconus a clero, senatu, populoque Romano legatus, ad imperatorem missus est, ut novum ab ipso pontificem postularet : a quo cum (204) Gebehardus episcopus Aichstatensis electus, Victorque II appellatus esset, eum Romam consecrandum adduxit : apud quem etiam plurimum, ut et apud Leonem IX, in B omnibus valuit, erat enim vir rerum gerendarum peritia valde clarus : cui etiam maximam religionem, vitæque observantiam adjunxerat.

Post obitum Victoris II dignus Romano pontificatu adhuc subdiaconus existimatus est. Verum cum ei Stephanus papa IX (205) prælatus, Romanus pontifex creatus esset, apud eum quoque in maxima auctoritate fuit ; a quo, Simoniaca labe Italiam et Galliam pervagante, (206) apostolicæ sedis legatus missus est in Gallias cum quibusdam episcopis, ut synodo, quam contra prælatos Simoniacos Lugduni congregare jusserat, apostolica vice præsideret. In quo synodo maxime Hildebrandi virtus enituit et religio. Residentibus enim omnibus archiepiscopis, C episcopis, abbatibus in consilio : archiepiscopus quidam vir litteratus et eloquens, quod episcopatum emisset accusatus est. Qui, omnibus accusatoribus suis profusa largitione corruptis, in synodum alia die reversus, magna cum audacia dixit : Ubinam sunt accusatores mei ? Surgant in publicum contra me : modo prodeant. Cunctis autem tacentibus, Hildebrandus surgens et se ad illum convertens : *Credis* inquit, *archiepiscope, Spiritum sanctum ejusdem esse cum Patre, Filioque substantiæ, et divinitatis?* Cui, se credere, respondenti, dixit ; Dic : *Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.* Cumque archiepiscopus versiculum inchoasset, *Gloria et Patri et Filio* expedite dicebat : sed, *Spiritus sancti* vocem nulla ratione proferre unquam potuit. Cumque frequenter D repeteret et nihil proficeret, cognoscens se divino judicio convictum, ad legati pedes se projiciens, errorem suum per ordinem confessus est ; cum vero omnium judicio statim episcopali munere mulctatus esset, *Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto*, libera voce, et expedita decantavit. Quod factum reliquos prælatos Simoniacos adeo perterruit, ut XVII ex his se Simoniacos fuisse confessi sint et episcopatibus, quod emerant, abdicaverint.

Celebrata synodo, et ecclesiasticis negotiis magna cum providentia ordinatis, ad Urbem reversus est. Tunc a papa (207) Stephano IX post solemne sacramentum, de quo in ejus Vita mentionem fecimus, ei ab omnibus episcopis cardinalibus præstitum, de non eligendo Romano pontifice, si se mori contigisset, donec Hildebrandus, qui tunc ad imperatorem super hoc negotio mittebatur, rediisset, apostolicæ sedis legatus ad imperatorem, et ejus filium adolescentem Henricum IV missus est.

Cum autem audita Stephani IX morte rediisset, Benedicto X, qui post eum apostolicam sedem invaserat, ejus auctoritate abrogato, (208) Nicolaus II pontifex maximus renuntiatus est : qui beneficii memor, quod enim pontifex Romanus esset, illi acceptum referebat, ipsum post Mincium, S. R. E. archidiaconum creavit. Apud Nicolaum ipsum tanta gratia et auctoritate valuit, ut nihil eo inconsulto unquam pontifex decreverit.

Quo mortuo, ecclesiasticæ libertatis anxius, Romani pontificis electionem, ex manu imperatorum eripere jam aspirans, maximus auctor fuit, ut in electione Romani pontificis Ecclesia Romana libertatem suam jam diu in electione suorum pontificum amissam recuperare inceperit. Cadolo enim Parmensi episcopo, qui ab imperatore electus fuerat, abrogato, (209) Anselmum episcopum Lucensem Romæ liberis cardinalium suffragiis eligi procuravit : ejusque jam electi et consecrati partes quam maxime tutatus est. Et ipsius tandem opera effectum est, ut (210) Cadolus ipse, qui armata manu bis Romam venerat, sedem B. Petri occupaturus, bis armis auxilio ducis Gotefridi repressus sit, atque Urbe fugatus : et demum in concilio Mantuæ, ob eam causam congregato, pontificatus ei ex synodi sententia abrogatus fuerit, ordinatione Alexandri II papæ approbata, tanquam quæ legitimis suffragiis facta fuisset ; Alexandro vero II, patrimonium B. Petri in Campania, quod Nortmanni occupaverant accito duce Gotefrido, cum ejusdem, et Mathildis comitissæ exercitibus, fugatis Nortmannis, recuperavit.

(211) Alexandro demum Laterani vita functo, die obitus ejus, cum esset in sacris litteris eruditissimus, et in Romana Ecclesia, tot pontificum superiorum tempore, omni virtutum genere celeberrimus, omnium cardinalium, et cleri, populique Romani suffragiis ingenti gaudio, et summa, concordique omnium voluntate pontifex maximus renuntiatus est, nullo imperatoris consensu aut voluntate exspectatis. (212) Ex qua re schisma

(204) Lege Baron. Anno 1054 et 1055.
(205) X. Vide Baron. Anno 1058.
(206) Hæc acciderunt sub Victore II. Bar. anno 1055, num. 15 et seqq.
(207) Bar. Anno 1058, qui rem aliter ex Leone Ostiensi refert.
(208) Bar. anno 1058 et 1059.
(209) Bar. anno 1061.
(210) Aliis *Cadalous*.
(211) Bar. Anno 1073.
(212) Hæc non fuit vera causa schismatis, sed obstinatio Henrici qui initio electionem Gregorii ratam habuit.

postea gravissimum exortum est : occasione accepta A quod absque imperatoris consensu per electionem tantum cleri Romani constitutus fuerit. Ipse autem, qui multo tempore ad libertatem ecclesiasticam obtinendam, jam inde a Gregorii papæ VI abrogatione privatus laboraverat, jam ad pontificatum promotus, a cœpto desistere indignum ducens, tam ob hanc rem quam pro Simonia exstirpanda, et clericorum incontinentia reprimenda, plurimum desudabat. Denique, non solum imperatorem pro ejusmodi rebus ad synodalia responsa crebro vocavit : sed etiam, editis decretis, clericorum a subdiaconatu ad episcopatum connubia, in toto orbe Romano prohibuit; formaque gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit : ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere B non expavit.

Igitur anno Domini 1073, mortuo papa Alexandro II, eoque in Lateranensi Basilica honorifice sepulto, eodem ejus obitus et sepulturæ die, videlicet x Kal. Maii, dum adhuc esset in ejus obsequiis (*f.* exsequiis) Hidebrandus archidiaconus occupatus, repente factus est in ipsa ecclesia maximus cleri et populi Romani concursus clamantium et dicentium : *Hildebrandum archidiaconum S. Petrus elegit.* Quod audiens ipse archidiaconus, quam maxime timuit; multa veritus (erat enim vir prudentissimus) quæ in hujusmodi tumultuariis electionibus incommoda evenire solent. Ad pulpitum igitur, quod erat in media ecclesia Lateranensi, currens, populum ipsum alloqui et sedare volebat : et, ut ab hac desisterent novi- C tate, monere atque adhortari : quippe, quæ contra canones, qui jubent ne ante diem tertium ab obitu pastoris novus pontifex eligeretur, et contra consuetudinem, quæ per ea tempora usurpabatur, inconsulto videlicet imperatore, in novi Romani pontificis electione, erat : quod, cum præ tumultu, et populi furentis celeritate facere non posset (suadente maxime (213) Hugone Blanco Tridentino tituli S. Clementis cardinale, archipresbytero S. R. E., qui, ubi omnium vota in eumdem Hildebrandum directa esse cognovit, ab incepto destitit, ut archidiaconi electionem impediret, et pontificatum Romanum, quem maxime ambierat, peteret) vi raptus, atque ad Titulum S. Petri ad Vincula, qui dicitur D Eudoxiæ, deductus, ibidem ipso die, ex monacho, et S. Romanæ Ecclesiæ archidiacono, a cardinalibus, clero, senatu, populoque Romano, in papæ Alexandri locum summo omnium consensu Romanus pontifex, contra illius temporis consuetudinem, imperatore inconsulto, nullaque ejus, aut Germaniæ episcoporum, et principum interposita aut exspectata auctoritate, renuntiatus est. Sedit autem in apostolica sede imperatore Cæsare Henrico IV Augusto, annos duodecim, mensem unum, et dies tres. Qua ratione autem fuerit creatus, et quantæ vir tunc in Romana Ecclesia existimationis fuerit, subjicere placet, ex ejus electionis forma, quæ in libro Registri ejus annotata est in hunc modum :

Regnante Domino nostro Jesu Christo... Reliqua vide in Registro.

Tunc Hugo Candidus presbyter cardinalis tituli Sancti Clementis, cum præter sententiam ejus Gregorius ipse a cardinalibus papa renuntiatus esset, deposita simultate, et amicitia ad tempus (214) simulata, quod esset S. R. E. archipresbyter, vice omnium cardinalium ejus creationem honorifico elogio, quo ei gratificaretur, his verbis more majorum fecit : *Nobilissimi*, inquit, *cives, nemini vestrum dubium unquam fuit, quin Hildebrandus nostræ Ecclesiæ archidiaconus, vir prudentissimus, et spectatæ inter omnes fidei, et probitatis, eam jam inde a Leonis IX tempore mirum in modum suis virtutibus exornaverit, laboribus auxerit, studio, et industria tutatus sit, atque a multis periculis eripuerit. Quamobrem cum Patres neminem eo aptiorem judicaverint ad urbis nostræ, et Romanæ ecclesiæ regimen obeundum, ego ipsum omnium episcoporum, presbyterorum, et diaconorum S. R. E. cardinalium nomine, omnibus electioni consentientibus, nobis, vobisque episcopum Romanum, et animarum nostrarum pastorem pronuntio.*

Quo facto, statim arreptus, et more majorum veste purpurea indutus, Pontificalique diademate redimitus, invitus, et reluctans in apostolica sede magnifice, summo cum gaudio et lætitia fuit collocatus; quippe, qui eum unum tantum esse credebant, qui rem ecclesiasticam restituere, atque Romanam Ecclesiam diu servam, in pristinam libertatem ex imperatoris manu eruere, et vindicare auderet, et posset. Electus autem Romanus Pontifex more majorum abbati Cassinensi, et archiepiscopo Ravennati scripsit epistolas (215), quibus eos de electionis suæ forma et modo certiores facit.

Electus igitur Hildebrandus archidiaconus in Romanum pontificem, tempus opportunum venisse ratus est, quo ecclesiasticam libertatem tam Romanæ Ecclesiæ, quam aliarum, pro qua tantopere privatus laboraverat, jam pontifex maximus renuntiatus, asserere posset, omniaque in pristinam vendicare libertatem. Verum maxime apud semetipsum contristari, et æstuare cœpit, atque considerare, in quot gravia schismatis et aliarum calamitatum pericula, si pontificatum semel assumptum retinere vellet, se, et Romanam Ecclesiam conjecisset : quippe qui absque imperatoris, et Germaniæ principum consensu, Romanus pontifex contra consuetudinem creatus esset. Recordabatur enim malorum, seditionum, et schismatis, quæ in creatione Alexan-

(213) Qui postea a Gregorio ad schismaticos descivit.

(214) Ut nullum violentum perpetuum; sic nil simulatum, diuturnum. Quocirca paulo post deposuit iste Hugo larvam.

(215) Recitat Onuphrius has epistolas. Nos omisimus brevitatis causa. Habentur tom. III Epistolar. decretalium summor. pontif. edit. Rom., pag. 550 et 551, et tom. III Concil. novæ edit. Colon., et apud Bar. tom. XI, anno 1073.

dri II per imperatorem, et Cadolum [Cadaloum] facta fuerant. Timebat imperatorem potentissimum, juvenem, audacem, maxime ferocem Henricum IV, quem haud passurum, ut imperii (216) jura deperderet, arbitrabatur. Angebat præterea hominem, quem invisum se (217) multis Germaniæ principibus, et magni nominis episcopis se esse cognoscebat. Sæpe enim sub prædecessoribus suis ad imperatoris aulam legatus missus, maximam Episcoporum contraxerat inimicitiam, eorumque in se odia concitaverat, qui nimis asper, durus, et ecclesiastici rigoris valde tenax esse crederetur : atque eo magis contristabatur, quod si occasio in pristinam libertatem reducendi Ecclesiam hoc tempore sublata esset, nequaquam amplius postea tempus sic opportunum venire posse arbitrabatur. Nam tunc imperator adolescens erat, et nondum plane in imperio confirmatus : maximis quoque bellorum turbinibus in Saxonia vexabatur : quæ, ut ad alia animum intenderet, eum maxime prohibebant (218). Plures enim primi ordinis viri Saxones ab eo defecerant, rebelliones maximas moliti; sibi vero nec animum nec vires defuturas existimabat ad hæc omnia perficienda. Et quidem optime noverat quantam rem moliretur, quam difficilem, arduam, et periculosam. Difficile quoque in posterum fore existimabat, ut Romanus pontifex quispiam esset, qui hæc tentare auderet, idque superiorum suorum exemplo. Cum enim multoties Stephano IX, Nicolao II et Alexandro II persuasisset ut hæc molirentur, nunquam hæc ipsa tentare ausi sint, imperatoris omnia possidentis potentiam veriti. Si enim se in Romanum Pontificem confirmari non contigisset, de Ecclesiastica libertate, ad quam totis viribus anhelabat, actum esse arbitrabatur; nam se unum tanto negotio idoneum esse putabat.

Ne igitur aliquando controversia aliqua oriri posset, quod minus legitimis suffragiis electus et consecratus pontifex esset, et hanc ob causam de pontificatu cum imperatore, quem graviter passurum esse non ignorabat, quod eo inconsulto, contra consuetudinem majorumque suorum privilegia (219) imperatoribus ab apostolica sede concessa, ipse Romanus pontifex renuntiatus esset, aliquando contenderet : et, ut ab omnibus legitima ejusdem ordinatio haberi posset, nec in dubium aliquando vertenda : (nam, si id evenisset, nihil eorum, quæ cogitaverat, perficere potuisset) nulla unquam ratione adduci potuit, ut consecrari vellet et coronari, donec imperatoris, et principum super electione sua exquireret voluntates (220). Primum igitur statim post electionem suam Præsidi Cæsareo in Italia de sua creatione scripsit. Eadem ratione imperatori Henrico IV, tum in Germania agenti per legatos suos causam et modum electionis de se per violentiam Romanorum factæ renuntiavit, asserens, et si electus esset, quia populi furentis voluntati resistere non potuisset, se tamen nunquam consecrari voluisse, nec velle, nec pontificatus administrationem se unquam accepturum, nisi prius ipsius, Germaniæque episcoporum et principum adesset consensus. Atque ob eam causam, quamprimum a populo, post electionem suam, liber dimissus fuit, statim Albanum extra Urbem concessisse, ne contra morem ab eodem populo consecrationis munus accipere cogeretur.

Litteris autem suis ab imperatore acceptis, episcoporumque conventu congregato, diligenter Gregorii VII electio examinata fuit (221). Cum vero imperator eam legitimam esse, omniumque tam cleri quam populi Romani liberis suffragiis factam fuisse cognovisset, tam ipse quam cæteri principes ratam esse voluerunt, eique consenserunt. Fuere autem in illo conventu multi Germaniæ prælati, episcopi et abbates, qui, gravi scrupulo commoti, eamdem electionem oppugnabant : qui ipsius Hildebrandi mores, res gestas, inflexibilem constantiam, ferventissimum divini honoris zelum, et tenacem propositi sui voluntatem per multos retro annos, quibus in aula imperiali versatus, tam privatus quam in publicis S. R. E. legationibus fuerat, optime noverant. Timebant enim ne vir vehementis ingenii, et acris erga Deum fidei, strictius eos pro negligentiis suis quandoque discuteret, rationemque ab eis de gregibus sibi commissis arctiorem exquireret.

Hi, communi consilio Cæsarem adorti, ipsi Hildebrandum maxime cavendum esse suggerebant : persuadereque ei conabantur, ut nulla ratione hominis sibi infensissimi futuri in tam summa et maxima potestate electioni assentiret, eamque tanquam injussu suo factam, irritam esse, decerneret. Futurum enim vaticinabantur, quod nisi impetum hominis prævenire maturaret, ut ab ipso Romanum imperium maximam esset jacturam passurum, ipseque imperator, multis calamitatibus et incommodis ab eo involveretur : atque hoc malum, non in alium postremo gravius quam in ipsum Cæsarem redundaturum. Id quoque pro certo affirmabant, quod postea usuvenit, ipsum nihil magis curaturum, quam ut episcoporum abbatumque collationes ex imperatoris manibus et potestate eriperet, imperiumque ipsum omnino pessundaret.

His auditis, rex paulisper commotus, a latere suo Eberhardum comitem ire jussit, qui Romanos proceres conveniens causam ab eis scistitaretur, quare præter consuetudinem majorum, rege saltem non consulto, Romanæ Ecclesiæ pontificem elegissent,

(216) Sed jura non jura.
(217) Sed Simoniacis et concubinariis.
(218) Vide Brunonem de bello Saxonico.
(219) Nulla exstant hujus generis privilegia : et quæ exstare videntur, fictitia sunt.
(220) Vide Baron. 1073 et 1074.
(221) Rex et principes approbant electionem Gregorii. Vide Epist. Henrici lib. I, epist. 29. Baron. 1073.

ipsumque, si non ideonee satisfaceret, ab accepta illicite dignitate abdicare præciperet. Is veniens Romam, benigne a papa Gregorio susceptus est : cumque ille mandato regis exposuisset, eadem, quæ regi scripserat, respondit se, Deo teste, honoris hujus apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se a Romanis, et violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem. Cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam regem quam principes Teutonici regni consensisse certa legatione cognosceret. Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, et sine dubio dilaturum, donec sibi regis voluntatem certus inde veniens nuntius aperiret. Hoc ubi est regi renuntiatum, divina voluntate res humanas ita disponente, cum imperium Romannum a sacerdotali potestate minuendum esset, et ad nihilum fere redigendum, ipse libenter hanc satisfactionem suscepit; iisdemque episcopis, qui vera prædicare videbantur, futuraque, ut præterita cognoscebant, minime acquiescendum duxit : Gregorium asserens esse virum sanctum, et tanto sacerdotio dignissimum, atque nunquam beneficii abs se accepti obliturum; statimque, ut consecraretur, lætissimo suffragio rescripsit, et Gregorium episcopum Vercellensem Italici regni cancellarium ad Urbem transmisit, qui imperatoris auctoritate electionem ipsam ratam faceret, et ejus consecrationi interesset.

Gregorius igitur præter spem quod tantopere desiderabat assecutus, ut in ejus electione imperatoris esset consensus, nihil differendum ratus, in proximo Pentecostes festo, presbyterum se ordinari fecit; et natali die apostolorum Petri et Pauli in Romanum pontificem consecratus, suæ coronationis insignia suscepit. Confirmatus igitur in Romana sede, quasi nulla amplius hæsitatio in animis hominum obrepere posset de legitima ejus creatione : quippe, quod a cardinalibus, clero', senatu, populoque Romano, consensu, et voluntate imperatoris, et principum accedente, jam electus, et consecratus erat, atque tunc pro legitimo, vero, et indubitato pontifice habebatur : non longe post ejus consecrationem, quod diu ante animo conceperat, exsecutioni mandare disponit. Nam non solum imperatorem (222) electione Romani pontificis, quod et Adrianus III aliquando fecerat, sed et omni (223) auctoritate, qua reliquos prælatos, episcopos scilicet, et abbates constituebat, primus omnium Romanorum pontificum privare tentavit : et, si opus esset, eum non obtemperantem excommunicare, atque imperio deponere; recipientesque ab eo prælaturas, similiter gladio anathematis percutere. Sed, quoniam hæc magni ponderis erant, et haud ita facile successura sibi sperabat, statuit rem paulatim, et sensim incipere, totumque fere annum sui pontificatus, in ejusmodi consiliis, usque ad mediam Quadragesimam tempus congregandæ synodi a suis prædecessoribus præscriptum consumpsit.

Anno igitur Domini 1074, qui adhuc primus erat sui pontificatus, stato tempore hac ratione principia recuperandæ ecclesiasticæ libertatis jecit. In media enim Quadragesima Romæ in basilica Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primo synodum generalem multorum episcoporum abbatum, et aliorum Prælatorum congregavit; in qua, circa XXX edidit capitula (224), seu canones, quod *dictatus* appellavit : quorum major pars antea parum in usu fuerat, et a nemine prædecessorum suorum unquam attentata : verum ad firmissimum Ecclesiæ statum jaciendum, et ad omnia tentanda, quæ animo agitabat, idonea. Ex quibus illud intelligebatur quæ tum Romani pontificis auctoritas fuerit : inter quæ, hæc præcipue capitula fuere.

(*Omittimus brevitatis causa. Vide infra in conc. Rom. anni* 1076.)

Quibus (225) decretis gradum sibi fecit, et viam, ad ea omnia, quæ animo conceperat, peragenda : quibus jactis, et factis fundamentis in synodo, tentandi, quod disposuerat, gratia, benigne primum, et humaniter Henricum regem per litteras suas deprecatus est, ut subjectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ non abnueret, tanquam bonus et catholicus princeps, atque se eidem Ecclesiæ devotum filium exhiberet; hortatusque est ut a Simoniaca hæresi, id est, ab episcopatum et abbatiarum venditione, sive mercatu, quas largitione correptus conferebat, omnino se temperaret : et a reliquis vitiis, de quibus apud sedem apostolicam, tam sub prædecessore suo Alexandro papa II quam se pontifice renuntiato, infamatus et accusatus fuerat, se contineret; alioqui se usurum in ipsum et delinquentes censuris ecclesiasticis.

Quæ omnia, ut accuratius intelligantur, et unde tot malorum et schismatum origo inchoaverit, cognoscatur, eorum temporum consuetudinem referam, ejusque primordia paulo altius repetam.

Erat tum consuetudo, a temporibus (226) Caroli Magni imperatoris, primum ex auctoritate Romani pontificis Adriani I introducta, ut alicujus urbis, vel abbatiæ episcopo, aut abbate mortuis, statim clerus, vel monachi in unum congregati, legatos ad imperatorem, qui tunc erat, dirigerent, ad quem defuncti prælati pedum pontificale et annulum deferentes, eum pro novo antistite deligendo, nomine sui collegii interpellabant. Qui statim senatu suo con-

(222) Quia non competebat illi.
(223) Nulla id auctoritate legitima faciebat.
(224) Baron. vult hæc capitula fuisse conscripta et edita in synodo 1076.
(225) Hæc omnia decreta ex jure divino deducuntur, partim directe, partim indirecte. Nec quid quam novi sanxit pontifex, sed quæ apud multos in oblivionem venerant.
(226) Non est ita. Decepit Onuphrium Sigebertus, quem egregie confutat Bar. tom. IX, an. Christi 774, num. 10 et seqq.

gregato, ex ipsius plerumque sententia, unum vel ex ipsis collegiis, vel ex amicis, et capellanis, cæterisque domesticis, et familiaribus suis, juxta loci dignitatem, ut ei libitum erat, pro arbitrio a se electum, annulo, et virga pastorali prælati defuncti ad se transmissis donabat, eumque de illo sacerdotio diplomate suo imperiali (ut tum dicebatur) investitum, hoc est, illa dignitate donatum, in episcopum vel abbatem consecrari mandabat, absque alia cleri et monachorum lectione. Hoc autem per Galliam, Germaniam, et Italiam, quæ tunc Latinus orbis censebatur, usurpari mos erat.

Cujus exemplo cæteri quoque reges, ut Hispaniæ, Francorum, Hungariæ, et ejusmodi imitati sunt. Hanc autem consuetudinem; cum omnes, ut dixi, Latini orbis Ecclesiæ, tum sæpe, et diu in multis suorum pontificum lectionibus servavit Romana Ecclesia, et præsertim in Joannis XIII, Gregorii V, Silvestri, Clementis, Damasi, Victoris Nicolaique II et Leonis IX Romanorum pontificum lectionibus : qui omnes, ut supra vidimus, imperatorum Othonis I et III, Henrici quoque III et IV sententia, Romani pontifices sine cleri Romani suffragiis lecti, et ab eisdem imperatoribus per annulum et virgam de papatu Romano investiti fuerant. Hanc rem ante quadringintos annos tradit Guillelmus Tyrius libro I, cap. 13, De bello sacro, ita (227) : *Henricus Teutonicus rex, et idem Romanorum imperator a Gregorio papa VII passus fuerat questionem, et controversiam non modicam super annulo defunctorum episcoporum et baculo. Inceleverat enim consuetudo, præsertim de imperio, quod decedentibus ecclesiarum prælatis, annulus et virga pastoralis ad D. imperatorem dirigebantur; unde postmodum unum de familiaribus et capellanis suis investitum ad ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi pastoris fungeretur officio, non exspectata cleri electione. Quod papa Gregorius contra omnem fieri honestatem considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel, secundo, ac tertio eumdem imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret præsumptione : quem præceptis salutaribus commonitum cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit, quod factum nimis imperator indigne tulit*, etc. Hæc autem omnia ut accuratius intelligi queant, quia sunt cognitu non indigna, nunc brevissime ab origine repetam, brevique sermone percurram, quæ duobus libris supra scripsi.

Post Justiniani imperatoris tempora Gothosque, Italia, qua per LXXVII annos potiti fuerant, ab ejus ducibus Belisario, et Narse, bello XVIII annorum postremo exactos, Vigilius, qui tunc pontifex Romanus erat, cæterisque, qui post eum fuerant, summi Pontifices, Roma, et ea Italiæ pars, quæ a Longobardis occupari non potuit, diu sub Imperii Constantinopolitani potestate et protectione fuerunt, scilicet usque ad Leonis Iconomachi, et Gregorii papæ II sæcula. Quo temporum tractu, Longobardi, sub juniore Justino Augusto in Italia ex Pannoniis ingressi, ejus primum potiorem partem, deinde paulatim fere omnem, præter unam tantum Romam (quam in ejus gentis potestatem, eam acriter Romanis pontificibus imperatorum Orientalium auxilio, et præsidio fultis defendentibus, nunquam venisse constat) obtinuere. Græci porro, imperatoris præsidiis vel pulsis, vel cæsis, cum Ravenna, et Exarchatu, quæ sola in imperatoris Constantinopolitani ditione provincia supererat, captis, Romæ quoque sub rege Aistulpho Longobardi inhiarent, multas Romanis, qui deditionem facere suasu Pontificum recusabant, calamitates, et incommoda intulerunt. Verebantur enim Romani pontifices Longobardorum feritatem et barbariem; simulque ne urbem Romam suæ ditionis, eam negligentibus Græcis imperatoribus, factam, et cujus tanquam domini erant, sibi eriperent. Quo tempore cum imperii Romani majestas in Oriente, omnia sibi barbaris vindicantibus, obsolesceret, ac sensim laberetur, imperatoresque Constantinopolitani in hæresim lapsi orthodoxam fidem, catholicamque Romanam Ecclesiam, quæ eis assentire nolebat, super imaginum depositione, oppugnarent (nunquam enim adduci potuerunt Romani pontifices, ut impiis abolendarum imaginum decretis subscriberent, imo eas contra imperatorum orientalium furorem tuendas susceperant) Romana Ecclesia ob eas causas orientalibus destituta auxiliis, quibus usque ad ea tempora in tuenda contra Longobardos sua libertate usa fuerat, ab eisdem ad Francorum potentiam et virtutem tum maxime in Occidente florentes respicere, et se convertere cæpit, atque ab eis auxilia contra Longobardorum superbiam postulare.

Primus enim Stephanus II, cum ab Aistulfo Longobardorum rege opprimeretur, a Pippino Francorum rege, et Caroli, postea imperatoris, patre auxilia contra Longobardos impetravit. Qui in Italiam veniens urbem Romam sedemque apostolicam egregie tutatus est, Aistulfumque acie victum et pacis conditiones accipere coactum, diu, dum vixit, in officio continuit, et exarchatum Ravennæ, quem paulo ante Aistulfus de Græcis vi abstulerat, eis ademptum, Romanæ tum primum Ecclesiæ donavit.

Aistulfo Longobardorum, et Pippino Francorum regibus vita functis, Carolus Francis, et Desiderius Longobardis præfuere. Quorum ille obsequii erga Romanam Ecclesiam, hic vero odii hæredes fuerunt. Desiderius, Adriano papa, adeo Romanos vexare et oppugnare cœpit, ut pontifex, qui longe impar Longobardorum viribus erat, orientalibus auxiliis destitutus, coactus sit exemplo Stephani II Carolum Magnum Pippini filium Francorum regem, Saxonico bello tunc implicitum, in Italiam Ecclesiæ Romanæ auxilio evocare. Qui, pontifici obtemperans, in Italiam ingenti cum exercitu, Alpibus superatis,

(227) Tradidit quidem hoc Tyrius, sed non approbavit, imo expresse improbavit, et pro detestabili consuetudine habuit.

venit. Ubi Desiderio acie victo, atque paulo post A capto, Longobardorum regnum in Francorum ejus transtulit. Qui, ut se gratum Romanæ Ecclesiæ exhiberet, cujus tuendæ causa opulentissimum regnum obtinuerat, tres ex regno Longobardico partes fecit : quarum unam, ipsius scilicet regni Longobardici sedem Ticinum, et omnia, quæ Longobardi in Italia antiquitus acquisierant, sibi retinuit; alteram vero, quæ ea comprehendebat, quæ paulo ante Longobardi in Italia orientalibus ademerant Romanorum imperatoribus, id est, exarchatum, Umbriæ et Piceni partem Romanæ Ecclesiæ confirmavit, vel de novo largitus est. Tertiam porro, qua ea Italiæ parte continetur, quæ Siciliam versus, in qua Beneventum erat, respicit, et hodie regni Neapolitani nomine appellatur, duci Beneventano, qui unus ex regio B Longobardorum sanguine supererat, et imperatori Constantinopolitano cum Siciliæ insula dimisit. Quibus ita dispositis, primus omnium principum, Romanam quam maxime et dignitate, et profana ditione, maximisque opibus auxit Ecclesiam.

Tot igitur, tantorumque beneficiorum non immemor papa Adrianus, sub quo tam magnifice de Romana Ecclesia Carolus bene meritus fuerat, synodum 153 episcoporum, abbatum, aliorumque plurium prælatorum anno salutis 785 (228) Laterani in basilica S. Salvatoris, quæ *Constantiniana* vocatur, congregavit; in qua, ex totius synodi consensu, dedit ei jus et potestatem pontificem eligendi et ordinandi apostolicam sedem, cum eo tempore liberis Romani cleri, et populi suffragiis Romanum C pontificem creari mos esset. Insuper episcopos, archiepiscopos et abbates omnium provinciarum ei subditarum ab eo investituram accipere definivit, eorum, quibus præerant, sacerdotiorum; ita ut nisi a rege laudarentur, et investirentur, episcopus vel abbas, a nemine consecrari posset : et omnes, qui contra hoc decretum egissent, anathemate notavit, et bona ejus proscripsit. Cujus rei meminit Anastasius bibliothecarius in historia ecclesiastica (229) quem locum Gratianus canonum collector 63 distinctione notavit.

Imperatoribus autem, qui Carolo Magno successerunt, ad eam ignaviam delapsis, ut non solum ejusmodi privilegium tueri nollent, sed nec ulla imperii jura curarent, eam occasionem nactus (230) Adrianus papa III sub imperatore Carolo tertio anno salutis 884 illud quidem quod sub prioribus pontificibus sensim exoleverat, congregata synodo, omnino antiquavit et abrogavit, instituens ut in papæ electione imperator se non intromitteret. Privilegium Adriani primi, imperatori ab Adriano III ereptum, (231) Leo papa VIII Othoni primo imperatori de Romana Ecclesia optime merito, cum eam ex tyrannorum Berengarii et Adalberti manibus erutam, in libertatem, quam amiserat, vindicasset, anno Domini 962 in synodo Laterani congregata, exemplo ejusdem Adriani primi, qui illud regi Carolo concesserat, restituit, renovavit, et de novo confirmavit, ut patet ex eadem distinctione apud Gratianum.

Porro autem contra hoc Leonis VIII decretum nullus deinceps Romanorum pontificum reclamavit vel aperte contradixit (232), usque ad Gregorium VII. Hic primus fuit, qui imperatorum Simonia offensus, in contrarium editis decretis, hæc duo Adriani primi, et Leonis VIII, privilegia omnino abrogavit et induxit. Satis autem constat Joannem XIII qui Leoni VIII immediate successit, Gregorium V et Sylvestrum II apostolicæ sedi sola imperatorum auctoritate impositos fuisse, nullis cleri vel populi Romani suffragiis expetitis. Cæteri vero Romani pontifices, qui inter Joannem XIII et Sylvestrum II fuerunt, etsi eos electos fuisse ab imperatoribus non legatur, sed a clero, senatu, populoque Romano, id accidit, quod electionis tempore imperatores urbe absentes, adeo maximis in Germania et alibi bellis impliciti essent, ut de novo pontifice Romanæ sedi providere non possent. Illud tamen constat, dum imperatores, tres Othones loquor, in Urbe vel prope, aut certe in Italia fuerunt, et Romanam forte Ecclesiam pastore vacare tum contigisset, eos novum summum pontificem dedisse. Si vero tempore novæ electionis, eos ab Italia procul esse contigisset, certum est, tum Romanos pontifices a clero, senatu populoque Romano electos non absque imperatorum consensu consecratos fuisse. Fuerunt autem Benedicti duo VI et VII, Bonifacius VII apostolicæ sedis invasor, qui etiam exactus fuit, et Joannes

(228) Nihil de hac synodo hoc anno celebrata D in legitimis et genuinis ecclesiasticis monumentis occurrit. Totum hoc commentum refellit Bar. anno 774.

(229) Gratianus in errorem inductus est a Sigeberto, cujus verba verbatim exscripsit. Sigebertus hanc fictitiam synodum refert ad annum 773, cur Onuphrius ad annum 785? In Vita Adriani nil hac de re habet Anastasius. Nec in ejus historia ecclesiastica, quam legi manuscriptam, vel vestigium, vel volam de privilegio pontificis Romani eligendi per Adrianum primum Carolo Magno concesso, reperire potui.

(230) Recte et legitime fecit Adrianus.

(231) Leo non fuit papa, sed antipapa. Quod mirum ab Onuphrio non fuisse animadversum. Fictitium Leonis privilegium solide refellit Baron. anno Christi 964 et Gratiani hallucinationem d. 63, cap. 23 manifeste demonstrat.

(232) Quid opus erat contradicere, cum utrumque privilegium sit fictitium? Nulli imperatori, regi vel principi jus eligendi pontificem Romanum competit. Primus, qui hoc jus sibi tyrannice arrogavit fuit Theodoricus rex Arianus. Quem Deus in pœnam facti, mox e medio sustulit. Vide Baron., tomo VII, anno 526, num. 22 et seqq. Quem postea secutus est Justinianus, et alii orientales imperatores, qui saltem confirmandi pontificis jus sibi vendicabant, nec sine nummorum exactione, quod non semel detestatur et amarissime deplorat Gregorius, præsertim super IV psal. pœnit. Vide Bar. tom VIII, anno 590, num. 5 et seqq. Pecuniam pro confirmatione pendendam remisit Constantinus Pogonatus anno Christi 681, retento tamen confirmationis jure, quo tamen paulo post nempe anno 684 penitus se abdicavit. Vide Bar., dicto anno. De concessione quadam a Nicolao II facta Henrico infra dicemus.

XIV, XV, (233) XVI. Quorum novissimus, ut quidam scribunt, quod sine imperatoris Othonis III consensu electus et consecratus esset, urbe fugatus, sacerdotio multatus est, Gregorio V subrogato.

Huic igitur privilegio a Leone VIII, usque ad Gregorium VII, a nemine unquam papa reclamatum est, quanquam non omnino fuerit negligentia imperatorum observatum. Verum Othone III imperatore sub Sylvestro II circa annum Domini 1000 mortuo, qui ei successit Henricus II, vir sanctissimus, ac inter divos relatus, et post eum Cunradus II ejusmodi privilegium curare visi non sunt. Nam post Sylvestrum secundum, qui sub Henrici secundi imperio obiit, Romani omnes pontifices usque ad Clementem II sine imperatorum auctoritate renuntiati sunt. An autem eorum consensum, antequam consecrarentur, requisierint, etsi mihi verisimile sit, nunquam tamen inveni. (234) Hoc autem accidisse credendum, tum propter Henrici II eximiam sanctitatem, qui liberam voluerit esse Romani pontificis electionem, cujus in superiori libro III vetus etiam documentum retulit, tum etiam propter Cunradi II occupationes, quibus et maximis bellis, dum vixit, detentus est, longe ab Urbe absens. Neque etiam unquam contigisse legitur, ut unus ex his duobus imperatoribus Romæ, vel in Italia vacantis sedis tempore fuerit. Nam forte trium Othonum prædecessorum suorum exemplo Romanum pontificem dedissent. Cæterum cum ob eorum (235) negligentiam in imperii jure tuendo, privilegium Leonis VIII forte obsolevisset, octo vel novem Romanis pontificibus sine eorum lectione a clero, senatu populoque Romano creatis, occasione maximi inter tres pontifices schismatis accepta, Cunradi II filius (236) Henricis III in Italiam venit, imperiique hoc privilegium magnifice vindicavit (ut supra in Clementis II Vita docui) et, juxta privilegia Adriani I et Leonis VIII formam, abrogatis tribus pontificibus, Benedicto VIII, Sylvestro III et Joanne XX, Gregorio quoque VI privato, novum pontificem Romanæ sedi dedit Suidegerum Saxonem capellanum suum, episcopum tunc Bambergensem, quem Clementem II appellavit, cardinalesque, clerum, ac senatum populumque Romanum sacramento adegit in verba sua jurare cogens, se Romanum pontificem nisi suo jussu creatum non suscepturos. Qui, dum vixit, hoc (237) præstantissimum imperii jus mordicus retinuit, et Clementem II, Damasum II, Leonem IX et A Victorem II, suo arbitrio Romanos pontifices designavit. Quomodo autem, et qua ratione, ab electione Clementis II usque ad Gregorii VII pontificatum Romana Ecclesia in hujusmodi electionibus se gesserit, et causarum initia, quæ Gregorium VII papam commoverint ad libertatem ecclesiasticam in pontificiis comitiis asserendam, satis supra explicavi: nunc factum exponam.

Gregorius VII jam inde a Gregorii VI depositione (238) male adversus imperatores animatus, pontifex factus nullam occasionem prætermittebat qua imperatores auctoritate creandi pontificem Romanum spoliaret. Cui rei maximum incendium obtulit comitissa Mathildis, quo jure quodam contra imperatorem ipsum procedere poterat. B Mathildis enim illustris illa, et tota Italia celebratissima femina, Bonifacii maximi per Italiam principis filia et hæres, imperatoris Henrici IV vim timens, (239) Longobardiæ, Tusciæ et Liguriæ aliquot urbes jure hæreditario ad se pertinentes Gregorio papæ et S. R. E donavit. (240) Hinc odii inter imperatorem et pontificem seminarium primo exortum, cum imperator donationem illam in imperii (cujus Mathildis beneficiaria erat) præjudicium approbare nulla ratione voluisset; imo ea omnia occupare tanquam ad se devoluta tentaret. Tunc enim pontifex opportunitatem nactus, quod imperator sibi jura vindicaret Ecclesiæ, postea eum excommunicavit, alia demum accedente, quæ periculosissima erat, causa. Henricus enim IV imperator, cum mul- C tis et maximis bellorum occupationibus implicitus ingenti pecuniæ vi indigeret, episcopatus et abbatias, plerumque his (241), qui plus ei offerebant, largiebatur, personarum conditionis nulla habita ratione. Quod factum hæresis Simoniacæ labem fugere non poterat. De hac igitur re, et aliis multis criminibus apud sedem apostolicam tam sub Alexandro II quam sub Gregorio VII accusatus, sæpe a Gregorio VII admonitus est et acriter reprehensus. Quem cum sibi recte admonenti obtemperare nolle pontifex cognovisset, eum litteris minarum plenis urgere cœpit. Animum papæ suapte natura contra imperatorem commotum excitabant aliquot Germaniæ et saxoniæ principes, Henrico rebelles, quo- D rum et Nortmannorum præsidiis, comitissæ quoque Mathildis auxilio fretus, multa contra imperatorem, cum primum potuit, (242) ausus est.

(233) Iste Joannes fuit antipapa.

(234) S. Henricus id, quod sibi non debebatur, noluit itidem sibi temere arrogare. Eadem mens fuisse videtur Conrado Salico.

(235) Non fuit ulla negligentia. Obsecro cur vix quisquam Adriani et Leonis privilegia contra Gregorium VII et alios protulit, præter Sigebertum et Walramum in tractat. de investituris apud Illyr. catal. test.; qui Walramus scripsit hunc tractatum suum anno Christi m. 1109.

(236) Idem jus Henrico fuit, quod Theodorico regi Gothorum, hoc est, nullum. Lege Bar. anno 1046.

(237) Præstantissimum jus fuisset, nisi injuria fuisset. Auctor apologiæ pro Henrico nihil de hoc jure scivit. Saltem catholicis non objecit, nec ullum argumentum pro suo Henrico inde duxit. Nec catholici, qui omnes schismaticorum objectiones solvunt, hanc unquam attingunt.

(238) Non male, nisi qua male jus alienum sibi arrogabant.

(239) Lege Bar., anno 1077, num. 24 et seqq.

(240) Hæc non fuit prima causa dissidii, sed Simonia, et scelera Henrici, et alieni juris tyrannica usurpatio.

(241) Eaedem rationem tenent hodie Turcæ in Græcia et alibi, ubi sub se Christianos habent.

(242) Sed jure, quia pro ecclesiastica libertate contra turpissimam Simoniæ labem. Lege Bar. 1076.

Igitur anno Domini 1075 rebus, non verbis amplius transigendum esse ratus, legatos suos ad imperatorem misit, ipsi mandans ut secunda feria secundæ hebdomadæ in Quadragesima anni proximi 1076 Romam ad synodum veniret, de criminibus, quæ ei objecta fuerant, causam dicturus : alioqui sciret se absque omni mora eodem die anathemate notatum iri. Quæ legatio adeo Henricum permovit, ut, rejectis statim gravi cum contumelia legatis, duo tum primum agitaret : unum, ut clam Gregorium capere vel interficere faceret; aliud, ut nisi ejusmodi res successisset, ipsum pontificatu privaret. Quare occulte per nuntios suos egit, ut nocte Natalis Domini, dum papa missam celebraret, a (243) Cencio præfecti Urbis filio, satellite suo, ipse caperetur, quod etiam factum est. Verum a populo Romano Cencio proscripto, liberatus impium conatum imperatoris elusit.

Cæsar, ubi insidiæ non processerant, ad vim conversus, (244) congregato Wormatiæ in proxima Dominica Septuagesimæ 24 episcoporum abbatumque multorum quos Gregorius variis excommunicationibus ante (245) vexaverat, conventu; occasione accepta, quod (246) absque consensu suo, solis tamen Romanis faventibus, apostolicam sedem consedisset, eum papatu privarunt. Cujus privationis formula ejusmodi fuisse dicitur : *Quia ergo et introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, et Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, et vitam per conversationem tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse renuntiamus; et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quoque nulli nostrum amodo eris apostolicus.* Cui decreto non solum Germaniæ et Galliæ multi episcopi, sed et Italiæ plerique conventu Papiæ imperatoris jussu habito, subscripsere.

Quo ad Gregorium papam Laterani in concilio quadragesimali ab se coacto tam hostili decreto perlato, pontifex statim nullas interponendas esse moras ratus, ex omnium episcoporum et abbatum, qui in synodo aderant, sententia, imperatorem, et omnes ejus fautores et adhærentes, gravissimo anathemate notatum, imperio privavit, omnesque subditos ad omni ei præstito juramento absolvit.

Cujus rei occasione, cum universi fere Germaniæ sæculares principes ab eo defecissent (247), alium imperatorem creare constituerunt, nisi Cæsar Henricus ante anni tempus excommunicatione a pontifice solveretur : quem per nuntios suos clam deprecati fuerunt, ne ea imperatorem exsolveret. Cæsar tot minis coactus in Italiam, superatis Alpibus, rigidissimo anni tempore venit, et cum Gregorio papa (quem Canusii invenerat) post multas preces, maximamque præteritorum pœnitentiam ostensam, pacem quibusdam duris conditionibus, præter Italiæ principum voluntatem, fecit, atque ab eo se anathemate solvi procuravit. Sicque principum Germaniæ vim, et inflexibile contra eum propositum fregit. Hoc factum est v Kalend. Februarii, pontificatus Gregorii VII anno quarto, salutis vero 1077.

Cæterum Cæsar ingenti metu liberatus, Italicorumque principum promissis incitatus, Gregorio pontifici denuo rebellis, et manifestus hostis (248) factus, ipsum clam capere Canusio Romam redeuntem tentavit. Quod ubi alienatum ab se Cæsaris animum papa cognovit, statim in Germaniam ad imperatoris hostes Saxones, et alios principes legatos misit, qui regis temeritatem, scelera et perjuria referrent, hortarenturque eos ut novum ipsi regem, Henrico abrogato, crearent, quem ipse postea imperatorem inungeret. Germaniæ principes, papæ legatione audita, illico conventu in Forcheim congregato, Rodulfum Suevorum ducem in Romanorum regem elegere, hac conditione, ut sacerdotiorum investituras dimitteret, et, ne velut hæreditario jure, filios suos successores declararet. Quod ubi Henricus imperator audivit, vehementi indignatione inflammatus, in Germaniam ingenti exercitu comparato regressus, bellum rebellibus principibus indixit : quod vario eventu prope in triennium protractum est.

Anno vero 1080 (249). Pontificatus Gregorii VII. Pontifex, Laterani concilio multorum episcoporum et abbatum in Quadragesima congregato, Henrico rege bellis Germanicis implicito, cum ipsum nulla ratione ex hostium Germanorum manuevasurum sibi persuaderi posset, quod diu ante agitaverat, aliquotque decretis ante sensim prænotaverat, tunc primum (250) aperte evomuit. Constitutionem illam enim tunc primum edidit, qua imperatorem non solum auctoritate instituendi Romanum pontificem (251), quam trecentis prope annis ante prædecessores sui habuerant, sed et omnibus etiam cæterorum sacerdotiorum investituris privare conatus est, omnemque episcoporum et abbatum instituendorum rationem ad electionis capitulorum et monachorum formam reduxit. Cujus decreti exemplum sequens est :

« Patrum sanctorum statuta sequentes, » etc. *Editum exstat infra in concilio Romano.*

Simoniacos vero appellat, quotquot a manu laica alicujus beneficii investituram acciperent. Hoc vero

(243) Cincio; Bar. anno 1075.
(244) 1076.
(245) Sed ideo, ut vexatio daret intellectum.
(246) Consenserat Henricus, sed ut erat variabilis. consensum postea in dissensum vertit.
(247) Imo et episcopi, qui decreto conciliabuli subscripserant, teste Sigeberto, quamvis schismatico, anno 1077.

(248) Imo et subdolus insidiator. Baron., 1077, num. 36.
(249) Vide Baron., anno 1080.
(250) Schismaticum hæc locutio decet, non catholicum.
(251) Nunquam habuit jure. Agnum faucibus lupi eripere, cur non liceat?

decreto procul dubio imperator Henricus, et omnes reges Latini, et occidentales petebantur (252); deinde episcopi et universus clerus Galliarum, Germaniæ et Italiæ pulsabantur.

De episcoporum vero electione ita definivit :

Quoties defuncto pastore alicujus Ecclesiæ alius est ei canonice subrogandus, instantia visitatoris episcopi, qui ei ab apostolica sede, vel a metropolitano directus est, clerus et populus, remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia apostolicæ sedis vel metropolitani sui consensu, pastorem sibi secundum Deum eligant. Quod si corruptus aliquo vitio* (253) *aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, et de cætero nullam electionis potestatem habebit; electionis vero potestas omnis in deliberatione sedis apostolicæ, sive metropolitani sui consistat. Si enim is, ad quem consecratio spectat, non rite consecrando, teste B. Leone, gratiam benedictionis amittit, consequenter is, qui ad vanam electionem declinaverit, eligendi potestate privatur.*

His autem decretis, in duobus potissimum, majestas et Romani imperii dignitas evertebatur; et quod longe pejus erat, ea fundamenta jaciebantur, quibus Romani imperii potestas omnino labefactaretur.

De primo autem dicam : Erat tunc (254) consuetudo, ut ex omnibus orbis Latini partibus infinita prope hominum diversarum conditionum millia aulam imperialem frequentarent. In his aderant diversarum congregationum monachi, doctores, viri litterati, nobiles et ignobiles, qui omnes eo confluebant spe ducti, ut ab imperatore sacerdotia consequi possent, quemadmodum nunc usus est in Romana curia. Imperator enim non solum episcopatus omnes et abbatias, minoraque omnia sacerdotia, ut præbendas, canonicatus, præposituras et decanatus, et hujusmodi (255) conferebat, sed etiam, ut jam visum est, Romanum ipsum pontificem designabat.

Si igitur Gregorii decretis locus esset, illico consequebatur ut omnis hæc (256) aulæ imperialis majestas obsolesceret, spe consequendi a Cæsare sacerdotia sublata, quæ jam per electionem tradebantur, nullo amplius imperatoris interventu, nec præterea a tot diversarum nationum illustribus doctrina et nobilitate viris frequentari contigisset aula imperialis.

(257) Altera vero causa, qua imperator valde urgebatur, quæ multo majoris momenti existimabatur, erat : quod si Cæsar prælatorum *investituras* (ita enim collationem appellabant) amitteret, majorem imperii sui, meliorem fortioremque partem deperderet, et maximarum calamitatum seminarium imperio faceret. Nam, quando privilegia (258) Carolo Magno et Othoni I Augustis ab apostolica sede de prælatorum investituris concessa fuere, Ecclesiæ et episcopatus tunc (259) pauperes, tenues et sine tot redditibus erant. Postquam vero juris imperii facta est eorumdem prælatorum electio, quemadmodum et cæteri principes sæculares imperii, tum Cæsares, qui de religione bene mereri volebant, sine imperii tamen præjudicio, cœperunt episcopos et abbates ob religionem, tanquam potiora imperii membra, præ cæteris laicis principibus honorare; profana dictione et ingentibus opibus honestare; arces, oppida, urbes, marchias, ducatus, provincias, pedagia, telonea, vectigalia, portoria et multa alia, quæ imperii propria erant, episcopatibus concedere; quæ vel ex suis propriis bonis, quæ ad imperium pertinebant, vel ex alienis feudis erant (260). Nam laicis principibus sine legitimo hærede mortuis, eorum provincias, quæ beneficiario jure ad imperium pertinebant, non aliis amplius laicis regulis, sed episcopis concedebant; atque hac ratione omnes episcopatus et abbatias Italiæ, Galliarum et Germaniæ, imo totius orbis Latini, et denique ipsum pontificem Romanum, ex pauperibus ditissimos et maximos principes fecerant; ex eis scilicet opibus, quæ ante imperii juris erant, in nulla re imperialia propterea jura minui existimantes : quippe quod certi essent eos omnes prælatos a se designandos fore, et non nisi jussu suo et voluntate sacerdotia ipsa obtenturos. Gregorius igitur suis decretis dimidium (261) imperii Cæsari tollebat. Nam episcopi nulla ratione adduci poterant, ut, quæ ab imperatoribus antiquis obtinuerant, dimittere et imperatori restituere vellent, cum ex sua eruendi essent potestate (id enim Cæsar ipse quærebat) nec imperator id agere poterat, ut

(252) Nemo petebatur hoc decreto, nisi Simoniaci, et qui alienum jus invaserant; et ab invasoribus jus sibi reddi postulabant. Omnes hujus generis fuisse aperte falsum est.

(253) Quæ sequuntur plane indigna sunt homine docto, nedum Onuphrio, qui tamen hæc ex Henrici potius sensu quam ex suo scribere videtur. Refert enim, quis Henrici et schismaticorum sensus fuerit super Gregorii decretis.

(254) Pessimus et perniciosus hic abusus fuit, et ferro excommunicationis recidendus, ut factum a Greg. VII, qui nundinationem istam sustulit.

(255) Ei nimirum qui plus dabat, sive aptus, sive ineptus esset : quia in aula perpetuæ nundinæ erant.

(256) An aula imperialis florere nequibat sine beneficiorum ecclesiasticorum nundinatione?

(257) Cura pecuniæ emungendæ potissimum coquebat et torquebat Henricum.

(258) Videtur totus iste de investituris discursus effictus et expressus ex tract. Walrami, de eodem argumento, apud Illyricum in catalogo testium, qui totus inædificatur privilegiis nunquam concessis, sed supposititiis et commentitiis.

(259) Non est universim verum, nam Carolus Magnus amplissimis opibus auxit cum alias Ecclesias, tum maxime Romanam, ut de antiquioribus impp. nihil dicam.

(260) Plurima quidem ecclesiis donata sunt ab imperatoribus, etiam immediate, sed non omnia; neque ullus catholicæ pietatis amans imperator aut princeps eo consilio Romanam Ecclesiam vel alias ditavit, ut jus eligendi et investiendi antistites sibi raperet, quia hoc jus non laicis, sed Ecclesiæ competit.

(261) Falsum; nam quæ Gregorius Cæsari eripere tentabat, nunquam fuerunt imperii de jure, sed per vim et illegitimam usurpationem.

episcopi ea imperio restituerent, quæ ab imperatoribus non ut (262) episcopi, sed ut imperialia membra obtinuerant. Si igitur prælatorum designatio ab imperatore auferretur, et prælati retinerent beneficia, et alia, quæ imperii ante fuerant, (263) dimidium imperii omnino ab imperatore tollebatur.

Accedit quod maxime Cæsarem angebat, quod si episcopi Germaniæ et Italiæ, cum ab imperatore electi et investiti essent, vix in officio contineri poterant, ne contra ipsum varias et frequentes rebelliones molirentur, quid deinceps facturi essent, si omnino ex imperatoris potestate eruti et liberati essent, et in cujusvis Ecclesiæ, capituli vel collegii potestate esset nobilissimi, et potentissimi episcopatus] antistitem quempiam imperatori hostem acerrimum eligere, qui maximæ imperii ruinæ causa deinde esset (264)?

Hæ igitur causæ sunt, quæ Cæsarem et cæteros laicos principes quam maxime adversus pontificem commoverunt, imperii enim vel omnino tollendi, vel in perpetuum stabiliendi causa tunc maxime tractabatur. Cæsar enim imperii jura, et ea quidem summa omnino tueri, papa vero Ecclesiæ libertatem, nulla imperialis excidii ratione habita, asserere volebat, indignum esse clamitans a manu laica sacerdotes creari, quanquam id per trecentos fere annos a Caroli Magni tempore (265) sub sexaginta et eo amplius Romanis pontificibus usurpatum esset. Maxime igitur imperatori laborandum erat, ne hæc decreta starent, si imperii jura, imo imperium ipsum salvum esse vellet, quod ejusmodi papalibus edictis procul dubio dissipandum esse existimabat (266).

Pontifex etiam episcopos (267), abbates cæterosque prælatos prima hac fronte his constitutionibus non minus sibi infestos reddidit, quam imperatorem ipsum : quibus necesse erat, aut episcopatibus carere et abbatiis, aut excommunicationi subjacere : aut episcopatus et abbatias de manu imperatoris suscipere. Quod enim tunc collegium vel capitulum auderet contra tam veterem consuetudinem (268), tot sæculis coalitam, et semper usurpatam in locum demortui pontificis, vel abbatis novum constituere præsulem, imperatore potentissimo inconsulto? Nam et eligentes, et electus antistes non solum votis suis potiri non potuissent, sed et temerarii ausus statim pænas imperatori luissent. Aut quis episcopus vel abbas, quanquam tute eligi a suæ Ecclesiæ collegio potuisset, et præter imperatoris sententiam, sacerdotium assumere posset, vel auderet, qui statim a sua sede, alio ab imperatore subrogato, armata manu ejiciendus esset? Fieri ergo non poterat ut, si quis episcopatum vel abbatiam adipisci volebat, eam aliter quam ab imperatore acciperet, et præsertim in provinciis imperio subjectis. E contra, si quis ita ab imperatore sacerdotium suscepisset, statim ab episcopo Romano excommunicatione notabatur; quam homines hac tempestate in tantum timebant, ut ea una præcipue Romani pontifices omnia, quæ desiderabant, se tandem consequi posse non dubitarint. Quod etiam illis ex voto, quanquam non sine periculis et difficultatibus, postremo cessit. Vix enim ab iis devotus, alicubi diutino tempore consistere poterat, omnibus eum, tanquam pestem publicam, evitantibus, existimantibusque, si cum excommunicato agerent, se statim vivos terræ hiatu absorbendos.

In maximis ergo angustiis et calamitatibus, nimiisque pressuris prælati Ecclesiæ tunc constituti erant, adeo, ut multi potius elegerint dignitatibus cedere, quam vel in imperatoris indignationem, si ab eo investituras, quod alia ratione fieri non poterat, non susciperent, vel in excommunicationem, si acceptassent, incurrere, ab omnibusque ludibrio haberi, et pro impiis et facinorosis reputari. Cæsar quoque ipse, multique alii principes, et prælati fuerunt, qui Romani pontificis anathema, tanquam iniquum et injustum, et præter leges factum, contemnebant, aliosque contemnere persuadebant et cogebant. Populorum tamen multitudo, et maxima principum tam laicorum quam ecclesiasticorum pars, excommunicationem papæ maxime verebantur; vel, quod re ipsa sentirent; vel, in imperatoris odium, qui a multis Germaniæ principibus, et præsertim Saxonibus, quos ut rebelles Cæsar ipse frequentibus bellis attriverat, ingenti odio habebatur. Ita enim sunt Germanorum principum animi (269), ut non nisi coacti, imperatori a se electo parere velint, avitæ tuendæ libertatis avidissimi.

Hoc igitur papæ decreto quam maxime incitati sunt episcoporum Germaniæ et Italiæ animi; cui cum imperator nulla ratione obtemperare vellet, papa Gregorius tam ob hanc causam, quam ob eam rebellionem, quam post primam pacem, et absolutionem impetratam fecerat, et alia multa crimina, de quibus a Saxonibus apud pontificem delatus fuerat, ipsum Cæsarem denuo gravissimo anathemate notatum imperio privavit; Rodulfumque, qui contra eum Augustus ab aliquot Germanis principibus creatus in schismate fuerat, confirmavit, et omnes ab Henrici sacramento absolvit : Guibertumque archiepiscopum Ravennatem præcipuum imperatoris amicum, sacerdotio multatum,

(262) Imo, ut episcopi ea obtinuerant.

(263) Nihil penitus imperio debitum auferebatur; quia episcopi manebant imperii membra, tametsi, ut episcopi, non investirentur ab imperatore.

(264) Huic incommodo occurri potest, salvo Ecclesiæ jure, et absque ulla, quæ tunc vigebat, Simoniaca beneficiorum nundinatione.

(265) Hæc sunt Sigeberti, non veritatis.

(266) Sed male : nam imperium non dissipatur conservatione juris ecclesiastici.

(267) Simoniacos, qui beneficia ecclesiastica emerant.

(268) Quam vero vetus!

(269) Imperatori sponte sua parent Germani; tyranno non nisi coacti.

ac plerosque alios episcopos, archiepiscopos et abbates, qui Henrici causam tuebantur, passim excommunicavit. Quæ omnia, cum ad imperatoris aurem pervenissent, valde timuit, pontificisque audaciam (270) veritus, statuit hominem prævenire, quem videbat totas vires suas eo dirigere, ut se imperio privatum, in ordinem cogeret (271), imperiique majestatem, et jura omnino everteret. Pro certo etiam sciebat papam ipsum hosti suo Rodulfo constantissime adhærere; se quoque ob frivolas, ut ipse dicebat, causas excommunicatum querebatur. Ipsum itaque pontificatu, alio suffecto, privare omnino constituit.

Igitur eodem anno, qui salutis erat 1080, duo contra Gregorium papam concilia in Germania celebravit. Primum Moguntiæ in Pentecoste XIX, alterum vero in Italiam veniens Brixinæ (272) in Noricis, XXX episcoporum. In quo etiam adfuerant principes laici omnes, qui imperatoris causam tuebantur, non solum Germaniæ, sed etiam Italiæ. Ubi ex imperatoris auctoritate factus est omnium consensus adversus papam Hildebrandum; quem *pseudomonachum totiusque vesaniæ pestiferum principem, et præcipue sanctæ sedis invasorem esse* affirmantes, ab apostolica sede depellendum, quanquam inauditum et absentem, judicaverunt; et ex imperatoris voluntate Guibertum archiepiscopum Ravennatem ipsi subrogandum elegerunt.

Maximum hinc discordiarum initium exortum, quem electum tam rex Henricus, quam omnes principes, et episcopi proni in terram adoraverunt (273). Ejus porro decreti, quo in concilio Brixinensi episcopi factionis Henricianæ pontificatum Gregorio VII abrogarunt, conclusio hæc fuit : (274) *Quia*, inquiunt, *illum constat non a Deo electum, sed a se ipso in fraude, et pecunia imprudentissime objectum, qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani imperii perturbavit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis et animi intentat mortem, qui perjurum defendit regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges discordiam, et quidquid quiete inter pie viventes stare videbatur, concussit : nos, auctore Deo, congregati in unum, legatis et litteris freti* XIX *episcoporum, die sancto præteritæ Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia et incendia prædicantem, perjuria et homicidia defendentem, catholicam et apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem,* A *manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, et idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum et expellendum; et nisi ab ipsa sede, his auditis, descenderit, in perpetuum condemnandum.* Actum VII Kalend. Julii, feria V, indictione II.

(275) Cæsar quoque Henricus hanc illi epistolam scripsit : *Henricus Dei gratia rex,* etc. *Hildebrando,* etc. *Cum hactenus ex te ea quæ sunt Patris exspectarem, tibique in omnibus magna cum fidelium nostrorum indignatione obedirem, recepi abs te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cum primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa apostolica sede debebatur, superbo ausu rapuisses,* B *longius inde progressus, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti, neque hoc contentus, in reverendissimos episcopos, qui nobis veluti dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis, acerbissimisque contumeliis contra divina et humana jura, ut ipsi aiunt, exagitasti. Quæ omnia, cum ego quadam patientia dissimularem, tu, hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans, quæ nosti, videlicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morereris, aut tu mihi animam regnumque tolleres,* etc.

Hoc decreto et epistola ad se perlatis, Gregorius nihil timens, ut animos suorum confirmaret providit, C Saxonibusque imperatoris hostibus, ut bono animo essent, persuasit. (276) Falsum enim regem eo anno moriturum, constantissime, quemadmodum sibi divinitus revelatum fuerat, affirmabat. Et verum quidem prædixit : sed, fefellit eum de falso rege conjectura, secundum suum desiderium de Henrico rege interpretata. Nam, cum post concilium Brixinense antipapa Guibertus cum insignibus pontificalibus in Italiam venisset imperatoris adventum exspectans, a quo armata manu Romam deduceretur; imperator vero in Germaniam contra Rodulfum profectus esset, prælio inter utrosque reges ad IV idus Octob. inito, Rodulfus rex gravi vulnere saucius, non longe post mortuus est. Rodulfo occiso, et rebus Germaniæ compositis, Henricus ingenti D exercitu comparato, in Italiam venit ut antipapam Guibertum apostolicæ sedi, fugato Gregorio, per vim imponeret.

Quapropter anno Domini 1081 (277), festis paschalibus celebratis, imperator Henricus in Italiam cum exercitu veniens, assumpto secum antipapa Guiberto, ad urbem in vigilia Pentecostes pervenit,

(270) Imo magnanimitatem.

(271) Hoc non fuit propositum Gregorio : sed ecclesiæ jus suum recuperare, Simoniam tollere, et mensas nummulariorum evertere studuit. Nec imperium evertitur si Ecclesiæ jussuum relinquatur integrum.

(272) Tirolensis ditionis.

(273) Notent hæc sectarii. Henricus cum suis non negavit auctoritatem sedis apostolicæ sed quæ gessit, odio Gregorii, non sedis aut throni gessit.

(274) Hæc sententia ex Urspergensi desumpta est : de qua lege Bar. 1080, num. 18 et seqq.

(275) Vide Bar. 1080. num. 26.

(276) Hæc a schismaticis conficta sunt, occasione cujusdam epistolæ a Gregorio scriptæ, de qua Baron. 1090, num. 49 et seq. Intulit ea, ut pleraque alia hujus farinæ Sigebertus in suam Chronologiam. Unde descripsit Onuphrius.

(277) Baron. 1081, num. 13 et seq.

quam resistentibus sibi Romanis et Gregorio papa, fere per biennium obsedit; donec postremo anno Domini 1083 Nonis Junii, tradentibus se Romanis, ingressus est. Pontifex Gregorius, Urbe partim vi, partim proditione ab Henrico occupata, in arcem Sancti Angeli, quam egregie munierat, cum suis se recepit. At cum nulla inter imperatorem et pontificem concordiæ via relicta esset, imperator anno sequenti 1094, Gregorio adhuc in arce S. Angeli existente, de aliquot procerum et cardinalium Romanorum consensu, quos partim vi et metu, partim donis et pollicitationibus in sententiam suam traxerat, Guibertum archiepiscopum Ravennatem, ex ejus auctoritate Brixinæ triennio ante Romanum pontificem designatum, in antipapam Dominico die Palmarum Clementis III illi nomine imposito, inaugurari fecit: a quo proximo paschali festo cum uxore sua Berta imperator et Augustus coronatus est. Deinde ad arcem S. Angeli oppugnandam, in qua Gregorius VII permanebat, conversus cum eam acriter urgeret, effecit ut pontifex coactus Robertum Guiscardum cum maximo Nortmannorum exercitu in auxilium suum evocarit, cujus adventu imperator perterritus, Urbe cum antipapa aufugit. Robertus porro in Urbem veniens, Gregorium arce eductum suæ sedi Laterani restituit; sed audiens imperatorem, quem Urbe effugaverat, reparatis ex Tuscia et Lombardia viribus cum antipapa Romam reverti, simulque Romanorum inconstantiam veritus, pontificem ex Urbe eductum secum Salernum urbem munitissimam perduxit, ut ibidem, quousque pax daretur Ecclesiæ, permaneret. Ubi, toto anno 1084 et parte anni 1085 usque ad diem mortis suæ commoratus est, cum imperator et antipapa Romam, eo interim tempore, et omne Ecclesiæ patrimonium occupassent.

Quibus factis imperator in Germaniam reversus antipapam magna cum militum copia, et Romanis commendatum in Urbe reliquit.

Anno deinde, qui secutus est 1085, *vir vita venerabilis, prudentissimus, catholicus, Deo amabilis, hæreticorum malleus indefessus, ecclesiastici juris redemptor ac conservator solertissimus, perpetuaque memoria dignus, Gregorius papa VII*, cum per aliquot menses Salerni fuisset, magna morbi vi premi cœpit, exitusque de hoc mundo tempus sibi adesse cognoscens, ante tertium sui obitus diem rogatus ab episcopis et cardinalibus, qui forte tunc cum abbate Cassinensi Desiderio aderant, quid de Romanæ sedis post obitum suum ordinatione juberet, omnes hortatus est ut procul dubio novum in sui locum pontificem crearent, omnibusque abbatem Desiderium proposuit tanto muneri parem. Præter id enim, quod is S. R. E. presbyter cardinalis esset, prudentia quoque summa et religione præcipua, singulari principum benevolentia amicitiaque pollebat. Quod si hunc flectere nullatenus possent, ut pontificatum Romanum acciperet, aut Lugdunensem archiepiscopum Hugonem aut Ottonem Ostiensem, sive Anselmum Lucensem episcopos eligere, quam ipse primum defunctus esset, studerent.

His ordinatis, cum tempus obitus sui jamjam appropinquare cognosceret, clamavit: « *Dilexi justitiam, et iniquitatem odio habui*, et propterea exsul morior. » His dictis, et omnibus ecclesiasticis sacramentis præmunitus, gloriosus et B. pontifex VIII Kal. Junii, die Dominico, indictione 8, anno 1085, animam cœlo reddidit: ibidemque in ecclesia Sancti Matthæi, quæ Salerni cathedralis est, honorificentissime est sepultus. Vacavit eo mortuo propter temporis rerumque difficultatem Romana sedes annum unum.

Cum igitur in principe Romano imperium ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuisset, Ecclesia quoque Romana tanto pastore, qui inter omnes principes *præcipui zeli ac auctoritatis* erat, orbata, dolorem non modicum sensit. Fuit enim hic pontifex *vir constantissimus, recti propositi tenax, et qui a recta via nec minis, nec precibus unquam ne latum quidem, ut dicitur, unguem discessit. Homo antiqui exempli, et priscis illis Romanis pontificibus, qui diversa pro Christo cruciatuum genera pertulere, comparandus, audax, prudens, cautus, et maximus ecclesiasticæ libertatis assertor.* Huic uni, cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera sit et ab imperatorum manu eruta, quod tot divitiis, opibus et profana ditione locupletata; quod regibus, imperatoribus, et omnibus Christianis principibus sit præfecta; a quo postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum domina; cum antea, tanquam vilis ancilla, non ab imperatoribus modo, sed a quovis principe Romani imperator præsidiis fulto, premeretur, ab hoc maxime illius, et omni sæculo tremendæ venerandæque Romani pontificis, et infinitæ pene potestatis jus manavit. Nam etsi ante Romani pontifices tanquam religionis Christianæ capita Christique vicarii et Petri successores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur quam in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterum imperatoribus suberant (278); ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de eis judicare, vel quidquam decernere non audebat papa Romanus (279). Primus omnium Romanorum pontificum Gregorius VII, armis Nortmannorum fretus, opibus comitissæ Mathildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contempta imperatoris auctoritate et potestate, cum summum pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, a quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio, et Leone Ico-

(278) Non omnibus, sed nonnullis, idque de facto, non de jure; vi et tyrannide, non lege et æquitate.

(279) Non est verum.

nomacho circumferuntur, nihil moror (280). Unde Otho Frisingensis, horum temporum scriptor : *Lego*, inquit, *et relego Romanorum pontificum gesta, et nusquam invenio aliquem eorum ante hunc Henricum a Romano pontifice excommunicatum vel regno privatum*, etc.

Cæterum ea quæ horum temporum cardinalis quidam Benno, Germanus, in gratiam imperatoris contra Gregorium VII scripsit, animus non est modo refellere, cum res ipsæ quas huic pontifici objicit, partim falsæ, partim ridiculæ sint, et nullius momenti : cui tum, quod hostis acerrimus Gregorii papæ fuerit, tum ex his quæ dixi nullatenus fidem adhibendam censeo. Meam hanc sententiam confirmare possunt horum temporum scriptores, tam Germani quam Itali, qui de hujusmodi perniciosa discordia tum ex instituto, tum obiter libros conscripsere; inter quos præcipui fuere Paulus Bernriedensis (281), presbyter Reginoburgi; Gerochus Reicherspergensis episcopus (282), Lambertus Schaffnaburgensis Hirsenfeldensis monachus, Chunradus de Liechtenaw, omnes Germani. Ex Italis item Leo Marsicanus, episcopus Ostiensis; incertus auctor Bibliothecæ Palatinæ, qui hujus pontificis Vitam conscripsit, et novissime Anselmus episcopus Lucensis, Gregorii ipsius cooperator indefessus; qui hymnos et alia quæ de Salvatoris nostri cruciatibus perscripta sunt, de Gregorio ipso interpretatus est, ejusque doctrinam eleganti libro scriptam confirmavit : vir litteris eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, et quod omnibus majus est, in Dei timore et sancta conversatione celeberrimus ita ut tam in vita quam post mortem miraculis claruisse memoretur.

Is scribens ad antipapam Guibertum epistolam in qua illum prævaricatorem ac superbum vocat, atque inter alia : *Ut ergo*, inquit, *de beato Patre nostro Gregorio dicam, quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus : Factus est* Gregorius *episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium, et, ut verius dicam, omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de sacerdotum bonorum virorum et antiquorum collegio, cum nemo ante se factus esset; cum* Alexandri *locus, id est Petri locus, et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret; quo occupato in Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam episcopus voluerit fieri, foras fieri necesse est; non habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, licet multum de se jactans, sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est; et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus debet esse, factus est,* A *jam non secundus ille, sed nullus est*, etc. Idem et illi multi scriptores prodidere.

Cæterum, ut hanc rem semel finiam, hujusmodi rerum occasione perniciosissima seditio, et hæresis omnium pestilentissima Christianum populum hoc tempore maxime pervagata est, et orbis terrarum, si unquam, hac tempestate a cardine bellorum procellis jactatus est, et genus humanum undique armorum turbine involutum fuit, ita ut nullius schismatis tempore graviora Ecclesiam pericula et calamitates passam fuisse legamus.

Gregorio VII expedito, nunc quis Clemens III antipapa fuerit, et res ab eo gestas aperiam.

CLEMENTIS III ANTIPAPÆ ELECTIO.

Clemens III, qui in schismate contra Gregorium B papam VII ab imperatore Henrico IV ut (283) imperii jura tueretur, antipapa creatus est. Fuit natione Italus, patria Parmensis, summo loco natus, ex familia Corrigia, quæ ejus urbis aliquando principatum tenuit, Guibertus antea vocatus. Hic ab ineunte ætate ad curiam imperatoris (quæ sacerdotiorum consequendorum causa (284), ut nostro tempore Romæ mos est, tunc ex toto orbe terrarum frequentabatur), ut fortunam suam experiretur, accessit, Chunrado Henrici III patre rerum potiente. Cum autem adolescens evasisset ingenio, facundia et prudentia clarus et nobilitate præcipuus haberetur, paulatim in gratiam Henrici III pervenit; a quo permagnifice semper tractatus est. Apud uxorem C vero ejus Agnetem tantum gratia et auctoritate valuit, ut ipsum Italici regni cancellarium creari procurarit. Eum enim providum, strenuum et prudentem virum in multis arduis negotiis experta fuerat. Quo tempore ab ejus nutum, et voluntatem totum imperii pondus vertebatur; in quo munere Henrico III Cæsare Cadolum Pallavicinum in schismate contra Alexandrum II pontificem creatum maxime fovit, et, dum potuit, in pontificia dignitate protexit.

Cæterum Agnete imperatrice a rerum cura submota, quibus diu post Henrici III mariti sui mortem, quod puer erat adhuc filius ejus Cæsar Henricus, præfuerat; cum negotiorum imperialium morem tractandum pro rege puero Anno Coloniensis archiepiscopus ex principum consensu susce- D pisset, Guibertus officio suo privatus est; Vercellensi illi episcopo subrogato, cum multorum imperii procerum invidiam ob virtutem contraxisset. Verum, cum Henricus Cæsar adolescens e tutorum potestate exiisset, cognita Guiberti industria et virtute, eum inter intimos amicos, et consiliarios suos accivit; et non longe post archiepiscopum Ravennatem designavit. Mortuo Alexandro II per aliquod

(280) Non sunt fabulæ. Lege Bell. lib. II De pontif., cap. 19, et lib. III cap. 2. Vide quæ ad lib. II, cap. 19, diximus.

(281) Monachus ord. Canon. Regul. S. Augustini.

(282) Non episcopus, sed præpositus.

(283) Imo ut libidinem suam expleret, et jus divinum everteret.

(284) Dispar ratio, nam Romæ legitimum est tribunal, in aula illegitimum, præsertim cum in ea omnia essent venalia, præterque Simonem et Giezi nemo jus diceret. Domnizo de Guiberto : *Major erat cunctis Guibertus episcopus urbis Ravennæ, doctus, sapiens, et nobilis ortus, exstiterat Parmæ civis seu clericus : ante dum fuit electus Gregorius iste Guibertus ipsi juravit.*

tempus in officio permansit, et Gregorio VII, qui ei successerat, paruit. Cum vero ejus ab imperatore animi alienationem cognovisset, pontifice, cui obedientiam præstiterat, prodito, ad imperatorem se contulit, eumque vehementer ambitione inflammatus, contra papam Gregorium concitavit. Quo postremo Brixinæ ex imperatoris auctoritate pontificatu privato, anno 1084, pontificatus ejusdem Gregorii VII, Guibertus ipse imperatoris jussu VII Kal. Julii, indictione 3, ab episcopis qui in eo conventu aderant, eidem pontifici subrogatus est, et Clemens III appellatus; qui in schismate contra Gregorium VII, Victorem III, Urbanum II et Paschalem II, sedit annos plus minus XXI, anno deinde 1084 Romæ XI Kal. Aprilis, die Dominico Palmarum ab episcopis Bononiensi, Mutinensi et Placentino, cum cardinales deessent, inauguratus, proximo Paschali festo imperatorem Henricum cum uxore Berta coronavit. Audito vero Roberti Guiscardi Nortmannorum ducis adventu, qui in auxilium Gregorii VII in arce Sancti Angeli conclusi veniebat, imperator et antipapa Urbe excesserunt: Guibertus quidem in Lombardiam, imperator vero in Germaniam, ubi anno sequenti 1085 Moguntiæ episcoporum Germaniæ synodo congregata, ordinationem Clementis III et abrogationem Gregorii VII confirmari jussit. Quo tempore Herimanno primum, deinde, eo mortuo, Egberto alio regibus a Saxonibus contra se creatis, ita novis bellis civilibus implicari cœpit, ut rebus Italicis amplius sic vacare non posset. Porro autem Roberto Guiscardo ex Urbe cum Gregorio VII discedente, Guibertus ad eam reversus cum imperatoris præfecto arcem S. Angeli et omnia fere ejus loca obtinuit.

Audita interim Gregorii VII et qui illi successerat, Victoris III, morte, cum Urbanum II suffectum esse cognovisset, tum primum intellexit adversariorum suorum odium in se perpetuum esse, seque nunquam pontificatum Romanum pacifice obtenturum. Quare toto Urbani II pontificatu vario (285) cum Hildebrandina factione Marte conflixit, modo Urbe extorris, modo ea potius scilicet, prout sibi secunda vel adversa Romanorum et imperatoris studia erant, eam tamen majore Urbani II pontificatus parte obtinuit Urbano ipso Urbe fugato.

Paschali porro II creato, cum adversus eum seditionem et bellum civile astrueret, tandem in arce S. Angeli, quæ sui juris adhuc erat, mortuus est, et ad ecclesiam Ravennatem, in qua sepultus est, translatus pontificatus anno XXI, Christi vero 1101. Fuit hic Clemens vir utique litteratus, ingenio, eloquio, nobilitate cæterisque animi et corporis dotibus instructissimus, et personæ reverentia admodum clarus; et, qui forsitan Deo placuisset, nisi vi et ambitione inflammatus, ea quæ sibi non licebant, tentasset; nec Roma tunc, nec Ravenna bene usus; et qui supra unum papam Gregorium viventem, quanquam, A ut ipse dicebat, coactus, ascendit et tribus sibi invicem succedentibus supervixit: extorris diu utraque sede, et Romana et Ravennate, malens, ut sæpe dicere solitus erat, se apostolici nomen nunquam suscepisse. Cujus cadaver postmodum, pace inter Henricum V et Paschalem II facta, de sepulcro, ubi quinquennio jacuerat, abstractum, crematum est jussu Paschalis II, omniaque ejus acta in synodo Laterani congregata irrita facta sunt.

De eo ita quidam horum temporum auctor scribit: *Guibertus, qui post præstita domino suo beatæ memoriæ Gregorio VII fidelitatis juramenta, et obedientiam septem annis exhibitam, invasit apostolicam sedem, Henricumque imperatorem absolvit ab observatione jurisjurandi, quod apud Canusium Lombardiæ* B *oppidum olim Gregorio papæ præstiterat eum Romam attraxit, et cum eo pugnare Ecclesiam Romanam cœpit. Ii vero qui ex parte Gregorii ultra montes erant, cum imperatorem in Italia commorari cognovissent, adversus eum rebellare disponunt. Contra hos imperator accedens, vario belli eventu, plurimis præliis sæpe pugnavit, magnæ utrinque cædes, incendia plurima direptionesque contigere. Relictis tandem in Germania copiis ad obsistendum sumptu tum suo, tum conductitio milite, Romam et suburbana omnia rapinis, incendiisque et cædibus, quanta potuit, acerbitate vexavit: tandem Simone suo, pretio magis quam virtute, in apostolica sede locato, imperii ab eo accepit coronam, tam non fa-* C *ventibus sibi suisque complicibus Romanis, quam non contradicentibus, atrocissimam movit persecutionem. Hujus rei gratia, totius fere imperii Romani Ecclesiæ desolatæ, et religio Christiana dissipata, et plus quam viginti millia hominum, agente Guiberto, plerisque locis sunt cæsa. Qui etiam, pulsis catholicis episcopis et abbatibus, aliisque Ecclesiarum præpositis, doctrina et religione præstantibus, sceleratos et illitteratos singulis urbibus, monasteriis ecclesiisque præfecit; sæpe singulos, plerumque binos, annis singulis magistri sui Simonis mercimonio exsecrando substituens in deprædandis locis sanctis sibique non faventibus Christianis, imo ipsis quoque faventibus, dum non essent qui armato resisterent, longe lateque sævitia Neronis et Decii perdita voluntate grassatus est.* D *Idem vero, qui multo rectius demens papa, quam Clemens dictus esset, in oppido suo, quod argenteum dicitur, excelsa fabricata turre præstolatus Simoniacos angelos, cum quibus volando in paludem Stygiam rueret, Deo, per omnia, Gregorio papæ favente, cruribus suis confractis, cum illi nemo apostolicam obedientiam exhibuerit vel reverentiam, præter imperatorem ejusque complices, vel qui se illi propter avaritiam, quæ est idolorum servitus, vel perpetuo, vel ad tempus sub jurisjurandi sacramento crediderunt: quorum plurimi, quibus ejus perfidia claruerat, dum exsecrabilis divina immolaret sacrificia, non adesse tolerabant, scientes eum nullo Romano successisse*

285) Imo cum orthodoxis.

pontifici : sed perfidum, perjurum, invasorem, et Simoniacum Gregorio papæ superadditum fuisse. Catholici vero, qui zelo Dei fidem ac religionem tuebantur, Gregorio papæ, sanctitate ac religione præstanti adhærebant. Ita Leo episcopus Ostiensis libro III (*cap.* 69) Historiæ Cassinensis.

Cæterum mortuo Clemente III vacavit in sua obedientia sedes aliquot dies. Nam in schismate contra Paschalem papam II aliquot habuit successores studio imperatoris Henrici in Italia ab ejus præfectis, ducibus et fautoribus infelici satis ipsis exitu creatos; quorum primus fuit Albertus quidam Atellanus, dein Theodoricus et Maginulfus (327*).

(327*) De quibus omnibus agit postea Onuphrius.

NOTITIA EX CONCILIIS MANSI.

(Tom. XX, col. 56.)

Gregorius, hujus nominis septimus, antea Hildebrandus appellatus, omnium consensu legitime creatus est pontifex anno Christi 1073. Hic patria Soanensis natus est in Tuscia, humili loco, parente fabro; sub protectione sancti Petri educatus. Adolescens nactus est magistrum Laurentium, Amalphitanum archiepiscopum, quem non maleficiorum, sed sanctorum principem ejus temporis fuisse testatur irrefragabilis testis Petrus Damiani. Præter Laurentium habuit quoque magistrum Joannem Gratianum archipresbyterum, postea papam Gregorium sextum nominatum, quem secutus est in Germaniam cum se pontificatu abdicasset, eaque occasione apud Cluniacenses permansit. Cum Leone nono, quem purpura pontificali indutum, et per manum laicalem munus episcopale assumentem increpavit, profectus est Roman, suoque consilio Brunonem postea Leonem nominatum eligi præcepit; factus Romanæ Ecclesiæ subdiaconus. Post obitum prædicti Leonis ablegatus est a clero Romano ad imperatorem, petens ab eo ut, cum rebus Ecclesiæ perturbatis sibi id non licebat, Romanum pontificem non suo sed cleri nomine eligeret, electumque contra invasores defenderet. A Victore, quem eligi postulaverat, in Galliam ablegatus, Lugduni Simoniacum quemdam archiepiscopum ad confessionem criminis miraculose adegit : qui cum in hymno glorificationis, quem Hildebrandus eum recitare mandaverat, Spiritum sanctum efferre non potuisset, proprio ore confessus est se Simoniæ crimine pollutum esse. Ibidem S. Hugoni monasterii Cluniacensis abbati Christum assidere, quidque agendum vel dicendum foret eidem suggerere vidit. Berengarium etiam Andegavensis Ecclesiæ archidiaconum in concilio Turonensi ad hæreseos suæ iteratam abjurationem et catholicæ fidei professionem adegit : tantum abest ut, quod calumniatur Benno, Berengarianam hæresim defenderit aut sectatus fuerit. Cumque post obitum Stephani IX Benedictus, ejus nominis X, pseudopapa schismaticus, sedem apostolicam invasisset, missus est ad Agnetem imperatricem, petens ab ea ut futuræ electioni Gerardi Florentini episcopi, qui appellatus est Nicolaus II, consentire non gravaretur. Quod cum feliciter impetrasset, opera Godefredi ducis schismaticum expulit, et legitimum pontificem in possessionem quietam introduxit. Ejusdem consilio optimo post obitum Nicolai electus est Alexander II, expulsusque est Cadalous Parmensis episcopus et pseudopontifex, quem regii ministri et fautores adversus Alexandrum in thronum apostolicum evexerant. Et quanquam statura pusillus esset, tamen gratia miraculorum et prophetiæ erat omnibus admirabilis. Nam ad miraculum supra recensitum hoc addidit longe mirabilius, quod, cum ab Hugone Cluniacensis monasterii abbate longius abesset, cognoverit cogitationes mentis illius, quibus intra se sibi loquens dicebat : Homuncionem exilis staturæ, despicabilis parentelæ, tumere et metiri altiora, quod tot mundanæ potestates nutum illius præstolarentur. Cum eodem abbate orans Christum sibi astantem, angelumque vibrantem gladium vidit, et futuram mortalitatem prædixit. Petro Damiani, qui per somnium oculorum lumen sibi amisisse visus erat, somnium ejusdem exponens dixisse scribitur : Nequaquam, ut times, propinquæ est mortis indicium, sed familiaris tibi aliquis exstinguetur, qui tibi charus sit sicut oculus. Vere sibi illud per obitum Dominici Loricati contigisse fatetur Petrus Damiani in epistola ad Alexandrum papam. Sanctum Annonem Coloniensem archiepiscopum, de jure regio in electione Romani pontificis violato conquerentem ita informavit, ut in synodo Mantuana desuper celebrata ipse consesserit atque definierit, Alexandri justam, Cadaloi injustam et illegitimam electionem fuisse. His de causis, Alexandri pontificis totiusque cleri Romani judicio dignus est habitus qui, dum viveret Alexander, cancellarius Romanæ Ecclesiæ constitueretur, eique defuncto in sede pontificia subrogaretur.

Eodem die quo Alexander obierat, nimirum x Kalendas Maii, omnium cardinalium consensu et subscriptione, totiusque populi et cleri approbatione in pontificem electus est invitus, cum præconio virtutum earum quæ in decreto electionis, initio

epistolarum Gregorii collocato, recensentur. Ob amorem et cultum erga suum educatorem, gratitudinis ergo, voluit nominari Gregorius; et ad confirmandam illius legitimam sedem, atque ad redarguendam nonnullorum sententiam de spurio ejusdem pontificatu, ut supra dixi in Gregorio sexto, voluit dici septimus; ut scilicet sextum intermedium verum et legitimum sedis apostolicæ pastorem fuisse indicaret. Hunc Lambertus Schaffnaburgensis nominat virum sacris litteris eruditissimum, et in tota Ecclesia tempore quoque priorum pontificum virtutum genere celeberrimum. Marianus Scotus his diebus in Germania scribens eumdem Gregorium venerabilem prædicat, atque ab eo statuta decreta recitat et laudat. Sigebertus, et si Henricianas partes contra Romanos pontifices foverit, Gregoriique nimiam severitatem incusarit, tamen nunquam ausus est dicere illegitimum fuisse creatum pontificem. Otto Frisingensis episcopus, eruditissimus scriptor hæc de Gregorio VII: « Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta se pro muro domui Israël ponere non timuit. » Unus Ursergensis abbas, idemque schismaticorum patronus, Bennoni schismatico cardinali inhærens, ejus scriptorum quædam capita recitat, non tamen ut ille spuriam omnino fuisse electionem Gregorii ausus est affirmare, sed ista tantum: « Cum absque regis consensu solis tantum Romanis faventibus hunc apicem conscendisset, sunt qui illum non canonice constitutum, sed tyrannice papatum sibimet asseverent usurpasse, pro qua re et a nonnullis episcopis abdicatus est. » Sed quam ista de non adhibito consensu regis Henrici falsa sint, patet ex actis vitæ hujus Gregorii, in quibus refertur quod, cum ille ad regem scripsisset ne vigore concessi privilegii factæ electioni assensum præberet, rex non modo non dissenserit, sed missa legatione factam electionem confirmarit, ejusque consecrationi per legatum interfuerit. Idem affirmat Lambertus Schaffnaburgensis loco supra allegato. Videant ergo novatores, qua veritate subsistant illæ calumniæ quas princeps schismaticorum cardinalium Benno hujus optimi maximi pontificis moribus, electioni et fidei opponit. Videant quo duce et auctore cathedram Petri impugnent, quamque graviter impingant, qui uno, duobus, vel tribus ad summum schismaticorum fautoribus adhærescentes, et a triginta duorum probatissimorum scriptorum, quos pro Gregorii defensione reverendissimus et illustrissimus cardinalis Bellarminus in controversia de Rom. pontif. libro IV, capite 13 nominatim recenset, sententia et auctoritate temerarie recedunt. Tempore pontificatus, præter illam vigilantiam quam omnibus prope regibus et episcopis totius orbis diligenter custodiendis impendit, post primam illam legationem ad Henricum regem destinatam, Hugonem Candidum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem in Hispaniam ablegavit, ut, recuperatis a Mauris Hispaniæ civitatibus, jura, tributum et censum sedi apostolicæ dari solita exigeret. Cumque Michael Constantinopolitanus imperator per litteras Gregorio de suscepto pontificatu gratulatus esset, ea occasione captata Dominicum patriarcham Venetum causa componendi schismatis ad eum ablegavit. Quartam legationem misit ad Wratislaum ducem Bohemiæ, ut censum solveret pro ducatu Bohemiæ, ut, post usum mitræ concessione Alexandri papæ acceptum, se facturum voto nuncupato Deo pollicitus fuerat. Anselmum episcopum electum monet ne a rege Henrico investituram accipiat, antequam rex Romanæ Ecclesiæ de communione cum excommunicatis habita satisfecerit. Saxones in regem ob nefanda ejus crimina concitatos, aliumque regem eligere conatos, scripto suo cohibuit. Quintam legationem misit in Germaniam ad Ecclesias ejusdem Germaniæ et Galliæ a labe Simoniæ expurgandas. Rex ob crimen allegatum debita pœnitentia peracta eosdem honorifice suscepit: ne vero concilium in Germania ea de causa per legatos haberetur, persuasione Liemari Bremensis archiepiscopi obstitit; quasi hac de causa non ab aliis quam a Bremensi vel Moguntino sedis apostolicæ vicariis synodum congregari oporteret. Legati Romam reversi rem gestam pontifici exposuerunt. Liemarus secundo ad sedem apostolicam citatus factus est inobediens, rebellis et schismaticus, resistensque jussibus legatorum et ipsius pontificis regem adversus pontificem commovit, idque boni quod mente conceperat infelix princeps hujus instigatione aruit. Sed accidit Dei singulari beneficio ut, cùm adversus Romanam Ecclesiam principes sæculi et potentiores episcopi conspirarent, pro defensione ejusdem sedis Agnetem regis Henrici matrem, Beatricem, et Mathildem, ejus filiam adhuc puellam et virginem, quanquam Godefrido nupta fuisset, affines excitarit. Unde haud dubie originem sumpsit illa multorum calumnia, quam ad sui expurgationem vulgabant concubinarii, quod post factum divortium inter Mathildem et Godefridum, pontifex Mathildis amplexibus furtivis frueretur: quam calumniam non tantum suo tempore Lambertus, verum etiam hac nostra ætate ex regesto epistolarum Gregorii Baronius tam erudite et solide refutavit ac detexit, atque a mendaciorum involucris vindicavit, ut nemo post hac nisi calumniator et hæreticus fabellæ mendaci aures præbere possit. Ut magno Christianæ religionis bono non solum Saracenos exercitu expugnaret, sed etiam Orientalem Ecclesiam schismate ab Occidentali divisam uniret, Armenos a fide catholica penitus aberrantes ad rectæ fidei tramitem restitueret, plusquam quinquaginta millia militum conscripsit et collegit. Ab Henrico, post Saxones subjugatos, postque eam victoriam insolentiore facto cœpit contemni, Guiberti antiqui schismatici, postea vero Ravennatis episcopi, dolo et fraude a Cincio Romano præfecto invasus, captus, et in carcere detentus est, quousque per populum tumul-

tuantem, et tam immane scelus ulcisci paratum, eriperetur, atque pristinæ libertati restitueretur. Sed cum Romano populo vindice tantum scelus irritum redditum esset, idem Guibertus accepta a papa licentia Ravennam se contulit, ibique conspirationem rebellium episcoporum Longobardorum machinatus fuit. Henricus timore Saxonum solutus contempsit implere ea quæ apostolicæ sedis legatis ante promiserat, atque excommunicatos a pontifice recepit et fovit. Quem contemptum cum pontifex non diutius tolerandum esse putasset, eumdem regem ad dicendam causam per legatos Romam citavit ad synodum proxima quadragesima congregandam. Excepit ille legationem, sed magna cum contumelia pontificis eosdem postea abjecit, indictoque Wormatiensi conventiculo pontificem absentem de criminibus objectis condemnatum per sententiam deponi, eamque ipsi insinuari curavit. Legatis Romam reversis, habita est postridie synodus, in qua dum illi injurias sibi irrogatas retulissent, litteræque a rege missæ recitatæ fuissent, una cum rege Henrico Sigefridus Moguntinæ, Wilhelmus Trajectensis, et Robertus Bambergensis Ecclesiæ archiepiscopi excommunicati fuerunt. Latam sententiam pontifex omnibus subditis a juramento fidelitatis absolutis intimavit, eamque Deus contra excommunicatos Henrici fautores episcopos interventu mortis pessimæ exsecutus fuit. Saxones a rege defecerunt, et adversus eum formidando apparatu prælio insurrexerunt. Similiter etiam principes Germaniæ majores episcopi, omnesque fideles, quos, dum pontifex rogatu Hermanni Metensis episcopi commonuisset ut regem ad pœnitentiam hortarentur, Triburiæ conventum indixerunt; in quo, dum de alio rege Germaniæ eligendo ageretur, Henricus per legatos pacem rogavit et emendationem morum promisit : aliquoties repulsam passus, hac tandem lege receptus est, ut, dimissis excommunicatis quos fovebat, Romano pontifici se submitteret, seque per Romanum pontificem a vinculo excommunicationis absolvi procuraret. Paruit rex, veniensque in Italiam a pontifice absolutionem obtinuit. Verum schismaticorum et concubinariorum episcoporum instigatione accidit ut vix in Germaniam reversus, iterum in pristina relaberetur. Nam cum Guiberto aliisque quibusdam rebellibus novam conjurationem adversus pontificem fœdissimam contraxit. Quod dum principes Germaniæ cognovissent, inconsulto Gregorio Rudolphum, Sueviæ ducem, in regem elegerunt, ductumque Moguntiam a Sigefrido consecrari curarunt. Re bellica contra Rudolphum suscepta et feliciter gesta factus elatior, Gregorium contemnere

A cœpit, quem, sibi suoque regno timens, hactenus se colere et obsequiis frequentare simulavit. Qua de causa iterum Romæ synodali consensu excommunicatus, regno, quod Rudolpho collatum fuit, digne privari promeruit. Ille vero, habito cum schismaticis conciliabulo Brixiensi [Brixinensi], in absentem depositionis sententiam ferri, eique Guibertum schismatis auctorem, sæpe excommunicatum et depositum, in pontificatu subrogari mandavit. Cumque interea Rudolphus rex obiisset, ejusque neceres Germaniæ in tutiore statu collocatæ essent, in Italiam paravit adventum, ut Gregorium papam, quem sibi infensissimum putabat, e sede Petri deponeret, ejusque adversarium Guibertum antipapam in ea collocaret. Cumque urbem Leoninam binis

B vicibus frustra tentatam et obsessam post biennium suæ persecutionis expugnasset, Guibertum Ravennatem perjurum, depositum et anathematizatum, apud sanctum Petrum per Mutinensem et Ariminensem episcopos jam multis ante annis depositos et excommunicatos inthronizavit, eique Clementis III nomen imposuit. Ipsam vero Romam ejusve cives non nisi per triennalem obsidionem auro tandem et pecunia expugnavit, quam armis vincere non poterat. Gregorius papa cum paucis nobilibus in castellum Sancti Angeli se recepit : interea coronam imperii, quam Gregorius schismatico et excommunicato imperatori solemni ritu conferre usque ad sanguinem recusaverat, Clemens antipapa regi schi-

C smatico imponit, et pseudoimperatorem pseudopontifex constituit. Cumque in Aventino monte se contineret, urbisque obsidionem indefesso studio prosequeretur, Gregorius a Roberto Northmannorum duce subsidium, quod Romanæ Ecclesiæ per juramentum promiserat, imploravit. Qui statim novis copiis congregatis in Italiam advolans Henricum fugavit, ipsumque pontificem felicissime liberavit, omnesque pseudocardinales, quos Guibertus pseudopontifex creaverat, vel saltem a vero pontifice abstraxerat, urbe expulit. Quibus expulsis, Gregorius concilium Romæ congregavit, quo pseudopontificem cum pseudoimperatore Henrico iterum excommunicavit. Postea ab urbe recedens Cassinum advenit, atque inde ad dedicandam basilicam sancti Matthæi

D apostoli Salernum se contulit, ibique permansit usque ad obitum, qui contigit vigesimo quarto Maii, anno Christi redemptoris 1085, cum sedisset annos duodecim, mensem unum et dies tres. Sanctitate et miraculis post mortem clarissimus, sepultus est intra basilicam sancti apostoli et evangelistæ Matthæi, quam paulo ante obitum divino cultui consecraverat.

APOLOGIA PRO GREGORIO VII

CONTRA SECTARIOS

In qua in sunt hactenus inedita quædam pro eodem pontifice opuscula BERNALDI *Constantiensis presbyteri,*

Auctore et editore Jacobo GRETSERO, Societatis Jesu theologo.

(*Opp. tom. VI, pag. 6.*)

Incredibile prorsus et inexplicabile est, quanto A odio hodierni novatores in pontifices Romanos, priscos juxta ac recentiores ardeant; et quot modis hoc suum non humanum, sed plane Tartareum odium testentur, palamque faciant; in quibus primum locum obtinent mendacia, maledicta, convicia, figmenta, commenta innumerabilia, quibus omnes propemodum libros suos complent ac inferciunt; tam immodice et impotenter, ut multi ex horum officina profecti libri nil videantur aliud esse quam unum quoddam perenni et nusquam interrupto filo contextum mendacium et convicium. Nec ullius superi vel inferi reverentia moveri se sinunt, ut moderatius agant, et sobrii hominis cogitationem vel ad punctum temporis suscipiant; et quamvis apertissimæ falsitatis convincantur, et in manifestariis B pseudologiis et lœdoriis deprehendantur, nullum tamen ruboris signum edunt, sed calumnias, etsi ab omni vero alienissimas, ingerunt, oggerunt occinunt, recinunt, privatimque et publice ingeminant, ut pontifices Romanos omnibus exosos invisosque efficiant, memores illius *Dolus an virtus*, falsitas an veritas, *quis in hoste requirat?*

Quamquam autem vix inveniatur hæreticus, præsertim verbi præco, et sectæ suæ per scriptorum monumenta propugnator, qui in hac arte non excellat, omnibus tamen, ut omnium primus, palmam præripuit Lutherus, cujus chartæ usque adeo maledicentia in summos pontifices refertæ sunt, ut vix me capiam præ admiratione, quomodo fiat, ut ullus mortalium maledicentissimo et furiosissimo huic C conviciatori fidem habeat? Quid, fidem habeat? imo et locum inter *prophetas* et propemodum inter ipsos *evangelistas* et *apostolos* concedendum suffragio suo decernat. Non longe abierim. Vel ultimum Lutheri librum *De papatu per diabolum fundato et erecto* inspice; quem vicinus jam et maturus Stygi composuit et in publicum dedit; qui nihil aliud est nisi continuus quidam in papam furor, isque nec humanus, nec belluinus, sed plane diabolicus, ita ut nulla dubitatio me teneat, ipsum salutis nostræ capitalem hostem, et omnium calumniatorum archistrategum et progeneratorem, libri hujus parentem esse : et quæcunque in eo continentur, Lutherum, dictante diabolo, in chartam retulisse.

Verum enim vero fremant isti, frendeant, insaniant, manus, pedes, calces et capita demum sua in petram, super quam sedes apostolica fundata est, illidant; *qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (*Psal.* II). Conviciis tonent, fulminent, fulgurent, millenis maledictis et mendacissimis figmentis apostolicæ sedis antistites lacerent ac lancinent; nos cum D. Augustino lib. II Contra Petilianum, cap. 51, palam et intrepide illis recinimus : *Cathedra quid tibi fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius* (Paulus V) *sedet : vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, et in qua hodie Joannes sedet : quibus nos in catholica unitate connectimur, et a quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram apostolicam? si propter homines quos putas legem loqui, et non facere, nunquid Dominus Jesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait : « Dicunt enim, et non faciunt; » cathedræ in qua sedebant ullam fecit injuriam? Nonne illum cathedram Moysi commendavit, et illos, servato honore cathedræ, redarguit? Ait enim : « Super cathedram Moysi sedent : quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt. » Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis blasphemaretis cathedram apostolicam, cui non communicatis, sed quid est aliud quam nescire quid dicere, et tamen non posse nisi maledicere?*

Porro ut aliqui vita et moribus minus laudabiles et commendabiles cathedram Petri obtinuissent, vel tenuissent, quid inde? Quandoquidem *de præpositis mali*, ut ait S. Augustinus, epist. 166, *securam fecit plebem suam, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra deseratur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt, quæ dicunt; sed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. Etiamsi in illum ordinem episcoporum,* inquit idem S. Augustinus, epist. 165, *qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium* (Paulum V), *qui nunc eamdem cathedram sedet, quispiam traditor* (improbus) *per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, et innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait, de præpositis malis : « Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere.*

Memento, inquit S. Augustinus lib. II Contra Petilianum, cap. 47 et 61, *sacramentis nil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint, sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium sanitatis. Hinc propter Pharisæos* facinorosos et improbos, *non præcipit Dominus deseri cathedram Moysi, in qua utique figurabat suam; dicens quippe illos super cathedram Moysi sedentes dicere et non facere; monet tamen populos facere quæ dicunt et non facere quæ faciunt: ne cathedræ sanctitas deseratur, et propter pastores malos, gregis unitas dividatur.* Præsertim cum ex tot pontificibus paucissimos sectarii designent, quibus nominatim scelera et flagitia objectent, idque non ex certis probatisque testibus et auctoribus, sed ex illis, quibus veritas in postremis erat; qualis nostra ætate sectarii illi potissimum, qui res gestas pontificum sese litteris commendare professi sunt, inter quos Balæus Latine, et Nigrinus Germanice suis in operibus plures mendacissimas fabulas de pontificibus confinxerunt, vel a sui similibus ardelionibus confictas chartis intexuerunt, et ad posteros suos transmiserunt, quam noctu, cum sudum est, stellæ in cœlo luceant; quibus contumeliis et criminationibus impulsæ et ventilatæ leves paleæ extra aream Dominicam evolant et avolant; non item ii, quorum pedes *supra petram* statuti et firmati sunt, quæ crimina et scelera, si etiam *vera et præsentia videremus*, inquit S. Augustinus, epist. 162, ad episcopos Donatistarum, *et zizaniis propter frumenta parcentes, pro unitate toleraremus, non solum nulla reprehensione, sed etiam non parva laude nos dignos diceret, quicunque Scripturas sanctas non corde surdus audiret. Tolerat Aaron multitudinem idolum exigentem, et fabricantem, et adorantem. Tolerat Moyses adversus Deum tot millia murmurantia, et toties offendentia sanctum nomen ejus. Tolerat David Saulem persecutorem suum, sceleratis moribus cœlestia deserentem, magicis artibus inferna quærentem occisum vindicat. Christum etiam Domini propter sacramentum venerandæ unctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli perversosque filios suos, quos populus, quia tolerare noluit, divina auctoritate accusatus, divina severitate correptus est. Tolerat denique ipsum populum superbum, contemptorem Dei. Tolerat Isaias, in quos tam multa vera crimina jaculatur. Tolerat Jeremias, a quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Pharisæos et Scribas quales illo tempore fuisse Scriptura testatur. Scio, me multos prætermisisse: legant, qui volunt; legant, qui possunt eloquia cælestia; invenient omnes sanctos Dei servos, et amicos semper habuisse, quos in suo populo tolerarent, cum quibus tamen, illius temporis sacramenta communicantes, non solum non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant, studentes, sicut ait Apostolus, « servare unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes. IV). » Attendant etiam post Domini adventum, ubi multo plura hujus tolerantiæ per totum orbem inveniremus exempla, si omnia scribi, et in auctoritatem redigi potuissent: tamen hæc ipsa, quæ habemus, advertite. Tolerat ipse Dominus Judam, diabolum, furem et venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt, pretium nostrum. Tolerant apostoli pseudoapostolos, et inter sua quærentes non quæ Jesu Christi, Paulus, non sua quærens, sed quæ Jesu Christi, cum gloriosissima tolerantia conversatur.* Hæc pulcherrime S. Augustinus.

Si ergo unitatis et concordiæ gratia, ut schisma vitetur, malæ oves tolerari debent, quanto magis eum ob finem ferre oportebit malum pastorem, si quando obtingat?

Nec verbis et libris solum injuriosissimis et contumeliosissimis in pontifices Romanos hæretici desæviunt, sed et sculpturis, cælaturis, statuis, imaginibus, picturis turpissimis, et quarum aliquas nullus honestus oculus absque rubore vultus intueri queat. Nimirum sectarii mutuantur ab ethnicis, hæreticis et schismaticis non tantum perversas opiniones et perniciosa dogmata sed etiam criminandi, et tam profana quam sacra subsannandi libidinem, præsertim illam, quæ Ecclesiæ præsules et ordines picturis et imaginibus incessit; idque, ut demonstrem, non repetam veterem illum in frustrandis bestiis mercenarium noxium, qui, ut est apud Tertullianum in Apologetico: *Picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione: Deus Christianorum ononychites. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus:* dicere enim possent novatores, factum hoc cessisse in ignominiam ipsius Christi; quasi, quæ ipsi, pari propemodum ludificatione commiserunt in vicarium et servos Christi, non redundent in contemptum Christi. Sed præteribo, ut dicebam, mercenarii hujus nequitiam, ut ex Niceta vitam Ignatii patriarchæ Constantinopolitani conscribente planum faciam, istos verissimos et plane germanos imitatores esse Photii et Photianorum schismaticorum, in primis Gregorii Syracusani, qui, ut sanctum Ignatium, verum et legitimum patriarcham, omnibus exosum invisumque redderent et de sede deturbarent, infinitas adversus illum criminationes commenti sunt, composito etiam libro, non sine contumeliosis imaginibus, opera Gregorii Syracusani pictoris et fictoris egregii concinnatus, de quibus hæc, quæ sequuntur, jam jam nominatus Nicetas:

Ut vero omnis iniquitas, quæ contra sanctum illum Ignatium fuerat perpetrata, manifestior fieret, Deus, « qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et concilia pravorum dissipat (*Job* V, 13), *» in Basilii imperatoris animum consilium ingerit, ut mittat ad Photium, et omnia scripta, quæ a patriarchio discedens acceperat, absque ulla temporis mora, ut mitteret, ei præciperet. Ille vero jurejurando affirmabat, licet falso, nihil tale se inde accepisse propter festinationem recedendi. Dum vero hæc a Photio præposito Bahanæ dicerentur, ipsius Photii famuli*

magna cum festinatione septem saccos scripturarum plenos, plumbeo sigillo signatos ad Calamonem illi propinquum locum transtulerunt, occultandi causa. Quod cum famuli præpositi vidissent, et ab eorum manibus illos abstulissent, ad imperatorem attulerunt. Quibus apertis, inveniunt duos libros auro et argento deforis bracteatos et serico tectos, intus vero litteris valde pulchris et ornatis descriptos; quorum alter continebat septem actiones synodicas, quæ nunquam exstiterunt nec actæ sunt, adversus Ignatium; sed tantum diabolico consilio frustra sunt excogitatæ, et singularum actionum hæc, quæ sequuntur, initio depicta habebantur, opera videlicet, Syracusani illius Gregorii cognomento Asbestæ. Erat enim bonus ille vir pingendi peritus, puto pro additamento suorum malorum. Et depictus ibi erat Ignatius.

In prima quidem actione Ignatium depinxit, qui trahebatur et vapulabat. Supra vero illius caput ita scripsit : DIABOLUS. *Non horruisti blasphemiæ excessum? Si enim patrem familias Beelzebub vocavit, quid facere debebat familiaribus ejus?* (*Matth.* x, 25.)

In secunda iterum actione Ignatium depinxerat sputis conspurcatum, magna vi tractum, cujus inscriptio talis erat : PRINCEPS PECCATI.

In tertia vero actione Ignatium exauctoratum pinxerat, et ejus inscriptio hæc erat : FILIUS INIQUITATIS.

In quarta itidem actione, eumdem Ignatium anathemate atque exsilio damnatum posuit, et inscriptio erat : SIMON MAGUS.

In principio deinde quintæ actionis vinculis Ignatium circumdatum pinxerat et vinctum, cujus erat inscriptio : EXTOLLENS SE SUPER OMNE QUOD DICITUR DEUS.

In sexta vero actione depinxit Ignatium damnationi traditum; ejus est inscriptio : ABOMINATIO DESOLATIONIS.

In septima tandem et extrema actione depinxit Ignatium protractum, ut illi caput amputaretur; et inscriptio talis erat : ANTICHRISTUS.

An non vides, amice lector, prodromos sectariorum nostrorum, imo doctores et magistros? An non sicut illi olim Ignatium, ita hodierni novatores; Ecclesiæ catholicæ præsules, præsertim summum pontificem, ignominiose et probrose depingunt? Picturisque probrosissima quæque scommata adjungunt. Videsis, oro, imaginem illam papæ, quæ frontispicio ejus libri, qui *Apiarium* inscribitur, præfixa est. Vide illam, quam præposuit Spannenbergerus, prædicans Lutheranus famoso libello, cui titulum fecit : *Wider die bosen Sitten ins Teuffels-Kahrnoffelspihl.* Item illam, quæ apparet in vestibulo libri, cui nomen, *das Wolffgesang.* In tomis Latinis et Germanicis Lutheri invenies *Papasellum,* commentariis Philippi illustratum, quem Illyricus procognatione et affinitate sua cum illo, denuo separatim evulgandum, et novis glossis, vel potius calumniis et mendaciis illustrandum censuit.

A Quid dicam de *Passionali* Lutheri, quod exstat, tom. I novorum operum German. Lutheri, quæ Aurifaber collegit? Ejusdem farinæ est *Passio illa Christi,* ubi Pontifex, cardinales, episcopi, monachi Caiphæ, Annæ, Pilati, Herodis, lictorum et carnificum Christi personas gerunt.

Anno 1527 evulgavit impius Paracelsus triginta imagines dedecoris et probri in pontificem Romanum plenissimas. Exstant in Appendice ad tomum X Operum Paracelsi. Quarum ne ipse auctor videretur, commentus est, se eas nescio quibus in antiquis monumentis vel parietibus invenisse, quas hoc ipso anno 1608 fanaticus quidam sectarius Joannes Rudrauff in commentitio illo suo de cometa anni superioris commentario (quem jure omnis stultitiæ
B et vesaniæ promptuarium appellaveris) rursus in lucem protuluit, et vanissimis exegesibus illustratum scilicet ivit.

Retulit easdem cum Paracelsi adnotationibus, notisque marginalibus Adami Durischii, et exegesibus Joannis Adrasderi, terræ filii, ignobilis sectarii, in suum duodecimum Centenarium Joannes Wolfius, qui id unicum curæ studioque habuit ut quidquid usquam in pontifices, episcopos, monachos, moniales, totumque ecclesiasticorum et religiosorum statum et ordinem probrosum ac contumeliosum legerat, audierat vel ab aliis acceperat, id in unum fascem comportaret ac colligaret, ut scurris et sannionibus semper esset in promptu copiosa materia, quotiescunque linguam vel stylum in pontificem et
C alios stringere lubet; quando autem non lubet? Nec refert quod Paracelsus, Wolfius et hujus tribus alii nomen Joachimi abbatis prætexerunt, quia nemo ignorat istos sic esse fictos et factos ut sub aliorum nominibus, quasi velamentis, suam nequitiam et improbitatem, quantum fieri potest, aperiant. Nec dissident ab his vaticinia triginta Joachimi abbatis, ut vocat Wolfius, centenario mendaciorum duodecimo, contumeliosis imaginibus, hæreticorum studio, expressa.

Ejusdem generis est ejusdem Paracelsi *Prognosticatio* triginta duabus figuris seu imaginibus constans, quam a Schramo, prædicante Neoburgico, ex Germanico in Latinum sermonem translatam idem Wolfius decimo sexto mendaciorum et calumniarum sua-
D rum centenario intexuit, ut et *antitheses Christi et Antichristi,* a nescio quo sectario, Simone Rosario maledicentissimis versibus compositas, additis nefariis et flagitiosis iconismis, ut odium papæ, quem fanaticus poetaster semper *Antichristum* et *Plutonem* appellitat, per ipsos oculos profundius in lectorum et spectatorum mentes delabatur. Quo etiam pertinet gemina effigies Julii II pontificis, anno 1512 et 1513, et duplex illa quam Wolfius exhibet anno Christi 1580, nimirum, in decimo sexto impudentiæ hæreticæ centenario, utramque effinxit Wolfius, ex epistolis Bezæ, testis fide dignissimi, scilicet qui, ut omnem suspicionem novi plasmatis devitet, antiquitatem comminiscitur quæ forsan ætatem nostram

non transcendit; aut si transcendit, ab aliquo Wiclevista, vel Hussita descendit.

Mirum dictu! novatores nostros, quando sculpturam, picturam, vel cælaturam quampiam inveniunt, oculos nunquam ad se et suos reflectere, sed e vestigio ad pontificem et pontifici addictos, præsertim sacerdotes et monachos recurrere, totumque illud symbolum de his, non de se et suis interpretari. Tales sunt illæ imagines, quas in decimo sexto mendaciorum suorum centenario, et Lutherano Herbrando refert et explicat Wolfius, inventas, si non mentiuntur novatores, Argentorati in primario templo. Cur enim asinus *stans ad aram* catholicum sacerdotem, divini sacrificii mysteria peragentem, significet, et non potius prædicantem mensæ suæ astantem, et Lutheranæ vel Calvinianæ cœnæ fercula coquentem, maxime talem qui, ut orthodoxorum sacerdotum simius, vestibus certis indutus, missam Germanicam celebrat, ut in nonnullis ubi Lutheranismus regnat, urbibus fieri solet. Tu dicis esse *sacrificum*. Ego prædicantem esse contendo, et evincam cum evictionis tempus venerit.

Pari modo asinum ex libro, quem catus tenet, mysteria, quæ non ego, sed prædicantes norunt, lectitantem, aio esse prædicantem, seu Lutheranum seu Calvinianum. Nec alios quam istos repræsentat illa imago, in qua porcus et hircus gestant funus, vulpem scilicet dormientem. Eodem spectat illa quæ ursum aquæ consecratæ urceum gestantem; et lupum crucis bajulum, ac leporem daduchum, et ut voce ecclesiastica utar, *ceroferarium* nobis exhibet. Omnia hæc aptissime in prædicantes quadrant, ut facili labore ostendi posset, si res et occasio ferret.

Eosdem ad vivum repræsentat effigies, quam ibidem Wolfius; seu *Lupus*, nomini suo consentaneis moribus præditus fabulator, ex Herbrando lectorum oculis contemplandam proposuit. *Lupus indutus cuculla monastica (in cujus capputio ab humeris dependente anser prominet) in suggestu stat, prioribus pedibus, quasi manibus librum tenens, ex quo nonnulla recitare videtur*, mihi equidem ignota, sed Wolfio et Herbrando, aliisquæ lupinæ linguæ gnaris notissima. *Infra cathedram vulpecula adest, quasi in insidiis. E regione anseres complures, singuli rostris suis rosaria tenentes, et Lupo concionanti auscultantes. Astat et juxta anseres quasi custos, fatuus in suo habitu.* Elegans profecto Lutheranorum et Calvinianorum prædicantium inconismus et delineatio. Qui volet, commentarium adjungat, reperiet uberem commentandi materiem.

Quam bene Wolfius suam operam locasset, si hæc talia τυπώματα et ἔκτυπα, eo quo spectant, hoc est ad suos prædicantes, retulisset. Nunc quid aliud egit quam quod se incredibili calumniandi pruritu arsisse palam ostendit? Et tamen tomos suos *Lectionum memorabilium et reconditarum* titulo venditat? Anne lectio *memorabilis*, legere et coacervare ea, quæ quivis ex infimæ plebis cæmento in papas, A sacerdotes, monachos et moniales exspuit? An lectio *recondita*, colligere et in unum cumulum conglobare, quidquid infamium chartarum ab ullo unquam propemodum scurra foras protrusum et in vulgus datum fuit? Recondita sane lectio evolvere talium tenebrionum fimeta, oleta, cloacas, et quidquid sordium continent; id studiose egerere, inque faciem et os lectorum et spectatorum ingerere.

At misso aliquandiu immani isto Lupo, seu Wolfio, de imagine Babylonicæ meretricis bestiæ septem capitibus, et decem cornibus præditæ insidentis, et poculum aureum manu tenentis, mora mera fuerit dicere. Nil certius est apud sectarios quam hac effigie papam Romanum ad vivum repræsentari. Quapropter nusquam non est obvia, procumbentibus B ante eam, venerationis et adorationis gratia, ipsis terrarum regibus et imperatoribus, nec absterret eos, quamvis in imperio degentes, ab hac sacrilega temeritate catholici imperatoris metus et reverentia, quia jam pridem omnem metum ex pectore omnemque reverentiam ex vultu absterserunt.

Quo animo Lutherus in papam, cardinales, episcopos totumque ecclesiasticum ordinem fuerit, planum testatumque facit cum alias sæpissime, tum in libro illo diabolico *contra Papatum*, de quo supra; ubi ita furit Islebius Furippus, interprete ex Germanico Matthæo Judice, clamosissimo et seditiosissimo prædicante : *Nunc agite, o Cæsar, reges, principes, et magnates, et quicunque prehendere potestis, apprehendite. Maledicta sit manus otiosa et ignava. Et* C *primum eripite pontifici Romam, Romandiolam, Urbinum, Bononiam, et omnia quæ tenet et possidet eo nomine quod pontifex sit; nam ille est possessor pessimæ fidei; mendaciis ac fraudibus acquisivit omnia. At, quid dico mendaciis et cædibus? Imo blasphemiis suis, ei idololatriis imperio Romano subtraxit, et eripuit, et sibi subjecit, et mercedis loco sua superstitione innumeras animas ad inferos deduxit, sicut ipse jactitat*, d. 40, cap. *si papa*, etc. *Deinde, magistratus debebat pontificem, et cardinales, et reliquos ejus ordinis, et superstitionis, et impuræ sanctitatis consortes capere, eisque, ut blasphemi solent puniri, linguas per cervicem extrahere et præcidere, ac patibulo eas ex ordine redigere, ad eum plane modum, quo ipsi bullis suis signa appendere solent, licet hæc pœna* D *longe inferior et mitior esse ipsorum blasphemiis et idololatriis. His rite peractis, posset eis sane concedi ut in patibulo inter corvos, aut in inferno inter diabolos, unum aut quot, pro arbitratu suo, vellent, celebrarent concilia.*

In eodem libro sic insanit vesanus apostata : *Ego vero, si Cæsaris essem loco, hoc actutum agerem : cunctos nebulones illos nefarios, pontificem, cardinales, et reliquos ejus farinæ homines, una quasi catena connexos et succinctos, haud longius quam ad tria milliaria, Ostiam nimirum, abigerem, soluti enim et discincti, vix tam procul abirent eo quo nollent. Est autem in eo loco piscina quædam, quam Latini mare Tyrrhenum vocant, salubre balneum contra*

omnes lues, languores, et morbos immundæ sanctitatis pontificiæ, et omnium cardinalium et totius cathedræ pestilentiæ. In id vero istos mollissime collocatos, lavarem strenue. Quod si contingeret ut aquam ferre abhorrerent, quemadmodum male feriati et obsessi solent ad aquam trepidare, aliquid illis adjicerem de petra, supra quam ipsi et Ecclesia eorum fundata est; imo clavibus illis aliquid annecterem, quibus omnia possent solvere, quæ in cælo, et in terra sunt, ut aquæ imperarent quæ vellent. Pastorale etiam pedum ac clavam illis oporteret in procinctu esse, quibus aquæ impingerent alapas, adeo graves ut sibi ex ore et naribus sanguis exundaret. Postremo etiam cum illis vaderent pascua sua, quibus in balneo se recrearent ac reficerent, nimirum universa decreta, decretalia, sexti, Clementinæ, extravagantes, bullæ, indulgentiæ, litteræ butyrales, caseales, lacteales, de collis ipsorum suspensæ, propter omnimodam securitatem. Ausim quidvis deponere, si non ad dimidiam horam in eo balneo in fundum submersi, ab omni sua ægritudine, languore, et lue liberentur. Hæc Lutherus.

Qui, ut inquit Matthæus Judex prædicans, *eamdem sententiam paucis annis ante obitum suum pinxit imaginibus illis, quæ Witebergæ impressæ sunt, et postea Jenæ recusæ, in quibus pontifex et cardinales patibulo, seu cruce suspenduntur, circumvolitantibus cacodæmonibus, qui animas eorum excipiunt, et in infernum deferunt, hoc inscripto titulo : Digna merces papæ Sathanismi, et cardinalium suorum, his subjectis rhythmis Germanicis :*

Wie zeitlich gestrafft solt werden
Bapst und Cardinal auf Erden,
Ihr Lasterung verdienet het,
Wie ihr Recht hie gemalet steht.
Quod si pœna corporali
Nunc essent afficiendi
Et cardinales et papa,
Vere eorum blasphemia
Istam merita mercedem
Quam sic cernis hic depictam.

Hæc nefarius Judex de sacrilego Luthero. Quæ et Schlusselburgius libro de Adiaphoristis repetit, ne seditionum scintillæ olim accensæ exstinguantur.

Neque solum Lutherus coloribus supplicium, quod papæ, cardinalibus, episcopis et omnibus ecclesiasticis infligendum censebat, efformandum curavit, sed alia non pauca, quæ spurcissime et fœdissime contra papam eo in libro eructaverat depingi voluit; quæ picturæ adeo sunt fœdæ, spurcæ et abominandæ ut, teste ipso Illyrico, in libello contra *Interimistas* et *Adiaphoristas*, multi ex Lutheranis earum conspectu gravissime offensi fuerint, totumque hoc contumeliarum infandum genus ex potu vel senio deliranti jam Luthero assignandum existimaverint, quamvis Illyricus, ut erat crassæ Minervæ filius, longe aliter statuat, et istas Lutheri imagines in hara et cloaca pictas, tantum non adoret, contra proprium suum de imaginibus non adorandis decretum.

A In colloquis symposiacis Lutheri, titulo de Antichristo, mentio fit imaginis Luthero oblatæ; in qua papa Romanus cum Juda ex *loculis et clavibus suis* suspensus visebatur. Mirifice placuit Luthero hæc effigies; inque eum sensum accepit quasi divini numinis justa vindicta adversus papam fuerit; ut qui Lutherum cum suo Evangelio damnare non formidasset, laqueo dignus per hanc picturam declararetur.

At de conviciis et contumeliis verborum, et picturarum, quibus adversarii Romanos pontifices petulantissime et flagitiosissime traducunt, et ludibrio exponere student, copiosissime a nobis dictum est in quatuor apologiis contra Misenum, et in responso ad theses Hunnianas. Non pauca itidem attigimus
B lib. III De pontifice, ubi de Antichristo actum, cujus occasione istiusmodi maledicta et mendacia, quæ sectarii inflatis faucibus crepant, quantum satis erat, castigavimus et profligavimus.

Tametsi autem hæretici, hac tempestate, in Romanos præsules summo furore incurrunt et debacchantur, nihilominus quosdam ex eorum censu et ordine delegerunt, quos impotentius et impudentius insectarentur et conviciis dilacerarent. Ex horum numero præcipuus esse videtur Gregorius VII, prius *Hildebrandus* dictus, qui pontificatum iniit anno Redemptoris 1073, mortuus anno 1085, ut quidem cardinalis Baronius tomo II tempora putat. Hunc pontificem ita passim venenato suo ore, stylo, calamo flagellant
C sectarii, ut eum vix sinant esse hominem; sed procul infra naturam et societatem humanam ablegent: ducem et auspicem secuti partim insitam sibi mentiendi, et omnes pontifices Romanos criminandi pruriginem; partim Bennonem pseudocardinalem, qui de Gregorio VII commentarium mendaciis et inscitia refertissimum posteritati reliquit, quem, ut gemmam pretiosissimam, catalogo testium Lutheranæ veritatis Illyricus intexuit; ex quo centuriatores quoque undecimam suam centuriam multarum pseudologiarum et criminationum accessione locupletiorem reddiderunt; quo insuper Wolfius mendaciorum suorum centenarium undecimum insignifer exornavit. Quem item Reinerus, Reineccius Lutheranus ve Calvinianus hæreticus, anno salutis 1081, Francofurti
D cum Helmoldo et Arnoldo Lubecensi iterum typis excudendum curavit; *quod pauca,* ut ait, *Bennonis superessent exemplaria,* grandi scilicet reipublicæ Christianæ jactura; cujus multum interest, ut hujusmodi calumniarum centones durent ac perennent, ut qui calumniandi et mentiendi artem discere et factitare cogitant, exemplar, et quidem perfectissimum in quod intueantur et cum quo se conforment, habeant.

Ante hos omnes anno Domini 1535 publicavit Bennonem Orthuinus Gratius cum aliis quibusdam male sanis chartis, quas se, nescio, in quo manuscripto codice reperisse dicit. Bellarminus probabile arbitratur hunc librum, titulo Bennonis, ab aliquo hæretico Lutherano fuisse confictum et publicatum.

Vociferatur Sutlivius : *Mendacium et impudentiam* A *Bellarmini redarguit Orthuinus Gratius in Fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum, qui librum hunc, licet alioqui pontifici amicissimus, edidit.* Quam Gratius Romano pontifici amicus fuerit, satis superque indicat *Fasciculus*, vel potius *fascis* ille calumniarum et criminationum, quem exiguo sane bono Ecclesiæ, et nullo cum honore suo in lucem dedit. Quam bonum factum fecisset, si codicem illum tineis et blattis depascendum reliquisset.

Nec bona est hæc consecutio; nec Bellarmini suspicionem enervat : *Orthuinus edidit Bennonem : ergo non est ab aliquo Lutherano confictus*; nam ab anno Domini 1517 usque ad annum 1535 varia a Lutheranis confingi potuerunt, et reipsa itidem conficta sunt. Nec ea solum, quæ Lutherum antecesserunt, B conjecit Gratius in suum Fasciculum, sed et alia Luthero synchrona; ut testantur *Gravamina Germaniæ* in comitiis Norimbergensibus oblata; epistola Adriani VI ad principes Germanos, declamatio Hutteni contra donationem Constantini. *Constitutio ad removendos abusus, et ordinatio ad vitam cleri reformandam*, Laurentii cardinalis, et alia hujus generis. Nam quod Sutlivius dicit, similia Bennonianis de Gregorio scribi *ab Urspergensi, et Sigeberto, et auctore Vitæ Henricianæ*, impudens commentum est. Licet enim Urspergensis Gregorio parum benevolus fuerit, multoque minus Sigebertus, neuter tamen illorum horribilium criminum de quibus a Bennone accusatur, eum insimulavit; imo nec auctor Vitæ Henricianæ neque etiam is qui pro Henrico IV apolo- C giam conscripsit, ut infra suis locis monebo. Nec nisi perfricta fronte Sutlivius Schaffnaburgensem opponit: nihil enim in eo Bennonianum apparet, ut nec in Helmoldo, quorum de Gregorio VII testimonia paulo post producentur.

Licet autem cardinalis Bellarminus lib. VI De pontifice, cap. 13, Gregorium nostrum copiosissime et doctissime ab hæreticorum criminationibus asseruerit, allatis plurimis iisque gravissimis scriptoribus, quorum multi eo ipso sæculo vixerunt, quo Gregorius apostolicam sedem rexit, et partim quoque non tantum eruditione, sed et vitæ sanctimonia ac miraculis claruerunt; qui longe alia et aliter scribunt et testantur, quam mendaciorum ille faber et architectus Benno ; quia tamen pauci sunt, quibus D copia suppetit omnium eorum auctorum, quos Bellarminus pro Gregorii VII innocentia hæreticæ impudentiæ opponit, visum est non abs re fore, si ipsorum testimonia verbatim exscriberentur, et lectorum oculis subjicerentur, et postea breviter mendacia et probra Bennonica refellerentur, si tamen opus refellere, quæ tot tantisque testibus adductis et auditis sponte sua corruunt. Agmen igitur ducat

I. Anselmus, episcopus Lucensis, cujus exstant tomo VI antiquæ lectionis cl. viri D. Henrici Canisii libri duo apologetici pro Gregorio VII contra Guibertum archiepiscopum Ravennatem, antipapam, sub Clementis III nomine, quem imperator Henricus III, vulgo *quartum* appellitant, Gregorio legitimo pastori opposuerat. In primo itaque lib. sic compellat Anselmus Guibertum pseudopontificem: *Noli itaque dicere, quia universalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia : quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascendisse, ut furem?* (*Joan.* XX. 1.) *Apostolica enim, et universalis Ecclesia suum habebat pastorem. Ut enim de B. Gregorio, patre nostro, dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus : factus est episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium, et, ut verum dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum et virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, Petri, vel gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato, et de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam episcopus fieri voluerit : foras fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans, et sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est; et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est.*

Citat et recitat hæc verba abbas Urspergensis in Chronico, ex epistola, ut ait, Anselmi ad Guibertum : quæ videtur fuisse diversa ab his duobus libris, ut etiam arbitratur Baronius in Appendice ad tomum VII Annalium. Nec improbabile est Anselmum ad eam alludere verbis illis in ipso primi libri vestibulo occurrentibus : *Scripsi tibi pauca cum multo dolore et sinceræ charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor*, etc.; *sed quia verba tua iniquitas et dolus, et noluisti intelligere, ut bene ageres* (*Psal.* XXXV, 4), *audi interea* etc. Qui sic etiam Guibertum alloquitur : *Tu vero aliunde ascendisti, et non vocatus a Deo accessisti, noli usurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim jam dictum est : Si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, judex a nullo condemnari potuit, manifestum est, te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilque habere potestatis ac juris.*

Quis vero iste Anselmus Lucensis? an unus ex trivio, cujus testimonium primo statim auditu difflari et dissipari queat ? Minime vero. Audi Urspergensem in schismaticorum, quam in Gregori VII partes cæteroqui proniorem : *Anselmus episcopus, vir litteris apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, et quod omnibus majus est, in Dei timore et sancta conversatione nominatissimus, adeo ut tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus.*

De eodem Anselmo auctor, qui Vitam ejus litteris mandavit apud Baronium, tomo II, anno Christi 1086 : *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo octogesimo sexto, episcopatus vero sui decimo tertio, indictione nona, finitis jam annis septem excommunicationis Henrici quondam regis, post*

Transitum autem felicissimi papæ Gregorii VII mense nono, die vero vigesimo tertio, obdormivit in Domino venerabilis dominus et Pater noster Anselmus Lucensis episcopus, decimo quinto Kal. Aprilis, in civitate Mantuana, præsidente reverentissimo episcopo Ubaldo, atque dominante ibidem nobilissima duce et marchionissa domina Mathilda.

Subdit idem auctor : *Tertia nocte post sanctissima Patris* (Anselmi) *venerandam dormitionem, quædam contracta persona, quæ una semper manu et posterioribus serpebat potius, quam gradiebatur; quæ etiam in domo nepotis episcopi annum unum, et duos menses, ac dimidium manserat apud prædicti Patris tumbam, meritis ipsius sana erecta est in prima noctis vigilia : sequenti vero die circa tertiam (ut visum est) horam, fertur, quod quædam a nativitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis comitatus incolam nunc audivimus.*

Brevitatis causa describere prætermittimus, inquit Baronius, octoginta insignia miracula, quæ ibidem a sancto edita fuerunt usque ad quinquagesimum diem ab ejus obitu, quo idem auctor ille scribebat. Hic igitur tantus vir, doctrina et miraculis celebratissimus, an non vel solus sufficeret oppilandis impuris faucibus Bennonis et similium Gregorii VII calumniatorum, licet nullus alius exstitisset, qui contra mendaciloquum Bennonem pro Gregorio VII staret?

II. Auctor, qui Vitam S. Anselmi Lucensis scripsit, Gregorio et Anselmo synchronus, imo hujus etiam discipulus : *Ille* (Gregorius) *mitram capitis sui transmisit isti, Anselmo videlicet, tanquam potestatem suam ligandi, et solvendi, sed et miracula, credo, faciendi. Nam non multo post, cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius consilium, et fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eamdem mitram mirabilia. Inter alia enim reverentissimus dominus Ubaldus, Mantuanus scilicet episcopus, multis jam annis gravissime spleneticus, toto corpore ulceratus, præsertim in cruribus, sic, ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere vel sedere; qui et multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, apposita eadem mitra, ubi major ingrueret dolor, pristinæ redditus est sanitati.*

Beatus itaque talis, et tantus magister Gregorius, miracula fecit multa vivus, et mortuus : fecit quidem et bonus discipulus ejus Anselmus; magister quidem in Deo, discipulus in Deo et in beatissimo magistro, etc. In extremis suis, sicut ab ipsius capellanis suis didicimus religiosis : Post omnia, inquit, dilexi justitiam, et odio habui iniquitatem (*Psal.* CXVIII, 163); *ideiro morior in exsilio. Et quidem in vita sua, quod magister ac discipulus docuerunt, hoc et in morte quasi testamento confirmaverunt. Ille,* nempe Gregorius, *quos obedientes tibi vivens adhuc benedixit, moriens quoque commendavit. Henricianos vero penitus penitusque, nisi post magnam demum conversionem et pœnitentiam reprobavit : hic,* nempe Anselmus, *præsentibus nobis, et in verbo Domini præcepit, ut in fide et doctrina beatissimi papæ Gregorii permaneremus.* Hæc auctor ille.

Testatur et Berchtoldus Constantiensis, in suo Chronico, S. Anselmum vivum et vita functum, plurimos incitasse et confirmasse, ne ad schismaticorum castra transitionem facerent. Verba Berchtoldi sunt hæc : *Beatus Anselmus quondam Lucensis episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno, innumerabilibus cœpit miraculis coruscare; qui post obitum venerabilis papæ Gregorii VII fideles S. Petri contra tyrannidem Henrici, adhuc in carne vivens, multum incitavit; sed multo plus post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eumdem persistere confortavit, unde et pars Henrici de die in diem cœpit deficere, catholici autem in fidelitate S. Petri non cessaverunt proficere.*

Idem auctor Vitæ S. Anselmi : *Ante omnia id studii semper habuit, quatenus sanctissimum magistrum suum papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet, etiam in aliquo. Illius semper meritis tribuit quidquid in ipso fuit, dum vitam rememoravit monasticam, et solitariam, quam se crebro flevit amisisse, etc.*

Idem scriptor Vitæ S. Anselmi : *Defuncto papa Alexandro, dum sanctissimus Gregorius in Romanum pontificem, Spiritus sancti instigatione, ac voto communi clericorum et laicorum diu renitens esset electus ut sequeretur eum ipse in omnibus, in Lucanam Ecclesiam est et ipse electus episcopus, atque ab illo postmodum consecratus. Igitur, dum aliquanto tempore non semel, aut bis, sed sæpius cum eodem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam ejus consideravit ineffabiliter mirabilem, et mirabiliter ineffabilem; quia, cum de omnibus et singulis finibus sæculi fieret ad eum concursus, omnibus satisfaceret; veritas vera, ac justitia nunquam ori ejus defuit. Primo (quod magis est mirandum) in ipsis sæcularibus negotiis sæpius excessit mente, exhilarato spiritu suo cœlesti contemplatione : at si privatus interdum exstiterit, revelationibus etiam divinis jucundatus et confortatus. Hujus, inquam, vestigia dum exsequi ferventer desiderat, incipit oblivisci mundum,* etc.

III. Acta Vaticana de rebus gestis Gregorii VII apud Baronium, tomo XI, anno 1075 : *Defuncto Alexandro papa, et in Lateranensi Ecclesia honorifice tumulato, dum Hildebrandus archidiaconus esset in ejus exsequiis occupatus, repente factus est in ipsa Ecclesia maximus cleri et populi Romani concursus, clamantium et dicentium : Hildebrandum archidiaconum B. Petrus elegit. Quo audito, idem archidiaconus nimis expavit, et quasi extra se raptus, cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frequentem sedare, et a sua intentione recedere et retrahere : sed Hugo Candidus cardinalis, ubi omnium vota in archidiaconum convenisse indubitanter cognovit, citius præcucurrit, et populum ipsum in hunc modum allocutus est dicens : Ecce, charissim fratres, scitis et indubitanter cognoscitis quod a diebus*

beati Leonis papæ hic archidiaconus, tanquam vir prudens atque probatus, hanc sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltavit, et civitatem ipsam ab imminentibus periculis liberavit. Unde, quia idoniorem ad Ecclesiæ regimen invenire nequimus, nos, episcopi cardinales, unanimiter ipsum nobis, et vobis in pastorem, et episcopum animarum nostrarum eligimus. Et continuo universitate populi et cleri acclamante : Dominum Gregorium papam S. Petrus elegit; indutus rubea chlamyde (sicut est mos) et papali mitra insignitus, invitus et mœrens in B. Petri cathedra fuit inthronizatus.

IV. Acta publica electionis Gregorii VII prout exstant in Regesto epistolarum ipsius Gregorii, tomo III epist. decretalium Rom. pontif., et tomo III conciliorum novæ edit. Colon. : *Regnante Domino nostro Jesu Christo anno clementissimæ Incarnationis ejus millesimo septuagesimo tertio, indictione et luna undecima, decim. Kal. Maii, feria secunda, die sepulturæ domini Alexandri, bonæ memoriæ, secundi papæ : ne sedes apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica B. Petri ad Vincula, nos sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, præsentibus venerabilibus episcopis et abbatibus, clericis et monachis, consentientibus plurimis turbis utriusque sexus, diversique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in pastorem et summum pontificem, virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis et justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, et juxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium castum, hospitalem, domum suam bene regentem (I Tim.* III, 2), *in gremio hujus matris Ecclesiæ a pueritia satis nobiliter educatum et doctum, atque pro vitæ merito in archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet archidiaconum, quem amodo usque in sempiternum et esse, et dici Gregorium papam, et apostolicum volumus, et approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ* x *Kal. Maii, indictione undecima.*

V. Lambertus Schaffnaburgensis in Chronico, anno 1073 : *Alexander papa, qui et Anselmus, decessit : cui Romani protinus, inconsulto rege, successorem elegerunt Hildebrandum, virum sacris litteris eruditissimum, et in tota Ecclesia, tempore quoque priorum pontificum, omni virtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei ferventissimus erat, episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoveri cœperunt, ne vir vehementis ingenii, et acris erga Deum fidei, districtius eos pro negligentiis suis quandoque discuteret; atque ideo communibus omnes consiliis regem adorti, orabant ut electionem, quæ ejus injussu facta fuerat, irritam fore decerneret; asserentes quod, nisi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc non in alium gravius, quam in ipsum regem redundaturum esset. Statim rex a latere suo Eberhardum comitem misit, qui Romanos proceres conveniens, causam ab eis sciscitaretur, quare præter consuetudinem majorum, rege inconsulto, Romanæ Ecclesiæ pontificem ordinassent, ipsumque si non idonee satisfaceret, illicite accepta dignitate, abdicare se præciperet. Is veniens Romam, benigne a prædicto viro susceptus est. Cumque illi mandata regis exposuisset, respondit se, teste Deo, honoris hujus apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se a Romanis, et violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem; cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam regem quam principes Teutonici regni consensisse, certa legatione cognosceret; hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, et sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem regis certus inde veniens nuntius intimaret. Hoc ubi regi est renuntiatum, libenter suscepit satisfactionem, et lætissimo suffragio, ut ordinaretur, mandavit: quod et factum est anno sequenti in Purificatione sanctæ Mariæ.*

Idem Lambertus non procul a fine sui Chronici, ubi agit de absolutione Henrici imp. ab excommunicatione : *Ita absoluto eo ab excommunicatione, papa missarum solemnia celebravit, confectaque sacra oblatione, regem cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine ad altare evocavit, præferensque manu corpus Dominicum : « Ego, inquit, jam pridem a te, tuisque fautoribus litteras accepi, quibus me insimulabas sedem apostolicam per Simoniacam hæresim occupasse, et aliis quibusdam, tum ante episcopatum quam post acceptum episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita canonum, omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certe testium astipulatione crimen refellere queam, eorum scilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrime noverunt, et eorum, qui meæ ad episcopatum promotionis auctores fuerunt; ego tamen, ne humano potius quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum; vel subitanea interimat morte, si reus. » Hæc, et alia (ut solemne est) præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem, et innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici corporis accepit et comedit. Qua liberrime absumpta, cum populus in laudes Dei innocentiæ ejus congratulatus, aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio conversus ad regem : « Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti, etc. Si te innocentem nosti, et existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose et Ecclesiam Dei scandalo, et teipsum longæ concertationis ambiguo, et sume hanc residuam partem Domini corporis, ut.*

comprobata, Deo teste, innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua garrientium, et me deinceps causæ tuæ advocato, et innocentiæ tuæ vehementissimo assertore, principes tibi reconcilientur, regnum restituatur, » etc. *Ad hæc ille inopinata re attonitus æstuare, tergiversari, consilia cum suis familiaribus segregatus a multitudine conferre, et, quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem evaderet, trepidus consulere,* etc.

Refert idem Lambertus horribilem exitum Wilhelmi episcopi Trajectensis, qui hostili prorsus odio Gregorium VII persequebatur : *Wilhelmus Trajectensis episcopus causam regis contra bonum et æquum obstinate tuebatur, et studio partium regis, multa in injuriam Romani pontificis, omnibus pene diebus solemnibus, inter missarum solemnia rabido ore declamabat : perjurum eum, adulterum et pseudoapostolum appellans, et tam a se, quam a cæteris episcopis sæpenumero excommunicatum pronuntians. Is brevi posteaquam rex, exactis paschalibus feriis, Trajecto discesserat, repente gravissima ægritudine correptus est. Cumque per acerrimos cruciatus animæ ac corporis urgeretur, miserabili ejulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur, justo Dei judicio se et præsentem vitam amisisse et æternam : quod regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam, summo adnisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus Romano pontifici sanctissimo, et apostolicarum virtutum viro graves contumelias sciens, et prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem, ut asserunt, sine communione, sine ulla satisfactione exspiravit.*

VI. Idem de hoc Wilhelmo tradunt Annales Magdeburgenses, apud Paulum Langium in Chronico Citizensi : *In ipso loco,* inquit, *in quo Romano pontifici derogabat, ipse mala valetudine corripitur, in qua usque ad miserandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingravescente, cum eo, dum quidam homo regis eum rogaret, ut se cum suo mandato remitteret ad regem : « Hoc, inquit, mitto ei mandatum, quod ipse, et ego, et omnes iniquitati ejus faventes, sumus damnati in perpetuum. Cumque a suis qui aderant clericis, ne talia loqueretur, esset admonitus : Quid aliud, inquit, loquor, nisi quod verum esse visibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumstant, quatenus me mox, ut exspiravero, rapiant. Itaque cum fuero e corpore eductus, rogo vos et omnes fideles ne se fatigent pro me faciendo supplicationes.* » *Hic igitur in desperatione defunctus, diu jacebat insepultus, donec Romam mittitur. Et inde quæsito consilio, ne populus fætore corrumperetur, apostolico jussu, sine commendationibus sepelitur.*

VII. Subdit Langius, et iste septimus sit testis pro innocentia Gregorii VII. Quem sectarii eo libentius admittent, quo nascenti Lutheranæ sectæ sub finem sui Chronici se benigniorem et æquiorem exhibuit : *Et ita alii complures Henrici fautores male interiere. Udo, Trevirensis archipræsul, repentina morte obiit. Burghardus, Misnensis præfectus, ex equo cadens exspiravit. Sic et Godefridus dux, hostis Saxoniæ, percussus, sine confessione periit. Ita et Eppo episcopus noster, magnus Henrici fautor et assentator, morte mala conclusit, de qua in prædictis Chronicis Magdeburgensis Ecclesiæ ita ad verbum scribitur : Eppo, Citizensis episcopus, dum in episcopio S. Chiliani quemdam rivum forti sedens in equo transiret, quem quilibet pedes sine periculo transire posset, ubi nec timor ullus fuit; equo cadente moriens sic interiit sancto Chiliano sic disponente, ut, qui ejus rebus violentus incubuerat, vinumque illius sæpe injuste biberat, aquam quoque suam juste bibendo ultra merum non quærat. Et quia nobis inconciliabilis permansit Deo irreconciliatus, ab hac vita migravit. Hæc ad verbum in prænarratis Magdeburgensis Ecclesiæ Annalibus leguntur.*

VIII. Chronica Thuringensia apud eumdem Langium. *Anno Domini* 1073, *Hildebrandus professione monachus et Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, natione Tuscus, omnium cardinalium consensu solemniter atque canonice electus fit papa, in numero* 147 *et vocatus est Gregorius septimus. Sedit annis* 12, *mense uno, diebus* 4. *Istius prudentia non modo in ipsa Italia, sed etiam in Teutonicis provinciis, sacerdotum refrenata est incontinentia. Hic, ut Martinus ait, concilio* 110 *episcoporum habito, Henricum imperatorem excommunicavit, quasi Ecclesiæ Romanæ scissorem; sed tandem absolvit, et post, iterum excommunicavit; quia dissidium in Ecclesia procuravit, pueritia et inexperientia sua existente in causa.*

IX. Marianus Scotus lib. III Chronici : *Interea domino Alexandro apostolico de medio sublato, suscepit sedem apostolicam Gregorius septimus, qui et Hildebrandus, professione monachus. Iste, querimoniis et clamoribus catholicorum justis adversum Henricum et scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus, jam dictum regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter Simoniam. Quod factum catholicis quidem viris bene placuit; Simoniacis vero ac fautoribus regis nimium displicuit : qui dicebant, nunquam fuisse auditum, regem aliquando excommunicationi subditum. Facta est igitur maxima divisio in Ecclesia Dei; catholicis domino apostolico studiose faventibus ac præceptis ejus, schismaticis Henrico et cooperatoribus ejus ex corde obedientiam exhibentibus. Inter quos erat princeps et signifer justitiæ, dilectus Deo et hominibus, beatus Anno Coloniensis archiepiscopus (cujus memoria in benedictione est) cum reverendissimis Ecclesiarum rectoribus, Sigefrido Moguntino, Vezelino Magdeburgensi, Rucherio Halverstadensi aliisque episcopis et abbatibus, monachis et clericis, assentientibus quoque principibus totius Saxoniæ, Ottone duce, Magno duce, Udone marchione, Ludovico comite, cum aliis innumerabilibus tam nobilium quam infimorum militaribus viris. Quorum fidei devotionem ac fervorem justitiæ venerabilis papa Gregorius audiens, et contra eos sævitiam Henrici, fautorumque ejus, quemadmo-*

dum et contra semetipsum insurgere videns ne deficerent in tribulationibus, quas sustinebant ab iniquis, sed fortiores, imo constantiæ virtute solidiores efficerentur; missis ad eos litteris, paucis, hæreticorum audaciam, garrulitatem et superbiam, auctore Henrico ac defensore, ad injuriam et contumeliam sanctæ sedis apostolicæ perstrinxit elatam. Quamobrem quod regem anathematis vinculo alligaverit, litteris insinuavit, quibus catholici ad resistendum iniquis hæreticis constantiores effecti sunt.

Idem Marianus ibidem: *Gregorius igitur præsul venerabilis, hæreticorum insaniam, catholicorum quoque, astipulante veritate, cognoscens constantiam, Rodolpho regi missis litteris, apostolicam mandavit benedictionem : in quibus etiam omnibus Christi fidelibus, beato Petro, ac sibi vicario ejus, obedientiam profitentibus, universaliter insinuavit, Henrico propter superbiam, inobedientiam ac falsitatem, regni dignitatem ablatam, Rodolpho vero regi pro sua humilitate, obedientia et veritate, auctoritate S. Petri collatam.*

X. Dodechinus continuator Mariani : *Ipse Urbanus venerabilis papæ Gregorii scripta et dicta contra schismaticos habita confirmavit.* Et anno 1090 beatæ memoriæ papam Gregorium nominat.

XI. Stephanus episcopus Halberstatensis causam Gregorii VII fortissime contra Henricum regem egit in ea epistola quam scripsit ad Waltramum Ecclesiæ Magdeburgensis (sic habet Pistoriana editio Dodechini) episcopum, sub nomine Ludovici comitis, quem Waltramus ad partes Henrici pellicere studuerat. Exstat apud Dodechinum anno Christi 1090. Inter cætera sic loquitur : *Audi vera, non fucata : Audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates spirituales vendit, hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, episcopatus et abbatias vendit. Etenim Constantiensem, Babenbergensem, Moguntinensem et plures alios, pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, Strasburgensem, pro gladio; abbatiam Fuldensem, pro adulterio; Monasteriensem episcopatum (quod dicere et audire nefas est!) pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ, si impudenter negare volueris, teste cœlo, teste terra, omnes etiam a furno redeuntes scioli concludent: Ergo, dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec regnum nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus, poterit obtinere.*

Infra idem Stephanus : *Quod vero papam Gregorium, regem Rodolphum, marchionem Eggebertum pessimi interitus damnas, et dominum tuum, quia illis superstes est, bonificas; liquet profecto ab omni spirituali te cognitione manere vacuum. Nonne beatius est bene mori, quam male vivere? « Beati enim, qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v). » *Jam et Neronem, quia apostolis Petro et Paulo; jam et Herodem, quia Jacobo apostolo; jam et Pilatum, quia Domino Jesu Christo supervixerint, beatos æstimas. Qua opinione quid insanius aut infelicius dici potest?*

XII. S. Anselmus Cantuariensis, in præfatione ad librum *De fermentato et azymo*, nullam salutem dicere vult Waleramo vel Walramo Nuvenburgensi episcopo, quod partes Henrici sequeretur, et excommunicatus esset. *Si certus essem,* inquit, *prudentiam vestram non favere successori Julii Cæsaris, et Neronis, et Juliani, et potestati contra successorem et vicarium Petri apostoli, libentissime vos, et amicissimum et reverendum episcopum salutarem; quoniam autem ad defensionem veritatis contra Græcos, qui ad vos venerunt, quæritis: secundum posse nulli deesse debemus : opusculum vobis misi, quod de processione Spiritus sancti edidi contra illos.*

Et epistola octava ad Wilhelmum abbatem docet idem Anselmus sententiam excommunicationis contra Henricianos, Simoniacos et clericos incontinentes latam esse justam, ac proinde tales, ut ecclesiastica communione privatos, declinari debere. Utriusque epistolæ, videlicet ejus quæ est ad Walramum, episcopum Naumburgensem, et ejus quæ est ad Wilhelmum abbatem, magna cum commendatione mentionem facit Dodechinus in Appendice ad Marianum anno Domini 1094.

XIII. Compilatio chronologica incerti auctoris, tomo I script. Germaniæ quos claris. vir D. Joannes Pistorius olim edidit : *Anno Domini* 1076 (error est in tempore), *Gregorius papa hujus nominis VII a B. Petro* 167 *ordinatur*, etc. *Iste vocabatur Hildebrandus, et fuit in Scripturis valde eruditus*, etc. *Iste papa etiam stricte sub pœna auguria inhibuit, et sortilegia, et incantationes, et magicas artes.*

XIV. Godefridus Viterbiensis : *Ipse Gregorius papa ad Simoniam exstirpandam et clericorum incontinentiam reprimendam intendens, imperatorem ipsum ad synodalia pro hujusmodi frequenter vocavit. Connubia clericorum, a subdiaconatu et supra, per totum orbem Romanum, edicto decretali, in æternum prohibuit, ac seipsum athletam Dei pro domo Domini murum constituit.*

XV. Fasciculus temporum, seu Wernerus Rolewinck : *Iste Gregorius fuit vir sanctus, et multas persecutiones pro justitia perpessus est. Hic antea dicebatur Hildebrandus, prior Cluniacensis; et fuit legatus in Gallia, et dure processit contra Simoniacos. Quemdam etiam episcopum miraculose vicit de Simonia; quia non potuit contradicere Spiritui sancto. Factus autem papa, synodum celebravit, in qua contra eos simili zelo processit, et contra presbyteros uxoratos, amovendo eos a divino officio. Fuerunt enim tempora satis arida. Et quia justitiæ rigorem visus est tenere solito more, contra eum multi insurrexerunt. Et primo Cinthius, præfecti filius, cum cepit, cum primam missam in nocte Nativitatis celebraret, et in turri sua posuit; sed Romani turrim destruunt, et papam liberant, et Cinthium extra urbem ejiciunt. Deinde imperatorem excommunicavit propter dissi-*

dium. Qui post veniens ad ipsum, et pluribus diebus nudis pedibus super glaciem stans, vix absolutionem impetravit. Sed imperator non perseveravit in humili obedientia, quam cœpit.

XVI. Paulus, Bernriedensis.

XVII. Gerochus Reicherspergensis, de utroque ista Aventinus libro v Annalium Bojorum : *Legi multos, præsertim Paulum Bernriedensem, Gerochum Reicherspergensem antistitem, Augustinianos mystas, in Bojaria ortos. Uterque de hujuscemodi discordia perniciosa libros edidit; uterque pars hujus tumultus fuit: ille, Reginoburgii; hic, Augustæ primariæ ædis sacerdos. Ambo rebus Hildebrandi studuere*, etc. *Heinricum stupris, amoribus, impudicitiæ et adulterii flagrasse infamia, ne amici quidem negant*, etc. *Gregorium virum sanctissimum pervicaciorem exstitisse Paulus Bernriedensis, qui ejus Vitam libris duobus complexus est, et reliqui ejus partium acerrimi propugnatores produnt.*

Quæsivi duos hosce auctores in Bavaria et extra diligenter, partim mea, partim amicorum opera, nec reperi ; cum tamen certum sit utriusque monumenta visa et lecta, forsan et expilata esse ab Aventino, qui eodem libro quinto hæc, quæ de Wilhelmo Trajectensi accipienda videntur : *Paulus Bernriedensis narrat episcopum quemdam, dum pro concione Hildebrandum vituperaret, fulmine tactum esse, dumque ageret animam, dixisse : « Ignea catena constrictus trahor ad inferos; ite, nuntiate Cæsari, ut resipiscat, et flagitium in Deum, divum Petrum, ejus vicarium commissum, officiis compenset, nisi me antecedentem ad æterna supplicia subsequi malit. » Eodem quoque die, nempe paschalibus quarto Kal. Martii, ut idem Paulus recitat, episcopus Spirensis, Gregorio septimo iniquus, ab eodem Kalendis Martiis devotus, animam efflavit. Gregorio Salernum profugo intrante, civis quidam dixerat : Auctor dissensionis, qui totum orbem terrarum armis et bellis involvit, hujus urbis quoque quietem conturbaturus advenit. Mox ille, his dictis, obmutescit; deductus ad Gregorium, errorem suum confitetur, ab eodem sanitati restituitur.*

XVIII. Bertoldus Constantiensis, in Chronico, si tamen diversus est a Bernaldo Constantiensi, cujus nova pro Gregorio VII testimonia jam primum in lucem promimus : *Romæ Alexander papa decessit; pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, communi omnium consilio expetitur papa constituendus. Quo audito, ipse archidiaconus se viribus esse imparem tanto honori, imo oneri, reputans, inducias respondendi petiit, et sic fuga elapsus, aliquot dies ad Vincula S. Petri occultatus latuit. Sed tandem vix inventus, et ad apostolicam sedem vi perductus, papa CLIX septimo Kalend. Maii ordinatur, et Gregorius VII appellatur. Cujus prudentia, non solum in Italia, sed etiam in Teutonicis partibus, refrenata est sacerdotum incontinentia: scilicet, quod prædecessor ejus in Italia, hoc ipse in tota Ecclesia catholica prohibere studuit.*

A De eodem pontifice idem Bertoldus anno Christi 1076 : *Cincius quidam Romanus civis Gregorium papam, die Nativitatis Domini, missarum solemnia celebrantem comprehendit; quem ita comprehensum quidam ex militibus ejusdem Cincii occidere destinavit. Sed cum gladium supra caput ejus vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec incœptum ictum explere potuit.*

Recenset idem Bertoldus nonnulla divinæ vindictæ exempla in adversarios Gregorii VII et Henrici regis asseclas. Quæ ascribere lubet : *Vercellensis episcopus, depositi regis cancellarius, cum omnibus suis sequacibus colloquium generale circa Kalendas Maii in Rumalibus condixit, ut, si aliquo modo posset, Gregorium papam deponeret; sed ipse, ad*
B *eumdem terminum absque ecclesiastica communione, vitam simul et episcopatum, heu miserabiliter! deposuit, quo ille papam nefaria præsumptione statuit deponere. Non multo post ejus interitum, præfectus Romanæ urbis, indefessus miles S. Petri contra schismaticos, a quodam fautore Henrici crudeliter occiditur; ad cujus corpus in parvo tempore, plus quam viginti miracula contigerunt, ut fidelium virorum relatione didicimus. Imbrico Augustensis episcopus, qui in præterito Pascha Rudolpho regi fidelitatem juravit, nil de perjurio curans, Henrico advenienti adhæsit, et apud illum quadam die missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit ut sacra oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si Dominus ejus Henricus regnum sibi injuste usurparet. Post hanc*
C *temerariam perceptionem, parvo quod supervixit tempore usque ad mortem nunquam se sanum de lecto levavit. Nam circa Kal. Julii absque ecclesiastica communione defunctus est. Item Sigehardus Aquileiensis patriarcha in auxilium Henrico contra bannum apostolici, armata manu veniens, in amentiam vertitur apud Ratisponam, et ex ipso itinere repentina morte intercipitur, sicque domum, non sine aliquibus suorum funeribus, in corpore et anima mortuus, reportabatur.*

Idem Bertoldus, anno 1085 : *Sed jam Deus omnipotens famulum suum Gregorium papam nolens diutius laborare, imo pro laboribus suis digne remunerare volens, de hujus vitæ ergastulo eum vocavit.*
D *Nam aliquanto tempore graviter corpore infirmatus, sed in defensione justitiæ usque ad mortem firmissimus, Salerni diem clausit extremum. De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, et maxime pauperes doluerunt. Erat enim catholicæ religionis ferventissimus institutor, et ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sane ut ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem, et morum sanctitate, et ordinis dignitate præemineret; quod illum latere non poterit, quicunque ejusdem apostolici regestum diligenter perlegerit. Postquam autem in gubernatione sedis apostolicæ, imo totius Ecclesiæ duodecim annos et unum mensem legitime decertavit, tandem ex hac luce, anno Incarnationis Dominicæ* 1085, *indictione octava*, VIII *Kal. Junii subtractus.*

supernæ vocationis βραβεῖον accepisse non dubitatur. sepultus Salerni in ecclesia Sancti Matthæi, quam ipse eodem anno dedicavit. Sed Guibertus hæresiarcha multum de obitu ejus lætabatur, licet parum prosperitatis suæ parti in eo lucraretur. Nam omnes catholici post mortem domini apostolici non minus quam ante, eidem hæresiarchæ restiterunt, ipsumque de Roma Ravennam repedare compulerunt.

XIX. Bernardus, primum Constantiensium scholarum magister, postea monachus Corbeiensis in Saxonia, pro Gregorio VII apologiam scripsit, de quo Bertoldus Constantiensis in Chronico ad annum 1088 : *Bernardus Constantiensium magister scholarum, vir eruditissimus, in causa S. Petri ferventissimus, in Saxonia sub monastica professione migravit ad Dominum.*

De eodem, ad annum 1091, idem Bertoldus : *Bernardus quoque Constantiensium scholarum magister, multa nobis sui ingenii monumenta reliquit, multaque pro catholicis contra schismaticos sui temporis elegantissime scripsit, et primum quidem ad quosdam suos amicos, de judicio Gregorii papæ VII super schismaticis, et de sacramentis extra Ecclesiam usurpatis. Postea etiam ad venerabilem Hartungum Magdeburgensem episcopum de eadem causa magnum librum luculentissimum composuit, ex persona sanctæ Ecclesiæ; in quo testimoniis sanctorum Patrum omnes insidiosas cavillationes eorumdem schismaticorum prudenter annulasse videtur. Sed in eisdem scriptis nimio zelo ductus, alicubi modum excessisse notatur, videlicet ubi agit de sacramentis schismaticorum. Negat enim omnino ab eis et ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici, ita ut ab illis ordinatos, si resipiscant, iterum ordinandos censeat. Cæterum si quis hæc plenius nosse desiderat, scriptum cujusdam ad eumdem Bernardum, de eadem quæstione directum, diligentissime perlegat; in quo testimoniis sanctorum Patrum evidentissime docebitur quid SS. Patres de illa quæstione censuerint sentiendum. Verum, idem venerabilis Bernardus in ista, sicut et B. Cyprianus in rebaptizationis sententia, non pertinaciter contra Ecclesiam egerunt, sed utcunque, nimium contra schismaticos zelantes, aliquantulum regulam ecclesiasticam excesserunt.*

Bernardum hunc ita sensisse satis liquet ex epistola ejus ad Bernaldum Constantiensem, quam infra inter opuscula Bernaldi reperies, et ex primo tractatu Bernaldi De sacramentis excommunicatorum, quem rogatu Bernardi, Corbeiensis postea monachi, composuisse videtur, de quo plura inferius.

XX. Gebehardus archiepiscopus Salisburgensis, de quo Bertoldus, anno 1088 : *Gebehardus venerandæ memoriæ Juvaviensis archiepiscopus, in causa S. Petri præcipuus, qui schismaticos publice dictis et scriptis confutare consuevit, de hac luce subtractus* XVIII *Kalend.*, — *magnum mærorem catholicis dereliquit.*

XXI. Auctor, qui Vitam S. Gebehardi scripsit, tomo VI Antiquæ Lectionis : *Post aliquot annos excommunicatur rex Henricus in synodo Romana, et episcopi singuli, missis a papa Gregorio epistolis : præmoniti sunt, etiam obsecrati pro observanda S. Petro et ejus vicario obedientia, inbanniti quoque et sub obtentu sui officii sunt astricti ne regi anathematizato et ejus consiliariis nominatis communicarent. Hoc novum, sive rarum in regem anathema, utrum ex venditione episcopiorum et abbatiarum, an ex alia infamia causas sumpserit penes earum conscios sui et judices. Nobis sententia pastoris timenda est, sive justa, sive injusta. Prædictus enim piæ memoriæ papa Gregorius, velut alter Elias, spiritu Dei plenus, et zelo justitiæ et veritatis accensus, sacerdotes Baal, non quadringentos, sed infinita millia trucidaverat, quia, vel eos qui per Simoniam episcopatus, abbatias, præposituras, præbendas vel ecclesias obtinuerant, vel, qui in sacerdotio aut diaconatu uxores habuerant, vel, qui a Simoniacis vel schismaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes simul truncaverat. Proinde istorum instinctu, Henricus imperator Guibertum Ravennatem hæresiarcham, expulso præfato papa Gregorio, Romæ inthronizavit. Videres nunc naviculam beati Petri, quasi dormiente interim Jesu propemodum mergi et tempestatum procella vexari, dum omnes veritatem et fidem beato Petro et ejus vicario servantes, aut in undas mortis dirum fremens ac fervens salum trahebat, aut in longum exsilium, patria, honoribus, rebus extorres jactabat. Tempora nimirum tunc valde periculosa instabant, cum, præter Christi athletam nostrum dominum Gebehardum archiepiscopum Salzburgensem, Altmannum Pataviensem, Adalberonem Wirzburgensem, Hermannum Metensem, Meginwardum Frisingensem, præter hoc solos quinque, in toto regno Teutonico episcopus catholicus inveniri non poterat. Ea igitur tempestate iste noster dominus, sæpefatus archiepiscopus fidelis Romanæ Ecclesiæ, et veritatis catholicæ propugnator eminebat, qui, velut alter Machabæus lorico fidei se succinxerat, et gladio verbi sui castra Ecclesiæ in toto regno Teutonico protegebat.*

XXII. Micrologus, seu Guido, Aretinus cap. 14, lib. De officiis ecclesiasticis : *Sedi Romanæ, nostro tempore talem Deus gubernatorem, reverendæ memoriæ Gregorium papam imposuit; qui sub decem suis antecessoribus a puero Romæ nutritus et eruditus, omnes apostolicas traditiones diligentissime investigavit, et investigatas studiosissime in actum referre curavit. Hunc ergo doctorem, religione et auctoritate præcipuum, imo apostolicam traditionem per ipsum in consecrandis mysteriis potissimum imitari decrevimus,* etc. *Reverendæ memoriæ Gregorius papa fecit*, etc.

XXIII. Domnizo presbyter qui Vitam Mathildis versibus descripsit. In qua lucubratione exstant varia Gregorii VII et Anselmi Lucensis elogia. Multa ex ejus libro describit Baronius, tomo XI, passim in annis pontificatus Gregorii VII.

XXIV. Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. III, cap. 64 : *Anno Dominicæ Incarnationis* 1085, *indictione octava, cum venerabilis semperque reco-*

lendæ memoriæ Gregorius papa VII Salerni magna vi morbi premeretur, ante tertium sui obitus diem, rogatus ab episcopis et cardinalibus, qui forte tunc aderant una cum Desiderio, quid de Romanæ sedis post obitum suum ordinatione juberet, hortatus est ut, si quo pacto possent, ipsum Desiderium pontificem facerent, etc.

Narrat idem Leo eodem lib. III, cap. 55, visum quoddam cœleste columbæ niveæ, super Gregorio residentis, cum sacra missarum solemnia celebraret; quod visum, cum, qui vidit, evulgare cunctaretur, his verbis divinitus patefacere jussus est : *Vade celeriter, et hoc ipsum auribus papæ intimato, ut constanter vigore sancti Spiritus quod cœpit exsequatur.*

XXV. Otho Frisingensis, lib. VI : *Anno sequenti Alexander vita et sacerdotio perfunctus decessit, sedemque Hiltprando archidiacono suo, qui Gregorius VII dictus est, reliquit. Ex hinc schisma gravissimum, eo quod absque consensu regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem, qui per multum temporis ad libertatem Ecclesiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad sacerdotalem dignitatem provectus, a cœpto desistere indignum ducens, tam ob hoc quam pro Simonia exstirpanda ac incontinentia clericorum reprimenda, plurimum desudabat. Denique non solum regem pro ejusmodi ad synodalia responsa crebro vocavit, sed et datis decretis, clericorum, a subdiaconatu et supra, connubia in toto orbe Romano cohibuit, formaque gregis factus, quod verbo docuit exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit*, etc.

Idem Otho : *Prædictus pontifex Gregorius a rege urbe pellitur, Guibertusque Ravennatensis episcopus in locum ejus subtruditur. Porro Gregorius, Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur : Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exsilio. Quia ergo in principe suo regnum ab Ecclesia præcisum, graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes et Romanos pontifices præcipui zeli ac auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.*

Idem lib. VII, cap. 1 : *Defuncto Salerni beatæ memoriæ summo pontifice Gregorio*, etc.

XXVI. Bruno in Historia belli Saxonici. Exstat tomo I Scriptorum illustrium Germaniæ, quos Calvinianus Freherus evulgavit. Tota hæc Historia est contra Henricum et Henricianos pro Gregorio VII et illis qui causam S. Petri tuebantur. Enumerat ipse quoque tragicos interitus quorumdam schismaticorum; de quibus supra ex Schafnaburgensi et Chronico Citizensi aliquid dictum : *Patriarcha*, inquit Bruno, *qui legatus apostolici, maximus auctor abjurationis exstiterat Henrici, et novi regis instituendi, postquam, exregi quasi regi sociatus, retrogradus efficitur, repentina morte præventus, quod communicabat excommunicatis, incommunicatus et inconfessus huic vitæ subtrahitur. Verum, quod tantæ dignitatis virum non decebat ire solum ad infernum, quinquaginta (sicut audivimus) de suis habuit socios, eadem morte repentina correptos, ne quos habebat in iniquitate consortes, in retributione non haberet participes.*

Udo Trevirensis archiepiscopus, omni pietate plenus, dum nimis mansuetus tyrannidi non resistens, Henrico plus quam decebat obsequitur, ejus flammeo furori suæ consensionis oleum ministrat, et ut ecclesiæ deprædentur licentiam donat, mox in crastino mane mortuus invenitur, ut omnibus aperte constaret ideo tali eum morte obiisse quod in ecclesiarum prædatione non timuit assensum præbere.

De Eppone Citizensi episcopo, de quo hic etiam Bruno, supra jam diximus : *Godefridus dux, qui fuit maximus hostis Saxoniæ, periit in secretiori corporis parte perfossus sævo mucrone, nec purgatus ultima confessione, nec munitus sacra communione.*

Godebaldus, dum equo suo noviter ferrato pedem posteriorem levaret, ut an apte ferrum esset impositum perspiceret, ab ipso pede in fronte percutitur et sic ab hac vita abstrahitur.

Burchardus Misnensis præfectus, dum in quadam sua, cui præerat, urbe ab urbanis invaditur, equo cui insidebat frustra calcaribus vulnerato, fugere molitur; qui equus sæpe prius de velocitate laudatus, modo cum maxime maximo cursu opus erat, fit stationarius, quasi diceret : Mihi non licet eum nunc a vobis eripere qui, dum sibi licuit, nolebat se corrigere. Moritur ergo cum magno animæ suæ periculo, quod sæpe consensum præbuit periculoso sævissimi regis consilio.

Luipoldus frater Berthaldi, regis consiliarii, qui et ipse ejus consiliarius erat, dum quadam die juxta regem equitans cum eo quoslibet sermones conferret, accipiter, quem sinistra portabat, volitare cœpit, quasi capturam peteret; ille vero post avem parumper se inclinans, ab equo gravis cecidit; et ensem, quo cinctus erat, e vagina lapsum, capulo terræ defixo, in pectore medio recepit, et qui sæpe pravi consilii consors vel auctor fuit, sine consilio perpetuæ salutis ab hac vita recessit.

XXVII. Helmoldus, lib. I Chronic. Slavorum, cap. 28 : *Post paucos autem dies, principes Saxonum, præter voluntatem regis captivitate absoluti, in propria reversi sunt, nec unquam de cætero promissionibus regis fidem præbuerunt. Missa ergo relatione Saxonum principes ad apostolicam sedem conquesti sunt reverendissimo papæ Gregorio VII qualiter rex, divinæ legis contemptor, Ecclesiis Dei in statuendis episcopis omnem canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam episcopos quos voluisset. Insuper quod, more Nicolaitarum, de uxore sua publicum fecisset prostibulum, subjiciens eam per vim aliorum libidini; aliaque perplurima, quæ inconvenientia visa sunt et auditu difficilia. Quamobrem dominus apostolicus, zelo justitiæ permotus, missis legatis, vocavit regem ad apostolicæ sedis audientiam. Qui secundam et tertiam vocationem dissimulans, ad*

ultimum familiarium consiliis astrictus, timentium ne regno juste deponeretur, ivit Romam, etc.

XXVIII. Albertus abbas Stadensis in Chronico eadem fere scribit quæ Helmoldus. Hæc item anno 1085 : *Hildebrandus papa, qui et Gregorius, apud Salernum moritur; cui Desiderius cardinalis Romanus, et abbas Cassinensis, verus Christi famulus, licet multum renitens, substituitur assensu Nordmannorum, et Mathildis potentissimæ per Italiam feminæ, cunctorumque ejusmodi sectam æmulantium. Et hi quidem, qui videbantur perfectiores et columnæ in domo Dei, adhæserunt sicut Gregorio, ita et Desiderio; cæteri vero, quos aut timor aut favor Cæsareus agebat, secuti sunt Guibertum, qui et Clemens*, etc.

Certe cum successorem Gregorii, quem Gregorio addictissimum fuisse probe norat, tantis laudibus afficiat, non potuit de Gregorio sinistre sentire, vel ex suo sensu scribere, cum eadem prorsus fuerit causa successoris, quæ Gregorii antecessoris.

XXIX. Alphanus archiepiscopus Salernitanus in Oratione metrica apud Baronium, tomo XI :

Archiapostolici qui culmine fulget honoris
Protege Gregorium, scis quem amare Petrum
Septimus in numero vigilantum munera septem
Possideat semper flaminis ille tui.

XXX. Deusdedit presbyter cardinalis in commentario De privilegiis Romanæ Ecclesiæ apud Baronium, tomo XI, anno 1080 : *Post præstita domino suo beatæ memoriæ septimo Gregorio papæ fidelitatis sacramenta, et obedientiam* VIII *annis exhibitam, apostolicum thronum invasit*. Loquitur de Guiberto antipapa.

XXXI. Magnum Chronicon Belgicum, editum nuper a clarissimæ et laudatissimæ memoriæ D. Joanne Pistorio : *Gregorius VII natione Tuscus*, etc., *Hildebrandus prius vocatus*, etc., *postmodum vero cardinalis, propter laudabilem ejus vitam in papam a cardinalibus est electus*, etc. Infra : *Defuncto Salerni beatæ memoriæ summo pontifice Gregorio*, etc,

XXXII. Wilhelmus Tyrius, lib. I Belli sacri, cap. 13, ubi loquens de *Investituris* episcopatuum ab Henrico conferri solitis, sic scribit : *Quod dominus papa contra omnem fieri honestatem considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel, secundo, ac tertio eumdem imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus commonitum, cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit*, etc.

XXXIII. Vincentius in speculo lib. XXV, cap. 44, Gregorium miraculis et charismate arcana pectorum cognoscendi claruisse scribit.

XXXIV. S. Antoninus, parte secunda Summ. Hist., tit. 16, cap. 1, § 21 : *Erat vir iste* (Gregorius VII) *religiosus ac timens Deum, justitiæ et æquitatis amator, in adversis constans, in prosperis moderatus, fuit et valde cordatus, Ecclesiæ jurium defensor acerrimus, et qui præter Deum, in his quæ ad justitiam pertinebant, nil timuisset efficere*

XXXV. Blondus Decadis secundæ lib. III ubi res

A a Gregorio gestas copiose cum ejusdem laude exsequitur.

XXXVI. Epitomator Blondi Æneas Sylvius in compendio Blondi.

XXXVII. Joannes Villanus lib. IV Hist. Florentinæ.

XXXVIII. Martinus Polonus in Chronico : *Hic propter laudabilem vitam est in papam electus a cardinalibus*, etc. *Salerni mortuus est miraculis coruscando.*

XXXIX. Sabellicus Ennead. 9, lib. III.

XL. Volaterranus lib. XXII Anthropologiæ : *Hic* (Gregorius VII) *præter omnes, quod vir pius et Christianæ religionis acerrimus defensor fuerit, labores pertulit magnos.*

B XLI. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, anno Domini 1073 : *Mortuo papa Alexandro successit Hildebrandus abbas Sancti Pauli ordinis nostri, et Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, et præfuit annis duodecim, dictusque est Gregorius hujus nominis septimus, vir certe multæ doctrinæ, magnæque pietatis, prudentiæ, justitiæ, constantiæ et religionis, qui multa pro defensione libertatis ecclesiasticæ et fecit bona, et sustinuit adversa. Hic primum fuit monachus Cluniacensis, et a Leone papa IX S. R. E. archidiaconus ad monasterium S. Pauli ordinatus, hoc anno post Alexandrum omnium consensu summus pontifex creatus est.*

XLII. Nauclerus in Chronico Generat. 36 et 37.

C XLIII. Albertus Crantzius lib. V. Metropolis, cap. I; *Gregorius VII, Hildebrandus ante vocatus, natione Etruscus, cum multa pro Romanis pontificibus egisset, acclamante clero et populo, Hildebrandum a B. Petro electum successorem, magnis votis et concordibus eum designavere Patres. Multus illi labor erat cum Henrico IV, multiplex colluctatio, sed superavit veritas, et justitia, obtinuitque pontifex ut ad annum decimum tertium perveniret.*

XLIV. Philippus Bergomensis in supplemento Chronicorum : *Gregorius VII papa, natione Etruscus*, etc. *Vir certe Deo et hominibus gratissimus, prudens, justus, clemens, pauperum pupillorumque ac viduarum patronus et pater, nec non et Ecclesiæ Romanæ contra hæreticorum improbitatem et malo-*
D *rum principum potentiam, res ecclesiasticas per vim occupare conantium unicus et acerrimus defensor.*

Paulo infra de capto pontifice eodem.

Sed die sequenti, Romani cognito facinore, ipsum Cincium prosequuntur et pontificem sanctum liberant, turrimque evertunt, etc.

Post pauca de Mathilde : *Mathildis comitissa nobilissima et optima atque illustris femina, virtute et rebus optime gestis clara et inclyta ubique prædicatur.* Guibertum autem illum (Clementem dictum) *antipapam* vocat. *Hic*, subdit post paulutum, *malorum omnium caput, morte subitanea correptus scelerum suorum pœnas dedit.*

XLV. Andreas Ratisbonensis in Chronico manuscripto Bibliothecæ ad S. Emmeramum Ratisbonæ :

Gregorius VII, natione Tuscus, quondam Hiltprandus prior Cluniacensis, propter laudabilem vitam a cardinalibus in papam electus, Wichpertum Ravennensem archiepiscopum, qui dictus est Clemens, habuit antipapam.

Et paulo infra : *Qui post in Apuliam descendens Salerni mortuus est miraculis coruscans.* Infra refert miraculum quod legatus Lugdunum fecit circa archiepiscopum Eberudunensem Simoniacum, qui non potuit ante depositionem dicere : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*; post expedite dixit : *et Spiritui sancto.* Eamdem historiam refert Gobelinus in suo Cosmodromio, ætate VI, cap. 57.

XLVI. Platina in Vita Gregorii VII.

XLVII. Onuphrius, in lib. De summis pontificibus, et in Annotationibus ad Platinam, ubi dicit se Vitam hujus pontificis quinque libris conscripsisse.

XLVIII. Sigonius, libro IX De regno Italiæ, ubi in hujus pontificis laudem plura eleganter ex antiquioribus monumentis depromit.

XLIX. Joannes archiepiscopus Lugdunensis epist. ad Ivonem Carnotensem (est epist. 239 inter Ivonianas) : *Nunquid incusas Gregorium VII qui regem Henricum ob sua scelera damnavit?*

Quinquagesimus ergo testis pro innocentia Gregorii VII sint hæc opuscula Bernaldi Constantiensis, nunc primum in lucem deprompta; cum enim hæretici tam diligentes sint in evulgando mendacissimo suo Bennone, summo Gregorii hoste et criminatore, haud decet ut orthodoxi a conquirendis Gregorii defensoribus et advocatis cessent.

Est autem observandum hæc opuscula fuisse composita a Bernaldo, occasione decretorum, quæ Gregorius pontifex contra Simoniacos, concubinarios, et clericos conjugatos diversis temporibus sub pœna excommunicationis promulgaverat, addito interdicto ne quis hujusmodi sacerdotum missis interesset. Hujus sanctionis plerique ex supra dictis auctoribus mentionem faciunt, quæ et a Gratiano in volumen Decretorum relata est distinct. 81 : *Si qui sunt presbyteri, diaconi vel subdiaconi qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis, ex parte Dei omnipotentis et S. Petri auctoritate, ecclesiæ introitum, usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in suo peccato perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum audire præsumat, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, testante Domino per prophetam : « Maledicam, inquit, benedictionibus vestris* (*Mal.* II). » *Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele testante : « Peccatum ariolandi est, non obedire, et quasi scelus idololatriæ, non acquiescere* (*I Reg.* XV); » *et beato Gregorio astruente : Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.*

Hinc nonnulli, quorum haud postremus Sigebertus in Chronico, ansam arripuerunt calumniam struendi Gregorio, quasi crederet sacramenta ab improbis et excommunicatis valide administrari non posse,

A errore jam olim in priscis hæreticis, nominatim in Donatistis, damnato. Nonnulli etiam, quamvis Gregorio addictissimi, non malo animo, sed nimirum nimio adversus schismaticos, Simoniacos et concubinarios zelo provecti, defendere hoc ipsum institerunt, quasi rectæ et sanæ doctrinæ, atque adeo ipsi etiam sedi apostolicæ consentaneum; ex quorum numero unus fuit Bernardus ille Corbeiensis, ut apparet ex epistola ejus quam infra habes, et supra id etiam ex Bertoldi Constantiensis Chronico adnotavimus.

Erant præterea non pauci qui Gregorii decreta vellicarent, traducerent et repudiarent, quod carni et sanguini, et corruptissimis cleri moribus parum grata et amica acciderent. Quocirca ubicunque B promulgabantur, clerici propemodum in rabiem versi quidvis potius ferre volebant, quam licentiæ suæ imponi fibulam. Audi Lambertum : *Hildebrandus papa cum episcopis Italiæ conveniens jam frequentibus synodis decreverat ut secundum instituta antiquorum canonum, presbyteri uxores non habeant; habentes, aut dimittant, aut deponantur; nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur qui non in perpetuum continentiam vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras litteras ad episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens ut ipsi quoque in suis Ecclesiis similiter facerent, atque a contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum protinus vehementer in-* C *fremuit tota factio clericorum; hominem plane hæreticum, et vesani dogmatis esse clamitans; qui oblitus sermonis Domini, quo ait : « Non omnes capiunt verbum hoc; qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX) » : *et Apostolus; « Qui se non continet, nubat; melius est enim nubere quam uri* (*I Cor.* VII); » *violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum; et dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi et immunditiei frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, et tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset.*

Nihilominus ille instabat, et assiduis legationibus D *episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat; et nisi ocius injunctum sibi negotium exsequerentur, apostolica se censura in eos animadversurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non parvo constare operam hanc, ut tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis; et primo eis in dimidium annum inducias et deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod necessario faciendum sit, sponte faciant; et tam sibi quam Romano pontifici necessitatem adimant aliquid in eos quod secus sit decernendi. Ad ultimum, congregata synodo in Erfordia mense Octobri, pressius jam imminebat, ut, relegata omni tergiversatione in præsentiarum, aut conjugium*

abjurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas econtra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisque improbitatem eludere sententiamque cassare niterentur. Cumque adversus apostolicæ sedis auctoritatem, qua se ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam, compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesque proficerent, egressi, tanquam ad consultandum, consilium ineunt, ut in synodum non redeant, sed injussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant melius sibi videri ut, in synodum regressi, ipsum episcopum, priusquam exsecrabilem adversum eos sententiam promulgaret, cathedra episcopali deturbarent, et merita morte mulctato, insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum ejus, talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret, etc. Hæc Lambertus de clericis, eodem argumentandi genere usis, quo hodie Lutherani et Calviniani prædicantes contra cœlibatum utuntur.

Rex quoque et aulici invitissimi tam lautos et opimos bolos ecclesiasticorum bonorum, quos jam avidis faucibus apprehenderant, eripi sibi patiebantur, nec libertatem ecclesiasticam regio et regiorum dominatu miserabiliter oppressam in libertatem pristinam revocari volebant. Hinc in Gregorium commune omnium ordinum odium, et ex odio, ut fit, maledicta, figmenta, mendacia et quidquid splendida bilis suggerit.

Ut igitur his et id genus aliis Bernaldus noster obviam iret, has lucubrationes edidit, et sacramenta ab excommunicatis valide administrari in primo tractatu et in aliquot epistolis demonstravit. De continentia itidem epistolarem velitationem cum Alboino iniit; qui initio pro conjugiis clericorum dimicans, iis propemodum hastis rem gessit quibus hodie hæretici continentiam universim oppugnant. Integram quoque pro synodalibus Gregorii decretis apologiam contexuit, oculatus testis eorum quæ tunc a schismaticis in imperio turbulenter et flagitiose gerebantur. Nec Gregorius VII unquam ea causa fidelibus interdixit, ne concubinariorum missas adirent, quasi arbitraretur, sacramentum corporis et sanguinis Christi valide ab illis non confici et immolari; sed quia inveteratus et nulla facili medicina expugnabilis morbus, hoc tam durum remedium eo tempore exposcebat, *nempe nullatenus convenit,* ait S. Anselmus in Epistola ad Wilhelmum abbatem Hirsaugensem, *ut ibi reverenter astetur, ubi pertinaciter, aperta et impudenti libidine fetentes; Dei et sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt; imo non deserviunt, sed quantum ad ipsos, commaculant. Non, quo quis ea quæ tractant contemnenda, sed, tractantes, exsecrandos existimet, ut, qui Dei et angelorum præsentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant. Nec ullatenus oportet ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exsortes altari deservientium.* Verum enimvero antequam ipsum Bernaldum audimus, non abs re erit disquirere quis iste Bernaldus fuerit. Sic igitur habeto.

(*Vide infra in Monumentis Gregorianis.*)

AD PAULI BERNRIEDENSIS

LIBRUM

DE REBUS GESTIS GREGORII VII PONTIFICIS MAXIMI

PROŒMIUM JACOBI GRETSERI

Societatis Jesu presbyteri.

(*Jacobi Gretseri Operum tomo VI, pag.* 120.)

Reverendissimo et illustrissimo principi ac domino, domino JOANNI GODEFRIDO, Ecclesiæ Bambergensis episcopo, etc., JACOBUS GRETSERUS.

Cum superiore anno, reverendissime et illustrissime princeps, tomum secundum Defensionis Bellarminianæ, in qua de Christo ejusque in terris supremo vicario disputatur, evulgarem, addidi ad operis calcem apologiam (285*) peculiarem pro Gregorio VII pontif. max., eo quod hunc unum præ cæteris ex toto pontificum numero hæretici nostræ ætatis, et schismatici superioris memoriæ, pessimis modis oderint, et infinitis maledictis et conviciis lacerent, omniaque venenatæ suæ linguæ spicula in hunc, velut in primarium scopum, suum destinent, et destinata emittant, idque non aliam ob causam, si rem ad vivum resecare et penitius introspicere velimus, nisi quia Gregorius ecclesiasticæ libertatis et disciplinæ constantissimus et imperterritus asser-

(285*) Hanc habes supra.

tor ac vindex fuit; nullis minis nullisque periculis (quæ plurima subiit) de recto tramite sese abduci passus; cujus integritati, innocentiæ et sanctimoniæ, cum varia alia luculentum testimonium præbent, tum hoc præcipue quod viri iis temporibus et paulo post subsecutis doctissimi, et virtutis laude celebratissimi, in schismate excitato ad Gregorii partes intrepide se adjunxerunt; quorum nonnulli maluerunt omnium rerum suarum jacturam facere et in exsilium abire, quam fidem, reverentiam et obedientiam erga sedem apostolicam perdere.

Quos inter familiam ducunt: Anselmus Lucensis, Anselmus Cantuariensis, Hermannus Metensis, Altmannus et Udalricus Passavienses, Gebhardus Constantiensis, Gebhardus et Thiemo Salisburgenses, Anno Coloniensis, Burckhardus Halberstatensis, omnes archiepiscopi et episcopi; itemque Wilhelmus abbas Hirsaugiensis, vir religionis opinione apud omnes decantatus, ut alios sileam.

Nec defuerunt ex eruditorum cœtu, qui litterarum monumentis posteritati testatum facerent, quam sedulus et indefessus Ecclesiæ pastor Gregorius VII fuerit, quanta cura et vigilantia ovile Christi rexerit, et quam mendaciter et calumniose a schismatum satoribus traducatur, quasi in ipso omnis omnium turbarum et turbationum causa et culpa hæserit, aut etiamnum hæreat.

Ex his Gregorii VII apologeticis defensoribus duo claruerunt olim in Bavaria sub Henrico IV et Henrico V regibus et imperatoribus, Paulus Bernriedensis, et Gerochus Reicherspergensis; sed, quod dolendum, eorum pro Gregorio VII monumenta ita fuere nata, quasi nata non fuissent; longa oblivione tenebrisque obruta : quæ aliquando exstitisse forsan ignorassemus, nisi Aventinus, qui vidit et legit, indicium fecisset in Annalibus Boicis. Nec vidit tantum Aventinus, sed, ut videtur, posteris quoque invidit, ne haberent quos Pseudobennonis in Gregorium VII furiosissimis criminationibus opponerent. Utcunque sit, numine bene amico, tandem in Paulum Bernriedensem variis in bibliothecis studiose, imo et anxie quæsitum, incidi. Nec de Gerocho, socio scriptoris et calamitatum quas Paulus a schismaticis pertulerat, spem omnem penitus posui.

Interea, dum iste investigatur, et ex caligine in lucem vindicatur, Paulum notis illustratum foras prodire jussi; et quidem sub tuo patrocinio, reverendissime et illustrissime princeps. Decebat enim ut in hac publica et solemni bonorum omnium lætitia, partim sibi, partim, et vero potissimum, nobilissimæ Bambergensi Ecclesiæ et diœcesi gratulantium ob elsitudinem V. ad thronum S. Othonis evectam : partim quoque, pia vota pro celsitud. V. diuturna incolumitate, et auspicata episcopatus et principatus administratione suscipientium, ego itidem ex Bavaria concepti passim gaudii significationem palam darem.

Cum S. Basilius ad archiepiscopatum Cæsariensem communi omnium orthodoxæ fidei amantium A approbatione et lætitia evectus esset, misit ad eum S. Gregorius Nazianzenus gratulatoriam epistolam (epist. 24), quam hunc in modum auspicatur : *Posteaquam te in sublimi throno collocatum, ac lucernam ne illam quidem, prius obscure lucentem, a spiritu victore, supra candelabrum oculis omnium expositam esse intellexi, lætatus sum, fateor. Quidni enim? cum Ecclesiæ corpus male affectum esse, atque hujusmodi ductu et auxilio opus habere conspicerem.*

Liceat, illustrissime præsul, aperte et ingenue, bona cum celsitudinis vestræ venia, id quod res est, proloqui. Simul atque fama, alioqui tam pravi quam recti tenax, et tam falsi quam veri nuntia, ad nos electionem C. V. detulit, et quidem verissime; B omnium catholicorum, quotquot vidi, idem, qui olim Nazianzeni, Basilio episcopali tiara insignito, animus et animi index, oratio fuit : multis cum Gregorio, Gregorii Nazianzeni parente, in has voces erumpentibus (*epist.* 23, *inter epist. Nazianzeni*) : *Alii quidem alios eligent, atque in medium proponent, nimirum pro suis quisque moribus, aut commodis, quemadmodum hujusmodi rebus accidere consuevit. Vos vero neminem : neque enim fas est*, non jam Basilio, sed JOANNI GODEFRIDO *ab Aschausen, præferre possumus. Ecquem enim ex omnibus, quos novimus, vel vita probatiorem, vel sermone ac doctrina valentiorem, magisque ad virtutis elegantiam undique perpolitum reperiemus?*

Nec sane immerito commune gaudium exoritur, C cum alicui Ecclesiæ gubernator sedulus et in omnes partes intentus præficitur. Nam, ut idem Gregorius ait (*epist.* 22) : *Lucerna corporis est oculus non hic tantum qui corporeo modo cernit ac cernitur, sed is etiam qui spiritualiter spectat et spectatur Lucerna autem Ecclesiæ est episcopus. Itaque quemadmodum cum ille pure et integre se habet, corpus quoque recte ducitur; cum autem impurus est, non recte : consimili quoque ratione, utrolibet modo sese Ecclesiæ antistes habuerit, omnino vel periculi vel salutis particeps esse necesse est.* Hæc verissime sanctissimus simul et doctissimus episcopus Gregorius Nazianzenus.

Porro cum hoc tempore in supellectile mea litte-D raria et libraria, nihil quo celsit. V. partam dignitatem gratularer, præter PAULUM, reperirem; non dubitavi hunc ad celsit. V. internuntii vice functurum, ablegare. Si enim tertio abhinc anno *Prædicantem Vapulantem* a me oblatum tam benevole excepit; quid sibi Paulus non poterit polliceri; qui pontifice maximo, et quidem tali ac tanto, comitatus venit; nec pontifice tantum, sed et cardinale, eoque clarissimo et eruditissimo Cæsare Baronio; celsit. vestræ, nil ambigo, propter aureos Annalium tomos, in amore et pretio : a quo Calvinianas aspergines apologetica, ut si loquar, spongia abstersi, quemadmodum olim Paulus a Gregorio VII schismaticas. Et hoc totum, quidquid est lucubrationis, celsit. V. ut libenter, sic et reverenter dico et offero,

donec aliquid dignitate et fastigio celsit. V. dignius occurrerit : Deo submisse supplicans ut Ecclesiæ Bambergensi moderatorem vigilantissimum; societati nostræ patronum singularem; et omnibus litteratis benevolentem Mæcenatem quam diutissime incolumem et superstitem, semperque donis et subsidiis cœlestibus florentem præstet.

Ingolstadii, 19 Martii, anno Redemptoris 1610.

PROLEGOMENA IN VITAM GREGORII VII PONTIFICIS MAXIMI.

Rogo te, amice Lector, ut prius hæc præloquia legas, quam ad commentarium hunc lectitandum accedas.

Quis fuerit Paulus Bernriedensis.

Id nobis explicatum dabit Aventinus lib. v Annalium Bojorum : « Legi multos, præsertim Paulum Bernriedensem, Gerochum Reicherspergensem antistitem, Augustinianos Mystas, in Bojaria ortos. Uterque de hujuscemodi discordia perniciosa libros edidit, uterque pars hujus tumultus fuit. Ille, Reginoburgii; hic, Augustæ primariæ ædis sacerdos, ambo rebus Hildebrandi studuere. Quamobrem sedibus pulsi, in exsilium acti sunt. » Ita Aventinus.

Paulum fuisse sacerdotem seu canonicum Ratisbonensem planum fit ex Vita virginis Herlucæ, cap. 43 et 44. Ratisbona pulsus Bernriedi seu Beronicæ institutum Canonicorum Regularium amplexus videtur, non prius : etsi prius etiam declinandæ Henricianæ persecutionis causa Ratisbona subinde se subduxit, ut ex eadem Historia de beata virgine Herluca liquet.

Idem Aventinus ibid. : « Gregorium, virum sanctissimum pervicaciorem exstitisse, Paulus Bernriedensis, qui ejus Vitam libris duobus complexus est, et reliqui ejus partium acerrimi propugnatores, produnt. » Nescio quibus oculis Aventinus Bernriedensem legerit. In meo certe Paulo nullum vestigium vel accusationis vel notæ hujus de pervicacia apparet. Et adeo Gregorius in hac causa pervicax non fuit, ut quoties Henricus rex; vel minimam emendationis significationem daret; eum in gratiam et communionem sedis apostolicæ recipere paratus fuerit. Certe tantum abest, ut Saxones Gregorium pervicaciæ arguerint, ut eum propemodum nimiæ lentitudinis in Henrico damnando insimularint, datis ad eum epistolis, quas suæ Historiæ de bello Saxonico Bruno intexuit. Et ipsa oratio Gregorii ad sanctos apostolos Petrum et Paulum, cum ultimo Henricum excommunicavit, recitata a Paulo, satis ostendit quam nihil Gregorius hoc in negotio pertinaciter egerit.

Pergit Aventinus : « Gerochus quoque (quo nemo acrius scriptis libris Hildebrandum tutatus est, utpote qui crimina Cæsari objecta, quæ apud nullum alium legerim, explicat) tandem suæ partis pertinaciam, ne dicam tyrannidem hisce verbis, coactus veritate, notat. « Romani, inquit, sibi divinum « usurpant honorem, rationem actorum reddere « nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt : Cur ita « agis? » etc.

Gerochum non vidi; utinam aliquando videam! Sed ex iis quæ de Gerocho narrat ipse Aventinus, et ex Aventini ingenio, exque illis itidem quæ Paulo Bernriedensi affingit, æstimare licet qua fide hæc de Gerocho prodiderit. Credam talia a Gerocho effusa, cum meis oculis ea in Gerocho legero.

Idem Aventinus : « Paulus Bernriedensis narrat, episcopum quemdam, dum pro concione Hildebrandum vituperat, fulmine tactum esse; dumque ageret animam, dixisse : « Ignea catena constrictus trahor ad inferos : ite, nuntiate Cæsari ut resipiscat, et flagitium in Deum, divum Petrum ejus vicarium, commissum, officiis compenset, nisi me antecedentem æterna supplicia subsequi malit. » Eodem quoque die, nempe Paschalibus, quarto Kalendas Martii, ut idem Paulus recitat, episcopus Spirensis, Gregorio septimo iniquus, ab eodem Kalendis Martii devotus, animam efflavit. Gregorio Salernum profugo intrante, civis quidam dixerat : « Auctor dissensionis, qui totum orbem terrarum armis et bellis involvit, hujus urbis quoque quietem conturbaturus advenit. » Mox ille, his dictis, obmutescit : deductus ad Gregorium, errorem suum confitetur, ab eodem sanitati restituitur. Benried collegium est flaminum Augustalium superioris Vindeliciæ, propter Verrem lacum, supra Monachium quindecim millia passuum, ibi Herlucæ sacratæ feminæ sepulcrum ostenditur. Ea illa tempestate vixit, et nocturnis superum, et inferum congressibus, secretisque colloquiis interesse consueta, narrare solita fuit; exsecratos flamma omnium ardentissima excruciari. »

Hæc omnia, ut ab Aventino commemorantur, exstant in hac, quam nunc evulgamus, Gregorii Vita, ut et illa quæ de Rulando, Parmensi clerico, et de *ovo* prodigioso commemorat. *Ille* (Rulandus) *vix ope Gregorii* (ita Paulus refert) *evasit*. Et quidquid Aventinus illic scribit, id ferme ex Paulo Bernriedensi decerptum esse, perspicue docebit Aventinianæ narrationis cum hac Vita collatio. Excipio tamen calumnias quas Aventinus suæ historiæ subinde aspergit; nam has aut ipse ex suo capite extudit; aut ex Apologia innominati auctoris pro Henrico IV accepit; et valde suspicor indidem depromptam hanc Aventino assertionem : « Opes quoque ecclesiasticas, quibus hactenus pauperes alebantur, militibus et rei bellicæ peritis largitus est (Gregorius VII). Quod et Hildebrandini Gerochus et Paulus non inficias eunt, et hic, tanquam benefactum excusat, et id licere defendit. » Non invenio hanc excusationem et defensionem in nostro Paulo.

ın Aventinus non copiosiorem, sed obsequentiorem A Paulum habuit, ita ut quidquid ipse male in Gregorium affectus, vellet, diceret?

Unde constet Paulum Bernriedensem esse hujus commentarii auctorem.

Codex ex quo hujus Vitæ exemplar desumptum st, non præferebat nomen Pauli Bernriedensis. Jnde ergo liquet hunc fetum Paulo ascribi debere? Respondeo id manifestum fieri ex Aventino, cujus Codex Pauli Bernriedensis nomen præscriptum gerebat; omnia autem quæ Aventinus ex Paulo suo recitat, in hoc nostro reperiuntur, ut antea diximus. Nec refert quod in nostro exemplari non sit listinctio operis in duos libros; duobus enim libris, Paulum Gregorii Vitam complexum esse testatur Aventinus, quia collector Vitarum Wolfhardus, de B quo paulo post, qui Vitam Gregorii cum cæteris in unum volumen conjecit, hanc forte distinctionem sustulit, ut non raro in omni genere librorum accidit. Sane historia quam nunc evulgamus prolixa est, et commodissime in duos libros secari potest.

II. Paulus Bernriedensis scripsit Vitam Herlucæ virginis, cujus bonam partem transtulit in Vitam S. Wicterpi, episcopi Augustani, reverendus et perdoctus Pater, Carolus Stengelius. ord. D. Benedicti ad S. Udalricum Augustæ Vindelicorum, quam tibi nunc integram infra exhibeo. In eo libello testatur Paulus se itidem Vitam Gregorii litteris mandasse; et quæ de cœlesti quadam visione Herlucæ oblata in Actis Herlucæ scribebat, jam in commentario C De rebus gestis Gregorii VII explicasse. At quidquid Paulus in Vita virginis Herlucæ scribit de Christo qui, clara die, vulneratus a multo sanguine stillans, sese ei conspicuum præbuerat, id exstat in hac Vita non procul a fine, ut ibidem adnotavimus, quemadmodum et illa quæ de Adalberti presbyteri de Rota interitu in Vita Herlucæ virginis commemorantur. Ex quibus perspicue elucescit Paulum Bernriedensem utriusque lucubrationis auctorem esse.

Scripsit Paulus Vitam Gregorii VII anno Domini 1131. Id inde planum efficitur quia ad calcem hujus commentarii ita loquitur de Udalrico episcopo Passaviensi, Altmanni successore. « Hic (Thiemo seu Teodemanus archiepiscopus Salisburgensis) ordi- D naverat nostræ humilitatis ordinatorem reverendissimum scilicet Udalricum Laureacensem sive Pataviensem episcopum atque apostolicæ sedis legatum qui ante hoc septennium, post multos agones, pro assertione Gregoriani dogmatis, etc., obdormivit in Domino, » etc. Obiit autem Udalricus VII Idus Augusti anno 1124 (tametsi Chronica Australis obitum ejus ponit anno 1121). A quo anno si septennium numeres, annum Redemptoris 1131 invenies.

Meminit etiam Paulus in hac sua Historia Callisti secundi et Gelasii secundi, pontificum Romanorum, quorum hic pontificatum iniit anno 1118, Callistus anno 1119.

Exstat porro apud Baron. anno salutis 1106 epistola Paschalis secundi ad Udalricum seu Odericum Passaviensem, et ad Gebhardum Constantiensem episcopos.

De eodem Bertholdus in Chronico anno 1092: « In Bavariam venit Saltzburgensis episcopus Dimo (Thiemo) qui Pataviensi Ecclesiæ jam dudum viduatæ ordinavit episcopum nomine Udalricum, sanctæ Augustensis Ecclesiæ præpositum, eumque in ipso die Pentecostes cum ipso Constantiensi et Wormaciensi solemniter consecravit; hocque magnam fiduciam dedit catholicis ut in fidelitate S. Petri persisterent et schismaticorum vesaniæ indefessius obsisterent. »

Quis qualisque fuerit codex, ex quo hæc Historia descripta est, malo cognoscas verbis clarissimi et doctissimi viri, Sebastiani Tengnagelii, absque cujus ope et opera foret Paulus adhuc in tenebris cum situ et squalore, cumque blattis ac tineis decertaret; fortassis sine ulla spe missionis. Ita ergo ille ad me Vienna: « Paulum illum tuum, diu multumque perquisitum, nisi me conjecturæ fallant, feliciter eruisse videor. Exstant enim apud me Vitæ Sanctorum, mensium Aprilis, Maii et Junii unico tomo in grandi vastoque volumine comprehensæ, auctore Wolfhardo quondam (ut e præfatione in Junium liquet) collectæ, et in membranas redactæ, notæ satis probæ, et ante quadringentos præter propter annos conscriptæ. Hisce extremo Maio Vita Gregorii VII papæ adjecta est; cujus initium sic se habet: « Igitur Gregorius VII, supra « quem vere primi Gregorii requievit spiritus, na« tione Tuscus, patrem habuit Bonicum, et ipse « Hildebrandi sortitus est in baptismo vocabu« lum, » etc. Hinc in laudes ejus excurrit, et nonnulla miracula memorat. Deinde ubi ad Rulandum Parmensem ventum est, quod ex Paulo Aventinus affert, Noster pium patrem, id est Gregorium, toto corpore se super eum (Rulandum, ne obtruncaretur) projecisse, omnibus de ejus morte clamantibus, narrat. Hæc oratio Gregorii, quam et Aventinus leviter perstringit, excipit. Addit et de gallina ovum mirifico cælatum opere pariente. Quare, in eam adducor sententiam, ut Aventinum hunc auctorem et habuisse, et nonnullis in locis qua verba, qua sensum sublegisse, non vane existimem. Quod vero Aventinus Paulum hunc duobus libris vitam Gregorii complexum esse testatur, cum noster in libros distinctus haud sit, censeo Pauli opusculum in Epitomen hanc a Wolfharto esse contractum. Ut ut sit, Auctor proximus ætati Gregorianæ haud longo intervallo fuisse videtur. In extrema siquidem pagina, ubi obitum Theodomari Juvaviensis episcop commemorat, hæc subjicit: Hic (*videlicet Theodomarus*) ordinaverat nostræ humilitatis ordinatorem, reverendiss. scilicet Udalricum Pataviensem episcopum, qui ante hoc septennium post multos agones pro assertione Gregoriani dogmatis, cujus ad

normam et electus, et promotus fuerat, obdormivit in Domino anno ætatis suæ CV, » etc.

Hæc vir ille doctissimus et humanissimus. A quo tamen de epitome vix persuadeor. Nam in hac nostra Historia adeo fuse Gregorii VII res gestæ describuntur (excepta Berengarii damnatione, quæ a Paulo præteritur) ut nemo majorem copiam merito desiderare possit.

In hac itidem Gregoriana Historia ex vetere exemplari exscribenda, et cum autographo conferenda, egregiam plane et fructuosam catholicæ rei operam cepit R. P. Georgius Sturnus societatis nostræ, in collegio Viennensi philosophiæ professor, cui proinde, ut et clariss. Tengnagelio, Paulus Bernriedensis salutem vitamque suam; et omnes veri amatores, et Schismaticorum atque Hæreticorum osores grandes gratias debent. Utinam alterum exemplar nancisci licuisset. Ego certe ut nanciscerer, nullis laboribus peperci. Sed frustra feci; hactenus quidem; sed non despero. Erit, qui a nobis inchoata perficiat, etiam Gerocho in lucem extracto. Fiat, fiat; neque enim aliud occurrit quo desiderium meum explicem.

De etymonominis Hildebrandi.

Placet audire quid originationum investigatores de etymo hujus vocabuli *Hildebrandus* tradiderint; cum enim sectarii hoc nomen semper in ore circumferant, et Gregorium VII papam vix unquam *Gregorium*, sed fere semper *Hildebrandum* appellitent, dispicere oportet, num sit ejusmodi nomen, quod Gregorio probri loco oggeri jure queat, et num satis causæ habeant, cur Hildebrandum in *Hellebrandum*, veteres schismaticos imitati, transforment.

Anonymus de propriis nominibus Germanorum, quem quidam Lutherum existimant. Exstat tomo primo operis historici editi Basileæ, anno 1574. Et separatim quoque Ursellis anno 1569 expresse sub Lutheri nomine libellus iste evulgatus est. « Est *Brynn* seu *Brenn* (ut antiqua carmina heroum [*Heldenbuech*] indicant) galea, præsertim cristata seu cornuta; ergo Brennus est Galeatius, et Brennburg vel ducis Brenni castellum vel Brennorum, ceu præsidium Galeatorum et armatorum ad tutandam regionem. Et scarabeus iste majusculus, qui galeatus rubris cornibus et alis testaceis armatus, Husbrenner dicitur in nostra regione. Hiltebrand pro Heltbrenn, id est gigas et heros Brennorum, ceu caput et dux eorum, hodie *Hauptmann uber den reisigen Zeug*; Helt enim heroem, velut Achillem vel Hectorem significat. Luitprand rex Longobardiæ pro *Lutbrenn*, id est hominum galeatus, qui homines armis tutatur, diximus enim *Luit*, *Lyt*, seu Suevice *Leute*, significare homines numero plurali. » Licet vero in hac etymologia nimis violenta videatur mutatio *Brand* in *Brenn*, inde tamen elucet *Hildebrandum* Luthero non esse *Hellebrandum*, hoc est *inferni titionem*, ut Lutherani et Calviniani nunc calumniantur, sed *Brennorum*, hoc est, *galeatorum ducem, caput, præsidium et tutamen*. Et vere talis *Hilde-*

A *brandus* fuit Gregorius VII. Heroem enim, ducem et antesignanum se præbuit illi exercitui, ad quem hæc apostoli Ephes. VI exhortatio exstat : « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, etc., et galeam salutis assumite, » etc. Quanta enim bella heros iste, et ut Germani appellant, *Helde* (a quo Lutherus Hiltebrandi nomen deducit) susceperit, et feliciter tam contra aspectabiles quam inaspectabiles hostes confecerit, abunde docent cum alii, tum Paulus noster; ita ut non nisi nutu divino Hiltebrandi nomen ei primitus obtigerit, pro cujus tam honesta etymologia, est quod Luthero, alioqui immerentissimo, gratias agamus : si tamen Lutherus est auctor libelli, de quo antea.

B A prædicta originatione non multum abit alia Goldasti Calviniani, qui in notis ad Paræneses Tyrolis Scotorum regis putat eos qui nominantur *Celtæ*, veteribus fuisse *Cheld*, aut aspiratione duplicata *Hheld*, qui nobis nunc *Held*. Sic *Hiltebrandum* dictum, quasi *Chelte Bren*, hoc est *Celtam Brennum*; et ab eadem origine descendere itidem ista : *Hiltebolt*, *Hiltiman*, *Hiltiwin*. Et mulierum nomina *Hiltigart*, *Hiltrut*, *Hiltegunt*, *Adilhilt*, *Reginhilt*. Ubi iterum vides, in *Hildebrandi vocabulo* nihil esse *infernale* seu *Tartareum*, ut hæretici criminantur, sed omnia heroica, ab *Celta* seu *Heroe* et galea.

Aventinus in Nomenclatura propriorum nominum. C *Helt*, *Heros*, *Hyld*, *Huld*, *amor est*. *Hyldeprand*. *amoris titio*. Idem habet, *Luitprand*, *populi titio et amor*. Sed *prand* sive *brand* in istiusmodi compositis pro *titione* accipi multis parum fit verisimile : licet ita etiam sentiat Paulus noster in ipso Historiæ suæ vestibulo. Utcunque tamen sit, neque Aventino in mentem venit, etymon *Hildebrandi* ex Orco petere, sed ab *Heroe* vel *amore* sumpsit; cujusmodi multa propria nomina Germani habent, ut *Huldreich*, *Huldenreich*, *Amor Regni*, sive *amoris dives et plenus*. Vulgo, *Ulricus*. Priscis, *Hildericus*. Celtis, *Chyldericus*. *Hyldeprecht*, *amari dignus*. *Hyldebertus*, Celtis, *Childebertus*. *Hyldegart*, *amoris hortus*. Hujus generis plurima invenies vocabula tam virorum, quam mulierum in Catalogo nominum D propriorum, quibus Alemanni quondam appellati fuerunt, tom. II Script. Alemannicorum.

Fuit quoque majoribus nostris *Brand gladius*. Quo sensu voce illa poetæ Itali etiamnum utuntur. Quid si igitur *Hiltebrand* seu *Hildebrand*, sit *Herois*, vel *amoris gladius?* Nam ridiculus mihi ille videtur, qui in libello, quem inscripsit, *Etyma variorum nominum*, etc., nobis hanc originationem procudit. *Hillebrant*, *Hillebrandus*, *Hillam ardens*, *amans*, *procans* : Saltem dixisset. *Hilt*, seu *Hiltam* amans; nam hæc duo sunt mulierum nomina, ut ex proxime citato catalogo constat. Hactenus de nomine *Hildebrandi*.

Gregorium Græcis idem esse quod Latinis *Vigilium* et *Vigilantium* (jam tamen probrosum et inauspica-

tum nomen, ob *Vigilantium* hæreticum) notius est, quam ut multis demonstrandum sit. Veteribus Alemannis erat Gregorius *Vuachar, Vuachere, Vua-* A *chiri, Vuacho, Vualcho*. Porro Gregorium VII Gregorii nomen non frustra tulisse, norunt cum gaudio catholici; schismatici et hæretici non sine gemitu.

PAULI BERNRIEDENSIS

VITA S. GREGORII VII PONTIFICIS MAXIMI.

(*Vide supra col.* 39.)

EXCERPTUM EX GRETSERI DISSERTATIONE

CUI TITULUS :

Cæsar Baronius, S. R. E. cardinalis amplissimus, a rationalis Calviniani criminationibus vindicatus et in eo cum alii pontifices Romani, tum Gregorius VII, per Jacobum Gretserum, societatis Jesu theologum.

(Opp. Jacobi Gretseri, VI, 224.)

DE CONCILIO WORMATIENSI CONTRA GREGORIUM VII.

De hoc videndus Baronius tom. XI, anno salutis B 1076, qui ex Alberto Stadensi refert Saxonicos episcopos nequaquam in depositionem Gregorii VII consensisse. Obstrepit Calvinista, « sibi Albertum non esse ad manum, itaque se non posse decernere. » At Baronio ad manum erat. Audi ipsa Alberti verba. « Anno Domini 1076 habitum est concilium apud Wormatiam, præsente Henrico rege, in quo universi fere Teutonici episcopi, præter Saxonicos, Gregorium papam abdicarunt. »

Furiosissime incurrit Calvinista in Baronium, et, ut eo uberiorem insectandi materiam habeat, ex suo cerebro affingit Baronio, eum dicere, « Reinerum Reineccium primum fuisse, qui Vitam Henrici IV et Bennonem de Gregorio VII evulgarit. » Ostendit hoc falsum esse. Bene facit, quia non Baronii, C sed suam falsitatem patefacit : nam Baronius dixit Reineccium fuisse *editorem*; *primum* fuisse, non dixit. . . . .

Refellit Baronius epistolam Henrici ad Annonem archiepiscopum Coloniensem tanquam suppositiam, quia Anno archiepiscopus anno præterito, hoc est 1085, jam obierat; et tamen anno 1086 invitatur ad synodum Wormatiensem. Calvinista, ut hinc se expediat, transmutat *Annonem* in *Hildolphum*, et huic epistolam ab Henrico inscriptam dicit. Quod commentum neque Reineccio, neque Urstisio, neque Reubero, neque ulli alteri in mentem venit. Omnes enim isti ediderunt hanc epistolam cum *Annonis* non *Hildolphi* nomine. Id fecundæ suæ criticæ Calvinista D debet, qua instructus nodos etiam indissolubiles dissolvit.

Ejusdem critices beneficio transformat *Pentecosten*, quæ ad calcem epistolæ Henricianæ apparet, in *Heptecosten* seu *Heptacosten*: novam et in Latina Ecclesia inauditam vocem pro *Septuagesima*. Hanc critices rationem si sequi velimus, vix ullus error tam manifestus erit, cui ex apotheca critices non sis facturus medicinam, si hoc est medicinam facere, et non potius omnia susque deque vertere. Ipso epistolæ exordio satis figmentum Calvinisticum redarguitur; nam auctor illum ad quem scribit non tanquam nuper factum, sed ut veteranum et multorum meritorum principem laudat; quod de Hildolpho dici nequit, qui recentissimus in episcopatu erat tempore conciliabuli Wormatiensis; nam ut Bertoldus Constantiensis in Chronico testatur. « Aimo seu Anno venerabilis archiepiscopus Coloniensis, miræ sanctitatis requievit in pace XI Nonas decembris 1075, cui Hiltolfus, impar genere et moribus, successit. » Et statim post in Septuagesima anni 1076 initium est Wormatiense synedrion.

Ait Baronius a nemine unquam memoriæ proditum, legatos Henrici ita acceptos esse a Gregorio VII, prout architectus hujus epistolæ comminiscitur. Calvinista non sine immanibus conviciis Baronio *Aventinum* obtrudit. Hoc scilicet restabat; quasi vero Baronius non de antiquis, sed de recentibus istis, et hæresi infectis scriptitatoribus hoc pronuntiarit. Profer, si potes, priscum canumque testem; nam hunc novitium, oris et styli tam mali, nihil pendimus. Ne in Bennone quidem fabulam hanc de legatis invenies.

In Vita S. Anselmi Lucensis vocatur depositio Gregorii VII « facinus a sæculis inauditum ». Ita

etiam ipse Gregorius in quadam epistola. Objicit Calvinista : « Papas sæpe esse depositos ab imperatoribus et synodis. » Et mox recitat ex suo Illyrico epistolam episcoporum Galliæ et Germaniæ « ad Anastasium II pontificem Romanum, qua papam et Italicos episcopos monent ut se missos faciant, nec deinceps tyrannidem super eos exercere pergant. » Aliam item affert episcoporum Germaniæ et Belgii ad Nicolaum I, ex synodo Coloniensi anno 863. Sed nec illi qui ad Anastasium scripsisse dicuntur, nec qui ad Nicolaum, vel hunc vel illum a sede dejecerunt et excommunicarunt, ut Wormatiensis conciliabuli præsules fecerunt; qui adacti sunt non quomodocunque, sed jurejurando interposito, certa in id præscripta formula (quæ exstat apud Brunonem De bello Saxonico) Gregorium VII exsecrari et deserere. Cujus pseudosynodi si omnes circumstantias perpendamus, jure optimo id quod ab illis factum est « a sæculis inauditum facinus, » et cujus nullum simile exemplum produci queat, nominari potest. Nam cætera omnia quæ aliquando contra jus et fas adversus pontifices acta sunt, etiam depositio Joannis XII in pseudosynodo Romana, minorem turpitudinem annexam habent: quia turpitudo vitæ qua Joannes sese a calce ad verticem A usque fœdaverat, aliquo modo eos qui Joannem deponere tentarunt, excusare poterat, quæ in Gregorio VII, vitæ inculpatissimæ viro, locum nullum habebat.

Sed ut aliquid dicam de epistola ad Anastasium, nulla ejus apud illum probatum scriptorem mentio exstat. Exscripsit eam Illyricus in Catalogo ex schedis et adversariis manuscriptis Aventini, nec novit unde eam Aventinus acceperit. Et ego epistolæ cujus origo et natale solum nesciatur fidem habeam? Dubitat quoque Illyricus num ad Anastasium primum an ad secundum missa fuerit. Omnium rectissime sentiet, qui ad neutrum missam credet. Calvinista noster doctior Aventino refert eam ad Anastasium II, anno 497. Quo nullius penitus concilii in Gallia B celebrati ullum vestigium in Annalibus Francicis vel aliis reperitur. Et tamen Calvinista noster titulo appingit hæc verba. *Ex Concilio :* Nomina, quæso, utopicum hoc concilium. Præposuit et titulum, quasi *sit ab episcopis,* cum sit ab Illyrico.

De altera epistola Guntharii et Theutgaudi lege Baronium tom. X, anno Christi 863, num. 18 et seqq. Et videbis sectarios nostros dignissimos esse qui hisce tam perditis patronis et defensoribus rem contra Romanos pontifices agant.

EXCERPTA EX DISSERTATIONE

CUI TITULUS :

Gemina adversus Melchiorem Guldinastum Calvinianum replicatorem vel potius quadruplicatorem defensio : prior pro S. R. orthodoxi et catholici imperii avita majestate, replicationem Calvinianam, imperii hujus vastatricem, accurate examinat et refutat; auctore Gretsero, societatis Jesu theologo; posterior complura monumenta hactenus inedita pro Gregorio VII aliisque pontificibus Romanis Lectori exhibet, editore C. V. Sebastiano Tengnagel. *J. U. D. et Cæsareæ bibliothecæ Viennensis præfecto.*

(Opp. Gretseri, VI, 299.)

I.

De Juramento quod Henricus IV Gregorio VII præstitit.

Hic vehementissime furit Calvinista quod Henricum IV « regem Germaniæ » nominavi : « fuisse enim multorum aliorum regnorum regem. » Cur baccharis, o Calvinista? An ideo negavi Henrici potentiam ultra Germaniæ fines sese extendisse? Si Philippum III nominem « regem Hispaniarum, » an hac appellatione mea illum de utriusque Indiæ, Siciliæ, Neapolis et tot aliorum regnorum possessione deturbo? An injuriam ei facio, si a notissimo et primario regno ei nomen indam?

Ægre fert Calvinista quod imperatores Romani, se « reges Germaniæ » indigitant, aitque Maximilianum I « primum fuisse qui hunc titulum usurparit, et hoc accidisse ex imprudentia consiliariorum. » C Sed, nisi fallor, optimum factum faceret Calvinista si Pragam se conferret, ipsumque sacratissimum imperatorem ejusque consiliarios doceret qui titulus usurpandus sit. Intelligerent enim hunc usurpandum esse. « Rudolphus Romanorum imperator, etc. Rex Francorum, Longobardorum, Hungarorum. » Et dubitamus adhuc, hunc latronis fratrem, totius imperii, ipsius itidem imperatoris, et consiliariorum ejus reformatorem, coronare rosis ex Calvini fimeto decerptis, præsertim cum cap. 26 Tartareæ suæ Replicationis, pag. 267, in hæc verba erumpere non erubuerit : « Quin scito, Galliam et Germaniam non esse Romani imperii regna, sed libera et immediata, et suo jure utentia, imperatorique Romanorum, quatenus est imperator, non magis obstricta, quam Persiam, Æthiopiam, Japponiam. » De Gallia non laboro. De Germania tum tibi fidem habebo, cum mihi testimonio ipsius Cæ-

saris et Cæsareæ curiæ probaveris, imperatorem alio titulo se regem Germaniæ scribere quam titulo imperatoris, hoc est quia imperator est.

II.

De epistola principum imperii ad Innocentium III de electione Othonis VI in imperatorem.

Caput hoc, ut verbosissimum et loquacissimum, sic mendacissimum, et, ut ita loquar, impertinentissimum est; cum mea nec petat, nec tangat, nec feriat, sed nil nisi Calvinistica phasmata et plasmata persequatur; cujus exordium et finis, et quidquid inter hæc duo interjacet, nihil aliud sunt quam aut pseudologia aut lœdoria, aut atopia, aut inanissima phlyaria. Pseudologiam vel in hoc unico exemplo vide.

Mentitur hanc consecutionem esse meam, vel ex mente mea. « Papa Romanus habet jus inungendi, consecrandi et coronandi electum imperatorem Romanorum; ergo sine papæ Romani confirmatione nullus potest esse legitimus imperator Romanorum. Et consequenter, quem nolit papa confirmare, is nec debeat, nec possit esse vel nominari imperator. » Hæc latronis frater ex suo cerebro mihi affingit et admetitur. Nam ex sola inunctione et consecratione nunquam hujusmodi argumentum duxi, certus summo pontifici in imperium Romanum plus potestatis esse quam sit sola et mera consecratio et inunctio electi imperatoris; idque ex ipsorum regum ac imperatorum testificationibus, ex historiis tam sacris quam profanis, ex vetustis litteris et diplomatibus, et ex communi omnium sensu comprobaveram. Quocirca ruunt quæcunque stolidus Calvinista per undecim ferme folia fatuatur, ne dicam bacchatur. Neque in æternum ullum diploma vetus; a priscis imperatoribus, aut litteras ab ipsis imperatoribus posteriori ævo scriptas proferet : in quibus ipsi sese aliter quam reges vel imperatores electos nominent : licet usus hodiernus, et quidèm optimus, ita ferat; ut qui de illis loquuntur, aut etiam illos seu coram seu per litteras alloquuntur, *imperatores* vocent, sine ulla adjunctione, quod jure optimo fit; interim ipsis imperatoribus non est ignotum quis majorum et antecessorum suorum fuerit de potestate summi pontificis in Romanum imperium sensus. Ut enim folia in silvis, sic temporis progessioni tituli cadunt, aliisque alii succedunt, salvo interim uniuscujusque jure. Et si qui historicorum quondam nomen imperatoris regibus non coronatis tribuerunt, id aut lata quadam notione fecerunt, aut nomen imperatoris pro designato et electo imperatore usurparunt, ut jam sæpe dictum est. Nec in alio numero poni debent insanissimi et furiosissimi Calvinistæ hujus logi (Germanicæ *Lugen*) quam in teterrimarum criminationum Catalogo, quando vociferatur, nos negare, « imperatorem hoc ipso quod electus est, plena potestate res imperii administrandi potiri, nec imperatorem, nec Augustum esse aut nominari debere. » Quæ omnia deputes hujus Calvinistæ magistro, a quo omnis calumnia et sycophantia, tanquam prima ab origine manat; cujus spiritu et habitu spirat et halat rabula iste, quidquid spirat et halat, qui vix potest tria verba proferre quin quatuor aut quinque mendacia contineant.

DISSERTATIO

DE OFFICIO SANCTI GREGORII VII

(Dom Guéranger, *Institutions liturgiques*, t. II, p. 450.)

Un des noms les plus glorieux de l'histoire est, sans contredit aujourd'hui, le nom du grand pontife saint Grégoire VII. Une justice tardive, mais éclatante, a été rendue à ce héros de l'Église et de l'humanité, et l'on peut même dire que sa gloire croît encore tous les jours. Pour aider à mettre dans toute son évidence ce phénomène providentiel, nous avons voulu, dans le présent chapitre, raconter une faible partie des outrages que ce grand homme, que cet admirable saint a essuyés, non de la part des protestants et des philosophes du dernier siècle (ceci serait moins instructif), mais de la part de plusieurs qui, prétendant appartenir toujours à l'Église romaine, n'ont pas craint de récuser, *comme intéressé*, l'auguste jugement par lequel elle inscrivait au rang des saints et proposait à la vénération universelle ce pontife véritablement apostolique. Il est bon que certains faits caractéristiques d'une époque, et propres à montrer en actions certains principes, soient impartialement enregistrés et publiés, dans la crainte que, ces mêmes faits venant à se perdre, les leçons importantes qu'on en peut tirer ne soient en même temps perdues. Si quelque défaveur devait, de nos jours encore, poursuivre celui qui ose plaider une pareille cause, nous l'acceptons d'office, tout indigne que nous en sommes, et nous nous levons sans crainte pour venger celui qui, avec son auguste prédécesseur saint Grégoire Ier, est et demeurera le plus grand des papes que l'ordre Bénédictin ait fournis à l'Église (286).

(286) Nous oserons dire quelque chose des motifs personnels qui nous obligent à défendre et à honorer la mémoire de saint Grégoire VII. Si nos lecteurs se souviennent que ce grand pontife, moine de Saint-Pierre de Cluny, est une des gloires de la France bénédictine, et qu'avant de monter sur la chaire de Saint-Pierre, il occupa le siége abbatial de l'insigne monastère de Saint-Paul *extra mœnia Ur-*

Nous ne donnerons point ici l'histoire de saint Grégoire VII. Elle est écrite partout : dans ses admirables lettres, conservées en si grand nombre par les soins d'une providence toute particulière; dans ses œuvres généreuses qui ont sauvé l'Église, et sur lesquelles elle s'appuie encore aujourd'hui ; dans les récits pleins d'admiration et, certes, aussi de désintéressement que lui consacrent aujourd'hui tant d'écrivains non suspects. Tout le monde la sait aujourd'hui cette histoire. Nous nous proposons donc seulement ici de traiter la question liturgique de saint Grégoire VII, c'est-à-dire, le culte décerné par l'Église à cet illustre pontife, et les divers incidents qui se sont rencontrés dans son établissement et dans son progrès.

L'idée de la haute sainteté de Grégoire VII était déjà repandue de son vivant et ne fit que s'accroître après sa mort. En vain les schismatiques fauteurs de l'empereur Henri IV, ayant à leur tête le fougueux Bennon, archiprêtre cardinal de l'antipape Guibert, s'efforcèrent de flétrir sa mémoire : en vain, pour expliquer la supériorité de son génie, ils l'accusèrent d'avoir commerce avec Satan, au point, disaient-ils, que, lorsqu'il agitait ses manches, des étincelles de feu en tombaient avec abondance; en vain, ils le traitèrent de faux prophète et l'accusèrent de n'avoir point assez ménagé l'empereur ; le silence qu'ils gardent sur ses mœurs n'en atteste que plus énergiquement, suivant la remarque de Fleury lui-même (287), l'intégrité morale du saint pape et la haute estime qu'on faisait de sa vertu.

Du reste, le témoignage des hommes pieux qui l'avaient connu ne manqua point à sa défense. Le courageux saint Anselme de Lucques, son ami fidèle, vengea sa mémoire dans le livre qu'il a dirigé

A contre l'antipape Guibert (288). Saint Pierre Damien, qui l'avait connu durant de longues années, le qualifie *homme très-pur et très-saint dans ses conseils* (289). Saint Alphane, archevêque de Salerne, dans une ode remplie de la plus mâle poésie, le compare aux saints apôtres (290). Le B. Victor III qui, après avoir professé comme lui la règle de Saint-Benoît, fut son successeur sur la chaire de saint Pierre, atteste qu'*il illustra l'Église du Christ autant par ses exemples que par ses vertus* (291). Saint Anselme, archevêque de Cantorbéry ; saint Gébehard, archevêque de Saltzbourg, et un autre saint Gébehard, évêque de Constance, tous personnages contemporains, s'unissent à ceux que nous venons de nommer avec un accord admirable; en sorte que

B l'on trouverait difficilement un saint dont la sainteté soit attestée par un si grand nombre de saints contemporains (292). Il semble que la sagesse divine, prévoyant les outrages dont il devait être l'objet, se soit plu à entourer son nom des plus augustes témoignages, préparant ainsi à l'avance la meilleure de toutes les réponses aux blasphèmes qui devaient plus tard être proférés.

Consultons maintenant les historiens contemporains de Grégoire VII, et recueillons les expressions par lesquelles ils terminent le récit de ses travaux et de ses tribulations. Le premier que nous citerons est Paul, chanoine de Bernried, qui écrivit, vers 1131, la Vie du saint pape. « Ainsi, dit-il,

C « rempli de la grâce septiforme, l'esprit du septième Grégoire qui avait repris le monde et ses « princes sur le péché, l'injustice et le jugement, « fortifié de la nourriture divine qu'il venait de recevoir, s'élançant dans la voie céleste, et porté, « comme Élie, sur le char de feu à cause de son

bis, ils comprendront la nature des sentiments que nous dûmes éprouver lorsqu'en 1837, appelé, malgré notre indignité, par le souverain pontife Grégoire XVI, successeur de Grégoire VII et enfant de saint Benoît, à recueillir la succession des abbés de Cluny, nous émettions notre profession solennelle entre les mains de l'abbé de Saint-Paul, successeur, lui aussi, de l'héroïque Hildebrand. Puisse le glorieux pontife, devenu si particulièrement notre père, allumer dans notre faible cœur quelques étincelles de son ardent amour pour l'Église de Jésus-Christ, et nous donner quelque part à cette complète abnégation avec laquelle il la servit toujours !

(287) *Hist. Ecclés*, livre LXIII, 26.

(288) Roccaberti, Bibliotheca pontificia tom. IV. — Margarin de la Bigne, Bibliotheca maxima Patrum, tom. XVIII.

(289) Sanctissimi ac purissimi consilii virum. S. *Petri Damian., Epist.* 7, *lib.* I.

(290) Quanta gloria publicam
Rem tuentibus indita
Sæpe jam fuerit, tuam,
Hildebrande, scientiam
Nec latere putavimus,

Et putamus. Idem sacra
Et Latina refert via,
Illud et Capitolii
Culmen eximium, thronus
Pollens imperii docet.

Sed quid istius ardui
Te laboris, et invidiæ
Fraudis aut piget, aut pudet?
Id bonis etenim viris
Plus peste subita nocet.

Virus invidiæ latens
Rebus in miseris suam
Ponit invaletudinem,
Hisque non aliis necem
Et pericula confert.

D Sed ut invidearis, et
Non ut invideas, decet.
Te peritia quam probi
Et boni fecit unice
Compotem meriti sui.

Omne judicio tuo
Jus favet, sine quo mihi
Nemo propositi mei
Vel favoris inediam
Præmiumve potest dare.

Cordis eximius vigor,
Vita nobilis optimas
Res secuta, probant quidem
Juris ingenium modo
Cujus artibus uteris.

Ex quibus caput urbium
Roma justior, et prope
Totus orbis eas timet,
Sæva barbaries adhuc
Clara stemmate regio.

Hic et archiapostoli
Fervido gladio Petri
Frange robur, et impetus
Illius, vetus ut jugum
Usque sentiat ultimum.

Quanta vis anathematis?
Quiquid et Marius prius
Quodque Julius egerant
Maxima nece militum
Voce tu modica facis.

Roma quid Scipionibus
Cæterisque Quiritibus
Debuit mage, quam tibi
Cujus est studiis suæ
Nactam viam potentiæ.

Qui probe quoniam satis
Multa contulerant bona
Patriæ, prohibentur et
Pace perpetua frui
Lucis et regionibus.

Te quidem potioribus
Præditum meritis manet
Gloriosa perenniter
Vita, civibus ut tuis
Compareris apostolis

(S. *Alphani carmina* [*Ital. sacr. Anecd. Ughel.*, t. X, ed. 1722, p. 77].)

(291) Verbis simul et exemplis illustrasse. *Mabillon., Acta SS. ord. Benedicti., sæc. IV, part.* II.

(292) Vid. Papebroch. Acta SS. Maii, die 25.

« zèle pour les intérêts divins, dans le jour même « consacré à la mémoire d'Urbain, son prédécesseur, augmenta d'une manière excellente l'allégresse de ce saint pontife et celle de tous les « bienheureux qui, avec le Christ, se réjouissent « dans la gloire du ciel ; en même temps qu'il laissait abîmée dans une douleur profonde l'Église, « qui poursuit sur la terre son pèlerinage (293). »

« A la mort de Grégoire, dit Bertold, également « contemporain, dans sa Chronique, les fidèles des « deux sexes furent dans le deuil, mais principalement les pauvres; car il était le très-zélé docteur de la religion catholique, et le défenseur le « plus intrépide de la liberté ecclésiastique. Il ne « voulut pas que l'ordre du clergé restât avili aux « mains des laïques, mais qu'il occupât, au contraire, le premier rang, par la sainteté des mœurs « comme par sa dignité sacrée (294). »

« Cependant, dit le poëte Domnizone, témoin de « l'événement, des cris de douleur se font entendre; ils sont causés par le trépas du pontife « Grégoire, que le Seigneur Christ vient d'enlever « aux cieux, sept jours avant la fin de mai. Les « moines le pleurent, parce qu'il était moine lui-même; les clercs sont dans les larmes, et plongés dans le deuil sont aussi les laïques dont la « foi est pure de tout contact avec les schismatiques (295). »

Hugues de Flavigny, dans sa précieuse Chronique, termine ainsi l'histoire de notre grand pontife, qui l'avait honoré de son amitié : « Ainsi, martyr « et confesseur, l'an de l'incarnation du Seigneur « mil quatre-vingt-cinq, il rendit son âme au Créateur (296). »

Tel apparaît le jugement des contemporains de Grégoire dans les diverses relations qu'il nous ont laissées de sa vie et de ses actes. Il est clair, d'après cela, que la vénération publique ne devait pas tarder à se manifester envers lui, et à préparer les bases de ce culte immémorial que plus tard le Siége apostolique devait reconnaître et sanctionner.

Au reste, les prodiges qui, plus d'une fois pendant sa vie, avaient rehaussé la grandeur de ses actions, éclataient encore à son tombeau. Paul de Bernried les rapporte avec toute l'autorité et aussi la simplicité d'un témoin oculaire (297). Lambert de Schafnabourg, qui ne conduit sa Chronique que jusqu'à la quatrième année de Grégoire, atteste l'existence de faits miraculeux qui servaient, dit-il, puissamment à confondre les ennemis du saint pontife (298). Orderic Vital, dans son Histoire ecclésiastique, parle, comme d'un fait avéré, de la guérison de plusieurs lépreux au moyen de l'eau qui avait touché le corps de Grégoire (299). Enfin, on peut voir sur cet article la discussion assez brève, mais lumineuse, de Benoît XIV, en son traité de la *Canonisation des saints* (300).

Mais croirait-on que des écrivains catholiques aient pu se rencontrer, dans ce siècle même, qui ont tiré scandale des épreuves par lesquelles la divine justice purifia l'âme de son serviteur, et dont la foi vacillante n'a pas vu toute la portée de ces adversités précieuses qui, en sauvant la sainte cause de la liberté de l'Église, assuraient au pontife expirant la récompense et la gloire des martyrs? *J'ai aimé la justice et j'ai haï l'iniquité; c'est pourquoi je meurs dans l'exil!* disait Grégoire sur son lit de mort. Mais le Sauveur lui-même, qui avait passé en faisant le bien et guérissant toute langueur et toute infirmité, ne s'est-il pas senti abandonné de son Père, au point qu'il criait : *Mon Dieu! mon Dieu! pourquoi m'avez-vous délaissé?* Cependant ses ennemis, témoins de son agonie, disaient, en branlant la tête : *S'il est le Fils de Dieu, qu'il descende de la croix.* Ils croyaient peut-être que le salut du monde pouvait s'opérer sans l'immolation de la victime. Ceux dont nous parlons ne savaient pas non plus apparemment que la liberté ecclésiastique ne pouvait être sauvée sans qu'il en coûtât la vie et l'honneur de son défenseur. Grégoire devait succomber pour le salut de plusieurs ; son nom devait donc être maudit, car *le disciple n'est point au-dessus du maître* (301).

Qu'on ne nous dise donc plus : La cause de Gré-

(293) Itaque septiformi gratia plenus septimi Gregorii spiritus, qui mundum et principes ejus arguebat de peccato, et de injustitia, et de judicio, in fortitudine cœlestis cibi nuper accepti cœlestem viam arripiens, meritoque divini zeli, velut igneo curru, instar Eliæ subvectus, Urbani prædecessoris sui, cujus ea die festivitas exstitit, omniumque beatorum lætitiam in cœlesti gloria cum Christo gaudentium excellenter ampliavit; in terris vero peregrinantem Ecclesiam discessu suo non parvo mœrore consternavit. *Pauli Bernrieden. S. Gregorii VII Vita, cap.* 12, 102.

(294) De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, et maxime pauperes, doluerunt : erat enim catholicæ religionis ferventissimus institutor, et ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sane ut ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem et morum sanctitate, et ordinis dignitate præemineret. *Bertholdi Chronic. ad annum* 1085.

(295) Interea planctus de præsule nascitur altus
Gregorio, gestat Dominus quem Christus ad æthra
Ante dies septem Madii quam finis adesset.
Hunc monachi deflent, monachus quia noscitur esse,
Hunc clerici flebant, valde laicique dolebant,
Pura fides quorum procul est a schismaticorum.
Domnizon., Vita Mathildis.

(296) Sic spiritum Creatori tradens, anno ab Incarnatione Domini 1085 obiit, martyr et confessor. *Chronicon Virdunense Hugonis Flaviniacensis, in Biblioth. nova mss. Labbei, tom. I.*

(297) Vita Gregorii VII, cap. 1, 2, 3, 13.

(298) Signa etiam et prodigia, quæ per orationes papæ frequentius fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo et pro ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. *Ad annum* 1077, *scriptores rerum Germanicarum, tom. I.*

(299) Leprosi de aqua unde corpus ejus ablutum fuerat petierunt; qua consecuta fideliter loti sunt, et, opitulante Deo, protinus mundati sunt. *Part.* II, *lib.* VIII, *pag.* 677.

(300) Lib. I, cap. 41, § X, 16.

(301) Matth. X, 24.

goire VII n'était pas celle de Dieu; car ses entreprises hardies ne reçurent point la consécration du succès. Nous, nous répondrons par ces paroles du grand Baronius, qui terminent le récit de la mort sublime de notre héros : « Ainsi, c'est par des persécutions sans fin, des angoisses de tout genre, « souvent même par le meurtre de ses prêtres, que « l'Église reçoit une heureuse paix, que la liberté « ecclésiastique s'acquiert et se consolide, que le « salut des âmes est operé. Ainsi, le Christ a instruit ses pontifes à combattre et à vaincre, lui « dont les souffrances et les infirmités font la force « et le courage des fidèles, lui dont la mort est leur « vie. Je me trompe, ou l'expérience des siècles a « démontré jusqu'au temps présent que c'est aux « travaux de Grégoire qu'il faut rapporter et les « investitures des Églises arrachées aux mains des « princes, et la libre élection des pontifes romains « restituée, et la discipline ecclésiastique relevée de « ses ruines, et tant d'autres avantages innombra- « bles assurés à l'Église (302). »

Oui, certes, Grégoire a été vaincu suivant la chair; comme le Fils de l'homme, il s'est vu n'ayant pas où reposer sa tête; il s'est éteint dans l'humiliation, tellement que les hommes l'*ont réputé frappé de la main de Dieu* (303); mais pour lui aussi, la mort, d'abord victorieuse, est demeurée ensevelie dans son triomphe. Son nom, sa gloire, ses mérites ont inspiré, ont soutenu, dans la défense laborieuse des libertés ecclésiastiques, non-seulement l'incomparable Thomas de Cantorbéry, dans sa lutte contre un roi d'Angleterre, mais tant d'illustres papes qui ont su se poser comme un rempart pour la maison d'Israël; Pascal II contre l'empereur Henri V; Innocent IV contre Frédéric II; Boniface VIII contre Philippe le Bel; Grégoire XIII, Sixte-Quint, Grégoire XIV et Clément VIII, contre Henri de Bourbon; Innocent XI contre Louis XIV; Clément XIII contre les cours de Madrid, de Lisbonne, de Naples, de Parme; Pie VII contre Napoléon; Grégoire XVI contre Frédéric-Guillaume.

Nous venons d'entendre le témoignage des historiens contemporains, sur l'opinion de sainteté qui environnait Grégoire VII durant sa vie et après sa mort; suivons maintenant à travers les siècles les différentes manifestations de cette persuasion qui, plus tard, devaient motiver le jugement infaillible du saint-siége.

A Soixante ans s'étaient à peine écoulés depuis le jour où le glorieux athlète de l'Église expirait dans l'exil, que déjà un de ses successeurs, qui a laissé une mémoire vénérable, Anastase IV, plaçait son image parmi celles des saints, sur la mosaïque de la chapelle de Saint-Nicolas, au palais patriarchal de Latran (304). Le corps de Grégoire avait été enseveli par les soins de Robert Guiscart, ou de Roger, son fils (305), dans un tombeau de marbre, et placé dans la cathédrale de Salerne, déjà célèbre comme possédant les reliques de l'apôtre et évangéliste saint Matthieu. Orderic Vital, historien du XIe siècle, que nous avons cité plus haut, parle de l'affluence des pèlerins au tombeau du saint pape, et des grâces de santé qne l'on y recevait (306). Une chronique, B rédigée par ordre de Cencius Savelli, camérier apostolique, qui fut pape, en 1226, sous le nom d'Honorius III, atteste pour son temps la continuation du culte de saint Grégoire VII et des prodiges opérés par son intercession (307) ; et lorsque, vers la fin du même siècle, Jean de Procida dota et fit décorer avec magnificence la chapelle dite de Saint-Michel, dans la cathédrale de Salerne, il est naturel de penser, avec Papebrock, qu'il avait en vue de manifester sa dévotion envers le pontife qui reposait dans cette même chapelle, où il était l'objet du culte des peuples attirés par le bruit des merveilles qui s'y opéraient (308).

Le corps de saint Grégoire VII continuait toujours C d'être l'objet de la vénération des habitants de Salerne, sans pourtant que cette vénération se répandît beaucoup au dehors de la province du royaume de Naples où est située cette ville, lorsqu'en 1574, le cardinal Marc-Antoine Marsile Colonna monta sur le siége qu'avait occupé saint Alphane, l'ami de notre saint pontife. La Providence avait dessein de se servir de lui pour accroître encore le culte jusque-là décerné au serviteur de Dieu, et pour en préparer les développements. Le prélat fit l'ouverture du tombeau, et il y trouva les précieux restes du saint pontife, conservés presque en entier, avec les ornements pontificaux dont on l'avait revêtu lors de sa sépulture. C'est ce qu'il atteste par une inscription qui se lit encore dans la cathé- D drale de Salerne, et qui est conçue en ces termes : *Gregorio VII Soanensi P O. M. ecclesiasticæ libertatis vindici acerrimo, assertori constantissimo : qui dum Rom. Pontificis auctoritatem, adversus*

(302) Ita plane persecutionibus indesinentibus, diversi generis ærumnis atque sæpe cædibus sacerdotum multo felicius pariter Ecclesiæ pax, libertas acquiritur atque confirmatur ecclesiastica, et salus quæritur animarum. Sic sacerdotes suos pugnare et vincere Christus docuit, cujus passionibus et infirmitatibus robur ac fortitudo, ac morte denique vita est fidelibus comparata. Mentiar nisi ista jam experimento rerum præsentium monstrari possint, per Gregorium nempe vindicatas e manibus principum Ecclesiarum investituras, liberam electionem Romanorum pontificum postliminio restitutam, disciplinam ecclesiasticam collapsam penitus reparatam, et alia innumera bona parta. *Ad annum* 1085, n. 13.

(303) Isai. LIII.

(304) Papebrok., Acta SS. Maii, tom. VI. Conatus histor. de Rom. pont., part. I, Appendix, pag. 208, Bened. XIV De canonizat., lib. I, cap. 41.

(305) Papebrok., *ibidem.*

(306) Meritis ejus, fidei petentium miraculorum copia divinitus ostensa est. *Hist. eccles., p.* II, *l.* VIII, *ib.*

(307) Ad cujus utique corpus, in B. Matthæi basilica honorifice tumulatum, mirabilis Deus multa miracula operari dignatus est. *Ex libro mss. censuali centii camer. in Gregorium VII, ad finem.*

(308) Papebrok., *ibidem.*

Henrici perfidiam strenue tuetur, Salerni sancte decubuit, anno Domini MLXXXV, VIII Kal. Junii. Marcus Antonius Columna Marsilius, Bononiensis, archiepiscopus Salernitanus, cum illius corpus, post quingentos circiter annos, sacris amictum et fere integrum reperisset, ne tanti Pontificis sepulcrum memoria diutius careret. Gregorio XIII Bononiense sedente. Anno Domini MDLXXVIII. Pridie Kalendas Quintilis (309).

Le pieux cardinal mourut en 1582, et n'eut pas la consolation de voir consommée l'œuvre de la canonisation du saint pontife. Elle eut lieu deux ans après, par l'autorité de Grégoire XIII, qui inséra le nom de Grégoire VII au Martyrologe romain, avec cet éloge : *Salerni, depositio B. Gregorii papæ septimi, qui Alexandro secundo succedens, ecclesiasticam libertatem a superbia principum suo tempore vindicavit, et viriliter pontificia auctoritate defendit.*

Cette sorte de canonisation, sans procès préalable, est distincte de la canonisation appelée *formelle*, et est désignée sous le nom d'*équipollente*. Elle a lieu lorsque le souverain pontife décerne le culte public à un personnage déjà en possession d'honneurs religieux que lui rend la piété des fidèles, en même temps que l'héroïsme de ses vertus et la vérité de ses œuvres miraculeuses sont certifiés par le témoignage d'historiens dignes de foi. Cette canonisation a la même autorité que la canonisation *formelle*, et outre que le culte de presque tous les saints qui ont vécu dans l'Église avant l'institution des procédures aujourd'hui en usage ne repose que sur un jugement du même genre, il est un grand nombre de saints, parmi ceux qui ont fleuri dans l'Église, depuis que le siége apostolique s'est réservé les causes de canonisation, qui n'ont cependant été inscrits au catalogue des saints que de cette manière *équipollente*; tels sont, par exemple, saint Romuald, saint Norbert, saint Bruno, saint Pierre Nolasque, saint Raymond Nonnat, saint Ferdinand III, saint Jean de Matha, sainte Marguerite d'Écosse, saint Étienne de Hongrie, etc. L'ignorance des règles de l'Église romaine a donc pu seule faire dire à certains auteurs jansénistes, et non jansénistes, que saint Grégoire VII était honoré par l'Église sans avoir été canonisé, puisque l'on en devrait dire autant des illustres saints que nous venons de nommer : conséquence à laquelle, sans doute, ces auteurs se refuseraient.

Quant à ce que l'on a prétendu, que Grégoire XIII avait voulu diriger l'effet de cette canonisation contre Henri de Bourbon, qui poursuivait alors la couronne de France, recommandant ainsi la mémoire d'un pontife qui avait foulé sous ses pieds un autre Henri, aussi quatrième du nom, il semble qu'il n'est pas besoin de recourir à cette explication. La translation du corps de saint Grégoire VII, par l'archevêque de Salerne, dans un moment où Grégoire XIII s'occupait de l'édition du Martyrologe, était suffisante, avec la possession du culte antérieur, pour engager ce dernier pape à définir enfin la sainteté du glorieux confesseur de Salerne.

Sixte-Quint, successeur de Grégoire XIII, fit quelque changement à la formule consacrée par son prédécesseur à notre saint pape, dans le Martyrologe; il adopta cette phrase, qui est restée dans l'édition de Benoît XIV et les suivantes : *Salerni, depositio B. Gregorii papæ septimi, ecclesiasticæ libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi.*

Bientôt après, sous Clément VIII, en 1595, le corps de saint Grégoire VII fut tiré du sépulcre que lui avait consacré le cardinal Colonna et placé sous un autel, toujours dans la même chapelle de Saint-Michel. Il paraît même que ce fut alors, Mario Bolognini étant archevêque, que le chef fut séparé du reste du corps pour être renfermé dans un reliquaire spécial (310).

Sous le pontificat du même Clément VIII, Baronius fit paraître le onzième tome de ses Annales, où il célébra et vengea tout à la fois, avec son éloquente érudition, la mémoire de saint Grégoire VII. Un peu avant lui, Bellarmin, dans ses Controverses, et spécialement au livre quatrième, *de Romano pontifice*, avait eu pareillement l'occasion de faire cette grande justice. Ainsi, les deux plus illustres écrivains du catholicisme, à cette époque de géants, se montraient préoccupés de la gloire du saint pontife : mais jusque-là les hérétiques seuls s'étaient levés pour la flétrir.

Du moment où le nom de saint Grégoire VII fut inséré au Martyrologe, le chapitre de la cathédrale de Salerne, que le saint pape avait autrefois comblé de priviléges, accordant à ses membres la chape rouge et la mitre, fut autorisé à célébrer solennellement son office. Mais d'abord il ne fut récité que suivant le rite commun des confesseurs pontifes, jusqu'à ce qu'en 1609, à la prière du même chapitre et de l'archevêque Jean Beltramini, Paul V, par un bref qui commence ainsi : *Domini Jesu Christi*, accorda un office propre, dont les leçons se retrouvent en grande partie dans celles qui furent publiées, en 1728, par Benoît XIII, et dont nous allons bientôt parler.

L'archevêque Beltramini, fit, vers le même temps, ériger une statue remarquable du saint pape dans la cathédrale de Salerne, et, ayant été transféré à un autre siége, il eut pour successeur le cardinal Lucius San Severino, non moins zélé que lui pour la garde du saint dépôt confié à son Église. Il en donna une preuve solennelle en 1614, faisant construire un nouvel autel à saint Grégoire VII, et y plaçant solennellement son corps; ce que l'on doit compter pour la troisième translation de ces précieuses reliques (311). Ce fut peut-être à cette occa-

(309) Ciacconi, Vitæ et res gestæ pontificum Romanorum, tom. I, pag. 853.

(310) Papebrok., *ibidem*.

(311) La première par le cardinal Marsile Colonna; la seconde par Mario Bolognini; enfin, celle dont nous parlons ici, accomplie par le cardinal San Se-

sion, ou du moins peu auparavant (312), qu'un bras du saint pape fut distrait pour être donné à la ville de Soana, en Toscane, patrie de saint Grégoire VII, laquelle avait député deux ambassadeurs vers le chapitre de la cathédrale de Salerne, avec les lettres de recommandation du grand-duc, qui joignait ses instances à celles de la ville.

Vers la même époque, le savant Jésuite Jacques Gretser, dont les immenses travaux ne sont point assez appréciés aujourd'hui, publia une docte apologie des actions et de la personne de saint Grégoire VII. Dans cette importante discussion, il n'allègue pas moins de cinquante écrivains à l'appui des éloges qu'il donne au pontife, et le venge d'une manière victorieuse des imputations qu'avaient lancées contre lui et les schismatiques du XIe siècle, et les hérétiques du XVIe.

Vers le milieu du XVIIe siècle, Alexandre VII établit l'office de saint Grégoire VII dans les basiliques de Rome, sans cependant l'insérer encore au bréviaire de l'Église romaine (313). Mais ce siècle devait être fameux par les attaques portées au saint pontife, non plus seulement de la part des protestants, mais de la part des juristes, et surtout des théologiens et canonistes gallicans. Nous nous contenterons de rappeler le trop fameux Edmond Richer, dans son livre *De ecclesiastica et politica potestate;* Ellies Dupin, dans son *Traité de la puissance ecclésiastique;* et Bossuet, dans sa *Défense de la déclaration de* 1682, ouvrage dont le grave et impartial Benoît XIV a dit : « Il serait impossible de trouver « un livre *qui soit plus opposé à la doctrine reçue en* « *tous lieux, excepté en France,* sur l'infaillibilité du « souverain pontife définissant *ex cathedra,* sur sa « supériorité à l'égard de tout concile œcuménique, « sur le domaine indirect qu'il a sur les droits tem« porels des souverains quand l'avantage de la re« ligion et de l'Église le demande (314). »

Cependant, de tous les auteurs gallicans du dix-septième siècle qui écrivirent contre saint Grégoire VII, celui dont la hardiesse fit le plus d'éclat, à raison du châtiment qui lui fut infligé par le saint-siége, est le P. Noël Alexandre. Il avait publié les dix premiers siècles de son Histoire ecclésiastique, et mérité jusque-là les éloges du pape Innocent XI, qui occupait alors la chaire de saint Pierre, et qui avait daigné lui faire parvenir le témoignage le plus flatteur de sa satisfaction pour l'érudition et l'orthodoxie qui, jusqu'alors, avaient présidé à cette œuvre (315). Arrivé aux événements du XIe siècle, Noël Alexandre consacra deux dissertations à faire ressortir les torts qu'avait eus, selon lui, un pontife déjà placé sur les autels. Innocent XI, celui qui n'avait pas fléchi devant le grand roi, crut devoir manifester énergiquement l'indignation que lui inspirait une semblable conduite de la part d'un religieux. Il rendit un décret, en date du 13 juillet 1684, par lequel il condamnait le volume qui renfermait ces dissertations et, afin de témoigner plus énergiquement encore le déplaisir que le saint-siége avait ressenti, tous les écrits du même auteur furent proscrits, avec défense de les lire, retenir ou imprimer, sous peine d'excommunication (316). Ce fut ainsi qu'un pontife, déclaré *vénérable* par la congrégation des Rites, à cause de ses grandes vertus, se montra jaloux de l'honneur de son saint prédécesseur, dont la mémoire allait bientôt être en butte à de nouveaux outrages, en attendant les honneurs que lui réservait le XIXe siècle.

Au reste, Noël Alexandre n'attendit pas longtemps la réfutation de ses thèses gallicanes; un religieux, dominicain comme lui, François d'Enghiel, publia peu après un livre très-solide, au jugement de Benoît XIV (317), et intitulé : *Auctoritas sedis apostolicæ pro Gregorio papa VII vindicata, adversus Natalem Alexandrum ordinis Prædicatorum doctorem theologum.*

Dom Mabillon, dans la publication des *Acta sanctorum ordinis sancti Benedicti,* eut aussi à produire la Vie et les actes de notre saint pape. Le deuxième tome du VIe siècle bénédictin parut en 1701 ; mais l'illustre éditeur sut franchir ce pas devenu difficile, sans manquer ni à la prudence ni à la fidélité de l'historien catholique.

Cependant Clément XI, à la prière du cardinal Gabrielli, dont la conduite avait été si ferme dans l'affaire de la Régale, accorda, en 1705, à l'ordre de Cîteaux le privilége de faire l'office de saint Grégoire VII, et, cinq ans après, le même pontife concéda la même grâce à l'ordre de Saint-Benoît, sur les instances du procureur général de la congrégation du Mont-Cassin. Ces différentes concessions

verino, laquelle est attestée par une inscription conçue en ces termes, qu'il fit placer dans la cathédrale de Salerne :

Ego Lucius Sanseverinus, archiepiscopus Salernitanus, altare hoc in honorem B. Gregorii papæ VII consecravi, ejusque sacrum corpus in eo inclusi; præsentibus, annum unum, anniversaria deinceps consecrationis die, ipsum pie visitantibus, quadraginta dies veræ indulgentiæ, de Ecclesiæ more, consensi. A. D MDCXIV, die IV *mensis Maii.*

(312) Papebrok., *ibidem.*

(313) Gretseri Opera, tom. VI.

(314) Difficile profecto est aliud opus reperire quod æque adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de summi pontificis ex cathedra definientis infallibilitate, de ejus excellentia supra quodcunque concilium œcumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiæ commodum id exigat, super juribus temporalibus principum supremorum. *Epist. pro card. H. Norisio, apologet. ad suprem. Hispan. inquisitorem, inter opusc. Bened. XIV*, pag. 117.

(315) Touron, Hist. des hommes illustres de l'ordre de Saint-Dominique, tom. V, pag. 814.

(316) Touron, *ibidem.* Benoît XIV, *De canonizat. sanctorum,* lib. I, cap. 41 ; Papebrock, *ad diem* 25 *Maii.*

(317) Bened. XIV, *ibidem.*

d'office ne firent aucun bruit; mais lorsque, par un décret du 25 septembre 1728, Benoît XIII eut ordonné d'insérer la fête de saint Grégoire VII au missel et au bréviaire, et enjoint à toutes les Églises du monde de la célébrer, un grand orage s'éleva dans plusieurs États de l'Europe, et particulièrement en France.

Il est évident, sans doute, que dans l'établissement de cette fête et la promulgation universelle de la *légende* si remarquable qui devait se lire dans l'office, Rome se proposait un but; nous n'avons garde d'en disconvenir. Mais nous dirons, en premier lieu, que c'est un assez beau spectacle pour nous, hommes de ce siècle, de voir, au moment où d'absurdes préjugés commençaient à éclipser toute vérité historique sur le moyen âge, où une philosophie menteuse et sans intelligence foulait aux pieds les plus salutaires enseignements du passé, de voir, disons-nous, Rome arracher, par un acte courageux, à ce naufrage universel le nom vénérable d'un héros de l'humanité, en qui le siècle suivant devait saluer avec enthousiasme le vengeur de la civilisation et le conservateur des libertés publiques, aussi bien que des libertés ecclésiastiques. C'était là, certes, un *progrès*, et d'autant plus méritoire que le pontife qui s'en portait l'auteur ne pouvait ignorer que l'autorité du saint-siége, déjà si affaiblie, allait encore devenir à cette occasion même l'objet de nouvelles attaques.

Nous dirons en second lieu, et sans détour, que Rome avait bien, par cet acte, quelque intention de pourvoir à son honneur outragé dans la fameuse déclaration de l'assemblée du clergé de 1682, et dans tout ce qui s'en était suivi en France, de la part des deux autorités. Le roi Louis XIV avait, il est vrai, promis de révoquer son édit pour l'enseignement des quatre articles, et, tant qu'il avait vécu, on avait tenu à l'exécution de cet engagement, qui, joint à lettre de réparation des évêques de l'assemblée au pape, avait été la condition nécessaire de l'institution canonique des prélats nommés depuis plus de dix ans aux siéges vacants. Mais déjà les promesses n'étaient plus exécutées; les Universités faisaient chaque jour soutenir dans leur sein des thèses dans lesquelles les doctrines romaines étaient attaquées, l'autorité apostolique circonscrite dans des bornes arbitraires, la conduite des plus saints papes taxée de violence aveugle, et signalée comme contraire au droit naturel et divin. Il était temps que la grande voix du siége apostolique se fît entendre, et qu'elle protestât du moins contre l'audace sans cesse croissante de ces docteurs toujours prêts à restreindre les limites du pouvoir spirituel, en même temps qu'ils enseignaient avec tant de complaisance l'inadmissibilité du pouvoir royal. Heureusement l'Église a eu de tout temps dans sa liturgie, un moyen de répression contre les entreprises téméraires qu'on a osées sur sa doctrine ou contre son honneur. Ce qu'elle confesse dans la prière universelle devient règle pour ses enfants, et, comme nous l'avons fait voir dans cette histoire, si quelques-uns ont cherché à s'isoler des formules qu'elle consacre, c'est qu'ils sentaient avec quelle irréfragable autorité elle impose, dans ce bréviaire, dans ce missel si odieux, ses jugements sur les doctrines, sur les personnes et sur les institutions. Benoit XIII eut donc intention, en étendant à l'Église universelle l'office de saint Grégoire VII, de faire un contrepoids aux envahissements du gallicanisme qui, de jour en jour, augmentaient de danger et d'importance, à raison surtout des efforts d'une secte puissante et opiniâtre qui menaçait de plus en plus l'existence de la foi catholique au sein du royaume de France. Si Rome laissait flétrir plus longtemps la mémoire des plus saints pontifes des siècles passés, elle donnait gain de cause à ces hommes audacieux qui criaient sur les toits qu'elle avait renouvelé ses vieilles prévarications, et qu'Innocent X, Alexandre VII, Clément XI, n'étaient ni plus ni moins coupables que Grégoire VII, Innocent III et tant d'autres. Écoutez plutôt un des fidèles organes de la secte :

« Au premier coup d'œil, on saisit la connexité « de doctrine entre les brefs d'Innocent XI et d'A- « lexandre VIII, contre l'assemblée de 1682; la « proposition quatre-vingt-onze, concernant l'ex- « communication, censurée par la bulle *Unigenitus*, « et cette *légende contraire aux vérités révélées* « qui enjoignent aux papes comme aux autres « individus de la société la soumission à l'autorité « civile (318). »

Mais il est temps de révéler au lecteur cette *monstrueuse* légende qui mettait ainsi en péril *les vérités révélées*. Les pages que l'on va lire sont belles sans doute, pleines de noblesse et d'une éloquente simplicité : elles sont pourtant moins énergiques dans les éloges qu'elles donnent au pontife que certaines pages qu'on peut lire tous les jours dans les écrits de plusieurs historiens ou publicistes protestants. Voici la légende en son entier :

IN FESTO S. GREGORII VII, PAPÆ ET CONFESSORIS.
IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV. « Gregorius papa septimus, antea Hil- « debrandus, Soanæ in Etruria natus, doctrina, san- « ctitate omnique virtutum genere cum primis no- « bilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. « Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam « litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen seg- « mentis illa Davidici elementa oraculi : *Dominabi-* « *tur a mari usque ad mare*, casu formasse narratur, « manum pueri ductante Numine, quo significare- « tur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. « Romam deinde profectus, sub protectione sancti « Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem a

(318) Grégoire, Essai historique sur les libertés de l'Église gallicane, pag. 98.

« laicis oppressam ac depravatos ecclesiasticorum (A) mores vehementius dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regula sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maxime vigebat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem cœnobii Patribus prior sit electus. Sed divina Providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, abbas primum monasterii sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ cardinalis creatus, sub summis pontificibus, Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo et Alexandro secundo, præcipuis muneribus et legationibus perfunctus est, *sanctissimi, et purissimi consilii vir* a beato Petro Damiano (B) nuncupatus. A Victore papa secundo legatus a latere in Galliam missus, Lugduni episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjurationem compulit. Cadolai quoque schisma sua virtute compressit. »

Lectio v. « Mortuo Alexandro secundo, invitus et mœrens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei; nam potens opere et sermone, ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, exstirpandis erroribus et corruptelis, tanto studio incubuit, ut ex (C) apostolorum ætate nullus pontificum fuisse tradatur qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias a Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit. »

Lectio vi. « Dum missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e cœlo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus sancti (D) afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo crucis exstinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo duce Northmano ereptus, Casinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam sancti Matthæi apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus, in morbum incidit quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere : *Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem : propterea morior in exsilio.* Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe synodis sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex et acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in pontificatu annis duodecim, migravit in cœlum, anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in cathedrali basilica Salernita est honorifice conditum. »

L'oraison qui complète et résume l'office de saint Grégoire VII, au missel et au bréviaire, est ainsi conçue :

Deus, in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium confessorem tuum atque pontificem, pro tuenda Ecclesiæ libertate virtute constantiæ roborasti; da nobis, ejus exemplo et intercessione, omnia adversantia fortiter superare.

Maintenant que nous avons mis sous les yeux du lecteur cette pièce si fameuse, avant d'entrer dans le récit des événements qui suivent sa promulgation, nous nous permettrons quelques réflexions sur la portée de ce manifeste pontifical :

Que suit-il du récit que nous venons de lire des actes et des vertus d'un pape du XIe siècle? Cela veut-il dire que Rome se prépare à fondre, comme l'aigle, sur les États européens, à disposer arbitrairement de la couronne des princes qui les gouvernent, en un mot, à ébranler le monde entier du bruit de ses foudres? Nous qui vivons un siècle après l'apparition de cette redoutable *légende*, trouvons-nous beaucoup d'exemples depuis lors de cette omnipotence temporelle des pontifes du moyen âge, exercée par Benoît XIII ou ses successeurs? Nous semble-t-il que la couronne de France, pays ou la *légende* a été proscrite, ait été l'objet de moins d'attaques que celle des souverains dans les États desquels elle a été admise par le clergé? Et si par hasard, chez nous, depuis cette époque, les rois ont souffert la mort, l'exil ou l'humiliation, est-ce Rome qui s'est montrée envers eux si impitoyable? Ne perdons pas ce point de vue dans les diverses parties du récit qui va commencer. Beaucoup de gens vont jeter les hauts cris, comme si la puissance royale était au moment d'expirer dans l'univers entier, par le seul fait de la *légende*. La haine de Rome les aveugle : et Dieu les a donnés en spectacle à notre siècle, qui sait enfin que Rome n'en veut pas à la puissance des monarques, qui semble même comprendre que si, dans les âges catholiques, elle exerça effectivement une influence temporelle sur la société, elle fut alors l'unique sauvegarde de la liberté des peuples, comme le plus solide appui de l'autorité dont elle réprimait les excès. La *légende* est donc tout simplement le bouclier sous lequel Rome met à couvert son honneur compromis par tant de sophismes et de déclamations. Par ce manifeste solennel, elle neutralise le mouvement aveugle qui entraîne certaines écoles sur les pas de ces auteurs hétérodoxes qui n'ont souci de l'honneur des pontifes romains, mais ont, au contraire, tout à gagner, s'ils les peuvent faire considé-

rer comme des violateurs des lois divines et de l'ordre naturel de la société.

L'office de saint Grégoire VII parvint en France, peu après sa publication à Rome, comme il arrive encore aujourd'hui, quand le souverain pontife impose de nouveaux offices; seulement à cette époque, où l'usage de la liturgie romaine était encore presque universel en France, les décrets de ce genre devaient occuper davantage et les ecclésiastiques et les fidèles qu'il n'arrive maintenant. Comme aujourd'hui, l'office était imprimé sur une feuille volante destinée à être jointe au bréviaire, en attendant son insertion en sa place dans la prochaine édition de celui-ci. Les *Nouvelles ecclésiastiques,* journal du jansénisme, signalent le libraire Coignard fils, à l'enseigne du *Livre d'or,* comme ayant eu l'audace de tenir en vente, à Paris, le feuillet in-8° qui recélait la *légende.*

« Dès que parut cette légende, dit le républicain « Grégoire, elle excita l'horreur de tous les hommes « attachés aux libertés gallicanes (319.) »

A peine le parlement de Paris, juge souverain en matières liturgiques, eut-il eu connaissance de cette séditieuse manifestation des prétentions romaines, qu'il se réunit pour rendre, le 20 juillet 1729, sur les conclusions de l'avocat général Gilbert de Voisins, le même qui devait sept ans plus tard, prendre sous sa protection le bréviaire parisien de Vigier et Mesenguy, un arrêt portant suppression de la feuille contenant l'office de Saint Grégoire VII, avec défense d'en faire aucun usage public, sous peine de saisie du temporel. Nous citerons seulement quelques phrases du réquisitoire; elles suffiront pour constater l'esprit de la première magistrature du royaume, dans cette circonstance mémorable. L'avocat général, déguisant mal la haine dont lui et son corps étaient animés contre Rome, veut faire croire que, par le seul fait de la publication de l'office de saint Grégoire VII, la nation française est à la veille de secouer le joug de ses anciens rois. Il est vrai que ceci est arrivé avant même la fin du siècle dans lequel parlait l'honorable magistrat; mais il est fort douteux que la *légende* y ait été pour quelque chose.

« On savait assez, dit l'avocat général, que Grégoire VII, si célèbre par ses différends avec l'empereur Henri, est celui qu'on a vu porter le plus loin ses prétentions ambitieuses, inouïes dans les premiers siècles de l'Église, qui causèrent de si « longs troubles, et allumèrent des guerres si cruelles « de son temps.

« Mais, qu'il soit permis de le dire, ajoute-t-il, on « n'avait pas lieu de s'attendre de voir entrer dans « son éloge, *et célébrer dans un office ecclésiastique,* « l'excès où le conduisirent enfin des principes si « dangereux. Est-ce donc le chef-d'œuvre de son « zèle d'avoir entrepris de priver un roi de sa cou« ronne et de délier ses sujets du serment de fidé« lité? Et pouvons-nous voir sans douleur qu'on « appuie sur un fait si digne d'être enseveli dans « l'oubli les titres qu'on lui donne de *défenseur de* « *l'Église,* de *restaurateur de sa liberté, de rempart* « *de la maison d'Israël?*

« Pourquoi faut-il que les vestiges d'une entreprise, « dont le temps semblait affaiblir la mémoire, repa« raissent aujourd'hui jusque sous nos yeux, qu'ils « viennent encore exciter notre devoir et notre zèle? « Souffririons-nous qu'à la faveur de ce prétendu sup« plément du bréviaire romain, on mît dans les mains « des fidèles, dans la bouche des ministres de la re« ligion, jusqu'au milieu de nos saints temples et de « la solennité du culte divin, ce qui tend à ébranler « les principes inviolables et sacrés de l'attachement « des sujets à leur souverain (320)? »

Le 24 du même mois de juillet, Daniel-Charles-Gabriel de Caylus, évêque d'Auxerre, qui venait de donner, en 1726, le nouveau bréviaire dont nous avons parlé, fidèle à l'impulsion de la magistrature, signala son zèle contre la *légende* dans un mandement épiscopal adressé au clergé et aux fidèles de son diocèse. Appelant de la constitution *Unigenitus,* il s'était déjà essayé dans la résistance au saint-siége: il saisit donc avec empressement l'occasion d'outrager cette Rome, dont il ne portait le joug qu'en frémissant. Du reste, aussi zélé pour le pouvoir absolu et inamissible du prince temporel, que haineux envers l'autorité apostolique, il donna, comme tous ceux de ses confrères dont nous citerons ci-dessous des extraits de mandement, le plus solennel démenti à certains écrivains de notre temps, qui s'obstinent à voir dans la secte de Port-Royal la première manifestation des idées soi-disant *libérales.*

« Ce n'est qu'avec peine, dit le prélat, que nous « rappelons ici le souvenir des entreprises de Gré« goire VII. Il serait à souhaiter que ses successeurs « eussent fait connaître, par leur conduite, qu'ils « étaient très-éloignés de les approuver, et encore

(319) Essai sur les libertés de l'Église gallicane, *page* 99.

(320) Nous avons puisé une partie des pièces que nous devons citer en ce chapitre dans un recueil publié en 1743 sur toute cette affaire. Il est intitulé : *L'Avocat du Diable, ou Mémoires historiques et critiques sur la vie et sur la legende du pape Grégoire VII, avec des Mémoires de même goût sur la bulle de canonisation de Vincent de Paul, instituteur des Pères de la mission et des Filles de la charité* (trois volumes in-12). L'auteur est Adam, curé de Saint-Barthélemy de Paris, appelant fameux. Il est remarquable que les jansénistes poursuivaient de la même haine saint Vincent de Paul et Saint Grégoire VII; comme pour faire mieux comprendre aux gens distraits que la même Église romaine, qui produit des Vincent de Paul pour le soulagement des misères corporelles de l'humanité, est aussi celle qui produit, suivant le besoin, des Grégoire VII pour remettre la société chrétienne sur ses véritables bases.

« plus de les renouveler..... *Nous serions dispensés* « *par là de prendre de nouvelles précautions pour* « *nous y opposer* et en démontrer l'injustice. Nous « les regarderions comme une tache effacée et nous « n'aurions garde d'aller rechercher dans l'histoire « ecclésiastique des faits qui ne sont propres qu'à « déshonorer leurs auteurs, et que la sainte Église « désavouera toujours (321).

« Mais nous ne pouvons nous taire, continue « M. d'Auxerre; ce que nous devons à l'Église uni- « verselle, au roi Très-Chrétien, à l'État, aux fidèles « de notre diocèse et à nous-même, nous force de « parler à l'occasion de l'office de Grégoire VII.

« Ne nous arrêtons pas à remarquer ici *que la* « *sainteté de Grégoire VII n'est point reconnue dans* « *l'Église;* qu'il ne paraît pas qu'on ait fait pour « lui, à Rome, ce qui s'observe dans la canonisa- « tion des saints, et que l'histoire de son pontificat « est *difficile à accorder* avec l'idée d'une sainteté « formée sur l'esprit et sur les règles de l'Évan- « gile, et digne de la vénération et du culte public « des fidèles.

« Tenons-nous donc, poursuit le prélat, inviola- « blement attachés à la doctrine de la sainte anti- « quité, qui apprend aux sujets que personne ne « peut les dispenser de la fidélité qu'ils doivent à « leurs légitimes souverains, et qu'il n'y a ni crainte, « ni menaces qui doive les empêcher de remplir ce « devoir que la loi de Dieu leur impose; et aux « papes comme aux évêques, qu'ils n'ont pas le « pouvoir de donner ni d'ôter les royaumes, et « que, quant au temporel, les rois ne leur sont « point soumis et ne dépendent pas d'eux, mais de « Dieu seul. »

Assurément, c'est un grand avantage pour les souverains de ne dépendre ni du pape, ni des évêques; mais quand l'évêque d'Auxerre leur garantit qu'ils ne dépendent ici-bas que de Dieu, il exprime son désir, sans doute, mais non ce qui existe réellement; car il n'est point d'homme ici-bas qui ne se soit rencontré, et souvent même face à face avec son supérieur. Si les rois d'aujourd'hui n'ont plus à craindre la puissance du pape (et cependant voyez comme plusieurs la redoutent encore, cette Rome desarmée!), ils ont, en revanche, de dures querelles et contestations à vider avec les peuples, qui, à coup sûr, sont moins justes et plus intéressés dans l'affaire que ne le seraient les pontifes romains.

Quoi qu'il en soit, M. d'Auxerre termine son mandement en déclarant que, *pour remplir toute justice en donnant au roi de nouvelles preuves de sa fidélité et de son zèle pour la sûreté de sa personne sacrée, et pour la tranquillité de son royaume, qui pourraient être encore exposés aux derniers malheurs, si les maximes autorisées par l'office du pape Grégoire VII trouvaient créance dans les esprits,* il défend à toutes les communautés et personnes séculières et régulières de l'un et de l'autre sexe de son diocèse *se disant exemptes ou non exemptes,* qui se servent du bréviaire romain, ou qui reçoivent les offices des nouveaux saints qu'on insère dans ce bréviaire, de réciter soit en public, soit en particulier, l'office imprimé, etc.

Ainsi, le pape enjoint à toute l'Église de réciter l'office de saint Grégoire VII, et il se trouve un évêque qui défend à ses diocésains de se soumettre à cette injonction. Évidemment, l'un des deux est dans son tort; car autrement que deviendrait une société qui renfermerait dans son sein des pouvoirs contradictoires, et néanmoins toujours légitimes, dans tous les cas?

Le mandement de l'évêque d'Auxerre fut incontinent suivi d'un autre publié le 31 juillet, par Charles-Joachim Colbert, évêque de Montpellier, si fameux par le catéchisme auquel il a donné son nom, par son obstination dans les principes des appelants. On se rappelle, sans doute, son zèle à faire adopter dans son diocèse le nouveau bréviaire de Paris, et la courageuse opposition du chapitre à cette mesure. Nous ne fatiguerons point le lecteur de toutes les déclamations que ce mandement renferme contre les prétentions romaines; nous extrairons seulement les qualifications qu'il applique à un acte du souverain pontife. La *légende* de saint Grégoire VII est condamnée comme « renfermant « une doctrine *séditieuse, contraire à la parole de* « *Dieu, tendant au schisme, dérogeant à l'autorité* « *souveraine des rois, et capable d'empêcher la con-* « *version des princes infidèles et hérétiques* (322). » Il en défend l'usage, sous les peines de droit; ordonne, sous les même peines, qu'on en porte les exemplaires à son secrétariat, et il exhorte son clergé à demeurer inviolablement attaché à la doctrine des quatre articles de l'assemblée de 1682.

Ce n'était pas assez encore. Le 16 août, parut le mandement publié sur la même matière par Henri-Charles de Coislin, évêque de Metz, connu aussi pour son attachement aux principes de la secte qui troublait alors l'Église de France, et qui avait mis sa plus chère espérance dans les doctrines de la déclaration de 1682.

Après un sombre tableau des malheurs qui ne manquèrent pas d'ensanglanter le monde, chaque fois qu'il arriva à un souverain pontife de faire usage de l'autorité spirituelle, pour venger certains grands crimes sociaux, tableau qu'on pourrait comparer, avec assez d'avantage, à ceux qu'on rencontre de temps en temps dans l'*Essai sur les mœurs* de Voltaire; même intelligence de l'histoire, même équité envers l'Église : l'évêque de Metz ajoute, avec une gravité solennelle :

(321) Admirez cette profonde intelligence de l'histoire des institutions du moyen âge!

(322) Rien n'est beau comme ce zèle d'un évêque hérétique pour la propagation de la foi chez les infidèles et les hérétiques. Il est évident que le pape et sa propagande n'y entendent rien.

« L'expérience de tant d'événements funestes, « qui avaient pris leur source dans les entreprises « de Grégoire VII, semblait avoir depuis longtemps « arrêté le cours de cet embrasement : mais il en a « paru depuis une étincelle qui serait capable de « le rallumer, si chacun de ceux que le Père cé- « leste a mis à la garde, de sa maison n'accourait « pour en prévenir la communication dans la por- « tion du troupeau qui lui a été confiée. »

Ainsi, il est bien démontré que c'est le pape qui met le feu à l'Église, tandis que messieurs d'Auxerre, de Montpellier, de Metz, et plus tard messieurs de Verdun, de Troyes, de Castres, et d'autres encore, font tout ce qu'ils peuvent pour l'éteindre.

« Il vient de se répandre, dit encore l'évêque de « Metz, une feuille imprimée pour servir de sup- « plément au Bréviaire romain, et dans cette feuille « qui contient un office consacré à la mémoire de « Grégoire VII, les prélats et les premiers magis- « trats du royaume ont aperçu ce qu'il y a de plus « capable d'inspirer l'excès des prétentions ultra- « montaines. On lit, dans la cinquième leçon « de cet office, que ce pape *résista courageuse-* « *ment,* etc.

« La connaissance que nous avons, nos très- « chers frères, de votre zèle pour la personne du « roi, et de votre fidèle attachement au service de « Sa Majesté, et à l'obéissance que vous devez à « vos souverains, ne nous laisse aucun lieu de « douter que vous ne soyez touchés aussi sensible- « ment que nous l'avons été, en voyant dans ce peu « de paroles un dessein formé de proposer au clergé « et aux peuples, comme un éloge destiné à rendre « *croyable* la sainteté d'un pape, ce qui, suivant les « principes de la foi et les lumières de la raison, « ne devait servir qu'à la condamnation de son gou- « vernement. Votre piété, sans doute, s'est sentie « d'autant plus blessée que cet étonnant office a « été rendu public, sous les apparences d'une auto- « rité empruntée de celle du saint-siége. Mais cette « vue ne doit point alarmer votre vénération pour « ce premier siége de l'Église. Le saint pontife, que « la Providence a placé sur la chaire de saint Pierre, « n'a eu nulle part à la composition, encore moins « à la publication de cet artificieux ouvrage. Il a « appris, dans l'école de ce chef des apôtres, le « respect et l'obéissance qui est due aux souve- « rains. Il préfère à cet égard les instructions et « l'exemple de saint Grégoire le Grand à la con- « duite et aux entreprises de Grégoire VII. L'hu- « milité du serviteur des serviteurs de Dieu éloigne « de son cœur les pensées de maître des sceptres « et des couronnes, et sa sagesse est trop éclairée, « pour ne pas voir qu'une prétention si mal fondée « n'est capable que d'aigrir les princes et d'indispo- « ser les peuples. »

On ne disconviendra pas que ces leçons données au chef de l'Église, par un simple évêque, ne dussent produire un très-grand effet sur les peuples auxquels était adressé le mandement; quant à Benoît XIII lui-même, que M. de Metz appelle *un saint pontife,* jugement que l'histoire a du moins confirmé, il ne parut pas fort disposé à laisser croire que les actes les plus importants de son gouvernement s'accomplissaient à son insu. Nous verrons bientôt l'énergique réponse qu'il fit à ces insolentes provocations.

En attendant, le prélat déclare que, *voulant, dans une occasion aussi importante, donner au roi des preuves de la fidélité qu'il lui a vouée; à l'empereur, à S. A. R. de Lorraine et aux autres souverains qui ont quelque portion de leurs États dans son diocèse, de l'attention qu'il aura toujours pour ce qui les intéressera,* et pour préserver les âmes commises à sa charge des illusions que le prétexte d'une piété mal entendue pourrait leur faire, il a défendu et défend à toutes les communautés et à toutes les personnes de l'un et l'autre sexe de son diocèse......, de réciter, soit en public, soit en particulier, l'office de Grégoire VII. Il défend pareillement à tous imprimeurs, etc., de publier le même office. Il ordonne, de plus, que les exemplaires en seront rapportés au greffe de sa chambre épiscopale; le tout, sous les peines de droit.

Les réflexions seraient ici superflues : nous continuerons donc notre récit. Encouragé par le zèle des trois prélats, le parlement de Bretagne s'empressa de suivre les traces de celui de Paris. Le 17 août, il rendit un arrêt pour supprimer la légende. On remarquait les phrases suivantes dans le réquisitoire du procureur général :

« Permettez-moi de vous rappeler, Messieurs, que « Grégoire VII est le premier de tous les papes qui ait « osé faire éclater ses prétentions sur le temporel des « rois, en s'attribuant ouvertement le droit imagi- « naire de pouvoir les déposer, et délier leurs sujets « du serment de fidélité. Imagination fatale, qui ne « s'est que trop perpétuée au delà des monts, parmi « des esprits *à qui l'ignorance et une soumission* « *aveugle tiennent presque toujours lieu de savoir.*

« C'est cette chimère contre laquelle on ne peut « être trop en garde dans ce royaume, qu'on veut « réaliser aujourd'hui en insinuant aux peuples « qu'elle a servi de degré à ce pape pour parvenir à « la sainteté : moyen inconnu avant lui. Et vous ne « verrez, sans doute, qu'avec indignation, que ces « paroles séditieuses : *Contra Henrici imperato-* « *ris,* etc., marchent sur la même ligne que les pa- « roles de vie et de paix qui sont sorties de la bou- « che de Jésus-Christ même.

« Quel assemblage, et que peut-on penser de cet « éloge monstrueux? si ce n'est qu'on a cru, en l'in- « sérant dans un livre de prières, qu'il aurait plus « d'effet, et ferait respecter, comme permises, ces « foudres que les papes se croient en droit de lancer « contre les monarques; puisque, dira-t-on, si c'é- « tait un crime, ou que cela passât leur pouvoir, « on n'eût pas relevé une pareille action dont les

« ministres de nos autels ne peuvent que trop abu-
« ser dans leurs instructions. »

Comme l'on voit, les magistrats, fidèles d'ailleurs à leur omnipotence liturgique, ne se dissimulaient pas plus que les évêques d'Auxerre, de Montpellier et de Metz, la valeur et l'autorité d'une pièce insérée au Bréviaire romain. Il était aisé de prévoir que le jour n'était pas loin où l'on chercherait à rompre le lien liturgique avec Rome pour s'affranchir, ainsi qu'on l'a vu précédemment, *de plusieurs choses contaires aux maximes de notre Église gallicane.* Le jansénisme, sans doute, était pour beaucoup dans les scandales que nous racontons; mais le simple gallicanisme y avait bien aussi sa part. On le vit clairement, lorsque le 21 août parut le mandement de Charles-François d'Hallencourt, évêque de Verdun. B Ce prélat avait adhéré à la bulle *Unigenitus,* et dans le mandement même que nous citons, il disait expressément que *l'obéissance au pape et aux évêques, dans ce qui concerne la religion, est la seule voie sûre pour le salut.* Écoutons maintenant ce que la doctrine de 1682 lui inspirait au sujet de la légende :

« Non, nos très-chers frères, quelles que puissent « être les fautes de l'empereur Henri quatrième, le « pape n'était pas en droit de lui enlever sa cou- « ronne, ni de délier les nœuds sacrés qui atta- « chaient ses sujets à son service. Ce fait dans le- « quel ce pape a si injustement excédé son pouvoir, « *ce fait qu'il est à présumer qu'il expia par la péni-* « *tence,* ne peut être un des motifs de sa canonisa- C « tion; et, si l'on ne le regarde que comme un fait « historique, ce n'est pas dans une légende de saint, « ni au milieu d'un office divin, qu'il doit être « cité. »

Voilà bien la naïveté de certains honnêtes gallicans, qui seraient tout aussi éloignés d'admettre les conséquences du système à la manière des Parlements, que de ménager les *prétentions ultramontaines.* L'évêque de Verdun, plus catholique que celui de Montpellier, consent donc à reconnaître Grégoire VII pour *saint;* mais, pour se rendre compte à lui-même de la valeur de sa canonisation, il suppose ingénument que ce grand pape a fait pénitence de la déposition de Henri IV. Toutefois, D cette distinction ne l'empêche pas de conclure son mandement par la même prohibition que ses trois collègues : « Dans la crainte, dit-il, que cette lé- « gende ne fasse illusion à quelques esprits faibles, « et les évêques ne pouvant veiller de trop près à « la sûreté des rois; *pour ensevelir autant qu'il est* « *en nous, dans un éternel oubli, cette entreprise du* « *pape Grégoire VII*, nous avons défendu et défen- « dons par ces présentes de réciter, soit en public, « soit en particulier, l'office contenu dans ladite « feuille, le tout sous les peines de droit. »

Après cela, on ne dut pas être étonné d'entendre publier un arrêt du parlement de Metz, en date du 1er septembre, qui condamnait la légende comme A l'avaient condamnée les parlements de Paris et de Bretagne. Celui de Bordeaux ne tarda pas non plus à se déclarer par un arrêt, sous la date du 12 du même mois, et on entendit même l'avocat général Oudon demander à la cour, dans son réquisitoire, *qu'il lui plût de prendre certaines précautions qui pourvoient à l'avenir à ce qu'il ne se glisse rien dans les livres destinés au service divin et autres livres de piété, qui puisse blesser les droits du roi et troubler la tranquillité de l'État.*

L'affaire était bien loin d'être terminée par ces scandaleux arrêts : de nouveaux troubles se manifestèrent encore en plusieurs lieux. A Paris, un certain nombre de curés de la ville, faubourgs et banlieue, présentèrent requête à l'archevêque Vintimille, B le 14 septembre, et lui dénoncèrent la légende. Nous ne citerons rien de cette pièce, analogue pour le fond et les termes aux mandements et arrêts que nous avons cités. Les curés concluent à supplier l'archevêque de joindre son autorité spirituelle à celle du parlement, pour ordonner « ce que la reli- « gion, la justice, la fidélité au roi et l'*amour de la* « *patrie* ne peuvent manquer d'inspirer à l'évêque « de la capitale du royaume, en pareilles occasions, « et singulièrement de prescrire que la déclaration « du clergé de France, de 1682, soit inviolablement « maintenue et exactement observée dans les com- « munautés séculières et régulières et dans toute « l'étendue de ce diocèse, conformément aux lois si « nécessaires qu'a établies le feu roi : que, par une C « action si glorieuse, il rendra un service essentiel « à l'Église et à l'État. »

L'archevêque, qui sentait que les jansénistes n'excitaient tout ce bruit que pour déconsidérer, s'il eût été possible, le siége apostolique, dont les prérogatives leur étaient d'autant plus odieuses qu'ils en avaient éprouvé les effets, eut la prudence de ne faire aucune démonstration publique contre la légende, et affecta de la passer sous silence dans une instruction pastorale qu'il publia, le 29 du même mois de septembre, sur les querelles religieuses du temps. Les curés signataires de la requête dont nous avons parlé présentèrent à l'archevêque un nouveau mémoire, dans lequel ils se D plaignaient amèrement de la rigueur du prélat envers le parti, et revenaient encore sur la légende. Ce fut alors que l'archevêque, si l'on en croit les *Nouvelles ecclésiastiques*, leur dit avec sévérité : « Je « condamne ce qu'on a fait à Rome, et je suis aussi « bon serviteur du roi que vous; mais puisque le « roi l'a fait condamner par son parlement, il était « inutile d'en parler. Si quelqu'un remue sur cela « M. l'official fera son devoir, et, s'il le faut, on « abrégera les procédures en envoyant à la Grève, » ce que le prélat répéta deux fois. MM. les curés se levèrent, disant « qu'ils n'avaient point dessein de « lui faire de la peine, mais de lui représenter l'é- « tat de leurs paroisses, et le scandale que cause la « légende qui est entre les mains *de plus de la moitié*

« *des prêtres du diocèse, qui récitent le Bréviaire romain* (323). »

Pendant que ces choses se passaient en France, Rome, outragée dans ce qu'elle a de plus cher, l'honneur des saints qu'elle invoque, et sa propre dignité qui, n'étant pas de ce monde (*non est de hoc mundo*), ne doit pas être sacrifiée aux considérations humaines et personnelles, Rome se mit en devoir de se défendre par les armes que le Roi des rois a mises entre ses mains. En vain, les mandements que nous avons cités, les arrêts des parlements eux-mêmes, en condamnant la légende, avaient fait leurs réserves sur la complicité de Benoît XIII, prétendant qu'il avait ignoré cet attentat, qu'il était trop vertueux, *trop animé de l'esprit apostolique des premiers siècles de l'Église*, pour s'être permis de contrarier si violemment les maximes françaises, le saint pontife eut à cœur de donner un solennel démenti à ces réserves infamantes. Dès le 17 septembre, on affichait dans la ville sainte un bref énergique qui commençait par ces mots :

« Comme il est parvenu à la connaissance de « notre apostolat qu'il s'était répandu dans le vulgaire certains feuillets, en langue française, avec « ce titre : *Mandement de Monseigneur l'évêque « d'Auxerre, qui défend de réciter l'office imprimé sur « une feuille volante qui commence par ces mots :* « Die 25 Maii. In Festo sancti Gregorii VII, papæ et « confessoris. *Donné à Auxerre, le vingt-quatre du « mois de juillet mil sept cent vingt-neuf;* Nous avons « choisi pour faire l'examen de ces feuillets plusieurs de nos vénérables frères les cardinaux de « la sainte Église romaine, et d'autres docteurs dans « la sacrée théologie, lesquels, après une mûre discussion, nous ont rapporté ce qu'il leur semblait « sur cette affaire. Ayant donc entendu les avis « desdits cardinaux et docteurs, Nous déclarons, de « la plénitude de l'autorité apostolique, les injonctions contenues dans les susdits feuillets, nulles, « vaines, invalides, sans effet, attentatoires, et de « nulle force pour le présent et pour l'avenir.

« Et néanmoins, pour plus grande précaution et « en tant que besoin est, nous les révoquons, cassons, irritons, annulons, destituons entièrement « de toutes forces et effet, voulant et ordonnant « qu'elles soient à jamais regardées comme révoquées, cassées, irritées, nulles, invalides et abolies. Défendons en outre, par la teneur des présentes, de lire ou retenir lesdits feuillets, tant imprimés que manuscrits, et en interdisons l'impression, transcription, lecture, rétention et usage, à « tous et chacun des fidèles chrétiens même dignes « d'une mention spéciale et individuelle, sous peine « d'excommunication encourue *ipso facto* par les « contrevenants, et de laquelle nul d'entre eux ne « pourra être absous que par Nous, ou par le pontife romain pour lors existant, si ce n'est à l'article « de la mort. Voulant et mandant d'autorité apostolique que ceux qui auraient ces feuillets en leur « possession, aussitôt que les présentes lettres parviendront à leur connaissance, les livrent et consignent aux ordinaires des lieux, ou aux inquisiteurs de l'hérétique perversité, lesquels auront « soin de les livrer incontinent aux flammes (324). »

Telle fut la première sentence du siége apostolique contre les oppositions françaises à la légende de

(323) 7 octobre 1729.

(324) *Benedictus papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.*

Cum ad apostolatus nostri notitiam pervenerint quædam folia Gallico idiomate typis impressa sub titulo : *Mandement de Monseigneur l'evêque d'Auxerre, qui défend de réciter l'office imprimé sur une feuille volante, qui commence par ces mots :* Die 25 Maii, in festo sancti Gregorii VII papæ et confess.... *Donné à Auxerre, le vingt-quatrième de juillet mil sept cent vingt-neuf.* Nos quamplures ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, aliosque in sacra theologia magistros ad illorum examen delegimus, qui post maturam eorumdem foliorum discussionem, quid sibi ea super re videretur, Nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum cardinalium, et in sacra theologia magistrorum sententiis, de apostolicæ potestatis plenitudine, ordinationes in præfatis foliis contentas, nullas, inanes, invalidas, irritas, attentatas, nulliusque omnino roboris et momenti esse, et perpetuo fore, tenore præsentium declaramus.

Et nihilominus ad majorem cautelam, et quatenus opus sit harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annulamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque, et effectu penitus omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus; folia vero prædicta tam impressa, quam etiam manuscripta legi, seu retineri tenore pariter præsentium prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christi fidelibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a quo nemo a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino quoque interdicimus. Volentes, et auctoritate apostolica mandantes, ut quicunque folia hujusmodi penes se habuerint, illo statim, atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum ordinariis, vel hæreticæ pravitatis inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi vero ea sibi sic tradita illico flammis aboleri curent : in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Ut autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus etiam, et auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas basilicæ principis apostolorum, ac cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicatæ omnes, et singulos quos concernunt perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ et intimatæ fuissent.

Utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesia dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus

saint Grégoire VII. Rome faisait voir assez, sans doute, qu'elle n'avait pas lancé à la légère cet éloge d'un si illustre pontife, et qu'elle ne reculerait pas dans la ligne qu'elle avait adoptée. Le gallicanisme n'avait cependant pas encore atteint la mesure de son audace, en France. Le 30 septembre vit paraître un mandement colossal de Jacques-Bénigne Bossuet, évêque de Troyes, qui venait se joindre à ses collègues d'Auxerre, de Montpellier et de Metz, et affronter les redoutables hasards d'une lutte avec l'Église romaine. Ce mandement, qui était tout un gros livre, avait été facile à rédiger. L'auteur s'y était tout simplement proposé d'établir la doctrine du premier article de la Déclaration de 1682, et pour cela, il avait cru suffisant de traduire en français assez lourd plusieurs des pages que son oncle a consacrées à cette matière, dans la *Défense*, encore inédite, *de la Déclaration du clergé de France*. Nous ne citerons que quelques lignes de cet énorme *factum*, tout rempli d'injures brutales contre les souverains pontifes :

« Vous sentez, mes chers frères, à ce simple exposé, dit le prélat, tout le *poison* dont cette feuille « est remplie ; vous en comprenez tout le danger, « vous apercevez sans peine les maximes qu'on « voudrait vous inspirer, en vous proposant de célébrer dans vos jours de fêtes *des actions qui auraient dû demeurer ensevelies dans un éternel oubli,* « *et qui ne peuvent que déshonorer leurs auteurs* ; de « consacrer par un culte public la mémoire d'une « sanglante tragédie, et de canoniser dans les offices « de l'Église, comme inspirée par le Saint-Esprit, « une conduite entièrement opposée à l'Évangile, à « l'esprit de Jésus-Christ et de la sainte Église. »

L'évêque de Troyes finissait par défendre, dans tout son diocèse, l'usage de la légende, *pour donner au roi de nouvelles preuves de son attachement à sa personne sacrée, de son zèle pour la défense des droits de sa couronne et pour le maintien de la tranquillité de son royaume ; enfin, pour préserver le troupeau de Jésus-Christ des illusions d'une fausse piété.*

Rome ne pouvait demeurer impassible à ces nouveaux outrages. Un second bref, portant condamnation du mandement de l'évêque de Metz, et conçu dans les mêmes termes que celui qui avait été lancé contre l'évêque d'Auxerre, fut solennellement publié et affiché dans Rome, le 8 octobre.

En France, ces actes apostoliques ne ralentissaient pas le zèle des ennemis de Rome. Le scandale d'un nouveau mandement contre la légende éclatait à grand bruit. Voici en quels termes Honorat de Quiquerand de Beaujeu, évêque de Castres, s'exprimait sur la légende, dans une lettre pastorale du 11 novembre 1729 : « Je ne puis me résoudre de traduire « ici des paroles plus propres à scandaliser les bons « Français qu'à édifier les bons catholiques. » Nous

A ne le suivrons pas dans le cours de ses banales déclamations, au milieu desquelles il cherche à insinuer que des motifs humains pourraient bien avoir dicté seuls la canonisation de Grégoire VII, et nous nous hâtons d'arriver à la conclusion, dans laquelle le prélat déclare que, *pour prévenir autant qu'il dépend de lui les impressions qu'une fausse maxime pourrait faire sur les esprits de toutes les personnes qui, avec beaucoup de piété, manquent de lumières, il défend de réciter le nouvel office, soit en public, soit en particulier, ordonnant que les exemplaires en soient rapportés au greffe de son officialité : le tout sous les peines de droit.*

Quelques semaines après, le 6 décembre, Rome, pour la troisième fois, répondait à ces grossières

B insultes par un bref qui flétrissait avec énergie le mandement de l'évêque de Montpellier, et ce bref ne tarda pas d'être suivi d'un quatrième, par lequel Benoît XIII, sous la date du 19 du même mois, infligeait enfin, par son autorité apostolique, aux parlements de Paris et de Bordeaux, le châtiment qu'ils avaient mérité par leurs arrêts attentatoires à l'autorité du saint-siége et à l'honneur d'un glorieux serviteur de Dieu. Dans ce bref remarquable, le pape ne se contentait pas de déclarer abusifs et nuls pour la conscience les arrêts et injonctions de ces parlements, mais il les cassait et annulait de sa propre autorité, en la manière que, dans les jours même où nous écrivons ces lignes, Grégoire XVI vient de casser et d'annuler tous les actes de la régence

C d'Espagne qui sont contraires aux droits et à la liberté de l'Église.

« Comme il est parvenu à nos oreilles, disait Benoît XIII, que plusieurs magistrats, officiers et « ministres séculiers, se sont élevés, dans des édits, « arrêts, résolutions, ordonnances, mandats et autres « règlements et provisions, sous quelque nom que « ce soit, contre le décret récemment publié par « nous pour l'extension de l'office de saint Grégoire VII à toute l'Église ; office qui, en vertu des « indults de Paul V, Clément X, Alexandre VIII et « Clément XI, nos prédécesseurs d'heureuse mémoire, se célébrait déjà publiquement et solennellement dans beaucoup d'églises du monde chrétien, et que nous avons rendu obligatoire pour

D « tous ceux qui sont tenus aux heures canoniales, « à l'effet d'accroître le culte de ce saint pontife et « confesseur qui a travaillé avec un courage si infatigable au rétablissement et au renouvellement de « la discipline ecclésiastique, et à la réforme des « mœurs ;

« Voulant, conformément au devoir de la charge « pastorale que la divine miséricorde a confiée à « notre bassesse, et qui est si fort au-dessus de nos « mérites et de nos forces, défendre et conserver « sans diminution et sans tache notre autorité et

fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 17 Septemb. 1729, pontificatus nostri anno sexto.

« celle de l'Église, attaquées dans les pernicieuses « entreprises de ces laïques, et ayant présente à notre « esprit toute la suite de toutes et chacunes des « choses qui se sont passées........; du conseil de « plusieurs de nos vénérables frères les cardinaux « de la sainte Église romaine, par l'autorité aposto- « lique, de la teneur des présentes, nous déclarons « les édits, arrêts, résolutions, décrets, ordonnances, « promulgués par les magistrats même suprêmes, « et tous officiers ou ministres séculiers de quelque « puissance laïque que ce soit, contre notre susdit « décret d'extension de l'office de saint Gré- « goire VII....., nuls, vains, invalides, dépourvus à « perpétuité de toute force, ni valeur, ainsi que « toutes les choses qui en sont suivies ou sui- « vraient;

« Et de plus, pour plus grande sûreté, et en tant « que besoin est, par les présentes, nous les révo- « quons, cassons, irritons, annulons et abolissons « à perpétuité, les privant de toute force et effet, et « voulons qu'ils soient à jamais tenus pour révo- « qués, cassés, irrités, annulés, invalidés, abolis, « et privés entièrement de toute force et effet, « etc. (325). »

A La nouvelle de ce bref arriva bientôt en France et ne tarda pas à exciter la fureur des suppôts du gallicanisme. Le parlement de Paris rendit, en date du 23 février 1730, un arrêt contre la publication, distribution et exécution de ce bref, ainsi que de ceux qui avaient été lancés contre les évêques. Cette cour exhalait son indignation par le ministère de son fidèle organe, Gilbert de Voisins, qui s'exprimait ainsi dans le début de son réquisitoire :

« Après l'arrêt solennel que la cour rendit, au « mois de juillet dernier, sur nos conclusions, à « l'occasion de l'office de Grégoire VII, nous avions « lieu de croire que nous n'aurions plus d'autre « devoir à remplir sur cet objet, et que la cour « de Rome nous en laisserait insensiblement perdre B « la mémoire.

« Mais nous reconnaissons, avec douleur, combien « nos espérances ont été trompées, à la vue d'un « bref de Rome, que nous avons entre les mains, « *et dont on peut dire qu'il réduit en pratique la* « *doctrine répandue dans l'office de Grégoire VII*, en « cassant, par l'autorité pontificale, tous édits, « arrêts, ordonnances, et autres actes émanés à ce « sujet des puissances séculières, même souveraines.

(325) *Benedictus papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.*

Cum ad aures nostras pervenerit nonnullos magistratus, seu officiales et ministros sæculares, quibusdam edictis, decretis, senatusconsultis, præceptis, mandatis, aut id genus, aliisve quocunque nomine nuncupatis ordinationibus, seu provisionibus adversus decretum extensionis ad universos Christi fideles, qui ad horas canonicas tenentur, officii S. Gregorii papæ VII, quod prius ex indultis fel. rec. Pauli V, Clementis X, Alexandri VIII, et Clementis XI, Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, in pluribus jam Christiani orbis Ecclesiis passim recitabatur, atque publice et solemniter celebrabatur, a Nobis ad augendum cultum *S. pontificis et confessoris*, qui in exstirpandis erroribus, ecclesiastica disciplina restituenda, et instauranda, corruptisque moribus reformandis strenue ac indefesse elaboravit, novissime editum, insurrexisse :

Hinc est, quod nos ex debito pastoralis officii, quod humilitati nostræ, meritis licet et viribus longe impari, commisit divina dignatio, nostram, et ecclesiasticam auctoritatem a perniciosis hujusmodi laicorum conatibus illæsam, et illibatam tueri, et conservare volentes, nec non omnium, et singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo, acta, et gesta fuerunt, seriem, aliave quæcunque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, de quamplurium venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. cardinalium consilio, edicta, decreta, senatusconsulta, præcepta, mandata, et quasvis alias quocunque nomine nuncupatas ordinationes, sive provisiones per magistratus, etiam supremos, seu officiales et ministros sæculares aut alias a quacunque laicali potestate, ejusque nomine adversus decretum extensionis officii ejusdem S. Gregorii papæ VII, per Nos, sicut præmittitur, editum quomodocunque, et ubicunque promulgata et promulganda, ac quævis alia in præmissis, seu eorum occasione quomodolibet acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis, et quandocunque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita et de facto præsumpta, nulliusque prorsus roboris et momenti esse, et perpetuo fore, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Et nihilominus ad majorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula harum serie itidem C perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annulamus, et abolemus, viribusque et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis nullis, invalidis, et abolitis, viribusque et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus : sicque et non aliter in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. præfatæ cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacunque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Ut autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, nec quisquam illarum D ignorantiam allegare possit, volumus, ac pariter decernimus, ut illæ ad valvas basilicæ principis apostolorum, ac cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicatæ omnes, et singulos quod concernunt perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ et intimatæ fuissent.

Utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 19 Decemb. 1729 pontificatus nostri anno sexto.

« Ce bref entreprend de soumettre au sacerdoce « l'empire temporel des souverains; il exerce une « autorité suprême sur des actes revêtus du ca- « ractère de leur pouvoir. Il attaque leur indépen- « dance jusque dans ses fondements, et tend à leur « ôter la voie de la défendre. »

Toutefois; l'arrêt du 22 février 1730, quoique rendu dans les formes et imprimé, ne fut pas publié : défense expresse en fut intimée au parlement de la part du cardinal de Fleury. Déjà, dès les premiers jours du mois de décembre 1729, le chancelier avait écrit aux gens du roi de tous les parlements de ne faire aucun réquisitoire concernant les libertés de l'Église gallicane sans avoir auparavant consulté la cour; il avait même déclaré en termes exprès, à l'avocat général du conseil supérieur de Roussillon, qu'il fallait *aller doucement* et qu'on *n'était pas en position de soutenir cette affaire.*

Cette conduite du gouvernement, opposée au vœu de la magistrature, s'expliquera facilement si l'on se rappelle la situation du pouvoir royal à cette époque. Sans doute, les maximes qui avaient prévalu depuis longtemps à la cour de Versailles ne permettaient pas qu'on tolérât dans les Églises du royaume l'usage de la légende de saint Grégoire VII; mais, d'autre part, un éclat contre Rome eût ameuté le parti janséniste, qui ne demandait qu'à se ruer contre cette autorité sacrée que la couronne de France trouvait encore bonne à conserver. Les pamphlets jansénistes du temps retentissent des accents de jubilation du parti qui se croyait à la veille de voir rapporter, par le fait de la suppression de la légende, l'odieuse condamnation de la proposition XCI de Quesnel; mais la cour avait besoin de la bulle *Unigenitus* pour contenir la séditieuse phalange des nouveaux calvinistes, tandis que, d'autre part, les quatre articles de 1682, en vain révoqués par Louis XIV, lui semblaient le palladium de l'autorité royale. Ce n'était donc ni des mandements déclamatoires, ni des arrêts fanatiques qu'il lui fallait : mais tout simplement une résolution prise à l'amiable par le clergé de supprimer sans bruit la légende (326). Ainsi la cour l'entendit; ainsi fut-elle docilement comprise dans toute l'Église de France; en sorte que jusqu'à la destruction de l'ancienne société, en 1789, pas une Église séculière ou régulière n'avait pu inaugurer le culte du grand pontife Grégoire VII. Donnons encore quelques traits de cette déplorable histoire.

L'évêque d'Auxerre, toujours ardent à la défense de la double cause gallicane et janséniste, sentant aussi la fausse position de la cour et de l'épiscopat dans leur résolution d'ensevelir la légende sans éclat, s'agitait en désespéré pour accroître le bruit. Il présentait requête au parlement de Paris contre le bref qui avait flétri son mandement, ayant préalablement pris l'avis d'un conseil auquel ne siégeaient pas moins de cent avocats. Peu de jours après, le 11 février 1730, il adressait ses doléances au roi, dans une longue lettre, où il cherche à exciter le zèle du monarque contre les entreprises de la cour de Rome (327). Il n'obtint cependant pas l'éclat qu'il désirait; car, le 18 février, le cardinal de Fleury écrivit aux gens du roi la lettre suivante, qui montra que la politique du moment était de s'en tenir à la paix :

« Je n'ai rien à ajouter, Messieurs, à ce que « j'écris à M. le premier président; et je m'en remets « aussi aux ordres du roi, que M. le chancelier vous « communiquera. Il suffit, dans les conjectures pré- « sentes, que l'essentiel, c'est-à-dire les maxi- « mes du royaume, soient à couvert : et la prudence « demande qu'on ne cherche pas à irriter le mal, « plutôt que de le guérir. Le roi veut surtout qu'il « ne soit fait aucune mention de la requête, ni du « mandement de M. l'évêque d'Auxerre. Il devait « savoir qu'avant de le publier, il convenait qu'il sût « les intentions de S. M. sur une matière aussi déli- « cate, et concerter la manière dont il s'expliquerait; « et il est encore plus indécent qu'il fasse signer « sa requête par une foule d'avocats. Ce procédé « tient beaucoup plus d'une cabale que d'un véritable zèle. »

Or, l'année 1730 devait voir réunie l'assemblée générale du clergé, et chacun pensait en soi-même combien alors serait embarrassante la situation des prélats dans cette conjoncture délicate. S'élèveraient-ils contre la légende ? la passeraient-ils entièrement sous silence ? Tel était le problème difficile qui restait à résoudre. En attendant, soit hasard, soit intention, l'assemblée s'ouvrit à Paris le 25 mai, jour même de la fête de saint Grégoire VII. Le 22 juin suivant, le cardinal de Fleury s'étant présenté à l'assemblée, et ayant pris la place du président, Son Éminence, dans un discours sur la situation des affaires ecclésiastiques, dit, entre autres choses, « que « personne n'ignorait avec quel artifice et quelle « mauvaise foi les novateurs cherchaient à répandre « d'injustes soupçons contre le clergé de France, « comme si, en se déclarant aussi solennellement

(326) L'archevêque de Vintimille était trop prudent pour s'être mis en avant d'une manière éclatante dans cette affaire. Le 6 février 1730, il écrivait au pape pour le prier *de fermer les yeux sur ce qu'il croirait être son affaire dans la question de la légende*, et le priait de considérer *combien il lui avait fallu de courage pour ne la pas prohiber, comme d'autres, par un mandement.* (*Nouvelles ecclésiastiques*, 1er *mai* 1731.) Dans le fait, pour les prélats attachés à la doctrine de 1682, la position était bien difficile. Leur réserve dans une occasion si délicate ne tarda pas à leur attirer le reproche de contradiction, de la part des jansénistes.

(327) Dès le 31 décembre précédent, l'évêque de Montpellier avait écrit une première épître au roi, pour lui dénoncer le danger que courait sa personne, et pour le supplier de faire faire, à la prochaine assemblée du clergé, une nouvelle déclaration des quatre articles de 1682, et de pourvoir à ce qu'elle fût lue désormais tous les ans dans l'Église.

qu'il a fait en faveur de la bulle *Unigenitus,* il eût A eu intention secrète de favoriser des opinions aussi injurieuses à l'indépendance du pouvoir temporel de nos rois, qu'opposées aux anciennes maximes que les évêques de France avaient, dans tous les siècles, si constamment défendues; que, quoique cette indigne accusation ne fût pas revêtue de la plus legère ombre de vraisemblance, il lui paraissait cependant que, pour ôter à leurs ennemis le dernier retranchement qu'ils avaient imaginé pour affaiblir l'autorité des jugements prononcés contre eux, il était de l'honneur du clergé de s'expliquer sur cette calomnie de manière à leur fermer la bouche et à découvrir toute leur malignité (328). »

L'archevêque de Paris, Charles de Vintimille, B ans sa réplique au cardinal, répondit en ces termes ur l'article en question :

« A l'égard de nos maximes sur le temporel de nos rois et la fidélité que nous leur devons, qui est-ce qui les a plus à cœur et qui les annonce avec plus de zèle que le clergé de France? Vous savez, Monseigneur, et j'avais eu l'honneur de vous le dire en particulier, ce que pensent tous ceux qui composent cette illustre assemblée, qui avait résolu de ne point se séparer sans s'expliquer d'une manière à fermer la bouche à un parti opiniâtre qui, dans le temps qu'il méconnaît l'autorité de l'Église et celle du roi, ose se couvrir d'un prétendu zèle pour ces mêmes maximes (329). » C

Nous ne tarderons pas à voir comment l'assemblée e tira de ce pas difficile; mais, en attendant la décision, un incident remarquable la força de prendre osition sur le fait même de la légende. L'évêque l'Auxerre avait imaginé d'adresser une lettre à 'assemblée, pour lui remontrer l'obligation où elle était de sévir contre la scandaleuse entreprise de Rome, et ramenait dans l'affaire la condamnation de la proposition XCI de Quesnel. L'assemblée, ayant refusé d'entendre la lecture de la lettre, prit les résolutions suivantes que nous empruntons à son procès-verbal :

« La compagnie a unanimement témoigné qu'elle « avait un juste sujet de se plaindre de la conduite « de monseigneur l'évêque d'Auxerre, qui croyait D « devoir exciter le zèle de l'assemblée pour le main- « tien des droits sacrés attachés à l'autorité royale, « comme si elle méritait d'être soupçonnée d'en « manquer.

« Que cette conduite de monseigneur l'évêque « d'Auxerre était d'autant moins convenable, que ce « prélat s'ingérait à faire des observations à une as- « semblée qui n'en avait pas besoin, et dont il ne « pouvait ignorer les sentiments; tandis qu'il était « lui-même dans une désobéissance ouverte à l'au- « torité de l'Église, dont il rejetait les décisions; qu'il « se trouvait par là réfractaire aux ordres du roi, « qui, comme protecteur de l'Eglise, employait son « autorité à en faire exécuter les lois.

« Que l'assemblée comprenait sans peine que le « motif qui avait porté Monseigneur l'évêque « d'Auxerre à lui écrire n'était que pour se don- « ner la liberté de s'élever contre la constitution « *Unigenitus;* mais que ce n'était pas sans indigna- « tion que l'assemblée voyait à quels excès il s'était « ci-devant porté contre un jugement dogmatique « de l'Église universelle, auquel tout évêque, comme « tout fidèle, doit adhérer de cœur et d'esprit.

« Que l'assemblée, au surplus, était justement « scandalisée de ce que ce prélat prétend qu'il y a « une liaison entre la constitution *Unigenitus* et l'o- « pinion qui combat l'indépendance de nos rois « et de leur couronne en ce qui concerne le « temporel : enfin que, par toutes ces raisons, « l'assemblée ne devait point permettre qu'on lût la « lettre que Monseigneur l'évêque d'Auxerre lui avait « adressée (330). »

Peu de jours après, l'assemblée eut à s'occuper de la lettre que l'évêque de Montpellier avait écrite au roi, le 31 décembre 1729, au sujet de la légende, et dans laquelle il cherchait à jeter des nuages sur les intentions des prélats qui n'avaient pas jugé à propos de prohiber, par mandements, le culte de saint Grégoire VII. Jalouse de se justifier du soupçon d'indifférence pour les droits de Sa Majesté, l'assemblée arrêta le plan d'une adresse à Louis XV, qui fut rédigée et signée sous la date du 11 septembre. Les prélats s'y plaignaient amèrement des insinuations de l'évêque de Montpellier contre leur fidélité, et disaient entre autres ces paroles remarquables :

« C'est par de vaines déclamations et par des im- « putations calomnieuses, que M. l'évêque de Mont- « pellier croit pouvoir faire oublier ses excès, et « couvrir, à l'ombre d'un zèle amer et déplacé, les « erreurs qu'il débite et le scandale qu'il cause dans « l'Église. Cet artifice n'est pas nouveau; tous les « sectaires l'ont mis en usage; les ennemis de l'unité « s'en servent aujourd'hui, et leur dessein est aisé à « pénétrer. Occupés depuis seize ans à soulever les « magistrats et les peuples contre l'autorité de la « constitution, et à rendre méprisables ceux qui « l'ont reçue, ils ont saisi l'occasion de la légende de « Grégoire VII, *légende qui n'a été adoptée dans votre « royaume par aucun évêque, et dont l'usage n'a été « et ne sera permis dans aucun de nos diocèses;* ils « ont cru pouvoir, par des réflexions malignes et « captieuses, rompre l'union et le concert qui rè- « gnent entre les deux puissances, et, à la faveur des « divisions qu'ils tentent d'exciter, se mettre à « couvert de l'une et de l'autre; ils ont voulu, par « une diversion sur les contestations qu'ils s'effor- « cent de réveiller, faire perdre de vue l'intérêt com- « mun de l'Eglise et de l'État, qui consiste à conser-

(328) Procès-verbaux du clergé, tome VII, page 892.

(329) Procès-verbaux du clergé, *ibid.*, page 894.
(330) Procès-verbaux, *ibid.*, page 1062.

« ver l'unité de la foi, et à ramener ou à soumettre « ceux qui la violent.

« On affecte, Sire, de mettre une différence entre « la puissance de Louis XIV et la vôtre : c'est un « trait également injurieux à Votre Majesté et à « votre auguste bisaïeul : héritier de son trône et de « ses vertus, devenu l'amour de vos peuples en nais- « sant, sans avoir jamais éprouvé aucune contradic- « tion, ni domestique, ni étrangère, *que pourrait-il « manquer à Votre Majesté, pour soutenir ses droits, « comme il soutenait les siens?* Mais, en les soute- « nant, ce grand roi n'oublia jamais les sages ména- « gements que la religion inspire (331). »

Voilà sans doute quelque chose de positif. Point de mandements contre la légende de saint Grégoire VII, que l'Église gallicane appelle ici simplement *Grégoire VII*, dans une occasion *où il s'agit précisément du culte décerné à ce saint pontife*, protestant ainsi contre le Martyrologe et contre l'autorité qui promulgue le calendrier catholique; point de mandements individuels et passionnés; mais la résolution prise, en corps, froidement et d'autorité, par l'assemblée, d'étouffer ce *culte*, d'arrêter l'effet des volontés apostoliques; de se mettre, par une désobéissance flagrante au saint-siége, dans une situation analogue à celle de l'évêque d'Auxerre, dont on signalait l'esprit de révolte. Sans doute, cette désobéissance de l'assemblée aux ordres du pape, n'avait lieu que sur un point de simple discipline; mais croyait-on pouvoir conserver longtemps dans le clergé les liens de la subordination, quand on les brisait si aisément à l'égard du pontife qui, d'après la doctrine même de 1682, rend des décrets qui obligent toutes les Églises? Rome dissimula l'outrage; mais elle maintint courageusement la légende. Un siècle s'est écoulé depuis, et voilà qu'une auréole de gloire environne le nom de ce Grégoire VII que l'assemblée refusa d'appeler *saint*, et la voix publique salue avec acclamation celui dont les prélats de 1730 se faisaient honneur d'avoir banni la mémoire de leurs diocèses (332). Certes, si la patience de Dieu est d'autant plus imposante qu'il en puise le motif dans son éternité, combien est sublime celle de sa noble épouse, notre mère, la sainte Église romaine, dont le temps vengea toujours l'injure!

Cette adresse déplorable était signée de quatorze archevêques et évêques de l'assemblée, et de dix-neuf députés du second ordre. Un seul nom y manquait. C'était celui de Jean-César de la Parisière, évêque de Nîmes. Ce prélat, zélé contre le jansénisme et honoré de la haine de la secte, fut un de ceux qui osèrent maintenir le bréviaire romain dans leurs Églises au milieu de l'innovation liturgique. Dans l'assemblée de 1730, il vit de bonne heure tout ce que la conduite de ses collègues contre la légende de saint Grégoire VII renfermait de contraire à l'honneur du Siége apostolique, et, malgré tout l'éloignement qu'il professait pour la personne et les doctrines de l'évêque de Montpellier, il osa refuser de prendre part à la délibération qu'on tint au sujet de la lettre de ce prélat au roi, et dans laquelle on concerta l'adresse dont nous venons de parler. Son isolement à l'égard de tout ce qui se passa dans cette affaire est expressément attesté dans le procès-verbal de l'assemblée (333).

Nous ignorons comment il se put faire que ce prélat, qui avait refusé de partager avec ses collègues la responsabilité de l'adresse qu'ils présentèrent à Louis XV, pour l'assurer de la fidélité qu'ils lui garderaient aux dépens même de l'obéissance jurée au saint-siége, fut néanmoins choisi pour rédiger et prononcer la harangue au roi, par laquelle se terminaient d'ordinaire les assemblées du clergé. Quoi qu'il en soit, cette harangue courageuse et indépendante roulait uniquement sur les maux de l'Église. L'évêque de Nîmes y signalait avec une éloquence apostolique les entreprises des magistrats contre la liberté ecclésiastique et l'insolence de la secte janséniste, enhardie par une telle protection; et, rappelant l'obligation pour un roi chrétien de défendre le clergé, il disait ces belles paroles :

« C'est pour cela, Sire, que votre trône, qui, « depuis qu'un saint pontife le consacra, en arra- « chant le grand Clovis au paganisme, n'a jamais « été profané par l'erreur, est une ressource si sûre « et si nécessaire pour nous, et que le droit qu'il « vous a donné de nous protéger est le plus au- « guste de tous vos titres. Nous venons à vous pour « maintenir l'ouvrage de Jésus-Christ même, et « pour nous conserver la liberté d'un ministère « dont l'usurpation et la violence peuvent bien ar- « rêter l'exercice, mais qu'on ne saurait essentiel- « lement nous ravir.

« Tout ce qui n'est qu'humain peut être à la « merci des hommes; mais, pour le dépôt de la « foi, et notre juridiction qui en est une suite né- « cessaire, c'est notre trésor, notre gloire, notre « engagement : nous ne pouvons jamais consentir « qu'on nous l'enlève; nous en sommes redevables « à Dieu, à l'Église, aux peuples, à Votre Majesté, « dont le règne est fondé sur la catholicité, et « doit toujours se soutenir sur les mêmes prin- « cipes (334). »

(331) Procès-verbaux du clergé, *ibid.*, page 1074.

(332) Et remarquez qu'en condamnant simplement à l'oubli la mémoire de saint Grégoire VII, l'assemblée prêtait le flanc à ses adversaires les jansénistes, qui étaient en droit de lui reprocher de ne prendre que des mesures négatives à l'égard d'une entreprise romaine contre laquelle elle croyait pourtant devoir réclamer. Le parlement de Paris prépara donc un arrêt contre l'adresse, et l'on vit paraître peu après une brochure sanglante intitulée : *La cause de l'État abandonnée par le clergé de France, ou Reflexions sur la lettre de l'assemblée du clergé au roi, du* 11 *septembre* 1730. In-4°, de 68 pages.

(333) Page 1073.

(334) Procès-verbaux, page 1220.

C'était le dernier soupir de l'antique liberté qui s'exhalait dans ces fortes paroles: *Votre Majesté, dont le règne est fondé sur la catholicité.* Jamais plus un seul mot dans les actes du clergé français ne rappela cet axiome de l'ancien droit de la chrétienté, qu'*une nation catholique ne pouvait être gouvernée que par un prince catholique*.

Ce mot si court, si simple, mais si profond que l'évêque de Nîmes avait jeté dans sa harangue, était d'ailleurs la seule allusion qu'elle renfermât à l'affaire de la légende de saint Grégoire VII; mais on ne pouvait désavouer avec plus de délicatesse tout ce qui s'était fait contre l'héroïque pontife qu'en rappelant, en présence du roi même, qu'il y avait encore quelque chose au-dessus de sa couronne : *l'intérêt de la catholicité.* Certes, la harangue ferait oublier l'adresse, si on n'était contraint de voir dans la harangue le fait d'un seul évêque, et dans l'adresse la résolution prise et observée, jusqu'à la fin, par les représentants du clergé d'alors, d'anéantir le culte de saint Grégoire VII. Or, ceci se passait en 1730; et avant la fin du même siècle, cette royauté, qui avait voulu être *inamissible*, était déclarée abolie à jamais. Le successeur de Louis XV, atteint du vertige dont Dieu semblait avoir frappé ceux de sa race, après s'être vu entraîné à sanctionner des actes qui anéantissaient l'Église, montait sur un échafaud, sans que sa loyauté, sa vertu ni son repentir fussent capables de sauver les principes monarchiques éclipsés pour de longues années encore, tandis que, ramené en triomphe, saint Grégoire VII reparaît avec une majesté inouïe et partagera désormais avec Charlemagne le titre sublime de fondateur de la société européenne.

Il nous tarde de finir le honteux récit des outrages qu'eut à subir en France, au XVIIIe siècle, la mémoire de l'incomparable pontife. Hâtons-nous donc de dire que l'évêque de Montpellier, dans son courroux contre l'assemblée qui avait refusé de s'associer à ses fureurs, attaqua violemment son collègue l'évêque de Nîmes, dans une lettre pastorale, en date du 30 novembre 1730, où il s'efforce de montrer la contradiction, *évidente en effet*, entre la harangue du prélat et l'adresse de l'assemblée au roi. « Dans la harangue, dit-il, on « donne pour maxime que *le règne de Sa Majesté est* « *fondé sur la catholicité* et qu'*il doit toujours se* « *soutenir sur les mêmes principes;* d'où il est aisé « de conclure que si un prince avait le malheur de « tomber dans l'hérésie, le pape serait en droit de « le déposer, et les peuples seraient dispensés de lui « obéir! » D'un autre côté, le parlement de Paris, soulevé d'indignation, préparait une procédure contre la harangue, et faisait faire par son président des remontrances au roi sur les principes attentatoires à la majesté royale que l'orateur y avait professés: tout faisait présager un orage. L'esprit pacifique du cardinal de Fleury parvint, cette fois encore, à l'apaiser, et le roi s'en tint à déclarer au parlement qu'il évoquait l'affaire à son conseil. Tout se termina là (335); les vagues tombèrent peu à peu, mais la France demeura en dehors de la catholicité, quant au culte d'un saint pape. On put voir alors tout le chemin qu'on avait fait depuis 1682.

Si nous recherchons maintenant ce qui se passa dans plusieurs autres contrées de l'Europe, au sujet de la légende, nous rencontrons des faits singulièrement humiliants pour nous autres Français; il est triste, en effet, de voir les adversaires de l'Église et les hérétiques eux-mêmes s'unir à nous pour anéantir le culte d'un saint.

Naples avait eu la gloire de porter le premier coup au siége apostolique dans cette déplorable circonstance. Cette ville et son État appartenaient alors à l'empereur, qui y entretenait un vice-roi. Ce personnage, nommé le comte de Harrach, ayant eu connaissance de l'entrée de la légende dans ce royaume, s'empressa d'en dénoncer la publication au tribunal napolitain dit *du collatéral,* où on ne manqua pas de la traiter comme un délit, et le vice-roi, le 3 mars 1729, adressait à son souverain un long rapport, dans lequel, après avoir discuté longuement les graves dangers qui s'ensuivaient tout naturellement pour la couronne impériale du seul fait de la légende, il s'exprimait en ces termes:

« De tous ces *grands et insupportables préjudices,* « qui naissent en général de la publication des sus- « dites leçons contre l'indépendance de la souve- « raineté, et en particulier contre les droits royaux « de Votre Majesté, comme empereur, il nous pa- « raissait s'ensuivre naturellement qu'il était du « devoir de notre charge, qu'imitant la coutume et « l'adresse de la cour romaine, nous eussions dé- « fendu ces leçons, ordonnant aux évêques de ne « les point insérer dans les bréviaires. Mais ayant « fait réflexion que nonobstant cette défense, *les* « *ecclésiastiques auraient continué de les réciter,* et « que la prohibition d'un office *aurait causé du*

(335) Nous ne pensons pas devoir ennuyer le lecteur du récit des clameurs que poussèrent les jansénistes au sujet d'un tableau que le cardinal de Bissy avait placé dans sa cathédrale de Meaux, représentant un pape assis sur son trône, revêtu pontificalement et remettant un globe à un empereur découvert et incliné. Ce pape était Benoît VIII, et cet empereur saint Henri II, patron du cardinal de Bissy. L'évêque de Montpellier, qui revient sans cesse sur ce sujet dans sa volumineuse correspondance, voulait voir dans ce pape saint Grégoire VII, et dans cet empereur Henri IV. On ne saurait s'imaginer toutes les extravagances que cette idée lui fait dire, et que le parti répéta sur tous les tons, Quand enfin ils eurent reconnu que ces clameurs étaient ridicules, attendu qu'il n'est dans toute la vie de saint Grégoire VII aucune circonstance à laquelle le tableau pût faire allusion, on se retrancha dans l'accusation de *mauvais citoyen,* contre le prélat qui osait mettre sous les yeux du peuple un tableau où la majesté royale était ainsi abaissée devant un pape.

« *scandale à ce peuple trop superstitieux,* et que la « cour de Rome, profitant de ce mécontentement, « aurait suscité d'autres inconvénients qui nous au- « raient après obligés à prendre de plus grands en- « gagements, le tribunal du collatéral fut d'avis de « ne point défendre de réciter les leçons, et qu'il « était même plus à propos de ne faire paraître au- « cun ressentiment, pour ne pas faire connaître aux « simples et aux ignorants le venin caché qu'elles « renferment, et qu'*il suffirait d'ordonner que les* « *imprimeurs fussent emprisonnés* et tous les exem- « plaires fussent supprimés; et cela, sur le seul « motif qu'on avait introduit, réimprimé, vendu ces « leçons sans ma permission, et celle du collatéral « contre la pragmatique de ce royaume, d'autant « plus qu'elles étaient imprimées avec la permission « des supérieurs ecclésiastiques, quoiqu'on n'eût « pas permis de la donner. »

Après la prohibition de la légende de saint Grégoire VII, par le vice-roi de Naples, vient celle que fit, peu de jours après, l'hérétique archevêque d'Utrech, Corneille-Jean Barchman, par un mandement en date du 12 mai 1730. Il tient dans cette pièce scandaleuse le même langage que nous avons remarqué dans les mandements des évêques d'Auxerre, de Montpellier, de Troyes. Ce sont les mêmes injures grossières contre le chef de l'Église, le même mépris de ses ordonnances. Si la *loi de la* « *prière,* dit Barchman, *doit établir celle de la foi,* « les évêques sont obligés de veiller pour empêcher « que rien ne se glisse dans les *prières publiques* « qui puisse corrompre insensiblement la *loi de la* « *foi.* Si on lit dans l'Église l'histoire des saints, « afin qu'en considérant la fin de la vie de ceux « qui nous ont annoncé la parole de Dieu, nous « imitions leur foi et nous suivions leurs exemples, « d'autant plus dignes d'être imités, que la piété y « paraît d'une manière plus excellente, il faut « prendre garde de ne rien louer dans les divins « offices, que nous ne devions approuver et imi- « ter même, lorsque l'occasion s'en présentera. »

Le mandement se termine par ces paroles : « A « ces causes, pour défendre la doctrine de l'Église ca- « tholique par rapport à la distinction des deux « puissances; pour conserver, autant qu'il est en « nous, à la puissance civile son indépendance « de la puissance spirituelle; pour donner à « Nosseigneurs les états généraux, suprêmes mo- « dérateurs de notre république, des preuves « de la fidélité que nous leur devons, sans affaiblir « en rien le respect que nous devons au saint-siége « apostolique, nous défendons de réciter l'office de « saint Grégoire VII, tant publiquement dans les « églises qu'en particulier, à tous ceux qui sont « obligés aux heures canoniales. La grâce de Dieu « soit avec vous tous. Ainsi soit-il. »

Lorsqu'un prélat qui se prétendait catholique, malgré l'Église, se livrait à de pareils excès, il n'y a plus lieu de s'étonner qu'un gouvernement pro-

A testant ne voulût pas demeurer en retard et se ruât avec violence contre la mémoire du saint pape. Ce n'est donc pas là ce qui doit nous surprendre ; mais ce qui est humiliant, c'est d'être forcé de reconnaître que ce gouvernement protestant, dans ses mesures hostiles *à notre foi et aux objets de notre vénération,* ne se montre pas plus hostile *que diverses puissances de la communion romaine.* Voici l'arrêt que les États généraux des Provinces-Unies firent publier et afficher, dans toutes les villes de la confédération. Il est daté du 20 septembre 1730.

« Les États de Hollande et de West-Frise, à tous « ceux qui ces présentes verront, salut.

« Comme nous avons appris qu'on abuse de notre « indulgence à conniver l'exercice du service divin
B « des catholiques romains, sans faire exécuter à « divers égards les placards émanés ci-devant con- « tre cet exercice, jusqu'au point qu'on imprime « publiquement, dans notre pays de Hollande et de « West-Frise, pour l'usage des églises romaines, « soit séparément, soit avec ou à la fin de ce « qu'on appelle *Directorium* ou bréviaire, l'office « ainsi nommé du pape Grégoire VII, arrêté à Rome « par l'autorité papale, le 25 septembre 1728; « quoique ledit office exalte comme une action « louable l'entreprise de ce pape, pour avoir ex- « communié un empereur des Romains, privé ce « prince de son royaume et absous ses sujets de « la fidélité qu'ils lui avaient promise, et qu'on ne « puisse ignorer que *diverses puissances de la com-*
C « *munion romaine* regardent cette entreprise de « Grégoire VII comme si séditieuses, si contraire à « la tranquillité publique, et d'une suite si dange- « reuse, qu'elles ne permettent pas qu'on en fasse « aucun usage dans leurs royaumes et États ;

« A ces causes, après une mûre délibération, « nous avons jugé à propos, pour la conservation « de la tranquillité commune, et pour la sûreté de « la régence et de la véritable religion réformée, « de statuer et d'ordonner contre les entreprises et « les machinations des adhérents du siége de « Rome, comme nous statuons et ordonnons par « la présente :

« Premièrement, qu'on ne pourra faire le moin-
D « dre usage dans notre pays de Hollande et de « West-Frise, soit en public, soit en particulier, « dudit office du pape Grégoire VII, sous peine que « les prêtres catholiques romains qui y contrevien- « dront seront punis sans aucune rémission comme « perturbateurs du repos public, et que les églises « de la religion romaine, chapelles ou autres as- « semblées dans lesquelles on fera à l'avenir usage « dudit office, seront fermées pendant six mois.

« En second lieu, qu'on ne pourra réimprimer « dans notre dit pays, ou y apporter du dehors le- « dit office, pour y être débité ou vendu, soit sé- « parément, ou tel qu'il est imprimé à la fin dudit « *Directorium* de la messe et autres cérémonies de « l'Église romaine, et qu'on ne pourra faire aucune

mention dudit office dans les éditions suivantes dudit *Directorium;* le tout sous peine d'une amende de mille florins contre celui qui y contreviendra, dont la moitié appartiendra à l'officier, et l'autre au dénonciateur, et d'être privé de son trafic.

« Chargeant et ordonnant à tous officiers, juges et justiciers de notre dit pays, d'exécuter et de faire exécuter notre présent placard et commandement, et de procéder et de faire procéder sans aucune grâce, faveur ou dissimulation, contre ceux qui y contreviendront; nous voulons qu'il soit publié et affiché partout où besoin sera. Fait à la Haye, le 20 septembre 1730 (336). »

Nous trouvons, en 1750, une circulaire partie du abinet impérial et adressée aux évêques des Pays-Bas, leur enjoignant de supprimer au bréviaire l'ofice de saint Grégoire VII. Le clergé de Belgique, léjà mécontent du joug autrichien, ne paraît pas voir mis une grande importance à cette prohibiion, puisque, suivant l'abbé Grégoire (337), le gouverement de Vienne fut obligé de renouveler la prosription de la légende en 1774. Il est inutile, sans loute, de faire observer que Joseph II se montra mpitoyable contre le culte du *fougueux Hildebrand;* u reste, saint Grégoire VII ne fut pas le seul saint ontife qu'il poursuivit au bréviaire. On cite, sous a date de 1787, une ordonnance de la régence de la Basse-Autriche, supprimant, au bréviaire des chaoines réguliers divers passages de l'office de pluieurs saints papes, entre autres celui-ci dans la inquième leçon de saint Zacharie, au 15 mars : *'onsultus a Francis, regnum illud a Chilperico viro tupido et ignavo, ad Pippinum pietate et fortitudine ræstantem auctoritate apostolica transtulit.* Cet ffice de saint Zacharie n'est pas au Bréviaire romain roprement dit, mais fait simplement partie des ffices *propres* du clergé de la ville de Rome.

Pour en revenir à la légende de saint Grégoire 'II, elle a néanmoins fini par triompher en Autrihe du mauvais vouloir des gouvernants, à la conition toutefois de subir de par la police une ridiule formalité. Nous ignorons à quelle époque préise a été statuée cette condition; mais tous les réviaires romains imprimés dans les États de l'Auriche depuis le commencement de ce siècle, qui ous sont tombés entre les mains, sont remarquales par une mutilation très-curieuse. Elle consiste 'abord dans la suppression de ces paroles qui terninent la cinquième leçon : *Contra Henrici imperaoris impios conatus, fortis per omnia athleta impaidus permansit, seque pro muro domui Israel poere non timuit, ac eumdem Henricum in profundum nalorum prolapsum, fidelium communione, regnoue privavit, atque subditos populos fide ei data iberavit.*

Enfin, la censure impériale, franchissant toutes

A mesures, non contente d'avoir à jamais assuré la couronne des Césars contre les entreprises de la papauté, et garanti ainsi l'inamissibilité du trône de tout envahissement de la liturgie; la censure, disons-nous, a décrété en même temps *l'impeccabilité impériale;* ce qui a bien aussi son mérite pour ce monde et surtout pour l'autre. La sixième leçon est donc maintenue dans son entier, *sauf un seul mot :* l'épithète *iniqui* appliquée à Henri de Germanie. Rome et toutes les Églises qui obéissent à ses décrets sur la liturgie, lisent *cum ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur;* dans les États d'Autriche, il faut imprimer et lire simplement : *Cum ab Henrici exercitu Romæ,* etc. Ceci ne rappelle-t-il pas tout naturellement ce qui se passa
B à Milan, il y a quelques années, quand on vit un mandement du cardinal-archevêque, à l'occasion de la mort de l'empereur François II, repris par la censure, parce que le prélat y exhortait les fidèles à prier pour un souverain bien-aimé qui, malgré toutes ses vertus, pouvait néanmoins avoir contracté quelques *taches* de l'humaine faiblesse?

Nous voyons encore, au XVIII[e] siècle, la mémoire de saint Grégoire VII outragée dans un État catholique, en Portugal. Il ne paraît pas cependant qu'on y ait proscrit la légende; mais un homme plus que téméraire, Antoine Pereira de Figueiredo, entre les nombreux écrits qu'il publia contre les droits de l'Église et du saint-siége, consacra une dissertation spéciale à combattre la per-
C sonne et les écrits de notre grand pontife, sous ce titre : *De gestis et scriptis Gregorii VII.* C'était assurément un outrage parti de bien bas, que celui qui provenait d'un homme auquel son attachement à la cause du saint-siége avait d'abord valu la disgrâce de Pombal, et qui, devenu, sans transition, l'enthousiaste prôneur de ce ministre, l'un des plus infâmes persécuteurs de l'Église, se montra l'ignoble flatteur d'un aussi pauvre souverain que le fut Joseph I[er]. Non, le caractère apostolique de saint Grégoire VII n'avait rien de commun avec l'ex-oratorien qui applaudit à l'atroce supplice de Malagrida, et dont la plume vénale écrivit les fades pamphlets intitulés : *Parallèle d'Auguste César et de Don*
D *Joseph, roi magnanime de Portugal,* et *Vœux de la nation portugaise à l'ange gardien du marquis de Pombal* (338)!

Le XIX[e] siècle a bien fourni aussi quelques insultes à la mémoire du saint pontife. Sans parler des blasphèmes qui plus d'une fois, au parlement anglais, sont partis du banc des pairs ecclésiastiques, contre la personne du *fougueux Hildebrand,* il en est dont les pays catholiques ont été le théâtre. Commençons par l'Italie.

Jusqu'en 1810, l'office de saint Grégoire VII n'avait cessé d'être célébré dans les églises des divers diocèses dont se composait le royaume d'Italie. L'excommunication encourue par Napoléon, en

(336) Gazette de Hollande, 3 octobre 1730.
(337) Essai sur les libertés de l'Église gallicane, page 110.
(338) Lisbonne, 1775.

1809 le rendit inquiet à l'excès, et l'on sait en général combien de mesures persécutrices pesèrent sur le clergé à cette époque. Mais ce que l'on sait moins, c'est que le grand empereur, en même temps qu'il élevait sa main contre Pie VII, osa défier aussi la majesté d'un pontife autrefois, comme Pie VII, assiégé et captif, mais depuis et à jamais couronné par celui qui le premier *a bu l'eau du torrent avant d'élever la tête* (339). Une lettre du ministre des cultes, Bigot de Préameneu, écrite en février 1810, enjoignait aux évêques d'Italie d'imiter le silence de l'Église gallicane sur le nom et les actes d'Hildebrand. Nous ne saurions dire les noms des prélats italiens (il y en eut plusieurs) qui préférèrent obéir à César plutôt qu'à l'Église; mais nous avons entre les mains, et nous gardons comme un monument, la lettre autographe dans laquelle Hyacinthe de La Tour, archevêque de Turin, envoie au ministre *le mandement qu'il s'est fait un devoir de donner* pour interdire l'office de saint Grégoire VII, et dont il déclare *que copie est affichée dans toutes les sacristies des églises de son diocèse.* La lettre est du 1er mars 1810.

A peine échappé aux violences de l'aigle redoutable qui étreignait l'Europe, mais toujours debout à la même place, l'héroïque Hildebrand tomba en proie à ces anarchistes dont les désirs sont aussi des désirs de tyrannie. En France, on vit le régicide Grégoire, dans son *Essai historique sur les libertés de l'Église gallicane,* publié en 1818, accumuler contre le saint pape et sa *légende* tous les blasphèmes des protestants et des jansénistes. En Espagne, au mois de mars 1822, *on faisait aux Cortès la proposition de supprimer une partie de l'office de Grégoire VII,* COMME ATTENTATOIRE AUX DROITS DES NATIONS (340)! Certes, c'était là une bien amère dérision de ces rois et de ces évêques courtisans, occupés depuis si longtemps à poursuivre le culte du saint pontife, et qui l'avaient noté comme coupable de lèse-majesté royale! Elle fut donc bien droite, bien pure, la politique de ce grand homme; Dieu avait donc placé en lui une notion bien haute du droit public, si tous les hommes à excès se sont donné le mot pour faire de son nom et de sa mémoire l'objet de leurs attaques. Jouissez de cette gloire, saint pontife : jusqu'ici nul mortel ne l'a partagée avec vous

Encore un outrage : ce sera le dernier. Au commencement de l'année 1828, une nouvelle édition du Bréviaire romain paraissait à Paris chez le libraire Poussielgue-Rusand. L'éditeur avait cru pouvoir y insérer l'office de saint Grégoire VII : encore ne l'avait-il placé qu'à la fin du volume, ne se sentant pas pleinement rassuré par la promesse de cette liberté religieuse garantie à tous par la charte de 1815. Peu de jours après la publication du bréviaire, certaines feuilles, se disant *libérales,* et fraternisant en toutes choses avec les Cortès espagnoles de 1822, se prirent à crier à l'ultramontanisme qui débordait chez nous, jusque-là, disaient-ils, qu'on osait, en 1828, imprimer et mettre en vente la légende de Grégoire VII. Leurs clameurs furent entendues, et on vit, à Paris, en 1828, la légende de saint Grégoire VII soumise, par ordre de l'archevêché, aux mutilations que lui inflige l'Autriche dans ses États, sans oublier la suppression charitable de l'épithète *iniqui,* si justement assignée à Henri IV par l'Église (341)! Depuis dix ans, plusieurs éditions du Bréviaire romain ont été données, tant à Lyon qu'à Paris; l'office de saint Grégoire VII s'y lit à sa place et dans son entier, et l'édition parisienne de 1828 va s'épuisant de jour en jour, gardant jusqu'ici la trace de cette dernière faiblesse que nous n'aurions pu taire sans partialité.

Hâtons-nous de franchir quelques années difficiles; l'heure de la réhabilitation a sonné. Le Dieu qui est admirable dans ses saints a résolu enfin de venger son serviteur Grégoire. Ce n'est plus la voix des Leibnitz, des Jean de Muller, des Voigt, etc., qui va retentir; ce n'est plus même celle de Joseph de Maistre, prophète du passé, annonçant à l'Europe que le moment est venu d'adorer ce qu'elle a brûlé, de brûler ce qu'elle avait adoré. Toutes les barrières sont tombées; c'est maintenant l'Église de France qui proclamera saint Grégoire VII sauveur de la société, restaurateur de la science, de la vertu et de la justice; et l'organe de l'Église de France, dans l'accomplissement de ce devoir sacré, sera ce pieux et savant évêque, fils, par l'intelligence autant que par le sang, du grand philosophe catholique à qui Dieu donna d'approfondir la législation primitive des sociétés, et de comprendre dans toute son étendue le rôle sublime du législateur pontife. Or, ce fut le 4 mars 1838 que fut donnée au Puy, par Monseigneur Louis-Jacques-Maurice de Bonald, aujourd'hui cardinal de la sainte Église romaine, archevêque de Lyon, primat des Gaules, cette magnifique et courageuse lettre pastorale sur *le chef visible de l'Église,* qui restera dans les annales de l'Église de France comme un des événements les plus graves qu'ait vus notre siècle qui en a vu un si grand nombre. C'est en ce jour mémorable qu'on entendit professer, avec non moins d'éloquence que de doctrine, du haut de la chaire épiscopale, la foi

(339) Psal. CIX.

(340) *L'Ami de la Religion,* 13 avril 1822, tome XXXI.

(341) « Certains journaux reprochent à un prélat illustre une édition du Bréviaire romain où se trouve une légende de Grégoire VII; mais l'accusateur n'ajoute pas que ce n'est point Mgr l'archevêque qui a fait faire cette édition du Bréviaire romain, qu'il a seulement autorisé la réimpression avant qu'elle ne se fît, qu'il n'a ni dirigé, ni surveillé l'exécution de cette entreprise, et qu'étant averti qu'il s'était glissé dans la légende de Grégoire VII une phrase en opposition avec nos maximes, il a exigé qu'on fît en cet endroit un carton ; ce qui a eu lieu. » *L'Ami de la Religion,* tome LVI, page 87, 31 mai 1828.

dans l'infaillibilité du pontife romain parlant aux Églises, et proclamer la haute mission imposée par la Providence à saint Grégoire VII, et si dignement accomplie par sa grande âme.

« L'irruption des barbares, disait le prélat, n'était « que l'image d'une invasion plus dangereuse pour « l'Église et pour le monde civilisé; ce n'était que « la figure de cette triple coalition de l'ignorance, « du vice et de la cupidité, ligués pour éteindre « toute lumière, flétrir toute vertu et étouffer toute « justice. Le moyen âge vit cet abîme dilater ses « entrailles pour engloutir la société tout entière. « Et la société, où ira-t-elle se réfugier dans sa dé-« tresse? Encore aux pieds de la chaire de saint « Pierre. Là, elle trouvera son appui et son salut, « dans un pauvre moine élevé au souverain ponti-« ficat, mais qui cachait, sous le vêtement grossier « du cloître, une âme dont l'élévation n'a pas été « comprise, et qui le serait difficilement dans nos « jours de spéculation et d'indifférence. Hildebrand « mesure la profondeur de la plaie du corps social. « A tout autre, les obstacles pour la guérir paraî-« traient insurmontables; pour Grégoire VII, c'est « dans ces obstacles mêmes qu'il puise un nouveau « courage, et va ranimer l'énergie de son caractère. « Armé d'une force inébranlable et d'une rectitude « inflexible de volonté; cédant aussi aux maximes « de ses contemporains et à l'esprit de son temps, « il entreprend une lutte terrible contre son siècle « et toutes les puissances de son siècle. La science « a déserté le sanctuaire; il l'y ramènera. La vertu « semble être bannie de tous les cœurs; il la réta-« blira dans ses droits. La justice est foulée aux « pieds; il la fera triompher. Il se croit envoyé « pour opposer un front d'airain au vice, qu'il le « trouve à l'autel ou sur le trône. Toujours inac-« cessible à la crainte, toujours au-dessus des con-« sidérations mondaines, Grégoire ne donnera point « de repos à son zèle, jusqu'à ce qu'il ait réformé « le palais des grands, le sanctuaire de la justice, « le cloître des cénobites, et la maison de Dieu; « jusqu'à ce qu'il ait allumé le flambeau du sa-« voir, les flammes célestes de la piété; fait passer « dans les cœurs des souverains et des prêtres cet « amour de la justice, cette haine de l'iniquité qui, « de son âme, où ces vertus surabondent, se ré-« pandent avec une sainte profusion dans ses « écrits, dans ses actions, dans ses paroles, dans « tout son pontificat. Peu lui importent les calom-« nies, les persécutions et la mort, pourvu qu'il « abaisse toute hauteur et fasse fléchir le genou « devant les lois éternelles de la justice et de la « vérité. Dans ses démêlés avec les princes de la « terre, on n'a voulu voir que des empiétements « injustes; on a appelé comme d'abus des saintes « entreprises de ce grand pape. Que pouvait-il « faire, quand les peuples, broyés sous le pressoir « du despotisme insensé de leurs maîtres, venaient « réclamer à genoux, comme un dernier secours et « un extrême remède à leurs maux, l'exercice sé-« vère de sa judiriction et les foudres des ses senten-« ces spirituelles? Ce qui nous étonne et presque « nous scandalise, n'était aux yeux du moyen âge « que l'exercice d'un juste droit et l'accomplisse-« ment nécessaire d'une mission divine. Or, com-« battre pour établir partout le règne de la justice, « de la science et de la vertu, qu'est-ce autre chose « que de combattre pour civiliser le monde? Ce « furent là les combats de Grégoire VII, et le sujet « pour lui d'une gloire immortelle. »

En lisant ces lignes si calmes, si épiscopales, dans lesquelles est béni avec tant d'amour le nom de ce Grégoire que nous avons vu poursuivi avec tant d'acharnement dans les pages qui précèdent, ne semble-t-il pas au lecteur catholique qu'il se repose avec suavité dans une paix qui ne sera plus troublée? Après ce mandement on peut le dire, la bataille est gagnée; *il n'y a plus d'Alpes;* Rome et la France sont unanimes à célébrer la gloire et les vertus de Grégoire, père de la chrétienté. Tout est oublié, renouvelé; le Christ est glorifié dans son serviteur. Mais espérons que bientôt la louange de Grégoire ne retentira plus seulement dans des discours et des instructions pastorales; que bientôt des autels s'élèveront à sa gloire dans cette France qu'il aima et qui le méconnut trop longtemps; qu'enfin, le jour viendra où nous chanterons tous à l'honneur de Grégoire ce bel éloge que Rome et toutes les autres Églises latines entonnent dans la solennité de ses saints pontifes qui, pour leur fidélité, ont mérité d'échanger la tiare contre la couronne de l'immortalité : *Dum esset summus pontifex terrena non metuit; sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.*

Si maintenant, selon notre usage, nous en venons à tirer les conséquences des faits consignés au présent chapitre, elles se présentent en telle abondance, qu'il nous faudrait consacrer un chapitre entier à les recueillir; mais nous nous bornerons à celles qui rentrent directement dans notre sujet.

La première, que nous offrons à ceux de nos lecteurs qui ne comprendraient pas encore toute l'importance de la science liturgique, est que néanmoins, ainsi qu'ils ont pu le voir, un seul fait liturgique a suffi pour mettre en mouvement la plus grande partie de l'Europe et pour occuper la plupart des gouvernements au XVIIIe siècle; en sorte que, pour raconter, de la manière la plus succincte, l'histoire d'une page du bréviaire romain, il nous a fallu ajouter soixante pages à cette histoire déjà si abrégée de la liturgie.

En second lieu, on a pu remarquer avec quel soin la divine providence s'est servie de la liturgie comme du seul moyen qui restât au saint-siége de sauver l'honneur d'un de ses plus grands pontifes, à une époque où tout autre moyen que la rédaction officielle de la légende eût été impuissant à prévenir la prescription contre sa gloire.

En troisième lieu on a été à même de voir com-

ment un clergé, isolé de Rome, même dans des cho- A ses d'une importance secondaire, porte toujours la peine de cet isolement par les contradictions en lesquelles il se précipite, victime de la position fausse où il s'est placé.

En quatrième lieu, c'est un spectacle instructif de voir les magistrats séculiers s'arroger tout naturellement sur les choses de la liturgie, le pouvoir qu'ils refusent à Rome sur ce point, et raisonner d'ailleurs avec justesse sur l'autorité que donne immanquablement à un fait et à une maxime son insertion dans les livres liturgiques de l'Église romaine.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Philippus Jaffé, *Regesta pontificum Romanorum.*)

In adornandis Gregorii VII regestis mihi contigit, B ut optatissimo uti præsidio liceret, quod quidem situm in veterrimo registri codice Vaticano est omnium qui exstant et manu scriptorum codicum et editionum fonte. Willelmus enim Giesebrecht V. cl., cum thesauris bibliothecarum et tabulariorum Italicorum ante aliquot annos fruenti aditus ad præstantissimum illum codicem pateret, genuinas ejus lectiones, a quibus haud raro editiones male recedunt, diligenter prescripsit, posteaque, ut locupletarem meum librum, benigne ac liberaliter mecum communicavit. Auxit etiam largitatem muneris, quod cum ab eo petiissem, de proprietate codicis virtuteque ut in meum usum persequeretur scriptura, qua est comitate non dubitavit, quin utilem gratiamque, quæ habetur infra, ad me mitteret C commentationem. Equidem codicem Vaticanum, ut par fuit, nusquam non secutus, ubi editiones in chronicis signis menda continent, utramque lectionem inter uncos apposui; neque quam Mansi affert codicis Mutinensis varietatem, ne deesset lectori, prætermittendam putavi.

Gregorii bullæ nomina testium non præbent. Sententia in iis legitur hæc : Miserationes tuæ, Domine, super omnia tua (10, 29, 32, 40, 60, 62, 71, 74).

Scriptæ per cujus manum bullæ sint, non plus quam semel indicatur :

p. m. Benjamin notarii sacri palatii (3987).

Datæ sunt

p *m* *Petri S. R. E. presbyteri cardinalis ac* D *bibliothecarii* (5, 6, 9, 10, 18, 20, 21, 22, 23, 24, 29, 32, 36, 37, 40, 54, 61, 62);

» » *Petri cancellarii atque cardinalis* (39);

» » *Cononis cardinalis presbyteri* (35);

» » *Joannis R. E. diaconi cardinali* (38);

» » *Benjamin fungentis vice Petri S. R. E. presbyteri cardinalis et bibliothecarii* (60);

» » *Gregorii S. R. E. diaconi* (65).

W. Giesebrechti autem commentatio, de qua supra dixi, scripta his verbis est :

« Gregorii VII. Registrum, quod usque ad nostra tempora pervenit, non idem esse ac verum illud et genuinum, quod publica auctoritate olim recepto in curia Romana more compositum erat, cum multæ epistolæ, quas aliunde notas frustra quæsiveris, satis ostendunt, tum ex eo intelligitur, quod quæ ipse Gregorius in illo scripta esse apertis verbis refert, nusquam reperiuntur (lib. vii, ep. 16). Persuasum igitur habemus, id quod vocant Registrum nihil esse aliud, nisi collectionem epistolarum a scriptore nescio quo confectam atque in lucem prolatam, ut rerum gestarum curiosis pro virili parte consuleret, magnumque Gregorii nomen posteritati commendaret. Quam collectionem jam paulo post obitum hujus papæ conscriptam, moxque et in Italia et in Germania innotuisse, Deusdedit cardinalis Romanus in collect. can. (Steph. Borgia *del dominio temporale.* App. p. 13 sequ.) et Bernoldus Constantiensis in Chron. ad annum 1085 testes sunt.

« In undecim libros, quorum decimus injuria temporum interierit, opus dispositum fuisse editores uno ore confirmant, neque dubitare videntur, quin conservato justo ordine temporum epistolæ suo quæque loco positæ sint. Attamen, si paulo accuratius perlustraveris, facile animadvertes, inde ab initio libri vii omnes fere litteras indictione plurimas vel die, quo datæ sint, carere; quanquam in prioribus septem libris indictio et dies fere semper diligenter diffiniuntur. Fieri certe nequit, quin ea re scrupulum nobis injiciatur, et critica arte adhibita inveniemus, nequaquam eo, quo nunc leguntur ordine, sed diversis temporibus eas litteras scriptas esse et sæpe inferiorem nunc locum obtinere, quæ ante posita multo priores exstiterint. Neglexit igitur, qui Registrum composuit, in extrema operis parte temporum ordinem, quem per septem priores libros diligenter tuitus erat. Quod sane non sine gravi causa admisit, quamvis, quæ fuerit, conjectura modo augurari possimus. Ex mea sententia

usque ad finem septimi libri vero et genuino Gregorii VII Registro usus ea, quæ notatu digna videbantur, inde decerpsit : ipsius papæ litteras, acta conciliorum, epistolas ad papam datas, notas de ordinatione episcoporum, etc., quæ omnia eodem, quo in Registro erant, ordine in suum librum describenda curavit. Deinde vero ab initio libri VIII hoc valido præsidio destitutus, sive Registrum papæ gravissimis illis temporibus (1080-1085) omnino non confectum, sive Gregorio mortuo Salerni relictum erat, sine ordine, quascunque fors et fortuna e diversis locis ei obtulerat, epistolas compegit. Ita accidisse videtur, ut cum in priore parte singulis pontificatus annis singuli libri responderent, et epistolæ eodem anno datæ eodem quoque libro conjungerentur, in posteriore parte hic ordo plane negligeretur.

« Vehementer vero dubitandum est, num ea librorum descriptio, quam nunc editiones exhibent, auctoritatem habeat vetustatis. Jam id suspicionem movet, quod Deusdedit cardinalis ex septimo libro, qui apud nos omnino 28 epistolas continet 70^{am} et 75^{am}, et ex octavo quamquam in editionibus non supra 23^{am} progreditur, 29^{am} et 30^{am} laudat. Quod ad septimum quidem librum, aut aliquis error in numeris latet, aut Deusdedit exemplari nostri locupletiore utebatur; nam quæ laudantur epistolæ in nostris 19^{a} et 24^{a} ejusdem libri sunt. Aliter de octavo libro sentiendum est, eæ enim epistolæ, quas ex hoc commemorat nunc in nono libro reperiuntur, ubi 6^{a} et 7^{a} numerantur. Unde in exemplo ejus octavum et nonum librum conjunctum fuisse, probabile et verisimile videatur

« Sed ut certi aliquid de hac re statuamus, ad codices Registri manu scriptos nos vertamus necesse est. Haud raro in bibliothecis Italicis inveniuntur. Ipse iter per Italiam faciens, Romæ duos in archivio Vaticano, quinque in bibliotheca Vaticana (Codd. 3797, 4579, 4907, 5638), unum Vallicellianum (Cod. C. 17) revolvi; Venetiis unum in bibliotheca sancti Marci inspexi, Mutinensem laudat et in usum suum vertit Joannes Dominicus Mansi. Sed omnes hi libri recentioris sunt ætatis, non ante sæc. XVI vel XVII confecti præter unum illum, qui antiquior in archivio Vaticano exstat, quemque reliquorum omnium tanquam fontem et originem habendum esse, facile probari potest. Ex eodem quoque Antonius Caraffa primus Registrum typis exscribendum curavit, et omnes, qui post eum novam editionem instituendam susceperant, nihil aliud egerant, quam ut Caraffæ lectionem, licet plurimis locis valde mendosam, inconsulte ad litteram repeterent, nisi forte lenior sententia ferenda est et de Harduino, nonnulla de conjectura haud male emendante, et de Dominico Mansi, quem codice Mutinensi usum esse jam supra retuli. Antiquissimum vero Vaticanum librum, qui summa cum cura adiri debebat, cum nullus esset fide dignior, post Caraffam nemo non neglexit. Unde factum est, ut usque ad

A hunc diem omnes Registri editiones plurimis gravissimisque vitiis scaterent. Quæ cum ita sint, facile artis criticæ peritissimus quisque concedet, omnes quæstiones, quæ de indole ac conditione Registri proponantur, totas in hoc ipso codice versari, neque dirimi posse, nisi accurate examinatus fuerit.

« Est vero membranaceus in 4° min., litteris Latinis, quo genere sub fine sæc. XI in usu erant, exaratus; 258 folia continet. In primo quaternione post præfixo manu sæc. XIV scripta inveniuntur et privilegium quoddam monasterii apud Bantium et documenta, die 10 mensis Octobr. an. 1369, data quæ ad Joannem Palæologum ad Ecclesiam Romanam reversum pertinent. Tum Registrum excipit his verbis :
B *In Dei nomine. Incipit liber primus Registri septimi Gregorii papæ. Anno Dominicæ incarnationis millesimo* LXXIII, indictione XI, *Regnante domino nostro,* etc. Diversis manibus exaratum est, coævis tamen et tanta similitudine, ut eas subtiliter discerni haud parvi negotii sit; nec non sæpius eadem manus, quam jam in priore operis parte deprehenderis, postea iterum iterumque recurrit. Litteræ, quæ nunc primæ ponuntur in libro undecimo, alia manu scriptæ sunt ac præcedentes, rursusque manu plane ab illa diversa eæ, quæ sequuntur et finem Registro imponunt. Multa deleta, mutata, correcta invenies, ut facile in eam sententiam adduci possis codicem ipsius fuisse, qui collectionem instituerit. Quod ego non enixe contenderim, iterum
C monens fieri potuisse, ut Deusdedit cardinalis locupletiore exemplo uteretur. Quod ad descriptionem librorum, suus cuique titulus rubro colore præscriptus est, ac quidem iisdem manibus, quæ ipsas epistolas exararunt, usque ad librum sextum, neque memoratu indignum videatur, codicem Venetum hos tantummodo sex priorum librorum agnoscere titulos. Liber VII et VIII in codice Vaticano eosdem quidem, quos in editionibus, titulos ferunt, eosque rubro colore insignitos, sed relictis lacunis manus paulo recentior, ni fallor sæc. XII exeuntis eos inscripsit. Denique librarius quidam, qui multo post confectum librum manum imposuit, post epistolam 23 libri VIII, ubi nullum sane indicium vel signum novi libri exstitit, hæc verba atramento interposuit :
D *Ex libro* VIII *Registri ejusdem Gregorii papæ septimi.* Idemque post epistolam ad Flandrenses (Mansi, *Coll. conc.* XX, p. 370) novam inscriptionem adjecit : *Incipit liber* X, tum vero correxit XI. Singulis epistolis scribæ, cum ipsum Registrum conficerent, neque inscriptiones neque numeros adjunxerunt. Ille vero qui titulos VII et VIII supplevit, etiam inscriptiones epistolis usque ad finem Registri et numeros Latinos usque ad ep. 47 libri secundi rubro colore adjecit. Post atramento numeros Latinos prosecutus est usque ad ep. 9 libri tertii librarius ille, qui novos titulos libri VIII et XI commentus erat. Quæ sequuntur epistolæ decimo quarto demum sæculo Arabicis notis signatæ sunt haud dubie ab eodem scriptore,

qui indicem Registri composuit. Epistolis enim Gregorianis, f. 237 ad finem perductis, in iis, quæ restant foliis sæc. XIV index additus est, hoc modo initium sumens :

« *Incipit Registrum epistolarum et conciliorum domini Gregorii septimi sanctissimi et gloriosissimi Romanorum pontificis, qui electus fuit post mortem domini Alexandri II in ecclesia Sancti Salvatoris, anno Dominicæ incarnationis* MLXXIII.

« *Habetur autem in hoc libro ejus memoria per* XI *annos tantum, secundum quos volumen hoc in* XI *libros partitus est, gestis ejus singulis illorum annorum in uno libro contentis.*

Habet primus liber epistolas numero 84.

Secundus vero habet epistolas numero 76.

Tertius vero habet epistolas numero 21.

Quartus habet epistolas numero 28.

Quintus habet epistolas numero 23.

Sextus habet epistolas numero 40.

Septimus quidem habet epistolas 27.

Octavus autem habet epistolas 23.

Nonus vero habet epistolas 35.

Decimus vero liber non est, vel est error in libro et particione librorum.

Undecimus habet epistolas duas.

« *In quolibet libro est Registrum celebrationis concilii, quod in quolibet istorum annorum legitur celebrasse. Sunt multa etiam principum juramenta, aliqua decreta et hujusmodi, quæ in ipsa tabula patefiunt.*

« Ex iis, quæ hactenus de codice Vaticano disputavi, manifesto nisi fallor, patet, Gregorii epistolas antiquitus in octo, non in undecim libros distributas fuisse, et ita quidem, ut priores septem libri ex ordine veri Registri ad singulos annos pontificatus responderent, in octavum vero reliquas epistolas annorum ratione non habita scriptor rejiceret. Tantum ergo abest, ut decimus liber injuria temporum interierit, ut vere nunquam exstiterit. Prima sinceraque Registri dispositio postea jam in ipso codice Vaticano a librario quodam mutata est, qui ratione operis minime perspecta, omnes ejus libros in singulos pontificatus annos convenire voluit et hanc ob causam octavum librum in plures dividit. Quam novam librorum distributionem deinde plerique codices et omnes editiones ex codice Vaticano receperunt.

SANCTI GREGORII VII

PONTIFICIS ROMANI

OPERUM PARS PRIMA. — REGISTRUM (342)

(MANSI, *Concilia*, tom. XX, col. 60.)

Anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo tertio, indictione undecima.

Regnante Domino Jesu Christo, anno clementissimæ incarnationis ejus millesimo septuagesimo tertio, indictione et luna undecima, x Kalendas Maii, feria secunda, die sepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ secundi papæ, ne sedes apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica Beati Petri ad Vincula, nos sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, præsentibus venerabilibus episcopis et abbatibus, clericis et monachis consentientibus, plurimis turbis utriusque sexus diversique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in pastorem et summum pontificem virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis et justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, et, juxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem (343), in gremio hujus matris Ecclesiæ a pueritia satis nobiliter educatum et doctum, atque pro vitæ merito in archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet archidiaconum, quem a modo [e modo] usque in sempiternum et esse et dici Gregorium papam et apostolicum volumus et approbamus [approbatis eum? approbamus]. Placet vobis? placet. Vultis eum? volumus. Laudatis eum? laudamus.

Acta Romæ, decimo Kalendas Maii, indictione undecima.

(342) Exstat Gregorii VII Registrum in Vaticana bibliotheca, de quo Bertholdus Constantiensis, qui eo vixit tempore, anno 1085, loquens de Gregorio VII, ait : « Erat enim catholicæ religionis ferventissimus institutor, et ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sane ut ecclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem et morum sanctitate et ordinis dignitate præemineret, quod illum latere non poterit quicunque ejusdem apostolici Registrum diligenter perlegerit. »

(343) Dantur variantes quos ex Mutinensi cod. ms. sæculi quidem XVI, sed ex antiquiori bonæ frugis descripto eruit, et ad me transmisit P. Franc. Anton. Zacharia S. J. MANSI.

REGISTRI LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

AD DESIDERIUM ABBATEM.

(Anno 1073.)

Nuntiat se invitum in demortui Alexandri pontificis locum suffectum. Rogat ut Deum pro se deprecetur, et ad se quantocius veniat.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus DESIDERIO (344) abbati monasterii Sancti Benedicti Montis Cassini salutem in Christo Jesu.

Dominus noster papa Alexander mortuus est, cujus mors super me cedidit, et omnia viscera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus populus, contra morem, ita quievit, in manu nostra consilii frena dimisit ut evidenter appareret ex Dei misericordia hoc provenisse. Unde accepto consilio hoc statuimus ut, post triduanum jejunium, post litanias, et multorum orationem eleemosynis conditam, divino fulti auxilio statueremus quod melius de electione Romani pontificis videretur. Sed subito cum prædictus dominus noster papa in ecclesia, [Ad. Sancti, *sicubique*] Salvatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi et fremitus, et in me quasi vesani insurrexerunt, ita ut cum Propheta possim dicere : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ* (*Psal.* LXVIII) et : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV). Sed quia in lecto jacens, valde fatigatus, satis dictare nequeo, angustias meas enarrare supersedeo. Te itaque per omnipotentem Dominum rogo, ut suffraganeos fratres et filios, quos in Christo nutris, ad exorandum Deum pro me provoces, et ex vera charitate invites quatenus oratio, quæ me liberare debuit ne incurrerem periculum, saltem tueatur in periculo positum. Tu autem ipse quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana Ecclesia te indigeat et in prudentia tua fiduciam habeat non ignoras. Dominam Agnetem imperatricem et Rainaldum venerabilem Cumanum episcopum ex nostra parte saluta et quantum erga nos dilectionis habuerint nunc ut ostendant nostra vice fideliter obsecra.

Data [Datum, *et sic semper*] Romæ XI [IX]. Kalendas Maii, indictione XI.

EPISTOLA II.

AD GISULFUM PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 1073.)

Ejusdem argumenti.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus GISULFO Salernitano principi, salutem in Christo Jesu.

Dominus noster Alexander papa mortuus est, cujus mors super me cedidit. (*Omnia ut supra usque ad id quod ait*) : Te itaque per omnipotentem Dominum rogo, ut venerabilem Patrem Leonem et A cæteros religiosos viros in partibus illis commorantes, ad exorandum Deum pro me ex vera charitate invites, ut oratio quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, saltem tueatur in periculo positum. Tu autem ipse quantocius ad nos venire non prætermittas qui quantum Romana Ecclesia te indigeat et in prudentia tua fiduciam habeat non ignoras.

Data Romæ XI [VIII] Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA III.

AD GUIBERTUM RAVENNATEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ejusdem argumenti; rogat etiam ut legatos mittat.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus GUIBERTO Ravennati archiepiscopo salutem in Christo B Jesu.

Non dubitamus famam litteras nostras antevolasse, et tam vobis quam multis aliis, domini nostri Alexandri papæ obitum nuntiasse. Quod autem mihi valde gemendum est; mors ejus super me cedidit, et omnia viscera mea concutiens penitus conturbavit. Nam in morte ejus primo quidem Romanus populus contra morem ita quievit et in manu nostra consilii frena dimisit ut evidenter appareret ex Dei misericordia hoc provenisse. Unde accepto consilio hoc statuimus ut post triduanum jejunium, post litanias, et multorum orationem eleemosynis conditam, divino fulti auxilio statueremus quod de electione Romani pontificis videretur melius. Sed subito, C cum prædictus dominus noster papa in ecclesia Sancti Salvatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi et fremitus, et in me quasi vesani insurrexerunt, nil dicendi, nil consulendi facultatis aut spatii relinquentes. Violentis manibus me in locum apostolici regiminis, cui longe impar sum, rapuerunt. Ita rectè ego cum propheta possum dicere : *Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me; laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ* (*Psal.* LXVIII). Denique *timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV). Sed quia multis et magnis curis fatigatus satis dictare nequeo, miserias meas enumerare supersedeo. Rogo itaque vos per omnipotentem Deum, ut charitatem, quam erga Romanam Ecclesiam D maxime hoc tempore, et, ut meminisse debetis, erga me specialiter vos gerere promisistis, quoniam quidem tempus, et rerum qualitas ejus [eam] probari postulat nunc quidem in me, et si non meis meritis, saltem amore apostolorum ostendere curetis; et suffraganeos ac filios Ecclesiæ vestræ ad exorandum Deum pro me invitetis, ac commoneatis, quatenus ad ferendum onus, quod mihi invito et valde reluctanti impositum est, vires tribuat, manum porrigat, ut si me totum [*forte,* tutum. HARD. *Ita et* MUTINEN.] in portu stare noluit, saltem in tam alta peri-

(344) De Desiderio abbate Leo Ostiensis libro III Chronici Cassin.

cula projectum non relinquat; ego enim sicut in ea charitate non ficta vos diligo, ita eamdem, et quæcunque ejus officia sunt, a vobis indubitanter exigo. Neque vero dilectioni vestræ dubitandum est, quin Romanam Ecclesiam, et eam, cui Deo auctore præsidetis, ea concordia, et quantum cum communi utriusque honore poterimus, omnimoda charitate copulare desideremus, ut in nostris etiam animis semper conjuncta pax et plena dilectio connectatur. Sicut igitur prudentiam vestram hortati sumus, ita etiam per elementa nostra nos velle ac desiderare cognoscite, videlicet ut frequenter inter nos legatis discurrentibus collætari, et mutua consolatione gaudere possimus.

Data Romæ VI Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA IV.

AD BEATRICEM DUCISSAM, UGONEM, etc.

(Anno 1073).

GREGORIUS in Romanum pontificem electus BEATRICI ducissæ [duci], UGONI abbati Cluniacensi, MANASSÆ archiepiscopo Remensi [*Ad.* SUENONI] regi Danorum, abbati Massiliensi.

Incœptis [in cæteris] quidem a paribus, sed circa finem singulis epistolis juxta locorum et personarum competentiam discrepantibus.

Data Romæ IV Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA V.

AD RAINERIUM FLORENTINUM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Præcipit ut vidua, quæ consanguineo suo nupserat, donis et dote ab eo relictis privetur.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus RAINERIO Florentino episcopo, salutem in Christo Jesu.

Præsentium portitor apicum nostris insinuavit auribus fratrem suum, contra divinum jus, contra sanctorum Patrum institutum, consanguineæ suæ thalamis adhæsisse, canonicis Florentinæ Ecclesiæ ne hoc facinus perpetraret prohibentibus eum canonice. Quo viam universæ carnis ingresso, relicta illius consanguinea scilicet cum dono atque dote, quam injuria divinarum nec non et humanarum legum est verita suscipere, ad alterius viri torum disponit transmigrare, cum potius scelus quod commisit perpetuo oporteret eam flere. Tua itaque fraternitas consanguinitatis lineam a majoribus natu ejusdem loci diligenter inquirat; quam si inter defunctum virum eamdemque vivam mulierem invenerit, ad aliarum exemplum ita studeat canonica auctoritate omnia dotalia instrumenta cassare et ad nihilum redigere, ne de illicito quod contraxit conjugio aliquam mercedem recipiat, qua lætari possit in posterum. Sicut nos diligis, ita nostræ jussionis primitias ad effectum perducere tua ne insistat charitas.

Data Romæ III Kalendas Maii, indictione undecima.

A

EPISTOLA VI.

AD GIRALDUM OSTIENSEM EPISCOPUM, ET RAIMBALDUM SUBDIACONUM.

(Anno 1073.)

Legatum mittit, qui eis Alexandri obitum et suam electionem narret. Monet ut monachos et abbatem Cluniacensem ad pacem flectant. Et si comes de Rocyo [*Roceio*], *sicut ipse jusserat, in Hispaniam non fuerit contra paganos profectus, vel si alii principes illuc contra eosdem proficisci velint, legatus a se missus illuc tendat. Tandem monet ut quamprimum redeant.*

GREGORIUS in Romanum pontificem electus GIRALDO Ostieni episcopo et RAIMBALDO subdiacono, in legatione Galliæ constitutis, salutem in Domino Jesu Christo.

B Rumorem obitus domini nostri Alexandri papæ, qui XI Kalendas Maii spiritum Deo reddidit, et nostræ promotionis famam jam ad vos pervenisse credimus, sed eadem plene vos cognoscere cupientes ad certissima eorum indicia aptiorem hoc dilecto filio et cardinali sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero, qui ambobus interfuit, in partes illas mittendum nostrorum nomine [neminem. *Ita et in* MUTIN.] judicavimus. Itaque quid et qualiter de utroque factum sit per hunc mera veritate percognita, ut orationes ad Deum fieri sollicite procuretis charitatem vestram valde rogamus, quatenus et illius animam ad gaudia æterna beatitudinis transferat et nobis ad ferendum onus impositum auxilium suæ miserationis impendat. Quia vero hunc
C confratrem nostrum, videlicet Ugonem [Hugonem] Candidum, in partes illas dirigi tempus et rerum competentia postulasse videbatur, prudentiam vestram omnino exoratam esse volumus, quatenus Ugonem [Hugonem] Cluniacensem abbatem et totam congregationem fratrum ita ad pacem et integram hujus dilectionem flectere et conjungere studeatis ut auxiliante Deo nihil in eorum mentibus quod invisum, aut dissensionis nube sit obtectum relinquatis. Nam et hic, abjecto omni arbitrio suo, ad cor nostrum nostraque consilia rediens, in eodem sensu eademque voluntate ac studio nobis est connexus; et ea quæ antehac sibi imposita sunt, vivente adhuc domino nostro papa, ex aliorum magis, quam ex [*deest* ex *in Rom. edit*] ejus culpa prodiisse co-
D gnovimus. Præterea hæc meminisse debetis quod in litteris domini nostri beatæ memoriæ Alexandri, et nostra quoque legatione orati et commoniti fuistis, quatenus causæ Evuli [Eboli. MUTIN. Evoli] comitis de Roceio per vos, et per antedictum abbatem favorem addere insisteretis; et cognita pactione quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scripto quod sibi dedimus, una cum consilio abbatis, tales illuc personas dirigi procuraretis qui et errorem Christianorum qui ibi reperiuntur in spiritualibus corrigere saperent, et in exquirendis causis Sancti Petri juxta tenorem pactionis, si res bene procederet, sat idonei forent. Quod si ita factum est, nobis multum placet; sin vero adhuc aliqua occasione prætermissum est, aut etiam si eadem conventio ab

aliis quibusdam principibus quos in eamdem partem seorsum ab Evulo suis copiis ituros intelleximus nondum exquisita est, volumus ut cum vestro consilio et abbatis Hugo cardinalis illuc tendat, et æquam ab omnibus ex parte Sancti Petri pactionem et debitum exigat. Vos autem ex nostra parte rogate abbatem ut tales sibi adjungat qui eum comitentur, quorum consilio et adjutorio iter et laborem illum fiducialiter aggredi possit, legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius unquam publici rerum ecclesiasticarum negotii sine vestro consensu, quandiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi dedimus faciendi. Cæterum de mora vestræ reversionis valde miramur præsertim cum jam redire commoniti, in tanta vestri reditus exspectatione ne morarum quidem nobis causas indicastis. Unde dilectionem vestram admonemus ut quantocius possitis ad nos revertamini, quatenus et quid egeritis cognoscamus, et de cætero consultius, adjuvante Deo statuere valeamus. Præter hæc jam sæpe memoratum abbatem specialiter commoneri et plurimum a vobis vice nostra exorari cupimus quatenus charitatem quam hactenus in nos habuit nunc, cum maxime opus est, indefessa exhibitione conferat, et infirmitatem nostram suis et sanctissimæ congregationis suæ orationibus tanto subnixius adjuvare studeat quanto imbecillitatem nostram sub accumulato pondere gravius premi non ignorat.

Data Romæ secundo Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA VII.

AD PRINCIPES HISPANIÆ.

(Anno 1073.)

Significat comiti de Roceio sub quadam conditione eam Hispaniæ partem concessisse, quam a Saracenorum manibus eriperet. Prohibet alios principes in eamdem regionem cum copiis ingredi, partemque ullam illius provinciæ sibi vindicare, nisi interveniat æqua pactio persolvendi jura Sancti Petri; qua de re legatos mittit.

Gregorius in Romanum pontificem electus, omnibus principibus in terram Hispaniæ proficisci volentibus, perpetuam salutem in Domino Jesu Christo.

Non latere vos credimus regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuisse, et adhuc (licet diu a paganis sit occupatum) lege tamen justitiæ non evacuata, nulli mortalium, sed soli apostolicæ sedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo semel in proprietatis ecclesiarum juste pervenerit, manente eo, ab usu quidem, sed ab earum jure, occasione transeuntis temporis, sine legitima concessione divelli non poterit. Itaque comes Evulus [Evolus] de Roceio, cujus famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem sancti Petri ingredi et paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab apostolica sede obtinuit ut partem illam unde paganos suo studio et adjuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis ex parte Sancti Petri possideret. Qua in re et labore quicunque vestrum sibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu commonitus erga honorem sancti Petri talem animum gerat, ut ab eo et munitionis auxilia in periculis et merita fidelitatis præmia securus accipiat. Si autem aliqui ex vobis seorsum ab illo propriis copiis eamdem terram aliqua in parte intrare paraverint, decet ut militiæ causam ex animi devotione quam justissimam sibi proponant, jam nunc omni voto concipientes et ex corde statuentes ne, capta terra, easdem quas illi qui nunc Deum ignorantes eam occupant injurias sancto Petro faciant. Hoc enim neminem vestrum ignorare volumus quoniam, nisi æqua pactione persolvendi juris Sancti Petri in regnum illud animadvertere statueritis, potius vobis apostolica auctoritate, ne illuc tendatis interdicendo, contraferemur quam sancta et universalis mater Ecclesia, idem a filiis suis quod ab hostibus patiendo, non jam proprietatis suæ, sed filiorum detrimento saucietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem et cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum in partes illas misimus, in cujus ore nostra ad vos consilia et decreta plenius apertiusque disserenda ac vice nostra disponenda posuimus.

Data Romæ II Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA VIII.

AD UBERTUM CLERICUM ET ALBERTUM DIACONUM.

(Anno 1073.)

Eorum legationem confirmat, hortatur ut orationes pro se fieri curent.

Gregorius in Romanum pontificem electus, Uberto clerico, et Alberto diacono, salutem in Domino Jesu Christo.

Obitum domini Alexandri papæ jam vos accepisse fama nuntiante credimus, et quam repente, quantaque populi violentia nos indigni et reluctantes ad regimen apostolicæ sedis lati [*forte* elati, Hard. *et* Mutin. sublati] sumus. Sed ne eventus harum rerum animos vestros in exsequenda vobis commissa legatione aut timore seu aliqua ambiguitate pertentet, ad confortandam charitatem vestram hæc succincte vobis scripsimus, ut omnem in Deo et sancto Petro, cujus filii et legati estis, fiduciam habentes, ad quæ missi estis, viriliter et incunctanter apostolica vice fulciamini, et in facienda justitia fideli constantia accingamini. Nam et ea quæ a beatæ memoriæ domino nostro Alexandro papa injuncta vobis et commissa sunt, nos quoque præsenti auctoritate injungimus, firmiterque committimus, in quibus peragendis ut monita damus, ita auxiliante Deo, apostolicæ consolationis et auctoritatis subsidia vigilanti studio conferre procurabimus. De cætero vos monemus ut in locis venerabilibus, ad quos veneritis, orationes pro me fieri obsecretis, quatenus omnipotens Deus, qui desiderium meum nunquam ad honorem istum anhelasse cognoscit, ad ferendum tam grave onus, quod impositum ejus timore recusare non audebam omnes facultates infirmitati meæ pius impendat.

Data Romæ II Kalendas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA IX.

AD GOTTIFREDUM DUCEM.

(Anno 1073.)

Gratum sibi fuisse scribit quod litteris fuerit de sua promotione gratulatus; significat tamen se dolere de suscepto pontificali munere, ostendit suam erga eum et regem dilectionem, optat ut rex suis monitis acquiescat.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus GOTTIFREDO [GOTEFREDO] duci, salutem in Domino Jesu Christo.

Grata nobis est lætitia tua, quam in litteris tuis de promotione nostra te habere cognovimus, non ut hoc aliqua causæ nostræ delectatio faciat, sed quod eam ex fonte sinceræ dilectionis et fideli mente derivatam esse non dubitamus. Nostra enim promotio quæ tibi cæterisque fidelibus piam de nobis existimationem et gaudium administrat, nobis interni doloris amaritudinem et nimiæ anxietatis angustias generat. Videmus enim quanta nos sollicitudo circumstat, sentimus quantum nos suscepti oneris sarcina gravat; sub quibus dum nostræ infirmitatis conscientia tremit, anima nostra in Christo potius dissolutionis requiem quam in tantis periculis vitam cupit. In tantum quippe commissi nobis officii consideratio nos sollicitat, ut nisi in orationibus spiritualium hominum post Deum aliqua fiducia nos sustentaret, curarum immensitate mens nostra succumberet. Peccatis enim facientibus ita pene totus mundus in maligno est positus ut omnes, et præcipue qui in Ecclesia prælati sunt, eam potius conturbare quam fideli devotione defendere vel celebrare contendant, et dum suis aut lucris aut præsentis gloriæ desideriis inhiant, omnibus quæ ad religionem et justitiam Dei pertinent se, velut hostes, opponant. Quo magis nobis dolendum est, qui susceptum universalis ecclesiæ regimen in tanta difficultate nec rite administrare, nec tuto deserere possumus. Cæterum quia fidei et constantiæ virtutem, donante Deo, in te sitam esse cognovimus, omnem quam oportet in charissimo sancti Petri filio in te fiduciam habentes, animum tum de nostra idem constantissima dilectione, et erga honores tuos promptissima voluntate nequaquam dubitare volumus. De rege vero mentem nostram et desiderium pleno cognoscere potes, quod, quantum in Domino sapimus, neminem de ejus præsenti ac futura gloria aut sollicitiorem aut copiosiori desiderio nobis præferri credimus. Est enim hæc voluntas nostra ut primum oblata nobis opportunitate per nuntios nostros super his quæ ad profectum Ecclesiæ, et honorem regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna cum dilectione et admonitione conveniamus. Quod si nos audierit, non aliter de ejus quam [*add.* de] nostra salute gaudebimus; quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si in tenenda justitia nostris monitis et consiliis acquieverit; sin vero (quod non optamus) nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato dissimulando justitiam ejus contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio qua dicitur : *Maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII), super nos, Deo providente non veniet. Neque enim liberum nobis est alicujus personali gratia legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apostolo : *Si hominibus placere vellem, servus Dei non essem* (*Gal.* I).

Data Romæ II Nonas Maii, indictione undecima.

EPISTOLA X.

AD GUIDONEM IMOLENSEM.

(Anno 1073.)

Ut discordiam inter archiepiscopum Ravennatem et cives Imolenses sedet. Et si archiepiscopus eos a sedis apostolicæ ditione conatur avellere, illius auxilium præbeat, donec legati illuc proficiscantur.

GREGORIUS in Romanum pontificem electus GUIDONI Imolensi comiti, salutem in Domino Jesu Christo.

Quidam Imolenses nostram adeuntes præsentiam conquerendo nobis indicavere quod confrater noster Guibertus [Gibertus, *et sic semper*] archiepiscopus Ravennas eos contra honorem sancti Petri, cui fidelitatem juravere, suæ omnino ditioni subigere, et ad juranda sibi fidelitatis attentet sacramenta compellere. Verum hæc relatio tanto plus admirationis nobis attulit quanto perspecta dudum in eo et fraterna charitas et sacerdotalis honestas suspicionis in illum indubitantius causas excludit. Neque enim credere possumus tam prudentem virum ita aut naturæ aut dignitatis suæ loci oblitum esse ut qui apostolorum principi fidelitatem ipse jurejurando promisit, neglecto periculo suo, alios qui idem fecerunt ad perjurium nitatur per exquisita ab eis sacramenta pertrahere. Attamen quæcunque inter eos discordia aut molestiarum sit occasio, quatenus eam sedare, et si possis, salvo honore sancti Petri, firma studeas pace decidere, prudentiam tuam valde rogamus. Quod si aliquibus malis impedientibus non possis efficere, et prædictus confrater noster archiepiscopus aut alia quælibet persona præfatos cives a fidelitate sedis apostolicæ non desinat obstinata coercitatione [*forte* coercitione, II] divellere, sicut apostolorum tibi præsidia apud omnipotentem Deum prodesse, et in hac vita non sine meritorum compendio præsidere cupis ita eis [cupias, ita sit] præsenti auctoritate rogatus, et commonitus, defensionis auxilia, donec legati nostri in partes illas veniant, conferre non desinas. Nos equidem cum omnibus, si fieri potest, pacem habere ardenter cupimus, sed eorum conatibus qui ad injuriam sancti Petri, cujus servi sumus, extendere se moliuntur, divina adjuti tam virtute quam justitia obviare non refugimus.

Data Romæ Kalendis Junii, indictione undecima.

EPISTOLA XI.

AD BEATRICEM ET MATHILDEM EJUS FILIAM.

(Anno 1073.)

Hortatur ut Simoniacos evitent. De Lucensi electo aliqua commemorat. Significat se mittere viros religiosos ad regem, qui illum ad Romanam Ecclesiam revocent.

Gregorius in Romanum pontificem electus Beatrici, et ejus filiæ Mathildi, salutem in Domino Jesu Christo.

Sicut beatus Gregorius in quodam super moralia Job explanationum libro ait : Statutum est apud supernum judicem quanta unumquemque aut ferire adversitas, aut debeat mulcere prosperitas. Quicunque ergo sive spe hujus, vel timore illius in tempore tentationis ab his quæ recta sunt deviat, nec sperare in Deum, nec divinarum eloquiis Scripturarum se adhærere manifestat. Hoc autem ideo dicimus quia nobis et vobis, imo omnibus qui confortes adoptionis filiorum Dei esse cupimus, non tam occasiones nostræ existimationis, videlicet quid hinc prosit, inde noceat, intuendæ sunt, quam illud ut justitiam Dei, quæ nunquam beatitudinis fine carebit, fortiter teneamus, sollicite pensandum et enitendum est. Scriptum est enim : *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati* (*II Petr.* III). Nostis, dilectissimæ sancti Petri filiæ, quam aperte Longobardorum episcopi Simoniacam hæresim defendere ac fovere præsumpserint, cum Gotefredum [Gotifredum] Simoniacum, et ob hoc excommunicatum, atque damnatum sub specie benedictionis maledixerint, et sub umbra ordinationis exsecratum hæreticum constituerint. Nempe qui hactenus lapides et sagittas latenter contra Dominum jactarunt, jam nunc ad subvertendam religionem, et immobilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ petram concutiendam, non dubie præcursores Antichristi, et antiqui hostis satellites in apertum furoris sui campum prosiluerunt. Quibus favere vel consentire quam periculosum sit, prudentia vestra inde perpendat; quod beatus Gregorius dicit : « Talibus non summopere obviare, quid aliud est, nisi fidem negare? » Unde nobilitatem vestram hortamur et valde rogamus ut communionem illorum evitare et declinare studeat, ne factionibus eorum consilia vel adjumenta præbeat. Neque vero in hac re aliqua hujus mundi ratio, quæ quidem vana, transitoria, et deceptiva est, vos commoveat; quoniam per misericordiam Dei, et sancti Petri, nulla vos inimicorum versutia lædere poterit, si mentem vestram libera conscientia defendit. De electo vero Lucensi, non aliud vobis respondendum esse pervidimus [providimus], nisi quod in eo tantam divinarum litterarum scientiam, et rationem discretionis esse percepimus, ut quæ sinistra, quæ sit dextra ipse non ignoret. Quod si ad dexteram inclinaverit, valde gaudemus; sin vero, quod absit ad sinistram, utique dolemus : sed nullius personæ gratia vel favore impietati assensum dabimus. De rege autem, ut antea in litteris nostris accepistis,

A hæc est voluntas nostra, ut ad eum religiosos viros mittamus, quorum admonitionibus, inspirante Deo, ad amorem sanctæ Romanæ et suæ matris Ecclesiæ eum revocare, et ad condignam formam suscipiendi imperii instruere et expolire valeamus. Quod si nos, quod non optamus, audire contempserit, nos tamen a matre nostra Romana Ecclesia, quæ nos nutrivit, et sæpe filiorum suorum sanguine alios generavit filios, custodiente Deo, exorbitare nec possumus nec debemus. Et certe tutius nobis est defendendo veritatem pro sui ipsius salute adusque sanguinem nostrum sibi resistere, quam ad explendam ejus voluntatem iniquitati consentiendo secum, quod absit ad interitum ruere. Valete in Christo, charissimæ, et in nostro dilectione corde tenus vos an-
B nexas esse scitote.

Data Romæ VIII Kalend. Junii [Julii], indictione undecima.

EPISTOLA XII.

AD GULIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ostendit se ipsius litteris commotum bene jam de ipso existimare; ut autem hanc opinionem de eo retineat, rogat ipsum ut ecclesiæ Romanæ statuta amplectens contra ejus adversarios pro viribus certet.

Gregorius in Romanum pontificem electus Gulielmo Papiensi episcopo salutem in Domino Jesu Christo.

Nonnulla nobis frater de te antehac relata sunt
C e quibus animus noster non immerito turbari debuit; sed in epistola tua longe alia cognoscentes, ad meliorem opinionem, et spem gaudii adducti sumus, cupientes et illa vana fuisse, et fidem eorum quæ tua dilectio spondet operum attestatione percipere; cujus rei præsens et copiosa tibi materia suppetit, ut et his quæ de te credenda suades, exclusa dubitatione credamus, et fraternitatem tuam integra charitate nobis, imo sanctæ Romanæ Ecclesiæ adstrictam fore comprobemus. Fiat itaque nobis indicium, quam unanimi studio eadem nobiscum velle, et pro libertate sanctæ Ecclesiæ quibus nos repugnamus toto nisu resistere paratus existas, videlicet ut his qui catholicam fidem et ecclesiasticæ religionis regulas conantur evertere, non solum
D non consentire, sed ea parte, quæ pro reverentia hujus sanctæ sedis et debito perceptæ fidei cultu illis contrarie decrevit, tuis consiliis adjutorioque suffulta, pro tuis viribus te quoque repugnare ostendas. Hoc autem indubitanter scias, quoniam, si Mediolanenses catholici hujus rei testimonium de te nobis dederint, ut Gotefredo excommunicato, et episcopis qui ejus causa excommunicationis periculum incurrerunt, prudenter obsistas, et eis qui in certamine Christi sunt fideliter solatium præbeas, non aurum vel argentum, nec aliqua fraternitatis tuæ studia vel obsequia nostræ et totius Romanæ Ecclesiæ charitati æque te et causas tuas commendare et indissolubili cura annectere poterunt. In hoc etenim charissimum filium, et fidum cooperatorem

sanctæ Romanæ Ecclesiæ potissimum te demonstrare poteris, si ejus statuta, quæ a tramite sanctorum Patrum non recedit, amplexando fortiter et defendendo tenueris. Quod quidem præ cæteris Longobardorum episcopis te oportet agere, ut sicut apostolica et universalis Ecclesia eam cui Deo volente præesse dignosceris, speciali gratia et honore sublimavit; ita, cum necessitas et causarum labor exegerit, in sollicitudine matris desudet acrius, quæ charitatis ejus et vicariæ dispensationis munus sortitur opimius.

Data Romæ III [IV] Kal. Julii, indictione undecima.

EPISTOLA XIII.

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ne monachos Sancti Remigii amplius vexet, et juxta canonicas sanctiones abbatem ibi ordinandum curet.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Manassæ Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Si loci tui, frater dilectissime, dignitatem, si officii debitum, si statuta divinarum legum, denique si eam quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ reverentiam et charitatem debes diligenter attenderes, profecto rogatus et monita sedis apostolicæ non toties apud te frustrari permitteres; præsertim cum gravis culpa sit in hujusmodi causa te monitoris vocem provocasse vel exspectasse. Nam quæcunque nobis e commissa dispensatione imminent, negligere quidem ea absque periculo nostro non possumus, nedum voluntate et studio confundere securum nobis esse putemus : siquidem meminisse debet prudentia tua, quoties dominus et prædecessor noster Alexander venerandæ memoriæ papa, et nos, tum per epistolas tum per legatos, de causa monasterii Sancti Remigii rogando et hortando te admonuimus, ne toties apostolicam audientiam fratrum clamoribus fatigari urgente necessitate sineres, ne quemquam ibi, cui sacri canones contradicerent, in loco abbatis apponeres, neu, bona monasterii ab usu congregationis auferendo, locum inopid dissipares; sed talem ibi ad regimen abbatiæ constitui regulariter procurares, cui nec in exterioribus providendi diligentia, nec in spirituali moderamine religio deesset aut scientia. Quod cum sæpe facturum nobis per legatos tuos promiseris, necdum tamen adimplere curasti; sed, ut multorum relatione comperimus, de die in diem venerabilem locum illum asperius ac miserabilius tractas, et, ut detrimenta bonorum temporalium taceamus, religiosas quoque fratrum personas crudeli ac contumeliosa captione coarctas. Unde tui ipsius solertia perpendere potest quam gravis super hac re et te culpa et nos molestia mordeat, quod apostolicæ sedis auctoritas loco et fratribus, quibus te jamdudum paternis affectibus consuluisse decuerat, necdum erga te ad pacem et quietem prodesse potuit. Tentare tamen adhuc, frater dilectissime, et miti oratione animum flectere destinavimus, rogantes et ex parte beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, per eos apostolica auctoritate commonentes, ut, si deinceps spem in nostra fraternitate et dilectione habere volueris, sine omni dilatione talem personam regulariter ibi ordinari in abbatem procures, quæ huic ordini et officio decenter congruat, et cætera, quæ necessitas et justitia monasterii exigit, ita corrigas et emendes, ne fratrum ulterius ad nos referri querela debeat. Quod si denuo in hanc reverentiam, sancti Petri et nostram qualemcunque charitatem amicitiamque contempseris procul dubio (quod nos inviti dicimus) apostolicam in te severitatem et iracundiam provocabis.

Data Romæ secundo Kalendas Julii, indictione undecima.

EPISTOLA XIV.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1073.)

Ut litteras suas ad Remensem archiepiscopum admittat, et monachos Sancti Remigii tueatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Hugoni abbati Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Noverit sanctitas vestra hos fratres monachos monasterii Sancti Remigii esse quibus apud sedem apostolicam pro consolatione loci sui, quem Manasses Remensis archiepiscopus quotidie dissipat ac confundit, diu commorantibus, non aliud ad præsens solatium opportunius exhibere potuimus, quam quod eidem archiepiscopo litteras pariter cum istis vobis redditas destinavimus; in quibus eum, si cum beato Petro et Romana Ecclesia pacem sperare velit, præfatum monasterium regulariter ordinare, et in quiete dimittere multum rogamus et admonemus; quas ut vestra charitas illi per idoneum nuntium mittat, et nobis quidquid pro his fecerit oblata primum opportunitate rescribat, nostra sollicitudo desiderat. Interim vero fratres istos desolationem loci sui videre fugientes benignitati vestræ commendamus, quatenus de his tandiu curam habere non pigeat, donec, miserante Deo, optatam quietem in monasterio suo eos habere posse contingat.

Data Romæ II Kalend. Julii, indictione undecima.

EPISTOLA XV.

AD OMNES CHRISTI FIDELES IN LOMBARDIA.

(Anno 1073.)

Nuntiat se excommunicasse Gotefredum, quod Simoniace Mediolanensem ecclesiam occupaverit. Monet ne ei consentiant, et fidem defendant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus fidelibus sancti Petri apostolorum principis in Longobardis commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Scire vos volo, fratres charissimi, quod et multi

vestrum sciunt, quia in eo loco positi sumus, ut, velimus nolimus, omnibus gentibus, maxime Christianis, veritatem et justitiam annuntiare compellamur, dicente Domino : *Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isai.* LVIII); et alibi : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XXXIII). Item propheta : *Maledictus*, inquit, *homo qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII), id est, verbum prædicationis a carnalium increpatione. Hæc ideo prælibavimus, quia, inter multa mala, quæ ubique terrarum fiunt, quidam ministri Satanæ, et præcones antichristi, in Longobardia etiam fidem Christianam conantur confundere, et iram Dei super se provocare. Nam, sicut scitis, Gotefredus [Gotifredus *et sic infra*] vivente Guidone dicto archiepiscopo Mediolanensi, eamdem Ecclesiam, quæ quondam meritis gloriosissimæ virginis et genitricis Dei Mariæ, nec non auctoritate clarissimi doctoris beati Ambrosii inter cæteras Longobardorum Ecclesias, religione, libertate, ac speciali [spirituali] gloria enituit, nunc quasi vilem ancillam præsumpsit emere, sponsam videlicet Christi diabolo prostituere : et a catholica fide tentans eam separare, nisus est Simoniacæ hæresis scelere [eam] maculare. Quod audiens sancta Romana Ecclesia mater vestra, et totius Christianitatis, sicut scitis, magistra, congregato e diversis partibus concilio multorum sacerdotum, et diversorum ordinum consensu, fulta beati Petri apostolorum principis auctoritate, Gotefredum fidei catholicæ et legis Christianæ inimicum excommunicavit, et anathematis jaculo una cum omnibus sibi consentientibus transfixit. Quam excommunicationem, quod etiam inimici Ecclesiæ negare non possunt, sancti Patres antiquitus censuere, et per omnes sanctas ecclesias totius orbis catholici viri confirmant et confirmaverunt. Quapropter ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum, monemus vos, fratres charissimi, hortamur atque præcipimus ut nullo modo prædicto hæretico Gotefredo consentiatis, quia illi in hoc scelere consentire, fidem Christi est negare; sed quibus modis potestis, ut filii Dei, ei resistite, et fidem Christianam, qua salvandi estis, omnino defendite. Neque vos deterreat humana superbia; quia qui nobiscum est major est omnibus, et semper invictus; qui vult nos pro se laborare, et coronam legitime certantibus, ut Apostolus promittit, tribuere. Solet enim dux noster paucis et humilibus multos et superbos conterere, et per ea quæ sunt infirma mundi fortia quæque confundere. Sic enim placuit, et sic decet cœlestem et invictum principem. Omnipotens Deus, qui beato Petro oves suas specialiter commisit, et totius Ecclesiæ regimen dedit, vos in ejus dilectione corroboret, ut, ejus auctoritate a peccatis vestris absoluti, mereamini inimicos Domini comprimere, et corda illorum ad pœnitentiam provocare.

Data Romæ Kalendis Julii, indictione undecima.

EPISTOLA XVI.

AD GIRALDUM OSTIENSEM EPISCOPUM.

(ANNO 1073.)

Miratur quod se certiorem non reddiderit de synodo ab eo coacta. Significat se episcopis, qui querebantur ab eo se depositos, respondere modo non posse, et Ausciensem episcopum se absolvisse. Jubet Bigorritanum episcopum restitui, nisi alia crimina in eo inveniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GIRALDO Ostiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur, et multum anxii sumus quod, cum semper consuetum et valde necessarium fuerit, ut, si quando legatus apostolicæ sedis concilium in remotis partibus celebraverit, sine mora ad annuntiandum omnia quæ egisset reverteretur, tua fraternitas post peractam synodum, in qua tot negotia emerserunt, nec ad nos rediit, nec eum qui secum est, considerata vel necessitate vel nostra exspectatione, remisit. Nobis equidem gratum est quod pro negotiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Hispanias profectus es; sed debuerat prudentia tua aut illum quem tibi adjunximus, aut aliquem qui synodo interfuisset, quique omnia vice tua nobis rationabiliter expedire sciret, ad nos direxisse : quatenus, perspectis omnibus, confirmanda confirmaremus, et si qua mutanda viderentur, discreta ratione mutaremus. Licet enim in litteris tuis aliqua nobis gestorum tuorum notitia apparuerit; vobis tamen absentibus, nec aliquo qui pro vobis certa eorum quæ viderit et audierit assertione respondeat impræsentiarum posito, plerisque, quorum alii injuste se excommunicatos, alii inordinate depositos, alii immerito interdictos conqueruntur, respondere causarum ambiguitate et respectu conservandæ auctoritatis tuæ prohibemur. Non respondere vero, aut in longum tempus responsa differre, despectioni, et, propter prolongata pericula eorum qui sub censura sunt, crudelitati imputatur. De causa etiam Guilielmi dicti Ausciensis [Ausiensis, *Mutin.* Auxitensis] archiepiscopi, pro cujus restitutione nos postulasti, tu ipse anxietatem quamdam nobis intulisti; cum ob id solum quia excommunicato scienter communicaverat, eum esse depositum, et tamen, in examinatione ejus de objectis criminibus, præter quod domnum et prædecessorem nostrum Alexandrum papam sibi ignovisse fatebatur, non eum canonice se expurgasse, sed expurgare voluisse dixisti. Non parvam itaque super his omnibus sollicitudinem habentes, tam tibi ipsi quam cæteris magna respondendi difficultate tenemur. Hoc tamen consulentibus fratribus et coepiscopis nostris et cardinalibus, inter cætera nos decrevisse cognoscas, ut præfatus Ausciensis archiepiscopus, propter hoc solum quia communicavit excommunicato, dejectioni subjacere non debeat : ita tamen si de objectis aliis crimini-

bus ita se expurgare poterit, ut neque in te suspicio prodeat, nec infamia ad nos usuque pertingat : alioquin hujus rei diffinitionem ad nostram audientiam serva. Pontium vero Bigorritanum dictum episcopum, quem simili de causa depositum esse nuntiasti, ad nos venisse cognoscas : sed honori tuo providentes nulla querelis ejus responsa dedimus. Attamen quia in paribus causis paria jura tenenda sunt, fraternitati tuæ scribimus, ut, habita super, his quæ sibi intenduntur diligenti investigatione, si [*lege* nisi, HARD.] aliud quod canonica severitate puniendum sit, in eo crimen legali approbatione inveniri possit, officii sui restitutione non careat. De cætero, quid nobis de cursu fatigationi tuæ credendum sit, fraternitatem tuam, reperta primum opportunitate, per scripta nobis indicare non pigeat.

Data Romæ Kalendis Junii, indictione undecima.

EPISTOLA XVII.

AD WRATISLAUM BOHEMIÆ DUCEM.

(Anno 1073.)

Agit gratias quod legatos apostolicæ sedis benigne tractaverint : eosdem autem a Bragensi [Pragensi] episcopo non liberaliter exceptos queritur. Rogat ut eum hortentur obedire legatorum monitis.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO Bohemiæ duci, et fratribus suis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia ob devotionem et reverentiam beatorum apostolorum Petri et Pauli principum apostolorum legatos nostros, Bernardum videlicet et Gregorium, qui ab hac sancta et apostolica sede ad vestras partes directi sunt, debitæ charitatis benevolentia suscepistis, et eos, ut vestram condecet magnificentiam, honorifice tractatis, omnipotenti Deo gratias agimus; proinde nostræ benevolentiæ vobis vicem rependimus. Quoniam enim antecessorum nostrorum negligentia, et patrum vestrorum, qui hoc fieri postulasse debuissent, agente incuria, apostolicæ sedis nuntii ad partes vestras raro missi sunt, quidam vestrorum, hoc quasi novum aliquid existimantes, et non considerantes sententiam Domini dicentis : *Qui vos recipit, me recipit : et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x) : legatos nostros contemptui habent, ac proinde, cum nullam debitam reverentiam exhibent, non eos, sed ipsam veritatis sententiam spernunt. Unde, ut clarius luce patet, ejus veritatis sententiam ad cumulum suæ damnationis adeo in se exaggerant, ut merito, dum pusillos Domini scandalizant, molas asinarias collo suspensas [*deest* habentes] in profundum perditionis, nisi resipuerint, prolabantur. Quorum frater vester Larmir Bragensis [Joramir, *Mutin.* Jarmirus Pragensis] episcopus, olim noster amicus, his nostris legatis, Bernardo scilicet et Gregorio, ut auditu percepimus in tantum rebellis exstitit, ut (si ita est sicut dicitur) Simonis magi vestigia contra apostolorum A principem imitatus fuisse videatur. Quapropter rogamus nobilitatis vestræ prudentiam ut et nostros legatos et fratrem nostrum prædictum episcopum conveniatis, et per vos et ex parte nostra fratrem vestrum attentius hortemini quatenus legatorum nostrorum monitis debitæ obedientiæ aurem inclinet, et, quidquid justitiæ sibi suggesserint, vel ex eis præjudicio pergravari, nulla sibi ab hac Ecclesia audientia denegabitur. Si vero neutrum horum facere acquieverit, et sententiam legatorum nostrorum de suspensione sui officii in eum promulgatam firmabimus (345) (et durius contra eum, scilicet usque ad interniciem [*f.*, internecionem], gladium apostolicæ indignationis evaginabimus), sicque fiet ut ipse et per eum plures alii experiantur quantum B hujus sedis auctoritas valeat. Inviti enim ad hoc compellimur, neque audemus hujusmodi præsumptionem dissimulare. Per Ezechielem namque prophetam sub interminatione nostri interitus impellimur dicentem : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XXXIII); et alibi : *Væ illi qui prohibet* [forte deest *gladium?* sed est locus ignotus, HARD.] *ab eo qui peccat, et incorrigibilis perseverat.* Vos autem et de his et de aliis sic agite ut temporalis vobis gloria a Domino augeatur, et perpetuæ beatitudinis abundantiam per interventum apostolorum perenniter possidere possitis.

C Data Laurentii VIII Idus Julii, indictione undecima.

EPISTOLA XVIII.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 1073.)

Dominicum patriarcham Venetiæ ad eum mittit ut cum eo agat de iis quæ a monachis ejus nomine acceperat. Cupidum se ineundæ pacis cum Ecclesia Constantinopolitana ostendit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MICHAELI Constantinopolitano imperatori salutem et apostolicam benedictionem.

Quidam a vestris partibus monachi venientes, quorum unus Thomas, alter, Nicolaus vocabatur, excellentiæ vestræ ad nos litteras detulere plenas vestræ dilectionis dulcedine, et ea quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibetis non parva devotione. Quæ D nimirum, inter cætera nobilitatis vestræ verba, eisdem monachis, de his quæ ipsi viva voce in aure nobis ex parte vestra relaturi essent, posse nos credere asserebant. Verum, quia personæ non videbantur tales quibus secure fidem possemus accommodare, vel per eos de tantis rebus magnitudini vestræ respondere, confratrem nostrum Dominicum patriarcham Venetiæ, Romanæ Ecclesiæ et imperio vestro fidelissimum, ad vos studuimus mittere, quatenus ipse diligenter a vobis intelligat si in ea, qua litteris vestris et viva eorumdem monachorum secretius voce significastis, adhuc voluntate

(345) Uncis inclusa desunt in Mutin.

perseveratis, et legationis vestræ verba ad effectum perducere velitis. Non autem non solum inter Romanam, cui licet indigni deservimus, Ecclesiam, et filiam ejus Constantinopolitanam, antiquam, Deo ordinante, concordiam cupimus innovare; sed, si fieri potest, quod ex nobis est, cum omnibus hominibus pacem habere. Scitis enim quia quantum antecessorum nostrorum et vestrorum sanctæ apostolicæ sedi et imperio patrocinium concordia profuit, tantum deinceps nocuit quod utrinque eorumdem charitas friguit. Cætera igitur, quæ præsentium latori secretius referenda commisimus, indubitanter potestis credere, et per eum quidquid majestati vestræ placuerit secure nobis significare.

Data Albani septimo Idus Julii, indictione undecima.

(346) *Constitutio quæ facta est inter dominum Gregorium papam septimum, et Landulphum Beneventanum principem.*

Hæc est constitutio quam dominus papa Gregorius constituit cum Landulpho Beneventano principe, et quam princeps Beneventanus ipse sibi firmiter promisit in sacro Beneventano palatio, anno primo pontificatus ejus, duodecima die, intrante mense Augusto, indictione undecima. Si ab hora ipsa inantea princeps ipse fuisset infidelis sanctæ Romanæ ecclesiæ, et papæ ipsi, suisque successoribus; vel si in aliquo quæsisset minuere publicam rem Beneventanam, aut aliquam inde absque nutu papæ, vel absque ordinatis [ordinationis] ejus, alicui fecisset investitionem; vel si aliquo invenerit studio, cum aliquo homine intus aut foris civitatem Beneventanam, faciendi aut recipiendi sacramentum, aut inveniendi divisiones; vel si per se aut per suppositam personam intus aut foris civitatem Beneventanam studuerit qualicumque modo aut ingenio reddendi malum meritum, aut faciendi damnitatem cuilibet de fidelibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ de ea quæ ad fidelitatem ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ egere usque modo; si se juxta domni apostolici judicium non potuerit inde defendere, cum fuerit appellatus, a præsenti amittat suum honorem.

Subscriptiones.

Ego Joannes Portuensis episcopus recognoscens subscripsi.

Ego Joannes Tusculanensis episcopus interfui et subscripsi.

Ego Ubertus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Desiderius presbyter Romanæ Ecclesiæ interfui et subscripsi.

Ego Petrus cardinalis presbyter et bibliothecarius sacræ Romanæ Ecclesiæ interfui et subscripsi.

EPISTOLA XIX.

AD RODULFUM SUEVIÆ DUCEM.

(Anno 1073.)

Ostendit se Henricum regem odio non habere, quin potius cupere pacem cum eo inire; quod ut commode fiat expedire, ait ut colloquantur una non solum ipse et imperator, sed etiam imperatoris uxor, et alii. Rogat ut se fidelem præbeat Romanæ Ecclesiæ, et ad limina apostolorum veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULFO Sueviæ duci salutem et apostolicam benedictionem.

Licet ex præteritis nobilitatis tuæ studiis clareat te Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem diligere, nunc tamen quanto ipsius amore ferveas, quantumque cæteros illarum partium principes ejusdem amoris magnitudine transcendas, litteræ tuæ nobis transmissæ evidenter exponunt. Quæ nimirum inter cætera dulcedinis suæ verba illud nobis videbantur consulere, per quod et status imperii gloriosius regitur, et sanctæ Ecclesiæ vigor solidatur, videlicet ut sacerdotium et imperium in unitate concordiæ conjungantur. Unde nobilitatem tuam scire volumus, quia non solum circa regem Henricum, cui debitores existimus ex eo quod ipsum in regem elegimus, et pater ejus laudandæ memoriæ Henricus imperator inter omnes Italicos in curia sua speciali honore me tractavit, quodque etiam ipse moriens Romanæ Ecclesiæ per venerandæ memoriæ papam Victorem prædictum filium suum commendavit, aliquam malevolentiam non observamus, sed neque aliquem Christianum hominem, Deo auxiliante, odio habere volumus: cum Apostolus dicat: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, et si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum charitatem non habens, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Sed quia concordiam istam, scilicet sacerdotii et imperii nihil fictum, nihil nisi purum decet habere, videtur nobis omnino utile ut prius tecum, atque cum Agnete imperatrice, et cum comitissa Beatrice, et Rainaldo episcopo Cumano, et cum aliis Deum timentibus [*subaudi* colloquar]. Nam sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus corpus Ecclesiæ spirituali lumine regi et illuminari probatur. De his diligentius tractemus; quatenus, voluntate nostra bene a vobis cognita, si rationes nostras justas esse probaveritis, nobiscum consentiatis: si vero rationi nostræ aliquid addendum vel subtrahendum esse vobis visum fuerit, consiliis vestris, Deo consentiente, parati erimus assensum præbere. Quapropter prudentiam tuam rogamus ut in fidelitate beati Petri semper studeas crescere, et ad limina ejus, tum causa orationis, tum consideratione tantæ utilitatis, non pigeat te venire, quatenus sic te in utroque beato Petro debitorem facias ut et in præsenti et in futura vita ejus semper intercessione gaudeas.

Data Capuæ Kalendis Septembris, indictione incipiente duodecima.

EPISTOLA XX.

AD RAINALDUM EPISCOPUM CUMANUM.

(Anno 1073.)

Dolet de ejus calamitatibus. Paratum se ostendit ul-

(346) Hæc constitutio deest in cod. Mutinensi, sed ejus loco ponit jusjurandum fidelitatis quod est in a post epistolam 21.

cisci injurias ipsi illatas. Hortatur ut Romam veniat, tum causa conciliandæ pacis cum Henrico, tum pro causa episcoporum Longobardorum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RAINALDO Cumano episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Lectis fraternitatis tuæ litteris de adversitate et contumelia quæ tibi accidit, imo nobis et universæ etiam sanctæ Ecclesiæ, ex corde tibi compassi, ex corde mœrore gravi sumus contristati : quo quippe etiam audito de nobis incognito, audito de sacerdote, et [*hoc est* etiam, HARD.] Ægyptio graviter compateremur, officii etiam nostri debito condolere cogeremur; quid igitur de cætero, quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ primum membrorum collocavimus? quem ut fratrem dilectissimum dilectionis sinu fovemus? Viscera compassionis, viscera doloris eximii, ut pro fratre charissimo aperimus. Cujus inauditi delicti vindictam, cujus novi sceleris pœnam, pro tui et multorum commodo, consilio tuo facere disposuimus; quia quanto melius tui sanguinis effusionis [*fort.*, effusoris], totiusque sui generis et patriæ mores et vitam novisti, tanto melius, quibus modis et quibus [forte, *pœnis*] facilius cogatur, consulere nobis poteris, ut tui et aliorum episcoporum infideles hujus exemplo deprimantur, et boni spe non dilatandi tanti et inauditi sceleris lætentur. Quod facere, et nobis scribere, et an publice vel privatim nos hæc velis exercere, usque ad festivitatem sancti Martini ex obedientia volumus nullius causa dimittas. Ad ea quæ de rege scripsisti, hæc accipias. Tu et dilectissima nostra filia Agnes imperatrix, quod eum et sanctam Romanam Ecclesiam diligere [*forte*, diligeritis, HARD.], et nos pro ea, ex longo experti sumus, sic novistis quid de rege sentiam, quid etiam de eo velim, ut nemo eo mundanis ditiorem vobis melius (347). Novistis quidem, si bene fortasse meministis, quam sæpe utrique dixerim quod eo religione sanctiorem nullum vellem vivere; hoc scilicet mente mecum versans : Si cujuspiam privati et alicujus principis boni mores, vita et religio honori sanctæ Ecclesiæ existant et augmento, quid illius qui laicorum est caput, qui rex est, et Romæ, Deo annuente, futurus imperator? Quod religionem scilicet diligere, bonos ex dilectione vera sibi adhibere, res Ecclesiarum augmentare et defendere, testis mihi Deus sit, eum vellem et ex toto corde optarem; quod eum velle aliter non speramus nisi malorum consilia ut venenum vitet, bonorum vero, ut nobis jam relatum est, acquiescat. De concordia vero inter Romanam Ecclesiam et eum, si cum utilitate utriusque vis aliquid disponere, sic sumas. Ducem Rodulfum Longobardiam intraturum in hoc primo Septembre audivimus. Efficias ergo principaliter pro apostolorum servitio, secundario vero hac etiam pro re, ut sibi et tibi Romam non sit pigrum venire, ubi de concordia Romanæ Ecclesiæ et regis vobiscum et cum imperatrice filia nostra dilectissima, cum Beatrice etiam, quæ multum et sæpe in hoc eodem laboravit, sic loqui, sic inde tractare poterimus, ut ex parte nostra omnia secura et quieta regi nuntietis, ut, si Italiam eum intrare contigerit, universa in pace invenerit. Te vero cum episcopis Longobardiæ loqui mihi non displicet : ne aliter vero cum illis communices, penitus provideat prudentia tua. Quid vero de illis disponendum sit, cum ad nos veneris determinabimus.

Data Capuæ [Romæ], Kalendis Septembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXI.

AD ANSELMUM LUCENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ne investituram episcopatus ab Henrico accipiat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANSELMO Dei gratia Lucensium electo episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam fraternitatem tuam sinceræ charitatis affectu et dileximus et diligimus, quæ tibi seu verbis, seu litteris super utilitate vitæ tuæ scribere curamus, ut indubitanter accipias opportet. Ut enim viam qua ambules postulasti tibi notificaremus, nullam novam, nullam expeditiorem scimus ea quam nuper dilectioni tuæ significavimus, videlicet te ab investitura episcopatus de manu regis abstinere, donec, de communione cum excommunicatis Deo satisfaciens, rebus bene compositis, nobiscum pacem possit habere. Personæ namque tales hoc opus conantur perficere, charissima utique filia nostra Agnes imperatrix, necnon et gloriosa Beatrix cum filia Mathildi; Rodulphus quoque dux Sueviæ, quorum religiosa consilia spernere nec possumus nec debemus. Quod si præfati operis perfectio dilationem quacunque occasione contigerit habere, interea nostræ familiaritati poteris adhærere Romæ, et nobiscum seu adversitatem seu prosperitatem communicare.

Data Capuæ Kalendis Septembris, indictione incipiente duodecima.

Jusjurandum fidelitatis quod fecit Richardus princeps domino suo Gregorio papæ.

Ego Richardus Dei gratia et Sancti Petri Capuæ princeps ab hac hora et deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedi, et tibi domino meo Gregorio universali [venerabili] papæ. In consilio vel in facto unde vitam aut membrum perdas, vel captus sis mala captione, non ero. Consilium quod mihi credideris, et contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum, me sciente. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibique adjutor

(347) Obscurus sane locus; in quo videlicet, ut perfecte expressum foret id quod auctor dicere voluit, deest aliquid, quod si supplere tentaremus, temeritatis argui merito posse videremur. Hoc tantum eas inter tenebras nobis apparet, Gregorium hic benevole votum qualecunque nuncupasse pro regis Henrici temporali felicitate; quod statim sequitur aliud (hoc autem minime obscurum) pro ejusdem in virtutibus pietateque consummatione. EDIT.

ero ad tenendum et acquirendum et defendendum regalia sancti Petri ejusque possessiones recta fide contra omnes homines, et adjuvabo te, ut secure et honorifice teneas papatum Romanum, terram sancti Petri; et principatus nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præsumam absque tua tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri intraverint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti Petri, quam ego teneo et tenebo, sicut statutum est, recta fide studebo ut illam sancta Romana annualiter habeat Ecclesia. Omnes quoque ecclesias quæ in mea persistunt dominatione, cum earum possessionibus, dimittam in tuam potestatem, et defensor illarum ero ad fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Regi vero Henrico, cum a te [ut a te] admonitus fuero, vel a tuis successoribus, jurabo fidelitatem; salva tamen fidelitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si tu vel tui successores ante me ex hac vita migraverint, secundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus et clericis Romanis et laicis, adjuvabo ut papa eligatur et ordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta observabo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et tibi recta fide; et hanc fidelitatem observabo tuis successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis, si mihi firmare voluerint investituram a te mihi concessam.

Actum Capuæ VIII Kalendis Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXII.

AD CARTHAGINENSES.

(Anno 1073.)

Hortatur ut deponant inimicitias, patienterque ferant impetus Saracenorum. Quæritur quod Cyriacum episcopum injuriis affecerint. Hortatur ad pœnitentiam; sin minus, minatur illis excommunicationem.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et plebi Christianæ Carthaginensi salutem et apostolicam benedictionem.

Gratia vobis et pax a Deo Patre et Jesu Christo Filio ejus unico, qui gratuita misericordia vos conformare in novum hominem in sui sanguinis effusione dignatus est; cui semel mori et resurgere placuit, ut vos carne mortificaret, spiritu vero vivificaret et Deo offerret; cujus rei testimonium petra super quam ipse ædificavit dedit dicens : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu* (*Petr.* III). De quo etiam hoc modo Apostolus : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V); et idem alibi : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II). Estote ergo imitatores ejus qui sputis pro vobis sordidari seipsum in cruce positum, et cum latronibus computatum pro peccatis vestris, voluit vulnerari, et sic finem sibi secundum carnem ponere, ut vos a peccatis ablueret, debitores non carnis, spiritu facta

A carnis mortificante [*f.*, mortificatione]. Spiritualis quippe vitæ si fueritis, hæreditate quidem regni ejus in æternum ut filii fruemini, cohæredes Christi, hæredes vero Dei. Unde omnem malitiam, simulationes et invidias, omnesque detractiones vos deponere fraterna charitate commoti admonemus. Si quid autem contingit inter arma Saracenorum positis, nolite pavescere; sed quotiescunque pro Christo patimini, gaudete, ut in adventum gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. Fidelis quidem est sermo : *Qui suscitavit Jesum, suscitabit et vos* (*Rom.* VIII), si mortui carne fueritis, vita vero Dei Spiritu in adventu suo ad gloriæ suæ communicationem. Ineffabilis igitur gloriæ spe tam fideli promissore confidentes, membra vestra mortificate; mortem Christi cordi-

B bus vestris infigite, adversa omnia pro eo pati gaudete, credentes cum Apostolo *non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Rixas ergo et contentiones ut venenum vitate. Humilitatis discipuli, humilitatem induite; Christi vicem super vos habenti ex debito obedite : consilia, admonitiones ejus vero amore amplecti insudate; scientes cum sibi, Christo [cum ipso Christo; *forte*, ut Christo, HARD.], qui pro vobis passus est, obedieritis, ejus vero prædicationes, judicia etiam cum susceperitis, Christum per omnia suscipietis; ait enim : *Qui vos suscipit, me suscipit; qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X). Aliter vero si feceritis, in Christum peccatis, Chri-

C stum spernitis, Christi discipuli esse desinitis. Apostolo resistitis, qui ait : *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit* (*Rom.* XIII). Cum ergo mundanis potestatibus obedire prædicavit Apostolus, quanto magis spiritualibus, et vicem Christi inter Christianos habentibus? Hæc, filii charissimi, gemens cogito, flens scribo, dolore cordis intimo vobis mitto. Pervenit quippe ad aures nostras, quosdam vestrum irreligiose in legem Christi [et] contra Christum, Cyriacum venerabilem fratrem nostrum vestrum vero archiepiscopum et magistrum, imo vero vestri Christum apud Saracenos sic accusasse, jurgiis detractionis sic lacerasse, ut inter latrones numeraretur, verberibus nudus cæderetur. O exemplum iniquum, vestri et universæ sanctæ

D Ecclesiæ dedecoris exemplum! Christus iterum capitur, falsis accusatoribus et testibus condemnatur, inter latrones numeratus verberibus cæditur. A quibus? Qui ejus dicuntur credere incarnationem, ejus etiam venerari passionem, cæteraque ejus sancta mysteria fide amplecti. Estne super his tacendum? an clamandum, et fletu corrigendum? Scriptum est : *Clama, ne cesses* (*Isa.* LVIII). Alibi etiam præceptum : *Nisi annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* XXXIII). Necessitate igitur clamabo, necessitate oportet corrigere, ne sanguis vester de manu mea quæratur, ne pro peccatis vestris ante judicem tremendum, ante judicem justum et immutabilem affligar. Viscera igitur pietatis paternæ, viscera misericordiæ super

vos hoc modo aperio; partim quia ad nos vobis facilis non est transitus propter maris longa et periculosa spatia, partim quia causam iræ, causam doloris et malitiæ ignoro sic discutere, ut super his sententiam determinem. Admoneo, et auctoritate apostolica præcipio ut, sicut temeritatis vestræ fœtores et inauditæ nequitiæ mentem nostram tristitia nimia turbaverint [turbaverunt], sic correctionis et pœnitentiæ odores redolentes mentem nostram in lætitiam mutent. Quod si non feceritis, gladio anathematis vos juste percutiam, et sancti Petri et nostram super vos maledictionem emittam.

Data Capuæ XVII [*deest* XVII] Kal. Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXIII.

AD CYRIACUM CARTHAGINENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Laudat ejus constantiam, quia patienter tulerit Saracenorum et malorum Christianorum injurias, et præsente Henrico (348) *rege ordinationes habere noluerit. Hortatur ad perseverantiam. Deum precatur pro Ecclesia Africana.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, CYRIACO Carthaginensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Visis fraternitatis tuæ litteris, fraternam de molestiis quæ a paganis et a pseudofiliis Ecclesiæ tuæ tibi inferuntur compassionem exhibuimus. Perpendimus enim te duplici certamine fatigari, ut et occultas Christianorum insidias patiaris, et a Saracenorum persecutione non solum sustentationem humanæ fragilitatis, sed ipsam fidem perdere miserabiliter exigaris. Quid enim aliud est sacerdotem ad imperium mundanæ potestatis legem Dei infringere, nisi fidem ejus negare? Sed Deo gratias! quia in medio nationis pravæ et perversæ fidei tua constantia velut luminare quoddam omnibus adeo innotuit, ut præsentatus regiæ audientiæ potius definires diversis cruciatibus affici, quam præcipiente rege contra sanctos canones ordinationes celebrari. Sed quanto pretiosior esset religionis tuæ confessio, si post verbera quæ tunc sustinuisti, errorem eorum ostendendo, et Christianam religionem prædicando, usque ad effusionem ipsius animæ pervenisses? Quod licet hujusmodi studiis fraternitatem tuam non ambigimus incumbere, et pro testimonio veritatis, quantum ad te, usque ad detruncationem membrorum devenisse; tamen devotionem tuam semper ad meliora provocantes exhortamur ut paratum te semper exhibeas, sicut de Domini consolatione lætificari, ita et de tribulatione non frangi. Multæ enim sunt tribulationes justorum; sed de his omnibus liberabit eos Dominus. His artibus, quibus crevit, sancta reparatur Ecclesia; hanc nobis hæreditatem sancti Patres reliquere, scilicet ut per multas tribulationes intremus in regnum Dei. Gravis quidem pugna, sed infinita sunt præmia. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad superven-* A *turam gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Nos igitur licet corpore absentes, spiritu tamen præsentes, mutuis litterarum consolationibus, quotiens permittit opportunitas, insistamus, et omnipotentem Deum assidue deprecemur ut ipse Ecclesiam Africanam, ex longo jam tempore laborantem, et diversarum perturbationum fluctibus conquassatam, tandem dignetur respicere, dicentes cum Psalmista : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas nos usque in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?* (*Psal.* XLIII.) Nos autem, sicut debemus, fraternam tibi per omnia compassionem exhibentes, litteras nostras clero et populo tuo dirigimus, ut ipsi, omni simultate deposita, te ut spiritalem patrem venerentur.

B Data Capuæ XVII Kalendas Octobris, indictione undecima [*legendum, ut in aliis*, duodecima. *Sic et in Mutin.*].

EPISTOLA XXIV.

AD BRUNONEM EPISCOPUM VERONENSEM.

(Anno 1073.)

Commendat ejus erga se observantiam. Pollicetur pallium, si Romam venerit, affirmatque regem a se amari.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, BRUNONI episcopo Veronensi salutem et apostolicam benedictionem.

Litteris fraternitatis tuæ susceptis evidenter intelleximus quod dispensationem nobis creditam desideres nos irreprehensibiliter gerere, et religionis C tuæ preces nobis et sanctæ Ecclesiæ necessarias devotissimas Deo fundere. Qua in re aperte monstratur quanto amore quantaque devotione beatum Petrum venereris, cum nos licet indignos obsequiis Ecclesiæ suæ deputatos tanta dilectione amplecti videaris. Qui enim dominos diligit, in servos quamvis minimos dominorum dilectionem transfundit. Quam utique dilectionem tuam in his quæ a nobis expostulasti, id est in pallii concessione, ad præsens non recompensamus : quia antecessorum nostrorum decrevit auctoritas nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum. Unde si fraternitas tua apostolicæ sedis privilegiis munita ad nos venerit, honorem, quem Romani pontifices D antecessoribus tuis contulerunt, nos tibi, Deo concedente, conferemus. Sicut enim Romanæ Ecclesiæ debitum honorem impendi a cæteris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesiæ proprium jus servare desideramus. Volumus etiam tunc præsentiæ tuæ ostendere quam sincero amore regiam salutem diligamus, quantumque circa ejus honorem et secundum Deum et sæculum invigilare desideremus, si ipse Deo debitum honorem studuerit exsequi, et formam sanctorum regum, omissis puerilibus studiis, sapienter imitari.

Data Capuæ VIII Kalendas Octobris, indictione duodecima.

(348) Nomen hoc non legitur in epistolæ contextu.

EPISTOLA XXV.

AD HERLEMBALDUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 1073.)

Narrat Normannos in dissidio perseverare, et Henricum regem litteras humilitatis plenas ad se misisse, nec se de Beatricis et ejus filiæ Mathildis religione dubitare. Hortatur ut pro defensione Romanæ ecclesiæ viriliter agat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERLEMBALDO Mediolanensi militi salutem et apostolicam benedictionem.

Sciat prudentia tua nos, Deo miserante, sanos et lætos, non sine magna sanctæ Ecclesiæ utilitate apud Capuam demorari. Nam Normanni, qui ad confusionem et periculum reipublicæ et sanctæ Ecclesiæ unum fieri meditabantur, in perturbatione, in qua eos invenimus nimis obstinate perseverant, nullo modo, nisi nobis volentibus, pacem habituri. Si enim discretio nostra sanctæ Ecclesiæ utile approbaret, ipsi jam se nobis humiliter subdidissent, et quam solent reverentiam exhibuissent. Henricum regem præterea scias dulcedinis et obedientiæ plena nobis verba misisse, et talia qualia neque ipsum neque antecessores suos recordamur Romanis pontificibus misisse. Quidam etiam ex majoribus fidelibus suis promittunt nobis ex parte sui, eum de causa Mediolanensis Ecclesiæ sine dubio consilio nostro obedire. Quantum enim sibi possimus prodesse, vel quantum, si adjutorii manum subtrahimus, obesse, cito te speramus apertissime cogniturum, et Deum nobiscum esse et nobiscum operari evidenter probaturum. De comitissa Beatrice nullo modo dubitandum putamus quin ipsa et filia ejus Mathildis, in his quæ ad Deum pertinent, et religionem sanctæ Ecclesiæ, fideliter se erga nos habeant. Tu igitur, omnino confidens in Domino et in matre tua Romana Ecclesia, viriliter age, confortatus in Domino et in potentia virtutis ejus, sciens quia quanto vobis gravis nunc insurgit perturbationis tempestas, tanto postmodum, Deo favente, jucundius arridebit serenitas.

Data Capuæ v Kalendas Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXVI.

AD EUMDEM.

(Anno 1073.)

Monet ut cum excommunicatis resipiscentibus, de quibus se consuluerat, benigne agat, quos se etiam benigne excepturum pollicetur. Hortatur ne metuat episcopos ejus inimico faventes, cum speret regem ejus causam judicandam sibi permissurum. Suadet ut Vercellensem episcopum sibi conciliet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERLEMBALDO Mediolanensi militi salutem et apostolicam benedictionem.

Piæ sollicitudinis studio in defensione fidei sanctæque religionis restauratione donec occupatus fueris, legationes tuas libenter audire, teque abunde adjuvare voluntas non deerit. Multiplici quidem A vestræ interrogationi, aliis quia intenti sumus, paucis respondere disponimus. De sociis itaque illius excommunicati, qui accepta pecunia ad vos redire volunt, et de filiis quorum patres, aut de patribus quorum filii ipsi Gotefredo anathematizato adhærent atque de iis quorum correctionem sine pecuniæ attributione fieri non vultis, erga quos tamen clementes vos existere monemus, si qui vestræ parti se applicare cupiunt, vestræ prudentiæ, ut melius scitis et valetis, disponendum committimus. Quicunque autem horum erroris sui pœnitentes ad nos venire remedii gratia desideraverint, benigne se suscipi atque misericorditer tractari noverint. Episcopos præterea inimicum vestrum fulcire conantes non multum metuatis, cum Beatrix ac filia ejus B Mathildis, Romanæ Ecclesiæ penitus faventes, cum quibusdam maximis regni proceribus laborent nostrum atque regis animum firmiter unire; contra quem quidem nullum odium neque debemus neque volumus exercere, nisi, quod absit! divinæ religioni contrarius voluerit existere. Quem nimirum regem omnino confidunt voluntati nostræ de cæteris ecclesiasticis negotiis satisfacere, præsertim de vestro nostræ dispositioni assensum præbere. Denique Gregorium Vercellensem episcopum, quoquo honesto pacto vales, stude tibi conciliare : quia nostræ ex toto jussioni se profitetur parere. De cætero itaque confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, precibus et eleemosynis ac puritate cordis in- C dulgentiam illius postulantes, quatenus votum nostrum ac vestrum ad perfectum perducere dignetur.

Data Capuæ VII Idus Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXVII.

AD ALBERTUM AQUENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ejus religionem, de qua aliquando dubitarat, commendat. Hortatur ut Simoniacos oppugnet et Herlembaldo auxilium præstet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ALBERTO Aquensis Ecclesiæ electo salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras, unde aliquantulum de religione tua dubitavimus, te videlicet illius excommunicati Gotefredi interfuisse ordinationi. D Sed postquam testimonia eorum qui nobis verum solent dicere, fideli relatione te excusare studuerunt, non solum de te non dubitavimus, sed ad reparandum Mediolanensis Ecclesiæ matris tuæ honorem zelum habere intelleximus. Qua in re quantum nobis religio tua placeat, evidentibus indiciis probabitur, in quibuscunque Romanæ Ecclesiæ necessitas tua auxilium requisierit : in nullo siquidem magis debitorem sanctum Petrum et nos religio tua potest sibi facere, quam si contra Simonem magum, qui Ecclesiam beati Ambrosii venalitatis suæ miserabiliter veneno infecit, scuto fidei et galea salutis armatus nobiscum prælieris; et si Herlembaldo strenuissimo Christi militi in his quæ ad Dei cultum et ad reli-

gionem sanctæ Ecclesiæ pertinent manum auxilii præstiteris. Est etiam quod prudentiam tuam sanctæ apostolicæ sedi nihilominus commendabit, si ipsam Simoniacam hæresim, sicut laudabiliter jam cœpit, usquequo de ecclesia sua omnino evacuetur, studuerit oppugnare, et clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatis munditiam revocare. Hæc itaque sanctitatis studia mens tua quotidie meditetur, quatenus quod, fama de te nobis innotuit, ex operum tuorum consideratione probetur. Age igitur, ut universalis mater sancta Romana Ecclesia in te quasi fidelissimo filio consoletur, et victis [*lege* vinctis] catenis mortis liberationis manus porrigatur.

Data Capuæ III Idus Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXVIII.

AD GUILIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ejusdem fere argumenti.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Guilielmo Papiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ fraternitatis tuæ nobis directæ, simulque Herlembaldi Mediolanensis verba, evidenter ostendunt quod tu sanctæ apostolicæ sedi eam quam debes velis obedientiam fideliter exhibere, et exhortationibus nostris, sicut decet, parere. Sed nihil est quod fraternitati tuæ promptius injungamus, nihil est quod te libentius facere velimus, quam si Ecclesiam tuam, gregemque tibi commissum, ab hæresibus quæ in sancta Ecclesia pestifere videntur pullulare, pastorali vigilantia studeas defendere, et contra eas omni annisu totisque viribus, sanctorum Patrum munitus auctoritate, ardentius insurgere, et clericos a turpis vitæ conversatione ad castitatem revocare. Hoc etiam scias, te admodum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ commendabilem facere, si præfato Herlembaldo , in his quæ nostro consilio, imo omnipotentis Dei timore operatur, manum adjutorii præstiteris, inimicis sanctæ Ecclesiæ bellum Dei secum præliaturus, viriliter restiteris. Studeat igitur prudentia tua sic se in hujus sollicitudinis partem fortem vigilantemque impendere, ut quod ex promissionibus tuis accepimus, certis rerum exsecutionibus implendum fore probemus.

Data Capuæ tertio Idus Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXIX.

AD JUDICES SARDINIÆ.

(Anno 1073.)

Hortatur ut erga Romanam Ecclesiam eorum parentum exempla secuti obedientes se exhibeant : dicitque se multa legato quem ad eos mittit, referenda imposuisse.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Mariano Turrensi, Orzocco Arborensi, item Orzocco Calaritano, Constantino Callaurensi, judicibus Sardiniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

A Vobis et omnibus qui Christum venerantur, cognitum est quod Romana Ecclesia universalis mater sit omnium Christianorum. Quæ licet ex consideratione officii sui omnium gentium saluti debeat invigilare, specialem tamen et quodammodo privatam vobis sollicitudinem oportet eam impendere. Verum, quia negligentia antecessorum nostrorum charitas illa friguit quæ antiquis temporibus inter Romanam Ecclesiam et gentem vestram fuit, in tantum a nobis, plusquam gentes quæ sunt in fine mundi, vos extraneos fecistis, quod Christiana religio inter vos ad maximum detrimentum devenit. Unde multum vobis necessarium est et de salute animarum vestrarum studiosius admodum cogitetis, et matrem vestram Romanam Ecclesiam sicut legitimi filii re- B cognoscatis, et eam devotionem quam antiqui parentes vestri sibi impenderunt, vos quoque impendatis. Nostri autem desiderii est non solum de liberatione animarum vestrarum curam velle habere, sed etiam de salvatione patriæ vestræ sollicitius invigilare. Unde, si verba nostra sicut decet devoti receperitis, gloriam et honorem in præsenti et in futura vita obtinebitis. Quod si aliter, quod non speramus, feceritis, et ad sonum exhortationis nostræ aurem debitæ obedientiæ non inclinaveritis, non nostræ incuriæ, sed vestræ poteritis culpæ imputare, si quid periculi patriæ vestræ contigerit. Cætera, quæ de salute et de honore vestro tractamus, magna ex parte confratri nostro Constantino C Turrensi archiepiscopo vobis referenda commisimus. At cum legatus noster, quem Deo annuente, de proximo mittere disponimus, ad vos venerit, voluntatem nostram pleniter vobis significabit, et quod gloriæ et honori vestro condecet apertius enarrabit.

Data Capuæ undecimo Idus Octobris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXIX *bis*.

HENRICI REGIS ROMANORUM AD GREGORIUM PAPAM.

(Anno 1073.)

Supplex veniam petit, quod invaserit res ecclesiasticas, et ecclesias vendiderit. Rogat ut sua auctoritate Simoniacam labem ab omnibus ecclesiis, et in primis a Mediolanensi, extirpet; seque pontifici in omnibus obsecuturum promittit.

D Vigilantissimo et desiderantissimo [desideratissimo] domno Papæ Gregorio apostolica dignitate cœlitus insignito Henricus Romanorum Dei gratia rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.

Cum enim regnum et sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant, oportet nimirum, domine mi et pater amantissime, quatenus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic et non aliter conservatur in vinculo perfectæ charitatis et pacis, et Christianæ concordia unitas, et ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos qui, Deo annuente, regni aliquandiu jam sortimur ministerium, sacerdotio, ut oportuit, per omnia jus et honorem

non exhibuimus legitimum : quippe nobis a Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem, divina miseratione aliquantulum compuncti, et in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando confitemur; sperantes de vobis in Domino ut apostolica vestra auctoritate absoluti justificari mereamur. Heu criminosi nos et infelices! partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ nostræ et imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum seductiles [seductilia] nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in cœlum et coram vobis, et jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet et Simoniaco felle amaricatis, et non per ostium sed aliunde ingredientibus, Ecclesias ipsas vendidimus, et non eas ut oportuit defendimus. At nunc, quia soli absque vestra auctoritate Ecclesias corrigere non possumus, super his, ut etiam de nostris omnibus, vestrum una et consilium et auxilium obnixe quærimus : vestrum studiosissime præceptum servaturi in omnibus. Et nunc in primis pro Ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur, et exinde ad cæteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus, Deo volente, non defuerimus, rogantes idipsum suppliciter paternitatem vestram, ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis; ex quibus nostra, quæ adhuc dicenda restant, Deo dante, plenius audietis.

EPISTOLA XXX.

GREGORII AD GEBOARDUM SALZBURGENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Arguit quod clericos non coerceat. Monet ut id faciat. Commendat præsentium latorem.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEBOARDO [GEBEARDO] Salzburgensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Si ea in vobis, quam speramus [quam in vobis sperabamus], erga nos dilectio flagraret, prius ad nos vestræ quam nostræ ad vos litteræ pervenissent; cum id faciendi facilius vobis per plures ad limina apostolorum venientes, quam nobis per unum hinc ad vos proficiscentem occasio conferatur. Nos tamen insalutati officium salutationis impendimus, et, quam solemus, dilectionis tibi sinceritatem exhibemus. Sed est unde fraternitatem tuam negligentiæ merito argui putamus, quod de castitate clericorum, sicut nobis relatum est, præceptis Romanæ synodi, cui interfuisti, inobediens usque hodie videaris. Qua in re tantum de te, admirantes gravius dolemus, quantum te illud sollicitius operari sperabamus. Unde apostolica te auctoritate admonemus ut clericos tuos qui turpiter conversantur, pastorali rigore

A coerceas, et quod, Romana Ecclesia testante, de immunditia clericorum statuit, neque gratiam neque odium alicujus, constanti auctoritate in Ecclesia tua prædicando exerceas. Cæterum pro amore sancti Petri cujus limina præsentium portitor requisivit, studeat religio tua viscera pietatis sibi aperire, in quantum cum salute animæ suæ videtur tibi posse fragilitati suæ condescendere; quatenus non pœniteat eum tanti itineris laborem subiisse, sed gaudeat, quod diu quæsivit, scilicet sancti Petri, misericordiam per nos juxta votum suum impetrasse.

Data Capuæ decimo septimo Kalendas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXI.

B AD LANFRANCUM CANTUARIORUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Reprehendit quod patiatur Arfastum [Arfatum, *et sic infra*] *quemdam contra Alexandri prædecessoris sui decreta sancti Eadmundi abbatiæ molestiam exhibere. Monet ut sua vice ejus audaciam compescat, et regem Guilielmum exoret, ne ullum ei favorem præstet. Quod si Arfastus parere contempserit, jubet eum et Balduinum abbatem sedem apostolicam ad eorum contentiones dirimendas petere.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, LANFRANCO Cantuariorum in Anglia archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Non minima admiratione dignum ducimus qua fronte, qua mente Arfastum dictum episcopum sanctæ Romanæ Ecclesiæ illudere, et beatæ memoriæ C Alexandrum prædecessorem nostrum ejusque decreta contemnere patiamini. Prudentiam quippe vestram ad plenum cognoscere nos non latet, sanctam Romanam Ecclesiam jure a Deo dato sibi defendere Ecclesiarum, sacerdotum, episcoporum consecrationes; et a nullo sumpta licentia debere et posse celebrare, suis et præbuisse, et Deo annuente præbituram firmissimam etiam in hoc defensionem, qui Romam venerint, et sedis apostolicæ consilium et auxilium petierint. Quibus Arfastus dictus episcopus, qua nova audacia resistat, nisi fortasse ista : *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isaiæ* XIV), ignoramus. Ad quod etiam dilectio vestra super his sileat, non minimum miramur. Verum, quia de vobis non aliter D quam de nobis dubitamus, fraternitatem vestram confidenter deprecamur ut vice nostra Arfasti nugas penitus compescatis, et sancti Eadmundi abbatiam contra decretum decessoris nostri inquietari nullo modo sinatis. Qui etiam cum eumdem abbatem in presbyterum ordinari Romæ fecisset, ipsum, et monasterium cui præest, in tutelam apostolicæ sedis accepit. Unde injurias illius in nos redundare, dissimulare non possumus; præsertim cum ad despectum auctoritatis nostræ eas sibi irrogari perpendimus. Unde etiam Guilielmum regem charissimum, et unicum filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, precibus nostris et vice nostra super his admonere dilectionem vestram precamur, et ne Arfasti vanis persuasionibus acquiescat; in quo sua singularis pru-

dentia supra modum diminuta et contracta ab omnibus cognoscitur. Si vero Arfasto [Arfastus] contra hæc recalcitrare abhinc tentaverit, apostolica auctoritate sibi et Balduino abbati præcipite ut sedem apostolicam ad hæc determinanda petant.

Data ad Sanctum Germanum, duodecimo Kalendas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXII.

AD ARALDUM CARNOTENSIUM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Ut ad curam suæ abbatiæ, remoto alio intruso abbate, restituat quemdam Isimbardum, si nulla alia culpa inveniat eum privatum, nisi quod Hierosolymam devotionis causa profectus fuerit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Araldo [Arnaldo] Carnotensium episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium portitor Isimbardus abbas monasterii Sancti Laodomarii [Launomari, *Mutin.* Audomari] ad apostolicam veniens sedem, nostris questus est auribus se præfatæ abbatiæ carere obedientia, nulla interveniente culpa, nisi quia, divino succensus amore, perrexit Hierosolymam; a qua dum rediret, invenit quemdam abbatem nomine Guidonem, suæ prælatum abbatiæ, ut audivimus, non simili præditum religione, neque ab alio [*forte*, ab illo, Hard.] monasterio regulariter sumptum. Fraternitas ergo tua studeat pia inquirere sollicitudine, et istius remotionem, et illius ordinationem; atque si in hoc aliqua non invenitur culpa, nisi profectio ad Hierosolymam (quod quidem ducimus tolerandum), ac sollicitius et religiosius eo valet in regimine fratrum, iste utique restituatur, ille vero dejiciatur. Quod si et iste aliam commisit culpam quæ eum a regimine juste removeat, et ille religiosius isto in administratione pervigilat, ordinatioque ejus reperiatur legitima; hunc quidem Isimbardum nobis tua fraternitas cum litteris remittat, et ille in suo loco permaneat. Si vero illius promotio Simoniaca sorde invenitur fœdata, tunc siquidem ille sine mora deponatur a regimine fratrum, et alter ei regulariter substituatur. Quidquid autem tua religio super utriusque causa expleverit, litteris tuis innexum nobis studeat facere notum.

Data Argenteæ [Argentace, *et sic infra*] v Kalendas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXIII.

AD FRATRES MONASTERII BEATÆ MARIÆ.

(Anno 1073.)

Privilegium sui prædecessoris, quia falsum esse censebat, nec vult confirmare, nec aliud concedere. Ipsum electum abbatem, sibi idoneum non visum, a se monitum fuisse significat ut a prælatione desistat : jubet tamen ut interim ei obediant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratribus monasterii beatæ Mariæ, siti in episcopatu Dordonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Veniens ad nostram præsentiam frater Benedictus, quem post obitum patris Uberti religio vestra sibi præesse elegit in abbatem, detulit nobis quod-
A dam privilegium, quod beatæ recordationis prædecessoris nostri Alexandri nomine titulatum invenimus : quod nimirum ratum non esse manifestissimis deprehendimus indiciis, corruptione videlicet Latinitatis, nec non et diversitate canonicæ auctoritatis. Congruenti igitur ratione, neque vetus roborare, neque nostro nomine novum dignum duximus impræsentiarum componere : quia quæ sunt justa et pia postulat ecclesiastica regula. Cum enim Dordonensis [Dertonensis *et sic infra*] Ecclesia, cujus parochiæ adjacetis, operante superna clementia, canonice fuerit ordinata, tunc quidem, comite vita, ex consensu ejusdem sedis episcopi, proficuæ utilitatis privilegium vestræ necessitati providebimus
B canonica auctoritate suffultum. Quod si, peccatis exigentibus, eadem ecclesia canonice non fuerit ordinata, tunc etiam muninime, quo juste valebimus, vobis omnino solatiabimur. Quia vero persona vestri electi, licet honestis prædita videatur moribus, ad abbatis tamen officium, cum ætate tum etiam corporis infirmitate, nobis visa est debilis, utpote, quem oportet pro omnibus sollicitudinem gerere, eumdem electum monuimus a prælatione desistere, si se invalidum fratrum opportunitatibus perspexerit non posse sufficere : cui tamen, quoad præfuerit, in ejusdem religionis tenore perseverantes, in qua vester vos defunctus instituit pater, debitam reverentiam exhibete. Cæteri quoque monachi vestri consocii, per cellas ab eodem patre vestro constructas,
C ut vobiscum sint unanimes, eidemque vestro abbati reverenter obediant, auctoritate præcipimus apostolica. Quia epistolare compendium multa, quæ fratribus vestris intimavimus, vestræ fraternitati notificare non patitur, quæ huic epistolæ desunt prædicti fratres auribus vestris viva voce narrabunt.

Data Argenteæ iv Kalendas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXIV.

AD REMEDIUM LINCULNIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Arcet homicidam a sacri altaris ministerio : concedit tamen illi, si pœnitentiam egerit, ut stipendiis Ecclesiæ ali possit.

D Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Remedio Lincolnensi in Anglia episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Latorem præsentium, quem fraternitatis tuæ litteræ homicidio maculatum nobis denuntiaverunt, nulla sanctorum Patrum auctoritas concedit ulterius sacris altaribus ministrare, nec nos decet constitutioni illius, quod absit! assensum præbendo canonum statutis contraire. Tua tamen religio, si eum pro commisso crimine perspexerit dignum Deo exhibere fructum pœnitentiæ, hoc sibi misericorditer provideat, ne stipendiis ecclesiasticis careat, atque, paupertate pusillanimis factus, divina postponat præcepta : licet namque sacerdotium nullo pacto unquam mereatur recipere, dignum tamen est consequi eum aliquod beneficium ab apostolica sede. Ab-

solutionem præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate principum apostolorum Petri et Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, et commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. Quod autem precatus es nos tibi jubere, quatenus possis scire unde nobis serviendo merearis placere, hoc potissimum præcipimus, tuis videlicet juvari orationibus, ut compotes simul mereamur gaudiis perfrui perennibus.

Data Terracinæ IV Nonas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXV.

AD RODERICUM [ROCLENUM] CABILONENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

In Philippum Francorum regem invehitur ecclesiarum venditorem et destructorem, quem ab eo moveri vult ut canonice episcopos eligi permittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODERICO [ROCLENO] Cabilonensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Inter cæteros nostri hujus temporis principes qui Ecclesiam Dei perversa cupiditate venundando dissipaverunt, et Matrem suam, cui ex Dominico præcepto honorem et reverentiam debuerant, ancillari subjectione penitus conculcarunt, Philippum regem Francorum Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, ut ad summum tam detestandi hujus facinoris cumulum pervenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus molestius, quanto et prudentia, et religione, et viribus noscitur fuisse potentius, et erga Romanam Ecclesiam multo devotius. Et nos quidem tam generalis nostræ cura sollicitudinis, quam ipsarum destructio ecclesiarum, vehementer accenderat ut in tam audaces sanctæ religionis excessus severius animadvertere deberemus. Sed quoniam, anteactis diebus, per familiarem suum cubicularium, videlicet Albericum, ad nostri censuram judicii et vitam corrigere et Ecclesias ordinare firmiter nobis respondit, rigorem canonicorum interim exercere distulimus. Hujus ergo promissionis fidem in Matisconensi Ecclesia pastoris regimine diu desolata, et ad nihilum pene redacta, in primis volumus experiri; ut scilicet Augustodunensem archidiaconum unanimi cleri et populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus, regis assensu electum, episcopatu dono gratis, ut decet, concesso, Ecclesiæ præfici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc Ecclesiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, et ex auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli duram inobedientiæ contumaciam canonica austeritate coercituros. Nam aut rex ipse, repudiato turpi Simoniacæ hæresis mercimonia, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt. Hæc ideo, frater charissime, vigilantiæ tuæ intimare curavimus, quatenus ea prædicto regi insinuare, et exhortando, et rogando, modisque omnibus inculcare studeat, ut et præfatam Matisconensem, aliasque Ecclesias canonice concedat ordinari. Tibi ergo maxime hæc idcirco injungimus, quia prudentiam tuam magnam esse, et regia familiaritate uti cognovimus. Si qua autem quæ dicenda erant a nobis prætermissa sunt, hæc ingenii tui acumen injungat. Itaque in hac persecutione labora, ut et Dei gratiam, et nostram benevolentiam promerearis.

Data Piperni II Nonas Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXVI.

AD HUMBERTUM LUGDUNENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1073.)

Mandat ut ab ipso vel ejus suffraganeis electus Matisconensis etiam contra regis voluntatem ordinetur, et, si renuerit ordinari, cogatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUMBERTO Lugdunensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Clamor Matisconensium clericorum pervenit ad nos, Ecclesiam suam, jam multo tempore pastore viduatam, detrimentum non modicum sustinere. Dicunt enim regum Francorum electionem [*forte*, sine] suo consensu factam velle impedire. Unde, quia ipse in præsenti anno per quemdam militem suum, nomine Albertum [*fort.*, Albericum, *ut in superiore epistola, et sic in Mutin.*], Romanam venientem, se consilio nostro omnino acquiescere promisit; studuimus confratri nostro Rodino [Rocleno] Cabilonensi episcopo nostras dirigere litteras, ut ipse, nostra functus legatione, præfatum regem conveniat, quatenus ipse oblatæ nobis memor promissionis suæ, electionem Matisconensium non solum non impediat, sed eum quem debet assensum præbeat. Qui si, in duritia sua permanens, neque necessitati hujus Ecclesiæ compati, neque exhortationi nostræ parere voluerit; præcipimus apostolica auctoritate ut fraternitas tua neque pro odio neque gratia alicujus dimittat quin electum ab eis Augustodunensem Landricum archidiaconum episcopum seu per te seu per suffraganeos tuos ordinare studeat, si tamen auctoritas sanctorum Patrum probatur sibi non obviare. Si vero ipse hunc ordinem suscipere renuerit, et inflexibilem se exhibuerit, volumus ut cum episcopo suo vim sibi inferas, eumque ad recipiendum episcopalem ordinem vigilanti studio atque pastorali rigore constringas. Quod si fraternitas tua in hac causa negligens fuerit, procul dubio tu motum apostolicæ sedis incurres, et ipse, si ad nos venerit, Deo consentiente, a nobis ordinabitur.

Data Piperni II Nonas Decembris, indictione XII.

EPISTOLA XXXVII.

AD ALDILASIAM COMITISSAM.

(Anno 1073.)

Ejus religionem ac pietatem erga sacra loca commemorat, et ad meliora semper peragenda hortatur. Duorum monasteriorum protectionem ei commendat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ALDILASIÆ [ADELASIÆ] comitissæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam noverim te sacris locis et eorum religiosis habitatoribus spontanea voluntate te ferre subsidium, exhortari te tamen et admonere curavi ut in majus meliusque excrescas; et quod ultro facere consuesti, nostro præcepto et beati Petri auctoritate jam studiosius exsequaris. Ad hoc enim tibi a Domino et honoris dignitas et potentiæ amplitudo concessa est, ut in suo suorumque servitio expendatur, et tu, eis carnalia tua libenter impartiens, de spiritualibus eorum participium merearis. Quamobrem curæ tuæ et defensioni Fructuariense cœnobium et ejusdem congregationis fratres attentius commendamus, ut eis et opem consilii et præsidii firmamentum contra omnia infestantium gravamina impendere studeatis, ut et pro salute animæ tuæ orationes eorum apud Deum fructificent. Pari quoque modo Clusini monasterii abbatem, et ipsius cœnobii res vigilantiæ tuæ tuendas ac protegendas committimus, quem sub gravi tribulationum fasce laborare audivimus. Neque te a bonæ intentionis incepto alicujus gratia aut præmium deflectat: quia *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth.* x). Hæc tibi, filia charissima, paucis inculcare et injungere statuimus, ut ad boni operis exsecutionem te promptiorem redderemus, et, ut dicitur, currentem incitaremus: quatenus Deo devota, et bonis actibus, et Dei servorum protectioni invigilans, illam promittentis Domini mercedem valeas adipisci: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Ibidem*).

Data Seciæ septimo Idus Decembris, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXVIII.

AD WRATISLAUM DUCEM BOHEMIÆ.

(Anno 1073.)

Commendat ejus in apostolicam sedem observantiam. Confirmat ea quæ prædecessor Alexander II ei honoris gratia tribuerat. Hortatur ad promissorum constantiam. Pollicetur in illius ditione quæ a legatis definiri non poterunt, se definiturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO duci Bohemiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Longa jam temporis intervalla transacta sunt ex quo et nobilitas tua beato Petro apostolorum principi non modicæ devotionis animum spopondit et studium, et tibi in apostolica sede inter cæteros principes larga benignitas, præ multis etiam sin- A gularis et egregia fuit adstricta charitas. Cujus rei fidem et indicium ex benevolentia domini et antecessoris nostri Alexandri papæ satis percepisse potes, qui petitionibus tuis non unquam, sine sua et filiorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sollicitudine et labore condescendit, et ad signum intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consuevit, mitram quam postulasti direxit. Neque vero nos in nostris temporibus tantæ dilectionis gratiam, providente Deo, labefactari volumus: imo si quid est in quo, comitante justitia, firmius conglutinari valeat, hoc nostra apud Deum sollicitudo impetrare valde desiderat. At te quidem erga apostolicam reverentiam, quam sis in votis constans, quam in promissis B perseverans, non modo pro dignitate, verum etiam pro salute tua fideliter oportet attendere: scriptum est enim: *Vovete, et reddite* (*Psal.* LXXV). Quæ autem illa vel qualia sint, a tui ipsius conscientia satis te commonitum esse putamus. Causas vero et negotia, quæ, in partibus illis ad audientiam discussionemque legatorum nostrorum perlata, peccatis impedientibus, congrua determinatione diffiniri non poterant, sicut officii nostri cura nemine nos rogante compellit, ad eum quem justitia postulaverit finem, adjuvante Domino, perducere procurabimus. Porro quæ ipsi inde statuerunt, interim donec ad nos negotia perferantur, immota manere volumus, atque apostolica auctoritate præcipimus. Deus autem omnipotens, qui bonorum omnium dator et C auctor est, talem vos in votis vestris et actibus esse faciat, ut cum ante cœlestes judices, videlicet Petrum et Paulum, in futuro examine veneritis, nulla vos in illorum oculis', nisi quæ remuneratione digna sit, conscientia denotare et ostentare valeat.

Data Romæ XVI Kalendas Januarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XXXIX.

AD WOZELINUM MAGDEBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM ET ALIOS.

(Anno 1073.)

Queritur bellum inter eos et Henricum regem exortum fuisse. Jubet eos ab armis desistere, donec per legatos suos causam contentionis cognoscat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WO- D ZELINO [VOZELONI] Magdeburgensi archiepiscopo, BURCHARDO Halberstadensi episcopo, et LETONI [TOTONI] marchioni, cæterisque Saxoniæ principibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta violentia quantaque fratrum impulsione universalis Ecclesiæ multis perturbationum fluctibus concussæ, et pene quasi quodam naufragio periclitatæ, onus et regimen suscipere sum coactus, occultum vobis et inauditum esse non credimus. Testis enim mihi est conscientia mea quam imparem me tanto ponderi judicaverim, et quanta sollicitudine nomen apostolicæ dignitatis evitare concupiverim. Sed quoniam via hominis non in manu ejus, sed illius est dispositione a quo gressus hominum diriguntur, impossibile mihi fuit contra divinam volun-

tatem concepta vota defendere. Unde mihi sollicite vigilandum atque pensandum est qualiter ea quæ ad profectum ecclesiasticæ religionis et salutem Dominici gregis attinent, adjuvante Deo, annuntiare et fideliter administrare valeam; urgente me præ omnibus, tum eo timore ne susceptæ me apud supernum judicem negligentia dispensationis accuset, tum debito amore apostolorum principis, qui me ab infantia mea sub alis suis singulari quadam pietate nutrivit, et in gremio suæ clementiæ fovit. Verum inter cæteras curarum anxietates ea nos maxime sollicitudo coarctat, quod inter vos et Henricum regem, vestrum videlicet dominum, tantam discordiam et tam inimica studia exorta esse cognovimus, ut exinde multa homicidia, incendia, deprædationes ecclesiarum et pauperum, ac miserabilem patriæ vastitatem fieri audiamus. Qua de re regi misimus exhortantes, et ex parte apostolorum Petri et Pauli eum admonentes, ut interim sese ab armis et omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab apostolica sede nuntios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas et diligenter inquirere, et annuente Deo ad pacem et concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos et apostolica auctoritate commonitos esse volumus ut ex vestra parte omni motione sopita, easdem pacis inducias odservetis, nec aliqua occasione nobis cum Dei adjutorio adstruendæ pacis impedimentum opponatis. Cum etenim (ut scitis) nobis mentiri, sacrilegium; deserere justitiam, animæ sit naufragium; neminem vestrum dubitare volumus quin super hac re, veritate discussa, quidquid æquum videbitur, providente Deo, decernere, et stabili pactione studeamus efficere; et quamcunque partem injurias et conculcatæ justitiæ violentiam pati cognoverimus, illi procul dubio, omni timore et respectu personalis gratiæ posthabito, favorem, et apostolicæ auctoritatis præsidia conferemus.

Data Romæ XIII Kalendas Januarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XL.

AD COMITISSAM MATHILDEM.

(Anno 1074.)

Lætatur de ejus erga sedem apostolicam observantia. Hortatur ut perseveret, ac ad visitanda beatorum apostolorum limina una cum matre veniat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Mathildi egregiæ indolis puellæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quia serenitatis vestræ litteræ apostolicæ sedi directæ eamdem testatæ sunt dilectionem principi apostolorum beatissimo Petro bonitatem tuam promptam esse exhibere, quam Jesu Christo Domino nostro vas electionis sanctus Paulus coapostolus ejus usque ad mortem ferventissimo amore studuit conservare, gaudii repleti immensitate, omnipotenti Deo quas possumus reddimus gratias. Sed noverit prudentia vestra honestis inceptis, religiosisque inchoationibus, opus esse honestiori perseverantia, atque Deo opitulante religiosissima consummatione. Quapropter, si contigerit gloriosam matrem vestram hoc tempore Romam redire, toto corde admonemus, imo rogamus charitatem vestram, ad visitationem apostolorum cum eadem venire, nisi forte aliquid instet quod vos non prætermittenda necessitate detineat. Præterea litteris quas IV Kalendas Januarii nomine vestro suscepimus, quod nobis visum est congruum jam per nostrorum apicum legationem respondisse confidimus. Omnipotentis Dei misericordia, quæ fideles suos jugiter circumdat et protegit, assidua vos benignitate dignetur custodire, atque post hujus vitæ cursum animam tuam æthereo regno componere.

Data Romæ III Nonas Januarias, indictione duodecima.

EPISTOLA XLI.

AD ORZOCOR JUDICEM CALARITANUM.

(Anno 1074.)

Monet ut de causa quam ei commiserat, communicato cum cæteris Sardiniæ judicibus consilio, sibi quid invisum fuerit intra annum respondeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Orcozor [Orzocco] judici Calaritano Sardiniæ provinciæ salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras tuas accepimus, in quibus te ad nos velle venire continebatur. Nobis itaque placet ut venias, et cum omni securitate; postquam ad littus nostrum veneris, eundo et redeundo per fines terræ nostræ te migrare posse nullatenus tibi dubitandum esse scias. Præterea admonemus prudentiam tuam ut de causa quam per archiepiscopum Constantinum Turrensem hoc in anno a nobis Capuæ consecratum tibi mandavimus, cum cæteris Sardiniæ judicibus loquaris; et, firmiter inter vos communicato consilio, quidquid vobis inde cordi et animo sit, celeri nobis responsione notificate; scientes quoniam, nisi in hoc anno certa nobis super hac re ratione respondeatis, nec amplius vestra responsa quæremus, nec tamen ulterius jus, et honorem sancti Petri irrequisitum relinquemus.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XLII.

AD SICARDUM AQUILEIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Indicit concilium ad depravatos principum et prælatorum mores corrigendos. Monet ut una cum suffraganeis ad id præstituta die accedat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sicardo Aquileiensi fratri et coepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare credimus prudentiam tuam quantis perturbationum fluctibus Ecclesia sit usquequaque concussa, et pene desolationis suæ calamitatibus naufraga et submersa sit facta. Rectores enim et principes hujus mundi singuli quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, omni reverentia conculcata, quasi vilem ancillam opprimunt, eamque confundere, dum cupiditates suas explere valeant, nul-

latenus pertimescunt. Sacerdotes autem, et qui regimen Ecclesiæ accepisse videntur, legem Dei fere penitus postponentes, et officii sui debitum Deo et commissis sibi ovibus subtrahentes, per ecclesiasticas dignitates ad mundanam tantum nituntur gloriam, et quæ speciali dispensatione multorum utilitatibus, et saluti proficere debuissent, ea aut negligunt, aut infeliciter in pompa superbiæ et superfluis sumptibus consumunt. Inter hæc populus, nullo prælatorum moderamine, nullisque mandatorum frenis in viam justitiæ directus; imo, eorum qui præsunt exemplo, quæcumque noxia, et quæ Christianiæ religioni sunt contraria edoctus, ad omnia pene quæ nefaria sunt proni et studio corruentes, Christianum nomen, non dico absque operum observantia, sed pene absque fidei religione gerunt. Quapropter, confidentes in misericordia Dei, concilium in prima hebdomada quadragesimæ adunare disposuimus, quatenus huic tanto periculo, suffragante divina clementia, cum communi consilio fratrum aliquod solatium et remedium invenire valeamus, ne nostris temporibus irreparabilem Ecclesiæ ruinam destructionemque videamus. Ideoque et vestram fraternitatem rogamus, et ex parte beati Petri apostolorum principis admonemus, ut in prælibato termino vestram nobis præsentiam exhibeatis, convocatis una vobiscum, tum per hæc nostra tum per vestra scripta, vestris suffraganeis episcopis : ut tanto tutius tantoque firmius ad subsidium ecclesiasticæ libertatis et religionis accingamur, quanto uberius atque vicinius consiliis vestræ prudentiæ, aliorumque confratrum frequentia et provida consultatione circumdamur.

Data Romæ nono Kalendas Februarias, indictione duodecima.

EPISTOLA XLIII.

AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS.

(Anno 1074.)

Ejusdem argumenti.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Mediolanensis ecclesiæ suffraganeis, videlicet Brixiensi, Cremonensi, bergamensi [Bergomensi], Laudensi, Novariensi, Eporediensi, Taurinensi, Albensi, Astensi, Aquensi, Terdonensi [Dertonensi], et cæteris quibusdam, salutem et apostolicam benedictionem, quibusdam pro meritis.

Non incognitum vobis esse credimus, in Romana Ecclesia jamdudum constitutum esse ut per singulos annos, ad decorem et utilitatem sanctæ Ecclesiæ, generale concilium apud sedem apostolicam sit tenendum. Nos itaque hujus celebritatis hoc in tempore causam valde necessariam considerantes, in prima hebdomada quadragesimæ synodum, annuente Deo, Romæ celebrare disposuimus. Ad quam omnes vos, et apostolica auctoritate præsentiam vestram exhibere commonemus atque præcipimus : quatenus una vobiscum, et cum alia frequentia vestri ordinis, officii nostri debitam sollicitudinem in divinis et ecclesiasticis causis, suffragante superna clementia, commode ac reverenter exercere valeamus. Intueri autem et diligenter vos oportet attendere quoniam quicumque miles, domino suo in prælio properante, se subtraxerit, non modo gratiam sibi labefactare, sed accepti beneficii commodum merito sibi corruisse dignoscitur. Hoc igitur exemplo appareat qui ex vobis, imo quam omnes sitis fideles Christi milites; et ad divina agmina tam prompta voluntate et studio vos conferre studete, ut, post adeptam in Christo victoriam, pariter vobis et de virtute factorum et abundantia præmiorum gloriari liceat. Sub eadem etiam auctoritate et determinatione omnes abbates Longobardiæ ad præfatum concilium invitamus, nullamque in hac obedientia fictitiam excusationem prætendere admonemus atque præcipimus.

Data Romæ octavo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XLIV.

AD JERIMORUM BRAGENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Restituit episcopo Bragensi suspenso reditus episcopatus, ut, omni postposita mora, cum legatis episcopi adversarii sui sanctorum apostolorum limina adeat. Commemorat se fratri ejus duci scripsisse, ut Moravensem episcopum et suos legatos Romam mittat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Jeromiro Bragensi [*pro Pragensi*, Hard. *et sic infra*] episcopo.

Quanquam inobedientia tua et culpa, quam in contemptu legatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetrasti, preces tuas, te absente et nondum parato satisfacere, recipi non meruit; tamen ne ex apostolica, licet justa, districtione absentationis tuæ moram vel occasionem diutius defendere possis, necessitatem qua te urgeri in epistola tua conquestus es, et impedimentum ad nos veniendi removere decrevimus. Itaque præsenti auctoritate tibi restituimus et tenenda concedimus quæcunque a legatis nostris, Bernardo videlicet et Gregorio, præter episcopale officium tibi interdicta sunt : quoniam te exspoliatum rebus Ecclesiæ tuæ, inopia rerum necessariarum, obedientiam debitæ satisfactionis non posse exsequi (sicut supra diximus) conquerendo excusas : atque hoc idem fratri tuo Wratislao duci per epistolam nostram notificavimus, admonentes eum ut de consuetis decimis et redditibus Ecclesiæ tuæ nihil in potestate sua tibi denegari patiatur aut subtrahi. Admonemus igitur, et ex parte apostolorum Petri et Pauli, et nostra per eos apostolica tibi auctoritate præcipimus ut, nullis excusationibus absentiam tuam ulterius defendens, in Ramis palmarum apostolica adire limina non prætermittas; cognoscens fratrem tuum a nobis esse commonitum ut Joannem Moravensem episcopum itidem ad nos venire commoneat, et ex sua parte tales ad nos nuntios dirigat, quibus in nostra possimus examinatione diffinire dissensionum causas. Interim vero de possessionibus Moravensis episcopatus nihil te tangere volumus et præcipimus, ne

et ipse aliqua molestiarum excusatione præsentiam suam conspectui nostro subtrahat. Præscriptum vero terminum adventus tui, tu ipse ita mature fratri tuo duci indicare curato, ut Moravensem episcopum et suos legatos una tecum ad apostolicam sedem dirigere possit.

Data Romæ secundo Kalendas Februarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XLV.

AD WRATISLAUM DUCEM BOHEMIÆ

(Anno 1074.)

Ut redditus episcopatus fratri suo restituat. Hortatur ut ad sedem apostolicam accedat, vel saltem ejus legatos una cum Moravensi episcopo mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO duci Bohemorum salutem et apostolicam benedictionem.

Frater tuus Jeromirus Bragensis episcopus conqueritur se exspoliatum Ecclesiæ suæ rebus inopia rerum necessariarum, pro reddenda ratione eorum quæ sibi intenduntur, ad apostolicam sedem venire non posse. Quod quanquam ejus inobedientia et tergiversatio valde promeruerit, tamen ne hanc absentationis suæ occasionem prætendere possit, volumus atque præcipimus ut in integrum sibi restituantur quæcunque a legatis nostris, Bernardo videlicet et Gregorio, præter episcopale officium interdicta sunt, et præter ea pro quibus Joannes Moravensis super eum clamat episcopus. Qua in re tuam maxime admonemus prudentiam, ut de consuetis decimis, vel redditibus Ecclesiæ, nihil ei in tua potestate denegare patiaris, aut subtrahi, nec aliquam sibi contrarietatem facias, per quam, ut ad nos venire non possit, impedimenta sibi obsistere iterum conqueratur. Eo autem tempore quo ipse, sicut per epistolam nostram commonitus est, apostolicam sedem adire debuerit, te quoque, si fieri posset, præsentem fore maxime cuperemus. Quod si rerum aut temporum eventus prohibuerit, nobilitatem vestram multum admonemus ut episcopum Moravensem præsentiam suam nobis exhibere commoneatis : et præterea de vestris fidelibus tales ad nos nuntios dirigatis, cum quibus, rerum veritate solerti indagatione perquisita et undique explorata, favente divina clementia, omnes dissensionum causas abscindere, et quidquid æquum fuerit determinata sententia statuere valeamus.

Data Romæ II Kalendas Februarii, indictione XII.

EPISTOLA XLVI.

AD GUILIELMUM COMITEM BURGUNDIÆ.

(Anno 1074.)

Monet ut una cum quibusdam aliis principibus (prout promiserat) Ecclesiæ auxilio veniat, ut, pacatis Normannis, auxilium Constantinopolitanis ferre possit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO Burgundionum comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Meminisse vale prudentia vestra quam larga affluentia dilectionis Romana Ecclesia valentiam vestram jamdudum recepit, et quam speciali charitate vestram familiaritatem dilexit. Neque enim se condecet oblivisci promissionis qua Deo se, ante corpus apostolorum principis Petri, præsente venerabili antecessore nostro Alexandro papa, et episcopis, abbatibus plurimis, atque diversarum gentium multitudine quarum non est numerus, obligavit ut, quacunque hora necesse fuisset, vestra manus ad dimicandum pro defensione rerum sancti Petri non deesset, si quidem requisita fuisset. Unde, memores nobilitatis vestræ fidei, rogamus et admonemus strenuitatis vestræ prudentiam quatenus præparetis vestræ militiæ fortitudinem ad succurrendum Romanæ Ecclesiæ, libertati scilicet [*forte* et] si necesse fuerit, veniatis huc cum exercitu vestro in servitio sancti Petri : et hoc idem rogamus vos monere comitem sancti Ægidii, et socerum Riccardi Capuani principis et Amedeum filium Adelettæ [Adelictæ], cæterosque quos cognoscitis sancti Petri esse fideles, et qui similiter manibus ad cœlum extensis promisere. Si quid vero certæ responsionis prudentiæ vestræ nobis placet remittere, per eum nuntium nobis mandate, qui modis omnibus nos reddat indubios, et idem vester nuntius veniat per comitissam Beatricem, quæ cum filia et genero in hoc negotio laborare procuret. Hanc autem militum multitudinem non ideo coacervare curamus, ut ad effusionem sanguinis Christianorum intendamus, sed ut ipsi videntes expeditionem, dum confligere timuerint, facilius subdantur justitiæ. Speramus etiam quod forsitan alia inde utilitas oriatur, scilicet ut, pacatis Normannis, transeamus Constantinopolim in adjutorium Christianorum; qui nimium afflicti creberrimis morsibus Saracenorum, inhianter flagitant, ut sibi manum vestri [*f.*, nostri, *et sic in Mutin.*] auxilii porrigamus. Nam contra eos Normannos qui nobis rebelles sunt, satis sufficiunt milites isti qui nobiscum sunt. Certus enim esto quoniam te, et omnes qui tecum in hac expeditione fuerint fatigati, duplici, imo multiplici remuneratione, ut credimus, Petrus et Paulus principes apostolorum donabunt.

Data Romæ IV Nonas Februarii, indictione duodecima.

EPISTOLA XLVII.

AD COMITISSAM MATHILDEM.

(Anno 1074.)

Hortatur eam ad frequenter sumendum sanctissimum eucharistiæ sacramentum, et ad devotionem erga beatissimam virginem Mariam.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ MATHILDI salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta sit mihi cura, quantaque incessanter de te tuaque salute sollicitudo, ipse solus qui cordis arcana rimatur intelligit, et multo melius meipso cognoscit. Tu tamen, si pensare non negligis, ut reor, animadvertis quia pro tantis tui curam me oportet habere, pro quantis te charitatis studio de-

tinui, ne illos desereres, ut tuæ solius animæ saluti provideres : *Charitas enim,* ut sæpe dixi, et ita dicam, sequens cœlestem tubam, *non quæ sua sunt quærit* (*I Cor.* XIII). Sed, quia inter cætera quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi : et ut certæ fiduciæ matris Domini te omnino committeres præcepi; quid inde beatus Ambrosius, videlicet de sumendo corpore Domini, senserit, his in litteris intimavi. Ait enim in libro quarto De sacramentis inter cætera : « Si mortem Domini annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis Domini, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. » Item ipse Ambrosius in libro quinto de sacramentis : « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in Oriente consuevere facere? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie merearis accipere. Quando [*f.*, Qui non, *ex Ambros.* l. V *de sacr.* n. 25] meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere; quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini significetur, et remissido peccatorum; et panem istum vitæ quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cœleste et venerabile sacramentum. » Item Gregorius papa in libro IV Dialogorum : « Debemus itaque præsens sæculum, vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianis carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat. Quod, licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur; ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute patitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri : in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse : summis ima sociari : terrena cœlestibus jungi : unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? » Item Joannes Chrysostomus patriarcha ad neophytos : « Videte quemadmodum sponsam sibi Christus conjunxit : videte quo vos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantiæ est atque nutrimentum. Nam sicut mulier, affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fecunditate festinat, sic et Christus quos ipse regenerat suo sanguine semper enutrit. » Etenim, ut idem Joannes scribit ad Theodorum monachum, « lubricum genus est natura mortalis : cito quidem labitur, sed non sero reparatur, et, ut facile cadit, ita et velociter surgit. » Debemus, o filia, ad hoc singulare confugere sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, charissima beatri Petri filia, scribere procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini major tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaque dona, non aurum, non lapides pretiosos, amore patris tui, cœlorum videlicet principis, a me tua requirit anima, licet ab aliis sacerdotibus longe meliora pro meritis accipere possis. De Matre vero Domini, cui te principaliter commisi et committo, et nunquam committere, quousque illam videamus, ut cupimus, omittam, quid tibi dicam, quam cœlum et terra laudare, licet ut meretur nequeant, non cessant? Hoc tamen procul dubio teneas, quia, quanto altior et melior ac sanctior est omni matre, tanto clementior et dulcior circa conversos peccatores et peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, et prostrata coram illa ex corde contrito et humiliato lacrymas effunde. Invenies illam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.

Data Romæ decimo quarto Kalendas Maii [Martii, *et sic in Mutin.*], inductione duodecima.

EPISTOLA XLVIII.

AD HUBERTUM GENUENSEM EPISCOPUM

(Anno 1074.)

Præcipit uxorem cujusdam Ansaldi adulterii accusatam ad purgationem admitti, excommunicans patrem ejus, et quemcunque alium qui id impedire præsumpserit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUBERTO Genuensi episcopo, et universo loci illius clero ac populo, salutem et apostolicam benedictionem.

Intelligentes errorem vestrum, de periculo vestro valde timemus, quoniam sacramenta consortii conjugalis, divinis sancita præceptis et legibus, inter vos malignis fœdari studiis audivimus. Scriptum quippe est de conjugali vinculo : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, *Marc.* X, *Matth.* IX), et Veritas omnino prohibet ne vir uxorem suam, nisi forte causa fornicationis, relinquat. Nobis autem relatum est Ansaldum quemdam, concivem vestrum, a patre suo coactum esse ut uxorem propriam, de fornicatione falso criminatam, nec ulterius habeat, nec judicium purgationis ejus id quod ipsa valde desiderat, pro discutienda veritate suscipiat. Quod quia divinis et humanis legibus valde contrarium est, primo te episcopum, deinde omnes vos admonemus, et apostolica auctoritate præcipimus ut, si mulier ad examinationem legitimam se conferre voluerit, cum omni tranquillitate et exspectatione juste cum probationibus recipiatur; et si per misericordiam Dei innocens apparuerit, se-

parari a viro suo nullatenus patiamini. At si pater præfati Ansaldi hæc, quæ divina auctoritate diximus, imo si quis mortalium hæc impedire ac prohibere præsumpserit, tuam, episcope, fraternitatem apostolica auctoritate monemus út, omni respectu gratiæ personalis abjecto, reos anathematis gladio ferire, et a corpore Ecclesiæ dissecare non desinas, et nobis extremam manum imposituris per litteras tuas id quantocius indicare non prætermittas. Præterea volumus ut, quam citius possis, præsentiam tuam nobis exhibere studeas.

Data Lateranis quarto Kalendas Maii [Martii, *et sic in Mutin.*], indictione duodecima.

EPISTOLA XLIX.

AD OMNES CHRISTIANOS.

(Anno 1074.)

Monet ut Constantinopolitanis opem ferant, qui a Saracenis multis calamitatibus afficiebantur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christianam fidem defendere volentibus salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse volumus, hunc virum præsentium portitorem, dum de ultramarinis nuper reverteretur partibus, apostolorum limina et nostram præsentiam visitasse. A quo, sicut a plerisque aliis, cognovimus gentem paganorum contra Christianum fortiter invaluisse imperium, et miseranda crudelitate jam fere uque ad muros Constantinopolitanæ civitatis omnia devastasse et tyrannica violentia occupasse, et multa millia Chistianorum quasi pecudes occidisse. Qua de re, si Deum diligimus, et Christianos nos esse cognoscimus, pro miseranda fortuna tanti imperii et tanta Christianorum clade nobis valde dolendum est: et non solum dolere super hac re debitæ sollicitudini nostræ sufficit, sed animas pro liberatione fratrum ponere, exemplum Redemptoris nostri, et debitum fraternæ charitatis a nobis exigit: quia, sicut ipse pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere. Scitote igitur nos, in misericordia Dei et in potentia virtutis ejus confisos, omnibus modis id agere atque parare ut adjutorium Christiano imperio quam citius, Deo juvante, faciamus. Unde vos per fidem, in qua per Christum in adoptionem filiorum Dei uniti estis, obsecramus, et auctoritate beati Petri apostolorum principis admonemus, ut et vos vulnera et sanguis fratrum, et periculum præfati imperii digna compassione moveat, et vestra virtus pro Christi nomine non invitam fatigationem ad ferenda fratribus auxilia subeat. Quidquid autem super hac re divina pietas vestris animis indiderit, sine mora certis legationibus nobis renuntiare studete.

Data Romæ Kal. Martii, indictione duodecima.

EPISTOLA L.

AD BEATRICEM ET MATHILDEM EJUS FILIAM.

(Anno 1074.)

Committit eis causam inter episcopum Rosellanum et Ugulinum comitem terminandam.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, BEA-

A TRICI et MATHILDI gloriosis ac charissimis in Christo filiabus salutem et apostolicam benedictionem.

Non miretur vestra nobilitas super his quæ vobis de causa Dodonis Rosellani episcopi scripsi, quia inhumanitas videretur, si preces et murmur Ugulini [Ugolini] comitis parvipenderem. Importune quidem sæpe me rogavit ut causam ipsius contra Rosellanum episcopum juste decernerem, et ut idem episcopus sibi justitiam faceret procurarem. Ego vero, de vobis singulariter inter omnes principes Romani imperii confidens, rogavi ut ad certum et justum ac pacificum finem per vos causa inter eos duceretur, quo ille qui justus judex est, a vestro studio vestraque pietate, me instante, glorificetur.
B Scit enim charitas vestra, et omnino, ut reor, intelligit quod in omnibus actibus vestris honorem Dei vestramque salutem requiro. Et ideo cum propheta dico: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* (*Psal.* IV). Et iterum: *Judicate pupillo, et defendite viduas, et venite, et arguite me, dicit Dominus* (*Isa.* I). Ex amore quidem Dei proximum diligendo adjuvare, miseris et oppressis subvenire, orationibus, jejuniis, vigiliis et aliis quampluribus bonis operibus præpono, quia veram charitatem cunctis virtutibus præferre cum Apostolo non dubito (*I Cor.* XIII). Nam si hæc mater omnium virtutum, quæ Deum de cœlo in terram ut nostram miseriam ferret compulit venire, me non instrueret, et esset qui miseris et oppressis Ecclesiis vestra
C vice subveniret, ac universali Ecclesiæ deservirete ut sæculum relinqueretis, cum omnibus ejus curis, monere procurarem. Sed quia de vestra aula, ut multi principes, Deum non abjicitis, imo sacrificio justitiæ ad eam venire invitatis, rogamus vos, et ut charissimas filias admonemus, bonum quod cœpistis ad perfectum finem perducatis. Non favor humanus, non amor pecuniæ, non desiderium vanæ gloriæ vestrum sacrificium possit offuscare. Vili enim pretio magnam rem vendit, qui hujus vitæ intuitu Deo servit. Quod vobis, quas sincero corde diligo, parum scribo, gravi cura me implicitum esse manifesto. Vobis enim in talibus non aliquem vicarium in dictitando acquiro, sed meipsum labori, licet rusticano stylo, suppono, quia, si diligor ut
D diligo, nullum mortalium mihi præponi a vobis cognosco. Omnipotens Deus meritis supremæ Dominæ, per auctoritatem beati Petri et Pauli, a cunctis vos peccatis absolvat, et ad gremium universalis matris vestræ cum gaudio perducat.

Data Romæ quarto Nonas Martii, indictione duodecima.

EPISTOLA LI.

AD ARNALDUM ABBATEM SANCTI SEVERI.

(Anno 1074.)

Arguit quod ad synodum vocatus non venerit, sententiam adversus eum latam de quodam monasterio propter contumaciam confirmat. Monet ut, si se gravatum sentiat, Romam veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, AR-

NALDO abbati Sancti Severi salutem et apostolicam benedictionem.

Non mediocris te inobedientiæ arguere possumus, quod post multas querimonias de te in Romanis conciliis factas, monasterium Sanctæ Crucis de ecclesiæ Sanctæ Mariæ, nullam adhuc justitiam sit consecutum. Licet examen exquirendæ veritatis hujus negotii frivolis excusationibus jam ex longo tempore evitasse videaris, præsenti tamen anno pro definienda lite nostra a legato nostro Giraldo [Gerardo] Ostiensi episcopo ad synodum vocatus, nullam Deo et sancto Petro diceris reverentiam exhibuisse, adeo ut, contempta auctoritate apostolicæ sedis, neque tu venire, neque alios juste te excusaturos studueris mittere. Unde, quia absentatio tua indicium injustitiæ tuæ clarissimum tribuit, diffinitum est in eadem synodo, monasterio Sanctæ Crucis prædictæ ecclesiæ Sanctæ Mariæ jus et possessionem restituendam esse. Quam nimirum diffinitionem nos approbantes, præcipimus tibi apostolica auctoritate ut præfatum monasterium Sanctæ Crucis, sicut statutum est, quiete tenere permittas. Quod si te justitiam habere confidis, hunc usque ad festivitatem omnium sanctorum ad nos venire studeas, teque prædicto abbati eodem termino venturum notifices; quatenus utriusque partis perquisitis rationibus, certum causæ vestræ finem, Deo auxiliante, imponamus.

Data Romæ in synodo, secundo Idus Martii, indictione duodecima.

EPISTOLA LII.

AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

(Anno 1074.)

Laudat eum quod monasterii Sancti Remigii religiosum abbatem præfecerit, cui potestatem facit aliam abbatiam administrandi, si tantum onus ferre valeat : quod si non possit, jubet ipsum dare operam, ut alius abbas præficiatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MANASSÆ Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Romana Ecclesia jamdudum fraternitatem tuam ulnis maternæ dilectionis amplectens, speciali quodammodo charitate dilexit, et præstantissima cura dulcissime fovit; præsertim nos adeo tuæ promotioni favimus et consensimus, ut nequeamus vitare grave periculum, si ea feceris quæ tuum ordinem dehonestent, aut tuam non deceant dignitatem. Unde si quando ea de te audivimus quæ tuo ordini non congruunt, maximo mœrore confundimur, ac proinde leviter dissimulare non possumus. Inter cæteras quidem querimonias quæ de te nostris auribus sunt delatæ, querimonia monasterii sancti Remigii acriter animum nostrum turbavit, et in te vehementer commovit. Verum, quia nunc cognovimus quod idem monasterium melius ordinasti quam audivimus vel speravimus, quoniam ibi honestum moribus et eruditum litteris hominem posuisti, non minima lætitia animum nostrum refocillasti. Abbas quidem nobis admodum placet : et, si posset ferre onus ut utrasque abbatias regeret, Metensem scilicet et Remensem, laudassem pro eo, quia vir et religiosus et sapiens est. Alioquin si pondus utrarumque regiminis super posse sibi est, ut ipse fatetur, ne nimia gravedine pressus succumbat, rogamus prudentiam tuam, imo apostolica auctoritate monemus quatenus suo consilio et consensu, per electionem congregationis secundum regulam sancti Benedicti, idoneum ibi rectorem, Deo concedente, constituas. Pro certo enim noveris quoniam ita chara erit nobis illius monasterii honesta et regularis regiminis ordinatio, ac si esset in monasterio sancti Pauli.

Data Romæ in synodo, secundo Idus Martii, indictione duodecima.

EPISTOLA LIII.

AD HERIMANNUM METENSEM EPISCOPUM

(Anno 1074.)

Suum erga illum amorem testatur. Petit ut pro se Dominum deprecetur. Significat abbatem Arnulphum velle Remensi abbatiæ renuntiare, et Metensis esse contentum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERIMANNO [Hermanno] Metensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras dilectionis tuæ gratanter accepimus, quia in eis abundantiam devotionis tuæ erga nos exuberare cognovimus. Nos quidem omnibus debitum sollicitudinis nostræ exhibere volumus et debemus, quoniam omnium curam suscepimus, et omnium salutem cupimus et optamus : quia licet indigni meritis regimen universalis Ecclesiæ regendum accepimus, et ministerium evangelizandum accepimus, væ nobis si non evangelizaverimus. Et licet omnibus debitores sumus, præcipue tamen domesticis fidei curam nostræ sollicitudinis exhibere condecet et oportet. Unde noverit fraternitas vestra quoniam de vobis propensior est nobis cura et in vobis ardentior amor, pro eo scilicet quod dignæ recompensationis munus a vestræ sanctitatis orationibus exspectamus. Grave enim pondus gerendum suscepimus, et, nisi vestris et totius Christianitatis fidelium orationibus fulciamur, ferre nullatenus possumus. Quapropter rogamus, ut sanctæ congregationis vestræ assiduis orationibus sublevari mereamur. Non solum enim tam sanctæ congregationis orationes ardenter exigimus, verum totius populi quærimus et optamus. Præterea abbas Sancti Arnulphi, vir (ut nobis videtur) religiosus et tibi fidelis, nobis innotuit, quod velit [*f.*, malit] sub tuo regimine pauper vivere, quam alibi dives et potens. Vult enim (si tibi videtur) renuntiare abbatiæ Sancti Remigii, et tantum vestræ [*forte*, vestra. H.] esse contentus : cujus rei causa misimus litteras nostras Remensi archiepiscopo, ut dictam abbatiam secundum Deum consilio istius in alium ordinet, iste vero vobis tantummodo cedat. Vos autem rogamus quatenus pro charitate nostra eum charius habeatis, ut sentiat profecisse sibi quod ad nos venit.

Data in synodo, secundo Idus Martii, indictione duodecima.

EPISTOLA LIV.

AD CANONICOS SANCTI HILARII.

(Anno 1074.)

Jubet Pictavensium canonicorum consuetudinem in festivitate sancti Hilarii et omnium sanctorum servari.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, canonicis S. Hilarii salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse volumus quod canonici Pictavenses in synodo nostra conquesti sunt, vos denegare et contradicere illis consuetudinem, quam in ecclesia Sancti Hilarii jure habere debent, videlicet, ut in festivitate omnium sanctorum, et sancti Hilarii, cum illuc ex more cum processione veniunt, si episcopus aderit, ipse missam celebret : sin autem non adsit episcopus, decanus, aut aliquis de majoribus canonicis Pictavensis Ecclesiæ, officium vice episcopi peragere debeat. Quod cum apud nos in publico concilio ventilatum fuerit, Gozelino Burdigalensi archiepiscopo causam vestram cum quibusdam aliis defendente, scientes talem consuetudinem in Romana Ecclesia per singulas stationes, et fere per universum orbem in aliis Ecclesiis rite et rationabiliter teneri, dijudicante concilio, justam eos requirere causam comprobavimus, et prædictum usum eos obtinere debere apostolica auctoritate censuimus. Verum ut vobis abundantius satisfaciendo omnem reclamandi occasionem demeremus, ut Pictavenses clerici, qui præsentes aderant, partem suam (sicut approbatio agenti semper incumbit) sacramento firmarent dijudicavimus. Quod quidem ipsi, præsente Burdigalensi archiepiscopo, et cæteris, facere paratissimi erant, atque idem archiepiscopus a nobis commonitus juramentum se recipere professus est. Quapropter apostolica vos auctoritate monemus atque præcipimus ut, omni inter vos et Pictavenses canonicos lite sopita, consuetudinem et justitiam suam, sicut superius synodali judicio decretum esse cognoscitis, sine omni contradictione deinceps habere permittatis.

Data Romæ in synodo, decimo octavo [XVII] Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LV.

AD SUFFRAGANEOS AUSCIENSIS ECCLESIÆ.

(Anno 1074.)

Præcipit ut eorum archiepiscopo, sicut apostolicæ sedis legatus jusserat, obediant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Bigoritano episcopo, et cæteris suffraganeis Ausciensis [Auxitensis] Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, videlicet confrater noster Giraldus [Gerardus] Ostiensis episcopus, ut Gulielmo archiepiscopo vestro debitam reverentiam exhibeatis commonuit. Verum, sicut idem archiepiscopus conquerendo nobis retulit, postea nec consideratio debitæ subjectionis, nec respectus apostolicæ auctoritatis vos ad obedientiam flexit. Quod quanquam non parum præsumptionis et damnandæ contumaciæ habeat, adhuc tamen, facta vestra apostolica mansuetudine dissimulantes, mandamus vobis et apostolica auctoritate præcipimus ut nullatenus ei honorem subjectionis debitæ subtrahatis. Si quid autem adversus eum habetis, una secum adite nostram præsentiam, et si quid discussione dignum protuleritis, adjuvante Deo, sollicita indagatione examinatum competenti sententia determinabimus.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LVI.

AD ROGERIUM CATALAUNENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Præcipit ut præstita die se Romam veniat, ut ejus causa definiri possit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei ROGERIO dicto Catalaunensi episcopo.

Philippus rex Francorum, non modica tibi dilectione astrictus, multum nos ut te absolveremus, tum per litteras tum per legatorum verba, rogavit. Quod quidem salva justitia nequaquam nobis faciendum esse pervidimus, dum juxta vigorem canonicæ disciplinæ, multo gravius in te animadvertendum esse cognosceremus. Sed adhuc apostolica mansuetudine judicium in te ultionis debitæ suspendentes, præsenti auctoritate tibi præcipimus ut præsentiam tuam ab hinc usque ad proximam festivitatem omnium sanctorum conspectui nostro repræsentare nullo modo prætermittas : quatenus adversum te toties iteratam proclamationem Catalaunensis Ecclesiæ justo fine, Deo auxiliante, decidamus : admonentes equidem ne interim, in contemptu vel transgressione jam ante datæ sententiæ, periculum tibi tu ipse gravius ingeras. Quibus in rebus si nobis inobediens fueris, et aliqua tergiversatione te excusans infra prælibatum terminum præsentiæ nostræ te non exhibueris, de tua damnatione et incommutabili depositione ulterius non dubitabis.

Data Romæ in synodo, decimo sexto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LVII.

AD GUILIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Monet ut cum Azone marchione de incestuosa copulatione cum ipsius episcopi sorore accusato ad se veniat, ut ejus causa discuti possit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO Papiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Significandum tibi duximus marchionem Azonem in Romana synodo super incesta copulatione sororis tuæ accusatum esse : qua de re ipse per propinquos mulieris satisfactionem pollicitus inducias postulavit. Propterea rogamus, et apostolica auctoritate fraternitatem tuam admonemus, ut ad servitium sancti Petri paratus, et ut melius

possis instructus, cum eodem marchione ad nos venire nullo modo prætermittas, certus te a nobis honorifice recipiendum et relinquendum. Nam, etsi fraternitatis tuæ auxilia in aliis minime nobis necessaria fuissent, tamen hac de causa præsentiam tuam nobis exhiberi opertet, ut exortas præfati conjugii quæstiones diligenti examinatione discutiamus, et justitiam legali judicio decernentes, adjuvante Domino, si quid periculosum apparuerit amputemus, et quod officio nostro et illorum saluti congruit statuamus.

Data Romæ in synodo [*deest* in synodo] decimo sexto Kalendas Aprilis, indictione XII.

EPISTOLA LVIII.

AD GEUSAM DUCEM HUNGARORUM.

(Anno 1074.)

Commendat ejus observantiam erga sedem apostolicam, testatur suam erga eum dilectionem. Scribit ut per Azonem marchionem quæcunque voluerit sibi significet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEUSÆ duci Hungarorum salutem et apostolicam benedictionem.

Visis litteris tuis, laudabilem devotionis tuæ professionem cognovimus, in qua cor et animum tuum erga reverentiam apostolicæ sedis igne divino inflammatum esse intelleximus. Qua de re non incerta spes tuæ salutis ostenditur; et non parvum nobis exortum est gaudium : quoniam qui debita fide et devotione apostolicæ reverentiæ vota concipiunt nequaquam dubia ab eis præsidia et beneficia præstolantur. Unde etiam tuam monemus dilectionem, ut studia tua erga honorem apostolorum semper excrescant, et quanto te quotidie ex necessario fine vitæ tuæ judiciis illorum appropinquare cognoscis, tanto propensius eos debitores tibi efficere studeas : quatenus per misericordiam Dei, illis suffragantibus, peccatorum tuorum indulgentiam et æternæ beatitudinis gloriam te adipisci gaudeas. De nostra vero charitate nullatenus te dubitare volumus; sed effusis in te intimis et paternis affectibus, locum apud nos agendi et impetrandi quæ saluti et honori tuo digne competunt, te habere, remota omni dubitatione, promittimus. Et si quis inimicorum tuorum aliquid adversum te molire prave tentaverit, procul dubio non solum nostra carebit audientia, sed indignationem apostolicæ gratiæ in eum exasperari sentiet. Tu autem si quid interdum aut de tuis causis, aut quod servitio apostolicæ reverentiæ pertineat, nostris auribus intimare cupias, habes egregium videlicet marchionem Azonem, nobis quidem inter cæteros Italiæ principes valde dilectum, per quem ea quæ ad apostolicam audientiam referenda destinaveris, nobis aptissime indicari et commendari poterunt. De cætero divina clementia et ab instantibus hujus sæculi te adversitatibus protegat, et ad peragendum ea quæ sibi beneplacita sunt invictas tibi vires et facultates tribuat.

Data Romæ in synodo, decimo sexto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LIX.

AD OTTONEM ET CHUONRADUM FRATRES.

(Anno 1074.)

Ne Olomucensi Ecclesiæ molestiam inferant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, OTTONI et CHUONRADO fratribus Wratislai ducis Bohemorum salutem et apostolicam benedictionem.

Meminisse debet nobilitas vestra quod de causa Olomucensis Ecclesiæ jam ante apostolica monita accepistis, ne justitiam ejus aliqua occasione minueretis, neque molestantibus eam aliquod adjutorium præberetis. Nunc vos admonemus et paterna charitate rogamus ne aliquam contrarietatem eidem Ecclesiæ faciatis, sed pro reverentia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus apostolicis privilegiis munita est, amorem et piæ devotionis studia erga illam exhibeatis, et, quantum vestræ potestatis, jura et pertinentias ejus a vobis et vestris inviolata conservari studeatis. Hæc enim est causa, in qua et divinæ remunerationis gloriam, et apostolorum, certa præsidia, ac nostræ dilectionis plenitudinem vobis lucrari et aptissime possitis astringere : sin autem (quod non optamus) aliter feceritis, procul dubio hæc eadem vobis corrumpere, et in contrarium, quod absit, vertere poteritis.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Aprilis indictione duodecima.

EPISTOLA LX.

AD SIGIFREDUM MOGUNTINUM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Arguit quod causam, quæ inter Jeromirum Bragensem et Joannem Moravensem episcopos vertebatur, ad apostolicam sedem jam sæpe delatam, ad se convertere præsumpserit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SIGIFREDO Moguntino archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras quædam de te indigna relatio, cui nequaquam fidem adhibuissemus, nisi quod in litteris tuis quas de causa Jeromiri Bragensis et Joannis Moravensis episcoporum nobis direxisti, idem in animum tuum te induxisse intelleximus, videlicet, ut negotium quod ipsi habent ad invicem, jam toties ad apostolicam delatum audientiam, a nostro judicio ad examen tui arbitrii transferretur. Qua in re, quoniam evidenter apparet quam parum consultores tui jura apostolicæ auctoritatis intelligant vel attendant, fraternitatem tuam ut nobiscum canonicas traditiones et decreta sanctorum Patrum percurrat invitamus, in quibus, præsumptionis suæ fastum denuo recognoscens, culpam in seipsa negligentiæ pariter deprehendat et ausus. Nam, cum primum Joannes Moravensis episcopus, Ecclesiæ cui præest jura defendere volens, multis injuriis ac contumeliis, flagellis etiam (ut audivimus) afficeretur, et tamen justitiam non posset consequi, tua religio nullam inde sollicitudinem, nullam in discutienda causa fatigationem

suscepisse dignoscitur. Verum postquam apostolica sedes, accepta præfati episcopi querimonia, sæpe per epistolas, aliquoties etiam per legatos causam justo fine determinare et litem compescere desudaverat; tunc demum evigilans solertia tua negotium animadvertit, suis hoc discussionibus referendum esse judicavit et fratrem per apostolica suffragia ad portum justitiæ et quietis enatantem in profundum (credo) renovandæ contentionis et laborum retrahere voluisti. Quamquam igitur hinc officii tui incuria, illinc suscepta adversus apostolicam sedem, accusante te, arrogantia merito in te commoveri deberemus; utentes tamen apostolica mansuetudine, placido te admonemus affectu ne ulterius tam inordinata, tam inconsulta præsumas, [ne] apostolica judicia non dico, tibi, sed nec ulli patriarcharum, aut primatum retractandi licentiam fore existimes, ne contra sanctam Romanam Ecclesiam quidquam tibi attribuere vel moliri cogites, sine cujus abundanti clementia, nec in loco quidem tuo, ut tu ipse nosti, subsistere potes. Nos etenim, adjuvante Deo, per auctoritatem beati Petri, sicut jam diu in apostolica sede decretum est, inter præfatos episcopos litem juste decidere, et Moravensi Ecclesiæ quæ sui juris sunt decernere et corroborare procurabimus.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXI.

AD WRATISLAUM DUCEM BOHEMIÆ.

(Anno 1074.)

Hortatur ut in dies majores progressus faciat in observantia erga Romanam Ecclesiam. Ostendit se archiepiscopo Moguntino significasse, ne in causa Bragensis episcopi longius progrederetur: quare quæ contra ipsum egerit nulla esse declarat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO duci Bohemiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam afflatus igne divino studia devotionis erga sanctam et apostolicam Ecclesiam habere cœpisti, silere nos charitas in te diffusa non patitur, quin ardorem divinæ servitutis de die in diem ferventius te concipere frequenti exhortatione moneamus. Illa etenim vota apud Deum præmia merentur et gloriam, quæ per gradus bonorum operum ad cacumen plenitudinis tendunt, et semper in bona desideria ampliora concipiunt. Quapropter, charissime fili in Christo, bona quæ, Deo inspirante, mens et devotio tua proposuit, ad effectum perfectionis extendere stude: quatenus apostolica benevolentia, nulla tibi labefactata segnitie, pro meritis tuis ampliori semper te dilectione comprehendat. De reliquiis et privilegio unde nos rogasti, cum nuntius tuus, finita et perfecta ecclesia, consecrationis consilium a nobis quæsierit, voluntati tuæ satisfacere benigne procurabimus. Sigifredum vero archiepiscopum Moguntinum, de præsumptione quam in causa Jeromiri Bragensis episcopi habuit, per epistolam nostram duriter increpavimus, interdicentes ei ne ulterius se hujusmodi inertia [*forte* audacia] et fatuitate occupare incipiat. Attamen si quid adversum te temerario judicio fecerit, præventu apostolicæ auctoritatis tutus atque defensus, donec iterum ad te nostra legatio perferatur, pro nihilo ducas, magisque sibi ad periculum, quam tibi futurum esse non ambigas. De cætero apostolicis benedictionibus semper te munitum esse gaudeas.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXII.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1074.)

Miratur eum ad visitandam apostolicam sedem non accessisse. Monet id faciat et fratres suos preces pro se fundere curet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI abbati Cluniacensi salutem et apostolicam benedictionem.

Grata nobis et dulcia sunt verba vestra, sed multo uberiori delectatione nos caperent, si vestra charitas ardentius erga Romanam ferveret Ecclesiam. In hoc enim dilectionis vestræ flammam residere deprehendimus, quod consolationem vestræ visitationis toties quæsitam invenire non possumus. Id quidem non aliis occupationibus vestris imputandum esse credimus, nisi quod sanctitatem vestram labores fugere, et aliquanto graviora negotia, quasi pigritatem [*f.* pigritate], quibusdam occasionibus declinare videmus. Proinde noscat religio vestra quoniam qui denegatam nobis præsentiam vestram hactenus cum admiratione sustinuimus, deinceps sine multa anxietate et mentis perturbatione ferre non possumus. Meminisse enim debetis quot et quanta negotia in vestra manu, et confratris nostri Giraldi [Gerardi] Ostiensis episcopi posuerimus, quæ propter absentiam vestram aut neglecta pereunt, aut competentem finem habere non possunt, quoniam, cum præfatum episcopum in servitio sancti Petri ultra montes ut ad regem misimus, vos venturum æstimabamus. Quapropter, etsi commoti, dilectionem vestram intimo admonemus affectu, ut nos in multis et magnis angustiis positos quantocius visitare curetis. Portamus enim, quanquam infirmi, quanquam extra vires ingenii et corporis, soli tamen portamus, in hoc gravissimo tempore, non solum spiritualium sed et sæcularium ingens pondus negotiorum, et casum nostrum quotidie ex imminenti sarcina formidamus, qui sustentationis auxilia in hoc sæculo nequaquam [nequam *legendum esse arbitror*] reperire nequimus. Unde per omnipotentem Dominum rogamus ut fratres vestros (sicut ab initio ordinationis nostræ postulavimus) pro nobis jugiter orare Deum commoneatis, quoniam, nisi illorum et aliorum fidelium interventibus divina suffragia mereamur, nostrum, et, quod magis timemus, Ecclesiæ periculum evitare non poterimus. Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, vos ac commissos vobis in hac mortali vita ita vivere

faciat ut ad veram et immortalem vitam, Deo ducente, perveniatis.

Data Romæ decimo quarto Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXIII.

AD SANCIUM REGEM ARAGONIÆ.

(Anno 1074.)

Commendat ejus observantiam erga Romanam Ecclesiam, quodque in sua ditione officium Romanum celebrari studeat. Absentis cujusdam accusationem non recipit : nuntium reverso legato se missurum promittit, qui causam definire curet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SANCIO regi Aragonensi, salutem, et apostolicam benedictionem.

Litteras nobilitatis tuæ suavitate plenas læti suscepimus, in quibus quanta fidelitate erga principes B apostolorum Petrum et Paulum ac Romanam Ecclesiam ferveas satis perspeximus : quam, tametsi litteras tuas nullas videremus, per legatos apostolicæ sedis evidenter compertam habebamus. In hoc autem quod sub ditione tua Romani ordinis officium fieri studio et jussionibus tuis asseris, Romanæ Ecclesiæ te filium, ac eam concordiam et eamdem amicitiam te nobiscum habere, quam olim reges Hispaniæ cum Romanis pontificibus habebant, cognosceris. Esto itaque constans, et fiduciam firmam habeas, et quod cœpisti perficias : quia in Domino Jesu Christo confidimus quia beatus Petrus apostolus, quem Dominus Jesus Christus rex gloriæ principem super regna mundi constituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorem desiderii tui adducet, ipse te victorem de adversariis tuis efficiet. Cum enim Dominus filium amat, flagellat et castigat (*Hebr.* XII). Melius et utilius ex adversis pervenitur ad prospera. Qui enim dicit ridentibus : *Væ vobis, quia flebitis* (*Luc.* VI), ipse lugentes beatos asserit, *quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). De Salomone autem ad præsens nihil respondimus, quoniam accusationem per litteras, eo absente qui accusat, sacri canones non recipiunt. Est quoque aliud, quod legatus noster, qui ad partes illas his temporibus fuit, aberat, et sine eo judicium inde dare noluimus. Eo vero revertente habebimus, Deo favente, consilium, et ad vos nuntium nostrum mittemus, qui hanc et alias necessarias causas diligenti examine perquirens, singulis quibusque justæ determinationis finem imponet.

Data Romæ decimo tertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXIV.

AD ALPHONSUM CASTELLÆ, ET SANCIUM ARAGONIÆ REGES.

(Anno 1074.)

Hortatur ad recipiendum Romanum officium. Excommunicationem ac depositionem cujusdam Simoniaci per suos legatos confirmat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei ALPHONSO et SANCIO (349), regibus Hispaniæ a paribus, et episcopis in ditione sua constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet (*Rom.* XV), ac postea septem episcopos ab urbe Roma instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret, quantam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et ordine divini officii habuisse [*forte;* habuisset, HARD. *ita et Mutin.*] satis patet : sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, et perfidia Arianorum depravatum et a Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hispaniæ fuit, non solum religio est diminuta, verum etiam mundanæ sunt opes labefactatæ. Quapropter ut filios clarissimos vos adhortor et moneo ut vos, sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen ut matrem revera vestram Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua et nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ ordinem et officium, recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, sed istius quæ a Petro et Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, et sanguine consecrata, cui portæ inferni, id est linguæ hæreticorum, nunquam prævalere potuerunt, sicut cætera regna Occidentis et Septentrionis, teneatis. Unde C enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, restat etiam ut inde recipiatis in ecclesiastico ordine divinum officium : quod Innocentii papæ ad Eugubinum directa episcopum vos docet epistola (*epist.* 29), quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod Toletanum et Bracarense demonstrant concilia : quod etiam episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, et in manu nostra firmaverunt. Præterea, sicut de aliis excommunicationibus per legatos Romanæ Ecclesiæ satisfecimus depositionem et excommunicationem quam Geraldus [Gerardus] Ostiensis episcopus cum Rembaldo [Rambaldo] in Munionem simoniacum, qui super Simeonem venerabilem fratrem nostrum D Oscensem (350) episcopum ordinatus erat, [*forte deest* fecit] ratam esse decrevimus, atque firmavimus, usque dum resipiscens, de episcopatu, quem indebite tenuit, sibi satisfaciat, atque inde recedat.

Data Romæ, XIV Kalendas Aprilis, indictione decima.

EPISTOLA LXV.

AD RAGUSEOS.

(Anno 1074.)

Arguit quod eorum episcopo in carcerem conjecto alium sibi elegerint. Præcipit ut eum vinculis sol-

(349) De Alphonso et Sancio regibus Hispaniarum Rodoricus archiepiscopus Toletanus de rebus Hispanicis.

(350) Legendum *Ocensem*, admonet Pagius ad ann. Chr. 1074, num. 11. Alia enim *Osca* ab Oca.

vant : et hac de causa legatum mittit. Quod si per ipsum legatum hæc causa ad exitum perduci non poterit, jubet episcopum, et eum qui ab ipsis fuit electus, Romam venire. A

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus Raguseis, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierint.

Pervenit ad aures nostras, vos Vitalem episcopum vestrum cepisse, et, eo in custodia et vinculis posito, alium vobis in episcopum elegisse. Quæ quidem res quam sit inordinata, quam iniqua, quam criminosa, quam divinis et humanis legibus contraria, nulli fidelium in dubio esse credimus. Proinde misimus ad vos dilectum fratrem nostrum Giraldum [Geraldum] Sipontinum archiepiscopum, ut hac in re nostra legatione fungens, justitiam inde decernere debeat. Admonemus itaque et apostolica vobis au- B ctoritate præcipimus ut, relaxato episcopo quem in captione tenetis, in præsentiam præfati archiepiscopi conveniatis, et ad faciendam super hac re canonicam justitiam, et in aliis etiam ecclesiasticis causis quæ inter vos corrigendæ sunt, eamdem quam præsentiæ nostræ deberetis obedientiam et favorem exhibeatis. Quod si peccatis impedientibus causa apud vos examinari et diffiniri non possit, volumus et utrumque videlicet episcopum captum, et eum quem irregulariter elegistis in nostram præsentiam conducatis; quatenus, adjuvante Deo, quod justum fuerit inde judicare et auctorabiliter statuere valeamus : alioquin, si nostra, imo apostolica monita et præcepta contempseritis, a liminibus Ecclesiæ, et omni C Christiana communione, vos apostolica auctoritate pellendos et sequestrandos esse sciatis.

Data Romæ decimo tertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXVI.

AD MONACHOS SANCTI QUIRICI, ETC.

(Anno 1074.)

Jubet episcopo Reatino restitui bona ablata monasterii Sancti Quirici.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei ,omnibus monachis et laicis monasterii Sancti Quirici, et omnibus Joseppingis, et filiis Alberici [Alberti, *et sic infra*,] et filiis Rapteri, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis fieri volumus, quod monasterium D Sancti Quirici juris ecclesiæ Sancti Petri confratri nostro Rainerio et coepiscopo Reatino dedimus. Proinde rogamus, imo præcipimus atque jubemus ut illum in omnibus et contra omnes adjuvetis, et castra, quæ vos Joseppingi, et filii Alberici, et filii Rapteri, detinetis, supradicti episcopi ditioni restituatis, et eum in his et in omnibus bonis ad supradictum monasterium pertinentibus fideliter adjuvetis, et nullam ei nullo modo molestiam faciatis, sicut gratiam sancti Petri et nostram habere vultis; alioquin iram nostræ malevolentiæ, seu excommunicationis vinculum non evadetis.

Data Romæ decimo tertio Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXVII.

AD GIRALDUM SISTARICENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Præcipit ut ecclesiam Crosciensem quam invaserat, relinquat, et si quod jus in ea ecclesia se putet habere, ad se veniat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Giraldo [Geraldo] Sistaricensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem, si obedieris.

Michael presbyter ecclesiæ Crosciensis [Ocociensis] conquestus est nobis te præfatam ecclesiam, quam ipse juris sancti Petri esse non dubitas, invasisse, bona ejus diripuisse, presbyteros et clericos cepisse, ac vi contra fas et jura jurare compulisse. Cum vero Ananiam et Sapphiram (*Act.* v), propter propria bona quæ beato Petro promiserant et non dederunt, mortem incurrisse non ignores, quo instinctu, nisi diabolico, tantam invasionem præsumpsisti? tantam contumeliam intulisti? tantum sacrilegium in apostolorum principem perpetrasti? Quapropter apostolica tibi auctoritate præcipimus ut perspectis his apicibus, absque omni occasione vel dilatione, prædictam nostram Crosciensem ecclesiam expediens liberam reddas, presbyteros et clericos absolutos, et omnia quæ inde tulisti sibi restituas, et cum pace et quiete ibi Deo servire sub beati Petri ditione in tuitione nostra permittas. Si autem te aliquam justitiam in præmissa ecclesia habere existimas, ad nos cito cum prælibatis canonicis nostris venias, ut justitiam in præsentia nostra recipias. Si autem hoc non feceris, te apostolica auctoritate excommunicandum noveris.

Data Romæ XII Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXVIII.

AD FROTERIUM NEMAUSENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Queritur de injuriis illatis monasterio Sancti Ægidii, et ejus abbati, contempta apostolica sede. Jubet ipsum desistere.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Froterio Nemausensi in provincia episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus olim nostri tempore prædecessoris venerabilis memoriæ Alexandri te contra justitiam monasterium Sancti Ægidii, quod idem gloriosus confessor juri beati Petri tradidit, usque adeo affecisse injuriis, ut ejusdem abbatem a Romano pontifice consecratum capere præsumeres, spreto rigore canonum, contemptisque privilegiis ab apostolica sede derivatis. Unde tunc merito et adhuc dolemus, non dubitantes abbatis contumelias Romanæ majestati fuisse illatas. Nihilominus quoque nobis displicet, quod quasi de integro tibi licentiam usurpas præfatum excommunicandi cœnobium, cum hoc tibi non licere hujus sanctæ sedis auctoritas authenticorum testetur in datione privilegiorum. Quapropter præcipiendo rogamus, et rogando præcipimus, nullius etiam sub obtentu occasione justitiæ, sive excommunicando, sive missas celebrando, fratres prædicti cœnobii præsumes inquietare. Si autem illi

in aliquo tibi esse videbuntur injusti, volentes ac potentes non deerimus ad faciendam tibi de ipsis justitiam. Sin vero, quod absit, nostra exhortationis, imo præcepti neglector exstiteris, illos [*deest aliquid, ut* illos scias, etc.] autem a jugo servitutis, per auctoritatem quæ data est apostolo Petro nos ejusdem vicarios, ut Deo libere serviant, esse absolutos (351).

Data Romæ XI Kalendas Aprilis, indictione XII.

EPISTOLA LXIX.

AD GUILIELMUM DIENSEM COMITEM.

(Anno 1074.)

Remittit episcopum ab ipsis electum, et a se consecratum, jubetque eos ipsi obedire, præcipue in Simoniaca hæresi exstirpanda. Minatur ipsi comiti excommunicationem, si jus suum retribuere noluerit episcopo et ejus Ecclesiæ.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO Diensicomiti ac universis fidelibus ac subditis Diensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Venientem ad nos Hugonem episcopum vestrum benigne suscepimus, et, quia vos in electionem ejus unanimiter convenisse audivimus, episcopali consecratione eum vobis in pastorem ordinavimus; quatenus sub ejus regimine spiritualibus instructi disciplinis perceptæ fidei fructum et gloriam sempiternam consequi, Deo dante, possitis. Expleto igitur in eo ministerii nostri debito, cum omni charitate eum ad vos remittimus, admomentes vos per fidem in qua redempti et per Christum salvati estis, ut eum debito honore et reverentia suscipiatis, et omnem in omnibus quæ ad regimen sui episcopatus pertinent obedientiam et favorem sibi exhibeatis. Nos enim inter cætera eum sollicite admonuimus ut contra Simoniacam hæresim totis erigeretur viribus, et Ecclesiam suæ parochiæ non prius consecraret, nec consecratas aliter divinum officium celebrare permitteret, nisi prius absolute a laicorum manibus (sicut canonicum est) suo juri et episcopali ejus providentiæ redderentur. Quamobrem ne quis ei contrarius in exsequendo monita nostra obsistat, apostolica auctoritate sub anathematis comminatione interdicimus. Te autem, prædicte comes, singulariter alloquentes, valde miramur, quod, postquam præfatum confratrem nostrum instinctu divinæ clementiæ cum consensu aliorum omnium in episcopum elegeras, et fidelitatem sibi ex more feceras, nescio quibus de causis elatus, eo præsente, commotionem adversus eum agere præsumpsisti, et postquam ad apostolica limina venit, clericos et cives urbis deprædatus es, et (quod valde nefandum est) quemdam clericum cepisti. Quamvis igitur in hac tanta et tam crudeli præsumptione censuram apostolicæ animadversionis in te provocaveris, rogatu tamen ejusdem episcopi tui adhuc debitæ ultionis jaculum in te vibrare distulimus. Cæterum ne hæc patientia nostra te in audaciam erigat, et nos in culpam neglectæ justitiæ trahat, apostolica te auctoritate monemus, atque præcipimus ut, sine omni dilatione, quæcunque adversus episcopum et Ecclesiam sibi commissam temere et inique commisisti, digna satisfactione emendes, et ulterius nulla eum contrarietate molestare præsumas. Alioquin scias episcopum nostrum, apostolica jussione constrictum, te sicut hostem et impugnatorem justitiæ a liminibus ecclesiæ anathematis innodatum vinculis sequestrare. Quod et si ipse (quod non credimus) timore aliquo vel gratia prætermitteret, nos tamen tantæ temeritatis facinus non relinquemus [*forte,* relinqueremus] inultum, et episcopus pro negligentia officii sui non leve suscepti ministerii perpenderet sibi imminere periculum.

Datum Romæ decimo septimo [x] Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXX.

AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM (352).

(Anno 1074).

Commendat Guilielmi regis erga se et apostolicam sedem observantiam, hortaturque eum ad ecclesiarum defensionem, significat se et Ecclesiam in magnis perturbationibus versari. Quoddam privilegium sancti Stephani ratum haberi consulit. Bona sancti Petri in Anglia commendat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO regi Anglorum salutem et apostolicam benedictionem.

Mœrore mentis tuæ, fili dilecte, ex decessu antecessoris nostri beatæ memoriæ Alexandri, tui etiam hilaritate ex nostræ promotionis certo rumore, absque dubio credimus te ex corde matri tuæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhærere, eamque totis viribus, ut debes, diligere. Nam quia ejus quasi viduitate audita graviter angebaris consolatione etiam sua de nostri promotione vero gaudio lætaris, statumque nostrum te velle scire per litteras tuas obnixe et humiliter precaris. Affectum boni filii, affectum filii matrem ex corde diligentis, ostendis. Exsequere ergo operibus, fili dilecte, quod ore confiteris: imple efficaciter quod dicis, ut consentias ipsi Veritati clamanti : *Qui diligit me, sermones meos, servabit* (*Joan.* XXIV); et alibi : *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Sermones matris tuæ hi sunt et hujusmodi : Justitiæ per omnia, cum opportunum est, tu modo insudare non desinas, Ecclesiis tibi ad defendendum commissis sic consulere ut fomenta salutis animæ tuæ conficias, peccatorum maculas deleas, virtutum odores sic tibi introducas, ut cum Apostolo dicas : *Christi bonus odor sumus*

(351) Sic in integrum restituendus nobis videtur ille locus, in quo, perperam immutato verborum ordine, pauca desunt : *Sin vero, quod absit ! nostræ exhortationis imo præcepti neglector exstiteris, per auctoritatem quæ data est apostolo Petro, nos ejusdem vicarios* [*senties*], *illos autem a jugo servitutis, ut Deo libere serviant, esse absolutos* [*patebit*]. (ED.)

(352) De Guilielmo Marianus Scotus et Sigebertus in chronico anni 1066. Guilielmus Neubrig. rerum Anglicar. lib. I, cap. I.

(*II Cor.* II). Honorem Dei, et omnia quæ Dei sunt, tuo et mundanis omnibus præponere consulimus, admonemus et precamur : cum hoc ex certo sit unum, quod neglectum sæpius tuæ dignitatis potestates solet perdere et ad inferos trudere. Hæc ideo, charissime, tibi inculcamus, quia inter reges te solum habemus quem præ aliis diligere suprascripta credimus. Statum verum nostrum, quem te scire suppliciter oras, sic accipe : Navem inviti ascendimus, quæ per undosum pelagus violentia ventorum, et impetu turbinum, et fluctibus ad aera usque insurgentibus in incerta dejicitur : saxis occultatis, et aliis a longe in altum apparentibus, licet cum periculo, obviat tamen et ex animo. Sancta quippe Romana Ecclesia, cui licet indigni et nolentes præsidemus, diversis tentationibus, quamplurimis persecutionibus hypocritarum et hæreticorum insidiis et dolosis objectionibus continue et quotidie quatitur, mundanis vero potestatibus occulte et evidenter per diversa distrahitur. Quibus omnibus obviare, et his et quamplurimis aliis summopere cavere, post Deum, et inter homines nostri et officii et curæ specialiter horum cura die noctuque coquimur, his et similibus continue divellimur, licet pro tempore ab hujus mundi filiis hæc nobis videantur arridere. Quæ tamen (grates Deo referimus) mundana coguntur nobis displicere. Sic vivimus, et, Deo annuente, vivemus. Privilegium vero sancti Stephani, de quo mandasti, animæ tuæ salus est, et pro eodem tibi consulimus sic ratum te habere, prout legati nostri Petrus et Joannes Minutus canonice observandum judicarunt. Si tamen superabundans aliquid privilegio tibi videtur adscriptum, quantum plura pro Deo et sancto Petro, beato Stephano concesseris, tanto majora in retributione ab his procul dubio habebis. Rebus vero sancti Petri, quæ in Anglia colliguntnr, sic te ut tuis invigilare admonemus, sic liberalitati tuæ, ut tua committimus, ut pium et propitium debitorem Petrum reperias, et eum tibi ex debito subvenire admoneas, quem sibi multa te tribuisse non latebit.

Data Romæ II Nonas Aprilis, indict. XII.

EPISTOLA LXXI.

AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

(Anno 1074.)

Commendat ejus humilitatem et charitatem, hortatur ut in dies in his magis proficiat, et in viro suo ea suadeat quæ ad animæ salutem in primis pertinent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MATHILDI reginæ Anglorum salutem et apostolicam benedictionem.

Auditis nobilitatis tuæ litteris, liberalitatem tuam, filia dilecta, dilectioni et humilitati invigilare intelleximus, ex quibus tuæ salutis indicium et spem certam hilariter accepimus. Non quippe dubitandum de ejus salute fore credimus, quæ humilitati et dilectioni, in qua lex ex toto continetur, ex corde inservire dignoscitur. Munera hæc et similia a te exspectamus, imo tota mentis desiderio accipere cupimus; ut, quæ nobilis es sanguine, nobilior vivas sanctorum morum honestate. Insta viro tuo : animæ utilia suggerere ne desinas. Certum enim est ut, si vir infidelis per mulierem fidelem, ut ait Apostolus (*II Cor.* VII), salvatur, vir etiam fidelis per mulierem fidelem in melius augmentatur.

Data Romæ, secundo Nonas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXII.

AD GOTEFREDUM DUCEM

(Anno 1074.)

Arguit quod milites auxilio sancto Petro non miserit, ut promiserat. Monet ut eos mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GOTEFREDO [Gotifredo] duci salutem et apostolicam benedictionem.

Si sic mentis stabilis in apostolorum principis fidelitate maneres sicut nobis promiseras, et ex corde sibi adhæreres, multa tibi quasi ex pactione, et vera charitate deberemus; verum, quia *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, et, ut Psalmista ait, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* [*Psal.* XIII], viam multorum aliorum secutus declinasti : ubi est auxilium quod pollicebaris ? ubi milites quos ad honorem et subsidium sancti Petri te ducturum nobis promisisti ? Sed quia quod beato Petro promisisti non implevisti, nos licet indigni, qui vicarii ejus dicimur, nulla alia tibi promissione adhæremus, nisi quia ut Christiano tibi consulere debæmus. Reminiscere patrem tuam multa sanctæ Romanæ Ecclesiæ promisisse, quæ si exsecutus foret, longe aliter et hilarius de eo quam sentiamus [*f.*, sentimus] tecum gauderemus. De Sardinia vero, quia terminus quem posuimus jam transiit, nihil aliud mandamus, quam quod præsentes simul diximus. Denique, si in his quæ nobis promisisti, videlicet sancto Petro ex corde adhærere, immobiliter perstare volueris, te sicut charissimum filium habebimus, et tu nos, quanquam indignum, dulcem tamen habebis patrem.

Data Romæ, septimo Idus Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXIII.

AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Ut in provinciali concilio metropolitano rationem reddat de monasterio Nobiliacensi [Obilciacensi], quod clerici sancti Hilarii per vim ab eo detineri querebantur : et, si se gravatum sentiat, ad se Romam veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ISEMBERTO Pictavensi episcopo.

Clerici congregationis sancti Hilarii venire [*lege* venere] ad nos, conquerentes super te de Nobiliacensi monasterio. Dicunt enim id juris sancti Hilarii esse, et a te nulla ratione justitiæ detineri : unde etiam prudentiam tuam apostolicas prædecessoris nostri Alexandri litteras suscepisse testantur, sed inde justitiam recipere se non potuisse, iterata

reclamatione manifestant. Asserunt quoque prædium Campaniacum nomine, te consentiente, a prædonibus tuis injuste devastari. Addunt insuper se ex antiqua consuetudine cum sanctis reliquiis et plebe sua matricem ecclesiam in rogationibus adiisse, et a canonicis tuis ad contumeliam sibi clausas portas ecclesiæ et introitum negatum fuisse. Quæ si ita facta sunt, apostolica auctoritate tibi præcipimus ut te repræsentes in concilio episcoporum provinciæ vestræ metropolitano tuo, et, reddita super his omnibus ratione, ac pura veritate discussa, justitiam inde consequenter exhibere non prætermittas. Verum, si hæc aliqua occasione renueris, aut te injuste prægravari cognoveris, in festivitate omnium sanctorum cum aliquot clericis sancti Hilarii ad nos venias, ut in præsentia nostra controversia vestra diligenter perquisita et cognita legitimum finem, Deo adjuvante, suscipiat; et tam sollicitudo nostra, quæ multis invigilat, quam vestra lis deinceps super his causis sopita quiescat.

Data Romæ secundo Idus Aprilis, ind. XII.

EPISTOLA LXXIV.

AD BELVACENSES.

(Anno 1074.)

Absolvit eos ab excommunicatione precibus episcopi quem offenderant. Monet ut obediant, et ab eo pœnitentiam suscipiant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Belvacensi, si resipuit, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam mira et hactenus inaudita fecistis, detestanda et abominanda perpetrastis, et super gentes quæ ignorant Deum, sæviendo et inhumanas linguas exacuendo, in Deum et in Dominum vestrum præsumpsistis, idcirco sancta Romana Ecclesia auctoritate Patrum, sanctione canonum, in vos jaculum anathematis jure contorsit, et pro meritis talibus ac tantis gladium in vos diræ animadversionis evaginavit. Sed postquam filius et confrater noster Guilielmus episcopus vester, paterna pietate rogando pro vobis epistolam suam nobis in tempore synodi direxit, sentientes cum erga vos benevolum et referentem pro malo bonum, precibus ejus moti solita pietate condescendimus; et, per auctoritatem beati Petri apostolorum principis vos absolventes, indultam absolutionem continuo vobis per litteras nostras significare destinavimus. Eadem igitur auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, vos monemus quatenus posthac sibi subditi et obedientes, sicut vestro episcopo, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio, sitis : et de tanta perpetratione, si pœnitentiam adhuc non fecistis, ejusdem episcopi vestri salubri consilio sine mora suscipiatis; quatenus spiritus vester salvus sit in die Domini.

Data Romæ Idibus Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXV.

AD PHILIPPUM I REGEM FRANCORUM (353).

(Anno 1074.)

Monet ut damna Belvacensi ecclesiæ illata resarciat, et suos antecessores imitetur in defendendis et amplificandis ecclesiis.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei. PHILIPPO regi Francorum salutem et apostolicam benedictionem.

Significasti nobis per litteras et legatos tuos, te beato Petro apostolorum principi devote ac decenter velle obedire, et nostra in his quæ ad ecclesiasticam religionem pertinent monita desideranter audire atque perficere. Quod si ita cordi tuo divino instinctu affixum est, multum gaudere nos convenit, quod eminentia tua ad divinam prona reverentiam, quæ regiæ administrationis sunt cogitat atque cognoscit. Unde nobilitatem tuam ex parte beati Petri admonemus, et omni charitatis affectu rogamus quatenus Deum tibi placare studeas, et inter cætera quæ tuum est corrigere, per te illata Belvacensi Ecclesiæ detrimenta pro magnitudine tui nominis et honoris aliquatenus emendare non prætermittas. Attendere enim te nobiscum et diligenter considerare volumus, in quanta dilectione sedis apostolicæ, quantaque gloria et laudibus fere per orbem terrarum antecessores tui reges clarissimi et famosissimi habiti sunt, dum illorum regia majestas in amplificandis et defendendis Ecclesiis pia ac devota constitit, in tenendo justitiam libera ac distracta permansit. Postquam vero divina et humana jura subvertendo tanta virtus in posterioribus cœpit hebescere, totius regni gloria, decus, honor et potentia cum perversis moribus immutata sunt, et nobilissima fama et status regni a culmine suæ claritatis inclinata sunt. Hæc quidem et alia talia frequenter, et, si oportet, aspero etiam sermone tibi inculcare, suscepti nos officii cura compellit : quoniam licet verbum prædicationis abscondere et uspiam tacere non sit nobis tutum aut liberum, tamen quanto dignitas est amplior et persona sublimior, tanto propensiorem curam et clamorem pro ejus rectitudine nos habere convenit, admonente nos Domino per prophetam dicentem : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII); præcipue cum virtus Christianorum principum in ejusdem regis castris ad custodiam Christianæ militiæ nobiscum convenire debeat. Ut igitur eorum quorum es successor in regno nobilitatis et gloriæ apud Deum et homines singularis et individuus hæres existas, virtutem illorum summopere te imitari, et, justitiam Dei totis viribus exsequendo, ecclesias quantum potes restaurare et defendere exhortamur : quatenus omnipotens Deus dextera virtutis suæ, et hic regni tui gubernacula protegat et exaltet, et coronam sempiternæ gloriæ in futura remuneratione donet.

Data Romæ Idibus Aprilis, indictione XII.

(353) De Philippo I rege Francorum continuator Aimonii l. v, De gestis Francorum, capite 48 et 50.

EPISTOLA LXXVI.

AD HUMBERTUM LUGDUNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Episcopum Matisconensem commendat, et ad Ecclesiarum defensionem hortatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUMBERTO Lugdunensi archiepiscopo et ejus suffraganeis episcopis salutem et apostolicam benedictionem.

Confratrem nostrum [vestrum] Matisconensem episcopum, quem intervenientibus quibusdam rationabilibus causis ordinavimus, ad vos cum nostris litteris et apostolico sigillo mittimus, quatenus de suscepto sacerdotalis officii ordine et honore non incerta vobis signa et indicia referat. Cui quanquam vos debitam et fraternam dilectionem prompte exhibere non dubitemus, addere sibi tamen et nostræ ad vos commendationis quasi privilegium oportere perspeximus, quatenus ei tanto accumulatior inter vos charitas enitescat, quanto ex vinculo vestræ fraternitatis et respectu apostolicæ reverentiæ conjunctior et eminentior eum causa commendat. Quapropter rogamus vos, et admonemus in Domino, ut eum plenæ dilectionis affectibus, et digna congratulatione suscipiatis; et ad regendam sibi commissam Ecclesiam, ejusque jura retinenda, et, ubi opus fuerit, recuperanda, cum omni cura et studio, quæ potestis consilia et adjutoria conferatis. Nam quanto his temporibus pro peccatis nostris Ecclesia sævioribus usquequaque concutitur perturbationibus, tanto sollicitius nos ad defensionem earum nostra consilia et quas possumus vires adunare debemus; quatenus contra tanta pericula fortiores in militia Christi et fraternis negotiis, mutuis sustentationibus sustinere, Deo adjuvante, valeamus.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Aprilis, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXVII.

AD BEATRICEM ET EJUS FILIAM MATHILDEM.

(Anno 1074.)

Laudat humilem pœnitentiam episcopi Argentini, et eas arguit, quod venientem Romam injuste detinuerint. Mandat ut solutum Mediolanum usque dirigant. Placentino et aliis Longobardiæ episcopis pro necessitate concessam confirmandi licentiam asserit. Reddit nonnullorum actorum suorum, de quibus murmurabatur, rationem.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, duci BEATRICI et ejus filiæ Mathildi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Propheta testetur quod omnipotens Deus, quem imitari jubemur, cor contritum et humiliatum non spernat (*Psal.* L), nos quidem qui peccatores sumus, etsi contritionem cordium in aliis non satis plene respicimus, cognita tamen dissimulare, et quasi pro nihilo computare non debemus. Guarnerius Argentinensis episcopus, postquam peccatis facientibus decorem sui ordinis indigne tractavit, vocatus ad correctionem a domino nostro venerandæ memoriæ Alexandro papa, solus inter omnes Teuto-

A nicæ terræ episcopos, quorum multi non solum carnali scelere, sed etiam simoniaca labe fœdati, itidem vocati sunt, apostolorum limina petiit, locum judicii in humilitatis forma prævenit, et veritus apostolicam virgam annuntiando et cogitando pro peccatis suis in faciem procidit. Apostolica igitur tum censura correptus jam nunc apostolicam venit expediri clementiam, et cum tanta fatigatione, sicut audivimus, jejunando pariter, et plerumque pedes eundo, compunctionem suam et obedientiam demonstravit, ut confratres nostri pro competentia horum temporum miserendum sibi fore dignum æstimarent et decernerent : cui quanquam episcopalis officii redintegrationem ad vota sua non concessimus, exercere tamen in illo rigorem canonicum hoc in

B tempore quid referret, cum fortasse, hoc amoto, locum ejus non alius possideret, nisi qui plurimum pecuniæ dare posset ? Cæterum quod vos fecistis in eum, quam inhonestum vobis, quam mihi verecundum, quamque beato Petro et apostolicæ sedi contumeliosum sit, quæso, cum animis vestris reputate, ut in quibus peregrinorum his in partibus tutissima debet esse defensio, inopinata pericula lateant, et nostra, qui hoc aliis principibus, prohibemus, in hac re quasi consentanea pro familiaritate vestræ dilectionis voluntas arguatur : præsertim cum eumdem fratrem per litteras nostras non sine magna fiducia vobis commendaverimus. Quamobrem nobilitatem vestram multum rogamus et admonemus ut, injurias ejus quantum potestis demulcentes, cum omni be-

C nevolentia et manifesta charitatis exhibitione eum abire dimittatis, et, sicut in supra memoratis rogavimus litteris, tutum sibi usque ad domnum Erlembaldum [Erbombaldum] Mediolanensem ducatum præbeatis : scientes eum per epistolam nostram esse commonitum ut nullatenus super hac re contra vos aut vestros aliquid moliatur adversi. Dionysio vero Placentino, et aliis episcopis Longobardiæ, qui ad nos venerant, nihil de episcopali officio, nisi confirmari pueros pro necessitate concessimus : sed totius negotii frena ita retinemus in manu, ut aut correctis de venia, aut pertinacibus non sit desperandum de pœna. Quia vero ex charitate, et pro reverentia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vos de talibus adversum nos murmurasse credimus, memores do-

D mini et patris nostri beati Petri apostolorum principis, qui murmurantibus adversum se discipulis satisfacere non dedignatus est, vobis quoque rationem de factis nostris non inviti reddimus, in eodemque quanta vis dilectionis, qua vobis adstringimur, non alia vobis adhuc certiora signa dedimus. Neque vero nos fugit quam diversa de nobis hominum opinio sit et judicium, dum in eisdem causis et actibus alii nos credulos, alii nimium mites esse dicunt. Quibus profecto, nil verius, nil rectius respondendum videmus, quam quod ait Apostolus : *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die* (*I Cor.* IV). Deus autem omnipotens, qui verus inspector est cordium, doceat nos et vos facere volunta-

tem suam, et ponat legem suam in medio cordis nostri.

Data Romæ XVII Kal. Maii, indictione XII.

EPISTOLA LXXVIII.

AD WRATISLAUM BOHEMORUM DUCEM.

(Anno 1074.)

Commendat Pragensem episcopum de objectis criminibus satis purgatum suæ Ecclesiæ restitutum. Causas inter ipsum Pragensem et Moravensem episcopum, nec non quæ inter ipsum ducem et episcopum Pragensem agitabantur, in proxima synodo ait se determinaturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO Bohemorum duci salutem et apostolicam benedictionem.

Frater tuus Larmirus [*forte* Jeromirus, *ut supra ep.* 60, *et sic Mutin.*] Pragensis episcopus, ad apostolorum limina veniens, conspectui nostro ea quæ oportuit se humilitate præsentavit, et de objectis sibi quædam confitens, congruam inde satisfactionem obtulit : quædam vero denegavit, et in hunc modum se purgando removit, videlicet, quod ipse Joannem Moravensem episcopum non percusserit, neque servientes ejusdem episcopi decapillari, aut barbas eorum abradi præceperit, aut occasione subterfugiendi synodum inducias per legatum suum petierit. Nostræ igitur dilectioni plene reconciliatum, et restituto sibi omni episcopali officio ad propriam sedem cum litteris nostris et apostolico eum sigillo remisimus, commendantes eum tuæ nobilitati, ut, omni inter vos odio et inimica æmulatione sublata, fraterno corde eum diligas, et episcopalem in eo dignitatem, sicut dignum est, veneranter inspicias, et quæcunque juris Ecclesiæ sibi commissæ sunt, vel quolibet modo ad eum juste pertinent, tam tu ipse ei concedas, quam omnes qui sub tua potestate sunt sine contradictione sibi reddere facias. De causa vero quæ inter eum et Moravensem episcopum tandiu protracta est, propter illius absentiam, ita statuimus, ut in futura synodo ambo episcopi aut ipsi ad nos veniant, aut tales nuntios mittant, quibus præsentibus, et causam ex utraque parte rationabiliter exponentibus, nos sine omni ulterius dilatione puram super hac re justitiæ diffinitionem inferre, et contentionem eorum decidere, Deo favente, possumus : ubi etiam legatos tuos interesse multum cupimus; quatenus et ipsi tua vice ad indagationem veritatis nos adjuvent, et testes nostræ definitionis existant. Terram vero unde inter episcopos lis est, Moravensem episcopum interim tenere decrevimus. Præter hæc supra memoratus frater tuus conqueritur super te, quod præpositura et castro sancti Vinzlai [Venceslai] debitam sibi potestatem et justitiam penitus auferas. Unde excellentiam tuam paternis affectibus rogamus et admonemus ut, si te injurias ei in hac re irrogare cognoscis, respectu divini timoris, cui rationem de factis tuis in districto judicio redditurus es, gratuita bonitate tua ad justitiam redeas, et fratri quæ sua sunt sine omni contrarietate dimittas. Sin vero clamor ejus inter vos sedari nequeat, in præfato termino futuræ synodi legatos tuos, vel hac de causa ad nos transmittere non prætermittas, quatenus, inquisita et percognita veritate, ex utraque parte quod justum fuerit valeamus decernere, et aliquando fraterna pace et concordia vos, opitulante Deo conjungere.

Data Romæ decimo sexto Kalendas Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXIX.

AD ANNONEM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Queritur quod nullas ad se litteras post adeptum pontificatum dederit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANNONI (354) Coloniensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta charitate Romanæ Ecclesiæ Coloniensis in omnibus obsequendo conjuncta fuerit, dignitas vobis collata testatur. Quæ nimirum charitas adeo in te videtur tepuisse, ut ex eo quo susceptæ administrationis laborem subivimus, nullas visitationis tuæ præter has nuperrime missas litteras receperimus : cum id nobis visitationis frequentius impendendum putemus, qui, ob recordationem disciplinæ, qua tempore antecessoris nostri in Ecclesia Coloniensi enutriti sumus, specialem sibi inter cæteras occidentales Ecclesias dilectionem impendimus, et, sicut adhuc Romanæ Ecclesiæ filii testantur, tempore beati Leonis papæ Trevirensi episcopo pro honore Ecclesiæ vestræ, quod idem beatus Leo ægre tulit, viribus totis restitimus. Sed his nostris studiis debitæ dilectionis non exhibentes vicissitudinem, merito vos non solum negligentiæ, sed quasi promovendæ litis arguere possumus, juxta illud : *qui non est mecum, adversum me est* (*Matth.* XII); licet hanc litem virga apostolicæ correctionis, Deo auxiliante, nobis facillimum sit dirimere. Si enim honorem beati Petri, non in totum, sed in partem Coloniæ, et non Romæ probaverimus te diligere, tu nos quoque in totum, neque in partem poteris habere. At si ex negligente sollicitum, et ex tepescente calidum te amor et reverentia matris tuæ sanctæ Romanæ fecerit, non in partem, sed in totum communis piscatoris nostri gratiam, nostramque dilectionem sine dubio obtinebis.

Data Romæ decimo quarto Kalendas Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXX.

AD ANICIENSES.

(Anno 1074.)

Præcipit ut Stephano eorum episcopo obediant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANICIENSI clero et populo salutem et apostolicam benedictionem.

(354) De Annone Lambertus Schafnaburgensis in Chronico anni 1075 Marianus Scotus in Chronico anni 1075 et 1077.

Stephanus electus vester [noster *male, credimus*] ea qua debuit apostolicam sedem humilitate requisivit, et manum suam manui nostræ dando se Romanæ Ecclesiæ obediturum promisit, ac per hoc gratiam ejus, quam antea visus fuerat perdidisse, recuperavit. Quem quia Eclesiam vestram prudenter defendisse, et Simoniacum Stephanum et invasorem studio suo expulisse probavimus, regimen totius episcopatus vestri sibi commisimus, eo tenore ut, quousque ad nos redeat, de pontificali officio se non intromittat, sed quemcunque voluerit episcoporum religiosorum patriæ vestræ, ea quæ ad episcopale officium pertinent, facere commoneat. Vos itaque apostolica auctoritate admonemus ut sibi debitam in omnibus reverentiam exhibeatis, et ad defensionem Ecclesiæ vestræ adjutorium vestrum fideliter impendatis: quatenus, expulsa simoniacæ hæresis de medio vestrum omni contagione, legalem pontificem habeatis, et puram Christo Domino nostro, et beatæ Mariæ genitrici ejus, servitutem impendatis.

Data Romæ decimo tertio Kalendas Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXXI.

AD UDONEM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Ut Virdunensem episcopum vice sua increpet de neglecta apostolicæ sedis auctoritate, eumque moneat, ut monasterium sancti Michaelis ad communionem restituat. Si quid vero sui juris prætendat, in conventu episcoporum, vel coram summo pontifice, requirat. Quod si parere negligat, ipse archiepiscopus auctoritate propria dictum monasterium ab interdicto absolvat, et episcopum Romam venire commoneat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, UDONI Trevirensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Confrater noster Theodericus Virdunensis episcopus, ut sæpe nobis relatum est, habitatores loci apud monasterium quoddam sancti Michaelis infra parochiam suam, ad quasdam novas consuetudines sua virtute et potentia flectere et coercere diu conatus est, videlicet ut cum litaniis majorem ecclesiam, hoc est suam episcopalem sedem, simul congregatis singulis annis visitarent. Quod cum illi inusitatum, ne forte ad alterius [*forte*, id alterius] daret, HARD.] novæ exactionis occasionem darent, pati renuerent, divinum ibi officium penitus interdixit. Ex qua re cum episcopus apostolicas jam ante litteras recepisset, commonitus ut locum absolveret; et nihil inde, nisi quod canonicum et justum foret, exigeret; verba quidem non plenæ conservatæ materiæ parum modeste notavit, sed voluntatem, et cognitam magistræ [*fort.*, nostræ] intentionis sententiam omnino neglexit. Unde nec nos quidem de ejus obedientia, si privatim loquimur, multum confidentes fraternitatem tuam apostolica auctoritate monemus ut, ex nostra et tua parte convocatis et conjunctis tibi suffraganeis episcopis, videlicet Herimanno [Hermanno] Metensi, et Popone Tullensi, præfatum episcopum ad colloquium nostra vice convoces, indicans sibi nos non æquo animo neglectam ab eo sedis apostolicæ reverentiam accepisse: pariterque eum admonemus ut prædicto loco communionem sacrosancti et divini ministerii reddat, et si quid justitiæ se confidit habere, concesso prius eisdem hominibus tanto tranquillitatis tempore, quanto eo violenter adstrinxit, postea aut in conventu religiosorum episcoporum, aut in præsentia Romani pontificis, quæ sui juris æstimat, ordinate requirat. Neque enim ad hoc prælati sumus, ut nostræ commissos providentiæ potenter magis quem juste tractemus. At si ille hæc nostra parte procuranda monita adimplere spreverit, tibi injungimus ut, apostolica fultus auctoritate, una cum confratribus tuis antesignatum locum ab omni interdictione et excommunicatione absolvas, et, eadem auctoritate presbyteris ibidem consistentibus ad celebrandum divinum officium roboratis, episcopum, ut nobis de pertinacia sua et contemptu nostro respondeat, ex parte beati Petri, et nostra, per illum (355) apostolica præceptione commoneas. Has vero litteras nostras idcirco aperte significari fecimus, ut tam Viridunensi [Virdunensi] quam cæteris episcopis ostensæ, commissæ tibi procurationis et auctoritatis certitudinem præbeant.

Data Romæ secundo Nonas Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXXII.

AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

(Anno 1074.)

Excommunicatos denuntiat omnes qui detinent bona Augensis (356) *monasterii collata ab Alberto Simoniaco.*

GREGORIUS omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, etc.

Quanquam ad propulsandas omnium Ecclesiarum et venerabilium locorum injurias, ex debito officii nostri, et universali providentia, quam per beatum Petrum apostolorum principem licet indigni suscepimus, sollicite nobis invigilandum et elaborandum esse noscamus; his tamen locis apostolicæ auctoritatis opem et scutum impensius circumferre dupliciter quodammodo compellimur, quæ et in generali sanctæ Romanæ Ecclesiæ membrorum continentia cæteris coæquantur, et singularis patrocinii privilegia præ cæteris sortiuntur. Et quibus quoniam Augense monasterium huic sanctæ et apostolicæ sedi quadam principali et individua cohæret linea, de dispersione bonorum ejus valde dolentes, quid dominus et antecessor noster Alexander venerandæ memoriæ papa inde decrevit recolere et sententiam nostræ confirmationis in idipsum omnibus, ad quos hujus epistolæ nostræ notitia pervenire poterit, destinavimus indicare. Postquam prædictus dominus

(355) Quid sibi velit hoc *per illum*, nos non intelligere fatemur.

(356) *Augiensis* scribendum docet qui infra memoratur Constantiensis ep.

noster papa Robertum Simoniacum, et invasorem A ejusdem monasterii, nullis admonitionibus, nullisque minis ad hoc flectere potuit, ut vel abbatiam dimitteret, aut pro reddenda ratione sui introitus apostolico se conspectui præsentaret, cognita veritate, quod relicta alia abbatia ad hanc pretio anhelasset, synodali judicio eum anathematis jaculo, nisi resipisceret, percussit, et sub eadem censura omnibus accepta ab eo beneficia ad præfatum cœnobium pertinentia penitus interdixit, cunctaque ab eo disposita apostolica præceptione cassavit, atque hæc eadem per epistolam episcopo Constantiensi publice prædicanda, et per episcopatum suum divulganda mandavit. Itaque, miserante Deo, factum est ut ille ab insana occupatione abbatiæ desisteret, sed non ut fautores ejus, contra Deum et justitiam, B accepta ab eo monasterii bona relinquerent. Quapropter, quoniam illa principali et hæretica peste depulsa charissimum sancti Petri filium Ecardum ex ipsa congregatione a confratribus electum, et a nobis diligenter examinatum, abbatem ibi, auctore Deo, consecravimus, cupientes ut monasterium post longas et multas tribulationes jam ad quietem et monasticæ religionis cultum redeat, simili modo omnibus qui a sæpe fato Roberto pro defendenda ejus nequitia, aut exhibenda sibi fidelitate, bona abbatiæ in beneficia adepti sunt, sub anathematis districtione et animadversione interdicimus. Nam cum ille talium institutionum auctor et distributor in loco ad quem hæretice aspiraverat permanere non C potuit; quibus legibus aut quo jure isti sibimet vindicabunt, quod sacrilega conventione ceperunt? Unde etiam omnibus Christi fidelibus, qui hæc cognoverint, apostolica auctoritate præcipimus ut eos in nulla penitus Christianæ communionis participatione recipiant, dum iniquitatis et mortis suæ pretium diabolica aviditate et temeritate possident.

Data Romæ octavo Idus Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXXIII.

AD ALPHONSUM REGEM CASTELLÆ.

(Anno 1074.)

Commendat episcopum Paulum, quem studiosum erga sedem apostolicam cognoverat. Monet regem ut antiquam ejus episcopatus sedem reparare velit. D

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Alphonso [Idelphonso] regi Hispaniæ, et episcopis regni illius, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse volumus, nunc fratrem nostrum et episcopum Paulum, cognomento Monio [Monito], ad apostolorum limina et nostram præsentiam venisse, et, post redditam rationem earum rerum [de] quibus eum appellavimus, sicut dignum erat, in nostram communionem et dilectionem receptum fuisse. Romanum ordinem in divinis officiis, sicut cæteri Hispani episcopi qui synodo interfuerunt, se celebraturum, et ut melius poterit observaturum promisit. De cætero, quoniam ad præsens omnia quæ secum habuimus pleniter expedire et determinare non potuimus, ad futuram synodum eum ad nos iterum reverti præcepimus, et super hac re ab ipso promptæ obedientiæ sponsionem accepimus. Quapropter remittentes eum cum litteris nostris charitati vestræ commendamus, quatenus et vos una nobiscum eum diligatis, et secum atque inter vos vinculo pacis Christi, in quo per ipsum ad fidem uniti, et in sortem hereditatis gloriæ Dei electi estis, conjuncti firmiter persistatis. Te vero regem ut dilectissimum filium rogamus et admonemus ut, considerans, et ante mentis oculos ponens quam in districto judicio de commissa tibi administratione rationem redditurus es, regni tui gubernacula in tenenda æquitate exornare studeas, et huic episcopo antiquam sui episcopatus sedem reparare ac stabilire cum Dei adjutorio modis omnibus insistas. Deus autem omnipotens ad omnia quæ sibi beneplacita sunt cor tuum dirigat, et ea te in præsenti vita promereri faciat, unde postmodum sempiterna retribuat.

Data Romæ septimo Idus Maii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXXIV.

AD HERIMANNUM EPISCOPUM BAMBERGENSEM.

(Anno 1074.)

Significat se commisisse vices suas episcopo Metensi in causa ipsius episcopi Bambergensis. Monet ut ei pareat, et quæ recta sunt agat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Herimanno [Hermanno, *et sic semper*] Bambergensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Charissimus confrater noster Herimannus Metensis episcopus, nobiscum per dies aliquot commoratus, multum nos pro te rogavit, multasque et intimas pro causa tua supplicationes effudit, referens nobis de te nonnulla, quibus in spem tuæ correctionis non parva cordi nostro est oborta lætitia. Quapropter consilium, quod ad salutem tuæ et animæ nostræ, quodque ad utilitatem Ecclesiæ cui præes, aptissimum nobis visum est, in experientia fraternitatis suæ posuimus, injungentes et committentes sibi ut, apostolica fultus auctoritate, vicem nostram in causa tua explere debeat, si modo ad obediendum his quæ quasi ore nostro tibi proposuerit te paratum inveniat. In cujus prudentia, quoniam ad bene monendum te promptam et sufficientem voluntatem esse non dubitamus nos quidem e multis hoc fraternitati tuæ sollicite attendendum et pensandum scribimus, quod ad finem vitæ quotidie appropinquas, et extremum diem, quem tamen nescis quam cito veniat, certus exspectas. Ideoque, frater, debita sollicitudine te admonemus ut horrendum examen et inevitabile judicium districti judicis ante oculos ponas, et faciem illius ea conscientiæ tuæ confessione et operum conversatione præoccupare festines, quatenus in conspectu divinæ præsentiæ, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, non te culparum

timor, et verecundia deprimat, sed læta recipienda pro bonis actibus retributionis fiducia manifestum et imperterritum reddat.

Data in expeditione ad montem Ciminii [Ciminium], secundo Idus Junii, indictione duodecima.

EPISTOLA LXXXV.

AD AGNETEM IMPERATRICEM.

(Anno 1074.)

Gratias agit quod Ecclesiæ concordiæ consulat, et Henricum regem Ecclesiæ communioni restituendum curet. Hortatur ut persistat. Se pro Christi Ecclesia valde laborare significat, eaque in re Beatricem et Mathildem multo sibi esse adjumento.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Agneti Christianissimæ [Christianæ] imperatrici salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudemus et exsultamus in Domino, quod lumen vestræ operationis ad nos usque resplenduit, et fructus vestræ fatigationis, etsi non ad vota|vestra plene cumulatus, Deo tamen ad laudem et gloriam, nobis ad lætitiam, vobis ad coronam perfectæ remunerationis excrevit. Neque enim nostra spes ideo coarctari aut submitti debet, si desiderium vestræ sanctitatis facultatem intentionis explendæ non habuit; quoniam apud Deum perficit omnia, qui voluntatem gerens integram, quantum potuit operari non desiit. Scimus equidem quod pro pace et concordia universalis Ecclesiæ multum laboratis, et omnia quæ pontificatum et imperium glutino charitatis astringere valeant, amplius quam dici possit concupiscitis, et indefessa sollicitudine quæritis. Quorum quidem, quod maximum est, et unitati dilectionis conjunctissimum, jam peregistis, videlicet filium vestrum Henricum regem communioni Ecclesiæ restitui, simulque regnum ejus a communi periculo liberari : quoniam illo extra communionem posito, nos quidem timor divinæ ultionis secum convenire prohibuit : subditos vero sibi quotidie ejus præsentia quasi necessitas quædam in culpa ligavit. Ad cætera vero quæ leviora sunt, licet paupertatem [*f.*, pietatem] vestram promptam esse non dubitemus, per fiduciam tamen quam in Christo habemus, gloriam vestram ut jugiter tam sanctis studiis instet, propter revelationem gaudii vestri quodammodo exhortari impellimus, scribentes vobis, et sub omni certitudine notificantes præfato filio vestro vestra consilia vestraque multum merita profuisse, et quam misericorditer eum divina respiciat clementia, vestram adhuc beatitudinem cum gratulatione visuram esse. Hoc autem unde vel qualiter nobis compertum sit, cum vestram, miserante Deo, præsentiam viderimus, patenter indicabimus. De cætero sciat eminentia vestra nos his temporibus pro causa beati Petri apostolorum principis in labore non parvo positos, et vestram in omnibus A Beatricem, nec non et communem filiam nostram Mathildim diu noctuque in nostro multum adjutorio desudare, utpote vos sequentes, vos sicut dominam et magistram discipulæ fideliter imitantes. Per vos itaque novum exemplum antiquæ lætitiæ, per vos, inquam, illæ mulieres olim quærentes Dominum in monumento, sæpe nobis ad memoriam redeunt. Nam sicut istæ præ cunctis discipulis ad sepulcrum Domini miro charitatis ardore venerunt, ita vos Ecclesiam Christi, quasi in sepulcro afflictionis positam, præ multis, imo pene præ omnibus terrarum principibus, pio amore visitatis, et ut ad statum libertatis suæ resurgat, totis viribus annitentes, quasi angelicis instructa responsis cæteros ad suffragium laborantis Ecclesiæ provocatis. Unde et revelatio- B nem supernæ gloriæ, et æternæ vitæ, quæ est in Christo Jesu, non dubie exspectabitis, et consortes mulierum illarum præsentiam Salvatoris nostri inter angelorum agmina pace perpetua fruentes, ipso protestante [præstante, *et sic in Mutin.*] invenietis. Quod autem de filia vestra Mathildi nos rogatis, gratanter accepimus, collaudantes sanctitatem vestram quod tanta vobis de salute illius cura est; quæ quidem in vos omni desiderio et fidelitatis affectu cor et animam suam effundit, gloriam vestram quasi gaudia propriæ salutis exposcit. Ac nos quidem pro ea libenter oramus; et, licet orationes nostras nostra Deo parum commendent merita, suffragante tamen pietate Petri, cujus servi sumus, eas in conspectu Domini non omnino vacuas esse confidi- C mus. Vestram igitur commendationem digna veneratione suscipientes, itidem vos, ut illius et nostri memoriam in vestris rogamus orationibus faciatis, et mutuis nos apud Deum juvemus intercessionibus; quatenus hic in Christo connexa charitas unam et communem nobis in regno Patris nostri, ipso præstante, sedem pariat et lætitiam.

Data in expeditione ad Sanctum Flavianum [Fabianum] decimo septimo Kalendas Julii, indictione duodecima.

(357) In hoc primo anno pontificatus sui, ipse dominus Gregorius papa constituit et consecravit archiepiscopos et episcopos per diversa loca. In Sardinia] provincia Jacobum archiepiscopum Calaritanum, Constantinum archiepiscopum Turrensem; D quibus pallia cum privilegiis dedit. Brunoni episcopo Veronensi pallium cum privilegio, et Nacho concessit. Joannem Soranum episcopum consecravit. Item in marchia Firmana Irasmundum Valvensem, Teuzonem Teatinum, Leonem episcopum in Campania Aquinensem, Hugonem in Burgundia Diensem, Landericum item in Burgundia Matisconensem, Guilielmum in Maritima Massanum. Celebravit Romæ synodum, in qua, inter cætera quæ ibi gesta sunt, excommunicavit atque anathematizavit Robertum Guiscardum (358) ducem Apuliæ et Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus suis, quousque resipisceret.

(357) Ex ipso registro Gregorii VII, post epist. 25.

(358) De Roberto Guiscardo Leo Ostiensis lib. III Chronici Cassinensis, c. 15, 44, 52 et 56; Otto Frisingensis, lib. I De gestis Friderici, cap. 3.

LIBER SECUNDUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo quarto, indictione duodecima (359).

EPISTOLA PRIMA.

AD EPISCOPOS ET ABBATES BRITANNIÆ.

(Anno 1074.)

Præcipit ut ad synodum veniant, et incestam copulationem subditis suis prohibeant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, universis episcopis et abbatibus Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Suscepti nos officii cura compellit omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere, et ut fidei documenta, ac sacræ Scripturæ regulas recte teneant, vigilanti circumspectione perquirere ac docere. Quoniam igitur inter vos sanctorum Patrum decreta et ecclesiasticæ religionis statum non ea qua oportet aut observari diligentia aut studio tractari intelligimus, per eam quam beato Petro apostolorum principi debetis obedientiam vos invitamus, et nostra apostolica auctoritate monemus ut ad synodum, quam in secunda hebdomada quadragesimæ, Deo auctore, in apostolica sede celebrare destinavimus, omni penitus fictitia occasione remota, conveniatis; quatenus, adjuvante Deo, una vobiscum, et cum alia frequentia vestri ordinis, quæ nostræ dispensationis et Christianæ religionis ordo requirit, perspicaci studio adinvenire et exsequi valeamus. Videtis enim quod in maligno jam totus mundus est positus, et communis nostra mater Ecclesia tanto ardentius contra antiquum hostem nos invitat surgere, quanto hæc tempora plura adversum nos diabolicæ fraudis arma demonstrant et bella prorupisse. Interim vero hoc præcipue studium habetote, ut quod de incesta copulatione per litteras nostras hominibus terræ vestræ mandavimus, episcopis dico, unusquisque in sua parochia subditos suos sedula prædicatione commoneatis, minores ad emendationem tanti criminis canonica vos ipsi districtione coercentes. De majoribus vero qui corrigantur, quive in obstinatione permaneant, tempore prælibati concilii certa nobis relatione nuntiantes; quatenus et obedientes apostolica missione a culpa solvantur, et rebelles synodali judicio, anathematis continuo vinculis innodentur.

Data Laurenti quinto Kalendas Septembris, indictione duodecima (360).

EPISTOLA II.

AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM EPISCOPUM

(Anno 1074.)

Arguit de contemptu apostolicæ sedis, et de injuriis in apostolicos legatos illatis; mandat ut coram se compareat; interim eos, quorum ministerio ad hæc usus est, excommunicatos declarat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ISEMBERTO Pictavensi episcopo.

A Cum de te et factis tuis cogitare incipimus, de tam immoderata præsumptionis tuæ audacia nequaquam satis admirari possumus, quoniam, sicut boni ad incrementa bonorum operum fideli desiderio nituntur, ascendere, ita tu, et, heu! ampliori cupiditate perquisita, malefaciendi studia culpis tuis cumulum iniquitatis indesinenter anhelas adjicere. Interdictus enim a legatis apostolicæ sedis, officium episcopale usurpare præsumpsisti, inobedientiæ crimen et contemptum apostolicæ auctoritatis incurrere non erubuisti. Postea vero et eodem legato nostro Amato episcopo Ellorensi [Eborensi], et magistro tuo videlicet Gozelino archiepiscopo Burdigalensi, una cum cæteris religiosis viris, pro faciendo divortio Guilielmi Pictavensis comitis et propinquæ suæ, quam B pro uxore tenebat, inquam, sub apostolica obedientia pro negotio tam gravi, tam Christianæ religioni necessario congregatis, conventum illorum per milites tuos nefarie perturbasti; quippe qui perruptis monasterii claustris et foribus in consessum irruentes, archiepiscopum et legatum nostrum multa turpitudine dehonestaverunt; reliquos vero minis, conviciis ac verberibus, multisque contumeliis afflixerunt; unde apostolica tibi auctoritate præcipimus ut ante festivitatem sancti Andreæ præsentiam tuam super his responsurus nostro conspectui exhibere nullatenus prætermittas. Quod si aliqua, nisi forte necessaria et inevitabili occasione te subtraxeris, ab omni etiam sacerdotali officio te privatum et sacræ C communionis participatione sequestratum esse noveris. Eos vero per quos tantum facinus effecisti, tam laicos quam clericos, a corpore et sanguine Domini, et omni divino officio, usquedum tu ad satisfactionem venias, apostolica auctoritate repellimus, et tibi sub periculo ordinis tui, et omnibus hoc sine mora notifices præcipiendo mandamus.

Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione incipiente decima tertia.

EPISTOLA III.

AD GUILIELMUM PICTAVENSEM COMITEM.

(Anno 1074.)

Commendat eum, quod dimiserit consanguineam quam in uxorem acceperat. Jubet ne eam secum habitare D *permittat. Significat se Romam Isembertum Pictavensem episcopum evocasse. Postremo ejus observantiam erga apostolicam sedem laudat.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO Pictavensi comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo laudes et gratias referimus, qui cordis vestri interiora penetrans ad amorem et timorem suum vos inclinavit, et ad obedientiam manda-

(359) Imo *decima teria*; nam excepta ep. prima (quæ hic male collocata est) aliæ quæ sequuntur pertinent ad XIII.

(360) Nam XIII cœpit duntaxat ipsis Kalendis Septembris, aut ex veteri usu, die 24.

torum suorum, superato carnis desiderio, confirmavit. Scimus equidem quoniam quod in præsenti vita nobis [*forte* vobis] dulcissimum fuit, exigente justitia, reliquisti, dum pro reverentia Christianæ religionis ab uxore vestra, quoniam propinqua consanguinitate vobis est, vos separare consensistis. Verum quanto graviori certamine libidinem animi vestri vicistis, et ad legem Dei districtius vos humiliastis, tanto sublimiorem gloriam infinita remuneratione vobis paratam esse procul dubio sperare debetis. Quapropter et nobis multo uberior lætitia crescit, quoniam in hac correctione vestra certa spes vestræ salutis intelligitur, et ea quæ semper in domo vestra fuit, miserante Deo, generositas conservabitur. Ex hoc enim nobilitas generis valde corrumpitur, cum proles non de legitima conjugii permistione generatur. Atque eo minus eminentia vestra, quod tam acriter vobis institimus, mirari debet, quoniam Romana Ecclesia, quæ domum vestram, vos, totamque prosapiam vestram, singulari et egregia semper charitate dilexit, in tanto vos jacere periculo pati non potuit. Cæterum quod domi illam in vestra potestate usque ad futuram synodum morari cupitis, licet soror vestra, quam ut matrem diligimus, inde nos interpellaverit, consentire non audemus; scientes diabolicam fraudem hominibus maxime vetita repertis occasionibus præcipua calliditate suggerere. Proinde ita eam a vestra vicinitate penitus removeri et elongari facite, ut vestra correctio, et oblata Deo reverentia, omnibus sit in exemplum, et salutem vestram nulla valeat diabolus sagacitate turbare. De cætero scitote Pictavensem Isembertum episcopum, nisi ante festivitatem sancti Andreæ ad nos de presumptione sua rationem redditurus veniat, ab omni episcopali et sacerdotali officio, et ipsa sacræ communionis participatione esse privatum. Quod autem ad servitium sancti Petri promptam vos habere voluntatem mandastis, gratanter accepimus, sed determinate vobis aliquid de expeditione scribere ad præsens non satis discretum fore prævidimus; quoniam rumor est in transmarinis partibus Christianos, miserante Deo, paganorum longe propulsasse ferocitatem, et nos de reliquo quid acturi simus adhuc divinæ Providentiæ consilium exspectamus. Vobis tamen et de bona voluntate plena apud Deum remuneratio est reposita; nobis autem, si necesse fuerit, in vestris promissis, sicut in dilecto fratre et filio, certa semper existit fiducia

Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA IV.

AD GOZELINUM ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM.

(Anno 1074.)

Monet ut Romam veniat, vel alium mittat, qui Isembertum episcopum ad se vocatum præsentem accuset de injuriis quas ab illo se passum per litteras questus est, et Isembertum, nisi ad se venerit, sicut A *præceperat, excommunicatum una cum criminis consortibus denuntiet.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Gozelino Burdigalensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut in litteris tuis intelleximus, Isembertus Pictavensis episcopus magnas Deo omnipotenti et beato Petro tibique magistro suo injurias irrogavit, seseque nobis adversarium impugnatorem justitiæ, hostem sanctæ Ecclesiæ, patenter ostentavit. Nunc igitur, quoniam ad vindictam malefactorum ejus non nostra tantum sed et tua opus est vigilantia, fraternitatem tuam multum admonemus ut nulla te occasio in hac causa tepidum vel aliquo modo negligentem reddat, sed, si eum ad nos venturum co- B gnoveris, tu ipse, si queas, ad apostolorum limina fatigationis cursum non refugias. Quod si tuæ minus ferre poterunt occupationes, tales personas, tam ex tua parte, quam eorum qui eadem nobis quæ et tu de præfato episcopo per litteras notificaverunt, ad nos dirigi non desinas procurare qui veritatem rei irrefragabili assertione præsente episcopo approbare valeant. Verum hæc non ut super his quæ a te nobis significata sunt dubitemus hoc ordine transigenda requirimus, sed ut, Patrum nostrorum statuta servantes, omnia et rationabiliter discutiamus, et auctorabili judicio, Deo favente, concludamus. Novit enim prudentia tua quod, personis absentibus, accusationem per scripta canonica non probet au- C ctoritas, nec, absque partium disceptatione percognita, in examinatione recipiat causas. Quapropter sæpe fatum episcopum ad apostolicam audientiam sub tali districtione per epistolam nostram vocavimus, ut, nisi præsentiam suam ante festivitatem sancti Andreæ nostro conspectui exhibuerit, omni episcopali et sacerdotali privatus officio, etiam sacræ communionis sit participatione seclusus. Si ergo pertinaci induratus contumacia circa prælibatum terminum nostræ præsentiæ se subtraxerit, prolatam in eum sententiam divulgata prædicatione denuntia, et sicut inimici Dei omnibus modis nequitiam et impudentiam ejus confundere non desistas. Eos quoque quos ipse ad tantum facinus perturbandi conventum vestrum applicuit, tam laicos quam cle- D ricos, quousque ad satisfactionem veniant, a corpore et sanguine Domini et ab omni divino officio apostolica auctoritate repulsos esse scias. Quod si episcopus, sicut in litteris nostris districte commonitus est, omnibus indicare neglexerit, tu palam illis facere nullatenus prætermittas.

Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA V.

AD EPISCOPOS FRANCORUM.

(Anno 1074.)

Regni Franciæ calamitates, et regis nefanda scelera narrat. Increpat episcopos de eorum contra hujusmodi scelera taciturnitate. Mandat ut regi resistant : qui si obtemperare noluerit, totum regnum interdici jubet : et si ille perseveraverit, de ejus

occupatione eripi. Episcopis vero, nisi ei restiterint, depositionis pœnam minatur. Mandat præterea Lanzelinum quemdam moneri, ut illæsum dimittat peregrinum Roma revertentem ab eo captum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MANASSÆ Rhemensi, RICHERIO [RACHERIO] Senonensi, RICHARDO Bituricensi archiepiscopis, et ADRALDO episcopo Carnotensi, cæterisque episcopis Franciæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Longa jam temporum curricula transacta sunt, ex quo regnum Franciæ, olim famosum ac potentissimum, a statu gloriæ suæ cœpit inflecti, et succrescentibus malis moribus, plerisque virtutum insignibus denudari. Verum his temporibus et culmen honoris, et tota facies decoris ejus collapsa videtur, cum, neglectis legibus, omnique conculcata justitia, quidquid fœdum, crudele, miserandum intolerandumque est, ibi et impune agitur, et adepta licentia jam in consuetudine habetur. Ante aliquot annos, postquam tepente inter vos regia potestate, nullis legibus nulloque imperio injuriæ prohibitæ sunt vel punitæ, inimici inter se, quodam communi jure gentium, quisque pro viribus conflixerunt, ad vindicandas injurias suas arma copiasque paraverunt. Quibus permotionibus etsi plerumque in patria cædes, incendia, et alia quæ bellum fert exorta sint, dolendum quidem id fuit, sed non tantopere admirandum. Nunc autem omnes malitia, quasi quodam pestilentiæ morbo, repleti, horrenda et multum exsecranda facinora multoties nemine impellente committunt : nihil humani, nihilque divini attendunt : perjuria, sacrilegia, incestum perpetrare, sese invicem tradere pro nihilo ducunt, et, quod nusquam terrarum est, cives, propinqui, fratres etiam alii alios propter cupiditatem capiunt, et, omnia bona eorum ab illis extorquentes, vitam in extrema miseria finire faciunt. Peregrinos ad apostolorum limina euntes et redeuntes, uti cuique opportunum fit, capientes in carceres trudunt, et acrioribus quam paganus aliquis eos tormentis afficientes, sæpe ab illis plusquam habeant pro redemptione exigunt. Quarum rerum rex vester, qui non rex sed tyrannus dicendus est, suadente diabolo, caput et causa est, qui omnem ætatem suam flagitiis et facinoribus polluit, et suscepta regni gubernacula miser et infelix inutiliter gerens, subjectum sibi populum non solum nimis soluto ad scelera imperio relaxavit, sed ad omnia quæ dici et agi nefas est, operum et studiorum suorum exemplis incitavit. Nec satis visum est ei dispersione Ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in perjuriis, et in multimoda fraude, unde sæpe eum redarguimus, iram Dei meruisse; quin etiam mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper convenerant, quod ante hunc regem factum fuisse nec in fabulis refertur, more prædonis infinitam pecuniam abstulit, et qui legum et justitiæ defensor esse debuit, is potissimum deprædator exstitit : nimirum id agens ut mala sua

A non jam infra terminos regni quod occupat comprehendantur, sed ad suam, credo, confusionem extendantur. Quod quia judicium superni judicis effugere nullatenus credendum est, rogamus vos, et ex vera charitate monemus ut caveatis vobis ne prophetica super vos maledictio veniat, qua dicitur : *Maledictus* homo *qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII, 10) : hoc est, sicut ipsi bene intelligitis, qui verbum prædicationis a carnalium hominum retinet increpatione. Vos etenim, fratres, etiam in culpa estis, qui dum perditissimis factis ejus sacerdotali vigore non resistitis, procul dubio nequitiam illius consentiendo fovetis (*Isa.* LVI). Proinde, quod inviti ac gementes dicimus, multum timemus, ut non pastorum, sed mercenariorum sen-
B tentiam accipientes, qui, videntes lupum sub oculis vestris gregem Dominicum lacerantem, fugitis, dum quasi canes non valentes latrare sub silentio vos absconditis. Atque equidem eo magis de vestro periculo metuimus, quanto nullas vobis in futuro examine excusandi rationes suppetere cognoscimus, dummodo non alias vestræ taciturnitatis causas, nisi aut conscientiam, si vestro, quod non credimus, instinctu tot mala perpetrat, aut negligentiam, si de ejus perditione parum curatis, deprehendere possumus. Quæ utraque quam sint fugienda, maxime in officio vobis commissæ dispensationis, vos ipsi perpenditis, qui debitam pastoralis curæ sollicitudinem non ignoratis. Nam si prohibere eum a
C delictis contra jus et reverentiam promissæ sibi fidelitatis esse putatis, longe vos fallit opinio : quoniam hoc omni ratione confirmare possumus multo fideliorem esse qui alium de naufragio animæ suæ vel invitum retrahit, quam qui in peccatorum gurgite nocivo consensu eum deperire permittit. De timore vero vanum est dicere; quoniam vobis ad defendendam justitiam conjunctis et constanter accinctis tanta virtus foret, ut et illum fideli correctione sine omni vestro periculo a consueta malefaciendi libidine possetis avertere, et vestras pariter animas liberare : quanquam et si timor ac periculum mortis immineret, vos tamen a libertate vestri sacerdotalis officii desistere non oporteret. Unde rogamus vos, et apostolica auctoritate mone-
D mus ut, in unum congregati, patriæ, famæ vestræ atque saluti consulatis, et, communi consilio ac conjunctissimis animis regem alloquentes, de sua eum et regni confusione atque periculo commoneatis, et quam criminosa sint ejus facta atque consilia in faciem ei ostendentes, omni exhortatione eum flectere studeatis; quatenus rapinam suprascriptis negotiatoribus factam emendet : quæ nisi reddita fuerit (sicut vos ipsi scitis), infinitam discordiam et inimicitias inter multos pariet. De cætero delicta sua corrigat, et, relictis juventutis suæ moribus, attritam regni sui dignitatem et gloriam tenendo justitiam reparare incipiat : et, ut cæteros ad ea quæ recta sunt coercere valeat, ipse primum quæ sunt iniqua relinquat. Quod si vos audire noluerit

et, abjecto timore Dei, contra regium decus, contra suam et populi salutem, in duritia cordis sui perstiterit, apostolicæ animadversionis gladium nequaquam eum diutius effugere posse quasi ex ore nostro sibi notificate. Propter quod et vos, apostolica auctoritate commoniti atque constricti, matrem vestram sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam debita fide et obedientia imitemini, et, ab ejus vos obsequio atque communione penitus separantes, per universam Franciam omne divinum officium publice celebrari interdicite. Quod si nec hujusmodi districtione voluerit resipiscere, nulli clam aut dubium esse volumus quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione, adjuvante Deo, tentemus eripere. Sane si in hoc tanto tamque necessario negotio tepidos vos cognoverimus, non jam amplius dubitantes quin vestra fiducia fultus incorrigibili perduret, vos ipsos sicut socios et complices scelerum ejus, episcopali privatos officio pari vindictæ jaculo feriemus. Testis enim nobis est Deus, et propria conscientia, quod hæc neque precibus neque pretio alicujus ducti dicimus, nec in animum induximus; sed solo dolore tacti intrinsecus, quod tam nobile regnum, et tam infinitus populorum numerus unius perditissimi hominis culpa depereat, tacendo dissimulare nec possumus nec debemus. Memores igitur illius divinæ dicti Sapientiæ : *Qui timet hominem, cito corruet, et qui sperat in Domino, sublevabitur* (*Prov.* XXIX) : ita agite, ita vos habetote, ut quam sit vobis libera mens et lingua ostendatis : nec timentes hominem infirmitatis vestræ ruinam patiamini, sed confortati in Domino et in potentia virtutis ejus, sicut strenui milites Christi, ad celsitudinem præsentis et futuræ gloriæ sublevemini. Præterea multum rogamus et admonemus dilectionem vestram quatenus, Lanzelinum Belvacensem militem convenientes, ut Folcerium Carnotensem fidelem nostrum, quem ab apostolorum liminibus revertentem cepit, nihil de bonis ejus retinens, illæsum dimittat, ex parte beati Petri, et nostra apostolica auctoritate commoneatis. Quod si facere contempserit, spiritualibus et sæcularibus armis eum insequi et urgere non prius desistatis, quam, relicto sancti Petri peregrino, etiam si quid pro redemptione illius accepit, aut pepigit, simul reddere aut refutare cogatis.

Data Tiburi quarto Idus Septembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA VI.

AD GEBOARDUM PRAGENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Arguit de contempta auctoritate apostolicæ sedis, de mentita fide, de fraudulenta occupatione rerum episcopi Moravensis; quas restitui jubet, et eum Romam cum dicto episcopo ad definiendam causam venire; de mendaciis contra ducem Bohemiæ sibi suggestis : demum de excommunicatione in homines ejusdem ducis absque legali judicio lata.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEBOARDO [*f.*, JEROMIRO, *ut supra lib.* I *epist.* 44, *et* A *epist.* 60. *In Mut. nomen* deest.] Pragensi episcopo, quod non meretur, salutem et apostolicam benedictionem.

Venientem te hoc anno [ad] apostolicam sedem, apostolica utentes mansuetudine, multo benignius multoque mitius quam facta tua mererentur, te suscepimus atque tractavimus : sed tu more tuo malum pro bono reddens, contempta nostra charitate et apostolica auctoritate, contra interdictum nostrum, de bonis et rebus unde inter te et Joannem episcopum Moravensem lis est, te intromittere ausus es : et (quod valde nobis molestum est) nostra concessione te id fecisse mentitus es. Nos equidem meminimus sic decrevisse, ut episcopus Moravensis terram, et alia de quibus inter vos discordia erat, usque ad futuram synodum cum omni pace et quiete tenere deberet. Hoc in litteris nostris B fratri tuo duci expresse significavimus. Hoc tu ut nullatenus impedires, in manum nostram promittendo firmasti : sed ut verbum inde mutaremus, hoc, cum multum instares, neque precibus neque pretio impetrare potuisti. Porro in novissimis, quasi quasdam novas querelas super fratre tuo Wratislao duce quod fraudulenter concludantur, sed orbem terrarum ad discordiam multarum gentium et te fecisse nunc cognovimus; asserens videlicet de quodam castro sancti Venzlai et de præpositura justitiam tuam tibi contradicere. Hoc tantum effecisti, ut eum in epistola nostra moneremus quatenus, si se injuriam tibi fecisse cognosceret, pro nostro, imo amore Dei, quod æquum esset, C inde faceret. Hac igitur occasione et de nobis mendacium finxisti, et nostra decreta subvertisti. Sed, quæso, non erubescis, aut non times, quod pro talibus causis non solum ordinis tui periculum tibi imminet, sed ex fraterno odio nec Christianitatis quidem in te suscepta gratia manet? Præcipimus ergo tibi ex parte beati Petri, et nostra apostolica auctoritate, ut castrum quod tam fraudulenter cepisti, et alia omnia quæ in lite sunt, præfato Moravensi episcopo reddas, et tu ad diffiniendam causam (sicut statutum est) aut ipse Romam venias, aut idoneos legatos mittas : atque hoc ita tempestive Moravensi episcopo notifices, quatenus et ipse pariter se vel legatos suos ad iter præparare valeat. Præterea, sicut nobis relatum est, pacem quæ inter D te et fratrem tuum ducem convenit, multis modis perturbare non desinis, præcipue cum suos absque canonica culpa et legali judicio excommunicas. Quod quidem tibi maxime periculosum est : quoniam, sicut beatus Gregorius dicit, qui insontes ligat, sibi ipsi potestatem ligandi atque solvendi corrumpit. Unde te admonemus ut anathematis gladium nunquam subito neque temere in aliquem vibrare præsumas, sed culpam uniuscujusque diligenti prius examinatione discutias : et, si quid est quod inter te et homines sæpefati fratris tui emerserit, cum eo in primis ut suos ad justitiam compellat fraterne et amicabiliter agas; et si æquitatem tibi denegaverit, aut temeritatem suorum aliqua dissimulatione

contra te, quod non credimus, intumescere sine vindicta permiserit, nobis indicare non te pigeat: et, præstante Domino, hujus querelæ occasionem sollicitis admonitionibus sine mora decidere procurabimus.

Data Romæ decimo Kalendas Octobris, indictione decima tertia.

EPISTOLA VII.

AD WRATISLAUM DUCEM BOHEMIÆ.

(Anno 1074.)

Agit gratias quod censum miserit, et pacem cum fratre Pragensi episcopo inierit. Monet ut omnino Moravensi episcopo a dicto ejus fratre ablata restituenda curet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WRATISLAO duci Bohemiorum salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos nuntius vester, qui magnæ devotionis et fidelitatis vestræ exhibitionem nobis retulit, et quæ beato Petro sub nomine census misistis, videlicet centum marchas argenti ad mensuram vestri ponderis, fideliter præsentavit. Quod quidem gratanter accepimus; sed charitatem vestram multo ardentius amabiliusque, quasi quibusdam animi brachiis ad vos usque porrectis, amplectimur, qui mentem vestram et desiderium magis ac magis erga reverentiam apostolicæ sedis accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem vos diligitis, et cui celsitudinem potentiæ vestræ humiliatis, copiosa vobis procul dubio retributionis munera præparabit, et suo vos munimine tam in præsenti quam futuro sæculo lætificabit. De cætero grates vobis habemus quod obedientes nostris monitis, cum fratre vestro Jeromiro Pragensi episcopo pacem fecistis: quem nos quidem hoc in anno apostolicæ sedi præsentatum longe misericordius quam sua meretur culpa tractavimus. Verum ille, indebitam nobis vicem rependens, mox ut domum reversus est (sicut nos non dubia relatione cognovimus) de castro quodam et aliis rebus unde litem habet cum Joanne Moravensi episcopo, contra interdictum nostrum et contra sui ipsius in manus nostras datam promissionem, etiam de nobis mentiendo quasi id sibi concesserimus, se intromittere ausus est. De quo mendacio et fraude quid et qualiter paucis eum corripiendo præceperimus, in transmisso tibi exemplo litterarum quas ei direximus, plene cognoscere potes. Unde et tuam nobilitatem ex parte beati Petri et nostra apostolica auctoritate rogamus, et præcipiendo monemus ut nequaquam eum de tanta deceptione ulterius gaudere sinas: sed nisi ipse (sicut ipse in litteris nostris jussus est) castrum, et alia quæ in lite sunt, Moravensi episcopo sine mora reddat, tua eum virtute ejicias, et restitutis omnibus jam sæpe dicto Moravensi episcopo, ipsum, et bona ecclesiæ cui præest, pro amore Dei et redemptione animæ tuæ ab injuriis et impiorum hominum oppressione defendas. Hoc autem ea spe et intentione tibi procurandum mittimus, ut omnipotens Deus te et honores tuos divina virtute defendat, et, suffragante beato Petro apostolo, a peccatorum tuorum te absolutum vinculis ad gaudia æterna perducat.

Data Romæ x Kalendas Octobris, indictione XIII.

EPISTOLA VIII.

AD JOANNEM MORAVENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Consolatur de injuriis a Pragensi episcopo perpessis, et quantum ea re commotus sit, ex nuntio et litterarum ad ducem Bohemiæ missarum exemplis eum cogniturum asserit. Arguit quod putarit se sententiam leviter mutasse. Jubet ut apostolica fultus auctoritate omnia bona a Pragensi episcopo ablata repetat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, JOANNI Moravensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Charitatem tuam, frater, erga nos promptam et sinceram esse cognoscentes, debitas tibi grates rependimus, tuisque fatigationibus fraterno corde compassi sumus. Scimus enim quanta fraude Pragensis episcopus te circumvenit: qui tamen non solum ad tuas, sed de nobis mentiendo, et quasi ex nostra concessione rapacitatem suam roborando, ad nostras etiam injurias patenter erupit. Qua de re quam graviter commoti simus, vel quid inde censuerimus, hic nuntius tuus viva voce tibi indicare poterit, et tu ipse in litteris quas duci, et exemplo litterarum quas eidem episcopo misimus, pleniter cognoscere potes. Et tu quidem nimis simpliciter egisti, quod nos contra decreta nostra surgere, et sententiam nostram tam leviter mutare putasti: qui ea omnia quæ inter te et illum in lite sunt, usque ad futuram synodum, et totius dissensionis vestræ discussionem, tuis possessionibus decrevisse præsens intellexeras. Nunc igitur, apostolica auctoritate jussus atque suffultus, castrum, et si quæ alia præfatus episcopus tibi abstulit, sine mora repetas. Illum namque admonuimus, firmiterque tibi ea omnia sine contradictione reddere præcepimus. Ducem vero rogavimus ut, si episcopus nobis non obediret, eum de castro expelleret, et restitutis tibi omnibus, pro amore Dei te, et bona ecclesiæ cui præes, Deo adjuvante, defenderet. Hoc enim indubitanter scias, quia neque in hac neque in alia re, ad defensionem justitiæ tuæ, apostolica tibi, providente Deo, sollicitudo deerit vel auctoritas. Omnipotens Deus in tua sacerdotali vigilantia et officio gratum sibi sacrificium, et tibi statuat æternæ felicitatis præmium.

Data Romæ decimo Kalendas Octobris, indictione decima tertia.

EPISTOLA IX.

AD BEATRICEM ET EJUS FILIAM MATHILDEM.

(Anno 1074.)

Suam in eas fiduciam declarat. Dolet se ex periculoso morbo emersisse, servatum ad sollicitudines pene naufragantis Ecclesiæ. Roberto Guiscardo, reconciliationem suppliciter petenti, justis de causis concedere differt. Demum marchionem Azonem promisisse rationem se redditurum sui conjugii ait,

qua de causa se Romam vocasse Papiensem et Mutinensem episcopos.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, BEATRICI duci, et ejus filiæ MATHILDI, salutem et apostolicam benedictionem.

Non nos fugit varios sæpe ad vos de nobis rumores afferri, sicut mos eorum est qui amicorum dilectioni invident et unanimitati. Et quidem si nos talibus aures (quod absit!) acclinare vellemus, non multi sunt in quibus sinceræ dilectionis affectum nobis patere crederemus. Sed nos, nihil fere potius quam suspectum animum fugientes, in veritate vobis loquimur quod in nullis terrarum principibus tutius quam in vestra nobilitate confidimus : quoniam hoc verba, hoc facta, hoc piæ devotionis studia, hoc fidei vestræ præclara nos constantia docuerunt. Nec dubitamus quin vestra in nobis vera nitescat charitas, cum per Petrum servus, et Petrus in servo diligitur. De cætero scitote nos, præter spem omnium qui nobiscum erant, infirmitatem corporis evasisse, et jam bonam valetudinem recepisse : unde nobis dolendum potius quam gaudendum esse putamus. Tendebat enim anima nostra, et toto desiderio ad illam patriam anhelabat, in qua ille qui laborem et dolorem considerat, lassis quietem et refrigerium præstat. Verum reservati adhuc ad consuetos labores et infinitas sollicitudines, in singulas horas, quasi parturientis dolores et angustias patimur, dum pene in oculis nostris naufragantem Ecclesiam nullo valemus eripere gubernaculo. Lex enim et religio Christiana ita fere ubique deperiit, ut Saraceni, et quilibet Pagani, suos ritus firmius teneant quam illi qui Christianum nomen acceperunt, [et, quibus in regno Patris per Christum hæreditas et æternæ vitæ gloria parata est, divinæ legis mandata custodiant] (361). Quo minus mirandum est si hujus lucis ærumnas spe supernæ consolationis fugere cupimus, qui, in his positi, in sola cognitione inundantium periculorum singulorum pœnas luimus. Præterea scitote Robertum Guiscardum sæpe supplices legatos ad nos mittere, et tantæ fidelitatis securitatem se in manus nostras dari cupere, ut nemo unquam firmiori obligatione se cuilibet domino debeat vel possit astringere. Sed nos non incertas rationes cur illud sit adhuc differendum considerantes, supernæ dispensationis et apostolicæ procurationis consilia præstolamur. Ad hæc alteram vestrum hoc in tempore transalpinaturam intelleximus; sed prius, si fieri posset, ambarum colloquio uti multum desideramus : quoniam vestra consilia, sicut sororum nostrarum, et filiarum sancti Petri, in causis et negotiis nostris habere desideramus. De nobis vero quidquid per Deum et recte sapimus et valemus, in omni charitatis exhibitione vobis patere confidite, et memoriam vestram in nostris quotidie orationibus haberi, et (quanquam peccatores simus) intente Deo commendari scitote. Præterea notum vobis est marchionem Azonem in synodo nobis promisisse, et fidem in manum nostram dedisse, se in nostram præsentiam, quandocunque eum commoneremus, pro reddenda ratione sui conjugii venturum. Et nos quidam hac de causa ipsum vocavimus. Guilielmum Papiensem episcopum, et Heribertum Mutinensem, qui propinquitatem mulieris sciunt, ad nos venire per epistolas nostras invitavimus, quatenus, rei veritate percognita, quod justum fuerit, Deo adjuvante, statuamus. Quapropter dignum nobis videtur ut præfato marchioni per certum vestrum nuntium mandetis quatenus per terram vestram in eundo et redeundo securus transire possit, ne, occasione vestri timoris in hac parte justitia Christianæ legis detrimentum sentiat.

Data Romæ decimo octavo Kalendas Novembris indictione decima tertia.

EPISTOLA X.

AD UDONEM TREVIRENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Committit ei et episcopo Metensi causam quæ inter Tullensem episcopum et quemdam ejus clericum versabatur. Monet ut illum tutum reddat, et omnia ablata ei restitui jubeat : tum, convocatis Tullensibus clericis, inquirat de moribus episcopi, de quibus certior vult fieri ante synodum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei UDONI Trevirorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Admonere te, frater, ut ea quæ tibi committimus fideliter agas ex charitate, ut vero velociter, ex considerata causarum vel temporum fit competentia et necessitate : quæ quidem utraque in subscripto negotio ita te observare volumus, ut, quedmadmodum credimus, fidum te et indefessum nobis cooperatorem cognoscamus. Frater iste Tullensis, ut fatetur, clericus ad nos veniens, conquestus est nobis quoniam iratus sit ei dominus suus, videlicet Tullensis, ut dicitur, episcopus, se exsulem factum, et omnibus rebus suis exspoliatum, supplicans ut apud apostolicam pietatem tantarum miseriarum aliquam inveniret consolationem. Nobis vero cur hoc sibi acciderit diligenter inquirentibus, retulit se ab episcopo quamdam ecclesiam postulasse, quæ ad officium custodiæ quod tenebat legali constitutione dicitur attinere. Qua de re commotus episcopus, cum ei non solum hanc denegaret ecclesiam, sed totum officium per summam interdiceret obedientiam, respondit se non debere sibi obedientiæ reverentiam, quoniam archidiaconatus, consecrationes ecclesiarum, et ipsas ecclesias vendendo, Simoniaca hæresi se commaculasset; cum muliere quadam in publica fornicatione jaceret, de qua filium genuisset, quamque rumor esset sacramento et desponsatione laicorum more sibi copulasse, et præterea quod nonnulli eum ad episcopatum pactione præmii pervenisse dicerent. His auditis episcopus, quasi de manifestis culpis pœnitens, et de sua correctione tum cum hoc solo, tum cum cæteris fratribus loquens, tandem

(361) Uncis inclusa desunt in Mutin.

manifesta indignatione et ira super istum inflammatus est. Egressoque ab urbe episcopo, paulo post milites ejus, utpote non ignorantes voluntatem domini, huic omnem securitatem abnegavere, et intra claustrum ei minati sunt in faciem. Quos cum insidiari vitæ suæ et honori intelligeret, clam discessit, ut sua absentia temperaret severitatem hujus furoris. Episcopus vero confestim sua omnia diripi et publicari præcepit, et ita iste exsulem se et egenum jam diu fuisse conqueritur; verum hæc nobis inordinata et valde iniqua videntur, quoniam, si illa vera sunt, episcopus, imo exepiscopus, non hunc, sed conscientiam suam odisse et persequi debuerat; sin vero falsa, et utinam falsa! non tamen milites, sed disciplinam canonum, istum corripere et flagellare æquum fuerat. Quocirca fraternitatem tuam apostolica auctoritate commonitam et in hac causa suffultam esse volumus, ut, convocato et adjuncto tibi dilecto confratre nostro Herimanno venerabili episcopo Metensi, Tullensem conveniatis, eumque ut clericum istum sine omni periculo vitæ et securum ab omni contumelia in claustrum suum recipiat, et officium custodiæ cum ecclesia quam postulavit, si juste attinet, cum cæteris omnibus justis pertinentiis et utilitatibus suis, et præposituram suam et officium scholarum, nec non omnia ablata sibi bona, et tam irrationabiliter illata damna restituat, apostolicis jussionibus commoneatis. Deinde, convocatis Tullensibus clericis per veram eos obedientiam, imo sub comminatione anathematis, constringite, ut quidquid de introitu et vita episcopi sciunt, vobis aperiant; et vos, undique explorata veritate, quid nobis inde credendum sit, in synodo vel ante synodum quam in prima hebdomada Quadragesimæ celebraturi sumus, per litteras vestras notificare nullatenus prætermittite. Quod si episcopus, ut optamus, innocens de tot ac tantis criminibus apparuerit, quod clericus temere peccavit, quoniam ad nostram venit audientiam, qualiter juste corrigatur, Deo aspirante, procurabimus. Si vero episcopus ea quæ sibi intenduntur veraciter removere non poterit, nullo modo ferendum est nobis, vel vobis, ut locum pastoris lupus obtineat. Has autem litteras idcirco aperte sigillari præcepimus, ut certiorem vobis auctoritatem traderemus.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Novembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XI.

AD ALBERTUM COMITEM, ET EJUS UXOREM.

(Anno 1074.)

Laudat fidem et religionem eorum. Quorumdam episcoporum scelera reprehendit. Monet ut persistant, et decreta apostolicæ sedis de Simoniacis et incontinentibus sacerdotibus retineant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Alberto comiti et ejus uxori salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias Deo referimus quod vel laici et mulieres ad Dominum mentes erigunt, et cultum religionis A libenter intellectu capiunt, et tenere contendunt. Nam illi qui propter lucrandas animas episcopi vocati et constituti sunt, et subditos suos verbo et exemplo viam veritatis docere deberent, his temporibus seducti a diabolo, non solum legem Dei deserunt, sed impugnare et omni conatu subvertere non desistunt. Quo minus mirandum est si ipsi inferiores ordines a delicto non prohibent, quorum aut ordinatio fuit hæretica, aut vita omni immunditia et facinoribus cooperta : qui, dum in semetipsis propria scelera nec corrigunt nec attendunt, subditorum quoque crimina aut per negligentiam aut timore propriæ conscientiæ portant. De quibus recte per Prophetam dicitur : *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* B LXVIII). Quapropter quidquid illi contra vos, imo contra justitiam garriant, et pro defendenda nequitia sua vobis, qui illiterati estis, objiciant, vos in puritate et constantia fidei vestræ permanentes, quæ de episcopis et sacerdotibus Simoniacis, aut in fornicatione jacentibus, ab apostolica sede accepistis, firmiter credite et tenete.

Data Romæ septimo Kalendas Novembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XII.

AD HALBERSTADENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Laudat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam, quam ex ejus animi dolore perspexerat, quod legati apostolici in illo regno non eo quo decebat honore suscepti fuissent; C *quam rem eis contigisse mavult quam apostolicæ sedis auctoritatem violasse.*

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Halbistetensi [Burchardo Alberstatensi] episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Ostendis, frater, te sanctam Romanam Ecclesiam sincero affectu diligere, quando id movet cor et animum tuum, legatos sedis apostolicæ in regno vestro non eo quo oportuit honore susceptos fuisse, nec ea quæ Christiana religio postulabat, et adhuc postulat, prout necesse foret, efficere potuisse. Verum nos multo magis hæc illis accidisse volumus, quam ut ipsi, hominibus magis quam Deo placere cupientes, veritatem et libertatem illius quæ in eis repræsen- D tabatur auctoritatis aliqua simulatione violassent. Nam si principibus et divitibus terræ vestræ regnare pro libidine et justitiam Dei conculcare, taciti consentire vellemus, profecto amicitias, munera, subjectiones, laudem, et magnificas ab eis honorificentias habere possemus. Quod quia loco in quo sumus et officio quod tenemus minime congruit, nihil est quod nos a charitate Christi, ipso protegente, separare possit : quibus mori tutius est, quam legem ejus derelinquere, aut pro mundi gloria impiorum potius, si sint potentes, quam eorum personas respicere, qui, licet sint pauperes, legem sui conditoris exquirunt, mandata diligunt, vitam potius quam justitiam deserunt. Tuæ igitur unanimitatem fraternitatis debita cum gratulatione suscipientes, hanc

flammam in pectore tuo semper crescere cupimus, ut in ea quam erga sanctam et apostolicam Ecclesiam habere cœpisti dilectione proficias, spem vero in nostra charitate, imo beati petri protectione et ejus apostolica indubitanter benedictione, habere confidas.

Data Romæ VII Kalendas Novembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XIII.

AD SALOMONEM REGEM HUNGARORUM.

(Anno 1074.)

Queritur quod cum Hungariæ regnum juris sit sancti Petri, a Teutonicorum rege in beneficium acceperit. Monet ut illud, correcto errore suo, ab apostolica sede recognoscat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SALOMONI (362) regi Hungarorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram nuntii tui allatæ sunt : quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendisset. Nam, sicut a majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, a rege Stephano (363) olim beato Petro cum omni jure et potestate sua oblatum et devote traditum. Præterea Henricus (364) piæ memoriæ imperator ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans, victo rege, et facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque transmisit, et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita sint, tu tamen, in cæteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, jus et honorem sancti Petri quantum ad te, imminuisti et alienasti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in beneficium, sicut audivimus, suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam beati Petri, aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse, si justitiam vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, apostolicæ, non regiæ, majestatis beneficium recognoscas; neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua personali acceptione, quantum Deo adjuvante poterimus, debitum honorem ejus, cujus servi sumus, irrequisitum relinquemus. Verum si hæc emendare, et vitam tuam ut regem decet, instituere et, Deo miserante, adornare volueris, procul dubio dilectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut matris dilectus filius, et nostram in Christo amicitiam plene habere poteris.

Data Romæ V Kalendas Novembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XIV.

AD GUARNERIUM ARGENTINENSEM ET BURCHARDUM BASILEENSEM EPISCOPOS.

(Anno 1074.)

Ut curam advocatiæ monasterii Sanctæ Crucis a Leone IX constructi, juxta ejusdem pontificis constitutionem, Gerardo ejus nepoti majori natu adjudicent, et Hugonem ab ea excludant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUARNERIO Argentinensi et BURCHARDO Basileensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus dominum nostrum beatæ memoriæ Leonem papam monasterium Sanctæ Crucis in terra hæreditatis suæ fundatum, ac propriis opibus ejus constructum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui pie et sancte præsidebat, in proprium jus tradidisse, quatenus venerabilis ille locus sub alis sancti Petri tutior et liberior in divino famulatu proficeret. Verum, sicut nos certa relatione comperimus, nepotes illius, Hugo videlicet et Gerardus sua potius quam quæ Dei sunt quærentes, nec tam sanctissimi viri excommunicationem timentes, dum inter se de advocatia contendunt, monasterii bona diripiunt, et quæ ad sustentationem ancillarum Dei constituta sunt sacrilegis invasionibus militibus suis prædam faciunt. Quapropter fraternitatem vestram multum rogamus et admonemus, ut, pro amore et debita sancto Petro obedientia, ambos in locum aliquem vestro conventui aptum convocetis, et, causam utrinque diligenter inquirentes, finem contentioni eorum imponere summopere studeatis, in nullo quidem ab ea quæ in privilegio prælibati Patris nostri Leonis papæ descripta est constitutione et determinatione digredientes. Ibi enim inter cætera ejus apostolica sanctione decretum est, ut qui de progenie sua in castro Egeneschen [Engesheim] cæteris major natu fuerit curam advocatiæ solus teneat, et in omnem posteritatem ejus generis hæc potestas ita procedat. Juxta quam ordinationem Gerardum quidem justitias agere, et advocatiam magis merito quam Hugonem administrare putamus, quia ætate priorem esse intelleximus. Quod si et vos ita esse cognoveritis, ex parte beati Petri, et nostra apostolica, vestra etiam episcopali auctoritate, Hugoni interdicite ne ulterius ullo modo de eadem advocatia se intromittat, neque monasterium, aut bona ejus, cujuscunque modi sint, aliqua læsione vel contrarietate impetat, alioquin sciat se apostolici gladii ictum nullatenus evadere posse, et non solum a gratia beati Petri, sed a communione totius Ecclesiæ judicio sancti Spiritus et apostolica sententia excommunicatum ac condemnatum penitus separari. Quidquid igitur inde factum fuerit, per litteras vestras nobis quantocius indicare curate.

(362) De Salomone rege Hungarorum Lambertus in anno 1074.

(363) De sancto Stephano I Hungarorum rege Hermannus Contractus in Chronico anni 1038; Chartuitius episcopus in ejus Vita apud Surium tomo quarto; Leo Ostiensis libro secundo, capite septuagesimo nono; et alii.

(364) De expeditione Henrici II imperatoris contra Hungaros Hermannus Contractus in anno 1044.

Data Romæ quarto Kalendas Novembris, indictione XIII.

A

EPISTOLA XV.

AD HUMBERTUM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM ET CÆTEROS.

(Anno 1074.)

Ut clericos Lingonenses moneant ut desistant ab injuriis, et satisfaciant de damnis monasterio Pultariensi illatis : quod si facere renuerint, eos ab introitu ecclesiæ arceant, et, si perseveraverint, excommunicationi subdant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Humberto archiepiscopo Lugdunensi, et Agino Augustodunensi et Rodulpho Matisconensi, episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Humbertus Pultariensis abbas, diu apud nos pro necessitatibus monasterii sui commoratus, multas B adversitates et inquietudines conqueritur se a clericis pati Lingoniensibus : cujus injuriæ tanto vehementius nos attingunt, quanto sollicitudines apostolicæ dispensationis per beatum Petrum, cui servi sumus, et cui monasterium illud speciali et proprio jure subjectum est, nobis præ cæteris incumbunt. Sed quia longum erat singulas querimoniarum abbatis causas hic comprehendere, fraternitatem vestram rogamus, et apostolica auctoritate monemus, ut ex ore ipsius illatas sibi molestias et monasterii detrimenta audiatis, et diligenter attendatis, convocatisque præscriptis clericis ad faciendam emendationem et satisfactionem, prout justum fuerit, super omnibus de quibus in eos conqueritur abbas nostra vice et apostolica auctoritate commo- C neatis. Quod si vos, imo beatum Petrum, et ejus per nos administrata monita, contempserint, et, justitiam facere renuentes, in pertinacia temeritatis suæ perstiterint, ab introitu ecclesiæ arcere eos et excludere nullatenus prætermittatis. Sin vero nec pro hujusmodi districtione voluerint resipiscere, et illatas beato Petro injurias, utpote privilegia ejus transgressi, cæteraque in quibus abbatem et monasterium ejus indignis offensionibus læserunt, digna resipuerint satisfactione emendare, nostra apostolica auctoritate jussi atque suffulti eos anathematis gladio percussos a corpore et communione totius Ecclesiæ separate, et canonico judicio condemnate. Quidquid autem inde factum fuerit, nobis per vestras litteras sine mora notificate. D

Data Romæ tertio Idus Novembris, indictione decima tertia

EPISTOLA XVI.

AD RICHERIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

De hominibus sui episcopatus a paribus.

Gregorius, etc., Richerio Senonensi archiepiscopo salutem, etc.

Data Romæ tertio Idus Novembris indictione decima tertia.

EPISTOLA XVII.

AD SIGEBALDUM ABBATEM.

(Anno 1074.)

Arguit quod sibi suaserit ut Albericum monasterio Sancti Anastasii, alio amoto, restitueret, quem postea cognovit multis esse criminibus diffamatum. Præcipit ut aut monasterium Albericus restituat, aut ipse una cum eo Romam veniat de objectis criminibus responsurus.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sigebaldo abbati monasterii sancti Salvatoris in Perusia, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam, quam religiosam tenemus, admodum miramur nobis justum non dedisse consilium; secundum quod a pluribus dicitur, de Alberico scilicet multis criminibus involuto, et (quod est pejus) etiam a venerabilis memoriæ domno Petro, aliisque duobus episcopis ab omni honore ecclesiastico sub excommunicatione amoto; quem Sancti Anastasii monasterio ex nostra permissione restituisti; alterum vero meliorem ex abbatiæ honore, ut fertur, vi ac sine ratione ejecisti. Quod cum audissemus, valde nobis displicuit, nostraque charitas ut talia corrigantur has litteras tibi direxit. In his igitur unum ex duobus tibi ac prædicto Alberico præcipimus ut monasterium quod ei non recte dedisti dimittat, et alteri injuste rejecto reddat, aut tecum Romam veniens ex illis criminibus, in quibus accusatur, in nostra præsentia veritate se defendat. Sin autem neutrum horum obedire non vult, a sacra sede apostolica intelligat se procul dubio excommunicandum. Hæc itaque nullatenus negligas præcipimus. Peccatum enim maximum tecum incurrimus, si omittimus hoc, quandoquidem ita est, sicut nobis multorum testimonio est intimatum.

Data Romæ Idibus Novembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XVIII.

AD GUILIELMUM COMITEM PICTAVENSEM.

(Anno 1074.)

Ut una cum episcopis ac nobilibus regni Franciæ admoneat Philippum regem desistere a confusione ecclesiarum atque a deprædationibus : alioquin ipsum regem, et quoscunque ei obedientiam præstantes, minatur se excommunicaturum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Guilielmo comiti Pictavensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet Philippi regis Francorum iniquitates ad notitiam tuam pervenisse dubitandum non sit, utile tamen duximus, quantum de eisdem iniquitatibus doleamus, tibi innotescere. Nam inter cætera scelera, quibus non solum Christianos sed et paganos videtur superasse principes, post ecclesiarum, quas sibi licuit confundere, varias destructiones, adeo regiæ dignitatis posthabuit verecundiam, ut, avaritia potius inflammante quam ratione aliqua poscente, Italiæ negotiatores qui ad partes vestras venerant deprædatus fuerit. Qua de re, quia episcopos Franciæ litteris nostris eum convenire monuimus, te quoque sanctum Petrum et nos pure diligentem, et (ut credimus) de ejus nobiscum periculis contristatum, præcipue monemus, quatenus ex illis atque nobilioribus Franciæ melioribus quibusdam adhibitis iniquitates suas

sibi notificetis, et ut ipse stultorum suggestionibus A renuntiando atque bonorum et sapientium consiliis adhærendo incipiat jam a confusione ecclesiarum manum retrahere, et ad exemplar bonorum Franciæ regum pravos mores suos commutare, deprædationes quas supra commemoravimus, unde oratores sancti Petri impediuntur, capiuntur atque multis modis afficiuntur, sine dilatione emendare. Qui si consiliis vestris acquieverit, nos eum qua debemus charitate tractabimus : alioquin, si in perversitate studiorum suorum perduraverit, et secundum duritiam et impœnitens cor suum iram Dei et sancti Petri sibi thesaurizaverit, nos, Deo auxiliante et nequitia sua promerente, in Romana synodo a corpore et communione sanctæ Ecclesiæ ipsum, et quicunque sibi regalem honorem vel obedien- B tiam exhibuerit, sine dubio sequestrabimus, et ejus quotidie super altare sancti Petri excommunicatio confirmabitur. Diu est enim quod iniquitates suas portavimus; diu est quod sanctæ Ecclesiæ injuriam parcendo adolescentiæ suæ dissimulavimus. Nunc autem adeo perversitas morum suorum se notabilem reddidit, ut si tantæ valetudinis tantæque fortitudinis esset, quantum pagani imperatores sanctis martyribus intulerunt, nos timore aliquo tot et tantas iniquitates suas nullo modo impunitas dimitteremus.

Data Romæ Idibus Novembris, indictione decima tertio.

EPISTOLA XIX.

AD RICHARDUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM. C

(Anno 1074).

Significat se ei et Turonensi archiepiscopo litem inter Dolensem monasterium et abbatem Sancti Sulpitii commisisse, monetque ut eam decidat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Richardo Bituricensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Dolense monasterium, sicut novit fraternitas tua, juris sancti Petri esse dignoscitur, cui si aliquod discrimen inferretur, speciali sollicitudine succurrere debemus. Proinde proclamatione ipsius, monasterii super abbate Sancti Sulpitii jamdudum pulsati commisimus confratri nostro Rodulpho Turonensi archiepiscopo quæstionem utriusque monasterii una tecum diligenter discutere, et ad D legitimum, Deo auxiliante, definitionis finem perducere. Studeat igitur fraternitas tua sic se præfato confratri nostro in hac causa auxiliatricem impendere, quatenus in inquisitione hujus rei non sit nobis necessarium elaborare.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XX.

AD RICHERIUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074).

Ut a Lanzelino parochiano suo, qui multa scelera in archiepiscopum Turonensem perpetrarat, dignam emendationem faciendam curet : quod si ille facere recusaverit, canonicam in eum censuram exercere jubet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Richerio Senonensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Confrater noster Rodulphus Turonensis archiepiscopus, veniens ad nos, innotuit se non parvam injuriam a quodam parochiano tuo, nomine Lanzelino, sustinuisse. Asserit enim ipsum in via sibi armata manu obviasse, et quibusdam suorum deprædatis, quisbusdam etiam vulneratis, et (quod crudelius est) in faciem suo proprio consanguineo interfecto, multis contumeliis se dehonestasse. Unde fraternitatem tuam admonemus ut præfatum Lanzelinum convenias, et tanti sceleris præsumptionem digne emendare facias : quod quidem fraternitas tua etiam sine nostrarum litterarum admonitione facere debuisset; et si ita est, ut dicitur, prius ad nos vindictæ quam proclamationis venire fama debuisset, si in te fraterna charitas vigeret. Quod si ipse spiritu superbiæ ductus satisfacere recusaverit, canonicam super eum censuram exercere non differas.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Decembris indictione decima tertia.

EPISTOLA XXI.

AD ABBATEM BELLILOCENSEM.

(Anno 1074.)

Ut archiepiscopo Turonensi pareat; sin aliquam idoneam excusationem habeat, ad synodum una cum nuntio ipsius archiepiscopi veniat, vel nuntios mittat, de sua inobedientia et objectis criminibus responsurus.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, abbati Bellilocensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Confrater noster Rodulphus Turonensis archiepiscopus retulit nobis te nullam sibi obedientiam velle impendere, teque usuris cæterisque sceleribus effrenata licentia deservire. Quapropter admonemus ut prædicto confratri nostro debitam non deneges obedientiam. Quod si aliquam te cognoscis idoneam posse prætendere excusationem, cum prædicti confratris nostri nuntio ad synodum quam in prima septimana Quadragesimæ celebraturi sumus, venias, vel idoneos nuntios mittas : quatenus et de inobedientia archiepiscopi, et de criminibus tibi objectis respondeas. Non enim possumus, quod in laicis legaliter reprehendimus, in te indiscussum, et (si verum est quod infertur) sine condigna pœna puniendum relinquere.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXII.

AD HUGONEM DE SANCTA MAURA.

(Anno 1074.)

Ut juste retenta ecclesiæ Turonensis bona archiepiscopo reddat, et, si quid deberi putet, cum ejus nuntio Romam ad synodum veniat, alioquin excommunicandus.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei Hugoni militi de Sancta Maura.

Confrater noster Rodulphus Turonensis archiepiscopus conqueritur quod tu bona Ecclesiæ suæ injuste retineas, et neque timore Dei, neque reverentia beati Mauritii, ad justitiam faciendam velis mentem tuam inclinare. Unde apostolica auctoritate monemus, ut, si ita est, de bonis illis dignam satisfactionem prædicto confratri nostro offeras. Quod si fortasse ab eodem archiepiscopo præjudicium tibi fieri claruerit, cum nuntio ad futuram synodum nostram venias, quatenus, utrinque auditis rationibus, unusquisque vestrum proclamationis suæ justitiam consequatur. Quod si huic admonitioni nostræ inobediens fueris, in eadem synodo, ad quam te vocamus, sine dubio excommunicaberis.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Decembris, indictione XIII.

EPISTOLA XXIII.

AD ISEMBERTUM PICTAVENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Confirmat interdictum a suo legato adversus eum factum, et a sacrorum participatione excludit, usque ad futuram synodum, ad quam venire jubet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ISEMBERTO Pictavensi episcopo.

Quoniam interdictus a legato nostro Giraldo Ostiensi episcopo obedire contempsisti, concilium nostro præcepto congregatum violenter conturbasti, nobis quoque [*f.*, nostris; *Mutin.*, matris quoque] præceptis de causa sancti Hilarii inobediens exstitisti, auctoritate apostolorum Petri et Pauli interdictum a nostro legato episcopale officium non solum confirmamus, verum etiam te a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi separamus, usque ad futuram synodum, quam, Deo annuente, in prima hebdomada Quadragesimæ celebraturi sumus, nisi forte periculo mortis imminente, et hoc præcedente satisfactione sacramento confirmata. Præcipimus etiam eadem apostolica auctoritate, ut in futuro concilio jam dicto te nobis repræsentes, et de his omnibus et cæteris quæ tibi illata sunt rationem redditurus venias. Quod si non feceris, noveris te in eadem synodo absque spe futuræ reconciliationis deponendum.

Data Romæ [XVII] decimo sexto Kalendas Decembris, indictione XIII.

EPISTOLA XXIV.

AD GOZELINUM BURDIGALENSEM ARCHIEPISCOPUM, ET GUILIELMUM DUCEM AQUITANIÆ.

(Anno 1074.)

Præcipit ut Pictavensi episcopo, nisi ad synodum, sicut illi præceperat, venerit, a nemine obedientia præstetur. Burdigalensi archiepiscopo curam rerum ecclesiasticarum, Guilielmo vero comiti justitiæ administrationem, committit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GOZELINO Burdigalensi archiepiscopo, atque Guilielmo duci Aquitaniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum fieri volumus vestræ dilectioni nos Isem-
A berto Pictavensi episcopo mandavisse, [ex superiore epistola] quoniam interdictus a legato nostro Giraldo Ostiense episcopo (*usque ad id quod ait :* absque spe futuræ reconciliationis deponendum.) Quod si observare noluerit, apostolica vobis auctoritate præcipimus ut nullus vestrum sibi obediat, neque eum pro episcopo habeat. Tibi autem, Gozeline Burdigalensis archiepiscope, ecclesiasticas res committimus tractandas; populum et clerum ne sibi obediat commoneas. Tibi vero, Guilielme comes, justitiam committo tractandam, atque in vestris manibus causam sancti Hilarii regendam, et justitiam inde exhibendam committimus.

Data Romæ decimo sexto Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

B

EPISTOLA XXV.

AD ANNONEM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Monet ut causam inter Osenburgensem [Osnaburgensem] episcopum et Corbeiensem abbatem et quamdam abbatissam ab apostolicis legatis ei commissam definiat. Quod si perficere non possit, commoneat eos ad synodum venire, præterea clericis castitatem servandam inculcet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANNONI Coloniensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut diligentia tua, dilectissime frater, reminisci potest, legati nostri Ubertus Prænestinus et Giraldus Ostiensis episcopi ad partes vestras destinati,
C litem quæ inter Bennonem Osenburgensem [Osburgensem] episcopum et.... Corbeiensem abbatem ac quamdam abbatissam versabatur, ad se ut dirimeretur delatam, tuæ venerandæ solertiæ juste diffiniendam commiserunt. Verum nescio qua obstante causa adhuc indiscussa remanere nobis perhibetur. Quapropter charitatem tuam, frater charissime, iterum duximus adhortandam ut præfatum negotium diligenter audias, et legitime diffinias. Cæterum si aliqua ratio qua hoc perficere nequeas obstiterit, his sibi litteris ostensis nos ad synodum in prima proximæ Quadragesimæ hebdomada agendam adire commoneas, quatenus controversia inter eos diu protracta, omni occasione propulsa, canonicum finem accipiat. Præterea sollicitudinem tuam
D ex parte beati Petri communis Patris et domini instanter admonemus, ut non solum in ecclesiæ tuæ diœcesi, sed etiam in omnibus suffraganeorum tuorum parochiis, presbyteros, diaconos et subdiaconos, admonitionibus tuis caste vivere facias, quoniam, ut fraternitas tua novit, cæteræ virtutes apud Deum sine castitate nihil valent, sicut nec sine cæteris virtutibus castitas. In hoc igitur diligens et sollicitus studeat, quatenus, sicut in aliis virtutibus tuis, tibi Petrum apostolorum debitorem faciat.

Data Romæ decimo quarto Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXVI.

A

AD DIONYSIUM PLACENTINUM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Significat abbatem Sancti Savini monasterium resignasse, tamen ejus curam illi commisisse, donec alius abbas eligatur. Monet ut ei rei una cum monachis det operam : ideo legatos mittit, nec non dirimendæ controversiæ causa quæ inter eum et abbatem Sancti Sepulcri plebemve Placentinam versatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Dionysio Placentino episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Rigizonem abbatem monasterii Sancti Savini, quem ad audientiam nostram tua sollicitudo direxit, B recepimus, et tanta investigatione discussimus, ut prælibatum monasterium nostris refutaret in manibus. Absit enim ut nos eis dignitates ecclesiasticas defendere conemur, qui sibi eas interventu pecuniæ arripere præsumpserunt. Verum ne præmissum monasterium gravem rerum suarum pateretur jacturam, illud præfato abbati, eousque, salvo tuæ ecclesiæ jure, custodiendum commisimus, quoad ibi abbas solemniter eligatur, qui Deo dignus, et prædicti monasterii fratribus acceptus, habeatur. Quapropter, diligentissime frater, talis ibi tua fratrumque simul diligentia provideatur, ut nos non appareat potius ad detrimentum monasterii vel fratrum quam ad utilitatem sui vel augmentum egisse quod egimus, ac tu dignas inde laudes inter homines habeas, et C apud Deum ex hoc salubri negotio indulgentiam peccatorum et animæ tuæ perpetuam salutem invenias, quæ tunc efficaciter acquiritur, cum Deo sacris in locis famulantibus charitatis officio pie consulitur. Porro legatos nostros, præsentium videlicet latores, ob hoc ad vos usque direximus, ut ad quem finem instans negotium perveniat aspiciant, et controversiam quæ inter te et abbatem Sancti Sepulcri, plebemve Placentinam, sive Bonizonem [Bonozonem] subdiaconum, versatur, intentius audiant, ut calumniari nitentibus obstructa licentia, cujus partis tergiversatio justitiam impedire contendat advertant : et sancta Placentina Ecclesia post tot temporum interstitia, post tot tantaque litigia, se saltem nunc optatam et optandam pacem tuæ nobilitatis D prudenti clementia recipere congaudeat, quatenus prænominatæ Ecclesiæ debita quiete perfruenti Deo servire liceat; tu vero, hujuscemodi supervacaneis occupationibus propulsis, in nostri conditoris laudibus et servitio delectari, et in lege ejus die ac nocte meditari valeas, et ad veram beatitudinem pervenias, atque apud nos calumniantium improbitas locum ulterius non habeat.

Data Romæ quinto Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXVII.

AD MONACHOS MONASTERII SANCTI SAVINI.

(Anno 1074.)

Ut abbatem canonice eligant, et pro se et Romanæ Ecclesiæ statu ad Deum preces fundant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, congregationi monasterii Sancti Savini Placentiæ constituti, salutem et apostolicam benedictionem.

Rigizonem abbatem vestrum ad audientiam nostram venientem suscepimus, et tanta examinatione discussimus ut monasterium nostris refutaret in manibus. Verum ne prælibatum monasterium grave rerum suarum pateretur dispendium, illud sibi eousque commisimus, quoad in prædicto monasterio, alter solemniter eligatur, qui Deo dignus et sacris canonibus conveniens inveniatur. Quapropter præsentibus vos hortamur apicibus ut, neglecta omni nefandi pretii taxatione, posthabita consanguinitatis et amicitiæ gratia, talem vobis eligere secundum regulam sancti Benedicti studeatis cum quo Deo servire concorditer et sincere valeatis. Rogamus vos interea, charissimi fratres, ut pro recuperatione status sanctæ Romanæ Ecclesiæ, suique incolumitate, ac pro me, ut sibi consulere valeam, Deum, cui fideliter famulamini, jugiter exoretis.

Data Romæ quinto Kalendas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXVIII.

AD LEMARUM BREMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Invehitur in eum quod legatis apostolicæ sedis concilium, sicut ipse jusserat, celebrare prohibuerit; quodque ab eisdem Romam vocatus venire contempserit : quare suspendit eum ab officio, quousque Romam ad synodum accedat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei (365), Lemaro Bremensi archiepiscopo.

Quia suscepti beneficii, quo te sancta Romana Ecclesia voluit honestare, te immemorem, potius ingratum cognovimus, oblitum etiam promissionem canonicamque obligationem quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ te fidelem, te diligere, eique ex corde obedire canonice obligasti, non immerito super te dolendo movemur, non sine causa tibi, quem fidelem filium credebamus, irascimur. Heu inversi mores, et tempora immutata! Quem murum inexpugnabilem pro sancta Romana Ecclesia, cui licet indigni præsidemus, putabamus, quem scutum fidei, quem gladium Christi sumere debere, si oporteret, tum officio tuo, tum prædicto debito pro sancta Romana Ecclesia [atque], pro nobis etiam notrisque successoribus credebamus, jam eum nostrumque inimicum nostrumque oppugnatorem invenimus; tuasque injurias, a te turpissimam et inauditam repulsam licet injuste patimur. Legatis quippe nostris Alberto [Huberto] Prænesti-

(365) *Alias* Liemaro, *ut apud Lambertum anno* 1073, *et alibi.*

nensi et Giraldo Ostiensi episcopis, quos ad partes illas ad id destinavimus, ut in unum archiepiscopis, episcopis, abbatibus religiosisque clericis convocatis, vice et auctoritate nostra fulti, quæ corrigenda essent corrigerent, quæ religioni addenda essent adderent, pro viribus impedisti. Ad hæc ut et concilium fieret prohibuisti. Ab eisdem etiam Romam vocatus, ad institutum terminum, festivitatem scilicet sancti Andreæ, non venisti (366). Ad hæc igitur et quamplura etiam alia corrigenda ad proximam synodum, quæ proximæ Quadragesimæ prima hebdomada celebrabitur, Deo annuente, apostolica auctoritate tibi venire præcipimus et invitamus. Prædictis etiam delictis nobis persuadentibus, ab omni episcopali officio prædicta auctoritate, donec ad nos venias, te suspendimus.

Data Romæ secundo Idus [*forte*, Nonas] Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXIX.

AD SIGEFREDUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Queritur se frustratum ea spe atque opinione quam de eo conceperat. Monet ut ad synodum cum suis suffraganeis veniat; vel, si forte impediatur, nuntios mittat, qui tum reditus, tum mores suorum suffraganeorum indicare possint.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SIGEFREDO (367) Moguntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Recordari credimus fraternitatem tuam, quam puro amore ante hujus nostræ administrationis sarcinam te dileximus, et quomodo ejusdem nostri amoris intuitu secretorum tuorum nobis paucisque aliis commisisti consilium. Cujus rei gratia licet ex eo tempore bene de te speravimus, ex eo tamen quod Cluniacensi monasterio reliquum vitæ tuæ conferre voluisti, majorem ex religione tua fidem suscepimus; verum, juxta quorumdam relationem, aliter quam sperabamus te egisse comperimus: quod si negligenter irrequisitum transire permittimus, fraternum tibi amorem minus impendere non sine magno taciturnitatis periculo probamur. Quapropter apostolica auctoritate religionem tuam admonemus, ut ad synodum, quam, Deo annuente, in prima septimana Quadragesimæ celebraturi sumus, cum suffraganeis tuis, videlicet Ottone Constantiensi, Guarnerio Strazburgensi, Henrico Spirensi, Herimanno Bambergensi, Imbrico Augustensi, Adelbero Guetzpurgensi, si potes, venias. Quod si aliqua infirmitate, quod absit, præpeditus venire nequiveris tales ad nos studeas nuntios dirigere, quorum secure consilio inniti, et quorum testimonia quasi præsentiæ tuæ credere possumus. Et hoc perdiligentissime fraternitas tua perpendat, ut neque precibus, neque gratia alicujus dimittas, quin introitum et conversationem prædictorum episcoporum diligentissime inquiras, et per eosdem nuntios tuos nobis insinues. Ne igitur mireris quod plures ex parochia tua quam ex aliis invitavimus, cum tua amplior sit cæteris, et in ea sint quidam non laudandæ opinionis.

Data Romæ secundo Nonas Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXX.

AD HENRICUM REGEM ROMANORUM.

(Anno 1074.)

Lætatur quod legatos apostolicos benigne exceperit, et sibi devotæ servitutis obsequium præstiterit, et det operam, ut in regno suo Simonia et fornicatio clericorum exstirpetur. Monet ut fidos ac prudentes consiliarios sibi adsciscat, Mediolanensi Ecclesiæ jus suum restituat, et episcopos vocatos ad synodum venire curet, quibuscum legatum mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO regi salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam, fili charissime, causam Mediolanensis Ecclesiæ non ita composueris, quemadmodum litterarum ad nos missarum series pollicitatioque continebat; tamen, quia legatis nostris te benevolum tractabilemque præbuisti, eorumque interventu quasdam res ecclesiasticas laudabiliter correxisti, nobis quoque per eos congrue salutationis et devotæ servitutis exhibitionem transmisisti, gratanter accepimus. Sed et illud quod piæ memoriæ Agnes mater tua imperatrix Augusta apud nos constanter testificata est, iidemque legati episcopi attestati sunt, Simoniacam scilicet hæresim funditus de regno tuo exstirpare, et inveteratum morbum fornicationis clericorum toto adnisu corrigere velle, vehementer nos hilaravit. Filiæ quoque nostræ fidelissimæ vestræ Beatrix comitissa, et filia ejus Mathildis, non modice nos lætificavere, scribentes nobis de amicitia et sincera dilectione vestra; quod libentissime accepimus: quarum consilio, sed et persuasu dilectissimæ matris vestræ Augustæ ad hoc inducti sumus ut has vobis litteras scriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter missarum solemnia super corpora apostolorum et habui et habebo, suppliciter obsecrans ut Deus omnipotens, et hæc tibi bona stabiliat, et ad profectum Ecclesiæ suæ ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentissime, et sincera charitate exhortor, ut in his rebus tales tibi consiliarios adhibeas, qui non tua, sed te diligant, et saluti tuæ, non lucro suo consulant: quibus si obtemperaveris, Dominum Deum, cujus causam tibi suggerunt, protectorem propitiumque habebis. Porro de causa Mediolanensi, si viros religiosos et prudentes ad nos miseris, quorum ratione et auctoritate clarescat sanctæ Romanæ Ecclesiæ bis synodali judicio firmatum posse aut debere mutare decretum, justis eorum consiliis non gravabimur aquiescere, et animum ad rectiora inclinare; sin autem impossibile esse constiterit, rogabo et obsecrabo sublimitatem tuam, ut pro amore Dei et reverentia sancti Petri eidem Ecclesiæ suum jus libere restituas; et tunc demum regiam

(366 Vide Lambertum in anno 1074.

(367) De Sigefredo Lambertus anno 1059, 1072, et alibi passim.

potestatem recte [*forte*, recte te. H.] obtinere cognoscas, si regi regum Christo ad restaurationem defensionemque ecclesiarum suarum faciendam dominationis tuæ altitudinem inclinas, et verba ipsius dicentis cum tremore recogitas : *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* VIII, 17), *et honorificantes me honorifico : qui autem me contemnunt erunt ignobiles* (*1 Reg.* II, 30). Præterea noverit sublimitatis tuæ dignatio nos Sigefrido Moguntino archiepiscopo litteras misisse, evocantes eum ad synodum, quam, Deo auctore, proximæ Quadragesimæ prima hebdomada celebraturi sumus. Quod si venire non posse patuerit, tales mittat legatos, qui vicem ejus concilio repræsentent. Similiter Bambergensem, Strazburgensem, Spirensem adesse præcipimus, introitus sui et vitæ rationem posituros. Qui si forte, ut est hominum protervia, venire distulerint, regiæ tuæ potestatis impulsu petimus ut venire cogantur : cum quibus volumus a latere tuo legatos tales transmitti, qui nos fideliter doceant et de ingressu et de vita eorum : quorum relatione cognita veritate, ad liquidum certius possimus de indubitatis proferre judicium.

Data Romæ septimo Idus Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXI.

AD EUMDEM.

(Anno 1074.)

Summum in eum amorem testatur. Rogat ut avertat aures ab his qui discordiam inter se et illum seminant. Recenset Christianorum calamitates, qui in transmarinis partibus a paganis vexabantur : ad quos sublevandos se Christianos omnes provocasse, seque paratum esse affirmat : tum ea causa eo contendere, tum ut orientalis Ecclesiæ cum Romana unio fieret.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO glorioso regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Si Deus modo aliquo suæ pietatis concederet ut mens mea tibi pateret, indubitanter scio, sua largiente gratia, nullus te a mea dilectione posset separare. Attamen de illius confido misericordia, quia quandoque clarebit, quod te sincera charitate diligam. Ad hoc enim me commune præceptum omnium Christianorum dirigit, ad hoc etiam imperaratoria majestas, et apostolicæ sedis mansueta potestas impellit; quia si te, ut oportet, non diligo in vanum de misericordia Dei, meritis beati Petri confido. Sed quia die nocteque in vinea Domini laborare, per multa pericula etiam usque ad mortem desidero, non solum tibi, quem Deus in summo culmine rerum posuit, per quem multi possunt aut a recto tramite aberrare, aut Christianam religionem observare, sed etiam minimo Christiano, adjuvante Deo, semper studebo sanctam et condignam charitatem custodire. Hac enim sine veste regales nuptias adire qui tentaverit, dedecus immane sustinebit. Heu, proh dolor! hæc vigilanti animo non attendunt, qui discordiam seminare inter nos quotidie disponunt, ut his retibus diabolico instinctu

A præparatis sua possint captare commoda, sua palliare vitia, quibus iram Dei et gladium sancti Petri contra se insana mente provocant. Moneo itaque te, et hortor, charissime fili, ab his aures tuas averte, et eis auditum indubitanter præbe, qui non sua, sed quæ sunt Jesu Christi quærunt (*I Cor.* XIII), neque honorem suum vel lucrum justitiæ præponunt, ut eorum consilio hujus vitæ gloriam non amittas, sed eam quæ est in Christo Jesu fiducialiter acquiras. Præterea indico tuæ magnitudini, quia Christiani, ex partibus ultra marinis, quorum maxima pars a paganis inaudita clade destruitur, et more pecudum quotidie occiditur, gensque Christiana ad nihilum redigitur, ad me humiliter miserunt, nimia compulsi miseria implorantes, ut modis quibus possem

B eisdem fratribus nostris succurrerem, ne Christiana religio nostris temporibus, quod absit, omnino deperiret. Ego autem nimio dolore tactus, et usque ad mortis desiderium ductus, magis enim vellem pro his animam meam ponere quam eos negligens universo orbi ad libitum carnis imperare, procuravi Christianos quosque ad hoc provocare, ad hoc impellere, ut appetant, defendendo legem Christi, animam suam pro fratribus ponere (*Joan.* X) et nobilitatem filiorum Dei luce clarius ostentare. Quam admonitionem Italici et ultramontani, Deo inspirante, ut reor, imo etiam omnino affirmo, libenter acceperunt, et jam ultra quinquaginta millia ad hoc se præparant, ut si me possunt in expeditione pro

C duce ac pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt insurgere, et usque ad sepulcrum Domini, ipso ducente, pervenire. Illud etiam me ad hoc opus permaxime instigat, quod Constantinopolitana Ecclesia de sancto Spiritu a nobis dissidens, concordiam apostolicæ sedis exspectat [expetat]. Armeni etiam fere omnes a catholica fide aberrant, et pene universi orientales præstolantur quid fides apostoli Petri inter diversas opiniones eorum decernat. Instat enim nostro tempore ut impleatur quod pius Redemptor speciali gratia dignatus est apostolorum principi indicare ac præcipere dicens : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Et quia patres nostri, quorum vestigia licet indigni

D sequi optamus, partes illas pro fide catholica confirmanda sæpe adierunt, nos etiam adjuti precibus omnium Christianorum, si Christo duce via patuerit, quia non est via hominis in manu ejus, et a Domino gressus hominis diriguntur (*Psal.* XXXVI), illuc transire pro eadem fide et Christianorum defensione compellimur. Sed quia magna res magno indiget consilio et magnorum auxilio, si hoc Deus me permiserit incipere, a te quæro consilium et, ut tibi placet, auxilium, quia si illuc favente Deo ivero, post Deum tibi Romanam Ecclesiam relinquo, ut eam et sicut sanctam matrem custodias, et ejus honorem defendas. Quid tibi super his placeat, et quid prudentia tua divinitus aspirata decernat, mihi quantocius potes remittas. Nam si de te plusquam plurimi putent non speraremus, verba hæc frustra

proferrem. Sed quia forsan non est homo, cui de sinceritate dilectionis meæ adhuc indubitanter credas, Spiritui sancto, qui omnia potest, committo ut menti tuæ suo more indicet quid tibi cupiam, quantumve te diligam : et eodem modo circa me tuam mentem componat, ut impiorum desiderium depereat et bonorum accrescat. Hæc enim duo desideria circa nos duos, licet diverso modo, incessanter invigilant, et secundum voluntatem eorum, a quo prodeunt, decertant. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, a cunctis peccatis te absolvat, et per viam mandatorum suorum incedere faciat, atque ad vitam æternam perducat.

Data Romæ septimo Idus Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXII.

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Accipit excusationem archiepiscopi Remensis, qui non visitavit limina apostolorum; seque magnam delectationem capturum, si rex Franciæ scelera sua correxerit; sin minus, ei adversari in futurum, legatosque commendat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Manassæ Remensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Tantis [Sanctis] dilectionis amplexibus sanctam Romanam Ecclesiam et nos sui debito te diligere putamus, tanto dilectionis fervore in suo et nostro amore te debere fervere, ut nimium sit nobis hæsitare, quin apostolorum limina, si tibi integra adesset facultas et libera, visitares. Nunc igitur caute et diligenter, ut debes, accipias, malum inauditum, scelus detestabile, quod Philippus rex Franciæ, imo lupus rapax, tyrannus iniquus, Dei et religionis sanctæ Ecclesiæ inimicus, Italis et aliarum provinciarum mercatoribus contra Deum et regni sui honorem fecit, et alia quorum ad aures nostras clamores frequentissime venerunt, si, prout justitia dictaverit, correxerit, nos procul dubio lætari, gratiarum actionibus Deum laudare, ut pro perdita et inventa ove sciat fraternitas tua. Si vero contra hæc (quod nolumus) egerit, Deum procul dubio sibi inimicum, sanctamque Romanam Ecclesiam et nos, cui licet indigni præsidemus, viribus et modis omnibus sibi adversari promittimus. Si legati nostri, ut putamus, ad partes tuas venerint, de his et quæ nobis scripsisti pluribusque aliis, tecum et te auxiliante tractaturi, vice Petri suscipe, vice nostra dilige, ut quanto apostolorum principi amore nobisque adhæreas, in his etiam probare queas.

Data Romæ sexto Idus Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXIII.

AD CUNIPERTUM TAURINENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Arguit quod ad synodum vocatus non venerit, et monasterio sancti Michaelis molestiam intulerit. Præcipit ut ad aliam synodum accedat, et ne dictum monasterium detrimento afficiat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Cuniperto [Cuniberto] Taurinensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet adversus præsumptionem tuam durius invehi deberemus, quia vocatus ad synodum, quam circa festivitatem sancti Andreæ celebravimus, venire contempsisti, et venerabili monasterio Sancti Michaelis, neque respectu divini timoris, neque intuitu apostolicæ defensionis, inquietudinis manum subtrahere voluisti; adhuc tamen fraternam tibi dilectionem reservamus, et debitæ satisfactionis tuæ fructum exspectamus. Quapropter iterum te apostolica auctoritate monemus, ut ad synodum, quam in prima septimana Quadragesimæ celebraturi sumus, venias. Nos enim abbatem præfati monasterii usque ad prædictam synodum nobiscum retinebimus, quatenus, auditis utrinque rationibus, tam Ecclesia tua quam monasterium illud propriam consequatur justitiam. Interim etiam monemus, ut nullam inquietudinem præfato loco inferas. Si vero his nostris litteris inobediens fueris, quod sancti Patres in hujusmodi negotiis fecere, nos facere, et locum illum auctoritate beati Petri defendere compelles.

Data Romæ secundo Idus Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXIV.

AD RAINERIUM.

(Anno 1074.)

Decernit irrita esse quæcunque ab abbate Sancti Gaudentii gesta sunt. Quæ vero ipse Rainerius cum illo contraxit, diffinienda differt in nuntii sui adventum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Rainerio illustri viro salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam devotionem tuam ac fidem, sicut te decet, erga beatum Petrum jamdudum probavimus, et præmium te dignum tuis operibus te accepturum minime dubitamus, de servitio et justitia ejus tibi confidenter mandamus, sperantes nobilitatem tuam non solum se devotam præbere, sed etiam alios quos poterit ad obsequium perurgere. Quia igitur notum tibi credimus esse, charissime, quemadmodum abbatem (368) Sancti Gaudentii, sceleratum imo invasorem hæreticum, pro sua nequitia juste damnavimus, nunc tibi notificandum esse censemus quod omnia quæ ab ipso perditionis filio de rebus Ecclesiæ illicite, utpote ab hæretico, perpetrata sunt, vel alienata, canonica et legali auctoritate cassanda et penitus evacuanda esse decernimus. De his vero quæ tecum gessit iniquus, videlicet et ecclesiasticis cautionibus, tui respectu et charitate taliter diffinimus, ut cum venerit ad te nuntius noster, sapientes viros tecum habeas, qui Deum timeant, et te diligant quorum consilio causam discutias, et cum inveneris nulla ratione, sine periculo tuæ animæ et damnatione, res Sancti Gaudentii hujusmodi nefario pacto

(368) Quemadmodum Henricum.

te posse retinere, studeas eas pro amore sancti Petri ac nostro quantocius Ecclesiæ reddere, nec non ab aliis injuste retenta recuperare. Nuntios quoque nostros ad partes tuas venturos, sicut sancti Petri gratiam nostrumque beneficium habere desideras, ne desistas in omnibus adjuvare.

Data Romæ Idibus Decembris, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXV.

AD GUILIELMUM PAPIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1074.)

Arguit quod ad se vocatus non venerit. Præcipit ut accedat ad concilium, in quo ei datur locus defendendi conjugium sororis suæ cum Azone, quem illius consanguineum esse testes affirmabant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei GUILIELMO Papiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

B Licet contra nos id egisse videaris, ut nec etiam apostolicam benedictionem tibi mittere deberemus, scilicet, quia ad constitutum tibi terminum nec venisti, nec legalem excusationem misisti, malumus tamen de pietatis modestia reprehendi, quam canonum rigorem sequendo inobedientiam tuam acriter ulcisci. Quapropter apostolica tibi auctoritate præcipimus ut ad synodum, quam, Deo annuente, celebraturi sumus prima hebdomada Quadragesimæ, venias et de causa sororis tuæ respondeas. Licet enim clarissimum sit eam Guidonem marchionem consanguineum Azonis marchionis maritum habuisse, illud etiam sacramentis et testibus in præsentia nostra probatum sit, eamdem sororem tuam atque Azonem quartam propinquitatis lineam nondum excedere; dabimus tamen vobis audientiam in præfata synodo, quatenus si legalem defensionem vos habere confiditis et testimonia et sacramenta ante nos facta improbare poteritis, conjugium illorum permaneat. Alioquin, si hoc tunc facere non poteritis, vel a prædicta synodo vos subtraxeritis, nullam deinceps inde fieri quæstionem apostolica auctoritate inhibemus. Unde in sacramento, quo prædictum Azonem constrinximus, ita cauti fuimus, ut cum licentia nostra, si rationes vestræ idoneæ fuerint, ipse possit eam reducere atque in uxorem habere.

Data Romæ decimo septimo Kalendas Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXVI.

AD COMITISSAM MATHILDEM.

(Anno 1074.)

Præcipit ut a consortio Azonis se sejungat : quod si illum suum consanguineum non esse probare se posse confidat, in proximo concilio se ejus causam cogniturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MATHILDI, salutem et apostolicam benedictionem.

Qualiter testibus et sacramentis in præsentia nostra probatum sit, te habuisse virum consanguineum Azonis, te etiam et Azonem marchionem in quarta propinquitatis linea consanguineos esse, ipsi, qui eidem causæ interfuerunt, poterunt tibi referre.

A Unde quia Azonem marchionem sacramento constrinximus, nullam deinceps sine licentia nostra maritalem tecum conversationem habere, tibi etiam ex parte beati Petri præcipimus, ut a consortio et cohabitatione sua omnino te auferas, et de perpetrata iniquitate ita digne pœniteas, quatenus gratiam Dei valeas recuperare, et tanti tamque turpissimi incestus infamiam declinare. Quod si fortasse præjudicium te pati existimas, et testimonia atque sacramenta de consanguinitate vestra improbare posse confidis, damus tibi audientiam in proxima Romana synodo, ubi, Deo auxiliante, neque ad dexteram neque ad sinistram in exsecutione justitiæ declinabimus, sed quod justum est statuemus.

Data Romæ XVII Kal. Januarii, indictione XIII.

EPISTOLA XXXVII.

AD UNIVERSOS FIDELES.

(Anno 1074.)

Hortatur ad defensionem Christianorum, qui in transmarinis partibus ab infidelibus premebantur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus Sancti Petri, maxime [*deest* maxime] ultramontanis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad vos jam pervenisse credimus quæ sit nostra voluntas, et quid ex parte Sancti Petri diximus [direximus] de adjutorio faciendo fratribus nostris, qui ultra mare in Constantinopolitano imperio habitant, quos diabolus per se ipsum a fide catholica conatur avertere, et per membra sua non cessat quotidie pecudes enecare crudeliter. Sed quia invidet C bonis desideriis, tentat, si potest, nos impedire ne illi gratia divina largiente liberentur, et nos dando animas nostras pro fratribus nostris coronemur. Proinde ex parte beati Petri rogamus, monemus et invitamus ut eo modo, quem portitor horum dixerit, ad nos quidam vestrum veniant, qui Christianam fidem vultis defendere, et cœlesti regi militare, ut cum eis viam (favente Deo) præparemus omnibus qui cœlestem nobilitatem defendendo per nos ultra mare volunt transire, et quod Dei sunt filii, non timent ostendere. Itaque, fratres charissimi, estote ad pugnandum fortissimi pro laude illa et gloria, quæ omne desiderium superant, qui hactenus fortes fuistis pugnare pro rebus quas non potestis detinere, D nec sine dolore possidere. Nam per momentaneum (*II Cor.*, IV) laborem æternam potestis acquirere mercedem. Omnipotens Deus, qui omnem legem suam in præcepto abbreviavit charitatis, det vobis se toto corde, tota anima, tota virtute diligere, ut proximos vestros sicut vos ipsos diligentes mereamini, si oportuerit, pro eis animas vestras ponere.

Data Romæ XVII Kal. Januarii, indictione XIII.

EPISTOLA XXXVIII.

AD UBERTUM COMITEM, ET CLERUM FIRMANUM.

(Anno 1074.)

Ut auxilium præstent archidiacono, cui procurationem episcopatus Firmani commiserat, donec de idoneo pastore provideatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, UBERTO

comiti, et universo clero, populoque Firmano, in fidelitate Sancti Petri persistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam pleraque nobis de archidiacono vestro reprehensibilia relata fuerint, eo tamen in nostra præsentia posito, et diligenter super his quibus arguebatur inquisito, nihil nisi quod ad fidelem pertinere videbatur obedientiam in ipso deprehendere potuimus. Considerantes ergo necessitatem viduatæ Ecclesiæ, procurationem totius episcopatus interim ei commisimus, donec divina providente clementia, cum nostra sollicitudine, tum regis consilio, et dispensatione idonea ad regendam Ecclesiam et episcopalem dignitatem persona reperiatur. Quapropter admonemus vos, et apostolica auctoritate præcipimus ut unanimiter sibi ad hæc peragenda vestra consilia et adjutoria præbeatis, et ea quæ de bonis Ecclesiæ dispersa et confusa sunt recuperare et salubriter ordinare modis cum omnibus adjuvetis. Si quis vero contra præfatam Ecclesiam aliquid injuriose commisit, aut facere conatur, absque dilatione emendare et restituere studeat. Quod si qua temeritate neglexerit, sciat se ex apostolica auctoritate in bannum casurum esse, si dives est, centum librarum; sin vero de mediocribus, in detrimentum totius substantiæ suæ. Agite ergo ut appareat vos ingenuos et fideles esse vestræ matris Ecclesiæ filios, et omnia quæ ad honorem et utilitatem ejus pertinent, ita vestris studiis sub providentia archidiaconi strenue peragantur, ut omnipotentis Dei gratiam, et apostolicæ benedictionis salutem mereamini.

Data Romæ secundo [XI] Kalendas Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XXXIX.

AD DUCEM ET POPULUM VENETIARUM.

(Anno 1074.)

Testatur suam in eos dilectionem. Hortatur ut patriarchæ nimia egestate oppresso quæ sunt necessaria ad vitam tuendam pro decentia tantæ dignitatis suppeditent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DOMINICO duci, et populo Venetiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse credimus, non solum his qui nobiscum morati sunt, sed etiam plerisque vestrum, quod jam ab ineunte ætate terram vestram et libertatem hujus gentis valde dileximus, atque ob id nonnullorum principum et nobilium personarum inimicitias sustinuimus. Postquam vero apostolici regiminis onus et officium, licet indigni, suscepimus, tanto ferventius in dilectione vestra noster exarsit affectus, quanto per generalis curæ debitum in administrationem vestræ salutis sollicitius astricti sumus. Quapropter litteras ad vos direximus, ut nobilitatem vestram ad respiciendum decus et sublimitatem antiquæ dignitatis suæ excitare possimus, ne ex longa, quod absit, negligentia dilapsum honorem gemat, quem adhuc stantem, dum potest, colere et servare non laborat. Scitis enim quoniam præ multis terrarum partibus divina dispensatio terram vestram patriarchatus honore sublimavit, cujus dignitatis eminentia ex ipsa sui nominis et officii prærogativa adeo angusta et rara est, ut non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur. Quod cum ita sit apud vos tamen hoc tantum decus, et tam excelsi gloria sacerdotii ex inopia rerum temporalium et diminutione potestatis suæ adeo vilescit, et a competenti statu honoris sui penitus corruit, ut tanta tenuitas rerum nec simplicem episcopatus sedem condecere, aut ejus necessitatibus sufficere posse videatur. Unde vos tanti beneficii divinæ munificentiæ ingratos et immemores esse deprehendimus, timentes ne quasi degeneres filii divitias et hæreditatem nobilissimæ matris vestræ, videlicet Gradensis Ecclesiæ, dissipantes, inde obscuriores efficiamini, unde post apostolicam sedem omnibus quæ sunt in Occidente gentibus clariores exstitistis. Nos equidem meminimus Dominicum patriarcham beatæ memoriæ antecessorem hujus propter nimiam egestatem locum deserere voluisse : et hic quidem pari necessitate dicit se circumventum esse. Quapropter, sicut charissimos filios, vos admonemus ut memores pristinæ nobilitatis et gloriæ collatum vobis honorem, et apostolicæ sedis erga vos benevolentiam ulterius non negligatis, sed convenientes in unum qualiter antesignati patriarchatus dignitatem debita cum veneratione et rerum temporalium amplificationem sustentetis, et cum Dei adjutorio ad culmen suæ celsitudinis relevetis, communi consilio pertractetis. Indicavit quidem nobis hic confrater noster patriarcha, te ducem, et plerosque vestrum quam optimam super hac re habere voluntatem : propter quod et fiducialius ad explendum opus boni propositi vestram exhortari incipimus dilectionem. Quidquid igitur inde inter vos consultum et constitutum fuerit, nobis per litteras aut certo nuntio quantocius renuntiate; quoniam si pro gloria et nobilitate, tam vestri quam præfati loci et sacerdotii, aliquid statueritis, ut æquum est pro meritis vestris gratulabimur; sin vero aliqua minus honesta vos occasio retraxerit, procul dubio tanti ministerii nomen inter vos vilescere, et debito honore privari non patiemur.

Data Romæ secundo Kalendas Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XL.

AD UNIVERSOS FIDELES.

(Anno 1074.)

Ut legatos suos congruo honore recipiant, eisque obedientiam præstent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus Sancti Petri fidelibus ad quos portitores præsentium venerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis est quod succrescente nequitia, et diabolica fraude usquequaque invalescente, multorum jam charitas friguit, et totius religionis studium in sancta Ecclesia pene defecerit. Sed quia impossibile est nostram in tot et tam diversas sollicitudines

præsentiam exhiberi, misimus ad vos dilectos sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios, videlicet Gepizonem [Geizonem *et sic ubique*] abbatem Sancti Bonifacii, et Maurum abbatem Sancti Sabbæ, per quos et nostra vobis repræsentetur auctoritas, et nostra vice ea quæ ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ pertinent cum Dei adjutorio studiosa procuratione peragantur. Vos igitur memores divini per Evangelium dicti : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x), eos, sicut de nostra amicitia, imo de gratia Sancti Petri cujus nuntii sunt, curam habetis, debita cum veneratione et charitate recipiatis; et in omnibus quæ vel causa legationis eorum, vel fatigationis necessitas postulaverit, fidelem illis obedientiam et consensum præbeatis. Præterea si contigerit eos ex considerata et competenti necessitate negotiorum dividi, et separatim in diversas partes proficisci, ad quoscunque alter eorum venerit, eum sicut nos audiatis, et quod nostræ deberetis præsentiæ in eo ostendere et exsequi non dubitetis.

Data Romæ, quarto Nonas Januarii, indictione decima tertia, anno Christi 1075.

EPISTOLA XLI.

AD FERETRANOS ET EUGUBINOS.

(Anno 1075.)

Significat se legatos ea de causa misisse, ut dent operam ut idoneus pastor in eorum Ecclesia eligatur. Monet ut eis obedientiam exhibeant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Feretrano, atque clero et populo Eugubino, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex quo Ecclesiam vestram pastore viduatam esse cognovimus, multa pro vobis sollicitudine anxii fuimus, et quanquam multa et gravia nos negotia occupent, ea tamen cura qualiter divina misericordia dignum vobis patrem provideat nostro cordi indesinenter adhæret, atque eo magis hac de causa sollicitamur, et attentius Deo preces effundimus, quoniam in retroactis temporibus non sat vigilantem vobis pastorem præfuisse cognoscimus. Quapropter misimus ad vos hos religiosos sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios videlicet abbatem Sancti Sabbæ, et abbatem Sancti Bonifacii, ut si forte in Ecclesia vestra talis persona, quæ huic regimini congrua sit, reperiatur, diligenter inquirant, et eam, sicut dignum est, vestra electione collaudatam et canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantocius præsentare studeant. Sin vero inter vos talis reperiri non possit, ipsi cum omni diligentia et sollicitudine aliunde aliquem, qui vobis secundum Deum præesse possit, invenire procurent, et ad suscipiendam episcopalis officii ordinationem ad nos sine mora transmittant. Vos igitur in omnibus eis credite et obedite, scientes eos in hac re, custodiente Deo, nihil nisi vestram salutem et Ecclesiæ vestræ honorem attendere. Præterea quidquid thesauri vel ornamenti in Ecclesia vestra habetur, illorum oculis præsentate; quatenus ex eorum providentia et commendatione in tali custodia relinquatur, ut nec Ecclesia detrimentum sentiat, nec in aliquem vestrum aliqua suspicionis infamia cadat.

Data Romæ, quarto Nonas Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLII.

AD GUIBERTUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

(Anno 1075.)

Ad synodum vocat in proxima Quadragesima ex more habendam.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Guiberto Ravennati archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Coram oculis habes, frater charissime, et quasi palpare manibus potes miserabilem sanctæ Ecclesiæ perturbationem, et jam per longa tempora inimicorum et impugnatorum ejus insensatam et omnino irrefrenatam præsumptionem. Contra quos, quoniam nos qui in sortem ministerii sacerdotalis, et regnum Dei electi sumus, omni cura et studio surgere et pugnare convenit, sicut jam per aliquot annos in apostolica sede fieri consuevit in prima hebdomada Quadragesimæ synodum, Deo annuente, celebrare disposuimus : ad quam fraternitatem tuam singulari admonitione, et multo charitatis affatu, postposita omni negligentia, venire rogamus et invitamus, quatenus tua aliorumque fratrum nostrorum annitente prudentia, et spirituali tam fortitudine quam sapientia impii a suis conatibus arceantur, et Christiana religio in ea qua primum fundata est libertate et pace roboretur.

Data Romæ, secundo Nonas Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLIII.

* AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Ut recipiat a subditis ea quæ Ecclesiæ restituere volunt, eosque absolvat, fide accepta ad synodum veniendi.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Hugoni, in Burgundia Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Videtur nobis ut quod filii Ecclesiæ tuæ de rebus ecclesiasticis volunt tibi reddere recipias, eosque absolvas tali tenore, ut data fide quidam illorum promittant tecum venire ad nos Romam, videlicet, Deo auctore, ad synodum celebrandam, ut illic quod nobis ratum visum fuerit peragant. Melius enim nobis placet ut pro pietate interdum reprehendaris, quam pro nimia severitate in odium Ecclesiæ tuæ venias. Debes quidem filios tuos quia rudes sunt et indocti conspicere, et ad meliora paulatim provocare, quia nemo repente fit summus et alta ædificia paulatim ædificantur.

Data Romæ, Nonis Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLIV.

AD JUDITH HUNGARORUM REGINAM.

(Anno 1075.)

Plures recenset causas sinceræ erga eum dilectionis. Consolatur ipsam, et ad patientiam hortatur. De-

mum se omnia quæ ad ejus honorem et salutem pertinent libenter curaturum asserit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, JUDITH (369) Hungarorum reginæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Multæ ac diversæ causæ sunt, propter quas intimo et sincero cordis affectu te diligimus. Primo, quoniam ex universalitate suscepti regiminis omnibus qui in Christo sunt debitores sumus. Deinde quoniam clarissimus imperator Henricus pater tuus, et Agnes mater tua jam nunc non humanitus, sed Dei misericordia cœlitus imperatrix Augusta, ex quo me cognoverunt, pro sua magnitudine honorifice et præ cæteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiis charitative habuerunt, et maxime quia nunc eadem mater et domina tua, postpositis sæcularibus causis et honoribus, apostolorum limina tota devotione et veneratione complectitur : ex cujus quidem præsentia inter hujus sæculi nequam perturbationes sæpe nobis accepta solatia conferuntur. Præterea multum te commendat nobis tua præclara et inclyta fama, quod in tam tenera ætate inter asperam et incognitam gentem generis tui gloriam decorasti : quippe quæ in excelso nata imperio nihil in actibus et in habitudine tua nisi decus imperiale hactenus demonstrasti. His, inquam, de causis nos, quibus fallere quemquam nefas est, in loco germanæ sororis te diligimus, et, si quid orationes nostræ apud Deum valent, non infructuosam erga te nostram fore amicitiam in Dei pietate confidimus. Scias etiam quod de tribulationibus et angustiis, quas te sustinere cognovimus, valde dolemus, et divinam clementiam pro quiete et lætitia tua frequenter et suppliciter imploramus. Et si quando locus aut tempus opportunitatem dederit, temporalibus quoque subsidiis te honorare quammaxime cupimus. Cæterum ea quæ nunc tibi instat adversitas non te terreat, nec mentem tuæ generositatis deprimat; sed, si quid mœstum aut grave ingruerit, vultu regalis constantiæ gestuque dissimula, et molestas, quas Deus avertat, causas naturali morum tuorum virtute patienter tolera. Fiduciam et spem firmam habens in Deo Salvatore nostro, quoniam ipsi cura est de te, qui nunquam derelinquit sperantes in se (*Judith.* XIII) : et quanto nunc animum tuum sollicitudinibus verberari sinit acerbius, tanto eum ex vicina et potenti virtute consolationis suæ lætificabit uberius. Ipse enim nihil sine causa præcipit, nihil sine ratione permittit, qui regum et imperatorum omniumque causarum æquus arbiter et moderator existit. Verum inter omnia te id agere et studere monemus, ut præclarum nomen vitæ ac nobilitatis tuæ ab ineunte ætate nactum in dies amplificetur et crescat, quoniam integritas famæ licet præ cunctis terrarum opibus corona sit nobilium et gnobilium, tanto tamen unicuique plus ornamenti et gloriæ tribuit, quanto eum eminentia generis altius extollit. Illi enim sua humilitate teguntur, isti vero innata sibi celsitudine produntur. Age ergo ut omnibus quæ regnum fert et imperium tanto te excellentiorem ostendas, quanto ea omnia mutari cognoscis. Tuam vero naturam et imperiale germen, quod te est, nullis successibus nullisve adversitatibus mutari posse proponas. De cætero quod nos matrem tuam de causa tua compellare rogasti, pro certo scias, nos omnia quæ ad honorem et salutem tuam pertinent et consulendo libenter ei intimare, et persuadendo ut fiant apostolica benigne adjutoria exhibere. Deus autem omnipotens qui est mœstorum consolatio, infirmantium fortitudo, præsentem vobis lætitiam cito conferat, et veram æternamque gloriam supernæ felicitatis tribuat.

Data Romæ, quarto Idus Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLV.

AD RODULPHUM SUEVIÆ, ET BERTULPHUM CARENTANUM, DUCES.

(Anno 1075.)

Invehitur in episcopos, qui inobedientes erant in exsequendis apostolicæ sedis decretis de Simoniacis et fornicariis clericis : quare duces monet ut, quoscunque Simoniacos aut fornicarios cognoverint, nullatenus recipiant : Rodulphum vero hortatur, ut pretium quod beneficiorum causa a clericis acceperat in pios usus eroget.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULPHO duci Sueviæ, atque Bertulpho (370) duci Carentano, salutem et apostolicam benedictionem.

Scimus quoniam prudentia vestra miserabilem Christianæ religionis desolationem perspicaci mente perpendit, quæ pro peccatis nostris in ea nunc extremitate est posita, ut infeliciora tempora nemo viventium viderit, nec a tempore beati Silvestri Patris nostri scripturarum traditione repererit. Verum hujus tanti mali nos caput et causa sumus, qui ad regendum populum prælati, et pro lucrandis animabus episcopi vocati et constituti sumus. Ab eorum namque principatibus, velut a quibusdam initiis subditorum bona vel mala veniunt, qui, aut mundanas dignitates, aut magisterium spirituale susceperunt, qui dum nihil aliud nisi gloriam et voluptates sæculi quærunt sine sua et populi confusione vivere nequeunt; quoniam in malefactis prava sectantes desideria, et suæ auctoritatis jura per culpam ligant, et aliis peccandi per exemplum frena relaxant. Neque enim per ignorantiam aut improvidi delinquunt, sed presumptuosa obstinatione Spiritui sancto resistentes, divinas quas cognoverunt leges abjiciunt, et apostolica decreta contemnunt. Sciunt namque archiepiscopi et episcopi terræ vestræ, quod et omnibus fidelibus notum esse debet, quoniam in sacris canonibus prohibitum est ut hi qui per Simoniacam hæresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius

(369) De Judith Salomonis Hungarorum regis uxore Lambertus anno 1061 et 1063.

(370) Alias *Bertholdo*, ut apud Lambertum anno 1073; et alibi Bertarito.

ministrandi locum habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, missas celebrare, aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Quæ cum eos sancta et apostolica mater Ecclesia jam a tempore beati Leonis papæ sæpe in conciliis tum per legatos, tum per epistolas in se et commissas sibi plebes, utpote ab antiquioribus neglecte renovare et observare commonuerit, rogaverit, et accepta per Petrum auctoritate jusserit; adhuc tamen inobedientes (exceptis perpaucis) tam exsecrandam consuetudinem nulla studuerunt prohibitione decidere, nulla districtione punire, non attendentes quod scriptum est, *quia ariolandi peccatum est repugnare*, *et quasi crimen idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Cum igitur illis apostolica, imo sancti Spiritus mandata spernentibus, et scelera subditorum criminosa foventibus patientia, divina ministeria indigne tractari, populum seduci intelligimus, alio quolibet modo contra hæc vigilare nos convenit, quibus cura Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim melius nobis videtur justitiam Dei vel novis reædificare consiliis, quam animas hominum una cum legibus deperire neglectis. Quapropter ad te et ad omnes de quorum fide et devotione confidimus nunc convertimur, rogantes vos, et apostolica auctoritate admonentes ut quidquid episcopi dehinc loquantur aut taceant, vos officium eorum quos aut Simoniace promotos et ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis : et hæc eadem adstricti per obedientiam tam in curia regis, quam per alia loca et conventus regni notificantes ac persuadentes, quantum potestis, tales sacrosanctis deservire mysteriis, etiam vi, si oportuerit, prohibeatis. Si qui autem contra vos quasi istud officii vestri non esse aliquid garrire incipiant, hoc illis respondete : Ut vestram et populi salutem non impedientes de injuncta vobis obedientia ad nos nobiscum disputaturi veniant. Quia vero, te, Rodulphe, dico ducem et charissimum sancti Petri filium, ad religionis spiritum desideranter anhelare confidimus, unde nos consuluisti, quidquid nobis perfectius visum est, ad correctionem tuam tibi intimamus, ut quantumcunque pretii te pro disponendis in Ecclesia clericis accepisse recordaris, aut in utilitates ejusdem Ecclesiæ, si attinere ei videtur, aut in usus pauperum expendas, ut nulla in te reprehensibilitatis macula remanente inter electos regni cœlestis cives ascribi merearis.

Data Romæ, tertio [XIII] Idus Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLVI.

AD GEPITIUM ET MAUREM ABBATES.

(Anno 1075.)

Mandat ut restituenda curent bona Ecclesiæ Pisaurensis a suo episcopo incaute alienata, et litem inter episcopum et alios definiant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEPITIO abbati sancti Bonifacii, et Mauro abbati Sancti Sabbæ, in legatione Marchiæ constitutis, salutem et apostolicam benedictionem,

Mandamus vobis ut diligenter conveniatis homines illos, quibus Michael Pisaurensis episcopus Ecclesiæ suæ bona incaute tribuit, eisque auctoritate apostolica omnia Ecclesiæ et episcopo restituere præcipiatis, atque prout oportuerit cogatis : et insuper episcopum, si inobedientes fuerint, ex parte Sancti Petri et nostra corporaliter sub banno investire palam studeatis, eosque gratiam Sancti Petri et nostram amissuros si rebelles exstiterint, aperte insinuetis. Episcopos quoque, et comites, cunctosque Sancti Petri fideles firmiter præcipientes rogate, quatenus episcopo Pisaurensi ad eos expugnandos spirituali et sæculari auxilio, prout necesse fuerit, fideliter subveniant : maxime eos qui pretio recepto terram adhuc violenter et superbe retinere non verentur, præ cæteris acerrime corrigatis et bona Ecclesiæ episcopo intromittentes restituatis. Omnes etiam lites inter episcopum et adversarios ejus ad utilitatem Sanctæ Mariæ Pisaurensis Ecclesiæ definire procuretis, nullius negligentiæ interveniente incuria.

Data Romæ, Idibus Januarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA XLVII.

AD RAINERIUM, etc.

(Anno 1075.)

Nuntiat se præcepisse Clusino episcopo, qui Guidonem multis criminibus irretitum, et ab Alexandro pontifice prædecessore suo a quadam præpositura expulsum, restituerat, ut eo amoto alium in ejus locum substitueret. Jubet ne dicto Guidoni ad retinendam præposituram auxilio sint.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RAINERIO filio Ugizonis (Uguccionis, *et sic alibi*), atque RAINERIO filio Bulgarelli uxori quoque Peponis donnæ Guillæ, filiis etiam comitis Ardingi, omnibusque in Clusino comitatu commorantibus, tam majoribus quam minoribus Christi Sanctique Petri fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Constat vobis fieri notissimum Guidonem Ecclesiæ Christi martyris et virginis Mustiolæ perjurium multipliciter incurrisse, nec non et fornicationem publice, adulterii quoque crimen sustinuisse, satisfactionem denique exhibere omnimodo devitasse. Qua de re a felicis memoriæ domno Alexandro nostro prædecessore, et a prælatione ejusdem Ecclesiæ irrevocabiliter esse expulsum, ac pro contumacia inobedientiæ, si unquam ulterius ad eamdem præsumpsisset aspirare præposituram, perpetuo anathemati subditum. Quia vero confrater noster Lanfrancus Clusinus episcopus quorumdam suorum fidelium quæ carnis sunt sapientium consilio fretus, eumdem Guidonem tentavit eidem canonice iterum præponere contra Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, contraque omnium familiarium tam clericorum quam laicorum, unanimem conspirationem, eumdem subjicimus episcopum satisfactioni dignæ pœnitentiæ, eo scilicet tenore, quo nominatum Guido-

nem a nobis publice excommunicatum, et a præpositura et claustrali communione dejiciat, alterumque loco ejus secundum Deum substituat. Vos ergo, dilectissimi filii, si Deum vultis habere propitium, sanctumque Petrum peccatis vestris ferre subsidium, cavete omnino ne præfato sacrilego Guidoni aliquod contra Deum nostrumque judicium ad retinendam præposituram, vel aliquod de rebus Sanctæ Mustiolæ præbeatis auxilium sive consilium. Procul dubio enim, si (quod absit a vestra nobilitate!) auxiliari sibi quocunque modo tentaveritis, et ea quæ de bonis ecclesiæ amicis suis dedit pro retinenda præpositura retineri feceritis, excommunicationis ejus participes eritis. Si vero, ut decet Christianos viros, operam studebitis dare, eo expulso, ecclesiam Dei matremque utique vestram ad pristinum statum revocare, inter sanctos Dei in superno regno incorruptibilem possidebitis hæreditatem, adepti peccatorum indulgentiam per ineffabilem Dei clementiam.

Data Romæ, Idibus Januarii, ind. XIII.

EPISTOLA XLVIII.

AD GEPITIUM ET MAURUM ABBATES.

(Anno 1075.)

Ut moneant quemdam fratricidam, qui ante peractam pœnitentiam aliam uxorem contendebat ducere, ne id faciat; sed auditurus quæ suæ salutis sunt ad se veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEPITIO abbati Sancti Bonifacii, et MAURO abbati Sancti Sabbæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis est quod Rainerius, Ugizonis quondam filius, diabolico instinctu fratrem suum interfecit; unde digne pœnitentiæ nondum se subdidit, nec perfecte pœnituit; sed immemor tanti facinoris et promissionis defensionum ecclesiasticarum, quam in suscipiendo fictam pœnitentiam fecit necnon et pauperum Christi, animæ suæ salutem oblivioni tradens, aliam studet uxorem ducere. Ideoque vestram fraternitatem sollicitam esse volumus quatenus eum conveniatis et modis quibus potestis, illum moneatis dulciter et aspere, quantum opus fuerit et vobis necessarium videbitur, ut nullo modo id facere præsumat, sed nos adeat ad audiendum ea quæ sibi de salute sua dicere debemus. Si forte (quod non optamus) vos audire et nobis obedire renuerit, omni modo certum illum reddite quod nos, Deo adjuvante, D quidquid justum et canonicum visum fuerit facere non negligemus.

Data Romæ, decimo septimo Kalendas Februarii indictione decima tertia.

EPISTOLA XLIX.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1075.)

Deplorat suum et Ecclesiæ miserrimum statum; unde rationem pro se ad Deum effundi petit, vultque abbatem ad comprimendam impiorum sævitiam exhortari omnes fideles.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HU- A GONI (371) Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Si posset fieri, optarem te pleniter scire quanta tribulatio me angustat, quantusque labor quotidie innovatus fatigat, et accrescens valde perturbat, ut secundum tribulationes cordis mei fraterna compassio mihi te flecteret, et in profusione lacrymarum coram Domino cor tuum effunderet, ut pauper Jesus [*lege*, pauperi Jesus H.], per quem omnia facta sunt, et qui omnia regit, manum porrigeret, et solita pietate miserum liberaret. Ego enim sæpe illum rogavi, prout ipse dedit, ut aut me de præsenti vita tolleret, aut matri communi per me prodesset, et tamen de magna tribulatione adhuc non eripuit, neque vita mea prædictæ matri, cujus me catenis B alligavit, ut sperabam, profuit. Circumvallat enim me dolor immanis, et tristitia universalis, quia orientalis Ecclesia instinctu diaboli a catholica fide deficit, et per sua membra ipse antiquus hostis Christianos passim occidit, ut quos caput spiritualiter interficit, ejus membra carnaliter puniant, ne quando divina gratia resipiscant. Iterum cum mentis intuitu partes occidentis, sive meridiei, aut septentrionis video vix legales episcopos introitu et vita, qui Christianum populum Christi amore, et non sæculari ambitione regant, invenio, et inter omnes sæculares principes, qui præponant Dei honorem suo, et justitiam lucro, non cognosco. Eos autem inter quos habito, Romanos videlicet, Longobardos et Normannos, sicut sæpe illis dico, Judæis C et paganis quodammodo pejores esse redarguo. Ad meipsum cum redeo, ita me gravatum propriæ actionis pondere invenio ut nulla remaneat spes salutis, nisi de sola misericordia Christi. Nam si non sperarem ad meliorem vitam, et utilitatem sanctæ Ecclesiæ venire, nullo modo Romæ, in qua coactus, Deo teste, jam a viginti annis inhabitavi, remanerem. Unde fit ut inter dolorem qui quotidie in me renovatur, et spem quæ nimis, heu, protenditur, mille quassatus tempestatibus quoquomodo moriens vivo. Et eum qui me suis alligavit vinculis et Romam invitum reduxit illicque mille angustiis præcinxit, exspecto. Cui frequenter dico: Festina, ne tardaveris; accelera, ne moreris, meque libera amore beatæ Mariæ ac sancti Petri. Sed quia non est pretiosa laus, neque sancta oratio cito impetrans in ore peccatoris, cujus est vita laudabilis, et actio sæcularis, precor, exoro, rogo, ut eos qui merentur audiri pro vitæ meritis, vigilanti cura rogites, ut pro me Deum exorent ea charitate eaque dilectione, qua debent universalem diligere matrem. Et quia utraque manu debemus uti pro dextera ad comprimendam impiorum sævitiam, oportet nos, quando quidem non est princeps qui talia curet, religiosorum tueri vitam, fraterna te monemus charitate, ut, in quantum potes, vigilanti studio manum præbeas, eos monendo, rogando, exhortando, qui beatum Petrum diligunt

(371) *Deest* Hugoni.

ut si vere illius volunt esse filii et milites, non habeant illo chariores sæculares principes, quia illi misera et transitoria vix tribuunt, iste vero beata et æterna a cunctis peccatis solvendo promittit, et in cœlestem patriam potestate sibi tradita perducit. Volo quidem luce clarius intelligere, qui revera sint illi fideles, et qui eumdem cœlestem Principem non minus pro cœlesti gloria diligunt quam eos quibus pro spe terrena, et misera subjiciuntur.

Data Romæ, undecimo Kalendas Februarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA L.

AD SANCIUM REGEM ARAGONIÆ.

(Anno 1075.)

Censet absurdum esse ut is qui ex illegitimo concubitu natus erat, ad episcopatus gradum, ad quem ab eo postulabatur, ascenderet. Ait se dedisse negotium episcopo, qui morbi causa episcopatu se abdicare volebat, ut constitueret sibi hujusmodi coadjutorem, qui illius episcopatus post ejus obitum administrationem suscipere posset.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sancio regi Hispaniarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam erga reverentiam sanctæ et apostolicæ sedis regiam nobilitatem tuam pia devotione et amore fervere intelligimus, te et regnum tuum dignis honoribus sublimari cupimus, et apostolicam benevolentiam non solum in nostro, verum etiam in quocunque tempore tibi et causis tuis sinceræ charitatis affectum præbere desideramus. Cæterum, quod nos de causa Aragonensis episcopatus et consuluisti, et te quodammodo velle significasti, diu et multum volentes, et cum filiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertractantes, incongruum fore pervidimus quoniam in eo canonica decreta nobis obviare cognovimus. Veniens enim ad nos, sicut nosti, confrater noster Sancius Aragonensis episcopus, multa nobis de infirmitate corporis sui conquerens, deserendi episcopatum a nobis suppliciter licentiam postulavit, quod enim morbo confectus et pene consumptus diutius competenti ministerio regere et custodire non possit. Atque ut facilius hoc impetraret, indicavit nobis de duobus clericis, quorum alterum in episcopatum eligi tuam et sui ipsius voluntatem atque consilium fore nuntiavit; de quorum vita et conversatione eum interrogantes, alia omnia, præter quod de concubinis nati erant, bona satis et honesta accepimus. Et quia venerandi canones ad sacerdotii gradum tale provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quidquam a nobis contrarium sanctis patribus in exemplum et auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta et apostolica sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis et constitutionibus a concordia canonicæ traditionis discedere. Quapropter noverit dilectio tua nos ita consuluisse et præcepisse episcopo, ut ipse, quantum possit, episcopali officio in spiritualibus insistens, et auxilia comprovincialium A episcoporum petens, ad peragendas exteriores et interiores curas talem clericum in Ecclesia constituat qui ad tantam procurationem providus, et, si res postularet, ad percipiendam episcopalis officii dignitatem et ordinem sit idoneus. Quo per annum unum aut amplius in Ecclesia consistente, si divina clementia interim episcopo vires corporis et sanitatem reddiderit, sicut justum est, ipse in loco suo super Dominicum gregem vigilans consistat; si vero infirmitas et debilitas corporis sui adaucta fuerit, et administrationem commissæ sibi curæ nequaquam exsequi poterit, tunc demum, si illius vita, mores, et disciplina probabilis fuerit apostolicæ sedi ejus tuis et episcopi litteris, nec non sub testimonio cleri ejusdem Ecclesiæ denuntietur, et de ordinatione Ec- B clesiæ deliberato consilio certa vobis et salubris, annuente Deo responsio dabitur. Verum hæc nequaquam tam absolute diximus, nisi quod episcopo se excusanti, et impedimentum suæ infirmitatis proponenti, fraternæ compassionis auditum denegare non potuimus. Hæc igitur, dilecte fili, prudenter considera, et ad observanda nostra monita episcopum, quantum potes, adjuva, quatenus et tu a beato Petro apostolorum principe ad regendum tibi commissum populum adjuvari, ejusque meritis a peccatorum tuorum vinculis absolutus æternæ beatitudinis gloria in regno Christi et Dei merearis perfrui.

Data Romæ, octavo [IX] Kalendas Februarii, indictione decima tertia.

C

EPISTOLA LI.

AD SUENUM REGEM DANORUM.

(Anno 1075.)

Queritur quod ad se non scripserit. Hortatur ad rectam regni administrationem. Significat legatos ad eum missos ea de causa, ut satisfacerent de his quæ ab Alexandro pontifice petierat ob Germaniæ perturbationem esse reversos. Quare petit ab ipso ut nuntios ad se mittat, et filium suum apostolica sedis ducem contra quosdam hæreticos constituat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sueno (372) regi Danorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum adhuc in ordine diaconatus eramus, sæpe dilectionis tuæ litteras et legatos accepimus, in quibus magnificentiæ tuæ promptum erga nos animum D fore intelleximus. Postquam vero, quod digni non sumus, ad locum altioris curæ ministeriique pervenimus, amorem tuum in subtracta visitatione tepuisse deprehendimus, qui scriptis tuis tandiu carere nescio cur meruimus. Nos equidem jam nunc non solummodo regum et principum, sed omnium Christianorum, tanto propensior sollicitudo coarctat quanto ex universali regimine, quod nobis commissum est, omnium ad nos causa vicinius ac magis proprie spectat. Verum quia eminentiam tuæ nobilitatis præ cæteris regnorum principibus tam peritia litterarum quam studio ecclesiasticæ exhortationis, pollere intelleximus multo fiducialius ad te

(372) Suenonis regis Danorum mentionem facit Lambertus anno 1073.

scripta nostra dirigimus, existimantes in te tanto facilius lucrifacere quanto in eruditione et prudentia morum amplius dignosceris profecisse. Rogamus igitur, et sincera te charitate monemus ut commissa tibi regni gubernacula, secundum Deum administrare studeas, et nomen regalis excellentiæ congrua ac consonanti virtutum proprietate geras, quatenus eam, per cujus principatum subjectis imperas, in corde tuo semper regnare justitiam ostendas. Nosti enim quod gloria et vana hujus mundi delectatio labilis est et deceptoria; nosti quod universa caro ad finem quotidie properat, quod nec volenti aut nolenti mortis necessitas pareat [*forte,* parcat. Hard. paret]. Nosti quod reges æqua conditione ut pauperes futuri sunt pulvis et cinis, et quod omnes ad districtum judicium futuri examinis venturi sumus; quod nunc non solum nobis qui sacerdotes sumus, sed et regibus cæterisque principibus tanto concussius timendum et expavendum est, quanto pro nobis et subditis nostris rationem posituri sumus. Age ergo, dilectissime, ut ita vivas, ita regnes ut tunc æterni Regis et Judicis faciem securus aspicias, et pro bene gesta terrenæ dignitatis gloria cœlesti regni sublimem et incomparabilem coronam, Deo donante, recipias. De cætero notum sit tibi quod legatos ad te destinavimus, qui super his quæ pro honorificentia regni tui, tum de metropolitana sede, tum de quibusdam aliis rebus, quas in tempore domini nostri Alexandri papæ ab apostolica sede et postulasti et invicem promisisti, tibi responsuri ac tecum acturi essent; sed propter perturbationem Teutonicæ terræ periculosum tunc fore cognoscentes ad nos reversi sunt. Quapropter si qua de his tibi cordi sunt, et si te ac regnum tuum, sicut per legatos tuos aliquoties accepimus, apostolorum principi pia devotione committere, et ejus auctoritate fulciri volueris, fideles nuntios ad nos sine dilatione transmittere stude quatenus per eos tuam in omnibus edocti voluntatem, deliberato consilio, quid tibi respondendum quidque super his omnibus agendum sit perspicere ac providere valeamus. Præterea si sancta Romana mater Ecclesia contra profanos et inimicos Dei tuo auxilio in militibus et materiali gladio opus habuerit, quæ spes nobis de te habenda sit, itidem tua certa legatione cognoscere cupimus. Est etiam non longe a nobis provincia quædam opulentissima juxta mare, quam viles et ignavi tenent hæretici, in qua unum de filiis tuis, si eum, sicut quidam episcopus terræ tuæ in animo tibi fore nuntiavit, apostolicæ aulæ militandum dares cum aliquanta multitudine eorum qui sibi fidi milites essent, ducem ac principem et defensorem Christianitatis fieri optamus.

Data Romæ, octavo Kalendas Februarii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LII.

AD LEURALDUM [EURARDUM] CLERICUM AURELIANENSEM.

(Anno 1075.)

Increpat de injuriis Aurelianensibus clericis illatis. Jubet eum ad se una cum ipsis clericis decidendæ eorum controversiæ causa præstituta die venire; interim nullam ipsis molestiam inferre, et clericum quem captivum tenebat dimittere. Minatur se excommunicationem a suo prædecessore in eum latam confirmaturum, si non obtemperet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Leuraldo [Euraldo. *Mutin.*, Cunirardo] Aurelianensi clerico.

Admiranda res est et valde detestabilis quod adeo induratum cor habes, et in tanta ferocitate persistis ut a persecutione fratrum Aurelianensis Ecclesiæ, unde pro culpis tuis te separatum audivimus, nec divini terrore judicii, nec apostolicæ animadversionis jam experta ultione manu retrahere velis. Meminimus enim dominum et antecessorem nostrum, venerandæ memoriæ Alexandrum papam, pro compescendo furore et nefandis temeritatis tuæ ausibus, anathematis in te jaculum contorsisse, et, ne ulterius perturbationem aliquam supradictis fratribus inferres, aut de honoribus et ecclesiasticis officiis, quæ contra regulas et auctoritatem canonum acquisieras, te intromitteres, apostolicis jussionibus interdixisse. Contra quæ, quamvis audaciam tuam iterum se erexisse non dubia relatione multorum fratrum cognoverimus, apostolica tamen adhuc utentes mansuetudine debitæ ultionis gladium exercere [*forte,* exserere, Hard.], interim parcimus, donec si ad humilitatem præmissis admonitionibus flecti possis comprobemus, reservantes tibi adhuc in omnibus, de quibus accusaris, apostolicam audientiam, et defensionis locum, si modo tua te non retrahit conscientia. Apostolica igitur tibi auctoritate præcipimus ut in proximam festivitatem omnium Sanctorum in nostram præsentiam venias, et adventum tuum Aurelianensibus clericis, quibus adversum te causa est, ut et ipsi præsentes fiant, sine simulatione notifices, quatenus, ex utraque parte dissensionis vestræ causis et occasionibus diligenter inquisitis et cognitis, litem vestram æquo fine decidere, Deo opitulante, possimus. Interim vero clericum, quem in captione tenes, absque omni suæ personæ et bonorum suorum detrimento dimittas, nullam penitus contrarietatem canonicis præfatæ ecclesiæ aut per te facias, aut ab aliquo tuorum fieri permittas. Quod si te nulla justitia fultum nobis repræsentare minime ausus fueris aut volueris, et perdurans in malitia tua sæpe dictis fratribus damna vel molestias aliquas amplius inferre præsumpseris, aut illata mala, quantum potes, emendare et restituere non studueris, eamdem quam præfatus antecessor noster excommunicationis in te sententiam protulit, nostra apostolica auctoritate confirmatam esse cognoscas, et non solum te, qui tantæ præsumptionis dux et auctor es, sed omnes, qui in rapina et deprædatione bonorum Ecclesiæ vel infestatione clericorum aliquo modo consilium vel adjutorium sive consensum tibi dederint, pari anathematis judicio condemnatos esse scias.

Data Romæ in synodo secunda, Kalendis Martii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LIII.

(Anno 1075.)

Concordiam super controversia inter Moravensem et Pragensem episcopos de quisbusdam bonis a se in concilio ambarum partium assensu compositam exponit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei.

Quoniam ad memoriam semperque dilucidandam causarum negotiorumque veritatem nihil aptius, nihil durabilius quam Scripturarum paginas æstimamus, qualiter lis et discordia, quæ inter confratres nostros, videlicet Joannem Moravensem episcopum, et Geboardum [Hieronymum; *alias* Gebeardum] Pragensem, de quibusdam decimis et curtibus diu protracta est, tandem per pactionis convenientiam in apostolica sede determinata sit, per litteras nostras non modo præsentibus, sed et futuris, notum fieri volumus. Hæc enim causa, cum in secundo nostri pontificatus anno, residentibus una nobiscum in basilica Salvatoris multis fratribus, convocatis etiam et coram positis supradictis episcopis, ad audientiam nostram et totius ibidem congregati concilii perlata sit, diu et multum inquisita atque rimata, tanta ambiguitate et perplexionibus involuta videbatur ut ad sinceram veritatis et justitiæ explorationem per ea quæ tunc adhibita sunt judicia perduci non posset. Verum ne illorum altercatio absque pacis interventu diutius aut fraterna odia aut aliqua periculosa hinc vel illinc studia accenderet, cum consilio fratrum nostrorum causam ita ex æquo dirimi constituimus ut omnia, de quibus inter eos contentio foret, per medium dividerentur, et hic unam ille alteram partem interim absque omni inquietudine tenerent, donec si apertiora judicia sive scripto aut congruis testibus invenire possent diligentissime investigarent. Ad quod faciendum, ne forte suscitandæ litis infinita alterutri daretur occasio, terminum quoque eis decem annorum præfiximus, ut qui certis approbationibus ad justitiam se pertingere posse confidit, intra prælibatum terminum proclamandi et consequendi jus Ecclesiæ suæ licentiam et potestatem habeat; et si alterum horum, vel utrosque, quod non optamus, interim obire contigerit, successores eorum in eadam pactione et constitutione permanere debeant. Ex ea autem parte qua præfatus terminus, aut sub silentio, aut non ostensa veritatis et justitiæ, propter quam clamet, approbatione transductus fuerit, nullus deinceps locus, nulla acclamandi occasio, aut super hac re renovandæ quæstionis licentia supersit. Hoc igitur modo prænominatos episcopos in nostra præsentia pacificatos, et præscriptæ diffinitioni gratum, ut videatur [*forte*, videbatur, Hard.], adhibentes assensum, ad propria cum apostolica benedictione et fraterna charitate dimisimus. Hoc ab omnibus inviolatum et perpetuo inconcussum fore apostolica auctoritate præcipimus atque sancimus.

Data Romæ, sexto Nonas Martii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LIV.

AD PLACENTINOS.

(Anno 1075.)

Scribit se deposuisse in synodo Dionysium eorum episcopum, et omnes quicunque ei fidelitatem juraverant a sacramenti vinculo absolvisse. Ait se curaturum ut omnes fideles ad eum expellendum ipsis auxilio sint.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis catholicis Placentinæ Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Super confusione Ecclesiæ vestræ, dilectissimi filii, diu ad nos querela delata est, et contritio animarum rerumque vestrarum factam per iniquum pastorem sæpenumero paternum cruciavit affectum. Exspectavimus arborem malam ut faceret bonos fructus, sed plantatio iniqua radicitus vitiata et sicca per totum patientia deterior est, terram occupat; quinetiam ad infamiam totius Ecclesiæ germinat fructum reprobum in communem mortem, et in vestræ perditionis exemplum. Quem olim omni officio privatum, reddita sibi sola communione Ecclesiæ, multis minis ac precibus contestati sumus ut procuraret habere pacem vobiscum, redditis et restitutis quæ abstulerat, cum aqua ministerii [*forte*, curaque ministerii. Hard. cui restitutionem], et spem majoris beneficii dedimus, si mandata servaret. Sed, Deo nolente, sub hujus misericordiæ velamento operiri peccata inobedientiæ ejus, qua sæpe offenderat nos, et operta impunita relinqui, iterum mentitus est, atque vir manifeste sacrilegus, et multorum scelerum reus, monita nostra posthabuit. Quapropter immutabili sententia sanctæ synodi et irrevocabili consensu omnium circumsedentium fratrum Dionysium quondam dictum episcopum absque ulla unquam spe reconciliationis ab omni episcopali honore deposuimus, et in perpetuum negandam sibi audientiam decrevimus; et quincunque sibi fidelitatem juraverunt, ne contra hoc decretum sint, ab omni vinculo sacramenti absolvimus. Dabimus etiam operam ut omnes fideles sancti Petri adjuvent vos in expellendo lupo, et ordinando pastores qui res vestras diripuit, et corpora animasque sequentium se in foveam, sicut oculus tenebrosus, mittit. Unde vos cives Dei confortamini, quia Deus nobiscum est, et licet adversentur nobis turritæ urbes terræ Chanaan, et gigantea corpora filiorum Enach, dux tamen noster Jesus cum sono intrepidus terram promissionis ingreditur. Est enim et ipse gigas ad currendam viam qui dicit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Quod si quis pro defensione justitiæ moriatur ex vobis, precibus apostolorum Petri et Pauli ab omnibus peccatis liberetur.

Data Romæ, V Nonas Martii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LV.

AD LAUDENSES.

(Anno 1075.)

Lætatur ipsos eorumque episcopum contra Simoniacam hæresim et clericorum fornicationem insurgere. Hortatur ut persistant, et episcopo obediant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Laudensis Ecclesiæ filiis, salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudemus, dilectissimi, de vestro pio religionis affectu, quos audivimus adversus detestandam Simoniacam hæresim et presbyterorum fornicationem divinæ legis zelo succensos laudabiliter insurgere. Gaudemus quoque super fratre coepiscopo nostro vestro pastore domno Opizone, qui se intantum nobis ejusdem zelo pietatis fervere detexit ut ad hæc perficiendum sanctæ hujus sedis obnixe flagitasset auxilium. Quapropter hortamur vos et ut filios charissimos monemus quatenus in his pestibus detestandis, Simoniaca videlicet hæresi et fornicatione ministrorum sacri altaris conterenda, et penitus exstirpanda, cum jam dicto pastore vestro, fratre nostro, ad omnipotentis Dei sanctæque Ecclesiæ honorem, totiusque patriæ salutem, ut pii filii insistatis. In ordinandis quoque recte et canonice ecclesiis ei totis viribus auxilium præbeatis. Imo in cunctis quæ ipse ad Dei honorem vestramque salutem agere disponit ei obedienter obtemperetis; ut sanctæ matris vestræ Ecclesiæ apud vos munditia polleat, quam Christus sine macula et ruga castam sibi copulavit sponsam. Hæc autem quicunque servaverit, de omnipotentis Dei gratia confidenter præsumat, apostolicamque benedictionem se habere cognoscat. Qui vero in his quæ præfati sumus ei obsistere tentaverit, eumque in omnibus quæ Dei sunt non adjuverit, contremiscat se divinæ animadversionis apostolicæque maledictionis ultionem incurrere, pro gratia et benedictione quas non curat habere. De administratione vero altaris quod supra corpus beati Bassiani confessoris situm est, omnino præcipimus ut nullus ei administrare præsumat, qui vel pretio in eamdem introierit ecclesiam, vel qui fornicator est, aut turpis lucri sectator.

Data Romæ, quinto Nonas Martii, indictione decima tertia.

(373) DICTATUS PAPÆ.

Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata.

Quod solus Romanus pontifex jure dicatur universalis.

Quod ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare.

Quod legatus ejus omnibus episcopis præsit in concilio, etiam inferioris gradus, et adversus eos sententiam depositionis possit dare.

Quod absentes papa possit deponere.

Quod cum excommunicatis ab illo, inter cætera nec in eadem domo debemus manere.

A *Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, et econtra divitem episcopatum dividere, et inopes unire.*

Quod solus possit uti imperialibus insigniis.

Quod solius papæ pedes omnes principes deosculentur.

Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.

Quod unicum est nomen in mundo.

Quod illi liceat imperatores deponere.

Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente episcopos transmutare.

Quod de omni Ecclesia : quocunque [quæcunque] voluerit, clericum valeat ordinare.

B *Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare, et quod ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere.*

Quod nulla synodus absque præcepto ejus debet generalis vocari.

Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.

Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit.

Quod a nemine ipse judicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare apostolicam sedem appellantem.

Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eam referri debeant.

Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in C *perpetuum, Scriptura testante, errabit.*

Quod Romanus pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi episcopo, ei multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi papæ continetur.

Quod illius præcepto et licentia subjectis liceat accusare.

Quod absque synodali conventu possit episcopos deponere et reconciliare.

Quod catholicus non habeatur qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

EPISTOLA LVI.

D

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Arguit quod negligens fuerit in causa Catalaunensium clericorum. Episcopum Catalaunensem propter inobedientiam deponendum esse statuit, cui vult præcipi ut clericis Catalaunensibus bona erepta restituat. Quod si parere noluerit, mandat excommunicari, addens ut ille vel coram suis legatis vel coram se compareat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MANASSÆ Remensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Si te pastoralis regiminis cura, prout oportet, sollicitum redderet, clericorum Catalaunensis Ecclesiæ causa, toties ad nos relata, jamdudum com-

(373) Hunc supposititium esse post alios probat Pagius ad an. Chr. 1077, n. 8.

petentem terminum accepisset. Sed quoniam negligentia tua, et episcopi predictæ civitatis inobedientia, hucusque protracta est, necesse nobis fuit clericis tandiu afflictis succurrere, et inobedientis contumaciam apostolicæ auctoritatis vigore contundere. Multis enim modis præfatus Catalaunensis episcopus nostræ jussioni parere contempsit. Primo enim vocatus ad synodum venire neglexit. De ore nostro præsentialiter de restitutione beneficiorum clericorum præcepta suscipiens, obaudire despexit. Litteris deinde nostris admonitus, iterum quæ præcepimus adimplere sprevit. Quamobrem propter tam enormem inobedientiæ temeritatem apostolica auctoritate omni episcopali officio privandum censuimus, et hæc per te strenue compleri omni mora postposita statuimus. Denuo etiam firmiter præcipimus ut ei nihilominus injungas ex nostra et tua parte, quatenus prædictis clericis erepta bona et beneficia, omni excusatione postposita, ubicunque manere voluerint, restituat, adjuncto et restaurato quod de usibus rerum suarum perdiderunt, ex quo nos ei prœcipimus. Hac vice, si huic nostro præcepto obtemperare noluerit, omnimodo a corpore et sanguine Domini arceatur, donec per obedientiam discat sanctæ Romanæ Ecclesiæ colla submittere, cui per inobedientiam non erubuit recalcitrare. Si vero legati nostri ad Galliarum partes usque ad Kalendas Octobris ierint, ante præsentiam illorum se paratum ad expurgationem suam præsentare procuret. Sin autem, ad festivitatem Omnium Sanctorum ante nos se expurgandum, omni occasione remota, præsentet.

Data Romæ, quarto Nonas Martii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LVII.

AD FESULANOS.

(Anno 1075.)

Increpat eos quod superfluis querimoniis contra suum episcopum repetendis Ecclesiæ Fesulanæ damna inferant. Unde eis silentium imponit; se autem nullo modo passurum ecclesiam devastari.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Fesulano clero et populo, majoribus videlicet atque minoribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur satis quod de causa Irasmundi [Trasmundi] episcopi vestri Romanæ Ecclesiæ sufficit quibusdam vestrum non sufficere, et querimoniam, multis ac diuturnis inquisitionibus, imo divinis indiciis ad finem perductam, superfluis disputationibus repetere, et sic Fesulanæ Ecclesiæ post longas tribulationes ipsas reliquias consumere. Si enim episcopus omnium quæ sibi objecta sunt reus teneretur, et divino judicio atque humana examinatione innocens nos approbaretur, deceret tamen vos matrem vestram, Fesulanam videlicet Ecclesiam quæ non peccavit, immunem custodire, et vindictam peccantis in detrimentum confusionemque minime con-A vertere. Deceret etiam ut quos miserabilis paupertas et ruina ecclesiæ vestræ compatiendo non tangit, verecundia sæculi, et infirmata et omnino contemptui habita quæstio vestra silentium imponere debuisset. Unde admonemus, ut inter vos ulterius non sint schismata et contentiones sed quod nos sentimus, quod nobis sufficit, quod Romana approbat Ecclesia, vos idipsum sentiatis et teneatis, scientes quia nos nullo modo patiemur sub hujusmodi occasione scandali, seu inutilium disceptationum vanitatibus ecclesiam nostram devastari, sed ejus miseriæ atque necessitati, prout Deus concesserit, non solum loquendo, sed et vindictam contra ipsius inimicos exercendo subveniemus.

Data Romæ, quarto [III] Nonas Martias, indictione B decima tertia.

EPISTOLA LVIII.

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Ut Noviomensem episcopum ad Brugensem villam, a Trajectensis episcopi jurisdictione ereptam, si id sibi constiterit, restituendum compellat, si quid autem juris se putat habere, in synodo causam agat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Manassæ Remensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Confratris nostri Trajectensis episcopi Wilelmi (374) querelam de Brugensi Ecclesia, in Noviomensi episcopio sita litteris ipsius expositam acce-C pimus, quam et ante dominum et predecessorem nostrum papam Alexandrum depositam, necdum competenti termino contigit definiri. Astruit autem episcopus Trajectensis eamdem Ecclesiam traditione antiqua sedi suæ delegatam ducentis ferme annis absolute et quiete ad usus stipendiarios canonicorum Trajectensium detentam, donec Raboth Noviomensis episcopus, absque ullo canonico judicio, sibi eam subripuit, et, ut affirmant legati (quod gravius est et omnino illicitum), alteri cuidam clerico vendidit. Quapropter suffraganeum tuum Noviomensem episcopum per te conveniendum esse censuimus, et de tanta perversitate, si ita esse constiterit, severius increpandum, ac subinde admonendum, imo etiam compellendum, ut canonum statuta sequendo, eccle-D siam Trajectensem, quæ tanto tempore possedit sua exspoliatione sine mora inducat [reinducat] ac postea, si quid habet quod jure conqueratur, synodali judicio disceptare contendat. Quod si hic auctoritati nostræ vel monitis tuis obtemperare neglexerit, tandiu episcopali privetur officio, quoadusque causas ecclesiasticas non potentiæ magnitudine, sed justitiæ censura, finiri oportere doceatur. Hujus ergo negotii decisionem per te studiose et impigre volumus adimpleri, et litteris inditam nobis quam citius poteris notificari.

Data Romæ, tertio Nonas Martias, indictione decima tertia.

(374) De Willelmo Trajectensi episcopo vide Lambertum anno 1076.

EPISTOLA LIX.

AD MONACHOS ROMANENSES.

(Anno 1075.)

Eorum abbatiam sub Romanæ Ecclesiæ protectione recipit, illique bona concessa et concedenda confirmat. Vetat in ea canonicum ordinari, nisi qui regulariter victurum professus fuerit, nec abbatem nisi regularem, et a fratribus regularibus electum. Ecclesiam Diensi episcopo consecrandam committit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, fratribus consistentibus in abbatia Romana super fluvium Iseram constitutam, salutem et apostolicam benedictionem.

Fidelitatis ac devotionis vestræ studia, quæ per legatos vestros nostris auribus intimitatis, accepimus. Petistis ut Romana Ecclesia [Romanæ Ecclesiæ] libertate, quam vestra ecclesia ab antecessoribus nostris hactenus habuit, vos donaremus. Scripsistis etiam (quod nos valde lætificat) quosdam scilicet vestrum regularem canonicamque vitam incepisse [*forte,* suscepisse, HARD.], quibus quædam ecclesiæ vestræ bona vos concessisse denuntiastis, rogantes ut hæc nostra firmaremus auctoritate. Vestræ itaque bonæ intentioni congaudemus, et, ut semper in melius proficiatis optamus, petitionibus vestris obtentu filii nostri Hugonis Diensis episcopi et vestri dilectione annuimus, et Romanam libertatem (sicut postulastis) concedimus. Illa vero quæ fratribus vestris regularibus præpositus vester Herimannus et vos donastis et statuistis, quæ et litteris ad nos missis inseruistis, videlicet quidquid ipsi de bonis ejusdem ecclesiæ prius habere videbantur, et quicumque ex vobis ei se sociare regulariter voluerint, vel quod illis de suis aliquid dederit, nos quoque donamus. Possessiones autem et dispensationes ecclesiæ illis qui nunc habent, aut ad regularem vitam conversis, aut de sæculo migrantibus, et terras quæ deinceps prædictæ ecclesiæ datæ fuerint, ad mensam fratrum regulariter inibi viventium pertinere, et nullum ulterius ibidem fieri aut ordinari canonicum nisi qui regulariter se victurum professus fuerit nostra auctoritate statuimus. Præpositum, vel abbatem, seu cujuslibet dispensationis ecclesiasticæ ministrum, nisi quem communis electio fratrum regulariter viventium suæ professionis secundum Deum elegerit, vobis præferri apostolica auctoritate prohibemus. Ne quis autem hæc a nobis salubriter statuta violare præsumat, virtute sancti Spiritus, et potestate nobis a Deo collata, interdicimus. Ecclesiam vestram, quam per legatum apostolicæ sedis reconciliari quæsistis, præfato filio nostro Diensi episcopo, qui et Romanus et Viennensis Ecclesiæ filius est, consecrandam commisimus.

Data Romæ, VII [VIII] Idus Martii, ind XIII.

EPISTOLA LX.

AD OTTONEM CONSTANTIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Mandat ut litem inter eum et Augensem abbatem dirimat. Quod si fieri nequeat, ambo ad se veniant. Interim neuter alteri molestiam inferat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, OTTONI Constantiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut tua super Ecardo abbate Augensis [Augiæ divitis] monasterii, ita et illius super te nobis est illata querimonia. Verum quia nos fatigationibus vestris parcere cupimus, consulendo mandamus vobis ut utrinque communes amicos et sapientes viros veritatis amatores, justitiæ magis quam amicitiæ faventes, convocetis; quorum consilio, opportuno tempore et loco convenientes, litem vestram æquis rationibus et aliqua congrua pactione dirimi in commune assensum detis. Quod si peccatis facientibus fieri nequeat, commonitos vos ex præsenti auctoritate esse volumus ut circa festivitatem Omnium Sanctorum ambo ad apostolorum limina veniatis, quatenus, annuente Deo, causam vestram diligenti examinatione discutiamus, et diuturnam discordiam justo fine decidamus. Interim vero præcipimus ut, omni lite inter vos sopita, quasi per manum beati Petri, et nostram, firma pax posita atque conducta teneatur, ut neutra pars alteram molestiis vel contrarietate provocare aut inquietare audeat. Nec leve vobis videatur, tanto mediatore interposito, pacis jura dissolvere, quoniam qui in hac constitutione apostolicæ auctoritati reverentiam et fidem non exhibuerit, ex ipsa sua temeritatis impietate adversus se et causam suam fidem et judicium provocabit.

Data Romæ, tertio Idus Martii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXI.

AD DIETWINUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

(Anno 1075.)

Reprehendit eum tanquam Simoniacum; monetque ut resipiscat, fornicationem e clero exstirpet, et a contumeliis abbati de sancto Huberto inferendis abstineat: utque ecclesiam quamdam in sua diœcesi vel per se vel per Metensem episcopum consecret; eique suorum peccatorum absolutionem impartitur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Leodicensi (573) episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Jam multo tempore audivimus et multorum relatione comperimus te per plura in episcopatu adversus instituta sanctorum Patrum fecisse, videlicet in venditionibus ecclesiasticarum dignitatum et canonicarum præbendarum. Unde tibi multum condolemus et satis obstupescimus, cum tantum honorem gratis susceperis, et cum prudentes et religiosos viros inveneris, honores ecclesiasticos gratis non erogaveris, sed declinasti ab

(375) Leodiensi Dietwinus dicebatur, ut apud Lambertum, anno 1075

exemplo tui antecessoris introductione novæ consuetudinis. Ratione igitur justitiæ his de causis sententia in te esset animadvertenda, sed parcimus propter senilem ætatem, et quia charissimus frater noster Herimannus Metensis episcopus, tuæ Ecclesiæ filius, te multum apud nos excusavit, imputans aliis quæcunque super his male disposueris quorum consilio usus fueris; commonemus ergo te apostolica auctoritate ut quid egeris attendas, et judicium ad quod properas expavescas, et amplius desistas ab hujusmodi transgressionibus, et in quibuscunque poteris studeas corrigere, immutando quæ egeris. Præcipimus etiam ut admoneas et coerceas quoscunque sacri ordinis ministros caste vivere et concubinas omnino derelinquere, et extermina nefas, secundum Patrum traditionem, quod temporibus modernis inolevit ex taciturnitate pastorum, ne cum male operantibus propter silentium damneris, et ipsi æternæ mortis incurrant periculum. Compertum est nobis te contumelias quorumdam consilio intulisse abbati de sancto Huberto [Imberto] propter privilegium quod a nobis suscepit; sed excusamus eum, quod contra detrimentum et honorem Ecclesiæ tuæ nihil fecerit; unde te monemus et rogamus ut permittas eum in pace et in omni tranquillitate. In diœcesi etiam tua Manucensis [Namucensis] comitis ecclesiam quam adhuc consecrare distulisti, rogamus ut consecres; si vero ex debilitate corporis id agere nequiveris, committe hanc obedientiam charissimo filio nostro Metensi episcopo. Quod si non acquieveris, justam et rationabilem causam quare dimiseris rescribas. Et quia in extremo videris positus, fraterna compassione ducti, auctoritate beati Petri apostolorum principis absolvimus te a peccatis tuis, et Dominum pro te exoramus, ut interventu beatorum apostolorum inter electos æternum merearis consortium.

Data Romæ, decimo Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXII.

AD SICHARDUM EPISCOPUM AQUILEIENSEM.

(Anno 1075.)

Exponit statuta in concilio contra concubinarios et Simoniacos clericos. Præcipit ut ea servari curet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sichardo fratri coepiscopo Aquileiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatis tuæ prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet quæ statuta quæque decreta in peracto concilio præteritæ Quadragesimæ concilio confratrum nostrorum ac totius conventus assensu, sequentes sanctorum Patrum auctoritatem, statuimus. Decrevimus enim quod, si quis eorum ordinum qui sacris altaribus administrant presbyter scilicet diaconus, uxorem vel A concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant, nec aliquo Ecclesiæ beneficio ulterius potiantur, sive potitis fruantur. Qui vero Simoniace, videlicet per interventum pecuniæ, sunt promoti, ut absque ulla spe recuperationis deponantur apostolica censura statuimus. Monemus itaque te, dilectissime frater coepiscope, imo apostolica tibi auctoritate præcipiendo mandamus ut tu in diœcesi tua Simoniacos omnino deponas, et fornicatoribus clericis, nisi a fornicatione abstinuerint, præfata conditione officium et beneficium penitus interdicas, et suffraganeos tuos, sive litteris tuis sive viva voce ad te convocatos, ut idem faciant summa cum diligentia moneas.

B Data Romæ, decimo Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXIII.

AD GEUSAM HUNGARIÆ DUCEM.

(Anno 1075.)

Commendat eum ob res præclare gestas. Ostendit Hungariæ regnum non nisi Romanæ Ecclesiæ subjici, et merito ejus consanguineum, qui illud a Teutonicorum rege acceperat, eo fuisse privatum. Hortatur ad ecclesiarum curam habendam et ad obedientiam apostolicis legatis præstandam.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei (376), Geusæ Hungariæ duci, salutem et apostolicam benedictionem.

C Licet per legatos, quos pridem ad nos direxisti, miserimus tibi litteras, quas nondum te asseris percepisse, iterum tamen pro charitatis affectu, qua omnes reges et principes ut filios admonemus, scribimus ad te desiderantes tibi cum justitia quæcunque sunt honoris et gloriæ. Multa quippe bona de te mihi relata sunt, atque ex tuis actibus honesta fama ad aures nostras usque pervenit; pro quibus diligimus te, et cupimus ut fama cum rei veritate semper ascendat. Notum autem tibi esse credimus regnum Hungariæ, sicut et alia nobilissima regna in propriæ libertatis statu debere esse, et nulli regi alterius regni subjici, nisi sancto et universali matri Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut D servos, sed ut filios suscipit universos. Quod quia consanguineus tuus a rege Teutonico, non a Romano pontifice usurpative obtinuit, dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit (377). Cum vero res in manibus tuis sit, hortamur te ut interim circa ecclesias curam habeas, circa religionem summum studium geras, talemque obedientiam legatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum ad te venerint, exhibeas, quatenus intercessione beati Petri in gloria et honore utriusque vitæ proficias.

Data Romæ, x Kal. Aprilis, ind. xiii.

(376) *Geusæ*, sic lib. i, epistola 58 et infra 70; Lambertus autem anno 1073 et 1074 hunc appellat Joiadem. Sed Bonfinius Rerum Hungaricarum decade lib. iii et iv *Geisam* vocat.

(377) Loquitur de Salomone rege, ut supra eodem libro, epistola 13, et infra epist. 70.

EPISTOLA LXIV.

AD IVONEM ABBATEM SANCTI DIONYSII.

(Anno 1075.)

Ut coram suis legatis objecta contra eum respondeat, eisque pareat, vel statuto tempore apostolicam sedem veniat. Intirem animarum sibi commissarum curam habeat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, IVONI abbati monasterii Sancti Dionysii in Parisio.

Licet Romanæ Ecclesiæ excusationem introitus tui Algisi monachi vestri verba jampridem replicaverint, licet ex parte fidem nobis dederint, crescentem tamen infamiam, et usque ad sedem apostolicam jam a pluribus delatam, indiscussam transire nec possumus nec debemus. Quapropter si contigerit hac in ætate legatos nostros ad partes illas proficisci, præcipimus ut coram eis causam objectionis tuæ diligenter exponas, et diffinitioni eorum obedienter pareas. Quod si aliquod impedimentum hoc fieri non permiserit, abhinc usque ad festivitatem sancti Andreæ de objectis responsurus ad nos venias. Interim te volumus circa curam animarum subditarum tibi strenuum sollicitumque exhiberi, quatenus, cum ad nos veneris, ipsum bonæ conversationis studium tam te, quam illos quibus præesse videris, valeat commendare, et Algisi bona de te referentis verba confirmare.

Data Romæ, octavo Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXV.

AD MONACHOS SANCTI DIONYSII.

(Anno 1075.)

Hortatur ad concordiam et pacem, dum eorum abbas se de Simonia purgaturus, vel coram legatis, vel coram se veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, monachis monasterii Sancti Dionysii, salutem et apostolicam benedictionem.

Abbatis vestri Ivonis infamia quampluribus referentibus ad aures nostras usque pervenit, videlicet quod Simoniace, hoc est per interventum pecuniæ, obtinuerit abbatiam, cujus rei causa, quia hujusmodi infamiam indiscussam præterire non debemus nec possumus, per litteras nostras sibi præcipiendo mandavimus, ut legatis nostris, si hac æstate ad partes illas eo venire contigerit, de objectis se purgaturum exhibeat. Quod si aliquibus intervenientibus causis legati non venerint, abhinc usque ad festivitatem sancti Andreæ de objectis responsurum se nostræ audientiæ repræsentet. Quapropter admonemus religionem vestram ut interim inter vos nulla discordia, nullum schisma diabolica fraude natum inveniatur; ipsi enim scitis quia in scissura mentium Deus non habitat, sed religioni atque ordinis vestri observationi sedato animo ac summa cum reverentia operam dantes, prædicto abbati humiliter obediatis, ne forte, quod absit! in vestro schismate monasterium vestrum in rebus corporeis et vos in anima damnum aliquod patiamini. Pro certo namque sciatis quoniam nos abbatiæ Sancti Dionysii A sollicite invigilare nunquam negligimus, sed secundum Apostolum honeste et cum ordine facere volumus. Sicut enim nocentem justificare nobis admodum est timendum, ita et innocentem damnare valde periculosum. De cætero prudenter vos habete, dilectissimi filii, memores nostri in orationibus vestris.

Data Romæ, octavo Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXVI.

AD BURCHARDUM HALBERSTADIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Præcipit, sicut ante per legatos fecerat, ut fornicationem ex clero evellat.

GREGORIUS, episcopus servus servorum Dei, BURCHARDO Helvestensi [*forte,* Halberstadiensi, *vel* Halberstatensi, *et sic in Mutin.*] archiepiscopo, salutem B et apostolicam benedictionem.

Non ignorare te, frater charissime, credimus de ordinum ecclesiasticorum castitae sanctæ sedis apostolicæ statuta antecessorum nostrorum et nostro deinceps studio per litteras et legatos longe lateque promulgata. Nam et anno præcedente confratres nostri et episcopi in partes illas directi te convenerunt, et nostro nomine hujus tibi operis obedientiam studiosius inculcarunt. Sed neque propterea has rursus de eadem re tibi litteras superfluas judicavimus, Apostolo dicente : *Fratres eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium* (*Philip.* III). Si enim fratrum nostrorum exhortatione monitus in id opus manus continuo misisti, C ad hoc valebunt litteræ, ut, sicut dicitur, currentem currere concitatius impellamus. Sin autem hucusque cessasti, somno torporis expulso ad evigilandum stimulo increpationis excitemus. Nos enim de taciturnitate nostra damnari metuimus, si conservis nostris, his maxime qui alios docere idonei sunt, Domini pecuniam distribuere pigritamur. Urget nos enim timor illius maledicti quod per Salomonem depromitur : *Maledictus homo qui abscondit frumenta in populo* (*Prov.* XI). Et quod item per prophetam dicitur : *Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII), id est verbum prædicationis ab increpatione carnalium. Sicut enim nos ad loquendum superiora exempla impellunt, ita et vos quæ de obedientia passim scripta leguntur D adhortantur quæ dicimus fraterna charitate suscipere. Nam legitur apud Samuelem : *Melior est obedientia quam victimæ : et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum hariolandi est, repugnare : et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Quod beatus Gregorius in Moralibus (lib. XXXV, c. 10) exponens dicit : Obedientia ergo est sine qua, quamvis fidelis quisque videatur, infidelis esse convincitur. Denique novit fraternitas tua quas proponimus regulas a sanctis Patribus esse præfixas, tantoque venerabilius observandas quanto constat non suo libitu, sed Spiritus sancti promulgasse afflatu. Quamobrem, charissime frater, instanter hortamur et apostolica auctoritate præcipimus quatenus et a legatis nostris ante co-

gnita, et harum testimonio litterarum plenius inculcata, fideliter exsequaris, de agro Dominico zizania eradices, frumentum conserves, castos et religiosos clericos, ut tui officii cooperatores, benigne foveas, lubricos et incontinentes aut paterne corrigas, aut incorrigibiles a sacris altaribus arceas; et nisi tuis exhortationibus acquiescentes resipiscant, nec laici etiam officium eorum ullatenus audiant, ut quos nec timor nec amor divinus compungit, pudor saltem humanus retrahat ad sobrietatem. His si vigilanter institeris, et inobedientiæ culpam poteris evadere, et a Domino præmium tibi multiplex et indeficiens comparare.

Data Romæ, quarto Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXVII.

AD ANNONEM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Ut habito suorum episcoporum concilio decreta apostolicæ sedis de castitate clericorum promulget, et servanda curet. Exponit quoque se in synodo contra Simoniacos statuta confirmasse.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANNONI Coloniensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Constat Ecclesiam Coloniensem inter cæteras regni Teutonici Ecclesias sanctæ et apostolicæ sedi, cui Deo auctore deservimus, ita fide et dilectione atque obsequiis ab annis prioribus esse devinctam ut singulari familiaritate et gratia charitatis apud eam tanquam apud matrem dulcissima filia præpolleat. Quem benevolentiæ laudabilis usum ab antecessoribus nostris ad nos usque deductum non solum observare, sed etiam ampliare et augmentare pro rerum opportunitate et temporum modis omnibus sum paratus. Hinc etiam, charissime frater, de obedientia tui securior fiducialius adhortor et moneo, atque communis domini beati Petri auctoritate præcipio, ut ad castitatem clericorum prædicandam atque inculcandam, juxta Patrum decreta, et auctoritatem canonum, cum suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut sponsæ Christi, quæ maculam nescit aut rugam (*Ephes.* V), candidatæ et immaculatæ familiæ gratiosum exhibeatur officium. Novit enim fraternitas tua quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, sed antiquorum Patrum sanctiones Spiritu sancto prædicante prolatas officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si Dominicam pecuniam, quæ cum fenore reposcitur, sub silentio abscondamus; quamquam huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit semperque licebit contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare quæ, rationis et auctoritatis edita judicio, nulli hominum sit fas, ut irrita, refutare. Urget nos etiam timor illius maledicti quod per Salomonem depromitur, *usque ad id quod in superiore epistola ait* (S. GREG., libro XXXV *Moral.*, cap. 10) : Obedientia ergo est sine qua, licet fidelis quisque videatur, infidelis esse convincitur. Sed ut ea quæ dilectioni tuæ injungimus compendiosius efficaciusque prosequaris, cum fratribus et coepiscopis tuis concilium te cogere suademus, in quo, quam maximo poteris clericorum cœtu congregato, leges canonicas et sedis apostolicæ auctoritatem, tuamque et confratrum omnium, patenter promulgabis, quanta castitatis sit virtus, quamque ecclesiasticis gradibus necessaria seu quam Sponsi virginis et Virginis sponsæ cubiculariis sit compentens, ut, Deo donante, nosti, latius exponens. Subinde firmiter pronuntiabis non ulterius sibi licere quod in perniciem sui hactenus usurparunt; cum tolerabilius omnino sit cessare ab officio quem incestam, vel etiam molestam suo Salvatori ingerere servitutem, et inde sibi iram coacervare atque supplicium, unde præmium debuit emereri. Quod si te fideliter hæc et firmiter exsequentem tribulatio ac persecutio invenerit, respice ad eum qui dixit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Nos quoque clypeo beati Petri munitos indubitanter noveris, seu ad repellendos hostes, si possumus, seu ad protegendum te omni hora paratissimos inveniri. Illud quoque fraternitati tuæ notum esse volumus, contra Simoniacam hæresim in synodo confirmasse (nam a sanctis Patribus longe ante statum est), ac vehementer prohibuisse, ut neque ecclesiæ ullatenus vendantur, aut pro manus impositione pretium accipiatur. Quod si hoc modo ordinatus aliquis fuerit, eum a missæ celebratione et Evangelii lectione omnimodis removemus, et ut hæc diligenter observetis enixius admonemus.

Data Romæ, quarto Kalendas Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXVIII.

AD WEZELINUM ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

(Anno 1075.)

Ejusdem fere argumenti.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WEZELINO [VENCELINO] Magdeburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Legimus Josue, cum in populo Dei magistro succedens ducatum suscepisset, ita sollicita et vigilanti obedientia exercuisse officium ut, quod de aliis raro scriptum est, cœlesti fretus virtute, elementis potentialiter imperaret. Nam et fluvium Jordanem ad transitum exercitus cursum naturalem sistere fecit, et solem volubili mobilitate in occasum anhelantem, donec adversarios ulcisceretur, quasi alter Creator stare præcepit. Is etiam muros Jericho septeno perlustrans circuitu sacerdotalium clangore tubarum subruit et evertit. Vides, charissime frater, quid fervens in divinis causis animus, quid prompta obedientia meruerit. Ad hujus similitudinem facti nos, qui populum Christianum instituendi magisterium suscepimus, mentem vigilanter intendere debemus, ne adversariæ potestatis muros, contra verum Josue rebellantes et erectos, silentio nostro stare aut roborari patiamur. Quamobrem fraternitati tuæ apostolica auctoritate injungimus atque præcipimus ut ad castitatem clericorum prædicandam et studiosius inculcandam buccina sacerdotali vehementius et

instantius instrepas (*Jos.* VI), donec Jericho muros, id est defectionis opera et sordidæ libidinis pollutiones dissipes et subvertas sicut ad prophetam [sicut ait propheta [*deest forte,* dicitur, HARD.] : *Posui te hodie super gentes et regna ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Non nostra decreta (quanquam licenter si opus esset possemus) vobis proponimus, sed a sanctis Patribus statuta renovamus, ne nostro silentio servi Dominicam pecuniam abscondentis sententiam incurramus. Elabora igitur, insta opportune, importune, ut domus Dei tibi commissa purificetur quatenus et a nobis de obedientia tua gratias merearis, et tui laboris præmium recepturus in Domini tui gaudium lætus introducaris.

Data Romæ, IV Kalendas Aprilis, indict. XIII.

EPISTOLA LXIX.

AD CUNIBERTUM EPISCOPUM TAURINENSEM.

(Anno 1075.)

Arguit quod molestiis afficiat monachos Sancti Michaelis. Monet ut pacem cum abbate ineat, vel statuta die ad sedem apostolicam litis dirimendæ causa accedat, interim a molestiis inferendis desistat, ne ipse cogatur illud monasterium de ejus subjectione eximere, et quos temere excommunicarat, absolvat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, CUNIBERTO Taurinensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Decuerat te, frater charissime, pro reverentia quam beato Petro, apostolorum principi et magistro universalis Ecclesiæ, debes, nobiscum etiam servare unitatem et concordiam in vinculo charitatis et pacis, et labores nostros, ut in Christo proficerent et fructum facerent, saltem in attinentibus tibi et tecum actis juvare negotiis. Verum econtra, unde nos nec mirari nec dolere satis possumus, te immemorem nostræ dilectionis a nobis discrepare et ea quæ colligere laboramus omni conatu ad dispergendum insistere, clamor fratrum monasterii Sancti Michaelis, imo multiplex angustia, quam multorum relationibus, te faciente, eos pati audivimus, manifesta nobis indicia præstet. Meminisse enim debes quot et quanta dominus et antecessor noster, beatæ memoriæ Alexander papa, et nos ipsi, cum novissime apostolicam sedem et præsentiam nostram visitasses, de pace et tranquillitate ejusdem monasterii cum tua fraternitate egimus, ne diabolus servorum Dei saluti semper invidens et quieti, venenum suæ nequitiæ aliqua occasione ibi posset infundere, et devotas animas ab assidua orationum et divini famulatus meditatione divellere. Qua de re licet nobis optime promiseris, videlicet te aut competentem de omnibus cum abbate pacem facturum, aut, si id fieri non posset, sine omni læsione monasterii ad judicium apostolicæ discussionis rem denuo delaturum, tamen postquam a nobis discessisti, multo asperior atque crudelior contra venerabilem locum illum quam antea fueras, prout nobis relatum est, exstitisti; et quod detrimentum ejus foret, non solum exteriori fortitudine, sed episcopali etiam districtione dicere et facere non pepercisti. Unde non parum adversum te commoti esse possumus qui ad contemptum apostolicæ auctoritatis nostræque fatigationis dispendium nostris consiliis, admonitionibus, rogatibus, et justis officii nostri dispensationibus te obsistere intelligimus, ut pacem, quam servis Dei cum quanta per Deum cognoscimus consideratione justitiæ providere cupimus, tu nec pati possis aut velis. Nunquidne existimas episcopos hanc in pastorali regimine potestatem atque licentiam suscepisse ut monasteria, quæ in suis parochiis consistunt, quantum velint opprimant, et studium religionis suæ prælationis occasione, hæc et illa potenter exigendo et potestatem suam exercendo, comminuant? An ignoras quod sancti Patres plerumque et religiosa monasteria de subjectione episcoporum et episcopatus de parochia metropolitanæ sedis propter infestationem præsidentium diviserunt, et perpetua libertate donantes apostolicæ sedi, velut principalia capiti suo membra, adhærere sanxerunt? Percurre sanctorum Patrum privilegia, et invenies ipsis etiam archiepiscopis officium, nisi forte ab abbate vocatis, in plerisque cœnobiis facere prohibitum esse, ne forte monastica quies sæcularium personarum frequentia et conversatione turbaretur.

Hoc itaque ne et nos illorum auctoritate et exemplo de præfato Sancti Michaelis monasterio facere cogamur, neve tu, dum immoderata quæris, ea quæ ex æquo tibi attinere videbantur juste amittas, apostolica te auctoritate monemus atque præcipimus, ut aut pacem cum abbate congrua conventione et in commune proviso totius causæ moderamine faciat, aut, si peccatis impedientibus hoc fieri nequiverit, in ventura sancti Martini festivitate ad apostolicam sedem te convocatum præsenti auctoritate cognoscas, quatenus, adjuvante Deo, litem vestram dirimere et justo fine concludere valeamus. Interim vero eadem auctoritate præcipimus ut neque vocando ad synodum, nec aliquo interdicto, denique nullo unquam exactionis modo abbatem, vel sæpe fatum monasterium, aut servitores ejus, seu loca, vel bona illuc attinentia, per te, sive per tuorum aliquem lædere aut inquietare præsumas; et quos anathematis vinculo ex his qui partem illam attinent alligasti, quanquam hoc temere feceris, charitati tamen fraternæ providentes, ut tu eos absolvas locum tibi et monita damus. Qua in re si tu moram feceris, aut aliqua occasione nobis obedire renueris, nostra apostolica auctoritate eos absolutos et ab omnibus interdicti vel excommunicationis tuæ nexibus liberos esse noveris. Fac igitur, dilecte frater, ut vel nunc non incassum tibi scripsisse videamur. Crede nostris consiliis, acquiesce monitis, nec libeat tibi nos plurimis occupatos diutius causæ hujus implicari laboribus, nec deneges nobis fraternum et unanimem consensum in componenda pace sæpe fati cœnobii, ne, dum nobis, imo beato Petro, obstare non desieris, in graviorem culpam et irrevocabile detri-

mentum tuomet (quod non optamus) impetu præcipiteris. Nam si deinceps ultra tenorem litterarum istarum supra memoratam causam in errorem et litigium trahere, aut monasterio infestationes aliquas inferre pertentaveris, nos, divina et apostolica fulti auctoritate, ut monasterium illud cum omnibus suis pertinentiis in perpetua libertate consistat, ut nullius magisterio vel judicio post Deum, nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ, subditum in proposito sanctæ religionis sine laceratione Deo servire valeat, Deo adjuvante, procurabimus.

Data Romæ, quinto Idus Aprilis, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXX.

AD GEUSAM HUNGARIÆ DUCEM.

(Anno 1075.)

Optat ut pax inter eum et regem Salomonem ineatur. Significat merito jus regni a Salomone rege ad eum fuisse translatum. Ejus erga se observantiam requirit, et quæcunque a Romana Ecclesia desiderat sibi litteris vult aperiri.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Geusæ Hungariæ duci, salutem et apostolicam benedictionem.

Si officii nostri est omnibus sua jura defendere, ac inter eos componere pacem, ac stabilire concordiam, multo magis ratio exigit, atque usus utilitatis exposcit ut seminemus charitatem inter majores, quorum pax aut odium redundat in plurimos. Unde nobis cura est et cordi pia sollicitudo inhæret, quatenus inter te et consanguineum tuum Salomonem regem faciamus pacem, si possumus, ut justitia utrinque servata sufficiat unicuique quod suum est, terminum justitiæ non transeat, metam bonæ consuetudinis non excedat, sicque fiat in pace nobilissimum regnum Hungariæ quod hactenus per se principaliter viguit, ut rex ibi non regulus fiat. Verum ubi, contempto nobili dominio beati Petri apostolorum principis, cujus regnum esse prudentiam tuam latere non credimus, rex subdidit se Teutonico regi et reguli nomen obtinuit, Dominus autem injuriam suo illatam principi prævidens, potestatem regni suo ad te judicio transtulit. Et ita si quid in obtinendo regno juris prius habuit, eo se sacrilega usurpatione privavit. Petrus enim a firma petra dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore destruit, et dissipat quidquid obsistit. Quapropter si quid vis, si quid habere a Romana Ecclesia digne speras, nobis confidenter volumus ut aperias et quæ tua sit devotio erga universalem matrem, qualiterve illi statueris obedire sanctamque reverentiam exhibere operibus, sicut te decet, ostendas. Quæ autem hic minus scripsimus, horum portitoribus tibi dicenda relinquimus, quia de illorum fidelitate satis confidimus. Omnipotens Deus, qui beato Petro potestatem ligandi atque solvendi principaliter tribuit, ejus precibus te tuosque in Christo fideles a cunctis peccatis absolvat, et ad vitam perducat æternam.

A Data Romæ, decimo octavo [xv] Kalendas Maii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXXI.

AD WRATISLAUM BOHEMORUM DUCEM.

(Anno 1075.)

Commendat Fredericum ejus nepotem, ut beneficium a suo patre relictum illi concedat, vel aliud tribuat. Monet ut dissidiis sublatis pacem in sua ditione servandam curet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Wratislao Bohemorum duci, salutem et apostolicam benedictionem.

Fredericus, nepos vester, et Romanæ Ecclesiæ fidelis, nos humilibus precibus flagitavit quatenus tuæ nobilitatis prudentiam rogaremus, ut beneficium, quod sibi pater suus reliquit, eum permitteretis habere et in omni pacis quietudine possidere; cujus supplicibus orationibus flexi, nobilitatis vestræ serenitatem obnixe rogamus ut, si scitis eum habere justitiam, tum quia os tuum et caro est, ductus proprietate sanguinis, tum quia ad refugium apostolicæ miserationis confugit, aut beneficium illud sibi reddatis, aut contracambium tribuatis quod sibi sit acceptabile, et tui condecet generis dignitatem. Quod si justitiam non videtur habere, rogamus tamen ut pro charitate et reverentia beati Petri apostolorum principis, cujus præsidia humiliter postulavit, aliquod sibi beneficium, quo possit honeste vivere, tribuatis. Non pigeat itaque nobilitatem tuam in hoc nostras preces audire, beatumque Petrum in hoc tibi debitorem facere, quoniam nos parati sumus favere tibi in quibus possimus justitia duce. Præterea monemus ut studeatis terram vestram, et vestri honoris regimen firmissimæ pacis fœdere undique præmunire, scilicet ut nullius litis scandalum in tuo regimine versari permittas, præcipue inter te et fratres tuos, et Pragensem et Holomucensem episcopum, quoniam, sicut qui discordiæ et litibus vacant procul dubio diaboli sunt filii, sic qui paci dant operam filii Dei vocantur, ipsa Veritate attestante quæ ait : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v). Omnipotens Deus mentem tuam illuminet, sicque te faciat per bona transire temporalia ut merearis adipisci æterna.

Data Romæ, decimo octavo [xv] Kalendas Maii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXXII.

AD BOHEMOS.

(Anno 1075).

Hortatur ad bene casteque vivendum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis in Bohemia constitutis majoribus atque minoribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex consideratione sedis cujus licet indigni, administrationem gerimus, debitores, sicut scitis, sumus fidelibus et infidelibus ; fidelibus, ut quod bene proponunt perseveranter teneant ; infidelibus, ut ad Creatorem suum credendo, et præterita facinora puniendo, convertantur. Unde quia relatione epi-

scoporum patriæ vestræ limina apostolorum visitantium accepimus quosdam vestrum per viam mandatorum Dei incedere, quosdam vero nonnullis periculis male vivendo subjacere, studuimus vos paterna charitate commonere, quatenus et boni meliores fiant, et qui reprehensibiliter vivunt irreprehensibiles se exhibeant. Primum scilicet vos ex toto corde, et ex tota anima, et ex omni virtute vestra Deum et proximum sicut vosmetipsos diligere, pacem, sine qua nemo Deum videbit, inter vos constituere, non solum clericos, sed et laicos castitatem servare, decimas Deo, a quo tam vitam quam vitæ sustentationem suscipitis, fideliter dare, ecclesiis vestris debitum honorem impendere, eleemosynis atque hospitalitati devote insistere. Hæc et his similia, quæ ad salutem animarum vestrarum pertinent, licet pontifices vestros sufficienter scire ac vobis insinuare non ignoremus, tamen quia verba nostra ex reverentia beati Petri constat vos charius atque avidius recipere, ipsa vestra audiendi aviditas quæ ab aliis dari possunt nos documenta dare compellit, ut tanto sollicitius vobis debitum reddamus exhortationis quanto beatum Petrum in eadem nostra exhortatione devotius attenditis. Vos igitur, dilectissimi, carnalia desideria fugite, ad cœlestia et semper duratura patriæ cœlestis gaudia mentes erigite, beatum Petrum, cui a Deo potestas principaliter et in terra ligandi atque solvendi data est, devotissimi servitii fidelitate debitorem facite, quatenus post dissolutionem terrenæ habitationis nostræ, cui quotidie volentes nolentesque propinquatis, nec multo post in vermes et cinerem redigendi, ejus præstantissimum ante districtum Judicem patrocinium sentiatis.

Data Romæ, decimo septimo Kal. Maii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXXIII.

AD BOLESLAUM POLONORUM DUCEM.

(Anno 1075.)

Commendat ejus erga se observantiam. Mittit legatos pro episcoporum causis, qui et pauci erant, et metropolitanum non habebant. Hortatur ut illos adjuvet, bene vivat, recte se gerat in regimine suo, et pecunias regi Russorum ablatas restituendas curet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Boleslao duci Polonorum (378), salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam honor, qui ministris et dispensatoribus exhibetur, ad reverentiam dominorum propriam attinere dignoscitur, procul dubio grataater et cum multa dilectione ministrantium labor officiaque suscipiuntur, ab his dico qui prælatorum personas et auctoritatem ex corde diligere comprobantur. In hoc autem cognoscimus quod excellentia vestra beatum Petrum apostolorum principem sinceris affectibus diligit, et ad reverentiam ejus ardenti spiritu dilatatur, quoniam gratuita devotione vestris eum oblationibus honorantes, debitorem vobis fieri desiderastis, et sicut in Domino confidimus, promeruistis. Unde et nos, qui illius servi dicimur et esse cupimus, vestræ charitati in Christo connexi sumus, et curam ministerii, ad quod sub obedientia apostolici principatus occulta Dei dispensatio nos, licet indignos, ordinavit atque constituit, in ea parte, qua vobis necessarium et honestum fore cognoverimus, tanto sollicitius vobis impartiri cupimus quanto fidem et charitatem vestram et in obediendo promptiorem, et in promerendo devotiorem intelligimus. Verum quia Christianæ religionis ordo et provida dispensatio ab his permaxime post Deum pendet qui Dominici gregis pastores et rectores esse videntur, illud nobis primo attendendum est quod episcopi, terræ vestræ non habentes certum metropolitanæ sedis locum, nec sub aliquo positi magisterio, huc et illuc pro sua quisque ordinatione vagantes, ultra regulas et decreta sanctorum Patrum liberi sunt et absoluti. Deinde vero quod inter tantam hominum multitudinem adeo pauci sunt episcopi et amplæ singulorum parochiæ ut in subjectis plebibus curam episcopalis officii nullatenus exsequi aut rite administrare valeant. Pro his igitur et aliis causis, quas hic scribere omisimus, hos legatos ad vos direximus, quatenus vobiscum pertractatis negotiis quæ ad ecclesiasticam curam et ædificationem corporis Christi (quod est fidelium congregatio) pertinere videntur, quæ emendanda sunt, aut ipsi juxta sanctorum Patrum statuta diffiniant, aut nobis diffinienda referant. Eos itaque, sicut nos, audite, memores quod in missione discipulorum per Evangelium Veritas dicat : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Et ut fructuosus apud vos cursus fatigationis eorum fiat, propter reverentiam apostolicæ legationis qua funguntur, consiliis et benigno favore juvate. De cætero admonemus vos et exhortamur in Domino, ut diem ultimum vitæ vestræ, quem ignoratis quando veniat, et terrorem futuri judicii semper coram oculis habentes, commissam vobis potestatem sollicita et Deo placita administratione gerere studeatis, præparantes vobis divitias in operibus bonis et thezaurizantes firmum et immobile fundamentum, ut vitam æternam possideatis. Scire enim debetis quoniam supernus Arbiter quæ vobis commisit irrequisita non relinquet; cui tanto districtius responsuri estis quanto ampliora sunt jura et judiciorum moderamina quæ tenetis. Deus autem omnipotens, cujus majestas est super omnes principatus et regna, dirigat cor et actus vestros ad omne opus bonum in omni prudentia et exercitatione virtutum, quatenus, expleto cursu hujus lubricæ et cito perituræ lucis, beatorum Petri et Pauli apostolorum principum meritis et intercessionibus ad veram et sempiternam gloriam pervenire mereamini; detque vobis, devicta per Jesum Christum Dominum nostrum inimicorum vestrorum superbia, pacis et tranquillitatis gaudia, ut ex donis quoque præsentibus cognoscatis futura quanto sint desiderio appetenda.

(378) De Polonorum duce Lambert. et Berthold., an. 1077.

Quæ nimirum si vos delectant, inter omnia servanda A vobis est charitas, quam (quod inviti dicimus) in pecunia, quam regi Russorum abstulistis, violasse videmini. Quapropter condolentes vobis, multum vos rogamus et admonemus, ut pro amore Dei et sancti Petri quidquid sibi a vobis vel vestris ablatum est restitui faciatis, non ignorantes quoniam qui aliorum bona injuste auferunt, nisi emendaverint si emendare poterint, nullatenus in regno Christi et Dei partem habere credendi sunt. Hoc autem a vobis eadem charitate, qua dicimus, pro salute animæ vestræ recipi concupiscimus.

Data Romæ, septimo [XII] Kalendas Maii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXXIV.

AD DEMETRIUM REGEM RUSSORUM.

(Anno 1075.)

Scribit Russiæ regnum eorum consensu accedente eorum filio se tradidisse; ipsorumque petitionibus se paratum ostendit. Rogat ut suos legatos benigne excipiant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DEMETRIO regi (379) Russorum et reginæ uxori ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Filius vester, limina apostolorum visitans, ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis et petitionibus, quia justa videbantur tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum præbuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio charitatis ut beatus Petrus vos et regnum vestrum omniaque vestra bona sua apud Deum intercessione custodiat, et cum omni pace, honore quoque et gloria idem regnum usque in finem vitæ vestræ tenere vos faciat, et hujus militiæ finito cursu impetret vobis apud supernum Regem gloriam sempiternam. Quin etiam nos paratissimos esse noverit vestræ nobilitatis serenitas, ut ad quæcunque justa negotia hujus sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, procul dubio continuo petitionum suarum consequetur effectum. Præterea ut hæc et alia multa quæ litteris non continentur cordibus vestris arctius infigantur, misimus hos nuntios nostros, quorum unus vester notus est et fidus amicus, qui et ea quæ in litteris sunt diligenter vobis exponent, et quæ minus sunt viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cujus legati sunt, vos mites et affabiles præbeatis et quidquid vobis dixerint, ex parte nostra patienter audiatis atque indubitanter credatis; et quæ ibi ex auctoritate apostolicæ sedis negotia tractare voluerint et statuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, sed potius eos sincera charitate favendo juvetis. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam.

Data Romæ, XV Kalendas Maii, indictione decima tertia.

EPISTOLA LXXV.

AD SUENIUM REGEM DANORUM.

(Anno 1075).

Queritur de principum inobedientia erga Romanam Ecclesiam. Commendat eum de debita erga sedem apostolicam observantia. Se paratum ostendit ad ei gratificandum; petitque ut per legatos sibi significet an nunc eadem velit quæ a prædecessore suo Alexandro postulaverat.

B GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei SUENIO [SUENONI], regi Danorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Apud antecessores nostros juris et consuetudinis erat charitativis legationibus docere viam Domini universas nationes, corripere in his quæ arguenda erant omnes reges et principes, et ad æternam beatitudinem cunctos invitare legalibus disciplinis. Plus enim terrarum lex Romanorum pontificum quam imperatorum obtinuit. *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5); et quibus imperavit Augustus, imperavit Christus. Nunc vero reges et præsides terræ contemptores facti ecclesiasticæ legis, qui amplius justitiam servare et eam defendere debuerant ad tot irrogandas Ecclesiæ contumelias convenerunt atque ad tantam inobedientiam, quæ, secun- C dum Samuelem, similis est idololatriæ devoluti sunt, ut fere jam quiescentibus legationibus nostris, quoniam pene sine fructu videntur, verba nostra tantummodo orando convertemus ad Dominum regum et Deum ultionum. Sed quia scimus te, et fortissimam gentem tuam, quæ freno sapientiæ tuæ moderatur, circa matrem omnium Ecclesiarum debitam reverentiam exhibere quæ tanto est beato Petro humilior quanto in fortitudine sua sublimior. Ideo tibi dilectissimo filio nostro litteras mittimus atque paterna affectione mandamus, ut si quid est, unde indiges, quod auctoritas Romanæ Ecclesiæ possit tibi juste largiri, per nuntios tuos, et per hos quos nunc mittimus, nobis notum facias, quatenus, in quantum fas est, te honoremus, et prædictam reve- D rentiam nobilissimi regni tui merita dignitate donemus. Bonam enim famam de te accepimus, quæ precibus beati Petri et Pauli nunquam te deserat, imo ad gloriam utriusque vitæ capessendam, ut desideramus, cumuletur semper et crescat. Quia vero apud antecessorem nostrum beatæ memoriæ Alexandrum quædam expetisti, quibus beatum Petrum debitorem faceres, imo tibi et regno tuo nobile patrocinium ejus acquireres, per eosdem legatos mandes utrum eadem voluntas sit an fuerit passa defectum, aut, quod magis optamus, susceperit augmentum. Ego enim cum in archidiaconatus offi-

(379) Demetrii regis meminit Lambertus, an. 1075.

cio essem, multum diligebam te, et, mihi videbatur, A diligebar a te; sed ubi pastorale officium, quod in dilectione Dei et proximi quasi in fundamento consistit, licet indignus accepi, charitas quam habueram circa te major facta est quæ, te proficiente in melius, semper in majorem gradum Deo propitio augeatur.

Data Romæ, decimo quinto Kalendas Maii, indictione decima tertia

EPISTOLA LXXVI.

AD BAMBERGENSES.

(Anno 1075.)

Significat Bambergensem episcopum Simoniacum a se depositum. Interdicit ne quisquam illius Ecclesiæ bona diripere vel alienare præsumat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Bambergensis Ecclesiæ, salutem et apo- B stolicam benedictionem.

Notum est [vobis] pene omnibus in Teutonicis partibus habitantibus quod Bambergensis Ecclesia specialis quodammodo filia adhæret matri suæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservimus, licet indigni, ac proinde tanto sollicitius vigilantiæ nostræ nos oportet sibi curam impendere, quanto familiarius apostolicæ sedis est munimine contuenda. Unde quia quidam idiota prædictam Ecclesiam Simoniacæ perfidiæ hæretica pravitate subversus invaserat, eam a jugo sacrilegæ pervasionis illius provida consideratione liberare studuimus. Exemimus quidem gladium apostolorum principis Petri, et in eum apostolica auctoritate sententiam promulgavimus. Verum quia in exclusione talium solent Ec- C clesiæ multa damna pati, et bona earum distrahi et disperdi, dignum duximus imminenti damno Ecclesiæ præcavere, ac proinde sacrilegis et tyrannis apostolica auctoritate resistere, interdicendo, ne occasione exclusionis illius res ecclesiæ auferre vel quolibet modo alienare præsumant. Quapropter ex parte Dei et apostolorum Petri et Pauli interdicimus, ut nulla alicujus dignitatis, seu potestatis, sive cujuslibet conditionis, persona res jam sæpe fatæ Ecclesiæ, maxime thesaurum et prædia auferre, vel aliquo modo alienare injuste diripiendo præsumat, donec omnipotens Deus per interventum beati Petri Ecclesiæ illi idoneum pastorem provideat. Si quis vero contra hujus interdictionis paginam venire tentaverit, notaverit se gratiam sancti Petri amittere, et D apostolicæ animadversionis ultione plectendum.

Data Romæ, XII Kalendas Maii, indictione XIII.

EPISTOLA LXXVII.

AD GEBOARDUM SALTZBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Increpat quod cum a sede apostolica impetrasset ut diœcesis suæ portio decideretur, et in ea episcopus constitueretur, episcopum quidem in partem sollicitudinis admiserit, decimas autem omnes sibi retinuerit; ideo monet ut ecclesiæ suas decimas relinquat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEBOARDO [GEBEARDO] Saltzburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Meminimus dilectionem tuam annis superioribus apostolicam sedem adiisse atque a prædecessore nostro bonæ memoriæ Alexandro, me etiam favente atque assensum præbente, imperasse ut parochiæ tuæ portionem præ amplitudine sui decideres, atque in ea episcopatum et episcopum ad superabundantem regiminis curam supplendam statueres. Quam tuæ mentis intentionem tanto alacrius audivimus atque ut adimpleretur studuimus quanto te religiosius id petere, atque multorum saluti prodesse velle intelleximus. Quis enim cui spiritualia lucra cordi sint, his præsertim temporibus, cum juxta Apostolum, *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip.* II), non libentissime amplectatur voluntatem divitias terrenas animarum saluti postponentem? Sed his diebus ad nos perlatum est de eodem bono proposito tuo, quod nos vehementer contristavit et lætitiæ priori quasi quasdam mœroris nebulas effudit. In quo prudentiam tuam et religionem multum admirati sumus id tibi ullatenus persuaderi potuisse, ut ad hoc te factum debuisses inflectere. Comperimus enim, episcopo, ut præfati sumus, in parte procurationis tuæ composito, illum quidem in societatem laboris misisse, sed tibi fructum laboris, scilicet decimas retinuisse. Quod si verum est, graviter dolemus in tam præclaro tuæ dilectionis opere cupiditatem, quæ radix omnium malorum est, locum sibi potuisse subripere, ut operarium in vineam Domini mitteres, et eum operis mercede fraudares. Quamobrem charitatem tuam admonitam esse volumus, ut quod devote Deo obtulisti serenum et sincerum sine fuci admistione persolvas, plausibilem humani favoris laudem caveas, et quod spe æternæ retributionis cœpisti in securitate ejusdem remunerationis expleas, et ecclesiam suarum decimarum redditibus investias.

Data Romæ, decimo quinto Kalendas Julii, indictione decima tertia.

LIBER TERTIUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo quinto, indictione decima tertia (380).

EPISTOLA PRIMA.

AD BAMBERGENSES.

(Anno 1075.)

Confirmat sententiam in Herimannum episcopum eo quod judicio sedis apostolicæ se subtraxerat, et Simoniace Ecclesiam invaserat ejusque bona dilapidaverat. Eum anathematizat et sacerdotali officio privat; et item eos qui ab eo aliqua ecclesiæ prædia acceperunt ut ei faverent, quousque apostolicæ sedi se præsentet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Bambergensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

(380) Imo decima quarta, ad quam pertinent sequentes, exceptis tribus prioribus epistolis.

Litteras quas Poppo præpositus Ecclesiæ vestræ cum his qui secum erant decepti, simulata pœnitentia falsaque religione Herimanni olim dicti vestri episcopi, incaute a nobis nimia sub festinatione recedentes, ad vos deferre neglexerunt nostro sigillo insignitas, idcirco vobis ad præsens dirigere dignum duximus ut in eis manifeste cognoscatis quæ fuerit de jam dicto pseudoepiscopo nostra voluntas, quamque sententiam damnationis judicio sanctæ apostolicæ sedis in eum promulgavimus indubitanter credentes quoniam nullius supplicatio, aut fraudulenta suggestio ab eadem voluntate, sive sententia, ex eo quo se judicio sanctæ apostolicæ sedis subtraxit, animum nostrum potuit revocare, vel nunquam Deo auctore mutare valebit. Verum quia sub obtentu religionis ac mentitæ pœnitentiæ sanctam Bambergensem Ecclesiam, specialem quodammodo sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiam, tyrannide conatus est confundere, bonaque illius dilapidare atque disperdere, priorem sententiam confirmantes, ad cumulum damnationis ejus hoc addimus, ut irrecuperabiliter ab episcopali officio semotus, a sacerdotali quoque sit omnino seclusus quousque apostolicæ se audientiæ repræsentet, paratus eam cautionem facere quam vestræ Ecclesiæ cognoverimus expedire. Ab episcopali vero officio eum ideo segregamus, quia Simoniace invasit Ecclesiam. Sacerdotali quoque eum idicirco privamus, quoniam sub specie sanctitatis visus est eam dilaniare atque confundere. Et quia tanta mala contra Ecclesiam quoquo modo olim sibi commissam exercere non timuit, anathematis eum vinculo innodamus, quousque supradicto modo se apostolicæ audientiæ repræsentet, nisi forte in extremis ductus dignam pœnitientiam accipiat; eo tamen tenore, ut si convaluerit, simili modo, ut dictum est, se apostolicæ sedi repræsentare festinet. Eodem quoque anathemate percutimus eos qui ab initio promotionis ejusdem aliqua prædia Ecclesiæ ab eo acceperunt, ut sibi faverent ad ejus malitiam contuendam, præmaxime illos qui, postquam se apostolicæ sedis judicio subtraxit, ab eo aliquid in prædiis vel in thesauris Ecclesiæ acceperunt ad confovendum eum, ut in sua pertinacia perseveret, nisi resipuerint, videlicet ut condigna satisfactione quod prædicto sacrilegio peccaverunt emendent, nobisque suam pœnitentiam resignare festinent.

Data Laurenti, decimo tertio Kalendas Augusti, indictione decima tertia.

EPISTOLA II.

AD SIGEFRIDUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Ejusdem fere argumenti.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sigefrido (381) Moguntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Qualiter Bambergensis Herimannus, jam nunc A [Hermannus Bambergensium nunc] non episcopus, hoc anno Romam pœnitens [*lege,* petens. *Et sic in Mutin.*] se habuerit, vel qualiter se judicio apostolicæ sedis subtraxerit, quave fraude clericos prædictæ Ecclesiæ sub obtentu pœnitentiæ deceperit, et quomodo res ejusdem sibi contra Deum commissæ Ecclesiæ pejus quam prius destruxerit, et in clericos quondam sibi commissos sicut tyrannus surrexerit, vestra, ut reor, cognoscit fraternitas et certa dolet tristitia. Quocirca nos ulterius tantas non valentes impune ferre nequitias, et noviter inventas sævitias, maxime circa eam, quæ beato Petro specialiter commissa est Ecclesia, judicio sancti Spiritus per ejusdem auctoritatem beati Petri apostolorum principis prædictum Herimannum ab officio episcopali B atque sacerdotii deposuimus, et in perpetuo depositum censemus. Et quia hæresi junxit sacrilegium, et sacrilegio apertam tyrannidem, excommunicationis vinculo eum alligavimus, quousque se apostolicæ sedi repræsentet, quam conatus est non solum decipere, sed etiam dolo malo irridere. Si autem ad ultimum sibi diem pervenerit, non ei pœnitentiam et communionem denegamus, sed mox, ut poterit, apostolicam adire sedem, omnino illi præcipimus. Hæc ut publice maxime fratribus tibi subjectis coepiscopis notifices volumus, et ex parte beati Petri præcipimus, ut secundum sanctorum instituta Patrum summopere procures in prædicta Bambergensi Ecclesia pastorem ordinare; quatenus quod in prædicto Simoniaco negligenter egisti, comproberis emen- C dare.

Data Laurenti, decimo tertio Kalendas Augusti, indictione decima tertia.

EPISTOLA III.

AD HENRICUM REGEM ROMANORUM.

(Anno 1075.)

De Herimanno Bambergensi eadem quæ in superiori. Regem præterea monet, ut Ecclesiam Bambergensem recte ordinari curet.

Gregorius episcopus, servorum Dei, Henrico regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter cætera bonarum virtutum opera, fili charissime, ad quæ te meliorationis studio assurgere fama referente audivimus, duobus te modis sanctæ D matri tuæ, Romanæ Ecclesiæ scilicet, eminentius commendasti. In altero quidem, quia Simoniacis viriliter resistis; in altero vero quia clericorum castitatem, utpote servorum Domini, et libenter approbas et efficaciter desideras adimplere. Quibus de causis signum nobis proposuisti, opitulante Deo, altiora de te et præstantiora quæque sperandi. Quapropter et hæc te firmiter retinere valde optamus, et Dominum Deum nostrum ut ea tibi cumulatius augere dignetur suppliciter obsecramus. Cæterum de Bambergensi Ecclesia, quæ sui fundatoris institutione sanctæ et apostolicæ sedi, tanquam humeri capiti, membrum scilicet propinquius specialiori quadam

(381) Sigifrido *et sic ubique.*

cura sollicitudinis inhæret, vehementer dolemus, et ejus desolationi pro viribus occurrere, opitulari et consulere, officii nostri necessitate impellimur. Simoniacus enim ille Herimannus dictus episcopus hoc anno ad synodum Romam vocatus venire contempsit; sed cum propius Romam accessisset, in itinere substitit, et præmittens nuntios suos cum copiosis muneribus, noto sibi artificio innocentiam nostram et confratrum nostrorum integritatem pactione pecuniæ attentare, atque, si fieri posset, corrumpere molitus est. Quod ubi præter spem evenit, jam de damnatione sua securior, festinanter retrocessit, et blandis fallacibusque promissis clericorum qui secum erant animas lactans, aiebat se, si patriam repedare posset, ab episcopatu cessaturum et monasticæ vitæ professionem subiturum. Quam sponsionem qualiter impleverit, celsitudinem tuam, fili charissime, non latet. Quin etiam temeraria ulterius progressus audacia, clericos Ecclesiæ suæ, salutem et honorem quærentes, bonis suis despoliavit, et, nisi eum tua, ut audivimus, regalis potentia refregisset, penitus confudisset. His excessibus diligenter consideratis, ab episcopali eum atque sacerdotali officio dejecimus. Insuper quoniam Bambergensem Ecclesiam, apostolica beati Petri tuitione munitam, crudelius atque molestius quam ante infestare præsumpsit, anathematis eum vinculo innodavimus donec ecclesiasticam dignitatem illicite usurpatam deponat, et se nihilominus sedis apostolicæ judicio repræsentet. Nunc ergo, excellentissime fili, sublimitatem tuam hortamur, et pro nostræ sollicitudinis debito suademus, ut religiosorum consilio virorum eadem ecclesia ita secundum Deum ordinetur, quatenus beati Petri, cujus nomini et defensioni attitulata est, intercessione, divinæ merearis obtinere suffragia protectionis. Quid vero hac ipsa de causa Sigefrido confratri nostro Moguntino episcopo, et eidem Bambergensi clero et populo scripserim, ex litteris ad eos datis ad liquidum poteris cognoscere.

Data Romæ, decimo tertio Kalendas Augusti.

EPISTOLA IV.

AD SIGEFRIDUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1075.)

Hortatur ad pastorale munus fideliter obeundum. Præcipit ut inquirat num Strasburgensis episcopus Simoniacæ labis sit reus. Arguit eos qui concilium a se indictum differendum esse censebant; eique injungit ut Simoniam et fornicationem evellendam curet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Sigefrido Moguntino archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Plurimas in tuis litteris, frater, excusabiles, et quantum ad humanum spectat judicium validas protulisti rationes. Nec nobis quoque viderentur infirmæ, si hujusmodi possent in divino nos examine excusare. Rata siquidem videtur excusatio regni motus ac perturbatio, bella et seditiones, invasiones hostium ac perditio rerum vestrarum, insuper et formido necis, quam nostris dicitis fratribus imminere principis odio; vel ne hi qui de diversis partibus invicem inimicantur, si in unum conveniant, usque ad internecionis bella consurgant. Quæ sane omnia satis videntur ad cujuspiam excusationem idonea. Verum si consideremus quantum ab humanis judicia distant divina, nihil pene reperimus quod in superno examine excusabile proferamus, ut ab animarum lucris retrahi sine periculo valeamus; non damna siquidem rerum, non malorum simultates, aut ira potentum, non ipsius salutis quoque nostræ vitæque dispendium. In hoc quippe mercenarii a pastoribus distant quod hi, lupo veniente, dum sibi non ovibus metuunt, gregis direptionem dispersionemque contemnentes, eis relictis, effugiunt; pastores vero qui suas diligunt oves, eas nequaquam deserunt imminente periculo, pro quibus quoque non dubitant propriæ vitæ subire exitium. Quapropter oportet et nos studiis pastoralis officii insistere vigilanter, atque ad Domini gloriam ovium semper suarum salutem quærere, ad gregis custodiam socios instigare, et ut recto gressu commissis ovibus præcedant salubriter commonere. Namque si fratres nostros consideremus delinquere, et tacemus, si denique errare, et non eos ad rectitudinis semitam monendo revocare conemur, nonne et ipsi delinquimus, et errare merito judicamur? etenim qui negligit culpas emendare, committit. Et cur Heli sacerdos in Silo periit? et quid est quod Dominus loquitur per prophetam? *Maledictus,* inquit, *qui prohibet gladium suum a sanguine.* (*Jer.* XLVIII), id est verbum prædicationis a carnalium vitæ interfectione. Ut autem ad id quod ad præsens premit animum et quod quasi causa est nostri sermonis veniamus, quomodo ea patienter perferre valemus quæ de fratris nostris Strasburgensis episcopi moribus audivimus, et certa esse nonnulla veraci relatione cognovimus? Unde volumus atque præcipimus quatenus unum, quod apud nos adhuc manet in dubium, Simoniacæ videlicet hæreseos contagium, diligenter discutias, et quidquid super eo certum repereris nobis intimare non differas, quatenus, si verum fuerit, Christi Ecclesia tantis sordibus emundetur, et illius animæ, ne pereat, subveniatur; si vero (quod magis optamus) falsum, tanta infamia procul ab eo, adjuvante nos divina gratia, propellatur. Illi vero qui dicunt concilium quod vobis indiximus esse differendum, rogamus respondeant: Regii milites dudum, ut se ad bella pararent admoniti, quid tunc essent acturi, cum hostes in regia aula armis jam et igne sævirent? Dicant ergo utrum arma deberent ad ipsos hostes perturbandos et conterendos violenter corripere, an quid hostes agerent tantum inertes considerare. Quid enim aliud maligni spiritus agunt, nisi quod Christi Ecclesiam igne vitiorum incessanter devastare contendunt? Et quid regios milites, sanctos videlicet sacerdotes, oportet facere, nisi adversus eorum sævitiam clypeo charitatis munitos gladio divini verbi accinctos auctori-

tatis vigore consurgere? Quod autem dicis quosdam fratres non posse ad concilium convenire ob principis inimicitiam, dicimus ei [*forte*, eis, Hard., *et sic in Mutin.*] sufficere, si de suis clericis dirigant, qui pro eis valeant respondere. Sed quoniam non ignoramus quod a pluribus carnalibus ac sæcularibus dehorteris, ne in vinea Domini pro animarum lucris fortiter ac fideliter opereris, ne tuarum forte rerum, aut odiorum potentum discrimen incurras, te ex parte Dei omnipotentis et auctoritate beati Petri rogamus et monemus, quatenus nullius odio aut gratia, seu aliqua terrenarum rerum jactura, a rectitudinis tramite declinare præsumas; quin omnia, prout Spiritus sanctus donaverit, diligenter examines, et nobis quidquid certum constiterit quantocius insinuare procures. Multum namque debet nobis videri pudendum, quod quilibet sæculares milites quotidie pro terreno principe suo in acie consistunt, et necis perferre discrimina vix expavescunt: et nos, qui sacerdotes Domini dicimur, non pro illo nostro rege pugnemus, qui omnia fecit ex nihilo, quique non abhorruit mortis pro nobis subire dispendium, nobisque promittit meritum sine fine mansurum. Hoc autem adhuc tuæ fraternitati injungimus quatenus de Simoniaca hæresi ac fornicatione clericorum, sicut ab apostolica sede accepisti, studiose perquiras, et quidquid retroactum inveneris, legaliter punias, et funditus reseces, ac ne quidquid ulterius [*forte*, ne quid ulterius, Hard., *et sic in Mutin.*] fiat penitus interdicas.

Data Romæ, tertio Nonas Septembris, indictione incipiente decima quarta.

EPISTOLA V.

AD BEATRICEM ET MATHILDEM EJUS FILIAM.

(Anno 1075.)

Queritur de inconstantia regis Henrici, qui cum scripsisset se occultam legationem missurum propter principes sui regni, quos magis, de discordia quam de pace gaudere intelligebat, nunc mutato consilio omnia palam fieri volebat. Unde colligit illum pacem ex animo non cupere. De Gotefredo qui promissam fidem violaverat explicat quid sentiat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Beatrici duci, et Mathildi filiæ ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Non parum de vobis miramur quod de his quæ per vestras litteras mandastis nobis consulere decrevistis, cum constet apud vos quod idem rex duos ac nobiles ad religiosos viros ad nos ante mensem Augustum legatos miserit, qui videlicet adhuc nobiscum manent, per quos talia mandavit: Noverit vestra sanctitas, Pater, quoniam dum ego pene omnes principes mei regni de nostra magis discordia quam de mutua pace gaudere percipio, ad vos istos nuntios latenter dirigo, quos satis nobiles ac religiosos esse cognosco, et pacis bonum inter nos optare conjungi nequaquam dubito. Hoc autem quod mando, neminem scire volo præter vos, dominam matremque meam, atque amitam Beatricem et filiam ejus Mathildem. Me vero, adjuvante Domino, de expeditione Saxonica redeunte, alios legatos dirigam, quam familiariores ac fideliores habebo, per quos omnem vobis meam voluntatem et reverentiam, quam beato Petro et vobis debeo, significabo. Postea vero præfatis legatis dicendo mandavit quatenus non mirarentur, nec graviter ferrent quod promissos minime adhuc direxerit nuntios, eisque non fieret onerosum eos, donec ipse mitteret, præstolari, quoniam procul dubio illios missurus erat, et in eadem sententia immobiliter permanebat. Nunc autem qualiter hoc consilium versum sit, et quod facere latenter disposuerat palam fieri velit, penitus miramur, nisi quod datur intelligi, quia ipse nequaquam hanc cupiat pacem componi, quam modo vult palam eis fieri, quibus eam antea volebat abscondi, et de quibus idem testabatur magis eos de nostra discordia quam de mutua concordia lætari. Quapropter vos scire volumus nos huic petitioni nullatenus consensuros, quoniam quod modo inventum est non videtur beato Petro ac nobis honorabile velle ejus utilitati provenire. Quod si ad prius revertatur consilium, id videtur salubrius nobisque sequendum. De consilio vero quod expetistis a nobis quid vobis sit respondendum Gotefredo nescimus, cum ille aperte infregerit quod vobis juramento promisit, nec certum quidquam de ipsius promissionibus credere valeamus. Verum si aliquod fœdus, quod a sanctorum Patrum sanctione non discrepet, inire cum eo poteritis, nobis laudandum videtur; sin autem, charitatem, qua nos Deus conjunxit, nullo modo posse dissolvi aut aliquatenus minorari, certissime apud vos constare optamus. Unde si vos dilexerit, eum diligemus, si vero ex sua culpa odio habere cœperit, sicut charissimas filias modis quibus poterimus vos diligendo, ei Deo favente, resistemus.

Data Romæ, tertio Idus Septembris, indictione decima quarta.

Depositio regis Henrici filii imperatoris Henrici, et absolutio omnium qui sibi præstiterant juramentum (382).

Beate Petre, apostolorum princeps, inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, etc., *ut infra in concilio Romano* III.

EPISTOLA VI.

AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

(Anno 1075.)

Injuriam apostolicæ sedis exaggerans, hortatur ad divinam opem implorandam, ut aut impios ad pœnitentiam convertat, aut eorum consilia reprimat, eisque exemplum anathematizationis regis mittit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus qui cupiunt se annumerari inter oves quas Christus beato Petro commisit, salutem et apostolicam benedictionem.

(383) Audistis, fratres, novam et inauditam præsum-

(382) Hoc totum deest in Mutin.

(383) Omittitur tota in Mutin; hinc septima sexta signatur.

ptionem, audistis sceleratam schismaticorum et nomen Domini in beato Petro blasphemantium garrulitatem et audaciam, audistis superbiam ad injuriam et contumeliam sanctæ et apostolicæ sedis elatam, qualem vestri patres nec viderunt nec audierunt unquam, nec Scripturarum series aliquando a paganis vel hæreticis docet emersam; cujus mali et si aliquod unquam post fundatam et propagatam fidem Christi præcessisset exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu et conculcatione apostolicæ, imo divinæ auctoritatis, dolendum foret et gemendum. Quapropter si beato Petro claves regni cœlorum a Domino Deo nostro Jesu Christo traditas esse creditis, et vobis per manus ipsius ad æternæ vitæ gaudia introitum patere cupitis, cogitandum vobis est quantum nunc de irrogata sibi injuria dolere debeatis. Nisi enim hic, ubi per discrimina tentationum vestra fides et corda probantur, socii passionum efficiamini, procul dubio non estis digni ut participes futuræ consolationis et filii regni cœlestem coronam et gloriam sortiamini. Rogamus igitur charitatem vestram, ut instanter divinam misericordiam implorare studeatis, quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quam insipientes et stulti sunt qui petram a Christo fundatam evertere, et divina privilegia violare conantur, ostendat. Qualiter autem aut pro quibus causis beatus Petrus anathematis vinculo regem alligaverit, in chartula quæ huic inclusa est plene potestis cognoscere.

EPISTOLA VII.

AD HENRICUM REGEM ROMANORUM.

(Anno 1075.)

Lætatur regem religiosis viris discordiæ causam, quæ inter eos intercedebat, commisisse, quorum consilio ait se eum ad Ecclesiæ gremium recepturum. Hortatur ut erga Saxones devictos clementer se gerat, et in locum Herimanni depositi alium in Bambergensi Ecclesia canonice subrogandum curet.

GREGORIUS, episcopus servus servorum Dei, HENRICO regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quando litteras tuæ magnitudinis accepi, longe ab urbe maxime [*forte,* maximæ, HARD.] causa infirmitatis aberamus, cum quibus [*f.,* et ab his, *sic et in Mutin.*] necessarium erat tractare quid vestræ legationi ad plenum, sicut oportet, responderem. Vester etiam nuntius, horum videlicet portitor, ob prædictam causam ægritudinis timebat nobiscum manere. Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem Deus in summo rerum posuit culmine, sed etiam cum omnibus hominibus pacem quæ in Christo est habere, jusque suum unicuique observare, cupimus summopere corde et animo adhærere. Novi enim (quod te credo non ignorare) quia qui Deum revera diligunt, et Romanam Ecclesiam Romanumque imperium ad vindictam [*forte,* ac vindictam, HARD.] suorum criminum non pertimescunt, inter nos pacem et concordiam inserere agendo vel orando concupiscunt. Quapropter bonam concepi fiduciam, A quia hanc nostram, imo totius Ecclesiæ causam, religiosis hominibus cœpisti committere, qui nos non nostra injuste diligunt, et ut Christiana instauretur religio suam [*forte,* solam, HARD.] intentionem requirunt. Ego autem (ut paucis loquar) horum consilio paratus sum, Christo favente, gremium tibi sanctæ Romanæ Ecclesiæ aperire, teque ut dominum fratrem et filium suscipere, auxiliumque prout oportuerit præbere, nihil aliud a te quærens, nisi ut ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare, et Creatori tuo, sicut et decet, non contradicas offerre gloriam et honorem. Valde quippe indignum est ut honorem, quem a conservis et fratribus nostris exigimus, Creatori et Redemptori nostro reddere contemnamus. Moveat itaque nos divina promissio, B qua dicitur : *Ego glorificantes me glorificabo, et qui me contemnunt, erunt ignobiles* (*I Reg.* II); et offeramus ei quod placet nobis hac in via [vita] sæculari, ut perfruamur in cœlestibus dono spirituali. De superbia vero Saxonum vobis injuste resistentium, quæ divino judicio a facie vestra contrita est, et gaudendum est pro pace Ecclesiæ, et dolendum, quia multus Christianorum sanguis effusus est. Vos autem in talibus plus honorem Dei et justitiam ejus procurate defendere quam honori proprio providere; securius enim quilibet princeps mille impios potest causa justitiæ punire quam propriæ causa gloriæ quemlibet Christianum gladio sternere. Omnia enim creavit et regit, qui dixit : *Ego gloriam meam non quæro* (*Joan.* VIII). Saluti quippe nostræ tunc vere C providemus, eum in cunctis nostris actibus gloriam Dei proponimus. De Herimanno vero quodam nuncupato Bambergensi episcopo, noverit vestra sublimitas, quia jamdiu est ex quo per quemdam ejusdem Ecclesiæ clericum vobis nostroque confratri Sigifredo Moguntino archiepiscopo et clericis prædictæ Ecclesiæ misimus per nostras litteras quod auctoritate apostolicæ sedis ab omni episcopali et sacerdotali dignitate sit depositus, et anathematis vinculo alligatus, quia non timuit Simoniacæ hæresi sacrilegium adjicere, sanctamque Ecclesiam sibi commissam sicut tyrannus devastare. Unde rogavimus et ex parte beati Petri præcepimus et præcipimus, ut in prædicta Ecclesia secundum Deum talis pastor ordinetur, qui quod fur et latro mactavit Deo D favente vivificet, et quod ille dissipavit valeat resarcire. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis et intercessione beatorum apostolorum Petri et Pauli sua pietate in hac vita vos [nos] protegat, et cum dupla victoria perducat [nos] ad vitam æternam.

EPISTOLA VIII.

AD TEDALDUM CLERICUM MEDIOLANENSEM.

(Anno 1075.)

Arguit eum quod, superstite episcopo canonice electo, se in illius locum intruserit. Monet ut synodum proxime habendum accedat, eique ad se venienti fidem publicam promittit, præcipiens ne interim sacros ordines suscipiat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, TE-

DALDO Mediolanensi clerico, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierit.

Nuntiatum nobis est a quibusdam nostris [vestris] fidelibus et tuis amicis te amicitiam nostram cupere et expetere, quam nos quidem etiam non quæsitam gratis offerimus; quæsitam vero promptissime damus, si in his quæ Dei sunt, nostris monitis, imo divinæ voluntati ad justitiam te acquiescere velle cognoverimus. In causa etenim quam suscepisse videris, et nostræ sollicitudini necessitatem gravioris sarcinæ superaddidisti, et teipsum quibus non oportuit implicuisti; in qua nimirum causa, sicut periculosum nobis esset aliquid ultra limitem æquitatis prosequi, ita etiam justitiæ regulas declinare et sub silentio dissimulare putamus. Non autem prudentiam tuam ignorare credimus, quod ad episcopalem cathedram, in qua positus es, ante te alia quæ adhuc superstes est fuerit assignata persona; quæ nisi justis rationibus prius excepta fuerit, legitimum in ea tibi aut cuiquam patere locum nec canonica nec apostolica censura permittit. Nam de illo quid dicendum nobis est, qui dum honorem ejusdem sedis nefandis affectaret desideriis, quod justitia sibi denegavit sacrilega vi et armis invadere ac diripere non pepercit, quem ambitionis culpa, quam deserere noluit, usque ad justam damnationis tuæ perniciem traxit? De eo nobis est sermo qui nobiscum est, quem electum in eadem Ecclesia certe cognovimus; sed cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione. Quapropter, teste conscientia nostra, sincero charitatis affectu te admonemus ut si Ecclesiam diligis, et te pariter atque illam a periculo confusionis eripere cupis, ad proximam synodum, quam in prima hebdomada venturæ Quadragesimæ, Deo annuente, celebrare disposuimus, vel si malles, ante synodum apostolica limina et nostram requiras præsentiam, quatenus de introitu tuo, priusquam te gravius præcipites, æqua, opitulante Deo, examinatione peracta, quod tu ipse tutum tibi fore cognoveris absque impedimento et periculo animæ tuæ sequi ac tenere possis. Nec dubitandum tibi credas, si huic, qui nobiscum est, dictante justitia cessandum esse perspexerimus, quin in promotione tua benevola concessione ad honorem omnipotentis Dei et beati Ambrosii assensum pariter præbeamus et studium. Ad tollendam vero totius periculi suspicionem, securitatem tibi per manus filiarum nostrarum Beatricis et ejus filiæ Mathildis promittimus, et indubitanter damus, ut nihil tibi, vel his qui in tuo comitatu fuerint, contrarietatis a nobis vel nostris inferatur; sed in rebus et personis vestris, tam in veniendo quam redeundo, tuti penitus et illæsi, Deo custodiente, maneatis, ostensa solummodo et confirmata ea quæ in causa tua fuerit tenenda sententia. Interim quoque ex parte Dei omnipotentis, et apostolica beati Petri auctoritate, tibi præcipimus ut nullum de sacris ordinibus gradum recipere præsumas, sciens quoniam si non obediens nobis modo non credideris, pœnitebit te quandoque, cum tuamet præcipitatione te eo mersum videbis, unde cum volueris salvum te eripere non possis. Si qui igitur non percipientes ea quæ Dei sunt, aliter tibi suggerere et persuadere incipiant, ostentantes quanta tib sint in rege præsidia, quanta in tua nobilitate potentia, quanta etiam in civibus tuis adjutoria, tutum tibi illis credere non existimes, considerans quid Scriptura dicat : *Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine* (*Jer.* XVII, 7). Atque hoc in animo gerens, quod regum et imperatorum virtus, et universa mortalium conamina, contra apostolica jura et omnipotentiam summi Dei quasi favilla computentur et palea, nullius unquam instinctu vel fiducia adversus divinam et apostolicam auctoritatem obstinata temeritate te rebellem et pertinacem fieri libeat.

Data Romæ, VIII [VI] Idus Septembris [Decembris], ind. XIV.

EPISTOLA IX.

AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS.

(Anno 1075.)

Significat se Tedaldum in Mediolanensi Ecclesia intrusum ad synodum vocasse. Præcipit eis ne ullus audeat eum ad sacros ordines promovere.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, fratribus, et episcopis coepiscopis, GREGORIO Vercellensi, CUNIBERTO Taurinensi, INGONI [HUGONI] Astensi, OGERIO Eporediensi, OPIZONI Laudensi, et cæteris suffraganeis sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ obedientibus apostolicæ sedi, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse volumus de Tedaldo Mediolanensi clerico, quem rex, præterquam nobis litteris ac legatorum verbis promiserit, in Mediolanensem Ecclesiam posuit, quod episcopalem sedem, ad quam alia prius quæ adhuc superstes est fuerit assignata persona, non satis ordinate suscepisse videtur. Quod cum per quosdam fideles nostros nostram requireret amicitiam, scripsimus et hoc nos multum velle et cupere, atque eo pacto facillimum convenire posse, si requisitis apostolorum liminibus et nostra præsentia causam promotionis suæ puram atque probabilem ostendere vellet et posset. Ad quod exsequendum amicabiliter eum vocavimus, et præfixo sibi termino ad proximam synodum venturæ Quadragesimæ, aut, si malit, ante synodum firmam securitatem veniendi ad nos et redeundi ex nostra parte promisimus, et dare parati sumus. Insuper etiam ne interim aliquem de sacris ordinibus gradum recipiat apostolica ei auctoritate interdiximus. Quod item et vobis per eam quam beato Petro apostolorum principi debetis obedientiam, et ex nostra quam per illum, licet indigni, suscepimus, apostolica auctoritate interdicimus ut nullus vestrum ad promotionem alicujus ordinis manum ei præsumat imponere, donec oblata nobis sua præsentia, quid de introitu ejus judicandum et statuendum sit sincera,

Deo adjuvante, possimus examinatione discernere. Quod quidem cum communi consilio et conjuncta omnium vestrorum discretione ac judicio fieri permaxime cupimus, si vel illius Ecclesiæ cura, vel respectus apostolicæ reverentiæ, aut nostra charitas vos ad hoc negotium convocare poterit. Videte igitur ne quis vestrum contempto hoc interdictu ad illius pariter et sui periculum manum extendat, quoniam si quis, quod non credimus, in ea præsumptione se occupare proruperit, continuo se a gratia beati Petri et nostra dilectione, nec non a communione sacri corporis et sanguinis Domini sequestratum esse cognoscat. Verum id agite, id, si Dominum diligitis, efficere procurate, ut frater ille, dum potest, dum locum habet, sibi et Ecclesiæ consulat, paci vestræ et saluti tantæ multitudinis hominum pene periclitantium provideat, nec suamet præcipitatione casum petens multos secum ad commune periculum trahat. In quo nunc apparebit quis sit pastor in vobis iniquitati aperte resistens, quis sit fur simulationem faciens, quis latro manifeste justitiæ contradicens. Considerate ergo quomodo caute ambuletis, quia sicut durum est contra stimulum calcitrare, sic asperum est sanctæ Romanæ Ecclesiæ contraire, cui vos tanquam matri semper oportet obedire.

Data Romæ, sexto Idus Octobris [Decembris], indictione decima quarta.

EPISTOLA X.

AD HENRICUM REGEM ROMANORUM.

(Anno 1075.)

Arguit quod cum excommunicatis communicet. Monet ut si ita est, ab aliquo episcopo absolutionem petat. Miratur eum litteris et legationibus devotum se erga Romanam Ecclesiam ostendere; re tamen eidem adversari, et decreta a se in synodo edita non observare. Hortatur ad veram obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstandam. Demum monet ne ecclesiasticæ libertati velit esse impedimento.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO regi, salutem et apostolicam benedictionem (384); si tamen apostolicæ sedi, ut Christianum decet regem, obedierit [obediat].

Considerantes ac sollicite pensantes quam districto judici de dispensatione crediti nobis per beatum Petrum apostolorum principem ministerii rationem reddituri sumus, cum dubitatione apostolicam tibi benedictionem mandavimus, quoniam judicio sedis apostolicæ ac synodali censura excommunicatis communionem tuam scienter exhibere diceris. Quod si verum est, tu ipse cognoscis quod nec divinæ nec apostolicæ benedictionis gratiam percipere possis, nisi his qui excommunicati sunt a te separatis et compulsis ad pœnitentiam de transgressione tua condigna pœnitudine et satisfactione prius absolutionem consequaris et indulgentiam. Unde excellentiæ tuæ consulimus ut, si in hac re te culpabilem sentis, celeri confessione ad consilium religiosi alicujus episcopi venias, qui cum nostra licentia congruam A tibi pro hac culpa injungens pœnitentiam te absolvat, ut nobis tuo consensu modum pœnitentiæ tuæ per epistolam suam veraciter intimare audeat. De cætero mirum nobis valde videtur quod toties nobis tam devotas epistolas et tantam humilitatem tuæ celsitudinis per legatorum tuorum verba transmittis, filium te sanctæ matris Ecclesiæ et nostrum vocas in fide subjectum, in dilectione unicum, in devotione præcipuum, postremo cum omni affectu dulcedinis et reverentiæ te commendas, re tamen et factis asperrimum, canonicis atque apostolicis decretis in his quæ ecclesiastica religio maxime poscit te contrarium ostendis. Nam ut de reliquis taceamus, quod de causa Mediolanensi per matrem tuam, per confratres nostros episcopos quos ad te misimus, nobis promiseras, qualiter attenderis, aut quo animo promiseris, ipsa res indicat, et nunc quidem ut vulnus vulneri infligeres, contra statuta apostolicæ sedis tradidisti Firmanam et Spoletanam Ecclesiam; si tamen ab homine tradi Ecclesia aut donari potest quibusdam personis nobis etiam ignotis; quibus non licet nisi probatis et ante bene cognitis regulariter manum imponere. Decuerat regiam dignitatem tuam, cum te filium Ecclesiæ confiteris, honorabilius magistrum Ecclesiæ, hoc est beatum Petrum apostolorum principem intueri, cui, si de Dominicis ovibus es, Dominica voce et potestate ad pascendum traditus es, dicente sibi Christo : *Petre, pasce oves meas* (*Joan.* XVII), et iterum : *Tibi traditæ sunt claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). In cujus sede et apostolica administratione dum nos qualescunque peccatores et indigni divina dispositione vicem suæ potestatis gerimus, profecto quidquid ad nos vel per scripta, ut nudis verbis miseris ipse recipit; et dum nos aut elementa percurrimus, aut loquentium voces auscultamus, ipse ex quo corde mandata prodierint subtili inspectione discernit.

Quapropter providendum esset tuæ celsitudini, ne erga sedem apostolicam in verbis et legationibus tuis aliqua inveniretur discrepantia voluntatis, et in his, per quæ Christiana fides et status Ecclesiæ ad æternam salutem maxime proficit, non nobis, sed Deo omnipotenti debitam non denegares reverentiam, quanquam apostolis eorumque successoribus Dominus dicere dignatus sit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X). Scimus enim quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ sanctorum Patrum statuta sequentes dixerimus, veluti si ab ore ipsius apostoli accepisset, nostra monita servare non spernit. Nam si propter reverentiam cathedræ Moysi Dominus præcepit apostolis ut quæcunque Scribæ et Pharisæi super eam sedentes dicerent observarent; non dubium est quin apostolica et evangelica doctrina, cujus sedes et

(384) *deest* et apost. bened.

fundamentum Christus est, cui omni veneratione a fidelibus per eos qui in ministerium prædicationis electi sunt, suscipienda et tenenda sit. Congregata namque hoc in anno apud sedem apostolicam synodo, cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum infuere fidelium, videntes ordinem Christianæ religionis multis jam labefactatum temporibus, et principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, et suadente diabolo conculcatas, concussi periculo et manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam et unicam ecclesiasticæ disciplinæ regulam, et tritam sanctorum viam relicto errore repetendam et sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis et æternæ vitæ introitum Christi ovibus eorumque pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum qui dixit: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet* (*Joan.* x): et ab apostolis prædicatum, et a sanctis Patribus observatum in evangelica et in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus.

Hujus autem decreti, quod quidam dicunt, humanos divinis honoribus præponentes, importabile pondus, et immensam gravitudinem; nos autem magis proprio vocabulo, recuperandæ salutis necessariam veritatem vocamus et lucem, non solum a te, vel ab his qui in regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum principibus et populis qui Christum confitentur et colunt, devote suscipiendam et observandam adjudicamus. Quanquan hoc multum desideremus et te permaxime deceret, ut sicut cæteris gloria, honore virtuteque potentior, ita esses et in Christi devotione sublimior. Attamen ne hæc supra modum tibi gravia aut iniqua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus ne pravæ consuetudinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos quos sapientes et religiosos in regno tuo invenire posses: qui si aliqua ratione demonstrare vel astruere possent, in quo salvo æterni Regis honore, et sine periculo animarum nostrarum promulgatam sanctorum Patrum possemus temperare sententiam, eorum consiliis condescenderemus. Quod quidem etsi a nobis tam amicabiliter monitus non fuisses, æquum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremus, aut tuis honoribus obstaremus, rationabiliter a nobis exigeres quam apostolica decreta violares. Verum quanti aut nostra monita aut observantiam justitiæ feceris, in his quæ postmodum a te gesta et disposita sunt declaratur. Sed quia dum adhuc longa Dei patientia ad emendationem te invitat, crescente intelligentia tua ad obedientiam mandatorum Dei cor et animum tuum flecti posse speramus. Paterna te charitate monemus, ut Christi super te imperium recognoscens, honorem tuum ejus honori præponere quam sit periculosum cogites, et libertatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cœlesti consortio jungere dignatus est, non jam tua occupatione impedias, sed quo maxime crescat Deo omnipotenti et beato Petro, a quibus et tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli devotione exhibere incipias. Quod nimirum, pro collata tibi ex hostibus tuis victoria, nunc te permaxime illis debitum fore cognoscere debes, ut dum te memorabili prosperitate lætificant, ex concessis beneficiis devotionem videant. Atque hoc ut timor Dei, in cujus manu et potestate omne regnum est et imperium, præcordiis tuis altius quam nostra admonitio infigat, in mente habeas quid Sauli post adeptam victoriam, qua propheta jubente usus est, de suo triumpho glorianti, et ejusdem prophetæ monita non exsequenti acciderit, et qualiter a Domino reprobatus sit; quanta vero gratia David regem ex merito humilitatis inter virtutum insignia subsecuta fuit. Denique super his quæ in epistolis tuis visa ac cognita reticemus, non antea tibi certa responsa dabimus, donec legati tui Rabbodi Adelprech [Adelprecus] et Vodescal Requos [Vodescalcus, quos] his adjunximus, ad nos reversi, super his quæ illis tecum agenda commisimus tuam nobis plenius aperiant voluntatem.

Data Romæ, sexto Idus Januarii, indictione decima quarta.

EPISTOLA XI.

AD ARNALDUM EPISCOPUM ACHERUNTINUM.

(Anno 1075.)

Potestatem facit a peccatis absolvendi Rogerium comitem una cum ejus militibus contra paganos pugnaturis, si tamen pœnitentiam egerint. Monet ut ad religionem inter paganos propugnandam eosdem incitet. Paratum se ostendit Robertum ab excommunicatione absolvere, si devotum erga Romanam Ecclesiam se ostenderit. Injungit ut Balduino Melphitano episcopo post peractam pœnitentiam episcopale munus reddat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ARNALDO fratri et coepiscopo ACHERUNTINO, salutem et apostolicam benedictionem.

Noverit fraternitas tua quoniam Rogerius (385) comes, frater Roberti ducis, apostolicæ sedis benedictionem et absolutionem requirit, ejusque filius vocari et esse desiderat. Quapropter pastorali cura hoc laboris onus tibi imponimus, imo ex parte beati Petri imperamus, ut postposita omni torporis desidia illum adeas, eumque hujus nostri præcepti auctoritate fultus, si nobis parere, sicut pollicitus est, voluerit, et pœnitentiam (ut oportet Christianum) egerit, ab omni peccatorum suorum vinculo, tam illum quam etiam suos milites qui cum eo contra paganos (ita tamen ut agant pœnitentiam) pugnaturi sunt, peccatis maxime absolvas. Addimus præterea ut eum pia admonitione admoneas quatenus se capitalibus criminibus custodiat, et Christiani nominis culturam inter paganos am-

(385) De Rogerio qui fuit Siciliæ comes Leo Ostiensis l. III, c. 15, Otto Frisingensis libro De gestis Friderici.

plificare studeat, ut de eisdem hostibus victoriam consequi mereatur. Amplius si de Roberto duce fratre suo aliquid tibi retulerit, respondeas ei quoniam Romanæ Ecclesiæ janua misericordiæ omnibus patet, quicunque pœnitentiæ amore ducti offensionis scandala deserunt, et ad rectitudinis viam inoffenso pede regredi concupiscunt. Si igitur dux Robertus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut filius, parere exoptat, paratus sum paterno amore eum suscipere, et suo consilio ei justitiam conservare, et ab excommunicationis vinculo penitus absolvere, et inter divinas oves eum adnumerare. Quod si renuerit idem Robertus dux, ut cum eo ultra communicet ex parte apostolicæ sedis licentiam non poterit impetrare. Hoc etiam tuæ fraternitati injungimus ut confratri nostro Balduino Melphitano episcopo, qui correctionem universalis matris humiliter et audivit et observavit, sicut a fratribus nostris accepimus, officium episcopale hujus nostri præcepti fultus auctoritate, ex parte beati Petri, post pœnitentiam datam de aliquibus excessibus, reddas et sicut ego pro illo preces confratris nostri Stephani Trojani audivi episcopi, ita ipse illum de sua salute nostri ex parte monitus audire procuret, suamque vitam semper in melius, Deo adjuvante, perducat.

Data Romæ, secundo Idus Martii, indictione decima quarta.

EPISTOLA XII.

AD UDONEM, THEODORICUM ET HERIMANNUM EPISCOPOS.

(Anno 1076.)

Monet ut a schismaticis caveant, et quod eorum suasione deliquerunt corrigant; utque episcopum Tullensem, qui contra sedem apostolicam insurrexerat moneant ut pontifici obediat; quod si parere noluerit, excommunicatum illum denuntient.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis Udoni Trevirensi, Theodorico Virdunensi, et Herimanno Metensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras apostolicæ sedis ideo vobis dirigendas esse censuimus, quia schismaticis, qui contra Dominum et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ se erexerunt, non sponte vos consensisse intelleximus. Qua in re qualiter resipiscere vos oporteat, cum eamdem quam nos habemus fidem, et de sanctorum Patrum libris scientiam habeatis, omisimus significare, sperantes fraternitatem vestram stultissimam inimicorum nostrorum præsumptionem detestari, et in ea qua debetis, et soliti estis devotione et amore sanctæ apostolicæ sedi fideliter uniri. Unde rogamus et admonemus ut quod schismaticorum persuasione deliquistis competenti emendatione corrigatis, ut sicut mater vestra de excessu vestro condoluit, ita de satisfactione lætetur. Volumus etiam ut vice nostra Pipponem Tullensem episcopum admoneatis, quatenus ea quæ sibi injunximus deinceps facere non omittat. Decuerat enim ut de objectis sibi debuisset respondere magis quam contra auctoritatem principis apostolorum ad defensionem iniquitatum suarum arma corripere, atque regem sollicitare id contra nos præsumere, quod nunquam licuit, neque, Deo annuente, licebit in aliquem clericorum fieri. Qui si verba exhortationis nostræ contempserit, auctoritate beati Petri eum a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi separatum esse sibimet notificetis et non solum in anima, sed in corpore ipsius principis apostolorum ultione digna fore puniendum (386).

EPISTOLA XIII.

AD ROSELLANOS.

(Anno 1076.)

Exponit sententiam latam in causa quæ vertebatur inter Ecclesiam Rosellanam et Populoniensem.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Rosellanæ Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia officii nostri est discordes ad concordiam revocare, discordiam inter Rosellanam et Populoniensem Ecclesiam graviter exortam diligenti examinatione discussimus. Tandem post varias utrinque prolatas rationes claruit non solum per privilegia apostolicæ sedis, verum etiam per quoddam diffinitionis scriptum, præsentia Silvestri papæ, et clericorum Romanorum judicio confirmatum, quidquid in quæstione fuerat Rosellanæ Ecclesiæ pertinere. Unde collaudatione tam episcoporum quam etiam Romanæ Ecclesiæ clericorum, præfatam litem eo tenore decidimus, ut investitura Rosellano episcopo deinceps concessa, si ante proximum Dominicæ Ascensionis festum aliquam scriptionem Populoniensis episcopus ostenderit, quæ ostensa nobis papæ Silvestri juste improbare videatur, Populoniensis episcopus ad reclamandum et renitendum licenter admittatur. Sin autem ab eadem festivitate hujusmodi controversia perpetuum silentium habeat, et Rosellana Ecclesia apostolicæ sedis iterata diffinitione fulta, in perpetuum ab hac questione quiescat, et insuper deinceps privilegium [*forte*, per privilegium munita. Hard] diffinitionem nostram latius continens munitum, prædia, quorum lis tantis temporibus ventilata est sine aliqua molestatione possideat.

EPISTOLA XIV.

AD DOMINICUM PATRIARCHAM GRADENSEM.

(Anno 1076.)

Gratias agit de ejus observantia erga Romanam Eccle-

(386) *In cod. Mutin. post* puniendum *hæc addunt :* Verum id agite; id, si Deum diligitis, procurate; ni frater ille, dum potest, dum locum habet, sibi et Ecclesiæ consulat, pari vestræ et saluti tantæ multitudinis hominum pene periclitantium providere ne in suamet præcipitatione cassum petens multos secum ad commune periculum attrahat, in quo nunc apparebit quis sit pastor in nobis iniquitati aperte resistens, quis sit fur simulationem faciens, quis latro manifestæ justitiæ contradicens. Considerate ergo quomodo caute ambuletis, quia sicut durum est contra stimulum calcitrare, sic asperum est sanctæ Romanæ Ecclesiæ contraire, cui nos, tanquam matri, semper oportet obedire.

siam. Ostendit ideo Teutonicos et Longobardos episcopos contra se insurgere, quia eorum criminibus obviam iret. De Giraldo Sipontino episcopo respondere in aliud tempus differt.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DOMINICO patriarchæ Gradensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam (sicut in tuis litteris continetur) te puro corde venerari, nosque pro amore apostolorum principis sincera charitate diligere profiteris, fraternitati tuæ grates referimus, et rependendo vicem ejusdem dilectionis tam Ecclesiæ tuæ, quam tibi salvo librami ne æquitatis honori vestro providere semper parati sumus. Quoniam vero mirari ac nimium te dolere dixisti, quod Longobardi, atque nonnulli Teutonicorum episcopi in nos insaniendo tam vehementi odio inardescunt, nullius culpæ nostræ conscientia inde redarguit. Sed scimus ob nil aliud eos illo conamine niti, nisi quod ex præcepto Dei atque sanctorum prædecessorum nostrorum illorum perversitatibus obviamus, eosque ad rectum tramitem justitiæ reducere, si possibile esset, ex debito sollicitudinis divina dispensatione nobis superimpositæ procuramus. De litteris autem a fraternitate tua nobis directis, nullo studio comperire potuimus, quod hinc illuc fuerint reportatæ. Super quæstione quoque confraternitas tua de Giraldo Spontino episcopo nobis suggessit, ad præsens pro absentia episcopi vobis respondere non possumus. Cum autem venerit, Deo concedente, causa diligenter exquisita, justitiæ [*forte*, justa, HARD.] providebimus. Principis vero vani negotium nulla ratione videre possumus, ut ad præsens illum quem postulat consequi possit vel debeat habere effectum.

Data Romæ, indictione decima quarta.

EPISTOLA XV.

AD WIFREDUM MEDIOLANENSEM MILITEM.

(Anno 1076.)

Insinuat Normannos cupidos esse componendæ pacis, seque sperare eos ad fidelitatem sancti Petri reversuros cum Henrico quoque rege se pacem habiturum, si mores mutaverit. Hortatur ut in Ecclesiæ defensione perseveret, et alios idem facere moneat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Wifredo Mediolanensium episcopi [*Mediolanensi militi*] salutem et apostolicam benedictionem.

Quia sollicitum te de honore Christianæ fidei litteris tuis significasti æquum duximus prudentiæ tuæ rescribere. Scias igitur Normannos verba componendæ pacis nobiscum habere; quam libentissime jam fecissent, et beato Petro, quem solummodo dominum et imperatorem post Dominum habere desiderant, humiliter satisfecissent, si voluntati eorum in quibusdam annueremus. Sed, Deo auxiliante, hoc non cum detrimento, sed cum augmento Romanæ Ecclesiæ in proximo speramus facere, et eos ad fidelitatem beati Petri firmiter et stabiliter revocare. Cum rege quoque Alemaniæ de componenda pace multis jam vicibus quidam aures nostras interpellaverunt, quibus nos respondimus, cum eo nos pacem velle habere, si ipse cum Deo pacem studuerit habere, et ea quæ ad periculum sanctæ Ecclesiæ, et ad cumulum perditionis suæ commisit, juxta quod sæpe a nobis admonitus est emendaverit. Sed quia in potentia divinæ virtutis magis quam in homine fidem, spem et omnes cogitatus nostros collocavimus, volumus ut tu etiam, quem ad confortandos Christi milites animum et fortitudinem resumpsisse intelligimus, firmiter in Deo confidas; et exspecta ejus auxilium et consolationem tibi et omnibus justitiam et legem Dei diligentibus adfuturam et diaboli membra, non nisi quantum Deus permiserit, innocentiæ nostræ nocitura. Ecce diabolus palam in mundo dominatur, ecce omnia membra sua se exaltasse lætatur; sed qui dixit: *Confidite, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI) det vobis certissimam fidem festinanter se Ecclesiæ suæ succurrere, et diabolum et membra ejus omnino confundere. Antiquas enim et nostri temporis considerantes permutationes probabiliter invenimus dominium diaboli tanto minus duravisse, quanto magis visum fuit exaltari, et in Christianam religionem prævaluisse. Tu itaque, charissime fili, confortare in Domino, et in potentia virtutis ejus (*Ephes.* VI), et eos conforta quos in Christiana fide cognoveris permanere, eos autem qui fidem Christianam operibus negavere ut resipiscant admone, ut erubescant in servitute diaboli vivere. Quæ autem hic minus scribimus, cum locuti fuerimus cum fidelibus sancti Petri, plenius indicabimus, vobisque adjutorium, Deo favente dare curabimus. Omnipotens Deus meritis summæ dominæ et beatorum apostolorum Petri et Pauli atque beati Ambrosii precibus mentes vestras illuminet, et in lege sua vos semper stabiliat, ut mereamini cum his adnumerari qui diabolum cum suis membris judicabunt et cum Christo semper regnabunt.

Data Romæ, indictione decima quarta.

EPISTOLA XVI.

AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

(Anno 1076.)

Queritur de injuriis ab Aurelianensi episcopo Ecclesiæ suæ illatis, de illius inobedientia et Simonia Vultuteum moneat ut suæ Ecclesiæ satisfaciat, et, nisi paruerit, excommunicetur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RICHERIO Senonensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam intellexisse credimus quantum injuriæ Aurelianensis Ecclesia negligentia episcopi sui, imo agente ipso, sustinuerit, et quam injuste patientia apostolicæ sedis abusus fuerit; quæ iniquitates suas auribus nostris delatas non solum discutere distulit, verum etiam regis Francorum eum ejicere cupientis accusationibus nullum assensum præbuit, imo quidquid in periculum suum fieri excogitaverat, studio vigilantissimæ sollicitudinis impedivit. Non enim videbantur hujus accusationis

verba, etiamsi vera essent, suscipienda, neque in eum aliquid, nisi legali discussione et judicio, promulgandum. Sed ipse hujus mansuetudinis et tantæ charitatis oblitus, fructum inobedientiæ matris suæ Romanæ Ecclesiæ dicitur reddidisse, privilegium venerandæ memoriæ antecessoris nostri papæ Alexandri confringendo, et excommunicato a nobis Eurardo impudenter communicando, et non solum ipsam decaniam, sed fere omnia Ecclesiæ ministeria Simoniace vendendo, a Deo suspensam, ut olim apostolicæ sedis sententiam operum suorum nequitia merito videatur in se provocasse. Unde volumus religionem tuam præfatum episcopum commonere, quatenus Deo et Ecclesiæ suæ satisfaciat et ita emendare studeat, ut et querela clericorum omnino sopiatur, et infamia sua ad aures apostolicæ sedis ulterius super his excessibus non referatur. Quod si forte litteris nostris, quæ per te sibi mittuntur, et commonitioni tuæ inobediens exstiterit, auctoritate beati Petri principis apostolorum, usque ad dignam satisfactionem a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi eum separes, quatenus quantum factis suis Dominum offenderit vel in hoc recognoscat.

Data Romæ [*deest* Romæ], mense Aprili, ind. XIV.

EPISTOLA XVII.

AD RAINERIUM EPISCOPUM AURELIANENSEM.

(Anno 1076.)

Arguit eum temeritatis, præcipitque ut canonicos et Joschelinum præposituram, Benedictum vero canoniam possidere sinat, et pauperum canoniam restituat, donec Romam de suis criminibus rationem redditurus veniat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RAINERIO Aurelianensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierit.

Graviter et usque ad ulciscendam tuæ temeritatis audaciam contra te merito commoveremur, nisi apostolica mansuetudine detineremur. Ipse enim meminisse debes et potes qualiter venerandæ memoriæ prædecessor noster, Alexander papa decaniam [de decania] Sanctæ Crucis, viso donationis tuæ ex eadem præpositura decreto, illud canonicis tuis deferentibus, eis per munimina apostolicæ roborationis, juxta morem tuæ donationis confirmaverit, et subscripto anathemate apostolicæ auctoritatis, tam te quam omnes homines, a violentia jam dictæ præposituræ per privilegium suæ confirmationis compescuerit. Cujus anathema excommunicato Eurardo [Everardo] communicando, quodque etiam durius est (sicut dicitur) ab eo pretium accipiendo, temerario ausu incurrere non timuisti, et totam Ecclesiam perturbare nefario fastu superbiæ ductus pro nihilo habuisti. Unde præsumptionem tuam juste quidem coercere apostolicæ animadversionis vindicta deberemus, sed spe futuræ emendationis adhuc excessus tuos sufferimus. Apostolica itaque tibi auctoritate præcipimus, quatenus a tanta temeritate jam animum revoces, et prædictam præposituram canonicis, et Joschelino qui eam [Loschelino qui etiam] ab eis habet, in tuta pacis tranquillitate possidere permittens, nullam deinceps illis molestiam inferas. Volumus enim eos sic cuncta quæ illis præposituræ sunt in integrum possidere cum omni pacis quiete ut privilegium beatæ memoriæ prædecessoris nostri Alexandri papæ, nec in minima qualibet parte videatur infringi. Quin etiam præcipimus ut abhinc usque ad festivitatem Omnium Sanctorum, tam de his quam de multis aliis quæ tibi objiciuntur, rationem redditurus te nostro conspectui repræsentes, et interim hæc omnia quæ superius memorantur canonici et Joschelinus, quæ [*forte,* qui, HARD., *ita et in Mutin.*] ab eis præposituram tenet, in pace possideant, abbatiamque suam idem Joschelinus cum omnibus suis aliis rebus mobilibus et immobilibus similiter teneat, et in pace nullam controversiam a te aliquo modo submissam patiendo possideat. Benedictus quoque canoniam suam sub eadem pacis tranquillitate interim habeat. Præcipimus etiam ut canoniam concessam alimoniæ pauperum, quam ab eo usu subtractam diceris vendidisse, ad eumdem usum restituas. Si quidem his nostris præceptis ac monitis obedienter obtemperaveris, et quæ in illis continentur cuncta patienter impleveris, lætabimur propter pacem Ecclesiæ, alioquin scias te ab omni episcopali officio esse suspensum, et a communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi separatum.

Data Romæ, mense Aprili, indictione decima quarta.

EPISTOLA XVIII.

AD SIMEONEM EPISCOPUM IN HISPANIA.

(ANNO 1076.)

Commendat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam. Hortatur ut apostolicæ sedis decreta firmiter amplectatur, et Romanum ordinem observari curet. Respondet ei se velle apostolicæ sedis decreta de celebrandis Ecclesiæ officiis ab illis custodiri; ideo monet ut ea in Hispania et Gallicia servari curet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SIMEONI Hispaniarum episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cognitis fraternitatis tuæ litteris, gaudio sumus repleti, quoniam eam quam erga Romanam Ecclesiam fidem et devotionem geris in eis plene agnovimus, et quod non adulterino eam more deserere, sed legitimæ prolis successione amplecti desideras. Quapropter, charissime frater, necesse est ut bene incœptum recto itinere gradiatur; nec hæretica debet pravitate minui quod apostolica constat traditione sancitum. Apostolica enim sedes, cui quamvis immeriti Deo auctore præsidemus, ipso gubernante firma permansit ab ipsis primordiis, eoque tuente illibata perpetuo permanebit, testante eodem Domino : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXIII). His itaque fulta præsidiis Romana te cupit scire Ecclesia quod filios, quos Christo nutrit, non diversis uberibus, nec diverso cupit alere lacte, ut, secundum Apostolum, sint unum, et

non sint in eis schismata (I *Cor.* I) : alioquin non mater, sed scissio vocaretur. Quapropter notum sit tibi cunctisque Christi fidelibus super quibus consuluisti quod decreta, quæ a nobis, imo a Romana constat Ecclesia prolata sive confirmata, in peragendis a vobis ejusdem Ecclesiæ officiis inconcussa volumus permanere, nec eis acquiescere, qui luporum morsibus et veneficiorum molimine vos inficere desiderant. Nec dubitamus quod, secundum Apostolum, introeant in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes (*Act.* XX), quibus resistendum fortiter est in fide. Ideoque, dilectissime frater, certa et usque ad sanguinis effusionem, si opportunum fuerit, desuda. Indignum enim et pro ridiculo potest haberi quod sæculares homines, pro tam vili pretio, tamque Deo odibili commercio, seipsos periculo ultroneos exhibeant, et fidelis quisque irruentibus cedat hostibus terga. Non enim ab eis poterit acquiri virtus qui facile corruunt quo trahuntur. Quod autem filii mortis dicunt se a nobis litteras accepisse, sciatis per omnia falsum esse. Procura ergo ut Romanus ordo per totam Hispaniam et Galliciam, et ubicunque poteris, in omnibus rectius teneatur.

Data Romæ, mense Maii, indictione decima quarta.

EPISTOLA XIX.

AD CYRIACUM CARTHAGINENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1076.)

Cum in Africa duo tantummodo reperirentur episcopi, vult ut alium eligant, et ad se consecrandum mittant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri CYRIACO Carthaginensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras quod Africa quæ pars mundi esse dicitur, quæque etiam antiquitus, vigente ibi Christianitate, maximo episcoporum numero regebatur, ad tantum periculum devenerit, ut in ordinando episcopo tres non habeat episcopos. Qua in re maximum Christianæ religionis periculum considerantes, et in maximo agro paucis operariis desudantibus, corde tenus compatientes, consuluimus vobis, videlicet tibi et illi cui nuper manum imposuimus, ut aliquam personam secundum constitutionem sanctorum Patrum eligatis, nobisque eam litteris vestris fultam mittatis, quatenus ipso Deo cooperante, a nobis ordinato vobisque remisso, necessitati Ecclesiarum, ut sancti canones præcipiunt, episcoporum ordinationibus succurrere valeatis et ut Christiana gens quotidie gaudeat, atque proficiat pastorali regimine, et labor, qui supra vires vos opprimit, levior sit ex sociorum necessaria administratione.

Data Romæ, mense Junii, indictione decima quarta.

EPISTOLA XX.

AD HIPPONENSES.

(Anno 1076.)

Hortatur ad obedientiam archiepiscopi, et ad mutuam charitatem servandam.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Hipponensi in Mauritania Sitiphensi, id est in Africa, constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Servandum archiepiscopum, quem a vobis electum ad nos consecrandum misistis, juxta petitionem vestram, secundum legem nostram, divina favente clementia consecravimus, atque consecratum, nostrisque legalibus moribus, in quantum possibilitas spatiumque temporis indulsit, diligenter instructum, ad vos remisimus. Quem cum omni devotione mutuæ charitatis omnique reverentia Christianæ religionis rogamus ac paterna charitate vos monemus suscipere, et omnem obedientiam divinæ legis vos hortamur sibi humiliter exhibere, quatenus populi [omnes populi] Sarracenorum qui circa vos sunt, videntes sinceritatem fidei vestræ, puritatem quoque mutuæ inter vos divinæ charitatis ac fraternæ dilectionis potius ad æmulationem, quam ad contemptum Christianæ fidei, ex vestris operibus provocentur; oportet enim vos considerantes glorificent Patrum vestrum qui in cœlis est. Agite igitur, dilectissimi filii, secundum præceptum Domini nostri Jesu Christi, dicentis ad discipulos suos : *Diligite vos invicem, sicut ego dilexi vos. Majorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV; *I Joan.* IV). Apostolus quoque Paulus, et magister et doctor gentium dicit : *Si Dominus noster Jesus Christus ponit animam suam pro ovibus suis, ac dedit sanguinem suum redemptionem pro multis, debemus et nos pro fratribus animam ponere. I Tim.* II; *I Joan.* III). Sic itaque vos sedulos erga cultum Christianæ religionis exhibete, dilectissimi atque amantissimi fratres, quatenus post hujus vitæ pelagus ad portum perpetuæ quietis atque æternæ beatitudinis feliciter pervenire possitis, largiente ipso Redemptore Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia [infinita] sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XXI.

AD ANZIR REGEM MAURITANIÆ.

(Anno 1076.)

Scribit se Servandum episcopum juxta ejus petitionem consecrasse. Gratias agit de muneribus missis, et de captivis Christianis dimissis. Commendat quosdam ab Alberico et Cincio Romanis ad eum missos.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei ANZIR [ANAZIR] regi Mauritaniæ Sitiphensis provinciæ in Africa, salutem et apostolicam benedictionem.

Nobilitas tua hoc in anno litteras suas nobis misit quatenus Servandum presbyterum episcopum, secundum Christianam constitutionem, ordinaremus; quod, quia petitio tua justa et optima videbatur, facere studuimus. Missis etiam ad nos muneribus, Christianos, qui apud vos captivi tenebantur, reverentia beati Petri principis apostolorum, et amore nostro dimisisti, alios quoque captivos te dimissurum promisisti. Hanc denique bonitatem Creator omnium Deus, sine quo nihil boni facere, imo nec cogitare possumus, cordi tuo inspiravit; ipse qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-

dum (*Joan.* I) in hac intentione mentem tuam illuminavit. Nam omnipotens Deus, qui omnes homines vult salvos facere, et neminem perire (*I Tim.* II), nihil est quod in nobis magis approbet quam ut homo post dilectionem suam hominem diligat, et quod sibi non vult fieri, alii non faciat (*Matth.* VII). Hanc itaque charitatem nos et vos specialibus nobis quam cæteris gentibus debemus, qui unum Deum, licet diverso modo, credimus et confitemur, qui eum Creatorem sæculorum et gubernatorem hujus mundi quotidie laudamus et veneramur. Nam sicut Apostolus dicit : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Sed hanc tibi gratiam a Deo concessam plures nobilium Romanorum per nos cognoscentes, bonitatem et virtutes tuas omnino admirantur et prædicant. Inter quos duo familiares nostri Albericus et Cincius, et ab ipsa pene adolescentia in Romano palatio nobiscum enutriti, multum desiderantes in amicitiam et amorem tuum devenire, et de his quæ in patribus nostris placuerit tibi libenter servire, mittunt ad te homines suos, ut per eos intelligas quantum te prudentem et nobilem habeant, et quantum tibi libenter servire velint et valeant. Quos magnificentiæ tuæ commendantes rogamus, ut eam charitatem, quam tibi tuisque omnibus semper impendere desideramus, eis pro amore nostro et recompensatione fidelitatis prædictorum virorum impendere studeas. Scit enim Deus quia pure ad honorem Dei te diligimus, et salutem et honorem tuum in præsenti et in futura vita desideramus. Atque ut ipse Deus in sinum beatitudinis sanctissimi patriarchæ Abrahæ post longa hujus vitæ spatia te perducat corde et ore rogamus.

LIBER QUARTUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo sexto, indictione decima quarta (387).

EPISTOLA PRIMA.

AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

(Anno 1076.)

Queritur de Henrici regis perfidia, et malis quæ Ecclesia ab eo patiebatur. Monet ut eum ad veram pœnitentiam provocent; quod si audire noluerit, viriliter illi resistant. Eos vero qui regi adhæserant, si resipiscere voluerint, ad Ecclesiæ gremium admittant. Illos autem qui a communione regis se non subtraxerint, vitandos esse demonstrat.

GREGORIUS, episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Christo fratribus, episcopis videlicet, abbatibus atque sacerdotibus, ducibus etiam, principibus atque militibus, omnibusque Christianam fidem et beati Petri honorem revera diligentibus, in Romano imperio habitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias agimus omnipotenti Deo, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : qui ultra meritum, ultra spem etiam bonorum hominum [*forte* omnium] Ecclesiam suam protegit, gubernat et defendit. Scitis enim, fratres charissimi, quia hoc periculoso tempore, quando Antichristus in suis membris jam operatur, ubique vix aliquis solet inveniri, qui revera et Deum et honorem ejus diligat, ejus præcepta sæculari commodo et gratiæ terrenorum principum præponat. Sed ille qui non repellit plebem suam, et quotidie peccatores a sinistra in dexteram commutat, vos propitio ac sereno vultu respexit, et contra suos inimicos ad salutem multarum gentium erexit, ut magis vobis libeat in periculo transitoriæ vitæ consistere quam æterni Regis gloriam et honorem humanæ gratiæ postponere. Hæc itaque facientes, non aure surda apostolorum principem dicentem transitis [*f.*, auditis : *Genus electum, regale sacerdotium*(*I Petr.* II) : *Obedire magis oportet Deo quam hominibus* (*Act.* V). Nam vestra fraternitas minime ignorat quanto tempore sancta Ecclesia inauditas pravitates et diversas iniquitates regis, et utinam Christiani, et vestri sustinuit, et quantæ ruinæ quantæque calamitati, ipso antiquo hoste auctore præcedente, patuit. Cui nos fraterna dilectione et amore patris et matris ejus ducti, adhuc in diaconatu positi admonitionis verba transmisimus, et postquam ad officium sacerdotii, licet indigni, venimus, ut respiceret summopere, et frequenter per viros religiosos procuravimus. Ipse vero quid contra egerit, et quomodo malum pro bono reddiderit, vel qualiter calcaneum suum contra beatum Petrum erigendo, sanctam Ecclesiam, quam sibi omnipotens Deus commisit, scindere procuraverit, vestra novit charitas, et per omnia mundi jam personuit climata. Sed quia nostri est officii homines, non vitia diligere, et pravis, ut resipiscant resistere, et impietates, non homines abhorrere, auctoritate beati Petri apostolorum principis monemus vos, et ut charissimos fratres rogamus, amodo studete illum de manu diaboli eruere, et ad veram pœnitentiam provocare, ut eum possimus, Deo favente, ad sinum communis matris nostræ, quam conatus est scindere, fraterna ducti charitate revocare, ita tamen ut nulla possit fraude recidiva clade Christianam religionem confundere, et sanctam Ecclesiam pedibus suis conculcare.

Quod si vos non audierit, et diabolum potius quam Christum sequi elegerit, et eorum qui pro Simoniaca hæresi jam per longa tempora excommunicati sunt consilium vobis prætulerit, divina inspirante potentia, simul inveniamus, simulque statuamus, ut Dominum homini præponentes, univer-

(387) Attamen omnes fere ad XV pertinent

sali Ecclesiæ jamjam pene labenti succurramus viriliter. Quicunque ex his resipuerit qui prædictum regem non erubuerunt omnipotenti Deo præponere, et Christianam legem, si non verbis, operibus tamen negare, sicut dicit Apostolus : *Ore quidem fatentur Deum, factis autem negant* (*Tit.* I) ; vos fratres mei et consacerdotes illos auctoritate beati Petri suscipite, et ad gremium matris nostræ sanctæ Ecclesiæ reducite, ut mereamini gaudium in cœlo angelis Dei innovare. In omnibus tamen, sicut decet charissimos filios, honorem pii Patris vestri apostolorum principis præ oculis habete. Quicunque autem episcoporum vel laicorum timore vel gratia humana seducti a communione regis se non subtraxerunt, sed ei faventes animam suam et illius diabolo tradere non timuerunt, si non resipuerint et condignam pœnitentiam egerint, nullam cum eis communionem vel amicitiam habeatis. Isti enim sunt qui animam suam et regis odio habent et occidunt, et regnum, patriam, Christianamque religionem confundere non erubescunt. Sicut enim nobis imminet quod per prophetam dicitur : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III) ; et *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII), id est verbum correctionis a prave viventium increpatione ; ita illis imminet, si non obedierint, ira divini judicii et ultio, testante Samuele, idololatriæ scelus [idololatriæ sceleris]. Testis nobis est Deus, quia nulla nos commoda sæcularisve respectus contra pravos principes et impios sacerdotes impellit, sed consideratio nostri officii, et potestas, qua quotidie angustamur, apostolicæ sedis. Melius est nobis debitam mortem carnis per tyrannos, si oportuerit, subire, quam nostro silentio, timore, vel commodo Christianæ legis destructioni consentire. Sanctos quidem patres nostros dixisse scimus : Qui pravis hominibus sui consideratione officii non contradicit, consentit ; et qui resecanda non aufert, committit. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis dominæ nostræ cœlestis reginæ ac beatorum apostolorum Petri et Pauli intercessione corda vestra confirmet et custodiat, et Spiritus sui gratiam superinfundat, ut quæ sunt ei placita facientes mereamini sponsam ejus, matrem videlicet nostram, de faucibus luporum eripere, atque ad supernam illius gloriam ab omnibus peccatis absoluti pervenire.

Data Laurenti, octavo Kalendas Augusti, indictione decima quarta.

EPISTOLA II.

AD HERIMANNUM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 1076.)

Ostendit quicunque Henrico regi communicaverint, sive episcopi sive laici sint, excommunicatos esse ; errare autem eos qui asserunt reges excommunicari non posse auctoritate et exemplis sanctorum pontificum ; imo pontifices regibus longe præstare demonstrat. Asserit episcopis licentiam se impartisse eos absolvendi qui regi communicaverant ; regem autem, nisi sibi prius de ejus pœnitentia constiterit, se non absoluturum. Moneri præterea vult episcopum Tullensem ab archiepiscopo Treverensi, ne in negotiis cujusdam monasterii se interponat. Quædam præterea de Mathilde et Gotifredo subjungit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERIMANNO Metensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Multa interrogando a me valde occupato requiris, et nuntium qui me nimis impellat ad sui licentiam transmittis. Quocirca si non satis respondeo, patienter feras rogo. Qualiter itaque in corpore meo me habeam, vel qualiter Romani seu Nortmanni circa me suos mores ostendant, horum portitor tibi dicat. De aliis autem rebus, super quibus me interrogasti, utinam beatus Petrus per me respondeat, qui sæpe in me qualicunque suo famulo honoratur vel injuriam patitur. Episcopi namque qui sint excommunicati, sacerdotes, vel laici, non est opus ut a me quæratis, quia indubitanter illi sunt qui excommunicato regi Henrico (si fas est dici rex) communicare cognoscuntur. Non enim verentur humanam gratiam vel timorem regis æterni præcepto præponere, neque timent suo favore ad iram Dei omnipotentis eumdem regem impellere. Ille quidem suis communicando familiaribus excommunicatis pro Simoniaca hæresi excommunicationem incurrere non timuit, et ut alii secum communicando excommunicentur attrahere non erubescit. De talibus quid restat ut sentiamus, nisi quod in psalmis didicimus *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* XIII), et iterum : *Omnes simul inutiles facti sunt in voluntatibus suis* (*Psal.* LII). Eis autem, qui dicunt : Regem non oportet excommunicari ; licet pro magna fatuitate nec etiam eis respondere debeamus, tamen ne impatienter illorum insipientiam præterire videamur, ad sanctorum Patrum dicta vel facta illos mittimus, ut eos ad sanam doctrinam revocemus. Legant itaque quid beatus Petrus in ordinatione sancti Clementis populo Christiano præcepit de eo quem scirent non habere gratiam pontificis. Addiscant cur Apostolus dicat : *Habentes in promptu ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* X) ; et de quibus dicit : *Cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). Considerent cur Zacharias papa regem Francorum deposuerit, et omnes Francigenas a vinculo juramenti quod sibi fecerant absolverit. In Registro beati Gregorii addiscant quia in privilegiis, quæ quisbusdam ecclesiis fecit, reges et duces contra sua dicta venientes, non solum excommunicavit, sed etiam ut dignitate careant judicavit. Nec prætermittant quod beatus Ambrosius non solum regem, sed etiam revera imperatorem Theodosium moribus et potestate non tantum excommunicavit, sed etiam ne præsumere in loco sacerdotum in ecclesia manere interdixit. Sed forte hoc volunt prædicti viri intelligere, quod quando Deus Ecclesiam suam ter beato Petro commisit, dicens : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), reges exceperit. Cur non attendunt, vel potius erubescendo confitentur, quia ubi Deus beato Petro principaliter dedit potestatem

ligandi et solvendi in cœlo et in terra (*Matth.* XVI), nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit? Nam qui se negat non posse Ecclesiæ vinculo alligari, restat ut neget non posse ab ejus potestate absolvi. Et qui hoc impudenter negat, se a Christo omnino sequestrat. Quod si sancta sedes apostolica divinitus sibi collata principali potestate spiritualia decernens dijudicat, cur non et sæcularia? Reges quidem et principes hujus sæculi, qui honorem suum et lucra temporalia justitiæ Dei præponunt, ejusque honorem negligendo proprium quærunt, cujus sint membra, cuive adhæreant, vestra non ignorat charitas. Nam sicut illi qui omni suæ voluntati Deum præponunt, ejusque præcepto plusquam hominibus obediunt, membra sunt Christi; ita et illi, de quibus supra diximus, membra sunt Antichristi.

Si ergo spirituales viri, cum oportet, judicantur, cur non sæculares amplius de suis pravis actibus constringunt? Sed forte putant quod regia dignitas episcopalem præcellat. Ex eorum principiis colligere possunt quantum a se utraque differunt. Illam quidem superbia humana reperit, hanc divina pietas instituit; illa vanam gloriam incessanter captat, hæc ad cœlestem vitam semper aspirat. Et addiscant quid beatus Anastasius papa Anastasio imperatori de his dignitatibus scripserit, et quid beatus Ambrosius in suo Pastorali inter has dignitates decreverit. Honor, inquiens, et sublimitas episcopalis, si regnum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Hæc non ignorans Constantinus Magnus imperator, non, primum sessionis, sed ultimum inter episcopos elegit locum. Scivit enim quia *superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV). Interea notum sit fraternitati tuæ quia litteris acceptis quorumdam fratrum nostrorum præsulum et ducum auctoritate apostolicæ sedis licentiam dedimus his episcopis excommunicatos a nobis absolvere, qui non timuerunt se a communione regis abstinere. De ipso autem rege omnino contradiximus ut nullus eum præsumat absolvere, quousque illius certa pœnitentia et sincera satisfactio nobis per idoneos testes fuerit notificata: ut simul inveniamus qualiter, si eum divina pietas respexerit, ad honorem Dei et illius salutem eum absolvamus. Non enim nos latet quod sint aliqui vestrum, qui aliqua occasione quasi a nobis accepta, timore, vel humana gratia seducti, præsumerent eum, si non contradiceremus, absolvere vulnerique pro medicina vulnus adhibere; quibus si aliqui revera episcopi contradicerent, non eos justitiam defendere, sed inimicitias exercere judicarent. Episcoporum autem, qui excommunicato regi communicare præsumunt, ordinatio et consecratio apud Deum, teste beato Gregorio fit exsecratio. Cum enim obedire apostolicæ sedi superbe contemnunt, scelus idololatriæ, teste Samuele (*I Reg.* XV), incurrunt. Nam si ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto esse se Dei denegat, qui in quantum sufficit increpare vitam carnalium recusat. Et si ille maledictus est qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jer.* XLVIII), id est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione, quanto amplius ille maledictus est, qui timore, vel favore impellit animam fratris sui in æternam perditionem? Ut autem maledicti et excommunicati possint benedicere, et divinam gratiam, quam non timent operibus denegare alicui largiri, in nullius sanctorum Patrum præcepto potest inveniri. Interea jubemus ut alloquamini venerabilem archiepiscopum Treverensem, fratrem videlicet nostrum, ut Tullensi episcopo, ne se intromittat de abbatissa monasterii Montis Romarici, interdicat, et quidquid contra eam statuit una tecum irritum ducat. De Mathilda vero communi nostra filia et beati Petri fideli ancilla, quod vis volo, sed in quo statu sit mansura, Deo gubernante, adhuc certum non teneo. Gotifredi autem quondam illius viri indubitanter scias quod frequenter apud Dominum, licet peccator, habeam memoriam; quia non me illius inimicitia vel aliqua impedit vanitas, sed motus fraterna dilectione tua et Mathildæ deprecatione illius exopto salutem. Omnipotens Deus intercessione cœlestis reginæ semper virginis Mariæ, et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, a se illis concessa, te nostrosque omnes fratres in quocunque sunt ordine, qui Christianam defendunt religionem et apostolicæ sedis dignitatem, a cunctis peccatis absolvat, vobisque augens fidem, spem et charitatem, in suæ legis defensione corroboret, ut mereamini ad æternam pervenire salutem.

Data Tiburi, octavo Kalendas Septembris, indictione decima quarta.

EPISTOLA III.

AD GERMANOS.

(Anno 1076.)

Ut regem Henricum in synodo excommunicatum, et regia dignitate privatum, si vere pœnituerit, benigne suscipiant, remotis ab eo pravis consiliariis, bonis adhibitis; eo etiam monito, ne Ecclesiæ libertatem impugnet. Interim ne quisquam episcopus eum absolvat, quousque apostolicæ sedis consensus accedat. Quod si vere non pœnituerit, eligant alium idoneum regem, quem se confirmaturum ait, de consilio tamen Agnetis imperatricis, cui se jurejurando obstrinxerant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus dilectis in Christo fratribus, et coepiscopis, ducibus, comitibus, universis quoque fidem Christianam defendentibus, in regno videlicet Teutonico habitantibus, salutem et omnium peccatorum absolutionem per apostolicam benedictionem.

Si litteras quibus Henricus dictus rex in sancta synodo judicio sancti Spiritus excommunicatus est diligenter perpenditis, quid de eo debeat fieri indubitanter cognoscetis. Ex illis enim intelligitur cur sit anathematis vinculo alligatus, et a regia dignitate depositus, et quod omnis populus quondam

sibi subjectus a vinculo juramenti eidem promissi sit absolutus. Sed quia nos contra eum non movit, Deo teste, sæcularis superbia, nec vana mundi cupiditas, sed sanctæ sedis et universalis matris Ecclesiæ sollicitudo et disciplina, monemus vos in Domino Jesu et rogamus, sicut charissimos fratres, ut eum benigne, si ex toto corde ad Deum conversus fuerit, suscipiatis, et circa eum non tantum justitiam, quæ illum regnare prohibet, sed misericordiam, quæ multa delet scelera, ostendatis. Estote, quæso, memores humanæ conditionis et communis fragilitatis, nec vos prætereat pia et nobilis memoria patris ejus et matris, quibus non possunt nostra ætate ad imperii gubernacula inveniri æquales. Sic tamen adhibete vulneribus ejus oleum pietatis, ne vino disciplinæ neglecto cicatrices ejus in pejus (quod absit!) putrescant, et honor sanctæ Ecclesiæ Romanique imperii nostra negligentia magnæ ruinæ patescat. Procul ab eo pravi removeantur consiliarii, qui pro Simoniaca hæresi excommunicati non erubuerunt dominum suum propria lepra contaminare, et per diversa crimina eum seducendo ad scindendum sanctam Ecclesiam provocare, et in iram Dei et sancti Petri impellere. Adhibeantur illi consiliarii qui non sua tantum, sed eum diligant, et sæculari lucro per omnia Deum præponant. Non ultra putet sanctam Ecclesiam sibi subjectam ut ancillam, sed prælatam ut dominam. Non inflatus spiritu elationis consuetudines superbiæ contra libertatem sanctæ Ecclesiæ inventas defendat, sed observet sanctorum Patrum doctrinam, quam pro salute nostra eos docuit potestas divina. Quod si de his et aliis jure ab eo exigendis nos securos modis quibus oportet reddiderit, statim volumus per vestros idoneos legatos de omnibus informari, ut quid debeat fieri communi consilio, Deo aspirante, valeat inveniri. Illud autem inter omnia ex parte beati Petri interdicimus, ut nullus vestrum eum præsumat ab excommunicatione absolvere, quousque, eis quæ prædiximus nobis indicatis, apostolicæ sedis consensum et iteratum responsum recipiatis. De diversorum quidem diversis consiliis dubitamus, et humanam gratiam vel timorem suspicioni habemus. Quod si, exigentibus multorum peccatis (quod non optamus), ex corde non fuerit ad Deum conversus, talis ad regni gubernacula, Deo favente, inveniatur qui ea quæ prædiximus, et cætera quæ videntur Christianæ religioni et totius imperii saluti necessaria, secreta ac indubitabili promissione observaturum promittat. Ut autem vestram electionem, si valde oportet ut fiat, apostolica auctoritate firmemus et novam ordinationem nostris temporibus corroboremus, sicut a sanctis nostris Patribus factum esse cognoscimus, negotium, personam et mores ejus, quantocius potestis nobis indicate, ut sancta et utili intentione incedentes mereamini, sicut nobis notæ causæ, apostolicæ sedis favorem per divinam gratiam, et beati Petri apostolorum principis per omnia benedictionem. De juramento autem quod factum est charissimæ filiæ nostræ Agneti imperatrici Augustæ, si filius ejus ex hac vita ante ipsam migraret, non est opus adhuc dubitare quia, si nimia pietate circa filium ducta justitiæ restiterit, vel justitiæ favens ut abjiciatur a regno consenserit, quid restet, vos ipsi comprehendite. Hoc tamen videtur laudabile, postquam certum fuerit apud vos (ut omnino firmatum) quod ejus filius a regno removeatur, consilium ab ea et a nobis requiratur de inventa persona ad regni gubernacula. Tunc aut nostro communi consilio assensum præbebit, aut apostolicæ sedis auctoritas omnia vincula quæ videntur justitiæ contradicere removebit. De excommunicatis autem jam me vobis dedisse licentiam, qui fidem Christianam (ut decet episcopos) defenditis, ut absolvatis, recordor, et adhuc hoc idem confirmo, si revera resipuerint et humiliter pœnitentiam egerint.

Data Laurenti, tertio Nonas Septembris, indictione incipiente decima quinta.

EPISTOLA IV.

AD DOLENSES.

(Anno 1076.)

Cum non potuerit eorum petitioni, contradicentibus canonibus, satisfacere in ordinando archiepiscopo quodam juvene ab eis electo, ejusdem juvenis rogatu abbatem Sancti Melarii [Melanii] archiepiscopum ordinasse ait; cui eos obedire monet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Dolensi in Britannia, salutem et apostolicam benedictionem.

Misistis ad nos quemdam juvenem, petentes vobis a nobis illum ordinari pontificem; cui quidem petitioni, quoniam sacri canones contradicunt, assensum præbere nequaquam potuimus. Nos denique cognocentes Ecclesiam vestram diu nequissimi pervasoris tyrannide oppressam, ex debito et nostri officii consideratione, apostolico fulti præsidio, prout valemus in Domino, reformare cupimus. Quapropter, ejusdem juvenis rogatu assensuque sociorum ejus, Sancti Melarii [Melanii, *sic et in cod. Mutin.*] abbatem Ivonem nomine, quem ad nos vestra legatione misistis, virum utique (ut vos bene nostis) prudentem, bonum, ornatum moribus, omnique religione dignum, vobis in Patrem et archiepiscopum consecravimus, monentes et obsecrantes, ut sicut beati Petri apostoli, nostrique illius licet indigni famuli gratiam optatis, sic ei ut patri et rectori per omnia obedientiam exhibeatis.

Data Romæ, v Kalendas Octobris, indictione incipiente xv.

EPISTOLA V.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ ARMORICÆ.

(Anno 1076.)

Scribit se abbatem Sancti Melarii [Melanii, sic et in cod Mutin.], *non approbato ob juvenilem ætatem a Dolensibus electo, in Dolensem archiepiscopum consecrasse, et pallium eidem concessisse, ea tamen conditione ut controversia discutiatur quæ cum Turonensi episcopo de subjectione et obedientia agebatur, usum tamen pallii illi confirmat. Præcipit ut ei tanquam archiepiscopo obedientiam*

exhibeant, et ad bona ecclesiæ recuperanda auxilium præstent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus qualiter Dolensis clerus et populus ad nos direxit juvenem quemdam, satis præclarum genere, ut audivimus, postulantes ut eum illis in episcopum ordinaremus. Cujus causam (sicut oportuit) examinantes, honestos quidem mores pro modulo ætatis suæ, sed nondum satis maturos aut instructos ad portandum episcopale pondus, in eo probavimus; propter quod onerare eum tam gravi sarcina nec sibi nec nobis cautum fore pervidimus. Deo autem aspirante adinvenimus in comitatu suo personam huic dignitati, ætate, scientia et morum gravitate multo magis congruam, videlicet Ivonem abbatem Sancti Melarii [Melanii], quem, licet invitum atque obedientia astrictum, cum multa petitione et electione illius et aliorum qui cum eo venerant, episcopum ordinavimus. Honorem quoque et usum pallii pro vestra et totius provinciæ directione ei concessimus, eo quidem tenore ut opportuno tempore nullatenus se exhibere recuset ad discutiendam querimoniam quam confrater noster Rodulphus, Turonensis archiepiscopus, de subjectione sedis illius, et denegata sibi obedientia, jamdiu apud nostram et antecessorum nostrorum fecit audientiam. Quod si, ratione et justitia demonstrante, ut ei subjecta esse debeat apparuerit, nos quidem sanctæ Turonensi Ecclesiæ jus suum conservari, ei debitam subjectionem a Dolensi Ecclesia exhiberi volumus, et apostolica auctoritate censemus; usum tamen pallii non minus huic suisque successoribus, donec eorum introitus et vita probabilis fuerit, concedimus atque firmamus. Sin vero ab hujus subjectionis jugo eam absolutam esse legali defensione constiterit, quæcunque sibi dignitatis privilegia de cætero competere visa fuerint, apostolica non denegabit auctoritas, atque interim, ut ei sicut archiepiscopo subjectionem et obedientiam exhibeatis, præsenti auctoritate constituimus. Hoc itaque pacto eum consecratum et ornatum ad sedem non humano consilio sed divinitus ei assignatam remittentes, vobis valde commendatum esse volumus, ut sicut nos in eo charitatem vestram et totius provinciæ principatum honoravimus, ita et vos quam pro eo suscepimus sollicitudinem et pietatis affectum nobiscum suscipiatis; ipsum quidem cum omni honore et reverentia suscipientes, et ut bona ecclesiæ jam per multos annos a sacrilegis dispersa pervasoribus recuperare valeat adjuvantes; quatenus illa sedes olim nobilis et potens ad gloriam pristini decoris, Deo opitulante, vestris reformetur studiis, vestrisque restituatur temporibus. Sic etenim, sic, fratres dilectissimi, vocavit nos Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, ut, si in corpore dilecti Filii sui membrorum dignitatem obtinere cupimus, adinvicem etiam fraternis affectibus et officiis intimi amoris connexi simus. Agite ergo ut vestra fraternitas erga hunc fratrem et Ecclesiam sibi commissam talis existat, quatenus et apud Dominum omnipotentem pro vestræ beatitudinis præmio gloriemur, et inter tot hujus sæculi nequam confligentes turbines, de consolatione vestræ cooperationis nos non tantum, sed et mater vestra sancta et apostolica lætetur Ecclesia.

Data Romæ, quinto Kalendas Octobris, indictione XV.

EPISTOLA VI.

AD HENRICUM LEODIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1076.)

Rescribit, si excommunicato regi Trajectensis episcopus scienter communicarit, et sine satisfactione obierit, cum eo nec mortuo posse communicari; sin minus, illum absolvit, et sacrificia pro eo fieri optat. Rogat postremo pro Ecclesiæ tranquillitate preces ad Deum effundi.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Leodiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

(388) Quod de causa Willelmi Trajectensis episcopi nos consuluisti, prudentia tua non tam a nobis quam a communi sanctorum Patrum sententia indubitanter expressum addiscere et intelligere potest; quorum statuta servantes aut defendentes, si quando judicium de negotiis ecclesiasticis fecimus vel facimus, non nova aut nostra proferimus, sed ab eis per Spiritum sanctum prolata sequimur et exercemus. Vide ergo et diligenter attende quid eorum auctoritas in eos decreverit qui, ad subvertendas sacras regulas, ad scindendam unitatem corporis Christi, quod est Ecclesia, schismaticis atque hæreticis calliditatibus armati ultro contra patres insurgunt, aut scienter cum excommunicatis communicant; et non solum super hoc de quo fraternitas tua quæsivit, sed super omnibus qui in eadem causa tenentur, eorum quorum vestigia, Deo auctore, perpendimus, pro nobis responsa suscipe. Quod si nullo schismate, quod contra sanctam et apostolicam Ecclesiam præsumptum contra ultimum quemlibet Ecclesiæ ministrum fieri nullatenus debuisset, ipse aut quicunque sua sponte subscripsit, et regi excommunicato scienter communicans sine pœnitentia et satisfactione discessit vel discesserit; ab illa sanctorum Patrum sententia discrepare non possumus : videlicet, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare audemus. Sin vero invitus subscripsit, et regi excommunicato juxta prohibitionem sanctorum canonum non communicaverit, apostolica auctoritate eum absolvimus, et ut orationes, sacrificium et eleemosynæ pro eo Domino offerantur, non solum annuimus, sed et valde desideramus. De cætero rogamus dilectionem

(388) Vide Lambertum anno 1073.

tuam, ut sine intermissione orationem ad Dominum facias, et in idipsum fratres quos possis ac subditos invites atque commoneas, quatenus per misericordiam suam Ecclesiam diu et valde laborantem respiciat, et quam inter tot et tantorum turbinum fluctus miserabiliter afflictam et pene conquassatam videt, ne penitus demergatur eripiat, et ad littus tranquillitatis pro sua pietate reducat.

Data Romæ, quinto Kalendas Novembris, indictione decima quinta.

EPISTOLA VII.

AD HENRICUM, ARDERICUM ET WIFREDUM.

(Anno 1076.)

Etsi Ecclesia frequentes patiatur persecutiones a Nortmannis et Henrico rege, sperat tamen se Henricum devicturum, sicut antea Nortmannos devicerat. Nuntiat Teutonicos, nisi rex resipuerit, alium regem electuros, illosque in Domino excitat et confirmat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Henrico, Arderico, Wifredo, fidelibus sanctæ apostolicæ sedis, legitimis filiis Mediolanensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Manifesta Apostoli sententia est quod *omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patiuntur* (*II Tim.* II). Quæ sententia cum apostolica sede ad nos quasi hæreditario jure pervenit, cum hinc bona Ecclesiæ Nortmanni multoties perjuri conantur auferre; ex altera parte Simoniaci cum Henrico rege eorum decreta sanctorum Patrum cum omni religione moliuntur evertere : sed confidimus in Domino, qui superbiam Nortmannorum paulo ante sub manu nostra substravit, quod adversus apostolicam sedem non diu prævalebunt. Nos tamen sacrilegæ invasionis eorum nunquam erimus consentiendo participes. De conspiratione autem hæreticorum et regis, quomodo a catholicis episcopis et ducibus, et multis aliis in Teutonicis partibus aperte impugnetur, vos qui illis prope estis latere non credimus. Ad tantum enim numerum fideles Romanæ Ecclesiæ pervenerunt, ut nisi ad satisfactionem veniat rex, alium regem palam dicant eligere, quibus nos favere servata justitia promisimus, promissumque firmum tenebimus. Vos itaque confortamini in Domino, quoniam per misericordiam Dei prope est redemptio vestra, et ad tertium superandum non adhuc virtus Petro defecit, qui duos illos priores Widonem et Gotifredum contra Romanam Ecclesiam calcitrantes ab episcopali sede dejecit.

Data Romæ, secundo Kalendas Novembris, indictione decima quinta.

EPISTOLA VIII.

AD EPISCOPOS TUSCIÆ.

(Anno 1076.)

Ut Senensem episcopum, qui Henrico regi communicaverat, et absolutionem petierat, omnes ipsi aut duo viciniores episcopi conveniant, eique pœnitentiam injungant, qua peracta se eum absoluturum pollicetur. Interim si in periculum vitæ inciderit, ei absolutionem impartitur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, episcopis Tusciæ, Constantino Aretino, Rainerio Florentino, Leoni Pistoriensi, Anselmo Lucensi, Lanfranco Clusino, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare credimus fraternitatem vestram qualiter comprovincialis vester Rodulphus Senensis episcopus, hoc in anno sine nostra licentia regem excommunicatum adiens, contra omnem ecclesiasticam auctoritatem communicando cum eo, ejusdem excommunicationis laqueum incurrerit. Qua de re quanquam eum propria accuset et reum judicet conscientia, a nulla tamen communione, sicut excommunicatum oportuerit, se abstinere curavit; sed omnia, tam in ministerio quam exteriore conversatione, præsumens, peccati sui maculas in multos dispersit, et nihil in se quod ad delictum pertineat habitu vel conversatione demonstrans, a nobis per legatos suos ad satisfaciendum de culpa recipi postulat et absolvi. Quod quidem nos minime faciendum esse judicavimus, nisi prius eum pro reatus sui pœnitentia ad formam et habitudinem amissæ communionis per aliquod tempus humiliatum fore cognosceremus. Proinde fraternitati vestræ scripsimus, admonentes ut eum, si potestis, omnes, aut duo de vicinioribus, in loco congruo quantocius conveniatis, et injungentes ei, prout vobis visum fuerit, pœnitentiam, ut in privatum locum se recipiat, et, sicut in sacris statutum est canonibus, a Christiana communione se abstineat, commoneatis. Ad quod si exhibere se prompta obeditione non recusaverit, et, qui culpam non cavit, ad faciendam pœnitentiam pro humana verecundia sibi non pepercerit, tunc demum requisita, vel ipse, vel per legatos suos, cum testimonio litterarum vestrarum apostolica clementia, de ejus absolutione quidquid, Deo donante, dignum fore perviderimus, respondere et agere non denegabimus. Interim vero si ad periculum vitæ divino judicio, quod nos non optamus, eum venire contigerit, et ad pœnitentiam, sicut supra diximus, humiliatus fuerit, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, et ea quam nos, licet indigni, per eos suscepimus, absolutus participationem et gratiam sacrosanctæ communionis accipiat.

Data Romæ, Kalendis Novembris, indictione XV.

EPISTOLA IX.

AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

(Anno 1076.)

Si Aurelianensis episcopus litteras apostolicas, quibus pontifex eum ad se venire præceperat, se non vidisse affirmaverit, ejus gesta adhuc se æquanimiter laturum; sin minus, ab omni episcopali officio et communione corporis Domini suspendit. Præcipit ut Romam ad concilium veniat, et ipsum Aurelianensem episcopum secum venire commoneat, aliosque clericos diversa jura prætendentes.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Ri-

CHERIO Senonensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Non credimus latere fraternitatem tuam quod litteris nostris Reinerium Aurelianensem episcopum commonuimus ad nos venire, quatenus de multis sibi objectis, et maxime de confusione Aurelianensis Ecclesiæ, responderet. Qui ita admonitionem nostram contempsit, ut neque ipse veniret, neque aliquam rationabilem absentationis suæ excusationem transmitteret; cujus ut inobedientiæ plenius culpam cognosceres, exemplar litterarum quas olim sibi misimus religioni tuæ ostendere curavimus. Quas si sacramento firmaverit se non vidisse, neque suo ingenio, quod non viderit, remansisse, facta sua adhuc æquanimiter ferimus. Aliter autem, secundum tenorem hujus conditionis, jurejurando minime facto, decernimus eum ab omni episcopali officio esse suspensum, et a communione corporis et sanguinis Domini separatum, nisi forte sibi mortis periculum supervenerit. Et quia non solum necessitas et tribulatio illius Ecclesiæ, verum etiam multa alia regni vestri negotia exigunt ut Romano concilio fraternitas tua interesse debeat, admonemus te ut omni remota occasione ad proximam synodum nostram venias, et jam dictum Aurelianensem episcopum tecum venire commoneas. Volumus etiam ut et is qui nunc tenet decaniam cum eodem episcopo veniat. Sed et Joschelinum qui injuste se exspoliatum, et plurima sua pro reparatione bonorum Ecclesiæ expendisse deplorat, nec non Everardum, et aliquos de clericis ostensuros tam decretum proprium episcopi, quam etiam venerandæ memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri privilegium, venire præcipimus, quatenus uniuscujusque rationem diligentissime possimus inquirere, et quæ corrigenda sunt ita, Deo auxiliante, corrigere, ut quisque justitiam suam habeat, et Ecclesia omnino quiescat. Interim autem ad firmissimam et inviolabilem pacem ejusdem Ecclesiæ decernimus ut illi qui nunc decaniæ præest utque ad audientiam nostram ejusdem decaniæ possessio relinquatur. Joschelino vero quidquid ante initium hujus litis tenuit sine contradictione tenere permittatur. Benedicto autem non solum præbendam suam, sed etiam ea quæ occasione hujus discordiæ videtur perdidisse, in integrum restituenda fore jubemus.

Data Romæ, IV Nonas Novembris, indictione XV.

EPISTOLA X.

AD ADILAM FLANDRIÆ COMITISSAM.

(Anno 1076.)

Respondet clericos fornicarios missas celebrare non debere, sed extra chorum esse pellendos. Quod ut fiat præcipit, et Huberto cuidam archidiacono fidem non esse adhibendam, qui in hæresim lapsus fuerat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ADILÆ [ADELÆ], Flandrensi comitissæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras quod quidam vestrum A dubitant utrum necne sacerdotes ac levitæ, seu cæteri qui sacris altaribus administrant, in fornicatione persistentes missæ debeant celebrare officium. Quibus ex auctoritate sanctorum Patrum respondemus nullo modo ministros sacri altaris in fornicatione existentes missæ debere celebrare officium; quin etiam extra choros esse pellendos, quousque pœnitentiæ dignos fructus exhibeant. Unde apostolica tibi auctoritate præcipimus quatenus nullos eorum qui in scelere perdurant ad sacrum mysterium celebrandum suscipiatis, sed, undecunque poteritis, tales ad missas celebrandas acquiratis qui caste Deo deserviant; his talibus prorsus ab omnibus Ecclesiæ beneficiis procul expulsis, neque Huberti archidiaconi verba suscipiatis, seu B aliquibus suis sermonibus faveatis, quia, ut audivi, in hæresim lapsus est suis pravis contentionibus, et ab Huberto legato hujus sanctæ Romanæ sedis apud Monasteriolum publice est convictus.

Data Romæ, quarto Idus Novembris, indictione decima quinta.

EPISTOLA XI.

AD ROBERTUM FLANDRIÆ COMITEM.

(Anno 1076.)

Ut persequatur Simoniacos sacerdotes et fornicarios. Invehitur in episcopos qui apostolicæ sedi inobedientes erant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ROBERTO comiti Flandrensi, salutem et apostolicam be- C nedictionem.

Pervenit ad apostolicam sedem quod in terra tuæ dominationis qui vocantur sacerdotes in fornicatione positi, non erubescant cantando missam tractare corpus et sanguinem Christi, non attendentes quæ insania quodve scelus est uno eodemque tempore corpus meretricis et corpus attrectare Christi. Quapropter ex parte omnipotentis Dei et auctoritate beati Petri apostolorum principis te rogamus ac tibi omnino præcipimus ut, ubicunque potes, huic sceleri resistere et Simoniacis contradicere nullius ratio vel gratia te possit retorquere. Qui enim dixit : *Omnis qui audit, dicat : Veni* (*Apoc.* XXII), nullum alicujus ordinis excepit; et quicunque vult a Patrefamilias denarium accipere, procuret in vinea Do- D mini laborare (*Matth.* XX). Hæc quidem universalis mater præcipit his qui vocantur episcopi, dicere, sicut oportet; sed quales sint, a fructibus eorum potestis cognoscere, qui non per ostium ingredientes in ovile ovium, sed aliunde ascendentes fures sunt et latrones. Per ostium quippe ingreditur, id est per Christum, qui secundum sacros canones episcopus constituitur. Nam quod in divina Scriptura dicitur : *Sacerdotes mali ruina populi* (*Ezech.* XV), in nostro tempore luce clarius comprobatur. Plurimi enim eorum qui vocantur episcopi non solum justitiam non defendunt, sed etiam ne clarescat multis modis occultare nituntur. Tales vero non episcopos, sed Christi habete inimicos; et sicut illi non curant apostolicæ sedi obedire, ita vos nullam eis obedientiam

exhibete. *Nam præpositis non obedire, scelus est incurrere idololatriæ* (I *Reg.* xv), juxta verba prophetæ Samuelis, quæ B. Gregorius in ultimo libro Moralium (cap. 10), ubi de obedientia loquitur, procuravit explanare. Hæc nostra verba, licet rustica, cum communi fideli nostro Ingelranno, qui diu nobiscum in sacro palatio mansit, vel cum aliis veritatis amatoribus frequenter legite, et omnes clericos et laicos ut veritatem sciant et proferant provocate, ut bona fratribus vestris nuntiantes inter angelos sortem mereamini accipere, et cum electis in cœlesti patria gaudere.

Data Romæ, quarto Idus Novembris, indictione decima quinta.

EPISTOLA XII.

AD GERMANOS.

(Anno 1077.)

Nuntiat Henricum regem humillimam pœnitentiam egisse, seque omnium astantium supplicationibus eum absolvisse, accepto fidelitatis juramento. Mittit exemplar jurisjurandi. In Germaniam se iturum pollicetur. Hortatur interim ut in fide et in amore justitiæ perseverent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisque principibus regni Teutonicorum Christianam fidem defendentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

(389). Quoniam pro amore justitiæ communem nobiscum in agone Christianæ militiæ causam et periculum suscepistis, qualiter rex humiliatus ad pœnitentiam absolutionis veniam impetraverit, et quomodo tota causa post introitum ejus in Italiam hucusque deducta sit, vestræ dilectioni sincera charitate indicare curavimus. Sicut constitutum fuit cum legatis qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus, circiter viginti dies ante terminum in quo aliquis ducum ad Clusas nobis occurrere debuit, exspectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verum cum jam decurso termino hoc nobis nuntiaretur, his temporibus, præ multis (quod nos quidem credimus) difficultatibus, ducatum nobis obviam mitti non posse, nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus, non parva sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumventi sumus. Interim vero regem adventare certe cognovimus; qui etiam priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo et sancto Petro ac nobis obtulit, et ad emendationem vitæ suæ omnem se servaturum obedientiam repromisit, dummodo apud nos absolutionis et apostolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur; quod cum diu multis consultationibus differentes acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant nuntios redargueremus, tandem semetipsum nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit, ibique A per tridum ante portam, deposito omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus et laneis indutus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicæ miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant, et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit, ut, pro eo multis precibus et lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam nostræ mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero in nobis non apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantia compunctionis ejus, et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam et sinum sanctæ matris Ecclesiæ B recepimus, acceptis ab eo securitatibus quæ inferius scriptæ sunt, quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacensis, et filiarum nostrarum Mathildis et comitissæ Adelaidæ, et aliorum principum, episcoporum, et laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus. His itaque sic peractis, ut ad pacem Ecclesiæ et concordiam regni (sicut diu desideravimus) omnia plenius, Deo adjuvante, coaptare possimus, ad partes vestras data primum opportunitate transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam, sicut in descriptis securitatibus cognoscere potestis, ita adhuc totius negotii causa suspensa est, ut et adventus noster et consiliorum vestrorum unanimitas C permaxime necessaria esse videantur. Quapropter in ea fide quam cœpistis, et amore justitiæ, omnes permanere studete, scientes nos non aliter regi oblatos esse, nisi quod puro sermone (sicut mihi mos est) in his eum de nobis sperare dixerimus, in quibus eum ad salutem et honorem suum, aut cum justitia, aut cum misericordia, sine nostræ et illius animæ periculo adjuvare possimus.

Jusjurandum Henrici regis Teutonicorum.

Ego Henricus rex de murmuratione et dissensione quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, duces, comites, cæterique principes regni Teutonicorum, et alii qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum quem dominus papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundum D judicium ejus, aut concordiam secundum consilium ejus, faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit, quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item si idem dominus papa Gregorius ultra Montes, seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte, et eorum quos constringere potero, ab omni læsione vitæ et membrorum ejus, seu captione, tam ipse quam qui in ejus conductu et comitatu fuerint, seu qui ab illo mittuntur, vel ad eumdem quibuscunque terrarum partibus venerint in eundo, et ibi morando, seu inde redeundo, neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit;

(389) Vide Lambertum; Bertholdum anno 1077; Leonem Ostiensem lib. 3, c. 48.

et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse A meum illum adjuvabo.

Actum Canusiæ, quinto Kalendas Februarii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XIII.

AD RODULPHUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

(Anno 1077.)

Non debere eum conqueri de pallio concesso episcopo Dolensi, cum id a se factum sit salvo Turonensis Ecclesiæ jure, de quo exploratius se sententiam laturum esse affirmat, cum aut ipse in Germaniam, ut destinavit, transierit, aut archiepiscopus ipse una cum Dolensi episcopo Romam vocatus accesserit. Interim quare id fecerit, causam reddit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULPHO Turonensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. B

Quod de consecratione Dolensis episcopi et concesso sibi honore pallii adversum nos conquereris, pro voluntate potius quam ratione facere videris, qui nos in ea re Ecclesiæ cui, Deo volente, præesse dignosceris, totius justitiæ locum reservasse cognoscis. Cum enim audivimus principes illius terræ, contra antiquam et pessimam consuetudinem, pro reverentia Dei omnipotentis et apostolicæ auctoritatis, ulterius in ordinandis episcopis nec dominium investituræ tenere, nec pecuniæ commodum quærere velle, atque ob hoc ad apostolicam misisse sedem, ut in præfato loco juxta sanctorum Patrum statuta legalis ordinaretur episcopus, devotioni eorum valde congaudendum et petitionibus annuendum dignum C duximus. Verum quam caute nos Turonensi Ecclesiæ et ejus dignitati providerimus, in litteris illis quas ad Britannicos principes et episcopos misimus (quod et te cognovisse putamus), aptissime continetur. Quapropter fraternitas tua sine omni murmuratione discussionem et justam definitionem hujus causæ exspectare non renuet, quoniam et quod factum est consideratione fecimus, et quod faciendum diligenti inquisitione, sicut res magna et ambigua postulat, pertractare et exsequi volumus. Neque id in longum, Deo providente, protelabitur, quoniam si in partes regni Teutonicorum, prout destinavimus, hoc in tempore transierimus, inde aut nosmetipsi ad vos pertransiemus, aut tales qui hanc causam sincera exploratione discutiant atque definiant mittere D procurabimus. Quod si eo modo nostræ dispositionis consilium transigi non posse contigerit, congruo tempore et te et Dolensem episcopum ad præsentiam sedis apostolicæ convocabimus, et ibi causam vestram utrinque diligenter examinatam, prout sincera veritas et justitia exquisierit, ad irrevocabilem, Deo favente, finem perducemus.

Data in Longobardia in loco qui dicitur Carpineta, Kalendis Martii, ind. XV.

EPISTOLA XIV.

AD CARNOTENSES.

(Anno 1077.)

Ne deinceps in episcopum recipiant Robertum perjurum et Simoniacum, et ut alium legitimum pastorem eligant. Quod si quis non canonice episcopus factus sit, ipse, omnes fautores ejus, et consentientes, excommunicentur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, universo clero et populo Carnotensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam id ipsum ad aures vestras pervenisse credamus, tamen, ut nulla inter vos diversi rumoris aut opinionis dissensio causam Dei impedire valeat, præsentem epistolam vobis notificare dignum duximus, quod Robertus monachus, qui ecclesiam vestram nefanda ambitione occupavit, in terribili culpa perjurii se obligavit, cum episcopatum illum haud dubie a nostro legato commonitus (sicut supra corpus beati Petri apostolorum principis juraverat) dimittere noluit, et alia quæ in eodem sacramento tenebantur infregit. Unde apostolica vos auctoritate monemus atque præcipimus, ut eum nullatenus deinceps pro episcopo aut domino habeatis, nec aliquam sibi obedientiam vel servitium exhibeatis. Verum ne Ecclesia illa diutius sine pastore remaneat, vel introitus ejus Simoniacæ subreptioni ulterius pateat, eadem auctoritate vobis præcipimus ut, præmissis orationibus atque triduano jejunio cum eleemosynis, pro nullius timore vel gratia, pro nulla unquam occasione prætermittatis, quin talem vobis in episcopum eligatis, qui non aliunde sicut fur et latro, sed per ostium intrans pastor ovium vocari et esse debeat (*Joan.* X.) Illud enim scitote, quoniam si quis ad sedem illam contra regulam sanctorum Patrum aspiraverit, ipsum et omnes fautores ejus vel in ea re consentientes apostolica censura et anathematis gladio feriemus, et a corpore totius Ecclesiæ decidemus. Quapropter mementote quod nemo pro vobis passus, nemo pro vobis mortuus est, nisi Christus, cujus libertatem sicut dilecti filii Dei tenentes et defendentes, jugum iniquitatis aut aliquod dominium ad perditionem animarum vestrarum vobis imponi nullatenus patiamini, scientes quod nunquam vobis in hac causa apostolica deerit auctoritas et defensio.

Data Carpinetæ, quarto Nonas Martii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XV.

AD RICHERIUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM, etc.

(Anno 1077.)

Ut in Roberti locum alium a clero et populo Carnotensi canonice eligendum curent, et in episcopum consecrent; et eumdem Robertum ac Hugonem fratrem compellant restituere quæ ecclesiæ abstulerant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RICHERIO Senonensi archiepiscopo et coepiscopis suffraganeis ejus, excepto eo qui interdictus est, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare credimus fraternitatem vestram quibus de causis Robertum monachum, aliquando dictum Carnotensem episcopum, ab episcopali sede et officio canonica et apostolica censura privavit, quanquam adhuc eamdem sedem ad confusionem suam, contra sacramentum quod supra corpus beati

Petri apostolorum principis fecit, occupare non desierit. Verum quoniam Ecclesiam illam canonicam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus, admonemus et vos ut eidem electioni eam quam oportet, aut per vos aut per idoneos nuntios vestros, diligentiam adhibentes, quem electum canonice cognoveritis, et manus imponere, et in episcopum consecrare, nulla occasione recusetis, scientes quoniam si illud timore aut gratia cujusquam prætermiseritis, nos tamen inordinatum eum nullatenus relinquemus, et vos eo honore et dignitate, quam ignobiliter deserere non erubescitis, deinceps indignos fore judicabimus. Præcipimus etiam divina justitia et apostolica auctoritate ut eumdem Robertum et fratrem ejus Hugonem commoneatis quatenus præfatæ Carnotensi Ecclesiæ et clericis ejus, quæ abstulere, omnino restituant, et deinceps nullam eis injustitiam facere præsumant. Quod si infra tres hebdomadas postquam hanc epistolam videritis adimplere contempserit, usque ad dignam satisfactionem et emendationem eos a liminibus ecclesiæ veluti raptores et sacrilegos exterminate.

Data Carpinetæ, quarto Nonas Martii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XVI.

AD CLERICOS ROMANENSES.

(Anno 1077.)

Salutem et benedictionem tanquam excommunicatis illis non mittit. Præcipit ut coram Diensi episcopo compareant, ut discutiatur causa quæ inter ipsos et Viennensem archiepiscopum de jurisdictione cujusdam loci vertebatur, eique nec non Viennensi episcopo in omnibus obsequentes se exhibeant; sin minus, eorum contumaciam impunitam se non prætermissurum minatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Romanensibus clericis.

Quod salutem et apostolicam benedictionem vobis ex more non mittimus, propter excommunicationem, quam pro culpis vestris incurrere non timuistis, sicut sacra præcepit auctoritas, prætermittimus. Scribere tamen vobis et admonere super his quæ ad correctionem vestram pertinent, ipsa apostolica [apostolici] moderaminis mansuetudo et consueta pietas a nobis exigit. Conqueritur enim adversum vos confrater noster Wormundus [Wormandus], venerabilis Viennensis archiepiscopus, quod ei antiquam debitam potestatem loci vestri contradicere præsumpseritis, quam ab initio proprii juris Viennensis Ecclesiæ exstitisse, et hactenus sub dispositione suorum antecessorum fuisse non ignoratis, indicans etiam vos hanc contradicendi sibi occasionem irrationabiliter et callide prætendere, ut idem locus juris S. Petri et sub ejus dominio, nescio quibus auctoribus vel concessionibus, esse debeat. Unde et nos causam istam multo cautius oportet attendere, et qualiter rectissime discutiatur providere, ut nec apostolicæ sedi, nec Viennensi Ecclesiæ alicujus præjudicii aut incommoditatis gravamen videamur inferre. Nam sicut sanctæ Romanæ et apostolicæ Ecclesiæ jura et dignitates suas conservari cupimus, ita et membris ejus, videlicet cæteris Ecclesiis, ex hujus providentia et auctoritate oportere dignissimum esse perpendimus. Quapropter apostolica vos auctoritate monemus, atque præcipimus, ut ad discutiendam causam istam confratri nostro Hugoni venerabili Diensi epicopo, cui et vicem nostram in aliis commisimus, sine omni contradictionis mora vos repræsentetis, et quidquid ipse super hac re justum fore providerit atque judicaverit, obedienter exsequi nullatenus prætermittatis; exhibentes etiam vos in omni obedientia et humilitate eidem vicario nostro et præfato Viennensi archiepiscopo, ad satisfaciendum super his quibus vos reprehensibiles et merito corrigendos appellaverint. Videte ergo quam attentis auribus et obedientibus animis nos in his omnibus audiatis; scientes quoniam si denuo ad nos vestræ inobedientiæ et temerariæ resultationis contumacia perlata fuerit, inultam eam et condigna severitate impunitam nullatenus apostolica dissimulabit auctoritas, et introitu ecclesiæ vestræ omnibus hominibus præsenti auctoritate prohibito, eam etiam quam præfati fratres nostri ultionis in vos sententiam et judicium exercuerint, perurgenti in vos districtione ratum ac firmum esse censemus.

Data apud castrum quod dicitur Carpum, XIV Kal. Aprilis, indictione XV.

EPISTOLA XVII.

AD WILLELMUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 1077.)

Causam Dolensis episcopi propter ejus scelera ab episcopatu ejecti ita tractatam fuisse, ut accuratius tractari non posse videretur. Ejus tamen precibus legatos destinasse, qui eam iterum in eadem ecclesia pertractent, in quorum determinatione eum acquieturum non dubitat. Ad ejus gloriam se paratum ostendit; cætera Huberto legato se in mandatis daturum, cui fidem adhibeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Willemo regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Causam unde nos in litteris vestris rogastis, ita jam ad extremum deductam esse putavimus, ut nihil in ea quod ulterius retractandum esset restare videretur. Nam cum in Dolensi ecclesia episcopum ordinavimus, ita hunc pro quo excellentia vestra intervenit ad dejectionem suam ex propriis facinoribus, et ad ultimum ex inobedientia se præcipitasse non solum per clericos et religiosas personas illius Ecclesiæ, sed etiam per legatum nostrum Leuzonem monachum, intellexeramus, ut magis sibi de malis in Ecclesiam commissis et corruptissima vita sua timendum et plangendum, quam pro recuperatione episcopatus proclamandum, aut quidquam sperandum fore judicaremus. Attamen ne deprecationem vestram sine ea qua oportet cura et benignitate suscepisse videamur, et, si aliquis per subreptionem, quod non credimus, nos fefellit, ad inquirendum et

corrigendum minus solliciti inveniamur, legatos nostros, videlicet confratrem nostrum Hugonem venerabilem Diensem episcopum, et dilectum filium nostrum Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, et ipsum etiam Leuzonem monachum, si ereptum ab infirmitate poterimus illuc mittere, decrevimus, qui causam diligenti inquisitione discutiant, et, si quid in ea dictante justitia mutandum vel emendandum fuerit, consequenti ratione et auctoritate exsequi studeant. Nusquam enim hoc negotium rectius aut diligentius quam in eadem ecclesia pertractari posse videtur, ubi et hic et illi præsentes esse valeant, et vestri etiam interesse fideles, qui rationem et justiam plene percognitam certis assertionibus vobis indicare queant. Nec dubitamus equidem quin vestra celsitudo diffinitioni justitiæ concorditer acquiescat, quoniam licet in vobis per misericordiam Dei multæ et egregiæ sunt virtutes, hæc tamen est præclara et famosissima, et quæ gloriam vestram Deo præcipue commendat et hominibus, quod justitiam, quam vos facere prompti estis, aliis etiam facientibus diligitis atque probatis. De cætero scitote eminentiam vestram, et sæpe cognitam devotionem ejus, nobis gratissimam fore, qui et vos ipsos, et quidquid ad gloriam sublimitatis vestræ Deo auctore proficere potest, semper in corde et visceribus nostris cum magno desiderio et affectu intimæ charitatis amplectimur, et ad voluntatem vestram in omnibus quæ apud nos impetrare quæsiveritis, quod possumus, et secundum beneplacitum Dei, nos audere cognoscimus, flecti et annuere parati sumus. Quia vero præfatum filium nostrum Humbertum ad vos usque dirigere destinavimus, plura vobis scribere non necessarium duximus; quoniam, in omnibus quæ ex nostra parte vobis refert, ipsum quasi certissimam epistolam nostram et verba nostra fideliter continentem fore nec nos dubitamus, nec vestram excellentiam dubitare volumus. Deus autem omnipotens meritis et intercessionibus apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum suorum, tibi et serenissimæ reginæ Mathildi uxori tuæ, et clarissimis filiis vestris omnium peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem et absolutionem tribuat; et cum vos de rebus mundanis eximi jusserit, ad æternum regnum suum et veram gloriam transire faciat.

Data Bibianelli, XII Kal. Aprilis, ind. VX.

EPISTOLA XVIII.

AD CANONICOS ANICIENSES.

(Anno 1077.)

Confirmat excommunicationis sententiam a Diensi episcopo legato latam in Stephanum Aniciensis Ecclesiæ invasorem; ideo ab omni sacramento præstito eos absolvens, præcipit ne ei amplius obedientiam exhibeant, et ut alium pastorem eligant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Aniciensibus canonicis.

Notum est vobis qualiter Stephanus Aniciensis Ecclesiæ invasor et Simoniacus, despecto sacramento quod nobis super corpus sancti Petri de liberatione ejusdem ecclesiæ fecerat, eam occupare et tyrannica oppressione affligere non cessat. Unde scire vos volumus quia sicut confrater noster Hugo Diensis episcopus, cui vices nostras in Galliarum partibus agendas commisimus, illum excommunicavit, sic et nos excommunicavimus, et a gremio sanctæ Ecclesiæ separavimus. Quapropter apostolica auctoritate præcipimus vobis ut, colla vestra de sub jugo ejus excutientes, ne illi, adhærentes diabolo, cujus ipse membrum factus est, serviatis, sed ab illo sicut ab excommunicato oportet caveatis, et de excommunicatione, quam incurristis, coram prædicto Diensi episcopo satisfacientes, ipsius consilio pastorem vobis secundum Dominum eligatis. Quod si feceritis, ab omni sacramento et obligatione quam præfato Simoniaco contra Dominum fecistis ex parte sancti Petri vos absolvimus. Si vero etiam nunc nostræ salutari jussioni recalcitrare præsumpseritis, pari vos anathemate condemnatos sciatis.

Data Bibianelli [Biblianelli, *et sic semper*] decimo Kalendas Aprilis, indictione decima quinta.

EPISTOLA XIX.

AD GALLIARUM EPISCOPOS.

(Anno 1077.)

Confirmat sententiam in Aniciensem episcopum latam ut in superiori epistola. Excommunicat præterea omnes qui consilium ei dederint ut in sua hæresi permaneat. Prohibet quoque oblationes in eadem ecclesia fieri, quandiu ab eo detineatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, universis Galliarum episcopis, et cunctis ordinibus sub eis constitutis, quibus pro merito debetur, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse volumus charitati vestræ quod Stephanus, Aniciensis ecclesiæ invasor et Simoniacus, juravit nobis super corpus beati Petri ut ecclesiam ipsam dimitteret, et pastorem in ea secundum Dominum eligere atque constituere per fidem adjuvaret, quandocunque legatus apostolicæ sedis cum litteris nostris id eum facere per sacramentum moneret. Postea vero commonitus a confratre nostro Hugone Diensi episcopo hujus specialiter negotii litteras a nobis habente, quamvis eidem vices nostras in Galliarum partibus commisissemus, Ecclesiam non cessat opprimere, et filios ejus duplici contritione, corporali scilicet et spirituali, conterere. Unde excommunicationem, quam prædictus legatus noster super eum fecit, nos confirmamus, ipsumque, et omnes qui deinceps consilium ei dederint ut in hac hæresi permaneat, ex parte Dei et sancti Petri anathematizamus, donec resipiscant. Contradicimus etiam ut nullam pecuniam aliquis offerat in podio Sanctæ Mariæ, sive ad altaria, sive ad manus sacerdotum, donec ecclesia liberetur a tam impia oppressione, quia oblationes fidelium prædictum Stephanum a Deo apostatare atque contra eum faciunt superbire. Vobis autem, fratres coepiscopi, hanc excommunicationem atque contradicinemto parochiis vestris per diversa loca recitare,

et ex parte vestra confirmare, apostolica auctoritate A præcipimus.

Data Bibianello, decimo Kalendas Aprilis, indictione decima quinta.

EPISTOLA XX.

AD JOSFREDUM EPISCOPUM PARISIACENSEM.

(Anno 1077.)

Walterum quemdam ab archiepiscopo Remensi excommunicatum, et a se sub cautela absolutum, ab archiepiscopo, si culpa vacaverit, absolvi jubet. Quod si ille facere noluerit, vult ut ipse absolvat; si vero in culpa fuerit, ad satisfactionem coarctet. Eodem quoque pacto Azonem quemdam canonicum absolvat; monachis Sancti Lamberti, qui extraneo abbati obedire noluerant, excommunicationis sententiam relaxet; et Cameracenses, si hominem ideo combusserint, quia Simoniacos et fornicarios missas celebrare non debere assereret, excommunicet, seque Ecclesiæ fidelem ministrum exhibeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Josfredo Parisiacensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Vir iste videlicet præsentium portitor Walterus de Duaco ad nos veniens, multis supplicationibus nobis institit, quatenus ei per apostolicæ pietatis misericordiam consilium absolutionis nostro interventu impenderemus apud confratrem nostrum Rhemensem archiepiscopum, qui eum excommunicaverat : indicans nobis quod de causa propter quam excommunicatus sit multotiens ad disceptationem et faciendam justitiam ante excommunicationem et post excommunicationem se paratum obtulerit. Verum, quia relationi suæ sine legitima discussione credere non satis cautum aut rationabile putavimus, definitam sententiam pro ejus absolutione dare noluimus, eam solummodo misericordiam ex gratia et indulgentia apostolorum Petri et Pauli, ad quorum limina veniebat, sibi concedentes, ut in eundo et redeundo sacræ communionis licentiam haberet, usque in octavum diem postquam rediret ad patriam. Cæterum, ne diutius aliqua indigna occasione sub excommunicationis nexibus teneatur, apostolica te auctoritate monemus ut, fultus his litteris nostris, archiepiscopum convenire studeas, et, perquisita ac cognita mera hujus negotii veritate, si iste aut pro sua innocentia aut congruæ satisfactionis exhibitione tibi absolvendus videbitur, continuo archiepiscopum ut eum sine contradictione absolvat ex nostra parte commoneas : qui si aliqua hoc excusatione renuerit, tu ipse eum nostra vice absolvere nullatenus prætermittas. Si vero istum in culpa esse, et quod justum fuerit exsequi nolle constiterit, usque ad dignam satisfactionem sub excommunicationis vinculo coarctari debere decernimus. Præterea Azo quidam canonicus ecclesiæ sancti Amati de prænominato loco, pro quodam dicto, licet vero, nimis leviter et irreverenter prolato, a consortio fratrum se ejectum esse innotuit. Quem similiter apostolicæ miserationis clementiam pro sua reconciliatione implorantem itidem tibi committimus, ut si alia eum culpa damnationi magis debita non accusat, pro hac in capitulo fratrum claustrali disciplina correctum, et pœnitentia castigatum, in societatem fratrum ad proprium locum cum charitate recipi facias. Est et alia causa quam cum omni sollicitudine te suscipere et peragere volumus, videlicet duorum fratrum monasterii sancti Remigii, Roberti et Lamberti, qui se ab archiepiscopo idcirco excommunicatos, et, excæcato quodam fratre eorum laico, omni miseria circumventos esse dicunt : quoniam cuidam extraneo abbati interventu pecuniæ, et omnino contra regulam sancti Benedicti et auctoritatem sanctorum Patrum, indigne illis et præfato monasterio pro abbate apposito obedire, et sub ejus regimine in eodem cœnobio manere noluerint : nec in his omnibus quidquam B eis profuisse pro confusione monasterii, et habenda justæ defensionis suæ licentia, ad audientiam sedis apostolicæ proclamasse. Quod si ita est, quam graviter archiepiscopus in hac causa, maxime de contemptu apostolicæ auctoritatis, se culpabilem fecerit, tu ipse perpendere potes. Quapropter de his et de multis aliis aptioris loci et temporis opportunitatem conveniendi eum, Deo auxiliante, præstolantes, illud ad præsens tuæ fraternitatis committimus, et apostolica auctoritate præcipimus, ut eum, omni occasione remota, sententiam excommunicationis, quam in præfatos monachos protulit, relaxare commoneas, et eos deinceps sine omni infestatione et periculo in pace manere dimittat : recognoscens, et C superni judicis judicium timens quod eis tanta mala sine deliberatione justitiæ sub appellatione apostolicæ sedis fecerit. Si vero eum in hac re pro sua magnitudine et arbitrio contradicentem et minus obedientem inveneris, tu ipse fultus nostra auctoritate eos absolvas, et abbatem illum, qui præfatum monasterium sancti Remigii nefanda ambitione occupasse dicitur, ita commoneas, ut aut in partibus illis confratri nostro Hugoni venerabili Diensi episcopo, cui vices nostras commisimus, aut aliis legatis nostris, si eos in Gallia synodum celebraturos cognoscerit, se repræsentare pro reddenda ratione sui introitus nullatenus prætermittat, aut ad nos in proxima festivitate omnium sanctorum veniat : commonitis etiam fratribus ejusdem monasterii, qui D adversus eum de causa illicitæ subreptionis suæ in abbatiam conqueruntur, ut et ipsi secundum præscriptam terminationem ad discutiendum hoc negotium se præsentes exhibeant. Item relatum nobis est Camaracenses hominem quemdam flammis tradidisse, eo quod Simoniacos et presbyteros fornicatores missas non debere celebrare, et quod illorum officium minime suscipiendum foret, dicere ausus fuerit. Quod quia nobis valde terribile, et, si verum est, omni rigore canonicæ severitatis vindicandum esse videtur, fraternitatem tuam sollicite hujus rei veritatem inquirere admonemus : et, si eos ad tantam crudelitatem impias manus suas extendisse cognoveris, ab introitu et omni communione ecclesiæ auctores pariter et complices hujus

sceleris separare non differas, et nobis hujus rei certitudinem, necnon quidquid de superioribus causis effectum fuerit, per litteras tuas quam citissime possis indicare stude. De cætero rogamus te et multum admonemus ut omnibus confratribus et coepiscopis tuis per totam Franciam ex apostolica auctoritate significes, quatenus et illis sacerdotibus qui a turpitudine fornicationis cessare noluerint, officium sacris altaribus ministrandi penitus interdicant, et tu ipse in omni loco et conventu id prædicare non cesses. Et si in hac re aut episcopos tepidos, aut illos qui sacrorum ordinum nomen et officium indigne pro supradictis criminibus usurpare præsumunt, rebelles esse cognoveris, omni populo, ne eorum ulterius officium suscipiat ex parte beati Petri et nostra apostolica auctoritate ubique interdicas, ut vel hoc modo confusi ad emendationem vitæ suæ, et ad castitatem religiosæ continentiæ, redire cogantur. Age ergo ut sancta et universalis mater Ecclesia te fidelem ministrum et cooperatorem nostræ, imo apostolicæ, sollicitudinis, Deo adjuvante, cognoscat, et nobis, quod valde desideramus, de libertate et fructu tui sacerdotalis officii ad præsens gaudere, et in posterum per misericordiam Dei confidenter sperare posse proveniat.

Data Bibianello, VIII Kalendas Aprilis, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXI.

AD HERIMANNUM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 1077.)

Committit ei causam inter episcopum Leodiensem et abbatem Sancti Laurentii, qui a dicto episcopo de monasterio suo ejectus ad sedem apostolicam appellaverat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERIMANNO Metensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium portitor litterarum Vulpodo abbas monasterii sancti Laurentii Leodii ad nos veniens multis supplicationibus nos exoravit quatenus eum apud episcopum Leodiensem, qui eum de monasterio suo ejecerat, ut clementius in illum ageret, apostolicis interventibus juvaremus : tantum nobis de causa sua indicans quod de objectis sibi respondere paratus fuerit; sed legales respondendi et expurgandi se inducias habere nullatenus potuerit, quanquam eas sub vocatione divini nominis et respectu beati Petri quæsierit. Episcopus autem prius nobis in epistola sua quædam indigna de ejus actibus indicaverat. Ut igitur in hac ambiguitate neutri quod justum est denegare videamur, fraternitatem tuam rogamus, et apostolica auctoritate ut hanc causam suscipiat admonemus, et eam diligenti inquisitione percognitam eo ordine quo canonica instituta præcipiunt tractari et definiri faciat : procurans equidem ut iste cum tanto moderamine et sibi conservata justitia ad audientiam admittatur, quatenus non incassum apostolicam misericordiam et ejus suffragia quæsisse videatur.

Data Bibianello, octavo Idus Aprilis, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXII.

AD HUGONEM EPISCOPUM DIENSEM.

(Anno 1077.)

Præcipit ut congregata synodo episcoporum Franciæ causa Cameracensis electi discutiatur, qui post sui legitimam electionem investituram ab Henrico rege acceperat, ignorans et regem excommunicatum, et hujusmodi investituram a pontifice prohibitam. Quod si ita esse jurejurando affirmaverit, ejus electionem confirmat : vultque ut in concilio causæ nonnullarum Ecclesiarum definiantur, Cluniacensis abbas ad synodum vocetur pro Arvernensis Ecclesiæ causa; et inter cætera decretum de non accipiendis investituris a laicis promulgetur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI venerabili Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Gerardus Cameracensis electus ad nos veniens qualiter in eadem Cameracensi Ecclesia ad locum regiminis assignatus sit prompta nobis confessione manifestavit, non denegans post factam cleri et populi electionem donum episcopatus ab Henrico rege se accepisse : defensionem autem proponens, et multum nobis offerens, se neque decretum nostrum de prohibitione hujusmodi acceptionis, nec ipsum Henricum regem a nobis excommunicatum fuisse, aliqua certa manifestatione cognovisse. Cui cum nos congruis rationibus ostenderemus quam grave esset, etiam omni ignorantia eum excusante, sanctæ apostolicæ sedis synodale decretum transgredi, et hujusmodi participatione cum homine excommunicato commaculari, ad satisfaciendum promptus donum quod accepisse visus est continuo in manus nostras refutavit, et omnino causam suam nostro judicio cum sui ipsius ad omnem voluntatem nostram subjectione et obauditione reliquit. Pro cujus humiliatione, et maxime quoniam canonicam electionem in eo præcessisse audivimus, ad misericordiam moti sumus, et, confisi in testimonio quod nonnulli confratrum nostrorum episcoporum cum multis pro eo supplicationibus ad nos per epistolas suas direxerunt, videlicet quod ejus præcedens vita et conversatio multum honesta et laudabilis fuerit, ad promotionem ejus discretæ moderationis consideratione assensum præbere non indignum duximus. Attamen ne istud aliis, quorum causa et conversatio huic longe dissimilis et impar constiterit, ad exemplum vel occasionem quærendæ misericordiæ in posterum fore debuisset, illud constituimus, ut coram te et confratre nostro Remensi archiepiscopo et aliis comprovincialibus episcopis ita se per sacramentum purgare debeat, quod ei ante acceptionem illam, et, ut dicitur, investituram episcopatus regem excommunicatum fuisse, et illud decretum nostrum de prohibitione hujuscemodi investiendi et accipiendi Ecclesias, neque per legatum nostrum, neque ab aliqua persona quæ se his statutis interfuisse et ea audisse fateretur, significatum et indubitanter notificatum fuerit. Quapropter ad-

monemus fraternitatem tuam ut concilium in partibus illis convocare et celebrare studeas, maxime quidem cum consensu et consilio regis Francorum, si fieri potest. Si autem aliqua occasione in id consentire noluerit, in Lingonensi Ecclesia conventum celebrandi consilii instituas, atque hoc cum consilio et prudenti dispositione fratris nostri Lingonensis episcopi facias; sciens quoniam in omnibus fidelem adjutorem et cooperatorem non solum nobis, sed et ibi [*forte*, tibi. Hard.] et omnibus legatis nostris se deinceps fore promisit, et nos in eo multam spem habemus et fiduciam. Comes etiam Tebaldus per legatos suos eamdem nobis promissionem fecit, ut si rex legatos nostros recipere nollet, ipse cum summa devotione reciperet, et eis omnem quam posset aptitudinem celebrandi synodum, et ecclesiastica exquirendi negotia, locum, consilium auxiliumque daret. Stude ergo ut præfatum confratrem nostrum Lingonensem episcopum convenias, et communi consilio ubi vobis melius videbitur, synodum instituite, et convocatis illuc archiepiscopo Remensi, et cæteris quotquot possis archiepiscopis et episcopis Franciæ, primo omnium causam supra memorati Cameracensis electi discutere studeas, videlicet ut secundum præscriptam sacramenti determinationem se coram omnibus expurget; et insuper, ne in mortem illius qui in ignem projectus est consenserit, in eodem se sacramento defendat. Quod si factum fuerit, præcedentem ejus electionem confirmandam esse apostolica moderatione decernimus, et te cum confratre nostro Remensi archiepiscopo de ejus consecratione, prout oportet, statuere volumus, nisi forte alia sibi quæ nos ignoramus obstiterint; quæ tamen in providentia vestra examinanda relinquimus. Illud vero commune malum pene totius terræ, videlicet quod altaria venduntur, et quod iste etiam in officio sui archidiaconatus se fecisse non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quam cæteris omnibus, interdicito. De cætero admonemus dilectionem tuam, ut reliquas causas et negotia, videlicet Catalaunensis episcopi, Carnotensis Ecclesiæ, Aniciensis, Arvernensis, nec non monasterii Sancti Dionysii, et alia quæ necessaria ecclesiasticæ religioni apparuerint pro commissa tibi vice nostra, quantum Deo auxiliante potueris, ita diligenter tractare et ad finem perducere studeas, quatenus in eis nostra deinceps possit sollicitudo et longa fatigatio sublevari. Volumus etiam ut fratrem nostrum Hugonem venerabilem Cluniacensem abbatem tecum synodo interesse ex nostra parte convitare rogando et multum instando procures, cum propter alia multa, tum maxime ut causa Arvernensis Ecclesiæ competenti et firma determinatione cum Dei et illius adjutorio finiatur. Confidimus enim in misericordia Dei, et conversatione vitæ ejus, quod nullius deprecatio, nullius favor aut gratia, nec aliqua prorsus personalis acceptio eum a tramite rectitudinis dimovere poterit. Si igitur divina clementia huic nostræ dispositioni effectum dederit, inter cætera quæ tua

A fraternitas agenda suscepit hoc attentissime perpendat et exsequi studeat, ut congregatis omnibus, et in conventu residentibus, manifesta et personanti denuntiatione interdicat ut, pro conservanda deinceps in promovendis episcopis canonica et apostolica auctoritate, nullus metropolitanorum, aut quivis episcoporum, alicui, qui a laica persona donum episcopatus susceperit, ad consecrandum illum imponere manum audeat, nisi dignitatis suæ honore officioque carere et ipse velit. Similiter etiam ut nulla potestas, aut aliqua persona, de hujusmodi honoris donatione vel acceptione ulterius se intromittere debeat. Quod si præsumpserit, eadem sententia et animadversionis censura quam beatus Adrianus papa, in octava synodo (an. 22), de hujusmodi præ-

B sumptoribus et sacræ auctoritatis corruptoribus statuit atque firmavit, se astrictum ac ligatum fore cognoscat. Quo capitulo scripto, atque in præsentia omnium lecto, ad collaudationem et confirmationem ejus universum cœtum illius consessus admoneas. Eos autem qui post recensitam a nobis hujus decreti auctoritatem investituram episcopatus per manus sæcularium dominorum et potestatum susceperunt, et qui eis in ordinationem manum imponere præsumpserunt, ad nos super hac re rationem reddituros venire apostolica auctoritate commoneas atque præcipias.

Data juxta Padum, in loco qui dicitur Ficarolo, quarto Idus Maii, indictione decima quinta.

C

EPISTOLA XXIII.

AD BERNARDUM DIACONUM, ET BERNARDUM ABBATEM.

(Anno 1077.)

Ut ab Henrico et Rodulpho regibus iter tutum petant, ut ad Teutonicorum partes se conferre possit: quorum alter, qui id præstare noluerit, excommunicetur, et regni gubernaculis interdicatur; qui vero paruerit, in regia dignitate confirmetur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Bernardo sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono, et Bernardo Massiliensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus

D quia ideo ab Urbe confisi de Dei misericordia et adjutorio beati Petri egressi sumus, ut ad Teutonicorum partes, composituri inter eos (ad honorem Dei et utilitatem sanctæ Ecclesiæ) pacem, transiremus. Sed quia defuerunt qui nos secundum quod dispositum erat conducerent, impediti adventu regis in Italiam, in Longobardia inter inimicos Chrstianæ religionis non sine magno periculo remansimus, et adhuc, sicut desideramus, ultra montes proficisci nequivimus. Quocirca monemus vos, et ex parte beati Petri præcipimus ut, fulti auctoritate hujus nostri præcepti, nostraque vice ab eodem apostolorum principe accincti, utrumque regem, Henricum videlicet atque Rodulphum, commoneatis quatenus viam nobis illuc secure transeundi aperiant, et adjutorium atque ducatum per tales personas de quibus

vos bene confiditis, præbeant, ut iter nobis Christo protegente pateat. Desideramus enim cum consilio clericorum atque laicorum ejusdem regni, qui Dominum timent et diligunt, causam inter eos, Deo favente, discutere : et cujus parti magis ad regni gubernacula justitia favet demonstrare. Scitis enim quia nostri officii et apostolicæ sedis est providentiæ majora Ecclesiarum negotia discutere, et dictante justitia definire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium tantæ gravitatis est tantique periculi, ut si a nobis fuerit aliqua occasione neglectum, non solum illis et nobis, sed etiam universali Ecclesiæ magnum et lamentabile pariat detrimentum. Quapropter si alteruter prædictorum regum huic nostræ voluntati ac deliberationi parere et ad vestra monita locum dare renuerit, suamque superbiam atque cupiditatis faces contra honorem Dei omnipotentis accendens, ad desolationem totius Romani imperii anhelare tentaverit, omnibus modis omnique ingenio usque ad mortem, si oportet, nostra vice, imo beati Petri auctoritate, ei resistite, et totius regni gubernacula contradicendo tam illum, quam omnes sibi consentientes a participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, et a liminibus sanctæ Ecclesiæ separate : illud semper habentes in memoria quia scelus idololatriæ incurrit qui apostolicæ sedi obedire contemnit, et quod beatus Gregorius doctor sanctus et humillimus decrevit reges a sua dignitate cadere, si temerario ausu præsumerent contra apostolicæ sedis jussa venire (390). Alteri autem qui nostræ jussioni humiliter paruerit, et obedientiam universali matri (sicut decet Christianum regem) exhibuerit, convocato concilio omnium clericorum et laicorum quos advocare poteritis, consilium et adjutorium in omnibus præbete, et in regia dignitate per auctoritatem beatorum apostolorum Petri et Pauli nostra vice confirmate, omnibusque episcopis, abbatibus, clericis ac laicis, in omni regno habitantibus, ut sibi fideliter (sicut oportet) regi obediant et deserviant ex parte omnipotentis Dei præcipite.

Data Carpinetæ, secundo XV Kalendas Junii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXIV.

AD GERMANOS.

(Anno 1077.)

Ejusdem argumenti.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus et universis Christi fidelibus clericis et laicis, tam majoribus quam minoribus, in regno Teutonicorum consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum fieri vobis volumus, fratres charissimi, quia legatis nostris, Bernardo videlicet sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideli filio et diacono, itemque Ber- A nardo abbati religioso Massiliensis monasterii, præcipimus ut utrumque regem, Henricum videlicet et Rodulphum, aut per se aut per idoneos nuntios admoneant quatenus viam mihi, pro discutiendo negotio quod peccatis facientibus inter eos ortum est, ad vos, Deo favente, secure veniendi præbeant. In magna enim tristitia et dolore cor nostrum fluctuat, si per unius hominis superbiam tot millia hominum Christianorum temporali et æternæ morti traduntur, et Christiana religio confunditur, Romanumque imperium ad perditionem perducitur. Uterque namque rex a nobis, imo ab apostolica sede, cui licet indigni præsidemus, adjutorium requirit. Et nos, de misericordia omnipotentis Dei et adjutorio beati Petri confidentes, parati sumus cum vestro B consilio, qui Deum timetis et Christianam fidem diligitis, æquitatem causæ utrinque decernere, et ei præbere auxilium cui justitia ad regni gubernacula favere dignoscitur. Quapropter, si alteruter eorum superbia inflatus aliquo ingenio quominus ad vos venire possimus obstiterit; et de sua injustitia timens judicium sancti Spiritus refugerit, inobediens factus resistendo sanctæ et universali matri Ecclesiæ, hunc velut membrum Antichristi, et desolatorem Christianæ religionis, contemnite, et sententiam, quam nostri legati contra eum nostra vice dederint, conservate : scientes quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). Alteri vero qui humiliter se habuerit, et judicium (decre- C tum vero a Spiritu sancto, per vos autem prolatum) non contempserit (indubitanter enim credimus quod ubicunque duo vel tres in nomine Domini congregati fuerint, præsentia ejus illuminantur (*Matth.* XVIII), illi inquam, servitium et reverentiam secundum quod nostri præfati legati decreverint, exhibete adnitentes, et modis omnibus ei obsequentes, ut regiam dignitatem honeste possit obtinere, et sanctæ Ecclesiæ jam pene labanti succurrere. Non enim a corde nostro debet excidere quod qui apostolicæ sedi obedire contemnit, scelus idololatriæ incurrit (*I Reg.* XV), et quod beatus Gregorius (391) doctor sanctus et humillimus reges decrevit a suis dignitatibus cadere, et participatione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi carere, si præsumerent D apostolicæ sedis decreta contemnere. Si enim cœlestia et spiritualia sedes beati Petri solvit et judicat, quanto magis terrena et sæcularia? Scitis autem, fratres charissimi, quia ex quo tempore ab Urbe exivimus, in magno periculo inter inimicos Christianæ fidei mansimus : et tamen neutri prædictorum regum neque terrore neque amore flexi aliquod contra justitiam adjutorium promisimus. Magis enim volumus mortem, si hoc oportet, subire, quam, propria voluntate devicti, ut Ecclesia Dei ad confusionem veniat consentire. Ad hoc enim nos ordinatos et in apostolica sede constitutos esse cognoscimus, ut in hac vita non quæ nostra sed quæ Jesu Christi

(390) Lib. II, post epist. 58, indictione XI, in privilegio monasterii Sancti Medardi.

(391) Loco supra citato.

sunt quæramus (*Philip.* II), et per multos labores A Patrum sequentes vestigia ad futuram et æternam quietem, Deo miserante, tendamus.

Data Carpinetæ, secundo Kalendas Junii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXV.

AD NEHEMIAM ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM.

(Anno 1077.)

Causam assignat cur epistolæ latorem apud se tandiu retinuerit, eumque commendat. Illius promotioni ad sacerdotium non adversatur. Monet regem nuper electum commoneat ut per legatos debitum obsequium sedi apostolicæ præstet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, NEHEMIÆ Strigoniensi in Hungaria archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. B

Non admirari te volumus qua de causa fratrem istum, videlicet harum litterarum portitorem, tandiu nobiscum retinuerimus : nam, cum ad nos venit, in regnum Teutonicorum transire disposueramus, quatenus inter regem Henricum et principes terræ pacem et concordiam componere, Deo adjuvante, possemus; acceptis etiam per sacramentum ab eodem Henrico rege securitatibus, quas ex parte illius ad profectionem nostram tunc oportere putavimus : cujus rei exitum exspectantes, interim hunc nobiscum manere præcepimus, ut et certum hujus negotii finem, et si qua alia necessaria viderentur, vobis hoc revertente mandaremus. Cæterum quia causa, sicut vobis notum esse credimus, ad gravissi- C mam litem, et pene ad totius patriæ divisionem excrevit, neque nobis hoc in tempore transire opportunum esse vidimus, diutius hunc tenere noluimus; scribentes per eum fraternitati tuæ, et multum admonentes ut ei apud te prosit quod cum tanta fatigatione et periculo et apostolicam quæsivit misericordiam, et tam longam apud nos fecit moram. Hoc enim scire te volumus, quoniam quandiu nobiscum fuit, quietum in illo spiritum et ad serviendum Deo devotum esse cognovimus. Quapropter secundum miseriam horum temporum, et ad comparationem earum personarum quas pro infirmitate et necessitate toleramus, hunc quoque misericorditer portandum esse non indignum duximus : siquidem ea quæ nobis de sua manifestavit conscientia, et de D quibus a se reprehendi confitetur, a sua confessione et relatione non discrepant. Quod autem ad sacerdotii gradum promoveri desiderat, et si nos ex imperii auctoritate non decernimus, respectu tamen indulgentiæ non contradicimus, nec denegandum sibi esse judicavimus, si quidem alia, quæ nos lateat, ordinationi suæ gravior causa non obstiterit, et deinceps vitam et mores suos ad dignitatem tanti ministerii congrue instituere et perseveranter, Deo miserante, servare voluerit. De cætero admonemus fraternitatem tuam, ut regem qui inter vos electus est cum aliis tuis confratribus et principibus terræ alloquaris notificantes et consulentes sibi ut apertius nobis suam voluntatem, et erga reverentiam sedis apostolicæ debitam per idoneos legatos denuntiet devotionem : et ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis benigne sibi respondebimus, et excellentiæ suæ ad suam et totius regni utilitatem sanctæ et apostolicæ auctoritatis studium cum omni charitate et benevolentia exhibere curabimus. Cætera vero, quæ longum erat in epistola, viva fideliter voce nuntiabit, sicut in ejus ore posuimus.

Data Carpinetæ, V Idus Junii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXVI.

AD DOMINICUM PATRIARCHAM GRADENSEM ET CÆTEROS EPISCOPOS VENETIÆ.

(Anno 1077.)

Mittit Gregorium legatum pro ecclesiasticis causis tractandis, cui eos obedire præcipit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DOMINICO patriarchæ Gradensi, et cæteris episcopis Venetiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus in Ecclesiis vestris multa emersisse negotia, quæ ut sincera exploratione discutiantur, et canonicæ traditionis definitione terminentur ecclesiasticæ religionis ordo deposcit, et a nobis tam vestra dilectio, quam officii nostri debita sollicitudo, requirit. Quanquam enim ex consideratione creditæ nobis dispensationis debitores simus universis Ecclesiis, speciali tamen cura vobis et vestris causis astringimur; cum propter singularem quamdam cohærentiam quam ad sanctam Romanam et apostolicam habetis Ecclesiam, tum propter vicinitatem, quæ nunquam nos vel quæ apud vos sunt diu ignorare, vel, quæ nos debemus et possumus, vestræ fraternitati denegare patitur. Quapropter misimus ad vos hunc dilectum filium nostrum Gregorium et diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quatenus una vobiscum de ecclesiasticis causis, et Christianæ religionis sacrosanctis institutionibus, quæ necessaria sunt, Deo adjuvante, pertractans, nostra vice quæ corrigenda sunt corrigat, quæ statuenda constituat, et ecclesiasticæ libertatis atque justitiæ diu et in multis neglectas rationes et studia ad formam canonicæ et apostolicæ disciplinæ reducere, et per auxilium divinæ gratiæ efficaciter valeat confirmare : cui nos [*forte,* vos] cum omni charitate assidentes ita favere et unanimiter assensum præbere sicut fratres charissimos admonemus : quatenus in illo appareat quantam reverentiam in beatum Petrum apostolorum principem habeatis, de cujus domo et familia mittitur : quanta etiam de nostra dilectione vobis cura sit, qui eum de sinu nostro misimus, utpote per quem nostra apud vos sollicitudo, et a Domino Deo nobis concessæ potestatis auctoritas vicaria dispensatione repræsentatur et geritur.

Data Carpinetæ, quinto idus [Kalendis] Junii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXVII.

AD DOMINICUM SILVIUM DUCEM ET POPULUM VENETIÆ.

(Anno 1077.)

Queritur eos cum excommunicatis communicasse. Mittit legatos qui eos peracta pœnitentia ab excommunicatione absolvant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DOMINICO SILVIO duci, et populo Venetiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Meminisse debetis quanta vobis apud sanctam et apostolicam sedem multis jam temporibus et charitatis benevolentiæ et honorificentiæ gratia sit exhibita. Et nos quidem, teste conscientia nostra, non solum postquam ad pontificatum venimus, sed et antea pluribus annis vos et terram vestram valde dileximus, et non sine aliqua nonnullorum indignatione et inimicitia ad providendum honori vestro prompti fuimus; multum gavisi pro dilectione quam erga universalem omnium fidelium matrem, videlicet sanctam Romanam Ecclesiam, habuistis, et libertate quam ab antiqua stirpe Romanæ nobilitatis acceptam conservastis. Verum his temporibus, quod sine magno dolore non dicimus, non solum nostros exacerbastis affectus, sed omnipotentis Dei gratiam vobis procul dubio nimium labefactastis; quoniam nescio quibus peccatis facientibus a statu rectitudinis excidistis, et ultra extra consortium membrorum Christi et Ecclesiæ facti estis, sectantes et recipientes eos qui pro suis sceleribus excommunicati sunt, et, exorbitantes a fide et catholica sanctorum Patrum unitate, doctrina, et corroborata divinitus auctoritate, per omnem inobedientiam et contumaciam in laqueum diaboli ceciderunt, et ministri, imo servi Satanæ, a quo captivi tenentur, facti sunt. Quocirca dolentes de periculo animarum vestrarum, et ad reconciliationem divinæ gratiæ vos revocare cupientes, misimus ad vos hunc dilectum filium nostrum Gregorium et diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut, pœnitentiam agentes, ab excommunicationis vinculo in quod participando cum excommunicatis prolapsi estis, possitis absolvi, et in communione sanctæ matris Ecclesiæ apostolica indulgentia et benedictione restitui. Quod cum factum fuerit, si nostra monita, imo verbum Dei, ea qua oportet veneratione suscipitis, volumus, et apostolica vos auctoritate monemus ut cum omni charitate et obedientia sibi assistatis, quatenus cum consilio confratris nostri patriarchæ et aliorum episcoporum illius provinciæ, necnon cum adjutorio ducis, et omnium vestrum, de statu Ecclesiarum, et Christianæ religionis ordine ac dispensatione, quæ necessaria sunt juxta formam a sanctis Patribus traditam pertractare possit, ac, Deo adjuvante, nostra vice disponere.

Data Carpinetæ, quinto Idus Junii, indictione decima quinta.

EPISTOLA XXVIII.

AD HISPANOS.

(Anno 1077.)

Monet illos pro pastorali officii sui cura ad pie sancteque vivendum. Præterea commonet Hispaniæ regnum antiquis constitutionibus juris esse sancti Petri: quod cum temporum, injuria et Saracerum tyrannide memoria labi cœperit, et modo ipsi Saracenos vicerint, legatos mittit, ut illis significent quantum beato Petro debeant, et eorum debitum in memoriam illis revocent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, regibus, comitibus, cæterisque principibus Hispaniæ salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare credimus prudentiam vestram, quin sancta et apostolica sedes princeps et universalis mater sit omnium Ecclesiarum et gentium quas divina clementia ad agnitionem sui nominis in fide Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi per evangelicam et apostolicam doctrinam venire præordinavit; quibus hanc curam et perpetuam debet exhibere sollicitudinem, ut, sicut ad conservandam catholicæ fidei veritatem, ita quoque ad cognoscendam et tenendam justitiam documenta et salutifera administret monita. Ad cujus dispensationis officium, quando secundum voluntatem Dei, quanquam inviti et indigni, constituti sumus, creditum nobis ministerium valde pertimescimus, scientes quoniam et his qui prope et his qui longe sunt debitores sumus, nec apud superbum judicem excusationis locum habere poterimus, si nostra taciturnitate eorum aut salus negligitur aut culpa fovetur. Cujus rei tam in propheticis quam evangelicis paginis multa nobis documenta, et cum terribilibus minis exempla proposita sunt, quæ egregius ille prædicator et Apostolus intuens ait: *Necessitas evangelizandi mihi incumbit; væ enim mihi, si non evangelizavero* (*I Cor.* IX)! Quapropter et nos, dilectissimi, qui præsentes secundum desiderium nostrum verbo non possumus, saltem absentes per epistolam de salute vestra vos admonere curavimus: scribentes vobis, sicut in vos affectum, debitæ charitatis habemus, primum quidem ut, gratias agentes Deo, qui vos regeneravit in spem vivam et incorruptibilem æternæ vitæ gloriam per Jesum Christum Dominum nostrum, semper illum timeatis et ex toto corde diligatis, transferentes in illum omne desiderium vestrum supra omnes divitias et honores hujus sæculi, supra omnes non solum humanas sed et angelicas creaturas; ambulantes coram illo in omni fide et devotione sicut electi filii, et in sortem hæreditatis regni Dei per immensam gratiam bonitatis ejus vocati, non detinentes secundum sæcularem concupiscentiam in injustitia quæ de veritate et æquitate sua Deus vobis cognoscere dedit vel daturus est, sed exhibentes vos fideles ministros ad faciendam justitiam, ad tuendam libertatem Christianæ fidei et religionis in omni virtute et administratione regiæ potestatis vestræ, ad laudem et gloriam nominis ejus qui vos multa gloria sublimavit. Nam, quod semper vobis cordi esse volumus, inquit dilectoribus suis Sapientia per Salomonem: *Ego diligentes me diligo; honorificantes me honorabo* (*Prov.* VIII); contemptoribus vero minatur dicens: *Qui autem me contemnunt, erunt ignobiles* (*I Reg.* II). Et apostolus Paulus generalem

futuri sententiam manifestans ait : *De justo judicio Dei qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II). His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. Nolite ergo sublime sapere, aut, propter eminentiam præsentis gloriæ, humanæ conditionis, quæ æqua est regum et pauperum, oblivisci. Sed, sicut idem apostolus monet, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis* (*Petr.* V). Nolite spem ponere in incerto divitiarum hujus sæculi, sed in illo de quo scriptum est : *Per me enim reges regnant* (*Prov.* VIII); et alibi : *Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; in quo et thesaurizate vobis divitias bonorum operum; construentes stabile fundamentum* (*I Tim.* VI), *et melioris atque indeficientis substantiæ possessionem* (*Hebr.* X), *ubi vitam ducatis æternam. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, cujus artifex et conditor Deus* (*Hebr.* XIII) (392). Et profecto vosipsi scitis et quotidie videtis quam fluxa et fragilis est vita mortalium, quam fallax et deceptoria spes præsentium. Semper enim volentes nolentesque ad finem currimus, et sub tam certo periculo, nunquam tamen quam sit vicina mors prævidere possumus; nec unquam diu tenetur quidquid de præsenti vita vel sæculo quæritur aut possidetur. Quamobrem, pensantes semper quæ sint novissima vestra, quantaque cum amaritudine de præsenti sæculo nequam exituri, et in putredinem terræ ac sordes pulveris reversuri estis, quamque sub districto examine de factis vestris rationem reddituri sitis, contra futura pericula vos communite. Arma vestra, opes, potentiam, non ad sæcularem pompam tantum, sed ad honorem et servitium æterni regis vertite; commissa vobis regni gubernacula ita gerite, sic administrate, ut vestræ virtutis et rectitudinis studium omnipotenti Deo gratum justitiæ possit esse sacrificium; quatenus et vos in ipso sperare possitis qui dat salutem regibus; et potens est eripere de manu mortis, ut superinduat vos eminentiori claritate, et gaudiis vitæ perennis, et de caducis honoribus quos nunc habetis transferat vos in regnum gloriæ æternæ suæ, ubi nec beatitudo finem, nec gloria corruptionem, nec dignitas habet comparationem. Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem facere non est liberum, vobis autem non solum ad futuram sed etiam ad præsentem gloriam valde necessarium, videlicet regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ in jus et proprietatem esse traditum. Quod nimirum hactenus et præteritorum temporum incommoda, et aliqua antecessorum nostrorum occultavit negligentia. Dum postquam regnum illud a Saracenis et paganis pervasum est, et servitium quod beato Petro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum et tyrannidem detentum, ab usu notrorum tot annis interceptum est, pariter etiam rerum et proprietatis memoria dilabi cœpit. Verum quia divina clementia concessa vobis in hostes illos semperque concedenda victoria terram in manus vestras tradidit, ulterius vos causam hanc ignorare nolumus, ne quod supernus arbiter et legum ac justitiæ conditor de recuperanda et restituenda justitia et honore sancti Petri, ejusque sanctæ et apostolicæ sedis, vestræ gloriæ ad bene merendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia, quod absit! ad detrimentum propositæ et divinitus oblatæ retributionis obveniat. Confidimus enim in misericordia Dei, qui virtutem vobis dedit et victoriam, ut hanc etiam voluntatem vobis tribuat, quo, cognita veritate, potius statuta Christianorum principum et exempla sequamini, quam eorum impietatem qui Christianum nomen magis cupiunt persequi quam venerari. Misimus autem ad vos confratrem nostrum Amatum venerabilem Ellorensem episcopum, cui et vicem nostram ad partes illas dedimus, adjungentes sibi hunc abbatem Sancti Pontii, virum venerabilem, fide et morum honestate probatum, ut quod nos de insinuatione hujus causæ vestræ celsitudini succincte scripsimus, ipsi vobis, si necesse sit, latius apertiusque manifestent, et, quantum ratio postulaverit, notitiam veritatis præsenti denuntiatione et certa assertione demonstrent. Quorum consiliis in his quæ ad Dominum pertinent, et saluti animarum vestrarum necessaria sunt, indubitanter potestis credere, sicut nos in ipsis per studium religionis et actuum suorum comprobavimus, et vos in eorum poteritis conversatione perpendere. Igitur quod ad nos pertinuit, aut providendum ex officio aut satisfaciendo justitiæ debito, Deo miserante, fecimus; quid vestræ causa salutis a vobis exigat, et quantum beato Petro apostolorum principi debeatis indicavimus, ne ignorantia obsit, nec sub vana securitate labentis lucis et temporis damnosa vobis, quod absit! subrepat negligentia. Vos autem quid vestrum sit attendite, quid fides et Christiana devotio vestri principatus ad imitationem piissimorum principum exsequi debeat prudenti consilio pertractate, disponite atque statuite; et ita vos erga honorem beati Petri et sanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ promptos atque magnificos exhibete, ut vestra virtus et gloria, quæ Deo donante illustri victoria pollet, apostolicis intercessionibus clarior fiat et excelsior, et eorum vos semper benedictio muniat, auctoritas a peccatis absolvat, defensio tutos et illæsos ab omni periculo protegat, quorum potestate

(392) Ex variis Apostoli sententiis, ut et proxime sequens, conflatus est hic locus, quas nec ipsis nec totidem verbis refert sanctus pontifex, sed, mutata aliquantulum forma, e memoria sua, Scripturarum thesauris referta, manare, ut ita dicam, sinit vel inscius (Ed.).

divinitus illis tradita universitas hominum tam in coelo quam in terra ligatur et solvitur, et cœlestis regni janua cunctis aperitur et clauditur.

Data Carpinetæ, quarto Kalendas Julii, indictione decima quinta.

LIBER QUINTUS REGISTRI.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, indictione decima quinta (393).

EPISTOLA PRIMA.

AD CANONICOS SANCTI MARTINI LUCENSIS.

(Anno 1077.)

Arguit eos quod contra sua monita, et post promissam satisfactionem, canonicatus ac præbendas emerent. Quare omnibus qui eas sic adepti fuerint, introitum majoris ecclesiæ et earum retentionem omnino interdicit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, canonicis Sancti Martini Lucensis Ecclesiæ.

Meminisse debetis, quoties et cum quanta cura vos monuerimus apud vos manentes, ne terrena pertura commoda majoris quam animas vestras æstimantes, ita vos ad obedientiam justitiæ exhiberetis, ut ulterius sub excommunicationis vinculo, quod in acquirendis contra apostolica decreta præbendis vos incurrisse manifestum erat, non permaneretis. Verum, ut ipsa res indicat, substantiam vestræ licet iniquæ possessionis pretiosiorem quam vosmetipsos facitis, qui, spretis admonitionibus nostris et contempta apostolica auctoritate, pro lucris temporalibus et explenda cupiditate vestra, sub maledicto anathematis post promissam nobis satisfactionem recidivo ac deliberato prævaricationis crimine jacere non pertimescitis. Quapropter, quoniam tantæ præsumptionis contumaciam, et tam immanis avaritiæ culpam, nostra nec taciturnitate dissimulare, nec patientia non modo ad vestrum, sed ad illorum etiam cum quibus communicatis periculum diutius fovere audemus, præsenti auctoritate omnibus qui inter vos contra apostolica privilegia beati Leonis papæ canonicas pecunia adepti sunt, introitum majoris ecclesiæ, videlicet Sancti Martini, et easdem canonicas vel præbendas ulterius retinendi licentiam et potestatem ex parte omnipotentis Dei et beati Petri apostolorum principis usque ad condignam satisactionem interdicimus.

Data Florentiæ, tertio Idus Augusti, indictione decima quinta.

EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS ET CLERICOS CORCICÆ.

(Anno 1077.)

Pro suo pastorali officio mittit legatum episcopum Pisanum electum, qui vice sua quæ ad religionem pertinent exsequatur; cui ut debitam obedientiam exhibeant præcipit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, clericis, consulibus, majoribus et minoribus in insula Corsica consistentibus [existentibus], salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam propter multas occupationes ad peragendum nostræ sollicitudinis debitum, singularum provinciarum Ecclesias per nosmetipsos visitare non possumus, necessarium valde est ut, exigente ratione vel tempore, aliquem modo ad illas partes mittere studeamus, per quem commissa nobis secundum voluntatem Dei repræsentetur auctoritas, et Dominici gregis salus atque communis provideatur utilitas. Scimus enim quoniam sine detrimento et magno animarum periculo esse non potest, cum illius diligentia ad quem summa negotiorum et curæ necessitas præcipue spectat, diu subditis ac commissis sibi fratribus deest. Quapropter, considerantes et valde timentes ne hujusmodi erga vos providentiæ tandiu prætermissum studium et nobis in negligentiæ culpam reputetur, et vestræ saluti (quod absit!) perniciosum aut contrarium fuerit, data primum opportunitate, misimus ad vos hunc fratrem nostrum Landulphum Pisanæ Ecclesiæ electum episcopum, cui et vicem nostram in vobis commisimus, ut ea quæ ad ordinem sacræ religionis pertinent rite exsequens, juxta prophetæ dictum, evellat et destruat, ædificet et plantet : cui vos obedire et unanimiter assistere volumus, admonentes et apostolica auctoritate præcipientes ut, eum cum omni charitate et honore suscipientes, talem sibi honorem et reverentiam exhibeatis, qualem ex constitutione sanctorum Patrum iis exhibere oportet quos sancta et apostolica sedes in partem suæ sollicitudinis assumendos, quibusque vicem Romani pontificis committendam esse prævidet.

Data Senæ, Kalendis Septembris, indictione incipiente prima.

EPISTOLA III.

AD RODULPHUM ET RAINERUM EPISCOPOS.

(Anno 1077.)

Monet ut in Ecclesia Volaterrana, quoniam de idonea episcopi persona convenit, ab omnibus generalem electionem fieri procurent, et eum sua vice confirment, quidquid actum fuerit significent, et electum pro suscipienda consecratione ad se quamprimum mittant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Radulpho Senensi episcopo, et Rainerio Florentino [episcopo], salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus quantum sollicitudinis quantumque fatigationis habuerimus, id agentes ut in Volaterrana Ecclesia secundum Dominum et auctoritatem canonum utilis et idoneus eligeretur episcopus. Et, quia secundum voluntatem Dei in personam Bonoisi Mantuani archipresbiteri et no-

(393) Præter duas reliquæ omnes pertinent ad indictionem primam.

stra consilia et voluntas eorum qui de illa Ecclesia A sunt convenit, apostolica vos auctoritate monemus ut, eamdem Ecclesiam adeuntes, qualiter generalis electio fiat ab omnibus curetis, et eam, sicut moris ex antiqua sanctorum Patrum traditione fuisse cognoscitis, nostra vice confirmetis. Quo facto et rem quam ordinate facta fuerit nobis sine dilatione certis litteris vestris indicate, et electum pro suscipienda consecratione quantocius ad nos cum solemni decreto cleri et populi destinate.

Data Romæ decimo sexto Kalendas Octobris, indictione prima.

EPISTOLA IV.

AD CORSOS.

(Anno 1077.)

Lætatur quod insulam Corsicam, quæ antiquitus juris erat sancti Petri, ab invasoribus vindicantes, B *ad apostolicæ sedis ditionem reverti velint : in qua voluntate eos confirmat. Paratissimum ad eam rem auxilium pollicetur. Monet ut legato suo qui provinciæ regimen suscipiet fideliter obsequantur.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis et viris nobilibus, cunctisque tam majoribus quam minoribus in insula Corsica consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Scitis, fratres et charissimi in Christo filii, non solum vobis, sed multis gentibus manifestum esse, insulam, quam inhabitatis, nulli mortalium, nullique potestati, nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex debito vel juris proprietate pertinere : et quod illi qui C eam hactenus violenter, nihil servitii, nihil fidelitatis, nihil penitus subjectionis aut obedientiæ beato Petro exhibentes, tenuerunt, semetipsos crimine sacrilegii, et animarum suarum gravi periculo obligaverunt. Cognoscentes autem, per quosdam fideles nostros et vestros amicos, vos ad honorem et justitiam apostolici principatus, sicut oportere cognoscitis, velle reverti, et diu subtractam ab invasoribus justitiam beato Petro vestris temporibus vestrisque studiis redhiberi, valde gavisi sumus : scientes vobis hoc non solum ad præsentem, sed etiam ad futuram provenire utilitatem et gloriam. Nec diffidere quidem aut quidquam in hac causa vos dubitare oportet quoniam, si modo vestra voluntas D firma et erga beatum Petrum fides immota permanserit, habemus per misericordiam Dei in Tuscia multas comitum et nobilium virorum copias ad vestrum adjutorium, si necesse fuerit, defensionemque paratas. Quapropter, quod in hac re opportunissimum nobis visum est, misimus ad vos fratrem vestrum Landulphum Pisanæ Ecclesiæ episcopum [in episcopum electum], cui etiam inter vos vicem nostram in spiritualibus commisimus, ut terram ex parte beati Petri et nostra vice suscipiat, et eam cum omni studio et diligentia regat, et de omnibus rebus ac causis beato Petro et nobis per illum pertinentibus se intromittat : cui vos pro amore et reverentia ejusdem beati Petri apostolorum principis obedire et fideliter in omnibus assistere volumus, et apostolica auctoritate monemus : et ut magis securus magisque ad omnia inter vos promptus esse valeat, fidelitatem quoque, si postulaverit, præmissa tamen sancti Petri et nostra nostrorumque successorum, non denegetis, nec aliqua occasione sibi facere recusetis.

Data Romæ decimo sexto Kalendis Octobris, indictione prima.

EPISTOLA V.

AD AQUILEIENSES.

(Anno 1077.)

Illud se inter omnia præcipue desiderare scribit, ut in unaquaque Ecclesia talis eligatur, qui nomen et officium pastoris habere dignus sit : idcirco legatos se misisse ad inquirendum diligenter de qualitatibus ab eis in episcopum electi : quem si idoneum repererint, confirment : sin minus, alius eligatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Aquileiensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Antiqua et nota sacræ institutionis est regula, non ab hominibus, sed ab Jesu Christo Deo et Domino nostro, plenissima suæ sapientiæ consideratione, et veritatis diffinitione sancita, ipso dicente in Evangelio : *Qui intrat per ostium pastor est ovium, qui autem non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, fur est et latro* (*Joan.* x). Quapropter quod in Ecclesia diu peccatis facientibus neglectum et nefanda consuetudine corruptum fuit, et est, nos ad honorem Dei et salutem totius Christianitatis innovare et restaurare cupimus, videlicet ut ad regendum populum Dei in unaquaque Ecclesia, exigente tempore, talis et eo ordine eligatur episcopus, qui juxta veritatis sententiam non fur et latro dici debeat, sed nomen et officium pastoris habere dignus existat. Hæc quidem nostra voluntas, hoc nostrum est desiderium, hoc, miserante Deo, nostrum, quoad viximus, indefessum erit studium. Cæterum quod ad servitium et debitam fidelitatem regis pertinet, nequaquam contradicere aut impedire volumus. Et ideo nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod et omnium salus postulat et necessitas, ut in ordinatione episcoporum, secundum communem sanctorum Patrum intelligentiam et approbationem, primo omnium evangelica et canonica servetur auctoritas. Quod autem nobis de electione apud vos facta significastis, gratanter accepimus : et, si ita rite factam esse constiterit ut in nullo vobis sacra contradicat auctoritas, teste conscientia nostra valde gaudemus, et omnipotenti Deo gratias agimus. Verum quia (sicut supra diximus) in hujusmodi causa non secundum arbitrium nostrum, sed per viam et doctrinam orthodoxorum Patrum incedere cupimus, misimus ad vos hos legatos nostros harum litterarum portitores, ut causam undique diligenter inquirant; et, si eum quem vos elegisse dicitis, vita, moribus et scientia ad apicem tantæ dignitatis idoneum

et regulariter assignatum esse perspexerint, electionem vestram (sicut justum est) nostra vice confirment : sin autem in eo aliquid contrarium et dignum reprehensione, quominus ad episcopale regimen pervenire debeat, invenerint; amoto illo, talem studeatis eligere personam quæ tanto honori et officio congruat, et quam nostra per eosdem legatos repræsentata auctoritas approbare et confirmare debeat. Illud enim scitote, quod si legalem et canonicam electionem vos fecisse cognoverimus, omnia vobis et Ecclesiæ vestræ, quæ apostolica debet et valet auctoritas, cum omni charitate præsidia exhibebimus : et si quis aliter ad sedem illam aspirare præsumpserit, procul dubio non solum contra eum, sed etiam contra omnes fautores suos gladium sancti Petri, et apostolicæ animadversionis jaculum B districte vibratum et emissum sentiet.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Octobris, indictione prima.

EPISTOLA VI.

AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ AQUILEIENSIS.

(Anno 1077.)

Monet eos diligenter curent ut electio episcopi Aquileiensis, propter quam legatos mittit, canonice fiat; schismaticis autem canonicæ electioni annitentibus misericordiam pollicetur : si vero contra nitantur, aut si quis illam sedem occupet, graves minatur pœnas.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Aquileiensis Ecclesiæ suffraganeis, his qui se vere fratres exhibuerunt [exhibent], salutem et apostolicam benedictionem; illis vero qui C non solum a charitate fraternitatis, sed ab unitate etiam Ecclesiæ schismatica pravitate discesserunt, debitæ sollicitudinis exhortationem.

Clerus et populus Aquileiensis Ecclesiæ, legatis ad nos litterisque directis, nuntiaverunt nobis, defuncto nuper Sichardo episcopo suo, se archidiaconum ejusdem Ecclesiæ in locum illius regiminis elegisse, postulantes ut et nos electioni eorum nostræ auctoritatis assensum confirmationemque adhiberemus. Verum, quia rem tantopere perspiciendam adhuc incognitam in prima auditione tam subito approbare tutum non fuit, misimus illuc legatos nostros, ut causam et ordinem electionis subtili exploratione perquirant, et quidquid inde aut confirmandum aut reprobandum est, diligenti circumspectione [*addendum forte* nobis notum] faciant. Monemus igitur et D vos, quorum quidem multum interest, ut in hac re vestræ sollicitudinis studium adhibeatis; quatenus, auxiliante Deo, talis sit qui in culmine tantæ dignitatis præsidere debeat, ut vobis, qui ei manus imponere debetis, non tristitiæ aut periculo, sed gaudio et honori, et commissæ sibi plebi saluti esse valeat. Vobis autem, qui, nescio an timore aut qua occasione seducti, manus et linguas vestras novo et inaudito schismate polluistis, et ob hoc in laqueum anathematis incidistis, seorsum dicimus quoniam, si in præfata Aquileiensi Ecclesia aliquis dignus et idoneus in episcopum vobis sincera voluntate an- A nitentibus electus fuerit, cum consilio illius et eorum fratrum qui in sinu sanctæ matris Ecclesiæ firmiter perstiterunt, quantam sub obtentu divinæ gratiæ potuerimus misericordiam vobis exhibere, et erratus vestri pondus, quantum, Deo solatiante, audere et posse dabitur, portare parati sumus. Sin autem vos contra hoc niti, et impedimenti objectiones quærere et invenire cognoverimus, in eam autem partem consentire ut contra divinam et canonicam auctoritatem quispiam sibi sedis illius occupationem præsumat, procul dubio et ille dignam suæ iniquitatis mercedem inveniet, et de vobis sancta et apostolica sedes, quanto provocata gravius, tanto culparum rationes exiget districtius, judicabit acerbius.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Octobris, indictione prima.

EPISTOLA VII.

AD UDONEM TREVIRENSEM ET SUFFRAGANEOS.

(Anno 1077.)

Significat sollicitudinem suam de regni Teutonicorum perturbatione sedanda : qua de re ad omnes principes litteras misisse, ut tanto malo opem ferant : quæ cum an ad eos pervenerint nesciat, iterum exemplaria mittit una cum sacramento Henrici regis, qui, eo contempto, suos legatos capi permiserit. Hortatur eos ad ecclesiasticam libertatem, et ad communem salutem defendendam.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, UDONI Trevirensi archiepiscopo, et ejus episcopis suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

De motu et perturbatione regni Teutonicorum quantam sollicitudinem quantamque jam per longum tempus anxietatem sustinuerimus, ille præ omnibus novit qui omnium secretorum cognitor est et inspector verus. Cui, etiam si tales exaudire dignatur, multas supplicationes fecimus, et faciemus, commonitis et exoratis multis fratribus et religiosis congregationibus ad studium earumdem supplicationum, ut misereretur gentis illius, nec sineret eam in propria armari viscera, et ad ruinam domesticæ fortitudinis in bello confligere, sed totius discordiæ causas sua potenti virtute compesceret, et sua moderatione sine funesto et luctuoso fine componeret. Litteras quoque jam ante tres menses et eo amplius illuc direximus, videlicet legatis nostris Bernardo diacono nostro, et idem Bernardo religioso Massiliensi abbati, quem captum esse audivimus, nec non et universis principibus terræ tam ecclesiasticis quam sæcularibus personis, in quibus quod nobis ad evitandam cædem, incendia, et alia bellorum pericula, optimum et in tanti negotii diffinitione justissimum videbatur, eos consulendo et hortando cum omni studio exsequi admonuimus; et ut fortius insisterent apostolica auctoritate injunximus. Verum, quia nobis non satis compertum est utrum ad vos pervenerint illæ litteræ aut, si perlatæ sint, ne forte de earum veritate aliquid dubitetis, easdem vobis de nostris exemplaribus rescriptas mittere curavimus, admonentes vos et per

veram obedientiam præcipientes, modis omnibus operam detis ut causa secundum sententiam earum litterarum pertractata finem habeat et accipiat. Misimus etiam vobis sacramentum quod rex Henricus nobis per fideles suos quosdam fecit, data quidem propria manu sua in manum abbatis Cluniacensis, ut, perlecto eo, cognoscatis quam recte quamque honeste pro suo nomine se erga nos habuerit : quippe a cujus fidelibus legati nostri postea capti sunt, videlicet Gerardus [Bernardus] Ostiensis episcopus in Longobardia, Bernardus abbas Massiliensis in terra Teutonica; unde eum nihil adhuc dignum fecisse cognovimus. Quanquam nos nunquam eum in aliqua causa, Deo providente, hac occasione contravenire, justitiam circumvenire aut gravare velimus, sicut etiam post cœptum negotium nunquam apud nos aut precibus aut aliqua ostentatione amicitiarum vel inimicitiarum obtinere potuit ut quidquam pro eo præter quod justum videretur dicere vel censere vellemus. Atque in ea re, quoad vixerimus, incunctanter, Deo adjuvante, persistere nullo periculo vitæ vel mortis deterrebimur. Agite ergo, dilectissimi fratres, ut appareat quantum libertatem Ecclesiæ et communem salutem omnium diligatis; scientes quoniam, si causa neglecta fuerit, et ad graviorem (quod absit!) exacerbationem venerit, non solum genti vestræ et regno Teutonicorum, sed quoad fines Christianitatis sunt, damna, pericula, confusionem, et inæstimabiles miseriarum causas pariet.

Data Romæ secundo Kalendas Octobris, indictione prima.

EPISTOLA VIII.

AD RICHERIUM, RICHARDUM, ET EORUM SUFFRAGANEOS.

(Anno 1077.)

Aurelianensis episcopi multa scelera perstringens, præcipit eis ut ad examen illius actionum convenientes, eum ad respondendum litteris convocent : qui si vel venire noluerit, vel de objectis non se purgaverit, depositum et privatum illum declarent, quam sententiam jubet promulgari, et in ejus locum Saxonem [*Sanzonem* de quo ep. 14] *quemdam subrogari.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Richerio Senonensi archiepiscopo, et Richardo Biturigensi [Bituricensi, *et sic semper*], eorumque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut quorumdam vestrum novit fraternitas, multis jam clamoribus multisque litteris elaboravimus ut Aurelianensis Ecclesia ad pristinum suæ nobilitatis statum revocaretur : sed peccatis, ut credimus, populi promerentibus, ita pseudoepiscoporum ibidem occupatio prævaluit, quod adhuc omnino spinas confusionis suæ exstirpare non potuimus. Quanta enim inobedientia Rainerius dictus eorum episcopus contra auctoritatem sedis apostolicæ se armaverit, et in quantam confusionem quantumque detrimentum Ecclesiam illam perduxerit, licet vos scire non dubitamus, quosdam tamen excessuum suorum religioni vestræ nominatim dicere A procuravimus. Dicitur siquidem legitimam ætatem non habens contra decreta sanctorum Patrum sine idonea cleri et populi electione ecclesiam invasisse. Dicitur etiam huic iniquitati illud addidisse, ut in promotione clericorum archidiaconatus et abbatias per negotiationem vendendo, nullam honestatem nullumque Dei timorem servaverit. Super hoc etiam bis et ter fraterna charitate a nobis vocatus, non solum ad nos venire neglexit, sed etiam aliquem qui eum de objectis legitime excusaret mittere contempsit, et a nobis interdictus, quinimo a communione corporis et sanguinis Domini separatus, officium episcopale celebrare non timuit. Benedictum etiam deferentem litteras nostras in B captione suorum ad contemptum apostolicæ sedis diu affici permisit. Quapropter iniquitatem ejus deinceps non ferentes, apostolica auctoritate vobis præcipimus ut, ad examinationem actuum suorum in locum quem magis aptum probaveritis conveniatis, ad quem prius litteris vestris eum convocetis, ibique, de supradictis vobis respondeat, et, si potest, se innocentem reddat. Quod si forte, in superbia sua permanens, infra quadraginta dies admonitionis venire contempserit, aut veniens de omnibus supradictis canonice se non expurgaverit, judicio sancti Spiritus et auctoritate apostolica sententiam damnationis et depositionis sine omni spe restitutionis in eum promulgamus. Quam vos sicut decet, sequentes, per aures circumstantis populi C diffundite, et Saxonem ipsum de quo vos mihi scripsistis, qui beati Petri consilium et nostrum expetiit, in loco illius depositi secundum Deum subrogate.

Data Romæ secundo Nonas Octobris, indictione prima.

EPISTOLA IX.

AD RAINERIUM EPISCOPUM AURELIANENSEM.

(Anno 1077.)

Præcipit ut intra XL *dies ad locum quem Senonenses et alii episcopi, quibus id commisit, probaverint, conveniat de objectis criminibus se purgaturus. Quod si parere neglexerit, vel se non purgaverit, damnationis sententiam sine spe restitutionis in eum promulgat.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Rai- D nerio dicto Aurelianensi episcopo.

Licet non alias nisi damnationis litteras ab apostolica sede jam ex longo tempore inobedientia tua promeruerit, nos tamen, ex radice infructuosæ mentis tuæ aliquid boni in vanum excutere tentantes, hanc nostram tibi curavimus mittere legationem, videlicet ut in præsentia confratrum nostrorum Richerii Senonensis archiepiscopi, et Richardi Biturigensis, necnon suffraganeorum suorum, et aliorum religiosorum qui Deum timeant, responsurus de objectis venias. Quibus litteras nostras misimus, ut ipsi in eo loco quem magis habilem et aptum probaverint, conveniant, et causam tuam diligenter perquirant. Terminum autem examinandi hujus negotii infra quadraginta dies post receptionem litterarum

nostrarum præfigimus. Et, quia de objiciendis tibi cautum te atque providum reddere volumus, ea tibi ante pertractationem negotii insinuamus. Diceris siquidem legitimam ætatem non habens, contra decreta sanctorum Patrum, sine idonea cleri et populi electione te eis injecisse. Diceris enim huic iniquitati illud addidisse, ut in promotiones clericorum, archidiaconatus, et abbatias per negotiationem vendendo, nullam honestatem nullumque Dei timorem servaveris. Super hoc etiam, ut nobis videtur, bis et ter fraterna charitate a nobis vocatus, non solum ad nos non venisti, sed etiam aliquem qui te de objectis juste excusaret mittere contempsisti. Suspensus etiam ab episcopali officio, et a communione corporis et sanguinis Domini, publicas missas celebrare non timuisti. Clericum etiam deferentem litteras nostras diu in captione tuorum ad contemptum apostolicæ sedis diu affici permisisti. Quapropter, si cognoscis te super his omnibus inculpabilem, ad conventum confratrum nostrorum adire atque respondere nulla ratione prætermittas. Quod si in superbia tua permanens aut illuc venire contempseris, aut veniens de his omnibus canonice te non expurgaveris, judicio sancti Spiritus, et auctoritate apostolicæ sedis, sententiam damnationis sine omni ipse restitutionis in te promulgamus.

Data Romæ secundo Nonas Octobris, indictione I.

EPISTOLA X.

AD REGEM DANIÆ

(Anno 1077).

Commendans ejus patris defuncti observantiam erga Romanam Ecclesiam, hortatur ut orationibus et eleemosynis illi suffragetur, atque ejus in Romanam Ecclesiam obsequium imitetur, et in regni administratione, præcipue in tuenda Ecclesia, cupit ut legatos ad se mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, regi Danorum salutem et apostolicam benedictionem.

Sancta et universalis mater nostra, Romana Ecclesia scilicet, quanta dilectionis et amoris instantia erga patris tui curam et honoris tui sollicitudinem invigilaverit, te plene nosse, nec tui memoria excidisse dubitamus, videlicet cum ipse reminisci poteris quam puram semper, et in omnibus servitutis et debitæ obedientiæ reverentiam circa beati Petri apostoli honorem exhibuerit. Suis namque temporibus, ut apostolica testatur Ecclesia, tam devotum, tam fidum, tamque unicum in amoris sui studio fuisse filium novimus, ut pene in regibus nullus inveniretur secundus, et ni diabolico instinctu incentivas vitiorum illecebras imitans corporis sui frena laxasset, inter optime Deo placentes reges illum cœlicas sedes inhabitare nequaquam dubitaremus. Sed quoniam credimus, apostolis quibus fidelis exstitit opitulantibus, Domini illum misericordia et gratuita pietate lamenta pœnitentiæ ante vitæ suæ finem contrito corde arripuisse, veniam posse consequi non dubitamus, imo sui memores in orationibus nostris sibi concedi charitatis affectu rogamus, et te, ut optimum decet filium, ei succurrere largis

A eleemosynarum subsidiis et Ecclesiarum orationibus hortamur. Decet enim ut qui te sui corporalis et sæcularis regni seu honoris hæredem ut bonus pater reliquit, spiritualibus auxiliis, prout esse poterit, non videatur fraudari; quatenus res, quæ tibi decus paterni ministrant regni, manibus pauperum delatæ, in cœlo patri conferant auxilium requiei. Nunc vero, fili charissime, apostolica te invitatione monemus ut patris tui fidem et dilectionem, quam erga apostolicam gessit Ecclesiam, corde prospicias, fide intendas, mente advertas, et sic te filium beati Petri apostoli exhibeas, quatenus sereno te vultu conspiciens in hæreditatem superni regni, in locum piæ retributionis, ut dignam sobolem introducat. Si vero te devotum prospexerit, profecto vocem pii sui ma-

B gistri assumens, dicet : *Volo ut ubi ego sum et hic sit mecum* (*Joan.* XXXVII). Sic enim a Domino potestatem accepisse credimus, ut quem ligaret, ligatus, et quem solveret, in cœlis esset solutus. Et idcirco iterum iterumque monemus ut te ita dignum acceptabilemque, prout fragilitas humana permiserit, Domino concedente, omni annisu perficere satagas, ut tam præsentis quam etiam futuri regni sublimitatem obtinere valeas. Quod si forte pater etiam tuus, diabolo suadente, aliqua incurrit animæ detrimenta, cœlum potius, imo cœli Dominum hortamur attendas quam terram, et contra ea tui creatoris invincibilia arma corde quotidie puro exposcas; quatenus et profectu apostolici filii lætemur, et tuis

C comparibus regibus incitamenta valeas præbere virtutum. Monemus insuper, charissime, ut tibi commissi a Deo regni honorem omni industria, solertia peritiaque custodias. Sit vita tua digna, sapientia referta, justitiæ et misericordiæ condimento saleque condita, ut de te vera sapientia, quæ Deus est, dicere queat : *Per me rex iste regnat* (*Proverb.* VIII). Pauperum et pupillorum ac viduarum adjutor indeficiens esto : sciens pro certo quoniam ex his operibus et condimentis amor tibi reconciliatur Dei. Audivimus insuper, nec dubitamus, quod Dei Ecclesia, quæ mater et domina nostra est, sicut in multis aliis terrarum partibus, ita in vestris ab iniquis hominibus et diaboli membris comprimatur, et non ut decet tueatur et veneretur. Ad cujus auxilium et

D tuitionem in omnibus et super omnia te invigilare volumus, et paterne monemus; nam talibus non resistere, quid aliud est quam fidem negare? Quapropter monemus et obsecramus ut, postthabito omni humano odio, invidia postposita, etiamsi incubuerit morte, eam eruere, protegere, fovere, tueri, et ab insidiantium faucibus luporum eripere pro posse labores; sciens pro certo quod nullam orationem, nullumque gratius sacrificium in supremi Arbitri oculis poteris offerre. Votum insuper nostrum tale, Deo teste, est, quod sæpe velimus nuntios tuos videre, per quos possumus tui salutem, animæ videlicet et corporis, plenius agnoscere, et te mutua vice, prout Deus concederet, apostolicis institutionibus excitare. Omnipotens Deus, a quo

bona cuncta procedunt, meritis beatissimorum apostolorum Petri et Pauli te, charissime fili, custodiat, et sua virtute et pietate corroboret : quatenus sic in ipso temporalia administrare valeas, ut post hujus vitæ metam æterni regni gloriam obtinere merearis.

Data Romæ octavo Idus Novembris, indictione prima.

EPISTOLA XI.

AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1077.)

Confirmat excommunicationem ac depositionem ab eo factam cujusdam juvenis in Carnotensi Ecclesia intrusi. Ad quam regendam cum abbas Sanctæ Euphemiæ a rege Francorum postularetur, præcipit ut, voluntate omnium diligenter perquisita, quidquid pro ejus canonica electione, vel contra B eam invenerit, per litteras sibi significet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI Diensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quid de negotio Carnotensis Ecclesiæ actum sit, tua relatione, remota omni ambiguitate, sicut oportuerat, cognovisse vellemus. Pervenit enim ad aures nostras te excommunicasse et irrecuperabiliter deposuisse quemdam juvenem illuc indigne appositum pro episcopo : quod quidem, si ita est, nobis multum placet, et præsenti auctoritate confirmamus. Cæterum fratenitati tuæ notum esse volumus Philippum regem Francorum iterata postulationum missione ad nos direxisse pro Roberto abbate monasterii sanctæ Euphemiæ de Calabria, qui et hoc C in anno, cum in Longobardia eramus, per nos transivit in Franciam, ut eum ad regimen Carnotensis Ecclesiæ episcopum probaremus et ordinaremus. Reversus est etiam ille idem Robertus abbas ad nos, dicens se donum episcopatus offerente rege refutasse, nec quidquam inde sine nostro consilio facere voluisse vel facturum esse : veneruntque cum eo duo clerici præfatæ Ecclesiæ referentes nobis, et multum affirmantes, pene omnium qui de eadem Ecclesia sunt majorum et meliorum voluntates in hunc convenisse; non tamen aliquam de eo electionem factam esse. Verum quia, sanctorum Patrum statuta sequi et observare cupientes, nihil de eo aut de promotione ejus sine electione Eccle- D siæ nobis probandum esse judicavimus, nec idipsum quod isti nobis de voluntate absentium referebant satis constabat, prudentiam tuam admonemus ut ecclesiam illam aut per te, aut per fidelem et probatam tibi personam, visitare studeas, et voluntatem omnium tam majorum quam minorum super hac re diligenti inquisitione cognoscas. Quod si causam ex omni parte divina miseratione et dispensatione ita coaptare posse videris, ut illorum in hunc, quem supra diximus, abbatem voluntas libera, consideratio prudens, electio canonica, et sanctorum Patrum regulis consonans dignoscatur, quam citissime nobis certa litterarum tuarum significatione indicare procures : ut quæ ad effectum hujus dis- A pensationis necessaria sunt, Deo auctore, exsequi et implere possimus. Sin autem aliter aliquid inveneris, quod et causa potior et ratio probabilior administret, itidem nobis notificare non differas : quatenus in quo oporteat nobis et ecclesiæ providere, ac salubriter, Deo adjuvante, quod officii nostri est impendere valeamus [Datum Romæ indict. 1].

EPISTOLA XII.

AD MICHAELEM REGEM SCLAVORUM.

(Anno 1077.)

Ut alios nuntios mittat, per quos, causa inter Spalatanum et Ragusanum episcopos diligenter cognita, ejus petitioni satisfacere possit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MICHAELI Sclavorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Cognoscat debitæ tuæ devotionis circa sedem apostolicam reverentia, Petrum apud vos dictum nostrum legatum adhuc ad nostram non advenisse præsentiam, suas tamen misisse litteras, quæ ita vestris dissonantes existunt, quod vestram causam, seu Ragusanæ Ecclesiæ, penitus finire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarensem episcopum atque Ragusanum, sive alios idoneos nuntios, ad nos mittere oportet, per quos de lite quæ inter Spalatanum archiepiscopum ac Ragusanum [Ragusinum *et sic semper*], justitia possit inquiri, ac canonice diffiniri, tuique regni honor a nobis cognosci. Tunc vero, re cognita, tuæ petitioni juste satisfacere, secundum quod cupimus, valebimus, ac in dono vexilli, et in concessione pallii, quasi charissimum beati Petri filium, dictante rectitudine audiemus.

Data Romæ quinto Idus Januarii, indictione prima.

EPISTOLA XIII.

AD GUIBERTUM RAVENNATEM ARCHIEPISCOPUM, ETC.

(Anno 1077.)

Temeritatem eorum in offendenda sancta Romana Ecclesia incusans, saluti ipsorum consulens, ad synodum eos vocat, promittens eos securos fore, seque justitiæ rigorem temperaturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUIBERTO Ravennati archiepiscopo, omnibusque suffraganeis ejus et universis episcopis et abbatibus in marchia Firmana et Camerina, et in Pentapoli et Æmiliæ et Longobardiæ partibus constitutis.

Salutem vobis cum apostolica benedictione libenter mitteremus, si vestræ temeritati sanctorum Patrum auctoritas non obstitisset. Quam graviter enim ultra quam Christianos oporteret beatum Petrum apostolum ejusque sanctam Romanam Ecclesiam, vestram utique omnium fidelium matrem, offensam atque commotam reddidistis, Deus est testis, sanctorumque Patrum regula, vestraque conscientia. Sed, quoniam humanum est peccare, Deique peccantibus conversis veniam tribuere; ipsa quæ ejusdem Dei et Domini sanguine fundata est Ecclesia ad gremium suum redire vos adhuc ut mater exspectat : nequaquam in vestra grassari desiderat nece, imo vestræ cupit saluti occurrere. Quapropter moti tam vestra quam omnis gregis

Christi nobis commissi salute, ex omnipotentis Dei parte et Romanæ Ecclesiæ, universalis videlicet matris, apostolica auctoritate monemus et invitamus vos ut ad synodum, quam, Deo auctore, in proxima venturæ Quadragesimæ prima hebdomada celebraturi sumus, conveniatis : scientes vos securos fore ab omni læsione vitæ et membrorum, rerumque vestrarum, et ab omni sæculari injuria, eorum scilicet quos constringere poterimus. Sciatis etiam quod apud nos nullius unquam odium aut preces seu turpis jactantia locum obtinere poterit, quo contra vos in aliquo injustitiam exercere possit; imo rigorem justitiæ (prout possimus) temperantes, indulgere vobis quantum sine detrimento animarum vestrarum et nostro periculo poterimus parati sumus. Desideramus enim potius, Deo teste, vestræ saluti et populi vobis crediti consulere, quam nostro sæculari commodo in aliquo providere.

Data Romæ quinto Kalendas Februarii, indictione prima.

EPISTOLA XIV.

AD AURELIANENSES.

(Anno 1077.)

Ut Sanzoni, qui, confutatis omnibus sibi ab æmulis objectis criminibus coram episcopis delegatis, dignum se Aurelianensi episcopatu, ad quem electus fuerat, demonstravit, omnem honorem ac reverentiam exhibeant, donec diffinitivam sententiam, adhuc suspensam, declaret.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Aurelianensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras a vobis delatas apostolicam sedem accepisse non ignorare vos credimus, quibus electio episcopalis facta in Sanzone Ecclesiæ vestræ clerico intimabatur : quibus quoniam honestatem ejus jampridem agnovimus, fidem accommodare assensumque præbere parati sumus. Sed quoniam instinctu quove actu nescimus inopinatæ litteræ nihil priorum sensus habentes, imo contraria sentientes, ad nostram præsentiam delatæ sunt, nostram diffinitivam sententiam, ne facere aliquid super hoc negotio præcipitanter et inordinate videremur, quoadusque nobis aut nuntium seu litteras vestras mittatis, per quas omnia ejusdem negotii acta plenius cognoscamus, suspendere dignum duximus. Tamen unum vos scire volumus, quod clericos illos, qui a vobis litteras nobis detulerant, quique Sanzoni contraria sentiebant, una cum prænominato Sanzone coram episcoporum nostrorum præsentia diligenter perscrutari fecimus : quatenus, utriusque partis veritate præcognita, quid improbandum abigeremus, quidve approbandum laudassemus. Tandem pene omnia quæ sui æmuli sibi objecerant Sanzo ipse confutans, sibi magis favere justitiam nobis dignis assertionibus demonstravit. Verum, quia nihil super hoc negotio aliisque suis causis absque nostro apostolico consensu consiliove agere cupit, imo se suaque omnia sub tutela sedis apostolicæ constituit, quantum sibi juste subvenire, Deo concedente, possumus, non denegamus. Interea apostolica mansuetudine tam vos quam cæteros ubicunque possessionem habet monemus, et auctoritate præcipimus ut omnem honorem omnemque reverentiam sibi exhibere non denegetis, ac eum cum omnibus quæ sua sunt tute et sine omni molestia seu inquietudine manere permittatis : scientes quod si aliter feceritis (quod non credimus) ac ei honorem reverentiamque subtraxeritis, et eum et quæ sua sunt quiete et secure manere minime permiseritis, ita in vos sicut in hostes nostros et apostolicæ sedis adversarios vindictam et apostolicæ ultionis gladium exeremus. Nos vero cum prædicto viro Sanzone, Deo juvante, tale consilium adinveniemus, quod honor vestræ Ecclesiæ et utilitas in omnibus melius quam solito vigebit.

Data Romæ quinto [IV] Kalendas Februarii, indictione prima.

EPISTOLA XV.

AD GERMANOS.

(Anno 1077.)

Legatos apostolicos in synodo Romana pro concilianda pace in regno Teutonico fuisse designatos ait, quos impedire si quis præsumat, eum excommunicat. Præsentium portitorem hac de causa directum fuisse, ut cum archiepiscopo Trevirensi de loco et tempore conventus statuat, quo legati apostolici securius ire possint.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, clericis, ducibus, principibus, marchionibus, omnibusque majoribus et minoribus in Teutonico regno constitutis, exceptis his qui canonica excommunicatione tenentur, salutem et apostolicam benedictionem [Si decretis R. E. obedierint].

Notum vobis fieri volumus, fratres charissimi, quod in ea synodo quam nuper Romæ celebravimus, inter multa alia quæ de statu sanctæ [Romanæ] ecclesiæ, Deo cooperante, peregimus, de ruina et confusione nobilissimi regni vestri diligenter tractantes, hoc salutiferum et opportunum pro reparatione pacis vestræ fore putavimus, ut religiosi legati apostolicæ sedis ad partes vestras dirigantur, qui archiepiscopos, episcopos, et religiosos clericos, nec non laicos ad id idoneos, in loco qui utrique parti habilis et congruus sit, convenire commoneant, ut aut pacem, Deo auxiliante, inter vos componant, aut cui parti justitia faveant veraciter addiscant. Nam in eadem synodo diffinitum est quod nos contra eam partem quæ pacem fastu superbiæ refutaverit, et cui justitia non faverit, omni conamine omnibusque modis potestate beati Petri insurgamus. Et quia nonnullos de regno vestro intelleximus magis jurgium et discordiam quam pacem diligere, ex parte omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli interdicimus ut nullus sit qui, aliquo ingenio aut studio seu violentia, impediat prædictos viros ad restaurandam regni vestri concordiam convenire, aut convenientes justum et legalem huic discordiæ finem imponere. Ad reprimenda etiam mala ingenia et illicitos conatus, judicio sancti Spiritus, et

auctoritate apostolicæ sedis anathematizavimus et anathematizamus quicunque sive rex, sive archiepiscopus, sive episcopus, sive dux, sive marchio, sive alicujus dignitatis vel ordinis persona sit, præsumpserit aliquo modo hanc salutiferam constitutionem perturbare, videlicet qui operam dederit ne prædictus conventus fiat, aut concordia tantæ perturbationis. Adjecimus etiam eidem anathemati, ut quicunque hujus iniquitatis præsumptor fuerit, non solum in anima, sed etiam in corpore, et in omnibus rebus suis vindictam omnipotentis Dei sentiat, et in omni congressione belli nullas vires nullumque in vita sua triumphum obtineat, sed duplici contritione prostratus semper vilescat et confundatur, ut sic saltem ad pœnitentiam redire addiscat. Præsentium vero portitorem ad hoc vobis dirigimus, ut una cum venerabili fratre nostro Treverensi archiepiscopo, qui Henrico favet, et altero, qui utilis et religiosus ad hoc sit opus episcopus, ex parte Rodulphi locum et tempus prædicti conventus statuant; quatenus legati nostri, quos præfati sumus, securius et certius ad vos venire, et quæ omnipotenti Deo placeant, ipso auxiliante, vobiscum valeant perficere.

Data Romæ septimo Idus Martii, indictione prima.

EPISTOLA XVI.

AD UDONEM TREVIRENSEM.

(Anno 1078.)

Hortatur ut pro componenda in regno Teutonicorum pace laboret; et notificato pontificis de pace consilio ad se veniat, ne legatos frustra et cum periculo mittat. Monet ut cui justitia favet, ipse quoque faveat, atque alios idem facere moneat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, UDONI Trevirensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta nobis sollicitudo quantaque tristitia sit de perturbatione imo de dissidio regni vestri olim clarissimi et potentissimi, in communibus litteris quas hoc in anno ad vos misimus satis vobis declaratum esse putamus. Verum quia res de die in diem perniciosius implicari videtur, nobis quoque cura cum nimia anxietate altius in mente figitur. Proinde quidquid nobis super hac re ad præsens melius visum est, quod nostra providentia vel auctoritate intervenire potuisset, maturare curavimus: quod tua fraternitas litteris, quibus id singulariter scriptum est, plenius cognoscet. Rogamus igitur et admonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, ut secundum tenorem earumdem litterarum sine omni dilatione de causa hac te intromittas, et omnibus tam minoribus quam majoribus, quoad potes, quid a nobis deliberatum, et qualiter tibi injunctum sit, notum facias: ut, miserante Deo, et adjuvantibus his qui Dominum diligunt, tam feralis discordiæ furorem aut penitus compescere et (quod maxime optamus) ad plenam pacem reducere possimus; aut, si illud peccatis impedientibus minime obvenire poterit, saltem nos in tanto fratrum nostrorum periculo culpam negligentiæ declinemus. Notificato autem consilio et decreto nostro, et requisitis utrinque responsionibus, ut eam certitudinem et consensum inveniatis, ne in mittendis legatis nobis dubitandum non sit, ordinatis et confirmatis omnibus quæ ad prosequendum hoc negotium loco, tempore, vel cæteris convenientiis necessaria sunt, volumus ut tu et frater ille qui tecum hujus rei mediator esse debuerit, confestim ad nos veniatis: quatenus cognitis securitatibus, et quæ spes pacis esse debeat, legatos nostros tam sine periculo quam sine desperatione fructus laboris et fatigationis eorum vobiscum mittere valeamus. Nec durum tibi sit, frater, subire quod imponimus; quoniam ex quo in Ecclesia locum sacerdotii et officium suscepisti, nihil Deo dignius aut animæ tuæ salubrius fecisti, quam si in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, et saluti tot millium hominum, opitulante Deo, consulere poteris: et si hoc fatigationi tuæ pro voto non successerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem non infectum reputabitur omne bonum quod justa et perseveranti voluntate concipitur. Illud tamen a dilectione tua omnino nobis exhiberi volumus, ut, etiamsi illum alium, quem hujus rei mediatorem te habere supra diximus, socium itineris habere non possis, tu tamen ad nos venire nullatenus prætermittas. Præcipimus etiam tibi ex auctoritate B. Petri, ut cui justitia favet, tu omnino faveas, et hoc idem facere clericos et laicos quos poteris ex parte nostra commoneas. Treva etiam a vobis provisa usque ad quindecim dies post conventus solutionem illæsa servetur. Volumus autem ut apud regem diligenter procures quatenus legati nostri qui in partibus illis sunt, Bernardus scilicet diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Bernardus Massiliensis abbas, si voluerint, licenter et secure ad nos redire valeant.

Data Romæ septimo Idus Martii, indictione prima.

EPISTOLA XVII.

(Anno 1078.)

Significat se, temperantiam potius quam rigorem canonum secutum, causas episcoporum Franciæ et Burgundiæ discussisse, et cum singulis mitius egisse; præcipue vero cum Manasse Remensi archiepiscopo, cujus etiam juramenti exemplar adjicit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei.

Quia consuetudo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore licet indigni deservimus, est quædam tolerare, quædam etiam dissimulare, discretionis temperantiam potius quam rigorem canonum sequentes, causas episcoporum Franciæ atque Burgundiæ, qui suspensi seu damnati a legato nostro Hugone Diensi episcopo fuerant, non sine gravi labore discussimus. Denique Manassem Remensem archiepiscopum, qui in multis accusatus fuerat, seseque a synodis, ad quas Hugo Diensis episcopus eum invitavit, subtraxerat, quia sententia super eum data non Romanæ Ecclesiæ gravitate et solita mansuetudine videbatur, in proprium gradum officium-

que restituimus, ea quidem ratione ut supra corpus A sancti Petri juraret hoc modo :

« Ego Manasses Remensis archiepiscopus pro superbia non dimisi quod non venerim ad synodum Augustodunensem, ad quam me Diensis episcopus vocavit. Si vocatus nuntio vel litteris apostolicæ sedis fuero, nullo malo ingenio et nulla fraude me subtraham, sed veniens diffinitioni et judicio hujus Ecclesiæ fideliter obediam. Quod si domino papæ Gregorio vel successori suo placuerit me de objectis ante legatum suum respondere, idem per omnia faciam. Thesauros autem, ornamenta, et prædia Remensis Ecclesiæ mihi commissæ ad honorem ipsius Ecclesiæ fideliter tractabo, et ad resistendum justitiæ ea non abalienabo. »

Hugoni quoque Bisuntino archiepiscopo, quia litteræ quibus invitabatur ad synodum a clericis suis B retentæ et non sibi ostensæ fuerant, suspenso in eadem synodo episcopale officium reddidimus, hac conditione quod debeat se de objectis coram legato nostro, si ei visum fuerit, cum suffraganeis aut convicinis episcopis expurgare. Richerio vero Senonensi archiepiscopo interdictum reddimus officium. Promisit enim in manu nostra quod, sive per se sive per nuntium suum, causam, pro qua ad synodum præfati legati nostri non venit, coram eodem legato debeat exponere, et in negotiis ecclesiasticis pro posse suo consilium et auxilium fideliter et humiliter sibi impendere, ejusque animum placare. Gotefredus autem Carnotensis episcopus, quia non invitatus et absens judicatus fuerat, episcopali officio a nobis C restitutus est; hoc quidem tenore quod causa sua ante legatum nostrum debeat retractari atque diffiniri. Richardus Biturigensis archiepiscopus, quia irato animo, et non synodali judicio, dimisit Ecclesiam suam, virgam et annulum recepit, promittens se de objectis coram legato nostro satisfacere. Rodulphus Turonensis archiepiscopus, quia legales accusatores non habuit, sacerdotali et episcopali officio restitutus est, etiam episcopis qui eum accusaverant, ab accusatione deficientibus, et quia causa sua ab antecessore nostro beatæ memoriæ Alexandro retractata et determinata fuerat, videbatur quod non sine certa accusatione deberet retractari. Nobis tamen visum fuit quod legatus noster cum legato D Diensis episcopi Turonis debeat proficisci, et convocare omnes suffraganeos episcopos, nec non clerum et populum, et ex parte beati Petri illos commonere ut qualiter electus fuerit vel ordinatus veraciter profiteatur : ut, si claruerit eum de objectis innocentem esse, quæstio accusationis suæ omnino deinceps sopiatur. Sin autem certissime, et unde dubitari non possit contra eum testimonium datum fuerit, canonica sententia feriatur.

Actum Romæ septimo [VI] Idus Martii, indictione prima.

EPISTOLA XVIII.

AD EPISCOPUM SPIRENSEM.

(Anno 1078.)

Episcopale officium exercendi facultatem illi concedit, dum opportuno tempore de objectis sibi criminibus satisfaciat, atque omnem venalitatem ab Ecclesia Dei ejiciat, et in officio suo vigilans et studiosus appareat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Spirensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quia in susceptione Spirensis Ecclesiæ veremur te contra decretum apostolicæ sedis virgam de manu regis scienter ac temerarie suscepisse, episcopale officium hactenus te agere non concessimus. Quod si secundum legati tui verba decretum nostrum ante investituram pro certo non cognovisti, officium episcopale faciendi facultatem et licentiam tibi concedimus; eo tamen tenore ut opportuno tempore nobis vel legatis nostris de objectis te satisfacturum repræsentes. Et quia in Romanis conciliis, tam a nobis quam ab antecessoribus nostris, promulgatas constitutiones non, sicut decuit, te servasse comperimus, videlicet ut omnem venalitatem de ecclesia tua ejiceres, negligentiæ non parvæ fraternitatem tuam arguere possumus. Unde apostolica auctoritate interdicimus, ejectis illis qui in Ecclesia tua per pecuniam promoti sunt, ut neque archidiaconatus, neque archipresbyteratus, neque aliquid quod ad spiritualem curam videatur pertinere, pretio dari permittas; sed secundum Domini præceptum dicentis : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X), te irreprehensibiliter habens, et clericos non caste viventes rigore pastorali corrigens, sicut olim negligens et desidiosus fuisti, ita deinceps in administratione suscepti officii vigilans et studiosus appareas : quatenus in fine vitæ tuæ omnipotentem Dominum clementem et misericordem operis tui rectitudo tibi faciat.

Data Romæ decimo quarto Kalendas Aprilis, indictione I.

EPISTOLA XIX.

AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 1078.)

Legatum se mittere, ut diligenter et pie examinet an episcopus Rothomagensis pro sua ægritudine pastorali moderamini præesse valeat : si autem infirma valetudo ita eum oppresserit, ut minus aptus tali muneri reperiatur, omnino alius canonice eligatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO regi Anglorum salutem et apostolicam benedictionem.

Officii nostri cura exigit ut ecclesiis pastoribus viduatis sollicite subvenire properemus. Quia vero inter reges, tum more honestatis qua nites, tum liberali prudentia qua muniris, te speciali dilectione amplectimur, dignum est ut Ecclesiis quæ sunt in regno divina dispositione tibi commisso specialiter cavere studeamus. Unde Rothomagensi Ecclesiæ, quam dudum pastore destitutam, ægritudine impediente, audivimus, succurrere hoc modo disposui-

mus. Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, quem experimento nobis et tibi fidelem didicimus, liberali gloriæ tuæ, fili charissime, mittimus, qui cum viris religiosis episcopis et abbatibus ejusdem etiam Ecclesiæ fratribus prædictum archiepiscopum adeat, diligenti et pia consideratione examinet an pastorali moderamini præesse, ut oportet, valeat. Si vero valetudine corporali sic judicent destitutum, ut amodo episcopali non sit aptus regimini, prius admonitionibus sibi persuadere non desistant, si oportuerit, etiam auctoritate apostolica, ut suo consensu ordinetur Ecclesia. At si valetudo sic eum oppresserit, ut insensatum et officii sui obliviosum reddiderit, non dijudicans quanti sibi et universæ patriæ ægritudo sit detrimenti, præcipimus auctoritate apostolica virum tanto ponderi competentem, bene moratum et sapientem, universorum consensu canonice eligi et in archiepiscopum promoveri.

Data Romæ secundo Nonas Aprilis, indictione prima.

EPISTOLA XX.

AD RAINERIUM AURELIANENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1078.)

Increpat quod patientia Romanæ Ecclesiæ abusus, scelus sceleri addendo, cuncta pene Ecclesiæ suæ ornamenta dilapidaverit: quamobrem illi præcipit ut omnibus restitutis, ad synodum in suis partibus celebrandam conveniat, et legatis de omnibus quæ illi objecta fuerunt rationem reddat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Rainerio Aurelianensi.

Quanta in Deum et tui ordinis salutem commiseris, si sanæ mentis te velles ostendere, a tui memoria excidisse pejora operando nequaquam monstrares. Decuerat te summopere meditari quantam erga te patientiam Romana ostendit Ecclesia, quæ dum ultra quam oportuit est miserta, ipsius misericordia quodammodo versa est tuo opere in culpam. Quæ quidem sic nimium impudens abuteris, ut cogas nos tuis agitatos stimulis in te districtæ æquitatis censura insurgere. Inter cætera namque quæ olim perversa mente egisti, ut vulnus vulneri infligeres, sicut nobis insinuatum est, pene cuncta Ecclesiæ tibi commissæ ornamenta, pallia videlicet, calices, thuribula, planetas, et cæterea sacrata Deo, non ad utilitatem Dei et præfatæ Ecclesiæ, non in adjutorium pauperum et captivorum, sed ad libitum tuum et inanem gloriam atque superbiam distraxisti. Quod quidem quantum nos contristat advertere poteris. Nunc itaque apostolica tibi auctoritate præcipimus ut, omni excusatione semota, quidquid abstulisti juste restituas, et, restitutis omnibus ad synodum quæ vestris in partibus celebranda erit convenias; ibique coram legatis nostris, videlicet Hugone Diensi, et Hugone abbate Cluniacensi, nec non et Rogerio subdiacono nostro, de his et aliis quæ tibi intentantur rationem canonice exponas. Quod si forte de omnibus quæ tibi objecta fuerint canonice te non expurgaveris, ac ablata secundum nostram jussionem non reddideris, A judicio sancti Spiritus et auctoritate apostolica sententiam anathematis et depositionis sine omni spe recuperationis in te promulgabimus.

Data Romæ octavo Kalendas Maii, indictione I.

EPISTOLA XXI.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1078.)

Ut legato, quem ad regem Hispaniæ mittit, auxilium præbeat. De Berengario sententiam suam fratres quos cum legato mittit nuntiaturos scribit. Tribulationes suas exponit, pro quibus misericordiam Domini implorari petit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Hugoni Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem

Diversarum gentium concursione, et multorum B negotiorum fatigatus meditatione, ei parum scribo quem multum diligo. Abbatem itaque, sicut rex Hispaniæ rogavit et vos consilium dedistis, Deo auctore, episcopum consecravimus; et ad eumdem regem sacerdotem cardinalem Richardum, vicem nostram illi committentes, in Hispaniam dirigimus, cui ut præbeas auxilium et idoneum socium fraternitatem tuam rogamus. De Berengario, unde nobis scripsistis, quid nobis videatur, vel quid disposuerimus, fratres quos tibi remittimus cum prædicto cardinali nostro nuntiabunt. Vos autem certa fide, imo et oratione, Dei omnipotentis misericordiam implorate, ut mentes nostras secundum suam voluntatem dirigat, et in magna tempestate nos gubernans ad portum suæ pietatis perducat. Tot enim C angustiis premimur, tantisque laboribus fatigamur, ut ii qui nobiscum sunt non solum pati nequeant, sed nec etiam videre possint. Et licet cœlestis tuba clamet, unde quisque secundum suum laborem mercedem recipiet (*Luc.* VI), et bonus rex manifestet: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII); tamen frequenter hæc vita nobis est tædio, et mors carnis desiderio. Sed cum pauper Jesus ille pius consolator, verus Deus et verus homo, manum porrigit, valde tristem et afflictum lætificat; dum vero memet dimittit, nimis me conturbat: in me quippe semper morior, sed in eo, interdum vivo, et cum viribus omnino deficio. D Ad illum gemens clamo: Si Moysi et Petro tantum pondus imponeres, credo quia illos gravaret. Quid ergo de me, qui nihil ad eorum comparationem valeo, fiet? Restat ergo ut aut tu ipse cum tuo Petro pontificatum regas, aut me succumbere, et eumdem pontificatum confundi cernas. Tunc ad illud recurro: *Miserere mei, Domine, quia infirmus sum* (*Psal.* VI). Et illud: *Tanquam prodigium factus sum multis: et tu adjutor fortis* (*Psal.* LXX). Nec illud obliviscor: *Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III). Omnipotens Deus, qui per sanctum officium quod committit peccatori mira pietate peccatores justificat, potestate beati Petri mihi valde indigno commissa te tibique omnes fratres creditos a cunctis peccatis absolvat, et

ad sinum Abrahæ patriarchæ nostri lætos perducat.

Data Romæ Nonis Maii, indictione prima.

EPISTOLA XXII.

AD HUBERTUM ET TEUZONEM.

(Anno 1078.)

Monet ut cum suffraganeis, abbatibus et clericis Dolensis ecclesiæ adsint una cum Diensi episcopo et abbate Cluniacensi, quibus controversia inter Evetium et alium quemdam de archiepiscopatu commissa est, ac curent, ut Anglorum rex eo legatum suum mittat, quo hujusmodi causa terminetur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Huberto subdiacono et Teuzoni monacho salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos frater noster Evetius [Everius] Dolensis archiepiscopus, exhibens se pro discutienda controversia quæ de introitu ejus in episcopatum orta est, proclamante illo de expulsione sua quasi injusta, qui ante ordinationem hujus eamdem sedem quamlibet perverso, ut dicitur, accessu ceperat, et nefaria conversatione tenuerat. Ad quam exhibitionem se vocatum aiebat a confratre nostro Hugone Diensi episcopo : quod et ipse qui tunc præsens aderat fatebatur : ac propterea se recusasse redire vobiscum, aut in aliquam partem vertere, donec ab ore nostro quid sibi agendum foret, quove se exhibendum intelligeret. Verum quia Diensis episcopus, ut diximus, præsens aderat, commisimus sibi negotium istud, ut in concilio quo causam Remensis archiepiscopi et aliorum episcoporum Franciæ, adjuncto sibi abbate Cluniacensi, tractaturus est, etiam hoc regulariter diffinire procuret. Quapropter admonemus et vos ut ibidem aut alter vestrum, aut ambo, si fieri possit, adsitis, et episcopos ac religiosos abbates illius parochiæ, nec non clericos et laicos ejusdem Ecclesiæ, qui utramlibet partem aut accusare aut defendere idonei videantur, adesse commoneatis. Procurantes etiam ut Anglorum rex ex sua parte legatum illuc dirigat tam prudentem quam religiosam personam; quatenus causa ista, sublato favore partium omnique personali acceptione, ad effectum justæ diffinitionis, Deo disponente, perveniat: et quod ibi inde statutum ac diffinitum fuerit, ita ab omnibus consona voce sententiaque firmetur, ut calumniosæ proclamationis improbitas, et reiterandæ quæstionis omnis undique occasio omnisque penitus licentia decidatur.

Data Lateranis undecimo Kalendas Junii, indictione prima.

EPISTOLA XXIII.

AD GAUSFREDUM ET ALTERUM GAUSFREDUM COMITES.

(Anno 1078.)

Ut omnes episcopos et abbates Britanniæ, et clericos et laicos Dolensis Ecclesiæ scientia præstantes convenire faciant concilio celebrando; in quo inter cætera diffinienda est causa inter Evetium ordinatum archiepiscopum et quemdam alium qui se de eo injuste expulsum querebatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Oeli Gausfredo [Gaufredo]Rhedonensi, item Gausfredo filio Eudonis, nobilibus comitibus Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorare vos credimus quantam molestiam quantamque perturbationem sustineat Dolensis Ecclesia, et confrater noster Evetius [Everius] archiepiscopus, quem ibi ordinavimus, ab illo qui prius sedem occupans, ac remordente eum conscientia sua, ut dicitur, exspoliatam deserens, nunc injuste se expulsum [conqueritur. Qua de re cum præfatus archiepiscopus suam nobis exhiberet præsentiam; quoniam absente illo qui super eum conqueritur causam discutere nulla ratione potuimus, totum hoc negotium confratri nostro Hugoni Diensi episcopo, cui vicem nostram dedimus, committere necessarium duximus, et eo tempore et loco illud diligenti inquisitione pertractare ac diffinire studeat, ubi qui in hac causa utrinque necessarii sint convenire et interesse valeant. Statuimus enim præfatum confratrem et vicarium nostrum celebrare concilium propter multa et magna negotia quæ in regno Francorum emersa apostolicæ auctoritatis examinatione atque judicio indigent : ubi et hoc negotium, Deo auxiliante, diffiniri volumus atque censemus. Quapropter multum rogamus et admonemus excellentiam vestram, ut huic causæ quantum potestis operam detis, et episcopos nec non religiosos abbates terræ illius, clericos quoque et laicos ejusdem Ecclesiæ, qui idonei tam scientia quam religione videantur, ad præfatum concilium, juxta quod vobis significatum fuerit, conveniatis; quatenus, opitulante divina clementia, per sinceram explorationem in hac causa Dei quidquid justitia et populi requirat salus evidenter appareat, et decisa penitus hac lite et querimonia, diu et nimium indigne lacerata, quam præfati sumus Dolensis Ecclesia per misericordiam Dei vestro studio vestraque juvante et procurante potentia, receptis bonis suis, pacem etiam et tranquillitatem recipere, et in statu suæ incolumitatis venire et permanere valeat.

Data Lateranis [Laurenti xi Kal. Maii] undecimo Kalendas Junii, indictione prima.

LIBER SEXTUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo octavo, indictione secunda.

EPISTOLA PRIMA.

AD GERMANOS.

(Anno 1078.)

Monet ne faveant neve communicent iis qui contra interdictum apostolicæ sedis impedire conantur conventum episcoporum et laicorum habendum coram legatis apostolicis de jure Henrici et Rodulphi in Teutonicorum regno. Interim eos

certiores facit se nullo modo injustæ parti fauturum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus clericis et laicis in regno Teutonico constitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ et quanta cura nobis fuerit et est, ut pestilentia et clades et desolatio a vestro regno auferatur, et pax, honestas et solitum decus vobis reddatur, in synodo quæ hoc anno in Quadragesima Romæ celebrata fuit declaravimus. Judicio enim sancti Spiritus decrevimus et præcipimus, ut in regno vestro conventus omnium episcoporum, et eorum laicorum qui Deum timent et inter vos pacem desiderant, fieret; et coram nostris legatis decerneretur si Henrico vel Rodulpho, qui de regni gubernaculo inter se decertant, amplius justitia faveret. Injustior enim pars ratione devicta, et beati Petri auctoritate constricta, facilius cederet, et ab interitu animarum et corporum, Deo propitiante, cessaret. Justior vero pars amplius de Deo confidere, et adjuta beati Petri potestate, et omnium justitiam diligentium consensu, de victoria omnino speraret, neque utramque mortem timeret. Sed quia pervenit ad nos quod inimici Dei et filii diaboli quidam apud vos contra interdictum apostolicæ sedis prædictum conventum procurarent in irritum ducere, et non justitia, sed superbia ac totius regni desolatione suas cupiditates anhelent implere, et Christianam religionem destruere, monemus vos, et ex parte beati Petri præcipimus ne talibus nullum adjutorium præbeatis, neque illis communicetis. In prædicta enim synodo jam omnes sunt excommunicationis et anathematis vinculo innodati, et ut nullam victoriam possint obtinere, potestate beati Petri sunt alligati, ut saltem coacti confundantur, et a morte animarum suarum et desolatione patriæ vestræ revocentur. Vos autem, fratres charissimi, de me nullo modo dubitetis, quod injustæ parti scienter aliquo modo faveam. Magis enim pro vestra salute desidero mortem subire, quam totius mundi gloriam ad vestrum interitum arripere. Quod si aliqui de falsitate confisi litteris vel verbis aliter vobis indicaverint, nullo modo illis acquiescatis : Deum enim timemus, et pro ejus amore quotidie affligimur; et ideo superbiam et oblectamenta sæculi parvipendimus, quia cito apud eum consolari indubitanter credimus. Omnipotens et misericors Deus, qui ultra spem, ultra meritum miseretur, et *consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* I), aperiat cor vestrum in lege sua, et confirmat vos in præceptis suis, ut auctoritate beati Petri a cunctis peccatis absolutos vos ad cœleste regnum perducat regnaturos.

Data Capuæ, Kalendis Junii, indictione prima.

A

EPISTOLA II.

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1078.)

Ostendit legatos Romanos esse non tantum qui Romæ nati vel educati, aut ad aliquam ibi dignitatem promoti sunt, sed omnes quibus Romanus pontifex vices suas committit. Quapropter eum arguit quod Diensi episcopo legato suo non obtemperaverit, privilegia quoque, prout necessitas vel utilitas exegerit, posse commutari. Monet ut coram legatis se de objectis canonice purget. Scribit per litteras suas mandasse ut quæ ipse de nonnullis episcopis conquerebatur indagarentur, et canonice judicarentur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Manassæ Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vos ea sede apostolica flagitatis quæ et honorem præsulatus vestri condeceant, et a præcedentium Patrum auctoritatibus nequaquam dissentiant, fidentes petite, spe certissimi postulate scientes omni ambiguitate remota nos petitionibus hujusmodi paratos annuere, cum quia vos fraterna dilectione in Christo amplectimur, tum etiam nihilominus quia ad hæc quorumdam fidelium nostrorum qui vos diligunt precibus et interventionibus sedulis promovemur. Quocirca fraternitatem vestram rogatam atque commonitam volumus ne debeat graviter ferre si studeamus ad tempus pro communi honestate atque proficuo petita contra utilitatem Ecclesiæ denegare. Hæc autem omnia ad id præmissa noveritis, quia petitis in litteris vestris ne, adversus privilegium quod ab hac apostolica sede vos habere fatemini, cogamini nisi soli mihi aut Romanis legatis super objectis quibuslibet respondere. Quod si vos Romanos legatos intelligere videremini quoslibet cujuslibet gentis, quibus Romanus pontifex aliquam legationem injungat, vel (quod majus est) vicem suam indulgeat, et laudaremus sane petita, et petitis libenter annueremus. Sed quia præmittendo Romanis, continuo subjungitis : Non Ultramontanis, ostenditis vos tantum eos velle Romanos habere legatos qui vel Romæ nati, vel in Romana Ecclesia a parvulo educati, vel in eadem sint aliqua dignitate promoti, miramur nimium prudentiam vestram eousque perductam ut precaremini benevolentiam nostram jura sedis apostolicæ debere imminuere, idque nobis in solius vestri negotiis non debere licere quod in negotiis omnium prædecessores nostri sine omni contradictione et licitum et legitimum tenuere. Nostis enim et Osium episcopum in Nicæno et Cyrillum in Ephesino concilio, Romanorum vice (eisdem concedentibus) functos fuisse pontificum. Syagrio quoque Augustodunensi episcopo, Lugdunensis antistitis suffraganeo, papam Gregorium (l. II, *epist.* indictione II; *epist.* 112) celebrandi generalis in Gallia concilii vicem suam legistis indulsisse. Sed quid hæc de episcopis loquimur, cum idem sanctus papa monachum quemdam, Hilarium nomine, in Africæ partibus litterarum suarum auctoritate fultum, usque adeo suum fecerit esse vicarium ut per eum ibidem concilium generale celebraretur, et quidquid

synodus sancta decerneret ad finem eo exsequente perduceretur? Ne igitur ad tantum velit culmen vestra fraternitas erigi, ut quæ in causis omnium Romanis pontificibus rata fuerunt et licita, in vestri solius causa irrita velitis et illicita reddi. Ad id autem quod de privilegio dicitis, breviter interim respondemus quod possunt quædam in privilegiis pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro eisdem, si necessitas vel utilitas major exegerit, licenter valent commutari. Privilegia siquidem non debent sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed utilitati sanctæ Ecclesiæ prospicere. Inde est quod Arelatensis Ecclesia, non solum a beato Gregorio doctore dulcifluo (*epist.* l. IV, *ep.* 52), sed etiam a pluribus ejus sanctis antecessoribus, cum haberet vicem sedis apostolicæ, ut omnes episcopos totius regni Francorum, quod tunc latius extendebatur, ad concilium convocaret, eosque in judicio constrinxerit (sine cujus licentia nullis ex supra dictis episcopis longe a suo episcopatu fas erat abire); post aliqua tempora pro quibusdam causis prædicta potestas et auctoritas cessavit, et suam vicem aliis quibus placuit sedes apostolica concessit. Remensis etiam cui præsides Ecclesia quodam tempore primati subjacuit, et ei, ut magistro post Romanum pontificem, obedivit. Quod et de pluribus aliis Ecclesiis potestis invenire, si sanctorum Patrum dicta et acta procuratis diligenter investigare. Nec id dicimus ut privilegia vestræ Ecclesiæ contra rationem vel infringi velimus vel imminui de quibus, vita comite, suo tempore, ore ad os otiosius collocuturi sumus. Sed interim dilectionem vestram ex parte beati apostolorum principis Petri admonemus, ut, quemadmodum vobis Romæ positis constituimus, coram Diensi episcopo et Cluniacensi abbate, quibus in his vicem nostram commisimus, occasionibus cunctis obstaculisque remotis, super objectis omnibus sitis respondere parati, legaliter satisfacere, canonice purificari, ne si aliud a vobis (quod absit!) agatur, tergiversationi et fugæ et conscientiæ scelerum, non exactioni justitiæ et æquitatis a pluribus ascribatur. De archiepiscopo autem Viennensi, quem conquerimini in diœcesi vestra et deposuisse presbyteros, et eosdem iterum in gradum pristinum restituisse, et de episcopis Laudunensi et Suessionensi suffraganeis vestris qui Ambianensem episcopum, vobis inconsultis et nescientibus Romæ etiam positis, consecrarunt, et de Manasse qui vos et Ecclesiam vestram, quia malefactis non potest, maledictis infestare non cessat, et de cæteris omnibus, super quibus conquestionem vobis collibuerit facere, misimus litteras nostras commemoratis confratribus nostris, Diensi videlicet episcopo et Cluniacensi abbati, ut cuncta studeant diligenter inquirere sollicite discutere, discussa et indagata ad purum, juste, legaliter et canonice judicare. His nostris monitis obsecundantes per omnia beatorum apostolorum Petri et Pauli benedictione in præsenti donemini, et in futuro a peccatorum vinculis absoluti omnium ad eorum

A consortium, eisdem interventoribus, provehi mereamini.

Data ad [apud *et sic in seq.*] sanctum Germanum undecimo Kalendas Septembris, indictione prima.

EPISTOLA III.

AD HUGONEM EPISCOPUM DIENSEM.

(Anno 1078.)

Ut querelis Remensis archiepiscopi finem imponere procurent, eumque, si paruerit, adjuvent; cui etiam litterarum suprascriptarum exemplar mittit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI Diensi episcopo, et Hugoni Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia in sanctæ Dei, cui divina dispositione præsidemus, Ecclesiæ regimine sollicite nos vigilare B oportet, vestris assiduis precibus nobis ut divinum obtineatis præsidium deposcimus. Quapropter vos summopere studium adhibere admonendo mandamus quatenus inquiratis et canonice, prout potestis, finem imponere procuretis negotiis, unde Remensis archiepiscopus confrater noster suis litteris nobis conquestus est. Conqueritur enim de confratre nostro archiepiscopo Viennensi Warmundo, qui in suo archiepiscopatu presbyteros deposuit et eosdem restituit. Quin etiam conqueritur quod duo suffraganei ejusdem Remensis, Laudunensis scilicet et Suessionensis, postposita canonica auctoritate, Ambianensem ausi sunt episcopum consecrare, dum ipse esset nobiscum Romæ et de se sententiam humiliter exspectaret. Quod vos digna et solerti indaga- C tione discutere et cognoscere omni modo studete an ita sese res habeat, ut prædiximus nos suis litteris intellexisse, præsertim si idem Ambianensis contra Romanæ synodi et apostolicæ sedis decretum de manu laici nefanda ambitione et temerario ausu investituram suscipere præsumpsit, canonici rigoris severitate taliter in eum vindicare et punire obnixe satagite ut ejus exempla cæteri imitari timeant. De Manasse autem, de quo similiter conqueritur, qui Oebali suorumque refugio et auxilio illum et Ecclesiam fatigare non cessat, laborare ut ad pacem redeat et ab inquietatione Ecclesiæ et persecutione archiepiscopi quiescat. Quod si forte in sua contumacia persistens obedire renuerit, nisi illum D justam excusationem habere cognoveritis, quodcunque vobis justius videtur facite. De aliis autem necessitatibus eumdem archiepiscopum (si tamen vobis obedierit) sicut dignum est adjuvate, eique commissam Ecclesiam auctoritate beati Petri (quod et de aliis ecclesiis vos oportet agere) defendite. Ipse autem, sicut ex suis cognovimus litteris quas vobis direximus, inducias quærit, ut subterfugiat, cui qualiter rescripsimus vobis etiam per exemplar indicamus. Vos autem, fratres mei charissimi, viriliter et sapienter agite, vestraque omnia in charitate fiant, ut oppressi vos prudentes defensores inveniant, et opprimentes amatores justitiæ recognoscant. Omnipotens Deus Spiritum sanctum cordibus vestris infundat, vosque per viam sibi placitam

A perducat et ad societatem sanctorum Patrum pervenire faciat.

Data ad Sanctum Germanum, xi Kalendas Septembris, ind. i.

EPISTOLA IV.

AD HENRICUM LEODIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1078.)

Temeritatis eum arguit quod contra Romanæ Ecclesiæ auctoritatem verba jactaverit, monetque ut Weremboldi cujusdam causam, qui se una cum uxore injuste ab eo excommunicatum conquestus fuerat, adhibitis Trevirensi et Metensi episcopis, definiat; quem timore mortis se absolvisse ait; accepta sponsione ab eo omnibus satisfaciendi. Contemptores synodi illos vocat, qui synodus a se in Teutonicis partibus indicta impedimento fuerint ne cogeretur.

B GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Leodiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem, si contemptoribus Romanæ synodi habitæ in præterita Quadragesima non communicat.

Lectis fraternitatis tuæ litteris, non parum mirati sumus non ea te, qua decuit, apostolicam sedem pro reverentia sibi scripsisse, sed nos de absolutione illius parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam apostolicæ sedis non esset auctoritas quoscunque, et ubicunque vult, ligare et absolvere. Unde scias nos adversus temeritatem tuam graviter commotos fuisse, nisi apostolicæ sedis mansuetudo nos detineret, et C nisi mens nostra de litteris olim super hoc negotio tibi transmissis quodammodo dubitaret. Solliciti etenim sumus ne litteræ illæ fraude alicujus aut falsitate immutarentur. Et ideo exemplar earum ad cognoscendam voluntatem nostram tibi ostendendum esse putavimus, ut, si easdem esse et non immutatas claruerit, intelligas te aut spiritu præsumptionis aut ignorantia contra auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ verba jactasse, quasi imitando Orientales qui contra beatum papam Julium obloqui præsumpserunt, eo quod ipse sanctissimum Athanasium patriarcham sine assensu eorum absolverat, tibique deinceps caveas ne hujusmodi contra nos temeritate rescribas, sed potius ad documenta sanctorum Patrum quæ te loqui et scribere doceant hu- D militer recurras, et secundum tenorem litterarum, quarum exemplar tibi transmittimus, prædicti hominis negotium ad finem perducere studeas. Vir iste, Weremboldus nomine, conquestus est se injuste a te excommunicatum cum uxore sua esse; unde sibi vix fidem adhibere possumus. Tamen monemus prudentiam tuam, ut ad notitiam religiosorum confratrum nostrorum, Trevirensis scilicet archiepiscopi et Metensis episcopi, hujus rei causam deferre facias, eorumque consilio et judicio diffinire procures. De veste vero monachica, et velo imposito, et pecunia ablata, eorumdem testimonio et justitiam facere et rationem ponere non recuses, quatenus tibi occasionem proclamandi auferas et teipsum ab omni accusatione protegas, justitiæ integritate et canonica auctoritate servatâ in omnibus. Contemptores quippe synodi in prædicta nostra salutatione illos notamus qui aliquo ingenio vel violentia conati sunt impedire ne concilium aut conventus fieret in Teutonicis partibus, in quo solerti inquisitione recognosceretur utrum Henrico an Rodulpho magis justitia faveret de gubernaculo regni. Præterea scire vos volumus nos horum portitorem absolvisse ab excommunicatione, timore mortis, facta ab eo promissione in nostra manu se omnia facturum secundum vestram jussionem, consilio prædictorum episcoporum factam.

Data in burgo Aquæpendentis, octavo Idus Octobris, indictione secunda.

EPISTOLA V.

AD HERIMANNUM METENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1078.)

Monet ut Tullensem episcopum adjuvet, cui concessit ut coram quatuor episcopis, si propter regni commotionem sex simul convocare non possit, se expurget. Eum arguit quod bona ecclesiæ quibusdam militibus ad se defendendum largitus sit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERIMANNO Metensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Novit dilectio tua, frater charissime, quanto jam tempore Tullensis episcopus fatigatus laboraverit atque multis angustiis sudaverit pro repellenda ea quam sibi injuste objectam esse contendit infamia. Sed quia propter imminentem regni commotionem sex simul episcopos ad expurgationem suam convocare non potest, hoc ei paterna compatientes pietate concessimus ut quatuor episcopis, ad præsens secum jurantibus, expurgatus, episcopale officium per omnia faciat. De duobus autem qui statuto judicio interesse debent, inducias usque ad Quadragesimam a nobis accepit. Unde, quia tu in eadem diœcesi positus es, monemus et exhortamur tuam mihi dulcissimam charitatem et apostolica tibi auctoritate præcipimus ut, si præfatum Tullensem episcopum culpabilem indubitanter esse cognoveris, fraternam manum auxilii (ut justum est) ei præbere non differas; scriptum est enim : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* vi). Et item : *Si quis viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* (*I Joan.* iii.) Præterea pervenit ad nos quod propter instantem inimicorum tuorum infestationem tuæ bona ecclesiæ largitus sis quibusdam militibus, et eo modo honoris tui dignitas quotidie (quod non optamus) minuatur atque decrescat. Proinde tuam volumus admonitam esse prudentiam, ne alicujus magnitudine tribulationis coactus ecclesiasticas cuiquam hæreditates largiaris, unde multum te postea pœniteat, cum quod modo turbatus egeris nullo modo emendare potueris. Oportet autem ut totam spem tuam in Domino ponas, certissime sciens quia *Dominus non derelinquit sperantes in se* (*Prov.* xxix, 25). Confidimus enim omnipotentem Dominum, ve-

ris aliorumque religiosorum, quos in partibus vestris plures esse cognoscimus, orationibus placatum, pacem Ecclesiæ suæ cito esse daturum.

Data Sutrii [Suciis], undecimo Kalendas Novembris, indictione secunda.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, anno sexto pontificatus domini Gregorii papæ septimi, mensis Novembris die decima septima, indictione secunda, Romæ. Ego Marro Gisleri filius, habitator in ducatu Spoletano, pro redemptione animæ meæ et parentum meorum dono, trado atque offero beato Petro apostolorum principi, et super altare ejus omnia quæ mihi pertinent de Castro, quod vocatur Moricicla [Moricida], positum inter Muricem et Clarignanum, quod conquisitum habeo per concambiationem a Litaldo et Hugone, nepotibus Hugonis, filii Ascari, in plebe de Luzano, reservato usufructu diebus vitæ meæ, et Brutuli filii mei et filiorum Brutuli, si masculi fuerint de legitimo conjugio procreati (*Pontif. in Gregorio septimo*).

EPISTOLA VI.

(Anno 1078.)

Declarat ex suo præcepto concordiam factam inter episcopum Taurinensem et abbatem sancti Michaelis, et quibus conditionibus. Se in eos ulturum ait qui non acquieverint et injustam causam defenderint.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei.

Notum tam præsentibus quam posteris fieri volumus causam (394) Cumberti Taurinensis episcopi et abbatis Sancti Michaelis, qualiter finiendam esse posuimus. Venientes enim ante nostram præsentiam, post plura annorum curricula quibus conquesti sunt alter adversus alterum, ex voluntate acquiescentes et obedientes nostro jussui, pacem inter se, nobis præcipientibus, fecerunt. Quibus ex auctoritate apostolica interdiximus ne alter alteri occasionem discordiæ ulterius præberet. Sed episcopus abbati et prædicto monasterio emendet quæ ei abstulit, nisi quantum abbas ei condonaverit. Similiter et abbas episcopo faciat. Et hoc in existimatione Astensis episcopi et episcopi Aquensis, nec non et abbatis Fructuariensis. Si autem episcopus voluerit et potuerit probare illud monasterium in proprietate et allodio sui episcopi esse constructum, in sequenti synodo uterque se præsentent, et in eo justam et legalem diffinitionem accipiant. Si vero aliquo impedimento cessaverint, legatos suos dirigant, quatenus eis ipsi reportent qualiter et quando finem eorum negotio imponamus. Quod si episcopus, cognita veritate, cognoverit idem monasterium non esse constructum in allodio sui episcopatus, vel abbas perpenderit quod episcopus circa hoc negotium justam et veram habeat rationem, sine aliqua disceptatione vel controversia ei qui veritatem et justitiam habuerit acquiescat, procul dubio scientes quia eum qui injustam causam habens defendere tentaverit, vel aliquod patrocinium vel potentiam sperans injustum negotium agitare ausus fuerit, graviter et severissime puniemus.

Data Romæ, octavo Kalendas Decembris, indictione secunda.

EPISTOLA VII.

AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1078.)

Ut Robertum Flandrensem comitem ab apostolicæ sedis legato et Lingonensi episcopo excommunicatum, si non canonice id factum repererit, vel si satisfacere voluerit, absolvat. Quod si ipse facere nequiverit, per religiosas id efficiat personas.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Hugoni Diensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quia ex pastoralis officii susceptione oportet nos magnam sollicitudinem habere de salute omnium filiorum Ecclesiæ, debemus quantotius emendare, si quid noverimus aliter gestum esse quam convenit rectitudini ecclesiasticæ. Proinde notificamus dilectioni tuæ, nobis per aliquos, et maxime per Ingelrannum Flandrensem clericum, innotuisse Robertum Frandrensem comitem ab Huberto legato nostro et Hugone Lingonensi episcopo, per machinationes inimicorum suorum, excommunicatum esse. Quod quia non debemus, si verum est, ferre, rogando mandamus fraternitati tuæ ut, si tibi molestum non est, ad illas partes festines accedere, et si inveneris eum non canonice excommunicatum, absolvas eum ex beati Petri apostolorum principis et nostra parte; sin autem, quod non optamus, canonice, et tamen voluerit satisfacere, iterum ne differas eum ovili Dominico reconciliare, quia ipse Summus Pastor ovem perditam propriis humeris voluit ad gregem reportare. Si autem tibi possibile non est id per temetipsum agere, mitte personas religiosas pro te, quæ præordinata prædicto modo valeant finire.

Data Romæ, septimo Kal. Decemb., indictione secunda.

EPISTOLA VIII.

AD HUBERTUM, WIDONEM ET HUGONEM.

(Anno 1078.)

Quamdam villam cum omnibus ad eam pertinentibus clericis Sanctæ Mariæ et Sancti Audomari restituendam præcipit. Quod si justa ratione ad suam ecclesiam pertinere crediderint, Hugonem Diensem episcopum legatum adeant quadraginta dierum spatio; quo elapso, si obedire minus voluerint, ingressum ecclesiæ et Christianam communionem, donec resipiscant, interdicit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Huberto et clericis et omnibus comitibus de castro Sancti Pauli, Widoni et Hugoni, salutem et apostolicam benedictionem.

Clerici Sanctæ Mariæ et Sancti Audomari, adeuntes apostolicam sedem, conquesti sunt de vobis, quod jam multo tempore sibi et suæ ecclesiæ aufertis quamdam villam, Resecca nominatam, cum

(394) Est Cunipertus. Hard.

omnibus ad eam pertinentibus; atque cum multoties de hoc in provincialibus synodis coram episcopo vestro, et ad ultimum coram Hugone, Diensi coepiscopo et confratre nostro apostolicæ Ecclesiæ legato, in Pictaviensi concilio querelam fecissent, atque ille ex auctoritate nostra præcepisset ut, coram episcopo vestro, aut proclamata ecclesiæ præfatæ et clericis redderetis, aut quod vestra jure esse debeant rationem diceretis, episcopusque vester tres terminos vobis et ad ultimum provincialem synodum statuisset ut utrumlibet ageretis; vos tamen neutrum, sicut nunquam, ita quoque nec tunc facere voluistis. Unde ex auctoritate Dei et sancti Petri apostolorum principis, præcipimus vobis ut, si ita est, prædictas res prædictæ ecclesiæ et clericis ejus sine dilatione canonice restituatis; aut, si ita non est, et justa ratione pro certo scitis ad vestram ecclesiam eas pertinere debere, infra quadraginta dies, postquam litteras nostras videritis, vel si eas videre vitaveritis, postquam eas missas vobis cognoveritis, Hugonem præfatum coepiscopum et fratrem nostrum, ad diem Ingelranno et fratribus ejus a vobis ante denominatum atque prænuntiatum adeatis, ut, utrisque partibus coram positis, ipse legitimum finem faciat hujus contentionis. Quod et si istud agere nolueritis infra præscriptos dies, finitis eis, contradicimus vobis et Widoni, Hugonique et Eustachio comitibus, Oilardo quoque subdefensori præfatæ possessionis, omnibusque vobis, amodo auxilium et consensum ad hoc sacrilegium præbituris, velut sacrilegis et raptoribus, omnem penitus ecclesiæ ingressum, et Christianam communionem, atque gratiam beati Petri apostolorum principis, et in vita et in morte, nisi forte pœnitentiam egeritis et injuste rapta ecclesiæ præfatæ canonice restitueritis. Si autem, quod absit! ab omnibus Christianis post hæc omnia, diabolica infecti malitia, in excommunicatione præscripta incorrigibiliter perseverare malueritis, præcipimus defensoribus et patronis prædictæ ecclesiæ ut eidem et clericis ejus præfatas res restituere omnibus modis satagant.

Data Romæ, VII Kalend. Decembris, indictione II.

EPISTOLA IX.

AD CANONICOS ECCLESIÆ TARVENNENSIS.

(Anno 1078.)

Ut canonicis de castro Sancti Pauli, nisi, ut in superiori epistola mandavit, litteris apostolicis obedierint, omnis ecclesiæ ingressus interdicatur; laici etiam non obedientes excommunicentur; Mathildem præterea vult moneri ut, quam terram maritus ejus ecclesiæ dederat, tradendam curet, et qui decimas ecclesiæ subtrahunt, moneri ut reddant; sin minus damnationi subjaceant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, archidiaconibus Tarvennensis Ecclesiæ IRNOLPHO et HUBERTO, et canonicis, si canonice vixerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Clericos de castro Sancti Pauli, de quibus canonici Sanctæ Mariæ et Sancti Audomari per Ingelrannum et alios fratres ejus nobis sunt conquesti, ad civitatem Tarvennam ex auctoritate nostra omnes convocate, et litteras nostras eis legite quæ vobis dabuntur ex nostra parte. Quod si noluerint venire, vel venientes litteris nostris non obedire, omnem ecclesiæ ingressum, et quod in litteris nostris eis contradicitur contradicite, et insuper quidquid de ecclesia Tarvennensi possident clericali exhibitione. Laicis quoque in litteris nostris nominatis, et quicunque alii præfatis clericis post litteras nostras visas vel notificatas non obedientibus consensum auxiliumque, ut in rapina et sacrilegio perseverent, præbuerint, notificate quod in præscripta positi sint excommunicatione. Mathildem viduam Arnulphi advocati, quæ terram quam maritus suus moriens dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et quam ipse promisit morienti se liberam facere, admonete adhuc ut quod promisit perficiat; sin autem, in præfata damnatione, quandiu non fecerit, maneat. Rengerium, Adam, Bereweldum et cæteros qui subtrahunt decimas novarum terrarum præfatæ ecclesiæ admonete ut reddant et satisfaciant; quod si noluerint, quousque resipiscant, prædictæ damnationi subjaceant. Et hoc etiam addimus ut nullus accipiat de manu omnium prælibatorum oblationem aliquam sive in vita, sive in morte, quousque canonice quod peccaverunt emendent.

Data Romæ, septimo Kalendas Decembris, indictione secunda.

EPISTOLA X.

AD RAVENNATES.

(Anno 1078.)

Monet ut episcopo Ravennati, ob plurima flagitia in Romana synodo deposito, nullam deinceps obedientiam præstent; qui vero ausus fuerit apostolicis præceptis repugnare, anathemate damnetur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus Ravennatibus majoribus et minoribus, qui beatum Petrum, ejusque filium, sanctum videlicet Apollinarem diligunt salutem et apostolicam benedictionem.

Quam fideliter, quamque humiliter beato Petro, nempe apostolorum principi, Ravennas Ecclesia semper adhæserit, quantamque matri suæ, sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ, obedientiam in omnibus exhibuerit, vestra fraternitas optime novit. Ille autem qui nunc Ecclesiæ Ravennatis episcopus esse dicitur, quomodo eam olim tam ditissimam quam etiam religiosissimam, tyrannica deprædatione devastaverit, et irreligiosæ vitæ exemplo corruperit et vos patiendo videndoque sensistis, et nos certo experimento didicimus. Sed quia his malis aliisque quampluribus flagitiis irretitus atque pollutus, ne argui possit atque convinci, superbiæ fastu elatus contra apostolorum principem calcaneum erexit, et in inobedientia quæ sceleri comparatur idololatriæ perseveret, eum sine spe recuperationis, Spiritus sancti judicio, apostolicæ sedis auctoritate, in sancta Romana synodo esse depositum præsentium indiciis indubitanter cognoscite

Quapropter ut nullam ei deinceps quæ episcopo debetur obedientiam exhibeatis omnibus vobis beati Petri apostolorum principis auctoritate præcipimus. Si qui vero excommunicationis contagione vulnerati his salutiferis ausi fuerint repugnare præceptis, eos veluti putrida membra a toto corpore Christi, quod est Ecclesia catholica, anathematis gladio resecamus atque projicimus. Vobis autem Deum diligentibus et beato Petro obedientibus, ex auctoritate ejusdem apostolorum principis, omnium peccatorum remissionem largimur.

Data Romæ, septimo [VI] Kalendas Decembris, indictione secunda.

EPISTOLA XI.

AD CLERICOS SANCTI MARTINI LUCENSIS.

(Anno 1078.)

Arguit eos inobedientiæ. Præcipit ut, secundum privilegium antecessorum pontificum, communem regularemque vitam degant; sin minus, Ecclesiæ præbendam in manu episcopi reddant. Quod si neutrum facere neglexerint, omnium Ecclesiarum introitum eis prohibet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clericis Sancti Martini Lucensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum apud vos essemus, sæpissime vos per nos et per confratres nostros admonuimus uti, secundum privilegium antecessorum nostrorum, sancti videlicet Leonis papæ et Victoris, quod ipsorum tunc canonicorum vestræ Ecclesiæ rogatu ipsi ecclesiæ fecerunt, communem regularemque vitam duceretis; sed vos, quæ vestra sunt quærentes, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 2), nostras admonitiones neglexistis. Cumque tantæ negligentiæ et inobedientiæ quæ scelus idololatriæ a sanctis Patribus dicitur, merito jure vos sententia judicialis ferire deberet, episcopi tamen vestri et quorumdam fratrum vestrorum precibus, apostolica mansuetudo solita pietate, ut filios, usque ad festivitatem Omnium Sanctorum, deinde etiam, interventu ejusdem episcopi, usque ad synodum, clementer vos sustinuit. Ad quam præcepimus ut aliquos mitteretis de vobis qui de vestra nobis obedientia responderent. Quod quia minime factum, ut decuerat, jam nunc æquitatis non possumus differre censuram. Proinde per veram obedientiam moneo ut communem vitam vivatis, sicut sanctus Leo papa Ecclesiæ nostræ instituit, et sicut Romana Ecclesia intelligit, id est ut omnia ecclesiæ bona in communem utilitatem redigantur, et communiter, sicut supra dictum est, expendantur, aut, si id facere recusatis, ecclesiæ præbendam in manu episcopi ad ecclesiæ utilitatem reddatis. Quod si neutrum horum (quod absit) facere recusatis, ex auctoritate Dei omnipotentis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, omnium ecclesiarum introitum vobis usque ad emendationem congruam prohibemus.

Data Romæ, quarto Kalendas Decembris, indictione secunda.

EPISTOLA XII.

AD LANDULPHUM EPISCOPUM PISANUM.

(Anno 1078.)

Pisanæ Ecclesiæ episcopatum cum omni jure ei confirmat, et tam ea quæ antiquitus collata, quam quæ modo a Mathilde, et quæ in futurum ab aliis conferentur, concedit. Vicem suam ei atque successoribus committit in insula Corsica, et pro labore quem primus in ea restituenda ad Romanæ Ecclesiæ dominium suscipiet medietatem, duobus vero ejus successoribus quartam partem omnium redituum largitur, arces tamen sub ditione Romanæ Ecclesiæ reservat, quorum custodes illis, si necessitas exegerit, vult obedire.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Landulpho Pisano suisque successoribus.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum, Deo donante, possumus, subvenire debeamus. Unde, postulante te, frater Landulphe, ut ecclesiam, cui Deo volente præesse dignosceris, ejusque bona ab adversariorum impetu et infestatione nostræ apostolicæ auctoritatis munimine tueremur; inclinati justis precibus tuis concessione præsentis privilegii confirmamus tibi episcopatum prædictæ Pisanæ Ecclesiæ cum omni jure suisque pertinentiis. Et quia Pisana Ecclesia, quæ in præficiendis sibi pastoribus a constitutionibus sanctorum Patrum deviaverat, tandem pro restitutione antiquæ libertatis suæ salubre consilium matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscepit, ita ut te, non aliunde, sed per ostium, quod Christus est, intrantem, gaudeat nobis ordinantibus habere pastorem, indulgemus, concedimus atque firmamus sibi tam ea quæ ab antiquis temporibus juste collata sunt quam ea quæ divina pietate per serenissimam filiam nostram Mathildem, pro remedio animæ matris suæ, in eadem ecclesia sepultæ, concedere dignata est, videlicet locum qui dicitur Schannellum cum castellis et pertinentiis suis, et alia quæ in futurum, Deo auctore, a fidelibus legaliter conferenda sunt. Præterea fidei et religionis tuæ gratum in te fructum exuberare cognoscentes, committimus tibi tuisque successoribus vicem nostram in Corsica insula, si tamen ipsi consensu Romani pontificis et electione Pisani populi ita canonice intraverint, sicut te constat intrasse, ut, secundum quod Deus tibi tradidit, quæ ad Christianam religionem pertinere videntur vigilanti studio episcopos, clericos populumque ejusdem insulæ doceas, atque morum honestate confirmes, juxta propheticum sermonem, *ut evellas et destruas, ædifices et plantes* (*Jer.* I, 10). Quæ nimirum insula, a jure et dominio sanctæ Romanæ Ecclesiæ per quorumdam pravorum hominum invasionem subtracta, ut prudentiæ tuæ studio exclusis invasoribus secundum antiquum morem ad dominium ejusdem Romanæ Ecclesiæ revocetur, concedimus tibi per quem Pisana Ecclesia ad antiquum sui decorem reducta

est, et qui prius in restitutione prædictæ insulæ elaboraturus es, medietatem omnium redditaum, et totius pretii medietatem quæ de placitis acquiretur; duobus vero successoribus tuis quartam partem redditaum et totius pretii quæ de placitis acquiretur, ita tamen ut arces et quæque munita loca per te acquirenda in potestate nostra et successorum nostrorum permaneant, eo tenore ut, si necessitas exegerit, custodes eorumdem locorum tibi successoribusque tuis, salvo jure et honore Romanæ Ecclesiæ, obediant. Dignum quippe est ut, si ad imperium et consensum sanctæ Romanæ Ecclesiæ pastoralem secundum Dominum susceperint dignitatem, habeant ex largitione apostolicæ sedis temporalium rerum sustentationem et decorem. Hoc etiam addendum esse censuimus, ut in agendis placitis nuntius noster semper intersit.

Actum Romæ, secundo Kalendas Decembris, indictione secunda.

EPISTOLA XIII.

AD OLAVUM NORVEGIÆ REGEM.

(Anno 1078.)

Confirmat eum in fide, et, quia propter locorum distantiam et linguæ ignorantiam non potest mittere viros qui eum in lege Domini erudiant, rogat ut juniores et nobiles se regno suo ad apostolicam sedem mittat, qui, divinis legibus edocti, apostolicæ sedis mandata ad eum ferre et prædicare possint; fratribus præterea regis Danorum, divisionem regni cupientibus, nullo pacto opem ferat, sed curet potius ut rex fratres suos cum charitate suscipiat. Ad bona piaque opera illum hortatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, OLAVO Norvecchorum [Norvegorum, MUTIN.] regi salutem et apostolicam benedictionem.

Licet ex universali cura sanctæ et apostolicæ sedis, cui divina miseratione præsidemus, debitores simus omnibus qui Christi fidem colunt, de vobis tamen, qui quasi in extremo orbis terrarum positi estis, tanto nos majoris sollicitudinis ratio necessitasque circumstat quanto vos eorum qui in Christiana religione vos instruant minorem copiam et necessaria minus solatia habere cognoscimus. Quapropter, oblata opportunitate, scripsimus vobis ad confortandam aliquo modo gloriam vestram in fide quæ est in Christo Jesu, qui secundum propositum voluntatis æterni Patris Dei, cooperante Spiritu sancto, pro salute mundi homo factus est, de intemerata Virgine natus, mundum reconcilians Deo per mortem suam, delens peccata nostra per redemptionem quæ est in sanguine ipsius, et devicta morte in semetipso convivificavit ac resuscitavit nos in spem vivam, in hæreditatem immarcessibilem, incontaminatam, incorruptam (*I Petr.* I). In quo, sicut confidimus in misericordia ejus, vobis parata est æterna salus et vita, si tamen in illo spem firmam usque ad finem tenueritis (*Hebr.* III), credentes (sicut dicit apostolus Paulus) *quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II). Propter quod servite ei cum omni timore et humilitate, memores quod Psalmista dicat : *Quoniam*

A *Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI). Sitque semper in ore, sit semper in corde vestro, quod hunc versiculum paucis interpositis sequitur : *Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.* Notum autem vobis esse volumus quoniam desiderium nostrum est, si quo modo possemus ad vos aliquos de fratribus mittere qui fideles et docti essent ad erudiendum vos in omni scientia et doctrina in Christo Jesu ut, secundum evangelicam et apostolicam doctrinam decenter instructi, in nullo vacillantes essetis, sed radicati atque fundati super stabile fundamentum, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III), abundantius atque perfectius in virtute Dei cresceretis et secundum operationem fructum fidei æterna retributione dignum redderetis.
B Quod quia nobis, tum propter longinquitatem terrarum, et maxime propter ignotas linguas valde difficile est, rogamus vos (sicut et regi Danorum denuntiavimus) ut de junioribus et nobilibus terræ vestræ ad apostolicam aulam mittatis, quatenus sub alis apostolorum Petri et Pauli sacris ac divinis legibus diligenter edocti, apostolicæ sedis ad vos mandata referre, non quasi ignoti, sed cogniti, et quæ Christianæ religionis ordo postulaverit apud vos, non quasi rudes aut ignari, sed lingua ac scientia moribusque prudentes digne Deo prædicare et efficaciter, ipso adjuvante, excolere valeant. Relatum quoque nobis est fratres regis Danorum ad vestram se contulisse excellentiam, ut vestris viribus copiisque nitentes, quatenus cum illis regnum
C dividat, fratrem cogere intendant. Quæ quidem res quantum ad regni detrimentum, quantum ad confusionem populi Christiani, quantumque ad destructionem Ecclesiarum, quibus quotidie vicina Paganorum crudelitas inhiat, et totius terræ desolationem attineat, per semetipsam nos Veritas, quæ Christus est, in Evangelio docet, cum dicit : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet* (*Luc.* XI). Unde eminentiam vestram id summopere cavere monemus, ut nullius unquam persuasione in hac parte cuiquam assensum præbeatis vel adjutorium, ne peccatum hoc (quod absit) in vos retorqueatur, neu de dissidio regni illius contra vos et regnum vestrum divina indignatio concitetur.
D Hoc autem vos procurare libenter volumus atque consulimus, ut præfatus rex Danorum fratres suos in regnum cum charitate suscipiat, et ita eis de reliquis bonis et honoribus, ubi potest, distribuat ut nec illos indigna angustet necessitas, nec regni status labefactetur aut dignitas. De cætero semper cogitate de spe vocationis vestræ, et attenti ad ea quæ Dominus in Evangelio dicit : *Quia venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII), nolite tardare, currite, festinate. De ultimis finibus estis; sed, si curritis, si festinatis, primis Patribus in regno sociati eritis. Sit cursus vester fides, amor et desiderium. Sit iter vestrum mundi gloriam assidue meditari esse caducam, et ideo cum amaritudine

potius quam delectatione tenendam. Sit vestræ potentiæ usus et exercitatio subvenire oppressis, defendere viduas, judicare pupillos, justitiam non solum diligere, sed etiam tota virtute defendere. His namque vestigiis, hoc thesauro, his opibus, de terreno ad cœleste regnum, de fluxo et fragili ad certum et perenne gaudium, de caduca et transitoria ad æternam et semper permansuram pervenitur gloriam. Deus autem omnipotens, qui dives et copiosus est in misericordia, meritis et auctoritate apostolorum Petri et Pauli, et nostra per illos nobis, licet indignis, divinitus concessa, absolvat te et omnes fideles tuos ab omnibus peccatis vestris, et dirigat vos in omnem voluntatem suam, ut in hac vita vos promereri faciat quod in æterna beatitudine multipliciter vobis adaucta corona retribuat.

Data Romæ, decimo octavo [XIX] Kalendas Januarii, indictione secunda.

EPISTOLA XIV.

AD WELFONEM DUCEM.

(Anno 1078.)

Nullam contra se murmurationis causam fore ostendit, si diligenter perpendat quæ in synodo statuta sunt. Si fideli corde Deo adhæserit, victoriam eum adepturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WELFONI duci salutem et apostolicam benedictionem.

Si diligenter secundum æquitatem pontificalis officii, secundum propriam voluntatem perpenditis quæ agimus, quæ dicimus de communi negotio, imo maxima perturbatione regni vestri, non contra nos murmurabitis, sed per viam Patrum nostrorum nos incedere, Deo duce, meritis beati Petri apostoli cognoscetis. Perpendite quod sanctus Spiritus per nos, licet indignos, dignatus est in sancta synodo hoc in anno Romæ in Quadragesima celebrata statuere, et cognoscetis quantum valeat, quantum possit auctoritas et potestas beati Petri. Agite itaque omnipotenti Deo et beato Petro semper grates, et non contra nos murmurando, sed beato Petro gratias referendo, meliora sperate. Mihi credite, fratres charissimi, quia qui de falsitate et calliditate, non de justitia et simplicitate confidunt, omnino decident, et hos B. Petri gladius devorando confundet. Quid autem sit actum in quadragesimali synodo, sive in ea quam in mense Novembri fecimus, vestri fideles qui interfuerunt, et nostræ litteræ vobis missæ indicare possunt. Vos autem de justitia confidentes, et de B. Petri adjutorio præsumentes, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus, quia si fideli corde et stabili Deo adhæseritis, cito vobis victoria et pax arridebit. Omnipotens Deus, meritis beatæ Mariæ cœlorum reginæ, per auctoritatem B. Petri apostolorum principis mihi valde indigno commissam, te tuosque omnes socios qui justitiam amatis et beati Petri sedem diligitis, a cunctis peccatis absolvat, et ad vitam æternam perducat.

Data Romæ, tertio Kalendas Januarii, indictione secunda.

EPISTOLA XV.

AD MONACHOS MASSILIENSES.

(Anno 1079.)

Absentiam sui abbatis ut æquo ferant animo hortatur, quem illis cito remissurum affirmat; eorum monasterium, sicut Cluniacense, apostolicæ sedi unire desiderat. Reliqua harum litterarum portitori dicenda relinquit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimis fratribus in monasterio Massiliensi commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Contristavi vos, imo B. Petrus commovit, turbavit, et ipse sanabit. Filius namque illius, abbas vester, venit ad nos, et pro ejus amore factus est obediens usque ad corporis captionem; et quia paratus fuit, si oporteret, mori, et ex hoc habebit retributionem. Sed sicut scitis, fratres mei, rari sunt boni qui etiam Deo in pace serviant, sed rarissimi qui pro illius amore persecutiones non timeant, vel qui se contra inimicos Dei indubitanter opponant. Proinde Christiana religio (heu proh dolor!) pene deperiit, et impiorum superbia nimis accrevit. Prædictus autem pater noster [vester], revera apostolorum principem diligens, in ejus acie nobis adhæsit, et adjutorium, Christo gubernante, nobis impendit, non surda aure intendens quod dicit Apostolus : *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum* (*I Cor.* I). Sed quia charitas, licet ratio vos consoletur, ad dolorem vos impellit, eo quod tantum Patrem tamque vobis ducem quasi longo tempore amiseritis, rogamus vos ex parte omnipotentis Dei et amore beati Petri, patienter supportate nos, quia cito, Deo adjuvante, eum vobis lætum remittemus; et ex hoc, auctoritate beati Petri apostolorum principis, nobis valde indignis commissa, indulgentiam omnium peccatorum vestrorum promittimus et absolutionem cum benedictione concedimus. Confidimus namque, de nimia pietate Altissimi et de ineffabili clementia Reginæ cœlestis, quia beati Petrus et Paulus locum vestrum amplius solito custodient et tuebuntur, qui pro illorum servitio damnum et incommodum habere videtur. Desideramus enim locum B. Pauli et vestrum ita unire, ut sicut jam ex longo tempore Cluniacus apostolicæ sedi specialiter adhæreat, et speciali Ecclesiæ hujus adjutorio et benedictione congaudeat. Moveat vos, fratres charissimi, summa dilectio Christi, ut nos sic ut vos ipsos diligatis, et manum adjutorii in magna tempestate positis porrigatis, illud semper præ oculis habentes : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* 6). Quod autem minus scripsimus, horum portitori dicenda reliquimus. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis et intercessione Dei genitricis et virginis, per auctoritatem beatis Petro et Paulo apostolorum principibus concessam vos respiciat, vosque semper innovet et custodiat, vobisque quod sit novum ca-

ticum indicet, et in sancta jubilatione inflammet, A ut perfecte sciatis humanam fragilitatem deflere, et ineffabilem Dei benignitatem cognoscere, ut in ejus amore semper crescentes ad ejus certam notitiam et mirabilem lætitiam, cœlesti matre ducente, mereamini pervenire.

Data Romæ, IV Nonas [Kal.] Januarii, indictione secunda.

EPISTOLA XVI.

AD BERENGARIUM GERUNDENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1079.)

Amplectitur devotionis ejus affectum erga sedem apostolicam, utque in eo persistat hortatur, et inter Raymundi filios pacem conciliet; quod si minus consequi possit, saltem inducias fieri curet, interim cis denuntians alterum eorum, per quem steterit, ne pax sequatur, excommunicandum fore; alterum B *vero, qui apostolicæ sedi obedierit, ad obtinendam hæreditatem paternam juvandum. Præterea ut Narbonensis episcopi ejus fratris saluti consulat.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri BERENGARIO Gerundensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut per filium nostrum Massiliensem abbatem didicimus, paratum esse te dicis in obedientia et fidelitate B. Petri firmissimo animo et constanti persistere, et secundum præceptum nostrum vitam tuam deinceps moresque componere, cupisque et desideras præ cæteris qui in partibus vestris sunt nobis familiariter adhærere. Sed et nos ad suscipiendum tantæ devotionis affectum sinum paternæ dilectionis extendimus, et modis omnibus pio circa nos amori tuo favemus, ita plane ut tu (sicut promittis) in C amore Petri et sollicitudine ecclesiasticæ religionis et pacis Chistianæ semper excrescas, dignumque te apostolica familiaritate ex obedientia sincerissima reddas. Itaque in primis negotium tibi, de quo multum curamus, injungimus. Comperimus enim quod inter filios Raymundi Berengarii per vanitatem et superbiam, et maxime per consilium impiorum, nimirum ex invidia diaboli, discordia oritur. Et ego inde nimis contristor, tum pro amore patris eorum, qui me satis ex quo cognovit dilexit, tum etiam quia super Christianam gentem, quæ in partibus illis magno impiorum Sarracenorum odio laborare dignoscitur, grave sentio periculum imminere. Unde præcipimus tibi ut adjunctis tecum religiosis D vicinis tuis abbatibus, scilicet Tumeriense, Ripollense, et Sancti Cucufati, et quoscunque alios Deum timentes clericos laicosque poteris invenire, pacem inter illos reformare et componere studeas. Quod si acquiescere monitis vestris fortasse noluerint, ostensis eis præsentibus litteris ad tenendam eos treugam firmissimam usque ad determinatum tempus ex auctoritate nostra constringite infra quod nos tales illuc ex latere nostro nuntios dirigamus, qui causam litis eorum ita juste diffiniant ut non se ad gratiam alicujus nec præmio nec favore deflectent. Porro hoc illis debes firmiter inculcare quia, si nobis inobedientes exstiterint et in fraterno odio remanere, diabolo instigante, maluerint, illi quidem ex cujus culpa vel superbia pax ista remanserit, gratiam sancti Petri auferimus, eumque, sicut membrum diaboli et desolatorem Christianæ religionis, cum omnibus fautoribus suis, festinabimus a communione Christianæ societatis abscindere, ita ut nullam deinceps victoriam in bello, nullam prosperitatem habere possit in sæculo. Alteri vero qui humiliter paci consenserit, debitamque obedientiam apostolicæ sedi exhibuerit, statuemus ex gratia sancti Petri inexpugnabile apostolici favoris auxilium, eumque, sicut filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ condecet, ad obtinendam hæreditatem dignitatemque paternam modis omnibus procurabimus adjuvare, et omnibus Christianis in partibus illis, ut ei faveant eumque ad obtinendum principatum adjuvent, apostolica auctoritate præcipiemus. Quidquid autem de hoc a te inter eos diffinitum fuerit, quantocius nobis litteris intimare, imo si opportunum fuerit, teipsum nobis repræsentare curabis. Præterea de fratre tuo Narbonensi, magis quam hactenus fueris, volo te esse sollicitum; quia ego satis de perditione illius doleo, et miror si tu illum, cui gemina germanitate cohæres, ad salutem non studes reducere, cum scias quia pro sola vel carnali vel spirituali affinitate alicujus, Christianus homo in tanti periculo articuli seipsum debet apponere [*forte* opponere, HARD. *ita et in cod.* MUTIN]. Age ergo et fraterna charitate succensus illum ex nostræ fiducia admonitionis aggredere, commemorans illi et præteritos longævæ ætatis excessus, et propinquum jam sibi divinæ ultionis imminere judicium si forte possis eum ab ipso mortis æternæ limine revocare, et de salute fratris non solum cordis gaudium, verum etiam maximum æternæ retributionis a divina largitate præmium promereri.

Data Romæ, quarto Nonas [Kal.] Januarii, indictione secunda.

EPISTOLA XVII.

AD ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1079.)

GREGORIUS episcopus, servorum Dei, N. (395) venerabili Cluniacensi abbati et charissimo fratri salutem et apostolicam benedictionem.

Si Romani ad vestras partes, sicut vestrates ad nos, sæpe venirent, frequentius tibi litteris seu verbis qualiter circa nos geruntur quæ terrena sunt vel cœlestia indicaremus; sed quia, dum satis intendis aulicos nutrire, de rusticis parum tibi est curæ, ultra hæc debes ad memoriam reducere, quia pauper noster et pius Redemptor sic in cœlo angelos pascebat ut in terris peccatores non solum non despiceret, sed etiam cum eis cibum sumeret. Cur, frater charissime, non perpendis, non consideras in quanto periculo, in quanta miseria sancta versatur Ecclesia? Ubi sunt qui se sponte pro amore Dei opponant

(395) Hugonem haud dubie intelligit.

periculis, resistant impiis, et pro justitia et veritate A non timeant mortem subire? Ecce qui Deum videntur timere vel amare, de bello Christi fugiunt, salutem fratrum postponunt et, seipsos tantum amantes, quietem requirunt. Fugiunt pastores, fugiunt et canes gregum defensores. Invadunt oves Christi, nullo contradicente, lupi, latrones. Tulisti vel recepisti ducem in Cluniacensem quietem, et fecisti ut centum millia Christianorum careant custode. Quod si nostra exhortatio apud te parum valuit, et apostolicæ sedis præceptum in te obedientiam non invenit, cur gemitus pauperum, lacrymæ viduarum, devastatio ecclesiarum, clamor orphanorum, dolor et murmur sacerdotum et monachorum te non terruerunt, ut illud quod Apostolus dicit non postponeres, B videlicet : *Charitas quæ sua sunt non quærit* (*I Cor.* XIII); et illud in corde, ut soles, haberes: *Qui diligit proximum legem implevit* (*Rom.* XIII). Quid tibi dicent [dicunt] B. Benedictus, et Gregorius, quorum alter præcipit ut per annum probetur novitius, alter vero prohibet ut ante triennium miles non efficiatur monachus? Hæc ideo dicimus, quia, quod vix aliquis princeps bonus invenitur, dolemus. Monachi vero, Deo miserante, sacerdotes et milites, et non pauci pauperes, per diversa loca qui Deum timent reperiuntur; principes autem Deum timentes et amantes in toto Occidente vix aliqui inveniuntur. Omittimus jam de hac re tibi scribere, quia confido, de misericordia Dei, charitas Christi quæ in te solet habitare me vindicando cor tuum transfodiet, et C quantus mihi dolor esse debeat de bono principe ablato matri suæ ostendet. Quod si non illo pejor ei successit in regimine, possumus habere consolationem. Præterea monemus fraternitatem tuam, ut in talibus cautius te habeas, omnibusque virtutibus dilectionem Dei et proximi præponas. Hæc etiam te compellant ut manum orationis nobis porrigas, omnesque fratres tibi creditos ad hoc provocare studeas ut merearis de virtute in virtutem proficere et ad perfectionem summæ charitatis pervenire.

Data Romæ, quarto Nonas Januarii, indictione secunda.

EPISTOLA XVIII.

AD EVRARDUM EPISCOPUM PARMENSEM.

(Anno 1079.)

Arguit quod abbatem ad synodum venientem ceperit. Jubet ut eum dimittat. Quamobrem eum ab episcopali officio suspendit, quousque Romam veniat. Si non paruerit, ecclesiæ introitum interdicit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, EVRARDO [EVERARDO] Parmensi episcopo.

Diu est quod te pura et sincera charitate dileximus, sed quod abbatem, ad nos venientem et ad sanctam synodum properantem, cepisti, non æquam vicem dilectioni nostræ reddidisti. Magnum quidem facinus et officio tuo indignum, cujus nescio jussu vel instinctu, contra talem virum præsumpsisti; qui si quid tibi deberet, tamen quia ad nos veniebat, teneri non meruit. Quapropter apostolica auctoritate præcipimus tibi ut, si nondum dimisisti eum, acceptis his litteris continuo cum honore perduci facias ad Mathildem. Interim vero ab episcopali officio, propter hoc quod illum remoratus es, abstineas, usquequo ad nos ipse venias; sin autem, quod non speramus, neque his mandatis nostris, ut dimittas scilicet, obtemperare volueris, ecclesiæ introitum omnino tibi ex parte beati Petri interdicimus.

Data in synodo, decimo sexto Kalendas Martii, indictione secunda.

EPISTOLA XIX

AD HAREMANNUM ULDERICUM, etc.

(Anno 1079.)

In synodo definitum asserit quod, nisi triginta dierum spatio bona Ecclesiæ Bambergensis reddiderint, excommunicationi subjaceant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HAREMANNO, ULDERICO, FREDERICO, MAZELINO [Muzolino *et sic infra*], GOTEBOLDO [Gotebaldo], militibus Bambergensis ecclesiæ.

Intelleximus jamdiu quod vos, scilicet Haremanne et Ulderice, accepistis bona ipsius ecclesiæ pro introitu Bambergensis episcopi He..... (Hermanni) jam depositi, quodque vos, Frederice, Mazeline, Herolde, Wirinto, post illius excommunicationem ab hac sede bona ejusdem Ecclesiæ ab eo similiter accepistis. Intelleximus etiam te, Gotebolde, quando captus tenebatur episcopus, jam memoratæ ecclesiæ bona de manu regis accepisse. Sciatis igitur in eo concilio quod nuper celebravimus ut, nisi inter terminum viginti dierum, postquam hæc legationis nostræ verba ad vestras aures pervenerint, res jam dictæ Ecclesiæ, quas injuste detinetis, aut reddideritis aut de manu episcopi acceperitis, periculo excommunicationis subjaceatis. Si vero resipiscentes ad episcopum veneritis, et sæpe nominata bona restitueritis, liceat episcopo vos excommunicationis vinculo solvere.

Data in synodo, decimo tertio Kalendas Martii, indictione II.

EPISTOLA XX.

AD CENTULLUM COMITEM.

(Anno 1079.)

D *Præclaras virtutes quibus præditus erat denigrare eum asserit, dum consanguineam suam uxorem haberet. Suadet ut a tanto facinore abstineat, episcopos et Ecclesiam veneretur.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, CENTULLO comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus de te per tales quibus fidem habemus ea quæ Christianum principem bonis omnibus debeant commendare, quia sis videlicet amator justitiæ, defensor pauperum, et propagator pacis. Unde te in dilectionem et gratiam sicut filium Ecclesiæ Romanæ suscipimus, et ut in bonis cœptis de die in diem proficere studeas admonemus. Tamen reprehensibile quoddam in te esse cognovimus, quod scilicet consanguineam tuam habes uxorem; inde nimis cavendum tibi, scilicet ne ex occasion

culpæ istius, cætera quæcunque agis bona dispereant. Age ergo, et secundum consilium Amati episcopi Elorensis et Bernardi Massiliensis abbatis, siquidem ad vestras partes poterit pervenire, prædictum reatum emendare, et pœnitentiam inde agere stude, ne pro hoc animam tuam perdas, et nobilem feminam, quæ sub tutela tua est commissa confundas. Ante omnia Ecclesiam Dei venerari semper et honorare atque defendere stude, et episcopis quasi Patribus tuis reverentiam et obedientiam exhibe. Scias pro hoc te et in hoc sæculo majorem gloriam et in futuro vitam promereri perpetuam. Si facultas tibi esset veniendi ad nos, desideraremus te videre ac plenius de animæ tuæ salute instruere.

Data Romæ, quinto Idus Martii, indictione secunda.

EPISTOLA XXI.

AD ARELATENSES.

(Anno 1079.)

Reprehendit eos nulla pene cura moveri suam Ecclesiam pastore esse destitutam. Propterea Wapincensem episcopum mittit, ut aut episcopum eligant, aut promittant se in pastorem suscepturos quemcunque ipse ad eos miserit. Cætera quæ dicenda forent episcopo injunxisse significat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universo clero et populo Arelatensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam sublata pastorali custodia gregi non parva imminere perpendimus, multa pro vobis sollicitudine angimur, multo dolore compungimur quod Ecclesiam vestram tandiu vigilantia pastoris et regimine idonei gubernatoris destitutam esse cognoscimus. Quod in hac re minus quam oportet vos esse sollicitos, imo quasi propriæ salutis oblitos, nulla pene cura vel affectione permotos deprehendimus, majoris nobis tristitiæ causa consistit, quoniam perniciosius fere nihil est quam contra mala urgentia nulla ratione consurgere, et suæ saluti in supremo discrimine aut nescire aut nolle consulere. His itaque curis, ac tantæ desolationis vestræ causa stimulante, misimus ad vos fratrem nostrum, videlicet Leodegarium Wapincensem episcopum, quatenus cum illius consilio aut talem personam secundum Deum eligatis, quam vicarius noster Hugo Diensis episcopus litteris suis nobis commendet, aut si apud vos, quod credimus, tanto regimini digna inveniri persona non potest, in manu fratris nostri Leodegarii, Wapincensis episcopi, firmetis vos illum suscipere in pastorem, quem consecratum et honore pallii insignitum vobis ex parte sancti Petri miserimus. Cogitare enim debetis quoniam secundum electionem gratiæ Dei, de numero ovium Christi estis, et nequaquam secure vivetis, nisi qui ejus vice vobis præsit, et contra incursus callidi insidiatoris assidua circumspectione, auxiliante Deo, vos muniat, habeatis. Agite ergo ne quis vos ad prospiciendum de honore Ecclesiæ vestræ et communi saluti animarum vestrarum impedire valeat, et ne visitatio legationis nostræ frustra ad vos facta esse videatur, per quam vobis charitas nostra repræsentatur et auctoritas, scientes quoniam quidquid ex utroque, Deo auctore, debemus et possumus, ad profectum vestrum vobis exhibere promptam et indefessam voluntatem gerimus. Cætera quæ dicenda sunt fratri nostro Leodegario injunximus, cui legationi, quantum ad hoc pertinet negotium, ita volo ut credatis ac si a nobis viva voce in auribus vestris dicerentur.

Data Romæ, Kal. Martii, ind. II.

EPISTOLA XXII.

AD COMITISSAM MATHILDEM.

(Anno 1079.)

Respondet super conjugio Theodorici ducis et super ejus intromissione de componenda inter se et Henricum regem pace et de duce excommunicato a Metensi episcopo.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Mathildi salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam animi nostri voluntatem super ea re scire cupiens, misisti nobis quod Theodoricus dux optaret sibi conjugio copulare quondam uxorem marchionis Petroni, mandamus tibi : Ille enim non est adeo notus nobis, nec illa nobis ita commissa ut aliquid inde agere velimus. De eodem duce item significasti quod, si placeret nobis, de componenda pace inter nos et Henricum regem se intromitteret. Super hoc itaque respondemus. Legatus regis in præsentia universalis synodi juravit, ex præcepto domini sui, eum nostris mandatis per omnia obtemperaturum. Ea quoque de causa et spe nos jam misisse legatos nostros credo tuam scientiam non latere. Excommunicatum vero, jam sæpe dictum ducem, ab episcopo Metensi quia non ignoras nos sententiæ in illum prolatæ noveris assensum dedisse, et eam firmavisse, nisi infra viginti dies postquam mandata nostra resciverit, jussis nostris obedierit, et nisi civitatem et bona S. Stephani, quæ injuste invasit, libera dimiserit, et Ecclesiæ satisfecerit.

Data Romæ, v Nonas Martii, indictione II.

EPISTOLA XXIII.

AD AURELIANENSES.

(Anno 1079.)

Ecclesiæ eorum ærumnis consulere desiderans, Sanzonem, quem in episcopum optaverant, se libenter suscepisse, ne tamen Rainerio episcopo adhuc superstite, quem illi inutilem esse asserebant, præjudicium faciat, legatos se missurum ait qui rem inspiciant, ut ipse deinde electionem confirmare possit. Interim nullus Ecclesiæ bona distrahat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Aurelianensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Sciatis incunctanter quod de Ecclesiæ vestræ ærumnis et angustiis, quam specialiter diliximus et quæ una ex nobilissimis Galliæ Ecclesiis quondam fuit, et adhuc erit, Deo favente, nos valde dolemus, et quia illi qualiter subvenire debeamus solliciti sumus, et ut ad pristinum decus et gloriam redeat nos impense operam damus. De Sanzone item filio nostro, quem vobis in episcopum optatis, noveritis

quia libenter eum suscepimus et paterno amore tractavimus. Sed quia Rainerius dictus episcopus, et Ecclesiæ vestræ, ut dicitur, inutilis, nondum ex toto constat ab ea separatus, ne videamur alicui præjudicium facere, neu ob alicujus amicitiam forte quis suspicetur nos contra justitiam facere velle, legatos nostros ad vos mittere disposuimus qui, veritate discussa diligenter et probata, de eo possint ex auctoritate nostra, imo beati Petri, prout justitia dictaverit, sententiam dare. Postea vero electionem vestram secundum Deum confirmare, et quibus modis oportere videbitur corroborare secundum canonica instituta curabimus. Interim vero res ejusdem ecclesiæ, tam vobis quam omnibus apud quos ubicunque reperiuntur, ex parte B. Petri monendo præcipimus ut nemo distrahere vel demoliri præsumat videlicet præmia et ornamenta quæ illi pertinere noscuntur. Quod si quis contra hæc nostra præcepta temerarie conari tentaverit, sciat se gratiam B. Petri amissurum, et anathematis gladium, nisi resipuerit, incursurum.

Data Romæ, tertio Nonas Martii, indictione II.

EPISTOLA XXIV.

AD AMATUM EPISCOPUM ELORENSEM.

(Anno 1079.)

Causam inter abbates Sanctæ Crucis et Sancti Severi diligenter ei et Diensi episcopo terminandam committit; decernens interim quod in lite est ex integro abbatiæ Sanctæ Crucis restituendum esse.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Amato Elorensi (*id est* Oleronensi *in eod.* Mutin. Olorensi) episcopo in Vasconia, salutem et apostolicam benedictionem.

Jozelinus, archiepiscopus Burdigalensis confrater noster, veniens ad limina apostolorum, duxit nobis ad memoriam qualiter olim actum sit de discordia monasterii Sanctæ Crucis et Sancti Severi, quidve diffinitionis in Romana Ecclesia susceperit. Nam et litteras olim a nobis super hac re abbati S. Severi transmissas invenimus, et abbatem secundum tenorem earum inobedientem fuisse cognovimus. Unde ne præjudicium sibi aliqua pars fieri suspicetur, censuimus causam illam ante te et confratrum nostrum Hugonem, Diensem episcopum, diligenter esse retractandam, ita ut uterque auditores legitimum, Deum auxiliante, huic negotio finem imponatis. Adjudicavimus etiam ut illud quod in lite est, ex integro abbatiæ Sanctæ Crucis restituatur, quatenus, possessione sibi reddita, canonicum et legale sit quod acturi estis, et in executione judicii nostri irreprehensibiles appareatis. Quod si ille inobediens fuerit, et memoratæ ecclesiæ investituram abbatiæ Sanctæ Crucis non restituerit, illum sicut rebellem a communione corporis et sanguinis Domini merito separate.

Data Romæ, octavo Idus Martii, indictione secunda.

(396) Præpositum et canonicos Insulanos.

EPISTOLA XXV.

AD ARNALDUM ABBATEM SANCTI SEVERI.

(Anno 1079.)

Diensi et Elorensi episcopis commisisse significat, quid agendum foret in controversia inter eum et abbatem Sanctæ Crucis; quare præcipit ut illis pareat.

Gregorius Arnaldo episcopus, servus servorum Dei, abbati Sancti Severi salutem et apostolicam benedictionem.

Post recessionem tuam proxime factam, scias nos litteras quasdam reperisse, in quibus inobedientiam tui liquido deprehendimus. Proinde notum tibi sit nos eam causam, scilicet quæ inter te et abbatem Sanctæ Crucis esse dignoscitur, diligentius discutiendam fratribus et coepiscopis Hugoni Diensi et Amato Elorensi legatis nostris commisisse, et quidquid isti de ea re statuerint judicantes, hoc deinceps vobis esse ratum firmumque tenendum. Attamen interim, ut illam possessionem, scilicet ecclesiam Sanctæ Mariæ de Solaco, de qua lis inter vos orta est, abbatiæ Sanctæ Crucis ex integro restituas, apostolica auctoritate præcipimus, et ut quiete, donec ad judicium veniat, possidere permittas ex parte beati Petri jubendo monemus. Indignum quippe est, et canonicis institutis nimis alienum ducimus causam, quæ ventilanda est ad examen, debere deduci, nisi de rebus in lite positis ille qui vim patitur prius fuerit revestitus. Juxta ergo quod et monuimus et præcepimus, iterum inculcare curavimus ne te ulterius super hac re, sicut hactenus, inobedientem reperire valeamus. Quod si inobedientia tua auribus nostris iterum fuerit delata, scias indubitanter te iram beati Petri et nostram incurrisse, et dignæ animadversionis sententiam in periculum ordinis tui provocasse.

Data Romæ, octavo Idus Martii, indict. secunda.

EPISTOLA XXVI.

AD FULCARDUM (396).

(Anno 1079.)

Mandat ut Lambertum, quem ipsi contra sua mandata male tractaverant, suscipiant eique ablata restituant; nisi paruerint, eos puniturum minatur.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Fulcardo Insulanæ congregationis præposito, cæterisque ejusdem congregationis canonicis tam minoribus quam majoribus, licet aliter meritis [mereatis], salutem et apostolicam benedictionem.

Non modicum offendistis nos super injuria et exspoliatione rerum Lamberti filii nostri a vobis illata, imo in persona sua nobis facta præcipue cum per Ingelrannum nostrum nobis mandaverimus ut ei nullam injuriam inferretis propter obedientiam quam sibi injunximus. Mandamus ergo vobis, et apostolica auctoritate præcipimus, sicut canonicis specialiter munitis privilegiis B. Petri, quatenus

hunc filium nostrum Lambertum fratrem et concanonicum vestrum cum omni benevolentia et dilectione suscipiatis, et sua sibi integre restituatis, remittentes vobis, ipso eodem interveniente, quidquid in eo et nobis deliquistis, eo videlicet tenore ne deinceps contra nostra et sanctorum canonum decreta agere præsumatis. Quod si facere neglexeritis (quod absit), rursumque clamor ad nos seu ad vicarium nostrum venerabilem virum Hugonem Diensem episcopum venerit, et gratiam B. Petri et nostram perdetis, et nos ulterius nullo modo patiemur inultos, sed, sicut dignum fuerit, gladio B. Petri contemptum nostrum vindicabimus.

Data Romæ, secundo Idus Martii, ind. II.

EPISTOLA XXVII.

AD MONACHOS DOLENSIS MONASTERII.

(Anno 1079.)

Præcipit ut, amoto Gualterio, quem in abbatem contra excommunicationem elegerant, quique in concilio depositus fuerat, Viennensem archiepiscopum in abbatem suscipiant. Pro eorum autem inobedientia coram Diensi episcopo compareant, eique obediant; sin minus, excommunicationem in eos latam se confirmaturum ait.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, monachis Dolensis monasterii.

Noveritis Gualterium, quem vobis in abbatem contra excommunicationem apostolicæ sedis constituistis, collaudatione Romani concilii a nobis irrecuperabiliter esse depositum, et, si de administratione abbatiæ vestræ se ulterius, cognitis his litteris, intromiserit, omnino excommunicandum. Quapropter apostolica vobis auctoritate præcipimus ut confratrem nostrum Wormundum Viennensem archiepiscopum, quem vobis in abbatem, Deo annuente, ordinavimus, sine omni contradictione suscipiatis, et ei sicut patri et abbati per omnia toto cordis affectu obediatis : et quia non modicum pro inobedientia vestra incurristis delictum, præcipimus vobis, ut Dominica prima post Pentecosten, scilicet in octavis, coram vicario nostro Hugone Diense episcopo satisfacturi, Valentiæ videlicet urbi vos repræsentetis, et quod ipse vobis præceperit obedienter teneatis. Quod si ipsi spiritu superbiæ his nostris litteris inobedientes fueritis, excommunicationem a præfato vicario nostro super vos factam ab illo die nos confirmasse indubitanter sciatis.

Data Romæ, octavo [XIII] Kalendas Aprilis, indictione secunda.

EPISTOLA XXVIII.

AD (397) NOBILES BITURICENSES.

(Anno 1079.)

Ejusdem argumenti.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULPHO, OPONI, EPPONI, UMBALDO, EVERARDO, BOZONI, GIRALDO, ADELARDO, et cæteris principibus Bituricæ regionis, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierint.

A Miramur temeritatem et insolentiam præsumptionis vestræ quod, contra fas et excommunicationem apostolicam vobis delatam, abbatiam Dolensem, quam in tutelam hactenus habuistis, imo etiam [invasistis imo et] ad cumulum detrimenti tam animarum vestrarum quam corporum, abjecto eo quem manibus propriis, Deo volente, vobis in abbatem consecravimus, Gualterium invasorem irrecuperabiliter deposuimus, et ei res ecclesiæ suisque fautoribus sub excommunicatione interdiximus. Confratri autem nostro Wormundo Viennensi archiepiscopo abbatiam Dolensem concessimus, imo reddidimus. Vos ergo monemus, et apostolica auctoritate præcipimus ut abjecto invasoris prædicti dominio, abbati vestro, jure canonico, Wormundo Viennensi archiepiscopo B sincera mente et puro corde obediatis. Quod si rebelles Deo et beato Petro in his deinceps fueritis, a Dominica prima post Pentecosten, scilicet in octavis, cum Dolensibus monachis, nisi satisfecerint coram vicario nostro Hugone Diensi episcopo Valentiæ, vos excommunicationi subjacebitis. Si autem patri vestro spirituali, confratri nostro Wormundo Viennensi archiepiscopo, obedientiam et auxilium exhibueritis, gratiam Dei et beati Petri percipietis. Te autem, Rodulphe, quia in his plus cæteris tibi a Deo concessa est potestas, rogamus te et præcipimus, ut eum in abbatiam sine simulatione et dolo restituas, et totius iræ sive discordiæ oblitus, ei ut filius charissimus cohæreas, quatenus gratiam Dei et peccatorum tuorum indulgentiam ab ipso cui data est potestas ligandi atque solvendi percipias. C

Data Romæ, decimo tertio Kal. Aprilis, indict. secunda.

EPISTOLA XXIX.

AD LADISLAUM HUNGARORUM REGEM.

(Anno 1079.)

Regis devotionem erga sedem apostolicam laudat. Comites quosdam ac milites ecclesiæ fideles injuste in exsilium relegatos commendat. Ad ecclesiarum defensionem hortatur, legatosque ad se mittere jubet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, LADISLAO Hungarorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut fidelium tuorum crebra relatione cognovimus, idemque ipsum nostris attestantibus ratum D habemus, excellentia tua ad serviendum beato Petro, quemadmodum religiosa potestas debet, et ad obediendum nobis ut liberalem filium decet, toto affectu et cordis intentione parata est. Unde nimirum devotionem mentis tuæ super hoc studio non indigne laudamus eique sincere congratulamur quod quidem optimorum regum sequendo vestigia illustrat, servando tam in moribus normam justitiæ quam etiam lineam nobilitatis in sanguine. Igitur quia de celsitudinis tuæ liberalitate et obedientia satis confidimus, ad quiddam nostræ universali sollicitudini congruens, quod honori quoque tuo

(397) Principes regionis Bituricæ.

non parum concordat, invitare te non dubitamus, quatenus in eo et illa quæ de te verbis solis credita sunt esse vera facti indicio pateant, et nobis sit aperta firmior causa, qua te præ cæteris regiæ dignitatis amplius specialiusque diligere merito debeamus. Itaque comites illos vel..... videlicet D.... et C..... eorumque milites, quos beato Petro fideles justitiæque fautores injusta (ut accepimus) sententia in exsilium expulit, tibi commendatos esse ex parte nostra optamus. Et quia hactenus illis subvenire ex industria propria claritudo tua curavit, sentiant sibi nunc ob fidelitatem beati Petri nostramque commendationem solatii auxiliique munus copiosius accessisse. De cætero prudentiam tuam monemus, ut viam justitiæ semper studeas irreflexo calle tenere, et viduas et orphanos et peregrinos paterna pietate tueri, Ecclesias non modo non lædere, sed etiam ab arrogantium et invasorum petulantia et temeritate defendere, nec non et alia quæ recte intelliges, procures diligenter servare. Illud quoque nihilominus scire te volumus quosdam nomine tuo legatos ad nos olim venisse, quibus item nos istud injunximus, ut dilectioni tuæ suggererent quatenus alios destinare, quo certiores efficeremur, censeret. Verum nobis adhuc in incerto manet an ad te mandata nostra perlata sint, an aliquos postea miseris ; liquet autem neminem a te legatum ad nos post inde venisse. Quare decrevimus ad te iterum idem repetendo scribere, itidemque de comitibus, quod jam postulavimus, iterando inculcare ; quo et nuntios, si nondum misisti, non ulterius mittere negligas, et prænominatis omnibus præsidii manum familiarius proniusque in cunctis porrigere studeas. Omnipotens et misericors Deus, a quo bona cuncta procedunt, per merita et intercessiones beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, et beatorum Petri et Pauli, gressus tuos per viam deducens justitiæ, constanter dirigat usque ad finem, et sic hujus vitæ temporalia regni gubernacula faciat temperare, quatenus æterna promerendo valeas adipisci.

Data Romæ, duodecimo Kal. Aprilis, indictione secunda.

EPISTOLA XXX.

AD LANFRANCUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

(Anno 1079.)

Arguit quod se non visitaverit a tempore assumptionis suæ ; cujus causam cum regem esse noverit, hortatur ut eum moneat, ne quid injustum contra Romanam Ecclesiam præsumat, ipseque ad se quantocius veniat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Lanfranco Cantuariorum archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quod ex illo tempore quo sacerdotale summæ sedis jugum cervici nostræ, licet indigni, suscepimus, venire ad nos non multum curavit fraternitas tua, quanto minus hoc de dilectione tua sperare potuimus, eo amplius stupentes miramur, et nisi apostolica mansuetudo, nec non et amoris pignus antiquum nos hucusque detinuisset, profecto nos hoc graviter A ferre jamdudum tibi constitisset. Verum, sicut certissime compertum habemus adventum tuum vel metus regis, ejus scilicet quem inter cæteros illius dignitatis specialius semper dileximus, vel maxime tua culpa nobis negavit, et te quidem, si vel prisci amoris memoria superesset, vel debita matri Romanæ Ecclesiæ dilectio in mente remaneret, non debuit aliquis aut mundanæ potestatis terror, aut cujusquam personæ superstitiosus amor, a conspectu nostro retrahere. Illum vero si contra apostolicam sedem novus arrogantiæ tumor nunc erigit, sive contra nos ulla libido seu procacitas jactat, tanto gravius feremus, quanto eum dilectione nostra indignum se fecisse constiterit. Quod tamen ne illi accidat, religio tua poterit hoc modo vitare, si ei di- B ligenter aperiendo, et constanter admonendo consilium dederis, ne contra matrem omnium Romanam Ecclesiam quid injustum præsumat, neve quid a religiosa potestate alienum petulanter audeat, et neque tuam neque alicujus devotionem ab apostolicæ sedis visitatione ulterius coercere attentet. Igitur decet fraternitatem tuam negligentiæ suæ excessus sapienter corrigere, atque ad apostolicam sedem quantocius properare, teque ipsum nostris obtutibus, ut optamus, utque sæpe mandavimus, præsentare, quatenus nos de his et de aliis negotiis præsentialiter conferre, atque utilitas Ecclesiæ de nostro colloquio augmentum valeat, Deo favente, percipere.

Data Romæ, octavo Kalend. Aprilis, indictione C secunda.

EPISTOLA XXXI.

AD INCOLAS PROVINCIÆ.

(Anno 1079.)

Præcipit ut bona monasterii Sancti Petri sub excommunicationis pœna restituant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, principibus, clericis, laicisque in Provincia commorantibus, exceptis his qui excommunicationi subjacent, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis omnibus esse putamus, quod monasterium S. Petri, situm in loco qui Mons Major dicitur, sanctæ Romanæ Ecclesiæ speciali quodam jure subjectum est, et apostolicæ sedis privilegiis ex D tempore longo munitum. Unde quia nobis pro suscepti regiminis sollicitudine imminet Ecclesiis omnibus providere, illis præcipue debemus vigilanter prospicere quæ Romanæ apostolicæque sedi quodammodo vicinius hærent, et ejus tutela maxime sperant defendi. Quapropter, quoniam audivimus aliquos vestrum bona memorati monasterii contra jus et honestum sacrilega manu invasisse, distrahere atque diripere, paterno affectu monemus et apostolica auctoritate præcipimus, ut quicunque res illius monasterii vi tenere invasas noscuntur, digna cum satisfactione emendare festinent, ac nemo deinceps contra animæ salutem bona ipsius ecclesiæ violenter attrectare præsumat. Quicunque ergo his salubribus mandatis nostris contraire, et bona eccle-

siæ (sicut dictum est) sacrilego ausu contra interdictum nostrum detinere tentaverit, admonitus semel, atque iterum, et tertio, per convenientes inducias, si emendare contempserit, iram et furorem omnipotentis Dei contra se per excommunicationem apostolicam provocabit. Obedientibus vero apostolica auctoritate, et beati Petri nobis, licet indignis, concessa potestate, peccatorum suorum veniam indulgemus.

Data Romæ, secundo Kal. Aprilis, indictione secunda.

EPISTOLA XXXII.

AD ISEMBERTUM EPISCOPUM PICTAVENSEM.

(Anno 1079.)

Rorgonis bona, ad Hugonem ejus germanum spectantia, ablata sub excommunicationis pœna restitui mandat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ISEMBERTO Pictaviensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras quod bona Rorgonis de Coequo, quæ, mortuo ipso, in potestatem germani, scilicet Hugonis nostri fidelis et filii, jure debent concedere, Hugo Delezini [de Leziniaco; *in cod. Mut.* Delerzini] injuste præsumpsit invadere. Unde quia prænominatum, Hugonem clericum nostrum, et res ipsius in tutelam apostolicæ sedis suscepimus, fraternitati tuæ invitando præcipimus ut super his curam vice nostra gerens, duci Guilielmo hæc eadem significando suggeras, quatenus in hac etiam re quantum beato Petro sit fidelis ostendat. Verum in primis volumus ut dilectio tua studeat memoratum Leziniacensem [Deleziniacensem] ex parte nostra cum jam dicto duce convenire, nec non illum de temeritate sua redarguendo de satisfactione monere. Quod si admonitus semel, iterum ac tertio, per competentes inducias in pertinacia sua duraverit et mandatis nostris inobediens justitiæ parere contempserit, apostolica auctoritate præcipimus ut eum, quousque resipiscens ablata restituat, vinculo anathematis illiges; quod idem postmodum nos firmaturos non dubites.

Data Romæ, Idibus Aprilis, indict. secunda.

EPISTOLA XXXIII.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1079.)

Ut bona, quæ Matisconensis Ecclesia quiete possederat, ab ipso ablata aut restituat aut cambio compenset; sin minus, Diensi episcopo et abbati Sancti Pauli lis inter eos terminanda committitur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Landericus Matisconensis, frater et coepiscopus noster, ad apostolorum limina veniens, conquestus est apud nos Ecclesiæ suæ jura a te sibi auferri, quæ de prædecessorum suorum temporibus, etiam Simoniacorum, quiete visa est possidere. Nos ergo dignum esse et competens adjudicavimus ut quæ bona temporibus irreligiosorum ecclesia sine molestia tenuit, eisdem sub pastore religioso, in Romana Ecclesia ordinato, privari absque ratione non debeat. Quapropter dilectionem tuam monemus ut res illas, super quibus prædicta Matisconensis Ecclesia queritur, si usque ad supra memorati fratris nostri tempus possedit, deinceps quoque aut quiete retinere permittas, aut concambium competens reddere studeas. Quod si inter vos hanc causam non potestis ipsi componere, volumus fratrem nostrum Diensem episcopum et Sancti Pauli abbatem negotio huic interesse, quatenus eorum adhibita diligentia finem lis invenire rectum et congruum valeat, ac ulterius inter vos dissensio nulla remaneat. Sine concordia namque neque religiositatem dicimus (*forte* ducimus. HARD.] quidquam valere, neque aliud opus, etsi bonum videatur, aliquid esse.

Data Romæ, decimo octavo Kal. Maii, indict. secunda.

EPISTOLA XXXIV.

AD GEBUINUM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

(Anno 1079.)

Confirmat primatus dignitatem Lugdunensi Ecclesiæ super quatuor provincias concessam, dummodo Simoniace archiepiscopus electus non fuerit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GEBUINO [GEBUERIO] Lugdunensi archiepiscopo.

Antiqua sanctorum Patrum, quibus licet indigni et longe meritis impares, in administratione hujus sedis succedimus, vestigia, in quantum divina dignatio permittit, imitari desiderantes, jus, quod unicuique Ecclesiarum pro merito et dignitate sui ipsi contulerunt, nos ex eorum successibus consideratione decet illæsum et immutabile conservare, et munimine decretorum nostrorum ad perpetuam stabilitatem corroborare. Quapropter, quia, dilectissime in Christo frater Gebuine, postulasti a nobis quatenus dignitatem ab antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo auctore præesse dignosceris, confirmaremus, et quæque sua ab infestatione hostili apostolicæ sedis defensione tueremur, inclinati precibus tuis confirmamus primatum super quatuor provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, et per eam tibi tuisque successoribus, his tantum qui nullo interveniente munere electi vel promoti fuerint, videlicet, a manu, ab obsequio et a lingua. A manu, ut nullum pretium prorsus a se vel ab aliquo tribuatur; ab obsequio, ut nihil inde servitii faciat, sicut quidam intentione ecclesiæ prælationis potentibus personis solent deferre; a lingua, ut neque per se neque per submissam personam preces effundat. Sed neque his qui per sæcularem potestatem ad hanc dignitatem pervenerint, videlicet dono vel confirmatione alicujus personæ quæ sanctæ religioni videatur obviare, et contra puram et authenticam sanctorum Patrum auctoritatem venire. Sed his nimirum hanc dignitatem concedendam esse sancimus, qui pura et sincera electione tibi successerint, et ita per ostium intraverint, sicut fraternitatem tuam cognovimus intrasse. His vero qui aliter intraverint, videlicet qui

juxta Dominicam sententiam non per ostium, sed aliunde ut fures et latrones ascenderint, non solum primatum hujus dignitatis non concedimus, verum etiam omni honore ecclesiastici regiminis indignos et alienos fore adjudicamus. Provincias autem illas quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, et Senonensem, ut hæ videlicet provinciæ condignam obedientiam Lugdunensi Ecclesiæ exhibeant, et honorem quem Romani pontifices reddendum esse scriptis propriis præfixerunt, humiliter et devote persolvant, salva in omnibus apostolicæ sedis reverentia et auctoritate. Præterea, juxta tenorem postulationis tuæ, ecclesiæ tuæ hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum, *et reliqua usque in finem, sicut in privilegio constat quod est in capite hujus libelli.*

Data Romæ, duodecimo Kalendas Maias, indictione secunda.

EPISTOLA XXXV.

AD ROTHOMAGENSEM, TURONENSEM, ET SENONENSEM, ARCHIEPISCOPOS.

(Anno 1079.)

Ut archiepiscopo Lugdunensi super eos ex antiqua Patrum auctoritate prima a se confirmato obedientiam præstent. Rationem et originem diversorum in Ecclesia graduum declarat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis Rothomagensi, Turonensis [Tutonensi, Bituricensi], et Senonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut novit fraternitas vestra, sedes apostolica, cui licet indigni, Deo auctore, præsidemus, divina gratia inspirante, Spiritu sancto edocta, per diversas provincias et regna præsules archiepiscopos et primates ordinavit; cujus constitutione et auctoritate Lugdunensis Ecclesia primatum super quatuor provincias, videlicet Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem et Senonensem, per annorum longa curricula obtinuisse cognoscitur. Sanctorum igitur Patrum nos, inquantum Deo favente valemus, exempla sequi cupientes, Ecclesiæ memoratæ primatum, quem ipsi decretis suis, constituerunt atque sanxerunt, eorum freti potestate subinde confirmare studemus. Ad hoc enim divinæ dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate connexio, et recte officiorum gigneretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? Hinc etenim pax et charitas mutua se vice complectuntur, et manet firma concordia in altera Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus. Provinciæ autem multo ante Christi adventum tempore, divisæ sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis et beato Clemente prædecessore nostro [ipsa divisio est renovata, et in capite provinciarum, ubi dudum primates legis erant sæculi, ac prima judiciaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel injusititis suis, ipsosque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat. Ipsis quoque civitatibus, vel locis celebrioribus, patriarchas vel primates qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ et ecclesiasticæ poni et esse jusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, ut ipsi nomine primatum fruerentur, et non alii. Reliquæ vero metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, licet majorum comitum essent, haberent tamen metropolitanos suos, qui prædictis juste obedirent primatibus, sicut et in legibus sæculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ metropoles civitates suas provincias habeant, et suos metropolitanos habere debeant episcopos, sicut prius metropolitanos judices habeant sæculares, primates tamen, ut præfixum est, tunc et nunc habere jussæ sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem quibus necesse, eleventur et juste restituantur, et hi qui injuste opprimuntur juste reformentur, atque fulciantur, episcoporumque causæ et summorum negotiorum judicia, salva apostolicæ sedis auctoritate, justissime terminentur. Quapropter apostolica vobis auctoritate præcipimus ut sæpe dictæ Lugdunensi Ecclesiæ honorem et reverentiam a majoribus nostris de Ecclesiis vestris præfixam ita vos exhibere humiliter et devote procuretis, quemadmodum vobis a suffraganeis vestris reddi debere non dubitatis. Omnipotens et misericors Deus pacis justitiæque, serenus inspector cordi vestro clementer inspirare dignetur, ut per viam æquitatis concordiæque firmos gradus mihi in hoc sæculo tendere taliter studeatis quatenus pro temporalibus æterna sumpturi, ad cœlestis Jerusalem fines mereamini pervenire.

Data Romæ, duodecimo [XII Kal.] Maii, indictione secunda.

EPISTOLA XXXVI.

AD CANONICOS LUGDUNENSES.

(Anno 1079.)

Præcipit, ut sicut eorum decanus beneficia sine con-

sensu fratrum acquisita renuntiaverat in suis manibus, sic hi qui vel contra excommunicationem, vel pretio beneficia obtinuerant in manibus sui archiepiscopi renuntient.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, canonicis Lugdunensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quidam vestrum, ad nos cum archiepiscopo suo venientes, postquam de Ecclesiæ vestræ statu et utilitate nos consuluerunt, sine apostolica benedictione recesserunt. Quod quidem licet merito indigne tulerimus, tamen apostolica mansuetudine dissimulamus, et dum cupimus saluti vestræ consulere, illorum excessus omittimus insequi. De filio vero nostro vestræque decano Ecclesiæ B..... notificamus dilectioni vestræ quod prudenti ac salubri consilio ductus obedientias ecclesiæ, cæteraque beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisierat, in manus nostras sponte renuntiavit et se ulterius non intromissurum promisit. Ad cujus formam tam his qui furtim se subduxerunt quam etiam abbatibus, vel cujuscunque clericalis ordinis omnibus Ecclesiæ vestræ; quicunque obedientias, vel Ecclesiæ dispensationes pretii pactione, vel contra excommunicationem Landerici Matisconensis episcopi, quam in capitulo vestro fecit, adepti sunt, apostolica auctoritate præcipimus, ut in manus fratris nostri Gebuini archiepiscopi vestri refutare sine dilatione procurent. Volumus siquidem ut nobilitatem, qua inter omnes Gallicanas Ecclesias vestra hucusque resplenduit in religionis exemplo, nunc quoque vigilanter custodiat, et ut gloriam quam hactenus præ cæteris illis habuit in dignitate, nunc augere incipiat in forma religionis. Noverit autem dilectio vestra quoniam, si nostris salubribus jussis obtemperantes hactenus male habita censueritis juste dimittere, ita vobis providebimus in utroque ut et temporalibus commodis non destituamini, et erroris veniam de divina misericordia consequi valeatis. Quod si quis contra salutem propriam animo indurato, postquam ad notitiam ejus hæc nostra præcepta pervenerint, ultra viginti dies eis inobediens fuerit, illi omnium ecclesiarum ingressum, et corporis et sanguinis Domini communionem, quousque resipiscat, apostolica interdicimus auctoritate.

Data Romæ, duodecimo Kalendas Maii, indictione secunda.

EPISTOLA XXXVII.

AD JORDANUM PRINCIPEM CAPUANUM.

(Anno 1079.)

Arguit quod beato Petro fidem non servaverit, novercam suam nubere coegerit, episcopum ad apostolorum limina venientem spoliaverit et ecclesiam Sancti Benedicti deprædatus sit. Monet ut his delictis satisfaciat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Jordano (398) Capuano principi.

Sicut nonnulli noverunt, olim te nosa dmodum dileximus, et honorem tuum tam in præsenti sæculo adaugere quam in futuro servare studuimus hactenus. Existimavimus enim te, ut nobilem deceret filium, fidem beato Petro servaturum, et decus ipsius in cunctis pro viribus tuis adaucturum. Verum longe nos fefellit opinio, et qui de te nihil tale pridem quivimus credere, nunc advertimus de hac perfidia tua multos non fuisse mentitos. Ecce enim dudum novercam tuam et dominam contra jus et fas de ecclesia trahere invitam et reclamantem, eamque nubere nolentem nuptiis tradere violentissime præsumpsisti. Episcopum ad apostolorum limina venientem nuper ausus es impedire, et quod ferebat, more prædonum, auferre. Novissime ecclesiam Beati Benedicti sacrilego ausu intrare, deprædari, et violare non timuisti, et qui bona ecclesiarum, quoniam fere cuncta quæ tenes earum sunt, defendere debueras, tu potissime temerator ipsarum et dilaniator existis. Quapropter, ex parte beati Petri monemus te, ut si ipsius iram, et beati Benedicti indignationem non vis incurrere, super his omnibus nobis justitiam facias. Quod si contempseris, ad Dominum omnipotentem nos reclamabimus; de cujus misericordia confidimus quod dabit nobis consilium quid in tantam arrogantiam et immoderatam superbiam tuam facere debeamus.

Romæ, undecimo Kalendas Maii, indictione secunda.

EPISTOLA XXXVIII.

AD HENRICUM EPISCOPUM AQUILEIENSEM.

(Anno 1079.)

Usum pallii, præter alias solemnitates in privilegio contentas, in duabus aliis festivitatibus, ipsi tantum, non successoribus, concedit pro meritis ejus.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Henrico charissimo in Christo fratri et coepiscopo Aquileiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Tuæ dilectio fraternitatis per legatum suum humiliter exoravit quatenus sibi, præter eas solennitates quæ in privilegio Ecclesiæ vestræ continentur, in beati Udalrici confessoris Christi atque pontificis, sed et in beatæ Afræ martyris festivitatibus usum pallii concederemus; cujus ecclesiastici honoris excellentia, sicut pravis et inobedientibus juste denegatur, ita bonis et morum honestate præditis apostolica moderatione pro meritis quandoque supererogranda fore videtur. Proinde quia te sinceræ dilectionis erga nos affectum habere confidimus, quia legatos nostros, Albanensem videlicet episcopum et Paduensem, benigne tractasse, et fideliter, sicut oportuit, adjuvisse dignosceris, postremo quia pro componenda pace multum desudasse probaris, petitionem tuam libenter accepimus. Hujus igitur tibi præcepti auctoritate concedimus ut in solemni beati Udalrici confessoris atque pontificis, et beatæ Afræ martyris missarum celebritate pallio utendi licen-

(398) Jordani meminit Leo Ostiensis, libro III, capite 46, et alibi.

tiam habeas. Quod tamen tibi in tua vita, non loco tuo, concessum esse cognoscas.

Data Romæ, decimo sexto Kalendas Julii, indictione secunda.

EPISTOLA XXXIX.

AD RAINALDUM EPISCOPUM CUMANUM.

(Anno 1079.)

De Pergamensis Ecclesiæ electo multa ad se crimina perlata refert, quæ omnia ipso adhortante emendare vult; sin minus illum apostolica auctoritate ab eo diligenter de objectis examinari, absolvi vel condemnari. De his qui a Simoniacis nescienter et sine venalitate ordinati sunt quid sentiendum statuit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Rainaldo Cumano episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua nobis, frater charissime, missis litteris curavit intimare dilectio Arnulphum Pergamensis Ecclesiæ electum nostro libenter et consilio credere et præcepto obedire. Nos equidem vestræ charitatis, sicut nostis, experientiæ indubitanter credimus. Verumtamen multa de prædicto viro ad nostram ex quorumdam relatione pervenere notitiam, quæ si vera, quod absit, esse constiterit, nos valde contristant, et in eo non levi sunt ultione plectenda. Conqueritur enim Gorzo miles ejus et signifer cum duobus fratribus atque cohæredibus suis, castellum quod dicitur Rocha de Glizione, quod hactenus utpote proprii juris sine omni contradictione tenuerunt atque possederunt, nunc tam sibi quam consortibus suis a supradicto Arnulpho violenter, et, quod dictu nefas est, fraudulenter esse subreptum; cui tamen militi prius cujusdam quasi securitatis et fœderis, tanquam ad tollendum suspicionis metum, quædam fertur callide sacramenta præbuisse, et, postposito Dei timore, cupiditatis perfidiam incurrisse. Nec tali contentus facinore B..... presbyterum præfati Gorzi [Gorzonis] clericum de prædari, et suis, ut asserit, omnibus spoliare non metuit. Præterea pestiferas Simoniacæ hæresis nundinas exercere, et inter cætera archidiaconatum Pergamensis Ecclesiæ quinquaginta librarum pretio vendidisse perhibetur. Huc accedit quod servos Dei, quos ut religiosum virum decet tueri, et in cunctis adjuvare deberet, econtrario infestare et molestare conatur. Tuæ igitur fraternitatis sollicitudo corripiendo sive exhortando studeat atque provideat quatenus sæpedictus electus hæc omnia emendare festinet, et tam coram Deo quam coram hominibus, bonum testimonium habere procuret. Si vero vel omnia hæc, vel quædam fortasse negare voluerit, volumus atque præcipimus ut apto tempore et loco nostræ vicis auctoritate cum de objectis diligenti examinatione discutias, et remota omni occasione, quod justitia dictaverit modis omnibus exsequaris. Quod autem M..... presbyter filius noster interrogare curavit, quid de his qui a Simoniacis nescientes et sine pretio ordinati sunt apostolicæ sedis misericors censura decernat, hoc observare te volumus, eos qui ante tempus Nicolai papæ sine venalitate a Simoniacis ad aliquem gradum promoti sunt, si tamen vita eorum irreprehensibilis esse probatur, per manus impositionem confirmatos in suis ordinibus permanere et ministrare posse.

Data Romæ, undecimo Kalendas Julii, indictione secunda.

EPISTOLA XL.

AD BOSONEM.

(Anno 1079.)

Ut ecclesiam Sancti Sepulcri, quam Simoni regendam committit, liberam dimittat. Quod si quid juris in ea se putet habere, se coram legato in concilio rationem dicturus præsentet; alioquin, sententiam excommunicationis a legato in eum latam se confirmaturum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Bosoni [Brizoni].

Ecclesiam Sancti Sepulcri de Novo Vico, quæ juris ecclesiæ Hierosolymitanæ et censualis ejus esse dicitur, huic nostro clerico Simoni regendam commendavimus; quam ab omni molestia et calumniosa omnium hominum infestatione liberam esse volentes, sub tutela nostra esse decernimus. Quapropter quoniam te illam tyrannice invasisse audivimus, te præsenti pagina commonemus, ut, si Deum et sanctos apostolos tibi vis habere propitios, ab invasione prædictæ ecclesiæ de cætero cessare penitus debeas, nullamque ulterius præfato Simoni molestiam, vel clericis ibi Deo servientibus inferre præsumas; sed (ut dictum est) libera ab omni perturbatione secura sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, cui fidelium illam devovit intentio, Deo propitio, ex nostra auctoritate in perpetuum conservetur. Quod si aliquid justitiæ in supradicta ecclesia te habere confidis, ante legatum nostrum Diensem episcopum in consilio, quod proxime celebraturus est, te præsentare debebis, sciens hoc quod in nullo contra justitiam te volumus prægravare. Si autem monita nostra, imo Dei verba (quod absit!) audire contemnens, ab illicita et interdicta invasione supradictæ ecclesiæ te cohibere nolueris, excommunicationem, quam in te pro ipsa ecclesia legatus noster Hugo Diensis episcopus in consilio Pictavensi jaculatus est, auctoritate apostolica confirmamus.

Data Lateranis, quarto Kalendas Junii, indictione secunda.

LIBER SEPTIMUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo nono, pontificatus vero domini Gregorii anno septimo, indictione secunda (399).

EPISTOLA PRIMA.

AD HUBERTUM SUBDIACONUM.

Increpans ejus moram, reditum properare jubet. Significat se Zeuzoni (Teuzoni) non commisisse ut adversus Angliæ regem verba faceret. Vult regem moneat, ut debitum honorem Ecclesiæ reddat. Rothomagensis archiepiscopi sacerdotis filii promotionem non approbat, nec quæ ipse Hubertus cum Lingonensi episcopo egerat; quæ Diensi episcopo terminanda committit. Monet ut duos ex Angliæ et Normanniæ provinciis episcopos ad synodum venire curet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio HUBERTO sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiacono salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur nimium, et nobis admodum displicere cognoveris, te tantas moras hactenus habuisse, et ad apostolicam sedem tandiu distulisse reverti. B Neque vero alicujus rei excusatio te satis reddere potesto purgatum, except si vel causa infirmitatis, vel quod non patuerit aditus redeundi, dimiseris. Nam pecunias sine honore tributas quanti pretii habeam, tu ipse optime potuisti dudum perpendere. Quapropter sciens quia propter multa volumus tuam præsentiam, reditum tuum quantum potes maturare procura. Significasti autem nobis Zeuzonem [Teuzonem *sic et in eod. Mut.*] quasi ex parte nostra legatum adversus Anglicum regem verba fecisse; quæ noveris ex nobis mandata non esse. Verum multa sunt unde sancta Romana Ecclesia adversus eum queri potest. Nemo enim omnium regum etiam paganorum contra apostolicam sedem hoc præsumpsit C tentare quod is non erubuit facere, scilicet ut episcopos, archiepiscopos, ab apostolorum liminibus ullus tam irreverentis et impudentis animi prohiberet. Unde volumus ut eum nostra vice prudentia tua studeat admonere, quatenus honorem, quem sibi a subditis suis graviter ferret non exhiberi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tantopere laboret imminuere, et debitas gratias agendo gratiam B. Petri procuret acquirere. Nos enim amicitiæ nostræ pristinæ circa eum memores, et apostolicam mansuetudinem, quantum Deo auctore possumus, imitantes, hucusque illius culpæ pepercimus; qui si his, et similibus quæ tibi nota sunt, modum non imposuerit, omnino sciat se iram beati Petri in se graviter provocaturum. Audivimus etiam Rothoma- D gensem archiepiscopum sacerdotis filium esse. Quod si verum deprehenditur, noveris promotioni illius nos assensum nequaquam tribuere. De eo autem quod in Flandria cum Lingonensi episcopo non ex monitis nostris intelleximus te fecisse, scias et contra rationem et injuste fuisse præsumptum, cum nos in partibus illis Diensi episcopo præcipue sollicitudinis nostræ vicem de omnibus commiserimus. Quamob- A rem monemus ut ipsum quantocius procures adire et cum eo rationem facti ponere, quatenus in ea re ipse quod corrigendum fuerit corrigat, et quod confirmandum corroboret. Præterea monemus te, ut ex parte beati Petri præcipias, et invites tam Anglicos quam Normannicos, ex unoquoque archiepiscopatu, vel duos episcopos ad Romanam synodum, quam in Quadragesima, Deo auctore, sumus celebraturi, venire. Qui si forte murmuraverint, et ad eum terminum se dixerint interesse non posse, vel post Pascha studeant apostolicæ sedi se præsentare.

Data Romæ, nono kalendas Octobris, indictione tertia.

EPISTOLA II.

AD LUCENSES.

(Anno 1079.)

Contra clericos infestos suis episcopis confirmat decreta summorum pontificum, ab ordinibus ac præbendis eos in perpetuum submovens, et monens clerum ac populum ne illis communicent neve auxilium præbeant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Lucensi clero et populo, exceptis his qui communicant atque consentiunt excommunicatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Clericorum vestræ ecclesiæ diligenter causam examinantes, diuque in ea laborantes, nullam in eis rationem atque veritatem, sicut decet Christianos, invenimus. Quorum mirabilem et inauditam superbiam, licet sine audientia secundum synodalem sententiam quam in se provocaverant punire debuerimus, mansuetudinis tamen spiritu res eorum audiendas esse dignum duximus, ut saltem confusos et convictos ad sanum consilium sensumque humilitatis revocaremus. Nam si in eis aliquod humilitatis signum mens nostra perpendisset, sine aliqua a nobis misericordia non recessissent. Quibus in superbia sua perdurantibus, auctoritas beatorum martyrum atque pontificum Fabiani et Stephani coram nobis allata est; quam nos per omnia huic negotio convenire cernentes, eos ut rebelles et inobedientes ejusdem auctoritatis sententia damnavimus quam litteris nostris inserandam esse existimavimus, ut quantis sint facinoribus irretiti, quantisve contumeliis digni, liquido pateat. *Fabianus* : Statuimus ut si aliquis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator fuerit, eo quod criminari tentaverit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum judicium submotus a clero curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat, et infamis absque ulla restitutionis spe permaneat. *Stephanus papa* : Clericus qui episcopum suum accusaverit, aut ei insidiator exstiterit, non est recipiendus, quia

(399) Ad tertiam pertinent quæ sequuntur.

infamis effectus est, et a gradu debet recedere, ac curiæ tradi serviendus. Hanc itaque in eos promulgantes sententiam, existimavimus ut saltem terrore tantæ auctoritatis ad humilitatem converterentur. Sed ipsi dati in reprobum sensum, et demersi in diabolicæ cæcitatis puteum, a communione sanctæ ecclesiæ separati et excommunicati recesserunt. Unde nos prædictorum sanctorum statuta firmantes, ex auctoritate beati Petri eos ab ordinibus et præbendis ecclesiæ sancti Martini in perpetuum submovemus, et decernimus, ita ut nullum deinceps inter canonicos ejusdem ecclesiæ locum teneant, aut præbendarum aliquod solatium seu spem in posterum habeant. Vos itaque, dilectissimi filii, admonemus, imo apostolica auctoritate interdicimus, ut scelerosis contumaciæ actibus eorum non communicetis, neque consilium aut auxilium contra Dominum impendatis, sed ut ipsi illæsi et immunes a damnatione eorum permaneatis illique ad pœnitentiam confundantur, infra ambitum civitatis vestræ eos cohabitare non permittatis; et ut tota provincia eorum præsentia et contagione mundetur, operam detis. Quod nisi feceritis, et eos magis quam justitiam et salutem animarum vestrarum dilexeritis, totius excommunicationis eorum in vos periculum inducetis, et iram Dei in præsenti et in futura vita sine dubio sentietis, eos vero qui illis, ne in superbia sua permaneant et confundantur, restiterint, gratia beati Petri remunerandos censemus et promittimus.

Data Romæ, Kalendis Octobris, indictione tertia.

EPISTOLA III.

AD GERMANOS.

(Anno 1079.)

Excusat se de quibusdam sibi objectis, in legatos culpam rejiciens, si quid contra apostolica mandata aut vi aut dolo egerint, eosque ad perseverantiam hortatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sancti Petri in Teutonico regno commorantibus salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos quod quidam ex vobis de me dubitant, tanquam in instanti modo necessitate usus sim sæculari levitate. Qua certe in causa nullus vestrum præter instantiam præliorum majores me et patitur angustias et suffert injurias. Quotquot enim Latini sunt, omnes causam Henrici præter admodum paucos laudant ac defendunt, et pernimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt. Quibus Dei gratia omnibus sic restitimus hactenus, ut in neutram adhuc partem, nisi secundum justitiam et æquitatem, secundum nostrum intellectum declinaremus. Nam si legati nostri aliquid contra quod illis imposuimus egerunt, dolemus : quod ipsi tamen (sicut comperimus) tum violenter coacti, tum dolo decepti fecerunt. Nos vero injunximus eis ut locum ac terminum communiter statuerent opportunum, ad quem sapientes nostros et idoneos legatos pro-

A pter discutiendam causam vestram dirigeremus, atque ut in sedes suas episcopos restituerent, et abstinere ab excommunicatis docerent. Si quid contra hæc vel decepti vel coacti fecerunt, non laudo. Sciatis indubitanter quoniam, Deo gubernante, nemo hominum, sive amore, sive timore, aut per aliquam cupiditatem potuit me unquam, aut amodo poterit seducere a recta semita justitiæ. Vos itaque si revera et in charitate non ficta fideles Dei atque sancti Petri estis, nolite in tribulationibus deficere, verum ut boni æmulatores in incepta fidelitate immobiles perdurate : quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Impræsentiarum modo nihil vobis aliud de prædicto negotio mandare possumus, quia nuntii nostri nondum sunt reversi; B quibus utique venientibus (secundum quod ab ipsis intellexerimus) vobis, quantocius possumus, veraciter indicabimus.

Data Romæ, Kalendis Octobris, indictione tertia.

EPISTOLA IV.

AD WEZELINUM.

(Anno 1079.)

Ut regem Dalmatiæ apostolica auctoritate constitutum infestare desistat. Monet si quid adversus eum habeat, ab apostolica sede judicium expetat, alioquin excommunicationis sententiam cum omnibus suis fautoribus incursurus.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WEZELINO nobili militi salutem et apostolicam benedictionem.

C Scias nos de prudentia tua multum mirari, ut qui esse dudum beato Petro et nobis fidelem promiseris, contra eum quem in Dalmatia regem auctoritas apostolica constituit tu modo coneris insurgere. Quapropter nobilitatem tuam monemus, et ex parte beati Petri præcipimus, ut adversum jam dictum regem deinceps arma capere non præsumas : sciens quod quidquid in illum ausus fueris, procul dubio te in apostolicam sedem facturum. Si vero adversus ipsum aliquid te forte dicis habere, a nobis judicium debes expetere, et exspectare justitiam potius quam contra eum ad injuriam sedis apostolicæ manus tuas armare. Quod si te tuæ temeritatis non pœnituerit, sed contra mandatum nostrum contumaciter ire tentaveris, scias indubitanter quia gladium beati D Petri in audaciam tuam evaginabimus, et eodem pertinaciam tuam et omnium qui tibi in ea re faverint, nisi resipiscas, mulctabimus. Si vero obediens, sicut Christianum decet, prudenter exstiteris, gratiam beati Petri, et apostolicæ sedis benedictionem, sicut obtemperans filius, consequeris.

Data Romæ, quarto Nonas Octobris, indictione tertia.

EPISTOLA V.

AD ACONUM REGEM DANORUM.

(Anno 1079.)

Gratulatur ei fidem et Christianæ religionis cultum, et quod sanctam Romanam Ecclesiam matrem agnoscens ejus documenta sibi exposcat. Hortatur ad majorem in dies profectum, ut suo exemplo subditos ad saniora consilia provocet. Cupit aliquem

prudentem clericum ab eo ad se mitti, qui et illius gentis mores sibi exponat, et rediens apostolicæ sedis mandata ad eum perferat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Acono [Canuto] regi Danorum salutem et apostolicam benedictionem.

Sincero charitatis affectu dilectioni tuæ congratulamur, quia, licet in ultimis terrarum finibus positus, ea tamen quæ ad Christianæ religionis cultum pertinere noscuntur, vigilanter studes inquirere, et quod sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam et universorum recognoscens, ipsius documenta tibi exoptas et exposcis. Volumus etiam atque monemus, [*f.* ut, Hard.] in his studiis et desideriis devotio tua persistens, et quantum pietas divina præstiterit crescens, nullatenus a proposito recto deficiat, sed ad meliora quotidie, sicut prudentem virum et regiam decet constantiam, roboretur. Animadvertere siquidem debet excellentia tua quod quanto pluribus supereminet ac dominatur, tanto magis sibi subditos potest exemplo suo aut ad deterius (quod absit) inflectere, aut ad sanum consilium ignavos etiam provocare. Intueri quoque prudentiam tuam necesse est temporalis vitæ gaudia quam sint caduca, quam fugitiva, quæ, etsi vita diu crederetur mansura tamen sæpe multis adversis ex improviso surgentibus secura stare non possunt. Unde summopere curare oportet ut ad illa quæ transire nesciunt, et habentem deserere nequeunt, gressus tuos constanter dirigas, et affectum mentis intendas. Cuperemus nimium certe de vestris aliquem prudentem clericum ad nos venire, qui et vestræ gentis mores seu continentias sciret nobis pleniter intimare, et apostolicæ sedis documenta sive mandata plenius eruditus ad vos posset perferre.

Data Romæ Idibus Octobris.

EPISTOLA VI.

AD ALPHONSUM REGEM CASTELLÆ.

(Anno 1079.)

Gratulatur de ejus fide et obedientia erga apostolicam sedem. Hortatur ad perseverantiam boni operis. Mittit claviculam auream, in qua de catenis beati Petri continetur, et legatum suum ei commendat plura suo nomine relaturum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Alphonso [*deest* Alphonso], glorioso regi Hispaniarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo laudes et gratias agimus, qui gloriam vestram gratia suæ visitationis illustrans, B. Petro apostolorum principi fide ac devotione conjunxit, cui omnes principatus et potestates orbis terrarum subjiciens, jus ligandi atque solvendi in cœlo et in terra contradidit. Qua de re et vobis merito gaudendum est, quoniam eo ampliora vobis parata sunt præmia, quo divina dignatio correctionem regni vestri, quod diu in errore persistiterat, usque ad vestra reservavit tempora, ut veritatem Dei et justitiam, qua illi qui vos præcesserunt rectores et principes, et universus populus, tot annis

A tum cæcitate ignorantiæ, tum obstinata temeritate caruerant, vestra mereretur suscipere sublimis humilitas et fidelis obedientia. Verum quia omne opus bonum non tam ab incœptu, quam ex fine suo retributionis debitum spectat, excellentiam vestram paterna charitate monemus, ut quod a legatis nostris de religione fidei et ecclesiastici ordinis accepistis, et adhuc, Deo auctore, accepturi estis, firmiter teneatis : quia sicut certa spes salutis est his qui in observatione fidei et doctrinæ hujus sanctæ apostolicæ sedis permanent, ita illis qui ab ejus concordia et unitate exorbitaverint, haud dubiæ damnationis terror imminet. Et quidem de vobis bene speramus, quoniam relatione dilecti filii nostri Richardi cardinalis presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem

B nunc secundo ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus. Sed quoniam devota corda semper admonitione gaudent, et istæ etiam virtutes exercitio indigent, hortamur eminentiam vestram ut ab hac terrena et caduca dignitate ad illam quæ cœlestis et æterna est mentem levet; hac utatur sicut transitoria et cito peritura, illam appetat quæ æternitatem pariter habet et gloriæ plenitudinem. Attendere enim et sollicite pensare debetis quoniam quotidie ad finem vitæ volentes nolentesque properatis, et quidquid divitiarum, honoris, potentiæ, nunc arridet, vicina mors, cum minime putatur, rapiet, et omnia tenebris et amaritudine claudet. Quæ ergo in illis spes, quæ gloria, quæ delectatio, aut desiderium

C esse debet, quæ se amantes decipiunt, sequentes fugiunt, habentes derelinquunt? Quanto autem in his quisque minus delectatur, minusque elatione super se rapitur, tanto securius ad ea quæ vera sunt bona deducitur. Cujus rei exemplum ipse Dominus ac Salvator noster Jesus Christus aperte monstravit, cum oblatum sibi ab hominibus regnum pia humilitate respuit, nec speciem quidem terrenæ sublimitatis in oculis hominum gerere voluit, qui in hunc mundum, ut nos ad regnum cœleste perduceret, venit. Quapropter sicut charissimum filium vos admonemus, ut hæc sedulo vobiscum cogitantes, coram illo vos exhibeatis humilem, qui vos constituit valde sublimem, et inter omnia et præ omnibus Deo placere studentes, commissa vobis regni guberna-

D cula ita administrare cum Dei adjutorio procuretis : quatenus vestra eminentia nullum futuræ abjectionis aut infortunii casum sentiat, sed ad coronam incorruptibilis regni et solium æternæ gloriæ transeat. Ut autem nostra exhortatio cordi vestro altius imprimatur, ex more sanctorum misimus vobis claviculam auream in qua de catenis beati Petri benedictio continetur; quatenus per ejus præsentia patrocinia uberiora erga vos beneficia sentiatis, et in amore ipsius de die in diem ferventes accendamini, promerentes ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia a nexibus ferreis liberavit, ejus meritis et intercessionibus vos ab omnium peccatorum vestrorum vinculis absolvat; et ad gaudia æterna perducat. Ad hæc commendamus vobis hunc

dilectum filium nostrum, quem, sicut supra diximus, A nunc secundo ad vos mittimus, ut eum sicut nos audiatis, et in omnibus sibi favorem exhibeatis; quatenus non fiat inanis cursus et labor illius apud vos, sed pro commissa sibi legatione ea quæ de ecclesiasticis causis tractanda invenerit, efficaciter exsequi, et ad statum rectitudinis, Deo adjuvante, perducere valeat. Cætera vero quæ hic minus continentur, in ejus ore posuimus, cui vos in nullo credere dubitetis, per quem nostram vobis auctoritatem repræsentari cognoscitis.

Data Romæ, decimo octavo Kalendas Novembris, indictione III.

EPISTOLA VII.

AD RICHARDUM CARDINALEM.

(Anno 1079.)

Constituit eum abbatem Massiliensem a fratribus postulatum. Hortatur ad onus fideliter suscipiendum. Desiderare se ait monasterium Sancti Pauli *et monasterium Massiliense unire, et post monasteriorum ejus rectam dispositionem, legotionem suam in Hispaniam persequi jubet.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RICHARDO cardinali in legatione Hispaniæ constituto salutem et apostolicam benedictionem.

Unanimitas fratrum Massiliensium, in litteris suis sanctæ memoriæ fratris tuis memorans obitum, novo me dolore sauciavit, petens insuper contemplatione amoris sancti fratris tui, teque velut ipsum alterum futurum sperans, uti sibi te concederem in abbatem; quod et feci. Volo ergo ut fratres tuos nullo modo pertinaciter resistendo contristes, sed voluntati Dei et sanctorum fratrum facile acquiescas. Volumus etiam atque monemus ut, in quantum potes, spes tantorum fratrum de te vana non fiat, sed Spiritum sanctum fratris tui viriliter induas, sæcularia ac juvenilia desideria ut mortem fugias, sanctæ regulæ medullitus te astringas, ne occasione tuæ juventutis monasterium sanctum, quod avertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio, quia desiderium mihi est monasterium beati Pauli apostoli et monasterium Massiliense tanta charitatis unione constringere, ut et illud semper pro amore beatissimi Pauli ex apostolica auctoritate succrescat, et beatissimi Pauli monasterium ad sanctam religionem ex illius monasterii religione proficiat. Postquam autem, Deo auctore, monasteria tua bene composueris, legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris.

Data Romæ, IV Nonas Novembris, indictione III.

EPISTOLA VIII.

AD MONACHOS MASSILIENSES.

(Anno 1079.)

Dolet de obitu eorum abbatis, quorum monasterium, quemadmodum Cluniacense apostolicæ sedi unit. Electionem Richardi cardinalis in abbatem ab eis factam confirmat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo Massiliensis congregationis fratribus salutem et apostolicam benedictionem.

Non dubitamus fraternitatis vestræ dilectionem mœroris et tristitiæ plenam super venerandi Patris sui excessu vehementi dolore constringi, de cujus transitu profecto memini majus incommodum quam nobis aut æque magnum evenisse putamus, qui talem tantumque adjutorem nobis e latere subductum sentimus. Intelleximus siquidem in ipsis prudentia et consilio, si vita aliquandiu comes maneret, plurimum utilitatis, Deo favente, non solum in Transalpinis, verum etiam in Italiæ partibus, cum multorum salute, sanctæ Romanæ Ecclesiæ perventurum. Unde nos quoque tanti culminis onus, quod ultra vires est, sustinentes, ejusmodi solatio sublato, cum neminem, aut vix paucos suffragatores similes inveniamus, quanto mentis angore teneamur, liquido B quidem potestis et ipsi perpendere. Verum quia omnipotentis Dei inæstimabilis providentia omnia juste et sapienter disponit, judicia ejus, nimirum recta consilia ipsius, æquitatis et misericordiæ plena nobis sunt, fratres, æquanimiter ferenda. Et quoniam momoratus Pater vester, quod vivendo promeruerit, obeundo incunctanter est Abrahæ sinu receptus, nos dulci illius memoria a vobis stricti, præcipue etiam divino amore monente, locum vestrum specialiter diligere, juvare, et ab omnibus violentiis, sicut Ecclesiæ Romanæ specialiter hærentem, defendere decrevimus; et quemadmodum Cluniacense monasterium longo jam tempore sedi apostolicæ constat esse unitum, ita quoque vestrum dein- C ceps, ut eidem sedi similiter hæreat in perpetuum volumus atque sancimus. Audivimus autem quod charitas vestra filium nostrum et presbyterum cardinalem Richardum loco germani ipsius in abbatem velit eligere, quam denique electionem nos approbamus, et apostolica auctoritate firmamus, in hoc item vobis obnoxii, et quasi vinculis geminatis annexi, quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium rectorem vobis appetitis. Oportere igitur arbitramur omnium bonorum dispensatorem exorare, quatenus ipsum eum saluti vestræ ita vigilantem provisorem efficiat, ut is pro salubri cura et talentis multiplicatis æternæ hæreditatis dona percipiat, et præmia beata reportans matrem suam lætificet.

Data Romæ, quinto [III] Nonas Novembris, indi- D ctione tertia.

EPISTOLA IX.

AD ASTENSEM, TAURINENSEM, ET AQUENSEM EPISCOPOS. (Anno 1079.)

Ut cujusdam Bonifacii conjugium cum muliere germano suo defuncto olim desponsata prohibeat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis, Astensi, Taurinensi, et electo Aquensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos quod Bonifacius marchio, germanus Mainfredi et Anselmi, nuper interemptorum, ejusdem Anselmi desponsatam conatur sibi in conjugium copulare. Quod quam sit flagitii plenum, quam a Christianæ religionis legibus alienum, nemo qui sacros canones novit potest ambigere.

Quapropter dilectioni vestræ præcipimus ut illum nostra vice convenientes, commoneatis, quatenus contra sanctorum Patrum statuta tali tanquam nefario connubio desistat ulterius operam dare. Quod si se ad hoc perpetrandum juramento putat astrictum teneri, perniciosæ obligationis stultum pactum non observandum, sed in irritum devocandum esse censemus, et vobis taliter habendum mandamus. Sin vero contra salutem suam animo indurato in placito tam nefando persistiterit, et salubribus monitis, sicut Christianum decet, obtemperare contempserit, vos in eum primi canonicam sententiam promulgate, quam nos exinde, Deo auctore, firmabimus, et apostolica potestate roborabimus, ne cæteri, hoc exemplo ducti, aut in deteriora labantur, aut similia sibi licere forte existiment.

Data Romæ tertio Nonas Novemb., ind. III.

EPISTOLA X.

AD UNIVERSOS BRITANNOS.

(Anno 1079.)

Queritur de falsæ pœnitentiæ consuetudine, quæ inter cætera vitia tunc temporis in Ecclesia inoleverat: cui malo ut remedium afferat mittit eo legatum Olorensem episcopum, ut eo præside in synodo congreganda de ea re diligenter pertractetur; interim ipse quæ vera sit pœnitentia exponit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, episcopis, sacerdotibus, principibus, aliisque omnibus in Britannia commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierint.

Sacerdotalis culminis dignitas tum imperitia, tum negligentia sacerdotum, sicut vestra dilectio novit, ex longo jam tempore, peccatis exigentibus, fuit collapsa. Ex qua quidem re, quasi ex pestifera radice innumera mala exorta sunt, adeo ut usque ad hæc nostra tempora, inter cætera quæ male pullulant vitia, falsæ nihilominus pœnitentiæ consuetudo inoleverit. Quapropter quia nobis pro officii nostri consideratione et sollicitudinis magnitudine imminet hæc et hujusmodi, quantum possumus, Deo largiente, corrigere, volumus atque apostolica auctoritate præcipimus, ut legatum nostrum, Amatum videlicet Olorensem episcopum, cui vicem nostram in partibus vestris commisimus, studeat vestra fraternitas reverenter convocare, et ut, illo agente, synodale concilium congregetur, ubi cum aliis quæ ad salutem pertinent animarum, etiam de pœnitentiæ consultatione diligentius pertractetur. Qua in re hoc summopere vos cavere oportet, aliosque monere debetis, quia si quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel aliquid hujusmodi lapsus, in aliquo talium criminum permanserit, aut negotiationi, quæ vix agi sine peccato potest, operam dederit aut arma militaria portaverit, excepto si pro tuenda justitia sua vel domini, vel amici, seu etiam pauperum, nec non pro defendendis ecclesiis (nec tamen sine religiosorum virorum consilio sumpserit, qui æternæ salutis consilium dare sapienter noverunt), aut aliena bona injuste possederit, aut in odium proximi sui exarserit, veræ pœnitentiæ fructum facere nullatenus potest. Infructuosam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel simili deteriori, vel parum minori, permaneatur. Unde quisquis digne vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem, et, quod in baptismo promisit, diabolo scilicet pompisque illius abrenuntiare, et in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quicunque ergo taliter pœnituerit, quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia, illi peccatorum suorum remissionem apostolica freti potestate largimur, insuper æternæ beatitudinis gaudia de omnipotentis Dei misericordia confisi promittimus.

Data Romæ octavo [VII] Kalendas Decembris, indictione tertia.

EPISTOLA XI.

AD URATISLAUM BOHEMORUM REGEM.

(Anno 1079.)

Monet ut ecclesias ab invasoribus defendat. Divinum Officium in Sclavonicam linguam verti prohibet. Legatos quos petierat se missurum promittit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, URATISLAO Bohemorum duci, salutem et apostolicam benedictionem.

Hujusmodi salutationis nostræ consuetudinem, scilicet apostolicæ benedictionis, eam tibi mittentes, non sine hæsitatione modo servavimus, propterea quod videris excommunicatis ipse communicare: quicunque enim [*f.*, nimirum,] HARD. bona ecclesiarum invadunt, id est, sine certa licentia episcoporum vel abbatum diripiunt, vel ab aliqua persona accipiunt, non solum ab apostolica sede hoc tempore, verum etiam a multis sanctis Patribus, sicut in scripturis eorum reperimus.... Verum utcunque se res habeat, saluti tuæ internæ providere non modo ex antiqua tui dilectione movemur, verum etiam ex suscepti honoris, imo laboris intuitu, profecto compellimur, eo magis quod multorum profectui tua sublimitas esse potest exemplum. Neque enim hoc tibi relinquitur vel dicere vel cogitare: Meum non est alienam vitam vel mores in spiritualibus exquirere sive distringere. Procul dubio namque tantorum reus existis, quantorum vias ab interitus præcipitio poteras volens reflectere. Illud quoque vigili mente pertractes oportet, ne honorem tuum divino honori, sive pecuniam præponas justitiæ, neu quod in te cinerem a subdito tibi consimili fieri non sine gravi animadversione patereris, in creatorem tuum et omnium præsumi æquanimiter feras. Indubitanter etenim non Dei, sed diaboli membra et falsi Christiani convincuntur, qui suas injurias persequuntur usque ad sanguinem, et Dei contumelias negligunt usque ab oblivionem. Divitias autem potentia tua quas habet, non ob meritum datas, sed ob sollicitudinem putare debet sibi commissas. Denique non tantum sæcularibus oneri videtur inopia, quantum spirituales viros gravant divitiæ, simul etiam diffusa potestas. Perpendunt quippe si ille cui una ovis sub necis suæ conditione committitur non solum cen-

tum eodem pacto non cuperet recipere, verum etiam A illa ne aliquo casu dispereat haud sine timore sollicitus est observare, quod sibi tanto sit irremissius vigilandum magisque timendum, quanto super plures curam seu potestatem acceperit. His ita perspectis [peractis], ad majorem te mentis vigilantiam præsentis sæculi fugacitas invitat; et cum illud quod in hac luce magis diligitur, vita scilicet præsens, ad occasum furti [*f.*, furtim, HARD., *sic et cod. Mutin.*] festinet, profecto quo magis ad districti examinis diem propinquas, eo amplius ad æterna præmeditanda et adipiscenda te sana ratio mittit. Hæc itaque nostra monita, sive mandata volumus, imo jubemus, ut ante suæ mentis oculos excellentia tua sæpius ponat, et crebrius legendo et audiendo meditetur, non quod elegantius scripta nequeas in sanctorum paginis in- B venire, sed quia hæc ad te specialiter ex nobis, imo ex beato Petro missa sunt, et ista frequentius recogitando poteris, Deo propitiatore, ad potiora cognoscenda exsurgere. Quia vero nobilitas tua postulavit quod secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus Officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Ex hoc nempe sæpe volventibus liquet non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret et subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc quod simpliciter populus quærit pa- C tienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit quæ a sanctis Patribus, postmodum firmata Christianitate, et religione crescente, subtili examinatione correcta sunt. Unde ne id fiat quod a vestris imprudenter exposcitur auctoritate beati Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus. De legato autem nostro, quem mitti ad se tua devotio poposcit, noveris item nos preces tuas ad præsens commode efficere minime potuisse : tamen in hoc anno, divina favente clementia, tales procurabimus invenire personas quæ et negotiis vestris valeant utiliter deputari, et necessitudines vestras plenius cognoscentes ad notitiam nostram deducere. Ut ergo tute possimus ad D vos legatos nostros dirigere, necesse arbitramur et volumus ut filium nostrum Fredericum et hunc Felicem ad nos iterum studeas aut horum alterum mittere, quatenus ita possint quo destinabimus secure venire.

Data Romæ, quarto Nonas Januarii, indictione tertia.

EPISTOLA XII.

AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

(Anno 1080.)

Ejus excusationem nullatenus admittens, ad Lugdunense concilium eum alias vocatum venire præcipit coram legatis apostolicis objectis criminibus responsurum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei MANASSÆ Remensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur fraternitatis tuæ prudentiam ad hoc tot occasiones invenire, ut in infamia sua et ecclesiæ suæ tempore longo permaneat, et, quod opinioni relinquitur, judicium subterfugere videatur, cum magis ad hoc profecto eam decuerit laborare, ut suspicionem tanti reatus a se et ecclesia sua excluderet. In præterito si quidem anno ad argumentum excusationis tuæ quamdam nobis obtulisti auctoritatem, te videlicet non alicujus, sed nostræ tantum præsentiæ subdendum fore judicio : unde, ut etiam nunc apparet, in litterarum nostrarum exemplaribus dignissime reprehensus es. Nunc vero immemor promissionis tuæ, qua Romæ te supra corpus beati Petri obligasti, aliam excusationem obtendis, timore videlicet dissidentis regni, ad Lugdunense concilium, ad quod vocatus es, venire non posse. In qua re quantum excusatio tua nutet, liquido valet perpendi. Nam neque legatus Romanæ Ecclesiæ in negotio tuo contemnendus fuit, qui (sicut noscit fraternitas tua) maximis et præcipuis conciliis, videlicet Nicæno et Chalcedonensi, aliisque multis præfuit, et hujusmodi quæstionibus certum definitionis terminum dedit; neque illud nunc assumendum tibi fuit, te Lugdunum non posse venire, cum omnia viæ illius pericula, si qua sunt, tutissimis et securissimis ductoribus posses transire, Lugdunensi scilicet archiepiscopo et Lingonensi episcopo, qui fraterna te charitate tractarent, et sine omni formidine ad prænominatum perducerent locum. Ad quem nimirum locum sponte et sine invitatione aliqua accedendum fuit, ut si immunis es ea culpa, collaudatione synodali, infamiæ tuæ silentium daretur, et non solum per Diensem, sed per confratrem nostrum Albanensem episcopum, et per abbatem Cluniacensem, quem eidem synodo interesse speramus, res tua diligentius retractaretur : quod si [*f.*, sed si, HARD.] aliqua nimis dura in te daretur sententia, justitiæ moderamine utentes, non solum contra te non agerent, verum etiam pro te laborante præpropere dictum vel factum corrigerent. Quod si forte ad prædictum concilium non iveris, aurem [*f.*, et *add.* HARD.; *sic et in cod. Mut.*] debitæ obedientiæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ diu te supportanti non inclinaveris; si quid contra te Diensis cum consensu religiosorum fratrum nostrorum egerit, non solum sententiam in te prolatam non immutabimus, verum etiam apostolica auctoritate firmabimus. Quod si fraternitati tuæ videbitur prolatæ sententiæ rationabiliter posse obviari, volumus te magis coram vicario nostro, Diensi videlicet episcopo, aliisque religiosis, in patria illa, ubi accusatorum et defensorum major copia invenitur, rationes tuas exponere, quam Romam per tot labores et difficultates, ubi utrumque deest, frustra spe judicii quærere. Interea fraternitatem tuam ex parte

omnipotentis Dei per auctoritatem beati Petri mone- A mus, ut, si te in hac causa culpabilem cognoscis, potius quam aliquo sæculari ingenio te excusandum existimes, studeas animam tuam per dignos pœnitentiæ fructus liberare.

Data Romæ tertio Nonas Januarii, indictione III.

EPISTOLA XIII.

AD THEODORUM VIRDUNENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1080.)

Ut Arnulphum comitem, qui episcopum Leodicensem ad sedem apostolicam venientem deprædatus est, et jurare compulit se res ablatas nunquam repetiturum, conventu habito ad pœnitentiam et satisfactionem cogat : alioquin, ecclesiæ introitum et corporis ac sanguinis Dominici communione interdicat; et nisi intra quindecim dies respuerit, anathematis gladio una cum suis fautoribus eum feriat. Ultoribus episcopi injuriarum peccatorum veniam B *pollicetur, episcopum a coacto juramento absolvens.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, THEODORICO, Virdunensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos fratris et coepiscopi nostri Henrici Leodicensis [Leodiensis *et sic semper*] gravis calamitas, quem ad apostolorum limina venientem Arnulphus comes rebus suis omnibus, quas secum ferebat, exspoliatum, ad augmentum nequitiæ, post suorum ereptionem, compulit gladiis jurare quod ablata nunquam repeteret, et quod a nobis super tali tantoque facinore sibi veniam impetraret. Quod immane flagitium ut cognovimus, profecto vehementer doluimus, cum propter impeditam fratris C nostri devotionem, tum propter illius detestabilem audaciam; quæ nisi digna animadversione vindicata fuerit, restat ut ei suisque similibus, si qua deteriora sunt et possunt, perpetrandi concedatur occasio : verumtamen, ne forte judicemur potius iræ consulere quam parere justitiæ, volumus atque apostolica auctoritate præcipimus ut fraternitas tua quoscunque potest episcopos, abbates, sacerdotes et clericos, studeat adunare, et conventu habito super hac re illum improbum ad pœnitentiam et satisfactionem invitare. Quod si in malitia sua perdurans aut pœnitentiam agere, aut ablata noluerit digna cum satisfactione restituere, ecclesiæ introitum et corporis et sanguinis Dominici participationem tua ei fraternitas interdicat; datisque sibi quindecim dierum D induciis, si infra illud spatium non pœnituerit, et ad emendationem sceleris sui non venerit, anathematis eum gladio fulta præcepto auctoritatis apostolicæ feriat : quod certe nos exinde omnibus modis firmabimus. Ac postmodum quidem volumus atque jubemus ut in illum dilectio tua quibus valebit modis insurgat. Quicunque enim illius nefandæ præsumptioni auxilium aut assensum dederit, sciat se gratiam Dei et beati Petri procul dubio amissurum. Quicunque vero prædicti confratris nostri, imo beati Petri, injurias pro viribus suis ulcisci contenderit, ei nos apostolicam benedictionem tribuimus, et de divinæ pietatis munere confisi peccatorum suorum veniam pollicemur. Nolumus etiam prudentiam tuam ignorare nos sæpe dictum coepiscopum ab illius malitiose coacti juramenti conditione absolvisse, sanctæque Ecclesiæ contumeliam vindicandi licentiam ipsi dedisse; quem ut in omnibus pro posse studeas adjuvare iterum iterumque monemus atque rogamus.

Data Romæ tertio Kalendas Februarii, indictione tertia.

EPISTOLA XIV.

AD HENRICUM LEODICENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1080.)

Dolet de contumelia illi ab Arnulpho illata, absolvitque eum a juramento violenter præstito, ac mandat ut contra Arnulphum insurgens ejus sceleris pœnas sumat. Significat se Virdunensi episcopo præcepisse ut illum in ea re adjuvet.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO Leodicensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Cognita tuæ fraternitatis adversitate et contumelia tibi, imo beato Petro, illata, nimirum [nimium] valde dolere sumus coacti. De juramenti vero injustissima obligatione dilectioni tuæ sic respondemus, non debere existimari eam ullis juramenti vinculis posse teneri, quæ tam nefandissime coacta juraverit. Unde et apostolica te auctoritate absolvimus, ut non tuæ vel alicujus conscientiæ ob hoc videaris innexus aut debitor esse. Insuper etiam eadem freti potestate fraternitati tuæ licentiam damus, imo hortamur, ut contra injurias beato Petro illatas, nisi præsumptor ille pœnituerit, digneque satisfecerit, quibus viribus potest, insurgat, atque illum omnibus modis infestet, et de eo tanti sceleris pœnas, Deo opitulante, petat et sumat. Indignum namque nobis videtur, exemplumque cæteris improbis audendi pejora futurum, si hoc flagitium iste impune susceperit. Unde etiam fratris nostri Virdunensi episcopo, aliisque beati Petri fidelibus, summopere præcipimus ut, dilectionem tuam unanimiter adjuvantes, eum tyrannum et Christianæ religionis conculcatorem impugnent, et armis tam carnalibus quam spiritualibus undique et ubique, quantum possunt, insequentes coarctent.

Data Romæ tertio Kalendas Februarii, indictione tertia.

EPISTOLA XV.

AD BRITANNOS ET TURONENSES.

(Anno 1080.)

Controversiam inter Ecclesiam Turonensem et Dolensem per legatos apostolicæ sedis, auditis utriusque partis juribus, vult definiri.

Definitio synodalis inter archiepiscopum Turonensem et episcopum Dolensem de pallio.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis Britanniæ, clero et populo in Turonensi provincia constitutis.

Notum esse volumus controversiam inter Ecclesiam vestram et Dolensem pestifere ortam multum nobis in Romana synodo laborem ingessisse, sed

tamen, Deo miserante, post longam discussionem, quam justius potuimus, hanc quæ subscribitur definitionem invenisse. Archiepiscopus siquidem vester Ecclesiam Turonensem jus suum in Britannia perdidisse conquerens, Romanorum pontificum auctoritatem in medium duxit, quæ perspicue probat Britanniam Turonensi Ecclesiæ quemadmodum spirituali matri et metropoli suæ subjectionem et reverentiam debere. Dolensis vero episcopus non solum auctoritatem audientiæ nostræ non exhibuit, verum etiam ipsa verba sua ad defensionem prolata nulla certitudine cui fides danda esset fulta videbantur. Tamen quia in patria sua quamdam auctoritatem se reliquisse asserebat, visum nobis fuit ut ad retractandum negotium illud induciæ darentur, et pro hac aliisque causis legati apostolicæ sedis dirigerentur; ut auditis utriusque partis rationibus, si cognoverint Britannos auctoritatem authenticam apostolicæ sedis, videlicet eorum pontificum quorum ordinatio et vita digna et legalis fuerit, habere, per quam possint se a subjectione prædictæ Turonensis Ecclesiæ subtrahere, quieti deinceps permaneant in sua libertate. Quod si contigerit eos hujus auctoritatis, quam modo diximus, non posse habere defensionem, sopita deinceps et in æternum omni controversia, Turonensem Ecclesiam matrem et metropolim suam recognoscant, et eam quæ decet metropolitanum archiepiscopo vestro subjectionem et obedientiam exhibeant, reservato Dolensi episcopo pallii usu : ita tamen ut nullus successorum suorum aliquo in tempore ad hanc dignitatem aspiret, sed, sicut supra diximus, tam ipsi videlicet in Ecclesia Dolensi constituendi quam etiam cæteri Britanniæ episcopi magisterio Turonensis archiepiscopi in perpetuum subditi permaneant.

Data Romæ octava Idus Martias, indictione tertia.

EPISTOLA XVI.

AD HUBERTUM EPISCOPUM TARVANNENSIUM.

(Anno 1080.)

Ejus contumaciam accusans, præcipit ut quandocunque vocatus fuerit coram Diensi episcopo apostolicæ sedis legato omnino se præsentet de multis sibi objectis criminibus seipsum purgaturus. Ejus canonicis, qui quamdam villam usurpaverant divinum Officium interdicit, et ab eo interdici vult.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUBERTO, Tarvannensium episcopo.

Quod salutem et apostolicam benedictionem tibi non mandamus, ea maxime causa est, quod in registro nostro legitur te ab Hugone hujus sanctæ sedis legato apud monasteriolum hæreticum publice convictum, et postea, antequam esses ab hac infamia expurgatus, audivimus Simoniace episcopum factum. Deinde quod apostolicæ sedis præcepta super te et super canonicos tuos de castro Sancti Pauli promulgata pro quadam villa, Kesseca [Reseca, *et cod. Mutin.* Resena] nominata, quam cum suis pertinentiis canonici S. Mariæ et S. Audomari sæpe in præsentia nostra conquesti sunt sibi et suæ Ecclesiæ

A auferri, prout ipsi iterum conqueruntur, penitus despexisti. Ac propterea excommunicationem quæ in nostro registro scripta est, tu cum eis incurrendo, sine respectu Dei et apostolicæ reverentiæ divinum Officium, sicut audivimus, celebrare præsumpsisti. Pro quibus et aliis pluribus a fratre nostro Hugone Diensi episcopo semel et iterum ad concilium vocatus, et postea a nobis ad synodum Romanam invitatus ut te expurgares, quia non venisti, nec canonice excusasti, nisi apostolicæ pietatis mansuetudo nos dispensatorie ad tempus sustineret, sententiam justæ depositionis tua inobedientia, quæ vere est idololatria, jamdudum suscepisset. Sed tamen adhuc tibi paterno parcentes affectu, quia diutius tot et tanta
B quæ de te dicta sunt ferre nullo modo honeste possumus, apostolica auctoritate præcipimus ut ubi et quando prædictus frater noster Hugo Diensis episcopus te vocaverit, de his vel aliis satisfacturus, occasione postposita, ita paratus et circumspectus advenias ut, si te innocentem et falso accusatum scis, cum Dei auxilio et conscientiæ puritate ab omnibus objectis et objiciendis canonice expurgari possis. Præterea omne divinum Officium omnibus canonicis de castro Sancti Pauli, te solo interim usque ad audientiam excepto, interdicimus: et ipsis et locis eorum, quousque præfatam villam cum ecclesia et aliis suis pertinentiis canonici ecclesiæ Sanctæ Mariæ et S. Audomari restituerint, et coram Hugone Diensi episcopo de inobedientia et excommunica-
C tione satisfecerit : et nisi tu statim visa præceptione nostra prædictis canonicis tuis, et omnibus locis eorum, et præcipue ubi canonici denominati sunt, omne divinum officium interdixeris, omne officium tuum auctoritate apostolica interdictum noveris.

Data Romæ septimo Kalendas Aprilis, indictione tertia.

EPISTOLA XVII.

AD DOLENSES MONACHOS.

(Anno 1080.)

Mandat ut monasteria, quæ Lemovicensis episcopus Ecclesiæ suæ ab ipsis subtracta conquestus fuerat, usque ad adventum apostolicæ sedis legati eidem episcopo restituant. Quod si quid in ea re juris se credant habere, coram legato ostendant.

D GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Dolensibus monachis, salutem et apostolicam benedictionem.

Frater et coepiscopus noster Lemovicensis conquestus est nobis in synodo, quam nuper Romæ, Deo opitulante, celebravimus, quod vestra fraternitas Ecclesiæ suæ duo monasteria subtrahit. Testatus est etiam ipse frater et coepiscopus noster atque legatus noster Hugo Diensis episcopus quod vos pro hac causa ad duo concilia, scilicet ut inter vos et prælibatum episcopum exinde justitiæ finem componeret, admonuit; sed, ut ipse asserit, nullam justitiam seu obedientiam exhibere voluistis. Quapropter synodalis conventus decrevit ut præfata monasteria in potestate Lemovicensis Ecclesiæ re-

dire debeant, et sine contradictione vestra, seu vestrorum, usque ad adventum legati nostri quiete ab ipsa Ecclesia possideantur. Nos itaque, juxta fratrum nostrorum consensum atque consilium quod supra deliberatum est confirmantes, mandamus vobis atque præcipimus ut usque ad præfixum terminum permittatis prædictam Ecclesiam Lemovicensem ipsa monasteria retinere. Si vero in eis aliquid justitiæ vos habere confiditis, legati nostri adventum exspectantes, causam vestram illi opportuno loco et tempore, ubi possit Lemovicensis episcopus interesse, repræsentate. Ante cujus audientiam causa vestra diligentius ventilata et plenius cognita justitiæ finem inveniat, et inter vos omni lite sopita quisque vestrum suo jure contentus injuriam facere desinat.

Data Romæ Kalendis [VIII Kal.] Aprilis, indictione tertia.

EPISTOLA XVIII.

AD WILLELMUM AUXIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 1080.)

Arguens eum inobedientiæ præcipit ut Pezanensem abbatem cogat Aureliacensi abbati restituere quamdam ecclesiam illi monasterio ab apostolica sede concessam, contumaci ecclesiæ introitu interdicto.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WILLELMO Auxiensi archiepiscopo [episcopo], salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur prudentiam tuam ita se apostolicæ sedi inobedientem exhibuisse, ut negotium quod tibi vicarii nostri commiserunt, ad exsequendum tu non curans parere, contempseris ad effectum perducere. Siquidem injuncta tibi est ab eis cura justitiam faciendi Petro abbati Aureliacensis [Aurelianensis *et sic deinde*] cœnobii juris hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ de Dodone abbate Pezanense, qui ex longo tempore invasam detinet ecclesiam juris itidem beati Petri, sed præfato monasterio Aureliacensi concessam, quæ nominatur Sancta Maria Dalmairaci. Qua in re quantam beato Petro reverentiam habueris in hoc evidenter apparet, quod et invasor ecclesiam calumniose adhuc occupare non desinit, et prædictus abbas Aureliacensis apostolicas aures ob id interpellare compellitur, præsertim cum supra nominatus Pezanensis convictus, et a legatis nostris Stephano cardinale et Gerardo Ostiensi coepiscopo adjudicatus debere illam ecclesiam reddere, quia non fecerit, excommunicationem incurrerit. Quapropter dilectionem tuam monemus, et apostolica auctoritate præcipimus ut sæpedictum Pezanensem abbatem cogas Aureliacensi præfixam ecclesiam unde lis est restituere, et condigna satisfactione ipsum sibi placabilem reddere. Quod si forte spiritu superbiæ induratus acquiescere noluerit, et monasterio illi quod invasum est, Officium divinum, et invasori, nostra auctoritate omnis ecclesiæ interdicas introitum. Nam non inter religiosos monachos, sed nec inter laicos, debet annumerari qui sacrilegium perpetrare non timet.

Data Romæ secundo Idus Aprilis [pridie Idus Octobris], indictione tertia.

EPISTOLA XIX.

AD BITURICENCES, NARBONENSES ET BURDIGALENSES.

(Anno 1080.)

Præcipit ut beneficia Aureliacensi cœnobio ablata restituantur, et obsequium atque fidelitas a vicecomite exhibeantur abbati, quem se obligasse significat, ne ulli militi ultra unum mansum de possessione ecclesiæ daret. Confirmat monasterii Viacensis refutationem a principe in manu abbatis consensu episcopi et clericorum factam.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus in Bituricensi, necnon Narbonensi, seu Burdigalensi, provinciis constitutis, exceptis his qui apostolica excommunicatione tenentur, salutem et apostolicam benedictionem.

Clamor abbatis Aureliacensis cœnobii, quod proprii juris beati Petri concessione fundatoris scilicet beati Geraldi esse dignoscitur, auribus nostris insonuit, videlicet super quibusdam personis qui injuste detinent beneficia prædicti monasterii a prædecessoribus suis sub fidelitate et dominio pro defensione ecclesiæ sibi et suis antecessoribus olim concessa. Præcipue conqueritur super Berengario Carlatensi vicecomite, qui, propria cupiditate ductus, debitum servitium et fidelitatem abbati exhibere negat, nisi beneficium quod immerito detinet adhuc etiam de jure ecclesiæ augeatur. Proinde apostolica auctoritate præcipimus, quatenus omnis, qui beneficium præfatæ ecclesiæ ad hoc aliquando suscepisse cognoscitur, subjectionem et fidelitatem abbati persolvat, et servitium pro beneficio largiri non deneget, et ab exactione illicitæ augmentationis desistat; aliter enim invasor et sacrilegus esse comprobatur. Nos vero detrimentum supradicti cœnobii agnoscentes, abbatem sub promissione fidei suæ in manu nostra obligavimus, ut nulli militum liceat illi ultra unum mansum de possessione ecclesiæ dare sub hac vel alia occasione, neque alicui alteri personæ, nisi communis utilitas fratrum regulariter degentium postulaverit, et apostolicæ æquitati renuntiare ausus fuerit. Monasterium autem Maurzicense [Maunziacense] cum omnibus sibi adjacentiis, et ecclesias scilicet Dalmairaci [Dealmairaci] et Montis Salvii, et cæteras, necnon terras et possessiones in quacunque suprascriptarum provinciarum ablatas, seu malis consuetudinibus oppressas, monasterio Aureliacensi scriptis sive testibus olim juste concessas, apostolica auctoritate præcipimus restitui, et sine inquietudine aliqua permitti. Monasterium quidem Viacense in manu abbatis refutatum a principibus ipsius terræ consensu episcopi et clericorum sibi suisque successoribus concedimus et confirmamus, et fautoribus refutationis apostolicam benedictionem largimur; et eos qui ecclesias sive prædia præfati monasterii injuste detinent, absque ulla dilatione reddi jubemus. Qui ergo his mandatis nostris spiritu superbiæ acquiescere noluerit, præcipueque Berengarius, si obedire contempserit, gratiam beati

Petri amittet, et iram omnipotentis Dei incurret. A Obtemperantibus autem gratiam Dei et apostolicam benedictionem, de misericordia divina confisi, largimur.

Data Romæ secundo Idus Aprilis, indictione tertia.

EPISTOLA XX.

AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

(Anno 1080.)

Depositionis sententiam a legato contra eum in Lugdunensi concilio prolatam se confirmasse ait : licentiam tamen adhuc se expurgandi coram quibusdam episcopis indulget, dummodo interim ejus accusatorum res in integrum restituantur, et Remensem Ecclesiam relinquat, et in alium locum secedat, clericosque in ea secure Deo servire permittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MA- B NASSÆ Remensi.

Sciat fraternitas tua quod depositionis sententiam, a legato nostro Diensi episcopo in Lugdunensi concilio religiosorum virorum consilio prolatam, et nos dictante justitia in Romana synodo apostolica auctoritate firmavimus. Sed tamen contra morem Romanæ Ecclesiæ nimia, ut ita dixerim, misericordia ductus, adjunctis tibi Suessionensi, Laudunensi, Cameracensi, Catalaunensi episcopis, vel eorum similibus, cum aliis duobus quorum testimonio æque confidamus, si de justitia confidis, et eos habere poteris, usque ad festivitatem sancti Michaelis purgandi licentiam tibi indulgemus; ea videlicet conditione, ut Manassæ et Brunoni, et cæteris qui pro justitia contra te locuti fuisse videntur, rebus suis C in integrum restitutis, usque ad Ascensionem Domini proximam Remensem Ecclesiam a tua occupatione ex toto liberam deseras, et Cluniacum aut Casam [ac Casam] Dei cum uno clerico et duobus laicis tuis stipendiis religiose victurus secedas. Quod si facere volueris, prædicto Diensi episcopo prænuntiare procures, ut in ejus præsentia sacramento confirmes, de rebus prædictæ ecclesiæ te nihil interim distracturum, nisi quantum tibi et prædictis sociis competenter suffecerit. Clericos autem, qui tanto tempore pro justitia exsilium passi sunt, in ecclesia secure Deo servire permittas. Et quoniam laboriosum tibi fuerit ad nos usque venire, concedimus ut coram Diensi episcopo et abbate Clunia- D censi, aut si abbatem deesse contigerit, coram Amato, prædicto modo cum prædictis testibus de infamia te expurges. Quod si huic nostræ dispensationis præcepto obedire contempseris, scias quoniam iniquitatem tuam ulterius portare non possumus, et depositionis sententiam, non solum immutabiliter permansuram, sed etiam nullam tibi audientiam in posterum relinquendam.

Data Romæ decimo quinto Kalendas Maii, indictione tertia.

EPISTOLA XXI.

AD ACONUM REGEM DANORUM.

(Anno 1080.)

Hortatur ad perseverantiam in obedientia apostolicæ sedis, et ad imitandum regis patris, quem valde commendat, virtutes. Monet ut curet ne temporis calamitates in sacerdotum culpas, quibus honorem exhibendum esse docet, ejus subditi transferant, nec in mulieres eamdem ob causam sæviant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ACONO regi Danorum, episcopis, principibus, clero et populo salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam vestræ dilectionis amor Deo et beato Petro pronam obedientiam debitamque reverentiam (in quantum potuimus intelligere) studuit hactenus propensius exhibere, non dubium habemus quin idcirco vobis triumphum et gloriam præ cæteris gratia divina contulerit. Quod si in eodem studio perseverando vestræ devotionis affectus in finem permanere curaverit, pro certo et eam quam nunc habetis gloriam retinere, et ampliore, Domino auxiliante, valebitis deinceps adipisci. Te itaque specialiter, fili charissime, cui regni curam providentia divina commisit, paterno monemus affectu ut excellentissimi parentis tui regias probitates et virtutes egregias imitari satagas; ejus quidem præcipui mores in tantum cæteris regibus prænituerunt, ut, cunctis posthabitis, nec ipso etiam imperatore Henrico, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ propinquius hæsit, excepto, singulari amore illum nobis amplectendum judicaverimus; de cujus nos obitu vehementer nimiumque dolentes, ut ipsum tibi proponas exemplum, volumus, hortamur, iterumque monemus, quatenus inde possis ornamenta virtutum propagando educere unde videris nobilissimi sanguinis lineam trahere. Denique cogitare debes et vigilanter perpendere hæc terrena quam caduca et frivola sint, quam incessanter ad occasum cuncta festinent, ut eis confidere nulla stabilitas suadeat ut in illis habendis timor horribilis lateat; sicque fugitivis perspicaciter agnitis et sapienter despectis, poteris ad illa stabilia et sempiterna mentis acumen extendere, quæ ad sese obtinenda animum tuum invitent, et ad quæ concupiscenda bonorum te exempla accendant. Inter cæteras ergo virtutes, quas animo tuo imitandas censueris, Ecclesiarum defensionem in mente tua volumus eminere, sacerdotalis ordinis reverentiam proximum locum tenere, ac deinde justitiam et misericordiam in cunctis te judiciis discrete servare. Illud interea non prætereundum, sed magnopere apostolica interdictione prohibendum videtur, quod de gente vestra nobis innotuit, scilicet vos intemperiem temporum, corruptiones aeris, quascunque molestias corporum, ad sacerdotum culpas transferre. Quod quam grave peccatum sit, ex eo liquido potestis advertere quod Judæis etiam sacerdotibus ipse Salvator noster lepra puratos [*pro* purgatos, HARD. curatos] eis mittendo honorem exhibuerit, cæterisque servandum esse quæ illi dixissent præcepit, cum profecto vestri, qualescunque habeantur, tamen illis longe sint meliores. Quapropter apostolica auctoritate præcipimus ut hanc pestiferam consuetudinem de regno vestro funditus extirpantes, presbyteris et clericis honore

et reverentia dignis tantam contumeliam contra salutem vestram ulterius non præsumatis inferre, volentes eis occultas divini judicii causas imponere. Præterea in mulieres ob eamdem causam simili immanitate barbari ritus damnatas quidquam impietatis faciendi vobis fas esse nolite putare, sed potius discite divinæ ultionis sententiam digne pœnitendo avertere quam in illas insontes frustra feraliter sæviendo iram Domini multo magis provocare. Si enim in his flagitiis duraveritis, procul dubio vestra felicitas in calamitatem vertetur, et quibus victis hucusque soliti fuistis dominari, eorum nimirum [*forte,* nimium, HARD.] jugum ferre superati nec resistere valentes cogemini. Si vero nobis, imo B. Petro, in his obedientes fueritis, sicut de clementia divina confidimus, et peccatorum vestrorum veniam et apostolicam benedictionem poteritis consequi.

Data Romæ, decimo tertio Kalendas Maias, indictione tertia.

EPISTOLA XXII.

AD ARNALDUM CENOMANENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1080.)

Episcopale officium a legato apostolico interdictum reddit. Abbatem Joelem absolvit. Rainaldum invasorem et perjurum deponit, in cujus locum Joelem prædictum restitui mandat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ARNALDO Cenomanensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopale officium, quod tibi legatus noster interdixerat justitia dictante, reddimus. Abbatem Joelem absolvimus. Rainaldum invasorem, quia per ambitionem perjuravit, deponimus, ut nec in illo quod cupivit, nec in alio monasterio ulterius abbas existat. Quapropter volumus ut jam dictum Rainaldum cedere facias, et Joelem in loco suo abbatem restituas.

Data Romæ, octavo Kalendas Maias, indictione tertia.

EPISTOLA XXIII.

AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 1080.)

Suum in eum amorem testatus ad debitam obedientiam sedi apostolicæ præstandam hortatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse tibi credo, excellentissime fili, priusquam ad pontificale culmen ascenderem, quanto semper te sinceræ dilectionis affectu amavi, qualem etiam me tuis negotiis, et quam efficacem exhibui; insuper ut ad regale fastigium cresceres quanto studio laboravi. Qua pro re a quibusdam fratribus magnam pene infamiam pertuli, submurmurantibus quod ad tanta homicidia perpetranda tanto favore meam operam impendissem. Deus vero in mea conscientia testis erat quam recto id animo feceram, sperans per gratiam Dei, et non inaniter confidens de virtutibus bonis quæ in te erant, quia A quanto ad sublimiora proficeres, tanto te apud Deum et sanctam Ecclesiam (sicut et nunc, Deo gratias, res est,) ex bono meliorem exhiberes. Itaque nunc tanquam dilectissimo filio, et fideli S. Petri et nostro, sicut in familiari colloquio facerem, consilium nostrum, et quid te postmodum facere deceat, paucis aperio. Quando enim complacuit ei qui exaltat humiles, ut sancta mater nostra Ecclesia ad regimen apostolicæ sedis invitum satis ac renitentem, Deo teste, me raperet, continuo nefanda mala, quæ a pessimis suis patitur, officii mei (quo mihi clamare et nunquam cessare injunctum est) necessitate compulsus, amore quoque ac timore convictus, dissimulare non potui; amore quidem, quia S. Petrus a puero me in domo sua dulciter B nutrierat, et quia charitas Domini Dei nostri, me quasi aliquid æstimans, tanti pastoris vicarium ad regendam sanctam matrem nostram elegerat; timore autem, quia terribiliter divina lex intonat, dicens : *Maledictus* homo *qui* parcit gladio suo *a sanguine* (*Jer.* XLVIII), id est, qui doctrinam subtrahit ab occisione carnalis vitæ. Nunc igitur, charissime et in Christo semper amplectende fili, cum et matrem tuam nimium tribulari conspicias, et inevitabilis nos succurrendi necessitas urgeat, talem te volo, et multum pro honore tuo et salute in vera et non ficta charitate moneo, ut omnem obedientiam præbeas, et sicut, cooperante Deo, gemma principum esse meruisti, ita regula justitiæ et obedientiæ forma cunctis terræ principibus esse me-C rearis, tot procul dubio in futura gloria principum princeps futurus quot usque in finem sæculi exemplo tuæ obedientiæ principes salvabuntur, et si quidam illorum salvari noluerint, tibi tamen retributio nullatenus minuetur. Non solum autem, sed et in hoc mundo tibi et hæredibus tuis victoria, honor, potentia, sublimitas amplius cœlitus tribuetur. Exemplum tibi teipsum propone. Sicut enim velles ab eo quem ex misero et pauperrimo servo potentissimum regem fecisses, non immerito honorari, sic et tu, quem ex servo peccati misero et pauperculo (ita quippe omnes nascimur) potentissimum regem Deus gratis fecit, honoratorem tuum, protectorem atque adjutorem tuum omnipotentem Jesum honorare semper studiose festina. Nec ab D hoc impediat te pessimorum principum turba. Nequitia enim multorum est, virtus autem paucorum. Gloriosius est probato militi, multis fugientibus, in prælio stare. Pretiosior illa est gemma quæ rarius invenitur. Imo quanto magis potentes hujus sæculi superbia sua et impiis actibus excæcati corruunt in profundum, tanto magis te, qui præ illis multum Deo charus inventus es, pie humiliando decet erigi, et obediendo sublimari, ut sit sicut scriptum est : Impius impie agat *adhuc*, *et qui in sordibus est sordescat adhuc, et justus justificetur adhuc* (*Apoc.* XXIII). Plura tibi adhuc exhortando scriberem, sed quia tales misisti qui me satis de tua prudentia, honestate, justitia, simul cum filio nostro Huberto

lætificaverunt, sapienti viro satis esse dictum judicavi, sperans quia omnipotens Deus, supra quam dicimus, in te et per te ad honorem suum dignabitur operari. Quæ vero in litteris minus sunt, legatis tuis tibi voce dicenda commisimus. Ipse autem omnipotens Deus et Pater noster hoc tuo cordi, charissime fili, ita inspirare atque plantare misericorditer dignetur, quatenus et in hoc sæculo merito virtutum tuarum regnum tuum et potentiam augeat, et in futuro cum sanctis regibus ad regna supercœlestia inexcogitabiliter meliora feliciter introducat. Amen. Cenomanensi episcopo tuis precibus, justitia dictante, faventes officium episcopale reddidimus. Abbatem quoque monasterii Sancti Petri, quod est Cenomani, absolvimus.

Data Romæ, VIII Kalendas Maii, indictione tertia.

EPISTOLA XXIV.

AD WILIELMUM ABBATEM HIRSAUGIENSEM.

(Anno 1080.)

Approbat quod curam monasterii Sancti Salvatoris susceperit, eumque vicarium suum constituit ad procurandum ut ibi abbas canonice ordinetur. Prohibet principibus sæcularibus ne in eo loco quidquam juris habeant. Privilegium ab Alexandro II, olim deceptione inducto, concessum Everardo abrogat. Constantiensis Ecclesiæ præside a Romana Ecclesiæ discordante, concedit ut abbas a quocunque religioso episcopo quæ ad episcopale officium pertinent suscipiat, vel ad apostolicam sedem recurrat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WILIELMO abbati Hirsaugiensis monasterii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam pervenit ad nos quod religio tua curam monasterii Sancti Salvatoris juris apostolicæ sedis, cui etiam duodecim aurei, quorum viginti unciam faciunt, ex eodem monasterio annis singulis persolvi debent, siti in villa Scaphusa [Satfusa], in episcopatu Constantiensi, obsecrante comite Burcardo virisque religiosis hortantibus, eo duntaxat tenore susceperit ut prædictus comes, qui sibi in præfato monasterio quasdam quasi proprias conditiones vindicabat, dimissa atque renuntiata omni sæculari potestate, locum ipsum liberum esse permitteret, studium dilectionis tuæ probantes, quod factum est apostolica auctoritate firmamus; et quia per te locus ille (sicut audivimus) ad religionis statum, Domino miserante, cœpit assurgere; nos, inquantum valemus, perpetuam illuc sanctitatis stabilitatem providere cupientes fraternitati tuæ super cœnobium illud sollicitudinis nostræ vicem committimus, scilicet ut fratres ibi disciplinis regulariter instruere, mores eorum vitamque competenter instruendo ea quæ ad animarum salutem pertinent vigilanter providere, ac maxime ut inibi abbas secundum Deum ordinetur procures. Præterea ut sæpefati monasterii fratres sine inquietudine propositum suum valeant securius et propensius exsequi, ac omnipotenti Domino debitæ devotionis obsequium instanter et gratanter exsolvere, volumus et apostolica auctoritate præcipimus ut nullus sacerdotum, regum, vel ducum, aut comitum, seu quælibet magna aut prava persona, præsumat sibi in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hæreditarii juris, non advocatiæ, non investituræ, non cujuslibet potestatis, quæ libertati monasterii noceant, vindicare, non ornamenta ecclesiæ, sive possessiones invadere, minuere, vel alienare; sed ita sit ab omni sæculari potestate securus, et Romanæ sedis libertate quietus, sicut constat Cluniacense monasterium et Massiliense manere; abbas autem advocatum quem voluerit eligat. Quod si is postmodum non fuerit utilis monasterio, eo remoto, alium constituat. Privilegium autem quod bonæ memoriæ prædecessor noster Alexander contra sanctorum Patrum statuta aliqua subreptione vel deceptione inductus eidem loco fecit, in quo Everardo comiti ejusque posteris advocatiam, et præficiendi abbatis potestatem et totius rei administrationem concessit, nos canonicæ correctionis sententia per apostolicam functionem utentes infirmamus, infringimus atque cassamus, et, ne per hoc alicujus temeraria cupiditas in audaciam suæ perditionis erumpat, apostolica auctoritate in irritum revocamus. Si quis ergo contra hoc salubre præceptum nostrum pertinaciter ire tentaverit, gratiam beati Petri se non dubitet amissurum; admonitusque semel, bis et tertio per competentes inducias, si non resipuerit et si delictum suum emendare contempserit, sciat se divino anathemate innodatum, et a corporis et sanguinis Dominici communione alienum. Illud etiam ad Romanæ libertatis munus confirmandum subjungentes adjicimus ut, si aliquo tempore Constantiensi Ecclesiæ præsidens ab apostolica sede discordaverit, eique inobediens fuerit (*quod*, confirmante Samuele, *peccatum ariolandi et idololatriæ scelus est* (*I Reg.* XXXV), dicente quoque beato Ambrosio : « Hæreticum esse constat qui Romanæ Ecclesiæ non concordat »), liceat abbati sibi suisque a quocunque religioso episcopo placuerit ordinationes, consecrationes et quæ ad episcopale officium pertinent expetere atque suscipere, vel ad apostolicam sedem recurrere. Observatores autem hujus nostri præcepti remissionem omnium peccatorum suorum et gratiam bonam a Domino consequantur.

Actum Lateranis octavo [VII] Idus Maii, indictione tertia.

EPISTOLA XXV.

AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 1080.)

Hortatur ut Dei honorem suo præponat honori, Deumque totis viribus integro corde diligat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, GUILIELMO regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Credimus prudentiam vestram non latere omnibus aliis excellentiores apostolicam et regiam dignitates huic mundo ad ejus regimina omnipotentem Deum distribuisse. Sicut enim ad mundi pulchritudinem, oculis carneis diversis temporibus re-

præsentandam, solem et lunam omnibus aliis eminentiora disposuit luminaria, sic, ne creatura, quam sui benignitas ad imaginem suam in hoc mundo creaverat, in erronea et mortifera traheretur pericula, providit in apostolica et regia dignitate per diversa regeretur officia. Qua tamen majoritatis et minoritatis distantia religio sic se movet Christiana, ut cura et dispensatione apostolicæ dignitatis post Deum gubernetur regia. Quod licet, fili charissime, tua non ignoret vigilantia, tamen, ut pro salute tua indissolubiliter menti tuæ sit alligatum, divina testatur Scriptura apostolicam et pontificalem dignitatem reges Christianos cæterosque omnes ante divinum tribunal repræsentaturam, et pro eorum delictis rationem Deo reddituram. Si ergo justo Judici, et qui mentiri nescit, creaturarum omnium Creatori tremendo judicio te sum repræsentaturus, judicet diligens sapientia tua an debeam vel possim saluti tuæ non diligentissime cavere, et tu mihi ad salutem tuam, ut viventium possideas terram, debeas vel possis sine mora non obedire. Provideas ergo ut pro te incessanter insistas, si te diligis, Deum honoremque Dei tibi tuoque præponere honori, Deum munda mente, totis viribus, integro corde diligere. Crede mihi, si Deum pura mente, ut audis, et ut Scriptura præcipit, dilexeris, si Dei honorem, ut debes, in omnibus tuo præposueris, qui ficte nescit diligere, qui potens est etiam te præponere, hic et in futuro te amplexabitur, et regnum tuum omnipotenti suo brachio dilatabit.

Data Romæ, octavo Idus Maii, indictione tertia.

EPISTOLA XXVI.

AD MATHILDEM REGINAM ANGLORUM.

(Anno 1080.)

Ejus fidem commendat. Munera, quæ offert, nulla alia se expetere ait quam vitam castam, rerum suarum in pauperes erogationem, et proximi dilectionem.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Mathildi reginæ Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ingenuitatis vestræ lectis litteris, quam fideli mente Deo obedias, quanta dilectione fidelibus tuis adhæreas intelleximus. Nos quoque quomodo mentis tuæ memoria præsentes contineat, ex amplitudinis tuæ promissionibus non minus percipimus, quibus designastis ut quidquid de vestris vellemus, si notum vobis fieret, sine mora susciperemus. Quod, filia charissima, qua suscepimus dilectione et quæ munera a te optamus, sic intelligas. Quod enim aurum, quæ gemmæ, quæ mundi hujus pretiosa mihi a te magis sunt exspectanda, quam vita casta, rerum tuarum in pauperes distributio, Dei et proximi dilectio? Hæc et his similia a te munera optamus, ut integra et simplicia diligas nobilitatem tuam precamur, dilecta obtineas, habita nunquam derelinquas. His armis et similibus virum tuum armare, cum Deus tibi opportunitatem dederit, ne desistas.

A Cætera quæ dimisimus per Hubertum filium et fidelem communem mandamus.

Data Romæ, octavo Idus Maii, indictione tertia.

EPISTOLA XXVII.

AD ROBERTUM REGIS ANGLORUM FILIUM.

(Anno 1080.)

Monet ut patris monitis acquiescat, eique in omnibus honorem exhibens obediat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Roberto filio regis Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Certi rumores morum tuorum, et tuæ prudentiæ et liberalitatis, qui usque ad nos pervenerunt, partim dilectione parentum, partim tua, nos lætificaverunt. B Qui vero econtra quorumdam pravorum consilio aures nostras molestaverunt, ut priores hilarem, sic sinistri nos reddidere tristem. Nunc vero, quia per Hubertum filium nostrum audivimus te paternis consiliis acquiescere, pravorum vero omnino dimittere, lætamur. Insuper monemus et paterne precamur, ut menti tuæ semper sit infixum quia quam forti manu, quam divulgata gloria quidquid pater tuus possideat ab ore inimicorum extraxerit, sciens tamen se non in perpetuum vivere, sed ad hoc tam viriliter insistere ut hæredi alicui suo dimitteret. Caveas ergo, fili dilectissime, admonemus, ne abhinc pravorum consiliis acquiescas quibus patrem offendas et matrem contristeris. Sint tibi indissolubiliter infixa præcepta et monita divina: *Ho-* C *nora patrem, et matrem, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX; *Deut.* V). Et illud: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur* (*Exod.* XXI). Si vero ex honore patris et matris longior tibi tribuitur vita, econtra si dehonestas, quid tribuatur, liceat videas. Si autem ex maledictis mortem filio divina Scriptura intonat, multo certius ex malefactis certiorem mortem insinuat. Quid ergo restat, si membrum Christi vis vivere et in mundo isto honeste conversari? Pravorum consilia ex officio nostro præcipimus penitus dimittas, Patris voluntati in omnibus acquiescas.

Data Romæ, VIII Idus Maii, indictione III.

EPISTOLA XXVIII.

AD EPISCOPUM BENEVENTANUM.

D (Anno 1080.)

Vult ut quemdam convictum hæreticum exquirat et examinet; si resipiscentem invenerit, in nullo læsum dimittat; sin minus, per pœnitentiam ad sanam doctrinam reducere curet; si obstinatum, ex archiepiscopatu expellat utque ejus causam una cum abbate montis Cassini et quibusdam episcopis definiat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratri et coepiscopo Beneventano R. . . . . . salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitati tuæ notum facimus præsentium latorem Joannem presbyterum, virum quidem (sicut ex professione sua cognovimus) orthodoxum, nobis ex parte Synnadensis archiepiscopi Armenii conque-

stum esse super quodam nefario, quem nos ex ore suo convictum hæreticum adjudicavimus, quod is ob hanc impietatem de Armenia expulsus gravem contra Armeniam ejusdem hæresis gignat Latinæ apostolicæ catholicæque Ecclesiæ suspicionem, imo vero judicium. Unde nos illius ecclesiæ Armeniorum scilicet fidem (sicut ex hujus verbis didicimus) comprobantes, dilectioni tuæ monendo præcipimus, ut præfatum hæreticum, qui manus nostras, judicium suæ perfidiæ formidans, suffugit, diligenter exquiras, et solerter examines. Si igitur illum resipuisse et ad catholicam fidem rediisse intelligentiæ tuæ constiterit, sane edoctum et confirmatum ac in nullo læsum dimittas incolumem. Si vero nondum ad matris Ecclesiæ gremium et rectam fidem de sui erroris gravitate conversus fuerit, ad sanæ doctrinæ consilium per pœnitentiæ tramitem eum reducere commonendo procures. Quod si veris rationibus saluberrimis monitis tuis diabolico spiritu induratus A acquiescere et sinceris intellectibus fidei consentire noluerit, ne rabies illius ignaros latere, et sic incautos valeat lædere, jubemus ut eum facias perfidiæ nota in aperto signari, ac deinde ex toto archiepiscopatu tuo ipsum expulsum, hæresim ejus cunctis detegendo ubique, quantum potes, ut apostatam et Christianæ unitatis inimicum non desinas persequi. Ut autem eum invenire, repertumque citius possis agnoscere, nomen ipsius Macharum [*Macharion*], et loci in quo moratur Frigentium, subjungimus. Hoc etiam tibi præcipimus ut junctus religioso abbati montis Cassini cunctisque tuis coepiscopis præfati hæretici causam discutias, discussamque definias. Insuper ferrum, quod nos sibi portare contradiximus, ulterius ferre interdicito, ne B hac hypocrisi incautas mentes amplius decipiat. Pecuniam vero, quam tanta fraude acquisivit, nostro præcepto sibi auferas pauperibusque distribuas.

LIBER OCTAVUS REGISTRI.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo, pontificatus vero domini Gregorii anno septimo, indictione tertia.

EPISTOLA PRIMA.

AD SYNNADENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Dolet quod audierit Armenorum ecclesiam a rectitudine catholicæ fidei in quibusdam deviasse. Quod an ita sit ab eo scire cupit, et quid ipse de his et de omnibus ad fidem pertinentibus sentiat sibi per litteras et nuntios vult significari, et an quatuor concilia generalia recipiat. Monet ut credat quod catholica credit Ecclesia; non desistere a sacrificando in Ecclesia sua azyma. Græcorum calumnias significat, quibus etiam graviore injuria Romanam Ecclesiam in hoc persequuntur nihil facientem : quorum tamen fermentum nec reprobat nec vituperat. Hortatur ut extremi judicii diem præ oculis habeat, Deumque precatur ut eum in concordi fidelium unitate custodiat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, G..... dilecto in Christo fratri Synnadensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Summæ sedis specula, cui, Deo auctore, licet indigni, præsidemus, ac universalis Ecclesiæ sollicitudo, quam ipsius disponente providentia gerimus, compellit nos sicut de illorum qui se a Christi corpore separant perditione vehementer dolere, ita quoque de eorum qui recta sentiunt et unitatem fidei servare noscuntur salutari consensu, ineffabili lætitia congratulari. Proinde quoniam vestram, scilicet Armenorum, Ecclesiam a rectitudine fidei, quam ad apostolis et sanctis Patribus traditam universalis Ecclesia tenet, in quasdam pravas exorbitasse sententias nobis relatum est, profecto nimium paterni affectus compassione doluimus. Quorumdam siquidem relatione didicimus in celebrandis sacrificiorum salutiferis sacramentis aquam vino penitus apud vos non admisceri, cum nemo Christianus, qui sacra novit Evangelia, dubitet e latere Domini aquam cum sanguine emanasse. Audivimus etiam quod contra morem sanctæ Ecclesiæ vestræ non ex balsamo sanctum chrisma, sed ex butyro conficiat, et quod Dioscorum Alexandrinum hæresiarcham, ob perfidiæ suæ duritiam in concilio Chalcedonensi depositum atque damnatum, veneretur et approbet. Hæc au- C tem licet præsentium portitor tuus legatus ita esse coram nobis negaverit, tamen ex fraternitate tua scire firmius cupientes, volumus ut per hunc eumdem Joannem presbyterum, et de istis rebus quid sentias, et de cæteris sicubi hæsitas, ad nos procures cum sigillo tuo rescribere, ac deinceps dilectionis tuæ litteras ad apostolicam sedem frequenter dirigere. Volumus etiam charitatem tuam litteris suis significare utrum vestram recipiat quod Ecclesia universalis amplectitur, fidem scilicet quatuor conciliorum, quæ a sanctis Patribus comprobata, a Romanis pontificibus Silvestro, Leone aliisque apostolica sunt auctoritate firmata. Inter quos nihilominus beatissimus Gregorius papa doctor egregius majoribus Ecclesiæ [*forte* ecclesiis. HARD. *sic et in cod.* D *Mutin.*) Alexandrinæ, Antiochenæ, aliisque, in epistola sua (*libro* I, epist. 24) sese eam tenere his verbis testatus est : Quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X), sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio; quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis norma constitit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis es-

se cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum in duabus substantiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda concilia personas respuunt respuo, quas venerantur amplector; quia, dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. His itaque sanctissimi viri præcipuique doctoris verbis diligenter declaratis, prudentiam tuam charitatis affectu commonendam censuimus, ut clausulam quam in illa laude subjungitis : Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis; istam videlicet : Qui crucifixus es, [*forte*, es. HARD.] pro nobis, quoniam nulla Orientalium, præter vestram, sed nec sancta Romana habet Ecclesia, vos totius scandali occasionem pravique intellectus suspicionem vitantes, superaddere de cætero mittatis. Si enim vas electionis, beatissimus Paulus de sumendis cibis melius sibi esse non manducare neque bibere nequam ut frater scandalizaretur asseruit (*I Cor.* VIII), considerare debetis quam grave et periculosum sit, ubi saniori intellectu vitari potest, fratribus de fide scandalum generare. Quapropter fraternitas tua Ecclesiæ cujus sibi cura commissa est tenendum putet, et credat sufficere quod catholica in orbem terrarum diffusa Ecclesia, Spiritu sancto illustrante edocta, sentire cognoscitur et tenere declaratur. De reliquo, quia cognovimus Ecclesiam vestram azyma sacrificare, et ob hoc a Græcis duntaxat imperitis quasi de hæresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, sed nec ab instituto desistere, scientes eorum procacitatem non modo vobis hanc velut calumniam objicere, verum etiam de simili causa, graviori vero injuria, hucusque contra sanctam Romanam Ecclesiam insurgere, quæ per beatum Petrum, quasi quodam privilegio, ab ipsis fidei primordiis a sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, et ita usque in finem semper habebitur : in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Jesus : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Et illi quidem suum fermentatum commendantes, reprehensionis in nos levissima verba contumaciter joculari non desinunt. Nos vero azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec vituperamus nec reprobamus, sequentes Apostolum dicentem *mundis* esse *omnia munda* (*Tit.* I). Sed ad detegendam et contemnendam Græcorum temeritatem nunc ista sufficiant. Dilectioni vero tuæ iterum inculcando mandamus ut de suprascriptis, et de aliis quæ ad fidem pertinere cernuntur, qualiter teneas per memoratum presbyterum, aut per alium idoneum nuntium tuas ad nos litteras mittere studeas. Insuper etiam, licet solertiam tuam bene doctam credamus, ex debito tamen eam charitatis affectu paucis monemus, quasi districti examinis diem semper præ oculis habens, commissæ sibi sollicitudinis sarcinam cogitet; et, quantum illum sine dilatione celeriter approximare considerat, tanto de reddenda pecuniæ ratione propensius vigilare non negligat quo severus Fœnerator, idemque rigidus Arbiter non de male infosso talento quid deputet pœnis inveniat, sed de multiplicato lucro arridens vos ad fructum beatæ retributionis percipiendum invitet. Omnipotens Deus, cujus est quidquid recte sapimus, sentimus et credimus, ipse mentem tuæ fraternitatis uberius illuminando per sani intellectus tramitem dirigat, et te in concordi fidelium unitate conservans ita gubernet atque custodiat ut et subjectos tibi populos efficaciter de divina scientia possit instruere, et cum ipsis sempiternam gloriam ingredi, pro eis vero valeas præmia summa percipere.

Data octavo Idus Junii.

(400) *Juramentum Roberti ducis.*

Ego Robertus, Dei gratia et sancti Petri, Apuliæ, et Calabriæ et Siciliæ dux, ab hac hora et deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et apostolicæ sedi et tibi, domino meo Gregorio universali papæ. In consilio vel facto, unde vitam aut membrum perdas, vel captus sis mala captione non ero. Consilium, quod mihi credideris et contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum, me sciente. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibique adjutor ero ad tenendum, acquirendum, et defendendum regalia sancti Petri, ejusque possessiones pro meo posse contra omnes homines, excepta parte Firmanæ marchiæ, et Salerno atque Amalphi, unde adhuc facta non est definitio, et adjuvabo te ut secure et honorifice teneas papatum Romanum. Terram Sancti Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, postquam scivero tuæ esse potestatis, nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præsumam absque tua tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra Sancti Petri, quam ego teneo aut tenebo, sicut statutum est, recta fide studebo ut illam annualiter sancta Romana habeat Ecclesia. Omnes quoque Ecclesias, quæ in mea persistunt dominatione cum illarum possessionibus dimittam in tua potestate, et defensor ero illarum ad fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si tu vel tui successores ante me ex hac vita migraveritis, secundum quod monitus fuero a melioribus cardinalibus, clericis Romanis et laicis, adjuvabo ut papa eliga-

(400) Hoc juramentum ad an. 1077 pertinere contendit Pagius, ad an. Ch. 1080, n. 5.

tur et ordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta observabo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et tibi cum recta fide, et hanc fidelitatem observabo tuis successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis, qui mihi, si mea culpa non remanserit, firmaverint investituram a te mihi concessam.

Actum Ciprani, tertio Kalendas Julii.

Investitura domini Gregorii papæ, qua Robertum ducem investivit.

Ego Gregorius papa investio te, Roberte dux, de terra quam tibi concesserunt antecessores mei sanctæ memoriæ Nicolaus et Alexander. De illa autem terra quam injuste tenes, sicut est Salernus, et Amalphia et pars marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo, in confidentia Dei omnipotentis et tuæ bonitatis, ut tu postea exinde ad honorem Dei et sancti Petri ita te habeas, sicut et te agere et me suscipere decet sine periculo animæ tuæ et meæ.

Actum ut supra.

Constitutio reddendi census, in die resurrectionis Domini duodecim videlicet denariorum Papiensis monetæ, de tota Apulia, Calabria et Sicilia.

Ego Robertus, Dei gratia et sancti Petri, Apuliæ, et Calabriæ et Siciliæ dux, ad confirmationem traditionis et ad recognitionem fidelitatis, de omni terra quam ego teneo proprie sub dominio meo, et quam adhuc nulli Ultramontanorum ita concessi ut teneat, promitto me annualiter pro unoquoque jugo boum pensionem, duodecim scilicet denarios Papiensis monetæ, persoluturum beato Petro, et tibi domino meo Gregorio papæ, et omnibus successoribus tuis, aut successorum tuorum nuntiis. Hujus autem pensionariæ redditionis erit semper terminus finito quoque anno sanctæ resurrectionis dies Dominicus. Sub hac vero conditione hujus persolvendæ pensionis obligo me et meos sive hæredes sive successores tibi domino meo Gregorio papæ et successoribus tuis.

EPISTOLA II.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Anno 1080.)

Perstringit scelus Roberti monachi Simoniaci, quem jubet ab abbate suo corrigi, et ab introitu ecclesiæ et omni ecclesiastico ministerio separari. Regem quoque illius fraude deceptum moneri vult, nisi resipuerit, excommunicandum fore, et omnes fideles in partibus Hispaniæ fore sollicitandos. Monet etiam abbatem curare ut sui monachi, in Hispaniæ partibus dispersi, ad proprium monasterium redeant; et nullam ibidem ordinationem vires habituram significat, nisi quæ legati apostolici auctoritate fuerit corroborata.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI venerabili Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta impietas a monasterio vestro per Roberti monachi vestri præsumptionem exierit, ex litteris Richardi legati nostri, abbatis videlicet Massiliensis, potes cognoscere. Qui nimirum Robertus, Simonis Magi imitator factus, quanta potuit malignitatis astutia adversus beati Petri auctoritatem non timuit insurgere, et centum millia hominum, qui laboris nostri diligentia ad viam veritatis redire cœperant, per suggestionem suam in pristinum errorem reducere. Cujus iniquitati non solum te consensisse non credimus, verum etiam pro immanitate sceleris nobiscum tristari, et ad exercendam debitam ultionem animum habere intelligimus, præsertim cum fidei nostræ antiquum præbeas experimentum de honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ idem nobiscum sentire, et ad exsecutionem justitiæ, quæ, frigescente charitate, jam pene terris excessit, libertatem rectitudinis reservasse. Ab hac utique animi concepta certitudine nullus rumor, nulla suggestio poterit nos divellere; sed neque illi, qui de multis adversum vos negotiis murmurant, ante tempus fraternæ collocutionis ad suspicandum aliud poterunt nobis scandalum generare. Nam, ut de aliis taceamus, pene omnes qui nobiscum sunt fratres, nisi freno rationis nostræ retinerentur, amorem ab eis loco vestro exhibitum in gravem inimicitiam convertissent. Quapropter, salutem vestram sicut nostram, diligentes, monemus ut subditos vestros corrigentes, hujusmodi murmurationis occasionem religionem vestram diligentibus nobis non præbeatis. Specialiter autem admonemus ut Robertum illum, qui supradictæ iniquitatis auctor exstitit, qui diabolica suggestione Hispaniensi Ecclesiæ tantum periculum invexit, ab introitu ecclesiæ, et ab omni ministerio rerum vestrarum, separetis, donec ad vos redeat, et temeritatis suæ dignam ultionem suscipiat. Regem quoque illius fraude deceptum diligenter litteris tuis intelligere facias beati Petri iram et indignationem, atque, si non resipuerit, gravissimam adversum se et regnum suum ultionem provocasse, quod legatum Romanæ Ecclesiæ indecenter tractavit, et falsitati potius quam veritati credidit. De quibus digne Deo et beato Petro satisfacturus, sicut legatum nostrum dehonestavit, ita se sibi per debitam humilitatem et condignam reverentiam commendabilem faciat ac devotum. Significare etiam te sibi dignum ducimus nos eum, si culpam suam non correxerit, esse excommunicaturos, et quotquot sunt in partibus Hispaniæ fideles sancti Petri ad confusionem suam sollicitaturos. Qui si minus præceptioni nostræ obedirent, non gravem existimaremus laborem nos ad Hispaniam proficisci, ei adversum eum quemadmodum Christianæ religionis inimicum dura et aspera moliri. Tui etiam studii sit ut monachi in eisdem partibus injuste dispersi ad proprium redeant monasterium et nulla ibidem ordinatio vires obtineat nisi quæ legati nostri fuerit auctoritate probata. Volumus etiam ut alteram epistolam nostram regi prædicto deferri præcipias.

Data Ciprani [Carpetani. *cod. Mut.* Coperani], quinto Kalendas Julii, indictione tertia.

EPISTOLA III.

AD ADELPHONSUM CASTELLÆ REGEM.

(Anno 1080.)

Monet ut, remotis malis consiliariis, legati apostolici salutaribus monitis acquiescens, de emendatione sua se et Dei Ecclesiam lætificet, illicitum connubium cum uxoris suæ consanguinea initum respuat, et ne se ab incestæ mulieris amore abripi sinat. Robertum monachum, seductorem ac regni perturbatorem, debitas temeritatis ac sceleris pœnas daturum significat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo in Christo filio regi ADELPHONSO, salutem et apostolicam benedictionem.

Dici non potest, fili charissime, quantum nos, referente filio nostro apostolicæ sedis legato Richardo, nobis cognita præclara tua obedientia lætificaverat. Tu enim coram Deo semper in visceribus nostris eras, tu apud homines maximum nobis exemplum egregiæ virtutis eras, de te apud alios reges gloriabamur, te vere Christianum regem, et ideo vere regem nos habere in parte Domini Jesu contra membra diaboli gaudebamus. Unde et bona tua fragrantia multas jam regiones asperserat, et velut sol quidam in occiduis natus orientem versus cœlestis luminis radios emittebat. At nunc comperto quod diabolus tuæ saluti et omnium qui per te salvandi erant, more suo invidens, per membrum suum, quemdam Robertum pseudomonachum, et per antiquam adjutricem suam, perditam feminam, viriles animos tuos a recto itinere deturbavit; quantum de te primo fueramus gavisi, tantum nunc confundimur, erubescimus, contristamur. Quapropter ut cognoscas quantum circa te pie solliciti sumus, per bonitatem et gloriam Christi te paterna voce monemus et contestamur, remove a te quantocius consiliarios falsitatis; *corrumpunt* quippe *mores bonos colloquia* prava (*I Cor.* XV). Acquiesce autem per omnia legato nostro fratri Richardo; quem nisi prudentem et religiosum cognovissem, nostras ei vices nullatenus commisissem. Non te a salutaribus monitis atque institutis nostris incestæ mulieris amor abripiat, quia *mulieres apostatare faciunt sapientes* (*Eccli.* XIX). Ipsum quippe regem sapientissimum Salomonem incestus mulierum turpiter amor dejecit, et florentissimum regnum Israel Dei judicio pene totum de manu posteritatis ejus abripuit. Proinde per Dominum nostrum Jesum Christum, et per potentiam adventus ejus, nec non et ex auctoritate beatissimorum apostolorum Petri et Pauli iterum monemus atque præcipimus, ne te ipsum despicias, ne in gloria tua maculam ponas, ne posteritatem carnis tuæ inutilem et reprobam facias. Vires resume; illicitum connubium, quod cum uxoris tuæ consanguinea inisti, penitus respue. De tua emendatione nos et totam Ecclesiam Dei cito lætifica, ne, si inobediens (quod avertat Deus!) esse malueris, iram Dei omnipotentis incurras, et nos (quod valde inviti dolentesque dicimus) beati Petri gladium super te evaginare cogamur. Prædictum sane nefandissimum Robertum A monachum seductorem tui et perturbatorem regni, ab introitu ecclesiæ separatum, intra claustra monasterii Cluniacensis in pœnitentiam retrudi decernimus. Sed abbas Cluniacensis nos imitando id faciet; eadem enim via, eodem sensu, eodem spiritu ambulamus. Deus autem omnipotens nos de tua correctione cito exhilarare dignetur, fili charissime.

EPISTOLA IV.

AD RICHARDUM.

(Anno 1080.)

Consolatur eum de hostium persecutionibus. Ad patientiam hortatur, promittens se interim curaturum ut Robertus pseudomonachus sui sceleris pœnas luat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, B RICHARDO charissimo filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia missis litteris significasti nobis antiquum hostem opus tuum, ad utilitatem Christianam ex parte directum, per membra sua, non præter solitum, impedisse, hac per hoc fraternitatem tuam tristitiam nimiam incurrisse, nos quoque tibi merito compatientes, eodem tecum afficimur mœrore. Sed cum memoriæ reducitur quanta et qualia apostoli, successores etiam eorum, in ædificatione fundamenti Ecclesiæ partim a paganis, partim a falsis Christianis sint passi, de misericordia Domini confisi resumimus vires, victoriæ triumphum plenissima fiducia de eodem hoste procul dubio, ut nostri priores, exspectantes. Patientia atque perseverantia C impræsentiarum religioni tuæ omnino sunt necessariæ, scienti dictum ab Apostolo non coronari nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II), debita præmissa exhortatione; nos tamen studio tuo in nullo deerimus, Cluniacensi abbati mittendo querelæ tuæ litteras una cum nostris, quatenus Robertum pseudomonachum quamcitius ad monasterium redire compellat, eumdem ab ingressu ecclesiæ coerceat, et tam gravis pœnitentiæ squalore diutino afficiat, quod in pravo contra te, imo contra Deum, commisso opere, mulctationem sentiat pœnitentiæ.

EPISTOLA V.

AD EPISCOPOS APULIÆ ET CALABRIÆ.

(Anno 1080.)

D *Queritur de quorumdam episcoporum præsumptione contra Romanam Ecclesiam; quos tamen, ut alios similes, tum Alexandri papæ cum suo tempore, confusos remansisse narrat, sed postea obdurato corde, qui ad sensum redire debuerant denuo adversus eumdem conspirasse, et Ravennatem episcopum hæresiarcham constituisse. Quare sperans eorum superbiam præceps ruituram, et quietem sanctæ Ecclesiæ confusis hostibus dilatandam fore, hortatur eos ut laboranti Ecclesiæ orationibus succurrant.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus et coepiscopis, per principatus, et Apuliam et Calabriam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem vestram credimus non latere quod plures Satanæ discipuli, qui falso nomine per di-

versas regiones censentur episcopi, diabolica inflammati superbia, sanctam Romanam Ecclesiam conati sunt confundere; sed per auxilium omnipotentis Dei, et auctoritatem beati Petri, iniqua eorum præsumptio, sicut eis verecundiam et confusionem, ita apostolicæ sedi gloriam contulit et exaltationem. Siquidem a minimo usque ad maximum, videlicet H... [*scilicet* Henricum regem] qui vertex regem [*forte,* regum. HARD.], qui vertex et auctor pestiferi consilii fuisse probatur, per plurima corporum et animarum pericula persensit quantas beati Petri auctoritas ad ulciscendam eorum iniquitatem vires obtineat. Scitis enim quia tempore domini nostri papæ A.... [Alexandri] quod idem H.... [Henricus] injuriæ Ecclesiæ Beati Petri per Cadulum [*qui alibi* Cadalous. HARD. cedulam] inferre excogitaverit, et in quantam quamque turpissimam, mundo teste, confusionis foveam cum eodem Cadulo cadere meruit, et quanto honore quantisque triumphis in exercitatione illius certaminis R. P. [reverenda paternitas, *hoc est* respublica. HARD.] nostra profecerit. Scitis etiam quam detestandis conspirationibus ante annos tres, præcipue Longobardorum episcopi se adversum nos, eodem H.... principante, armaverunt, et quod per defensionem beati Petri illæsi et incolumes non sine magna nostra, nostrorumque fidelium honoris exaltatione remansimus. Illis vero priorem arbitrantibus non sufficere sibi confusionem, a planta pedis usque ad verticem apostolicæ ultionis quantum ferierit [*al.*, ferverit. HARD.] gladius, adhuc plaga incurabilis præstat indicium. Sed in his omnibus obduratas, meretricum more, frontes gerentes, et impudentia sua iram sibi justi judicii thesaurizantes, qui respectu contumeliæ suæ ad sensum redire debuerant, patrem suum secuti, qui dixit : *Ponam sedem meam ab aquilone, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV), pristinam conspirationem adversus Dominum et sanctam universalem Ecclesiam conati sunt innovare, et hominem sacrilegum, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ perjurum, nec non per universum R...[*hoc est* Romanum. HARD.] orbem nefandissimis sceleribus denotatum W... [*hoc est* Wiveicum. HARD, Gibertum] dicimus sanctæ Ravennatis ecclesiæ devastatorem, Antichristum sibi et hæresiarcham constituere. In quo nimirum Satanæ conventu illi interfuere quorum est vita detestabilis, et ordinatio hæretica immensitate multimodi criminis. Siquidem ad hanc insaniam illa demum eos desperatio traxit quod neque precibus, neque servitiorum aut munerum promissionibus, scelerum suorum veniam apud nos maluerit impetrare, nisi forte vellent judicio ecclesiastico nostræque censuræ se mediante misericordia, sicut decet officium nostrum, submittere. Hos itaque nullis rationibus fultos, imo omnium criminum conscientia perditissimos, tanto magis vilipendimus quanto ipsi se altiora conscendisse confidunt. Per misericordiam quippe Dei et orationem beati Petri, quæ Simonem Magum, eorum utique magistrum, ad altiora tendentem mirabiliter dejecit, speramus ruinam eorum non diu remoraturam, et quietem sanctæ Ecclesiæ, victis et confusis hostibus suis, more solito gloriosissime dilatandam. Vos itaque, dilectissimi fratres, innocentiam communis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpendentes, et quantum diabolus membra sua ad inferendam præfatæ Romanæ Ecclesiæ inquietudinem exerceat, considerantes, sicut decet, et officii vestri debitum exigit, orationibus aliisque modis, quibus laboranti matri succurrendum est, operam studiumque impendite, quatenus appareat vos legitimos ejus filios esse, ipsiusque contumeliam, partita nobiscum laboris diligentia, ex corde sentire. Quod si fueritis socii compassionis, eritis, auxiliante Deo, lætitiæ participes et consolationis. Cætera quæ non inseruimus, legatis nostris, quibus sicut nobis credere potestis, referenda commisimus.

Data Cicani, duodecimo Kalendas Augusti.

EPISTOLA VI.

AD EOSDEM.

(Anno 1080.)

Ut Michaeli imperatori Constantinopolitano, ab imperatoria dignitate injuste ejecto, et apostolicæ sedis ac Roberti ducis auxilium imploranti, subveniant. Præcipit militibus qui apud eum militare voluerint ut ei fideliter inserviant; mandatque episcopis ut eos milites moneant, ut rectam fidem erga eum servent, timorem et amorem Dei præ oculis habeant, et in bonis operibus perseverent, sicque illos a peccatis absolvant.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis in Apulia et Calabria commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse prudentiæ vestræ non dubitamus gloriosissimum imperatorem Constantinopolitanum, Michaelem videlicet (401), ab imperialis excellentiæ culmine indigne potius et malitiose, quam juste aut rationabiliter, esse dejectum, qui auxilium beati Petri, necnon filii nostri gloriosissimi ducis Roberti flagitaturus Italiam petiit. Quapropter nos, licet indigni, sedis ipsius curam gerentes, compassionis visceribus moti, precibus illius, nec non ejusdem ducis, annuendum esse censuimus, et a fidelibus beati Petri subveniendum sibi fore putavimus. Igitur quia inter cætera multimoda suffragia, istud non minus profuturum memorati principes exsistimant, scilicet, ut milites auxiliatores, recta fide, non dissimilibus animis ire constanter in adjutorium et defensionem præfati imperatoris debeant, apostolica auctoritate præcipimus quatenus illi qui militiam ipsius intrare statuerint, in contrariam partem proditoria tergiversatione transire non audeant, verum (quod Christianæ religionis honor et debitum postulat) ei præsidium fideliter impendant. Dilectioni quoque vestræ nihilominus præcipiendo mandamus ut eos qui cum eodem duce et prædicto imperatori transfretaturi sunt, diligentissime, ut vestrum officium exigit, mo-

(401) Ducam intelligit qui Parapinacius dicebatur et purpuram posuerat die 7 aprilis anni 1078.

neatis condignam pœnitentiam agere, et rectam fidem, sicut decet Christianos, circa illos servare, in omnibus actibus suis timorem Dei et amorem præ oculis habere, et in bonis operibus perseverare; sicque illos fulti nostra auctoritate, imo beati Petri potestate, a peccatis absolvite.

Data octavo Kalendas Augusti.

EPISTOLA VII.

AD UNIVERSOS FIDELES.

(Anno 1080.)

Multorum principum auxilium promissum sibi præsto esse significans, se Ravennam armata manu venturum ait, ut eam ecclesiam de manibus impiorum eripiat. Quare hortatur ut eorum impiorum superbiam et conatus una secum contemnant; unde sanctæ Ecclesiæ pacem divina clementia stabiliendam fore sperent.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratribus et coepiscopis Christianam religionem defendentibus, cæterisque clericalis ac laicalis ordinis Sancti Petri fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum sit dilectioni vestræ nos, tam per nos ipsos quam et per legatos nostros, cum duce R.... [Roberto], et Jordane cæterisque potentioribus Nortmannorum principibus fuisse locutos, qui profecto unanimiter promittunt se (sicut jurati sunt) ad defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostrique honoris contra omnes mortales auxilium impensuros. Idipsum quoque nobis, et qui circa Urbem longe lateque sunt, et in Tuscia cæterisque regionibus principes firmiter pollicentur. Unde post Kalendas Septembris, postquam tempus frigescere cœperit, cupientes sanctam Ravennatem (S. R.) ecclesiam de manibus impiis eripere, et Patri suo beato Petro restituere, partes illas armata manu (sicut de Domino speramus) petemus, ac per ipsius auxilium nos eam liberaturos haud dubie credimus. Quapropter nos audaciam impiorum, eorumque qui nos, imo in beatum Petrum, se erexerunt, machinationes pro nihilo ducentes, volumus atque hortamur vos superbiam conatusque illorum æque nobiscum contemnere, tanto de ruina eorum certiores quanto eos ad altiora niti ascendere cernitis. Talibus namque Propheta imprecans ait : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (*Psal.* LXXIII); aperte declarans quia audax impietas eo magis casui vicinior exstat quo amplius se ascendisse existimat. Vos ergo qui Deum timetis, et beati Petri fidelitatem tenetis, de misericordia Domini nullatenus hæsitantes prorsus sperate, et nefandorum perturbationem merita ruina cito sedandam, et sanctæ Ecclesiæ pacem et securitatem (sicut de divina clementia confidentes promittimus) proxime stabiliendam.

EPISTOLA VIII.

AD ALPHANUM EPISCOPUM SALERNITANUM.

(Anno 1080.)

Gratulatur de beati Matthæi apostoli corporis inventione. Hortatur episcopum, ut reliquias debita veneratione prosequatur, ac moneat ducem R.... et ejus conjugem, ut tam insigni patrono reverentiam et honorem decenter exhibeant, et ejus opem promereri contendant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, fratri et coepiscopo Salernitano Alphano salutem et apostolicam benedictionem.

Divinæ pietatis respectui gratias ingentes referimus, cujus dignatio thesaurum magnum totique mundo profuturum nostris temporibus misericorditer revelavit. Non immerito tuæ quoque dilectioni gratulamur, quæ tantæ lætitiæ cœlitus revera ostensæ participes nos efficere sollicite procuravit. Credimus siquidem et incunctanter asserimus, de tanti corporis inventione, non solum ipsum beatum Matthæum apostolum, verum etiam cæteros coapostolos cum sanctis omnibus, ipsisque cœlestibus spiritibus et gloriosa Dei genitrice Maria, mortalibus congaudere, atque ipsorum omnium studia circa humanum genus hoc tempore quam aliis multo propensiora multumque esse uberantiora [*f.* exuberantiora, *sic et in cod. Mutin.*]. Si enim cæteris temporibus sanctorum nos patrocinia pia non deserunt, certissime tunc potissimum speranda sunt eorum auxilia, cum sanctissima eorum corpora nobis quasi rediviva divino nutu manifestantur; et sicut per corporei aspectus intuitum tanquam fides cernitur, spes jam tenetur, ita eorum beneficia tunc erga devotos renovari uberiusque redundare credendum est. Unde et jam sancta universalis Ecclesia, dudum magnis turbinibus variisque tempestatum procellis impulsa, clamorum suum a Domino exauditum non dubitet, sed ad quieti littoris securitatem alacres oculos e vicino intendens, beati Matthæi apostoli præsidium juxta contempletur quoniam jam nunc dubie agit in portu cui suam præsentiam ostendit gubernator antiquus. Quapropter de tanti thesauri revelatione tua fraternitas exsultet in Domino, beatissimas reliquias debitæ venerationis obsequiis dignis amplectens, gloriosum ducem R...,. ipsiusque nobilissimam conjugem hortetur et moneat, quatenus tam insigni patrono, qui se eis demonstrare dignatus est, reverentiam et honorem decenter exhibentes, ipius gratiam et auxilium sibi suisque promereri nisibus summæ devotionis contendant.

Data Romæ, decimo quarto Kalendas Octobris.

EPISTOLA IX.

AD GERMANOS.

(Anno 1080.)

Calamitatem Ecclesiæ causam peccatis ascribit; sed patientia et spe opus esse ostendit. Hortatur itaque primum sacerdotes, ut subditorum actiones corrigant; deinde cæteros omnes, ut fiduciam in Domino constituant; sperat tamen nonnullos ad gremium matris Ecclesiæ conversum iri.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, diversique ordinis ac potestatis clericis et laicis in Teutonico regno morantibus, illis duntaxat qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideliter obediunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam *nihil in terra sine causa fit* (*Job.* v), sicut sapientis verba testantur, quod dudum sancta Ecclesia fluctuum procellarumque mole concutitur, quodque tyrannicæ percussionis hactenus rabiem patitur, non nisi peccatis nostris exigentibus evenire credendum est. Nam judicia quidem Dei verissime omnia justa sunt; sed inter hæc omnia, clarissimi, dispositionis divinæ patientiæ virtus habenda est et spei certitudo ad cœlestis misericordiæ respectum firmiter est extendenda; cujus manus nec ad exaltandam fidelium humilitatem imbecillis, nec ad dejiciendam hostilis elationis superbiam invenitur invalida. Quod si culparum morbis pœnitentiæ medicamen adhibuerimus, et excessus ac negligentias nostras ipsi districte corrigendo ad justitiæ formam mores nostros instituerimus, profecto, superna virtute auxiliante, et inimicorum rabies cito peribit et diu desideratam pacem atque securitutem Ecclesia sancta recipiet. Quare vobis specialiter, qui in sacerdotalis regiminis apice præsidetis, nunc loquimur, ad quorum sollicitudinem subditorum vita pertinere dignoscitur, et quos de commissi gregis cura in venturo examine rationem reddere convenit, ut subjectorum actus et conversationem, nulla gratia vel timore præpediente, diligenter inspiciatis, et discretæ correctionis acie quæ amputanda sunt resecare, secundum quod a matre vestra sancta Romana Ecclesia accepistis, non negligatis; illud propheticum in memoria semper habentes: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* (*Psal.* IV). De cætero dilectionem omnium vestrum monemus atque hortamur, fiduciam vestram in Domino et in potentia virtutis ejus constituite quoniam fini appropinquavit adversariorum malitia, ita ut qui desperantes in Dominum et sanctam Romanam, omnium matrem, Ecclesiam se extulerunt, temeritatis pœnas, haud multum tardante merita ruina, persolvant. Nonnulli tamen, quod de cunctis optaremus, per misericordiam Dei de errore suo et iniquitatis via pœnitentes ad gremium matris convertuntur Ecclesiæ.

Data x Kal. Octobris.

EPISTOLA X.

AD ORZOCCUM JUDICEM CALARITANUM.

Devotionem ejus erga beatum Petrum in honore præstito legato apostolico agnoscens, monet ut quæ ab ipso legato audivit memoria teneat, neve moleste ferat quod quemdam archiepiscopum barbam radere coegit; sed ipsum ut pastorem suscipiens, de ejus consilio omnem potestatis suæ clerum barbam radere compellat. Se noluit ait assensum iis dare qui terram ipsius invadendi facultatem sibi concedi petierunt, neque daturum, si fidem servare voluerit; imo, si quis id attentaverit, a se prohibitum iri, cumque beati Petri auxilium, si in ejus fidelitate permanserit, habiturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, glorioso judici Calaritano ORZOCCO [*forte verius* ORZOCCOR, *ut* lib. I, ep. 41. HARD.] salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias omnipotenti Deo referimus quod tua sublimitas, beatum Petrum recognoscens, debitum honorem et reverentiam legato nostro Populoniensi episcopo Vu. . . . . exhibuit: ac proinde ita devotionem tuam in illo suscipimus, quasi nobis, imo beato Petro præstiteris, dicente Domino: *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* x). Dilectionem ergo tuam monemus, ut ea quæ a præfato legato nostro atque Azone prudenti viro audivisti, alta memoria semper retineas, si tui memoriam in nobis ante Dominum jugiter esse desideras. Nos enim memorati episcopi hortatu et precibus, qui se a te reverenter susceptum honorificeque tractatum testatur, apud illum, cujus vice licet indigni fungimur, te in mente specialiter deinceps habere optamus. Nolumus autem prudentiam tuam moleste accipere quod archiepiscopum vestrum Jacobum consuetudini sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarum, vestræque specialiter obedire coegimus, scilicet ut, quemadmodum totius occidentalis Ecclesiæ clerus, ab ipsis fidei Christianæ primordiis, barbam radendi morem tenuit, ita et ipse frater noster vester archiepiscopus raderet. Unde eminentiæ quoque tuæ præcipimus ut ipsum, ceu pastorem et spiritualem patrem, suscipiens et auscultans, cum consilio ejus omnem tuæ potestatis clerum barbas radere facias atque compellas; res quoque omnino renuentium, nisi demum consenserint, publices, id est juri Calaritanæ Ecclesiæ tradas, et ne ulterius inde se intromittant constringas, nec non ipsum ad honorem Ecclesiarum defendendum promptissime adjuves. Præterea nolumus scientiam tuam latere nobis terram vestram a multis gentibus esse petitam, maxima servitia, si eam permitteremus invadi, fuisse promissa, ita ut medietatem totius terræ nostro usui vellent relinquere partemque alteram ad fidelitatem nostram sibi habere. Cumque hoc non solum a Nortmannis, et a Tuscis ac Longobardis, sed etiam a quibusdam Ultramontanis crebro ex nobis esset postulatum, nemini in ea re unquam assensum dare decrevimus, donec ad vos legatum nostrum mittentes animum vestrum deprehenderemus. Igitur quia devotionem beato Petro te habere in legato suo monstrasti, si eam, sicut oportet, servare volueris, non solum per nos nulli terram vestram vi ingrediendi licentia dabitur, sed etiam, si quis attentaverit, et sæculariter et spiritualiter prohibebitur a nobis ac repulsabitur. Auxilium denique B. Petri, si in ipsius fidelitate perseveraveritis, procul dubio, quod non deerit vobis, et hic et in futurum promittimus.

Data tertio Nonas Octobris.

EPISTOLA XI.

AD REGEM SUECIÆ.

(Anno 1080.)

Gaudet quosdam sacri verbi ministros illius terram ingressos, seque de ejus salute spem magnam habere asserit, cum Gallicana Ecclesia de thesauris sanctæ matris Romanæ Ecclesiæ acceperit. Atque ut is uberiorem religionis gratiam assequatur, vult sibi ab eo aliquem mitti, qui gentis illius mores

sibi recenseat, et mandata apostolica ad eum referat. Interim commissum sibi regnum injustitia regat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei I.... glorioso Sueonum [Suetonum] regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam regni tui terram quosdam sacri verbi ministros fuisse ingressos audivimus, noverit excellentia tua nos in Domino multum lætari; deinceps quoque, de salutis vestræ reparatione plurimum spei indubitanter habere. Gallicana siquidem Ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ accepit, salubri vobis eruditione contradidit. Quapropter, ut Christianæ religionis et doctrinæ gratiam obtineatis uberiorem, volumus celsitudinem tuam aliquem episcopum, vel idoneum clericum, ad apostolicam sedem dirigere, qui et terræ vestræ habitudines gentisque mores nobis suggerere, et apostolica mandata de cunctis pleniter instructus ad vos certius queat referre. Interim vero monemus ut prudentia tua commissum sibi regnum in concordiæ justitiæque custodia dirigat atque disponat, ac ita circa subjectos pacis jura et æquitatis districtionem servare inter cætera virtutum studia satagat, quatenus per temporalis regiminis sollicitudinem mereatur æterni percipere securitatem, et cum justis vocem, totius jucunditatis plenam, in extremo examine digne possit audire: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXII).

Data quarto Nonas Octobris.

EPISTOLA XII.

AD FIRMANOS, RAVENNATES, ET TUSCOS.

(Anno 1080.)

Queritur Ravennatem Ecclesiam ab ejus sacrilego archiepiscopo devastatam. Quo in Romana synodo excommunicato ac deposito, ipsam Ecclesiam in pristinum statum reducere, eique de idonea persona providere cupiens, præcipit ut sibi in ea re unanimes sint adjumento.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, abbatibus, clericis atque laicis in marchia Firmana, Tuscana, et in exarchatu Ravennati constitutis, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut Christianos oportet, obediunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Prudentiæ vestræ notum esse non dubitamus, quanto religionis cultu sancta Ravennas Ecclesia pollere, quantisque rerum necessariarum copiis solita sit præteritis annis affluere, quodque magis illius interest, quam speciali dilectione matri suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ ab ipso fidei Christianæ principio semper adhæserit. Cujus antiquum decus in spiritualibus et sæcularibus profecto cum reminiscimur, non sine gravi mœrore eam in tanta devastatione laborantem nunc cernimus, et ut apertius intelligatis, certe persuasorem destructoremque ipsius Vu...... dictum archiepiscopum ita religionem ejus disperdidisse, et bona dilapidasse, non minori fere dolore sufferimus, quam si idem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro audacia sua fecisset. Verum cum cætera facta illius perpenduntur, hæc non tantopere miranda videntur. Quippe qui perjurium de inobedientia et infidelitate committere non timuit, quique contra ipsam apostolicam sedem, cui pejeraverat, conspirare pro minimo habuit, eamque invadere cogitans, eodem modo dissipare vehementissime cupiit, homo superbissimus, nefandorum scelerum sibi conscius; cui mirum debet videri, si, adepta potestate, ubi licuit ita se habuit? Sed illius facinora commemorare supersedeo, quæ per totum fere Romanum orbem se prodiderunt, pro quibus ipse in sancta synodo Romæ celebrata, omnium episcoporum qui aderant consona sententia, jam ex triennio gladio anathematis sine spe recuperationis percussus est; ea non preterierunt notitiam vestram. Præfatam igitur Ravennatem Ecclesiam de manibus violentis eripere, et ad pristinum statum pro officio quod, licet indigni, gerimus reducere cupientes, talem personam eligendam atque in ea præficiendam fore censuimus, cujus religio nec non prudentia, Deo favente, et interius lumen in ea sanctitatis reformare, et exteriorum rerum damna norit studeatque reficere. Quamobrem nos, in hujus nostræ necessariæ dispositionis effectu, vestro plurimum egentes auxilio, invitamus, rogamus atque apostolica auctoritate vobis præcipimus ut, in restauratione illius antiquitus sanctæ Ecclesiæ, omnes unanimiter consensum et pro posse adjutorium tribuentes, eam de servili oppressione, imo tyrannica servitute, eripere et priscæ libertati restituere nobiscum procuretis, ac in reperiendo idoneam illi regimini personam summopere laborantes invigiletis. Quicunque enim in hac re studium devotionis impenderint, non dubie credimus eos et apostolicam gratiam promerituros, et apud divinam clementiam patronum sibi beatum Apollinarem, si in bonis perseveraverint, certissime acquisituros.

Data Idibus Octobris.

EPISTOLA XIII.

AD RAVENNATES.

(Anno 1080.)

Ejusdem argumenti.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus clericis et laicis Ravennæ morantibus, qui beatum Petrum [beatum Apollinarem] apostolum diligunt, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut Christianos oportet, obediunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Credimus non latere vestram scientiam Ravennatem Ecclesiam sedi apostolicæ præ cæteris vicinius hærere solitam fuisse, eamque specialiter ab ipsa dilectam, quidquid dignitatis et honoris antiquitus per beatum A.... [Apollinarem, Hard., *sic et in cod. Mutin.*] tenuit, munere scilicet præfatæ sedis concessum habuisse. Postquam vero superbiæ auctor et discordiæ seminator, diabolus, per membra sua eamdem Ecclesiam, contumacia interve-

niente, a Romana divisit, quæ damna, quæ detrimenta non modo religionis, sed etiam bonorum suorum vestra pertulit, maximeque per tyrannidem Vu . . . . [Wiberti, Hard., *sic et in cod. Mutin.*] dicti archiepiscopi quantam in utraque re destructionem perpessa sit satis vos ipsi novistis. Et hujus quidem tanto vesaniorem dilacerationis morsum sustinuit, quanto eum desperatiorem impurior conscientia retrorsum abire subegit. Denique scelerosus, sacrilegus atque perjurus, postquam [ob] hujusmodi nefaria in universali synodo [*infra,* in synodo Rom. II], cunctis qui aderant episcopis consentientibus atque laudantibus, digna suis moribus damnationis animadversione multatus est, non confestim resipiscens ad sani cordis consilium rediit, sed patrem suum diabolum imitans, sibique iram in die iræ thesaurizans (*Rom.* II), quidquid gravius cogitare, quidquid superbissimum potuit audere molitus est. Et quia se unam ex nobilissimis Ecclesiam vestram ex maxima parte destruxisse parum existimabat, sanctam Romanam sedem, sicut omnes aperte norunt, invadere, secumque eam in ruinam et præcipitium trahere est meditatus. Proinde quoniam nos, pro eminentia loci cui, Deo auctore, quamvis indigni, præsidemus, cum sollicitudinem nostram monemur universis extendere, tum circa quodammodo nobis conjunctiores diligentius compellimur invigilare, Ecclesiæ vestræ devastationem non alienam putantes, sed quasi nostræ, cujus specialis filia est, condolentes, cum consilio atque auxilio omnium vestrum qui Deum timetis, volumus et desideramus ad antiquum specimen et religionis statum, in quantum, Domino largiente, poterimus, eam reducere. Igitur illo putrido membro gladio excommunicationis exciso, atque ita ut inter sacerdotes etiam in æternum non debeat connumerari deposito, dilectionem vestram monemus ac pro salute vestra rogamus ut toto affectu mentisque intentione talem personam una cum confratribus nostris episcopis, et archidiacono cæterisque diaconis, quos propterea ad vos nostra vice direximus studeatis eligere, quæ tanto honori, scilicet vestri archiepiscopatus regimini, secundum Deum videatur competere. Non ulterius Ecclesiam vestram ancillari servitute opprimi ab impiis manibus patiamini, sed, sicut boni filii, eam nobiscum in maternam, hoc est Romanæ Ecclesiæ, libertatem vindicare satagite, quatenus et honorem Dei, dum sponsæ ejus, sanctæ Ecclesiæ, libertatem diligitis, vos ostendatis amare, et æternæ beatudinis hæreditatem, quasi liberi filii, merito possitis et debeatis sperare.

Data Idibus Octobris.

EPISTOLA XIV.

AD RAVENNATES, FIRMANOS, ET SPOLETINOS.

(Anno 1080.)

Commendat eis electum Ravennatis Ecclesiæ archiepiscopum. Hortatur ut ei debitam reverentiam exhibeant, præcipueque contra illius Ecclesiæ damnatum devastatorem adjuvent.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omA nibus episcopis, abbatibus, comitibus, atque militibus in parochia Ravennati, et in Pentapoli, nec non et in marchia Firmana, et in ducatu Spoletino commorantibus, illis videlicet qui beatum Petrum diligunt, neque vinculis excommunicationis tenentur, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse credimus, fratres charissimi, quia ubique terrarum religiosi viri clerici et laici per gratiam Dei nos diligunt, et ea quæ dicimus sive præcipimus libenter approbant et obedienter suscipiunt, illi videlicet qui justitiam discernunt et intentionem nostram cognoscunt. Inimici autem crucis Christi, imo hostes animarum suarum, in nos insurgere, et, dementiæ cæcitate perculsi, contra salutem suam, sanctam Ecclesiam conculcare conanB tur. Quod multum profecto gaudemus, intuentes illos qui Deum diligunt rebus nostris favere; et non hos, sed illos duntaxat qui oderunt animam suam (*Psal.* X) inimicos nobis existere. Quorum quidem odium hac maxime de causa, sicut vos scitis, incurrimus, quia ipsos de laqueis diaboli eruere et ad sinum matris Ecclesiæ reducere curavimus. Vos itaque, quos ab illorum perfidia remotos et alienos existimamus, oportere tunc credimus ut qualem habeatis animum circa nos, imo B. Petrum, cujus vice, licet indigni, fungimur, demonstretis; et si, quemadmodum arbitramur, vos fideliter geritis, manifestis indiciis, cum tempus adest et res expostulat, declaretis. Est autem in quo devotionem vestram egregie potestis ostendere, si decreta atque statuta C sedis apostolicæ pro posse vestro studetis atque satagitis adjuvare. Igitur Ravennatem archiepiscopum fratrem nostrum R.... quem post longas et innumeras pervasorum occupationes nuperrime, sicut olim a beato Petro Apollinarem, ita nunc Ravennas ab Ecclesia Romana meruit accipere, studium vobis sit, tum propter amorem sanctissimi martyris cujus sede et reliquiis illa decoratur Ecclesia, tum propter apostolicæ sedis debitam reverentiam, consiliis et auxiliis vestris confirmare, atque ei contra illius sancti loci sacrilegum damnatumque devastatorem Vu.... modis omnibus subvenire. Præcipimus namque ut, juxta consilium legati nostri qui defert has litteras, prædicto confratri nostro archiepiscopo D consilium et auxilium vestrum ita firmiter promittatis, ut, dum inimici audierint, rebus suis cogantur et jure possint timere; cum vero amici et fideles nostri cognoverint, una nobiscum de promissis vestris certissime queant sperare.

Data tertio Idus Decembris.

EPISTOLA XV.

AD VALVENSES.

(Anno 1080.)

Invehitur in Trasmundum quemdam, qui a se increpatus quod episcopatum dimiserit, et monitus ne se in eo amplius intruderet, ausus sit ipsam Ecclesiam pervadere. Præcipit nullam ei obedientiam exhiberi, sed bona ecclesiæ de manibus ejus eripi, legatoque apostolicæ sedis in ea re auxilium præberi.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, om-

nibus in episcopatu Valvensi [Valvanensi] habitantibus, majoribus atque minoribus, sive potestatem in eo habentibus, qui gratiam beati Petri cupiunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Transmundus vester dictus episcopus ad nos venit, quem nimirum nos duris verbis increpuimus, propterea quod episcopatum sine ratione dimiserat. Præcepimus etiam illi, propter istam stultitiam, ut de episcopatu se deinde non intromitteret, sed iret ad Montem Cassinum, ibique tandiu esset donec cum ipso præfati loci abbate aliisque religiosis et prudentibus viris consilium caperemus quid de illo et vestra Ecclesia esset faciendum. Quod nostrum præceptum (sicut audivimus) contemnens, et per inobedientiam idololatriæ scelus incurrens, ausus est ecclesiam interdictam ad augmentum malitiæ suæ pervadere, eamque nunc pertinaciter non metuit occupare. Proinde apostolica auctoritate præcipimus vobis ut, si gratiam Dei et beati Petri diligitis, animarumque vestrarum periculum timetis, nullus vestrum episcopalem reverentiam illi exhibeat, sed, bona ecclesiæ de manibus illius eripientes, eum sicut invasorem habeatis, et res ecclesiæ ne distrahere valeat a potestate ipsius defendatis. Nihilominus quoque mandamus ut huic legato nostro Joanni subdiacono, quem ad hoc vobis direximus, auxilium in his quæ necessaria fuerint præbeatis, quatenus ipse una vobiscum quæ in hac re facienda sunt melius possit implere.

Data secundo Idus Decembris.

EPISTOLA XVI.

AD N. N.

(Anno 1080.)

Laudat quod parentum suorum vestigia imitati devotum animum erga Romanam Ecclesiam gerant, utque in eo in dies magis proficiant hortatur. Commendat eis Dalmatium, archiepiscopum Narbonensis Ecclesiæ canonice electum, ut eum, tanquam verum pastorem, adjuvent, et pervasori resistant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, R... et B..., nobilibus comitibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum domus vestra beatum Petrum jamdudum dilexerit, quantumque ipsi fidelis exstiterit, profecto non modo apud vos scitur, sed etiam in pluribus diversarum gentium partibus notum habetur. Unde et de inimicis victoriam, et præ cæteris paribus suis honorem et gloriam hactenus obtinuisse longe lateque dignoscitur. Quia vero parentum vestrorum, sicut nobilitatis lineam, ita quoque probitatum studia vos imitari cognovimus, pro certo valde lætamur et ut devotum animum circa beatum Petrum et matrem omnium sanctam Romanam Ecclesiam semper geratis, salubriter hortamur atque monemus, cujus vos dilectionem tenere procul dubio in nullo melius potestis ostendere quam si, inter cætera bona quæ debetis agere, sanctam Ecclesiam procuratis juvare atque defendere. Itaque saluti vestræ præcipue providentes, rogamus et ex parte beati Petri præcipimus vobis ut Narbonensi Ecclesiæ, jam ex longo tempore a membris diaboli pervasæ, prompte subvenientes, fratrem nostrum Dalmatium archiepiscopum, quem tandem canonice et secundum Dominum electum et ordinatum meruit accipere, modis omnibus studeatis adjuvare; illi vero pervasori, qui non per ostium, ut pastor, sed aliunde, ut fur et latro ingressus, oves Christi mactat et perdit (*Joan.* x), imo diabolo tradit, modis quibus potestis resistite, si gratiam omnipotentis Dei desideratis obtinere. Agite ergo, et omnino procurate beatum Petrum, apostolorum principem, vobis adjutorem, imo debitorem facere, qui potest vobis hujus vitæ et futuræ salutem et honorem dare vel tollere, quique nescit fideles suos relinquere, sed potius novit superbis resistere, et confundere, humilibus autem gratiam dare (*Jac.* IV), eosque exaltare.

Data decimo Kalendas Januarii.

EPISTOLA XVII.

AD CLERUM ET POPULUM REMENSEM.

(Anno 1080.)

Arguit Manassem olim archiepiscopum Remensem, qui legati apostolici sententia damnatus Ecclesiam ipsam invadere præsumpserit. Quare monet ut ei modis omnibus resistant, et de episcopi Diensis legati consensu alium pastorem eligant, qui eorum laboranti Ecclesiæ subvenire valeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universo Remensis Ecclesiæ clero et populo, salutem et apostolicam benedictionem.

Non dubitamus ad notitiam vestram pervenisse quod Manasses, olim dictus archiepiscopus vester, synodalem damnationis suæ sententiam, exigentibus culpis suis, adjudicante confratre nostro Diensi episcopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ legato subierit. Quam itaque diligenter perscrutantes et pro magnitudine iniquitatum ejus justissimam fuisse approbantes, eo tenore in Romana synodo confirmavimus, rogatu multorum fratrum, ut, concessis sibi induciis, si posset, ad expurgandum se de objectis veniendi licentiam haberet ac liberam de se agendi facultatem; ita tamen ut interim regimine ipsius Ecclesiæ cederet, et in Cluniacensi vel in aliquo religioso monasterio degeret, ut cujus obedientiæ quantæque humilitatis esset probaretur. Verum (sicut vos ipsi scitis) non solum huic definitioni non obedivit, sed, ad contemptum interdictionis nostræ, Ecclesiam vestram invadere ac impudenti devastatione confundere præsumpsit, utpote quam non per ostium, ut pastor, sed aliunde, ut fur et sævissimus prædo intravit, ad hoc scilicet ut gregem Dominicum mactet et perdat, non ut vigilantia pastoris protegat et defendat (*Joan.* x). Siquidem adeo in immensum actuum suorum tetendit iniquitas ut dignissime damnationi atque excommunicationi subjaceat, ita ut in perpetuum nullam restitutionis suæ spem concipere debeat. Quapropter apostolica vos auctoritate monemus ut perversis actibus ejus in nullo communicetis; imo, ut tollatur de medio vestrum et in

interitum carnis suæ tradatur Satanæ, ut spiritus salvus sit (*I Cor.* v), sibi modis omnibus resistatis; detis etiam operam ut, communi consilio parique voto, assentiente vobis prædicto confratre nostro Diensi episcopo, Patrem vobis, secundum Dominum, eligatis, qui Ecclesiæ vestræ diutina pseudopastorum improbitate laboranti valeat subvenire, et antiquam sui libertatem, Christo auxiliante, vobiscum reparare.

Data sexto Kalendas Januarii.

EPISTOLA XVIII.

AD HEBOLUM COMITEM.

(Anno 1080.)

Manassem archiepiscopum Remensem, Hugonis Diensis episcopi legati apostolici in concilio Lugdunensi sententia depositum, denuntiat, monens ut tam seipsum quam alios ab ejus amicitia retrahat, eique pro viribus resistat, et quem alium archiepiscopum major cleri pars cum consensu legati elegerit adjuvet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Hebolo [Ebuloi] nobili et glorioso comiti, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut prudentia tua meminisse potest, nos longo tempore, præter voluntatem tuam virorumque religiosorum qui ipsum noverant, Manassem dictum Remensem archiepiscopum dissimulavimus, eumque putantes correctionis suæ curam habere, diu profecto portavimus. Verum ille patientia nostra abusus, et (quod evidenter apparet) ex conscientia prava in desperationis foveam lapsus, non solum se prætensæ mansuetudini ingratum exhibuit, sed etiam in reliquum misericordia S. Petri indignum se fecit, scilicet ut cujus in depositione sententiam vicarii nostri Hugonis Diensis episcopi in concilio Lugdunensi prolatam approbatamque ad terminum nos distulerimus, deinceps in perpetuum firmam esse et ratam, ipsumque sine spe recuperationis depositum adjudicemus. Quapropter eum irrevocabili judicio episcopalis sedis regimine privatum esse tuæ celsitudini denuntiantes, monemus, atque ex parte beati Petri præcipimus ut tam teipsum a pestifera amicitia illius amodo retrahas, quam et alios, quos potes, ab eo custodire se doceas. Ut autem gratiam Dei et beati Petri largius [merearis], merito quas sperare studium (*lege,* merito queas sperare, studium, Hard., *sic et in Mut.*) solertiæ tuæ non desit; tam per teipsum quam et per quoscunque valeas [studeas] præfato deposito pro magnitudine tua resistere, illumque archiepiscopum, quem saniori consilio pars cleri melior cum consensu prædicti legati nostri, Hugonis videlicet episcopi Diensis, illi sedi elegerit, modis omnibus adjuvare (402). In hac igitur re ita te devotum et obsequentem mandatis apostolicis aperte demonstres, quemadmodum tuis in necessitatibus fideles tuos existere cuperes, et sicut a fidelibus tuis non impune tergiversationem tibi fieri summis in negotiis ferres, ita procures re- A spectu beati Petri, ad quem spectat totius Ecclesiæ causa, rem hanc ex animo gerere, quatenus et hic eum protectorem, et in futuro patronum ex debito merearis habere.

Data sexto Kalendas Januarii.

EPISTOLA XIX.

AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ REMENSIS.

(Anno 1080.)

Ejusdem fere argumenti.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, suffraganeis videlicet sanctæ Remensis Ecclesiæ, his tamen qui se ab excommunicatis custodiunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse fraternitati vestræ credimus quod nos B iniquitates Manassæ, dicti Remensis archiepiscopi, longo tempore supportavimus, eumque sperantes de malitia sua converti diu nimiumque dissimulavimus. Sed quoniam beata Maria, cujus ille sedem perditus occupabat, noluit Ecclesiam suam sceleribus illius diutius pollui, quæ de eo graviora dudum latuerant, ad notitiam multorum erupere in lucem. Pro quibus ipse in Lugdunensi concilio, cui frater et vicarius noster Hugo Diensis episcopus præerat, eodem dictante, cunctisque fratribus religiosis qui aderant assentientibus, depositionis sententiam meruit. Eam itaque præfati conventus censuram, quam nos, apostolica mansuetudine utentes, subjuncto tenero temperaveramus, quoniam ille conscientia desperante in duritia sua inobedientiæque contemptu voluit C manere potius quam ad sani sensus consilium animum flectere, jam hunc ex apostolica auctoritate firmamus, atque irrecuperabiliter depositum esse in reliquum adjudicamus. Proinde fraternitatem vestram ne ulterius illi episcopalem reverentiam debeat absolvimus; imo apostolica auctoritate præcipimus ut nemo ei quasi pastori obediat, sed quisque, pro officio suo et viribus, sicut invasori resistat. Quod nostrum, potius vero sancti Spiritus, judicium dilectio vestra studeat subditis sibi cunctisque quibus valet populis denuntiare; et ut ab ejus participatione sibi caveant, ipsumque modis quibus possunt coarctent, non negligat charitas vestra monere. De cætero volumus, et ex parte beati Petri jubemus quatenus, adhibitis illius Ec- D clesiæ clericis, talis persona eum consensu præfati legati nostri Diensi episcopi ut eligatur procuretis, quæ tanto regimini digne competere videatur. Nos enim eam electionem quam pars cleri et populi melior et religiosior, consentiente prædicto nostro vicario, fecerit, Deo favente, firmantes, apostolica auctoritate roboramus. Diligentia igitur vestra ita se in hac re pronam, nobisque, imo beato Petro, obedientem exhibeat, ut, cognito studio et vigilantia vestra, si quid in præterito negligenter aut inobedienter deliquistis, merito propter hoc debeamus sufferre.

Data sexto Kalendas Januarii.

(402) Locus obscurus.

EPISTOLA XX.

AD PHILIPPUM REGEM FRANCORUM.

(Anno 1080.)

Rogat ne Manassæ Remensi archiepiscopo deposito ullum ulterius favorem præbeat, sed eum ab amicitia sua repellat. Monet præterea ne electionem impediat, quam Remensis Ecclesiæ clerus et populus facturus erat, sed illi quem major pars elegerit auxilium præbeat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, PHILIPPO, glorioso regi Francorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Sæpe per nuntios tuæ celsitudinis audivimus te gratiam B. Petri nostramque amicitiam cupere; quod et tunc nos libenter accepisse, et adhuc, si eum animum geris, noveris admodum nobis placere. In hoc enim te tuæ salutis amicum sollicitumque esse demonstras, si apostolicam benevolentiam, sicut Christianum regem decet, assequi et obtinere desideras; quam quidem hoc pacto adipisci multo facilius ac dignius poteris, si te in ecclesiasticis negotiis diligentem devotumque reverenter exhibueris. Quia in re procul dubio minus vigilanter multumque negligentius quam sanum fuerit olim habuisse te cerneris. Sed nos adolescentiæ tuæ præterita delicta, spe correctionis tuæ portantes, ut deinceps castigatis moribus ad ea quæ oportet invigiles, ex debito officii nostri monemus. Igitur inter cætera virtutum studia regiæ excellentiæ convenientia, quæ tibi inesse optamus, cum te justitiæ amatorem misericordiæque custodem existere, ecclesias defendere, pupillos viduasque protegere sit necessarium, non minus ad internæ salutis custodiam tibi esse pravorum consilia spernenda, maximeque excommunicatorum familiaritates detestandas, arbitramur atque asserimus. Unde sublimitati tuæ ex parte beati Petri præcipimus ac ex nostra rogamus ut Manassæ Remensi archiepiscopo dicto, sed propter suas iniquitates, quæ non prætereunt scientiam tuam, irrecuperabiliter deposito, nullum ulterius favoris tui solatium præbeas, sed eum ita ab amicitia tua rescindas atque a conspectu præsentiæ tuæ contemptum repellas, ut te pateat inimicos sanctæ Ecclesiæ, videlicet excommunicatione induratos, respuendo, Deum diligere apostolicisque mandatis morem gerendo gratiam beati Petri veraciter desiderare. Præterea volumus, et ex parte apostolica jubemus ut electionem quam præfatæ Remensis Ecclesiæ clerus et populus, Deo annuente, facturus est, nullo ingenio aut studio quominus canonice fiat impedias; sed et si quis impedire aliquo studio sæculari tentaverit, illi omni modo contradicas, atque illi quem pars fidelior et religiosior elegerit adjutorium tuum impendas. Age igitur, et, jam ætate vir factus, in hac re procura ut non frustra tuæ juventutis culpis pepercisse, nec in vanum te ad emendationem exspectasse videamur; ac maxime enitere ut beatum Petrum, in cujus potestate est tuum regnum et anima tua, qui te potest in cœlo et in terra A ligare et absolvere, tibi facias debitorem; et non pro negligentia aut veritatis dissimulatione judicium, sed pro diligentia justitiæque exsecutione ipsius gratia æternum digne merearis auxilium.

Data sexto Kalendas Januarii.

EPISTOLA XXI.

AD HERIMANNUM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 1080.)

Ad labores et pericula pro veritatis defensione paratum excitat. Rescribit ad ejus quæsita de auctoritate sedis apostolicæ in excommunicando rege Henrico, et absolvendo subditos a fidelitatis sacramento.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri HERIMANNO Metensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

B Quod ad perferendos labores ac pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris esse non dubitamus; cujus hæc est ineffabilis gratia et divina clementia quod nunquam electos suos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut dejici sinit, dum eos, persecutionis tempore quadam utili probatione discussos, etiam post trepidationem aliquam semetipsis fortiores facit. Quoniam autem sicut inter ignavos alium quo turpius alio fugiat timor exanimat, ita etiam inter strenuos alium quo fortius alio agat, quo ardentius prorumpat, virile pectus inflammat. Hoc charitati tuæ exhortationis voce curavimus commendare, ut eo magis in acie Christianæ religionis stare te delectet inter primos, quo eos non C dubitas victori Deo proximos atque dignissimos. Quod autem postulasti te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam qui nefando ore garriunt auctoritatem sanctæ et apostolicæ sedis non potuisse regem Henricum, hominem Christianæ legis contemptorem, Ecclesiarum videlicet et imperii destructorem, atque hæreticorum auctorem et consentaneum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere; non adeo necessarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum Scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus eos qui ad cumulum suæ damnationis veritati impudenter detrahunt, et contradicunt, hæc ad suæ defensionis audaciam, tam ignorantia quam D miseræ desperationis vecordia, coaptasse. Nec mirum; mos est enim reproborum, ob suæ nequitiæ protectionem, niti consimiles sibi defendere, quia pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam, ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in Evangelio : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Nunquid sunt hic reges excepti? Aut non sunt de ovibus quas Filius Dei B. Petro commisit? Quis, rogo, in hac universali conces-

sione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille qui, jugum Domini portare nolens, diaboli se subjicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit quod potestatem Petri, divinitus sibi concessam, a superba cervice excutit, quoniam quanto eam quisque, per elationem, ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in judicio portat. Hanc itaque divinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc privilegium beato Petro apostolorum principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes, sanctam Romanam Ecclesiam tam in generalibus conciliis quam etiam in cæteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt; et sicut ejus documenta in confirmatione fidei et eruditione sacræ religionis, ita etiam judicia susceperunt, in hoc consentientes, et quasi uno spiritu et una voce concordantes, omnes majores res et præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum judicia, ad eam quasi ad matrem et caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere vel posse. Unde beatus Gelasius VII papa Anastasio imperatori scribens (*epist.*), divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctæ et apostolicæ sedis sentire deberet hoc modo eum instruxit : « Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præeminere, et subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit! » Ubi prudentia tua evidenter advertit nunquam, quolibet penitus humano consilio, æquare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem.

Item Julius papa, Orientalibus episcopis scribens, de potestate ejusdem sanctæ et apostolicæ sedis ait : « Decuerat vos, fratres, adversus sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam limate et non ironice loqui; quoniam et ipse Dominus noster Jesus Christus, eam decenter allocutus, ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Habet enim potestatem singulari privilegio concessam aperire et claudere januas regni cœlestis quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendique cœli data potestas est, de terra judicare non licet? Absit! Num retinetis quod ait beatissimus Paulus apostolus : *Nescitis quia angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* (*I Cor.* VI.) Beatus quoque Gregorius papa (*Epistolarum* libro II, in *privilegio* monasterii Sancti Medardi) reges a sua dignitate cadere statuit qui apostolicæ sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quemdam Senatorem abbatem his verbis : « Si quis vero regum, sacerdotum, judicum atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et, nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æternum examini districtæ ultionis subjaceat. » Quod si B. Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta sua super unum xenodochium violarent non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit, quis nos Henricum non solum apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque regni et Ecclesiarum improbissimum prædonem et atrocissimum destructorem deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus? sicut B. P..... (*hoc est,* Beato Petro. HARD.) docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait: « Si quis amicus fuerit iis » [de] quibus ipse de eodem Clemente dicens non loquitur, « unus est et ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt; et si cum corpore nobiscum esse videatur, mente et animo contra nos est, et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt et evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, et Ecclesiam dispergit ac vastat. »

Nota ergo, charissime, si eum quem [*forte* eum qui, HARD.] amicitia vel colloquio iis quibus papa pro actibus suis adversus est sociatur, tam graviter judicat, quanta illum ipsum, cui pro actibus suis adversus est, animadversione damnat? Sed ut ad rem redeamus, itane dignitas a sæcularibus etiam Deum ignorantibus inventa non subjicietur ei dignitati quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit, mundoque misericorditer tribuit, cujus Filius, sicut Deus et homo indubitanter creditur, ita summus Sacerdos, caput omnium sacerdotum, ad dexteram Patris sedens et pro nobis semper interpellans habetur (*Rom.* VIII.); qui sæculare regnum, unde sæculi filii tument, despexit, et ad sacerdotium crucis spontaneus venit? Quis nesciat reges et duces ab iis habuisse principium, qui, Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari cæca cupiditate et intolerabili præsumptione affectaverunt? Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur quam ei qui est caput super omnes filios superbiæ (*Job* XLI), qui ipsum summum pontificem sacerdotum caput Altissimi Filium tentans, et omnia illi mundi regna promittens, ait : *Hæc omnia*

tibi dabo, si procidens *adoraveris me?* (*Matth.* IV.) Quis dubitet sacerdotes Christi regnum, et principum omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse et solvi? Hæc, sicut beatus Gregorius in epistola (lib. IV, *epist.* 31) ad Mauricium imperatorem directa commemorat, Constantinus, magnus imperator, omnium regum et principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nicæna synodo post omnes episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam super eos dare præsumpsit; sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit. Supradicto quoque Anastasio imperatori prælibatus papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur injuriam, subintulit, dicens : « Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas, in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum quanto etiam pro ipsis regibus omnium in divino reddituri sunt examine rationem. » Et, paucis interpositis, inquit : « Nosti itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. » Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontificum alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Arcadium imperatorem, qui consensit ut sanctus Joannes Chrysostomus a sede pelleretur, excommunicavit.

Alius item Romanus pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus quam eo quod tantæ potestati non erat utilis, a regno deposuit, et Pippinum, Caroli Magni imperatoris patrem, in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis quod illi fecerant absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sæpe agit sancta Ecclesia, cum milites absolvit a vinculo juramenti, quod factum est his episcopis qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius, licet sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ episcopus, pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit quod aurum non tam pretiosius sit plumbo quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens : « Honor, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera orationibus eorum credant se communiri. » Et post pauca : « Hæc cuncta, fratres, ideo nos promisisse debetis cognoscere ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri. » Meminisse etiam debet fraternitas tua quia major potestas exorcistæ conceditur, cum spiritualis imperator ad abjiciendos dæmones constituitur, quam alicui laicorum causa sæcularis dominationis tribui possit. Omnibus nempe regibus et principibus terræ qui religiose non vivunt et in actibus suis, Deum, ut oportet, non metuunt, dæmones, heu proh dolor! dominantur, et misera servitute confundunt. Tales non divino ducti amore, sicut religiosi sacerdotes, ad honorem Dei et utilitatem animarum præesse cupiunt, sed ut intolerabilem superbiam suam ostentent, animique libidinem expleant, cæteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo De doctrina Christiana dicit : « Cum vero etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est. » Porro exorcistæ, ut diximus, super dæmones a Deo imperium habent : quanto igitur magis super eos qui dæmonibus subjecti et membra sunt dæmonum. Si ergo his tantum præeminent exorcistæ, quanto amplius sacerdotes? Præterea omnis rex Christianus ad exitum veniens, ut inferni carcerem evadat, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in Dei judicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum, verum etiam laicorum, in extremis positus pro suæ animæ salute terreni regis imploravit auxilium? Quis vero regum vel imperatorum aliquem Christianum ex imposito sibi officio valet sacro baptismate ex diaboli potestate eripere, et inter filios Dei connumerare, sanctoque chrismate præmunire? et, quod maximum est in Christiana religione, quis eorum valet proprio ore corpus et sanguinem Domini conficere? vel, cui eorum data est potestas ligandi solvendique in cœlo et in terra? Ex quibus aperte colligitur quanta potestate præcellat dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum in sancta Ecclesia ordinare, quanto minus pro aliqua culpa eum deponere? Namque in ecclesiasticis ordinibus majoris est potestatis deponere quam ordinare. Episcopi enim possunt alios episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate apostolicæ sedis deponere. Quis igitur, vel tenuiter sciolus, sacerdotes dubitet regibus anteferri? Quod si reges pro peccatis suis a sacerdotibus sunt judicandi, a quo rectius quam a Romano pontifice judicari debent?

Ad summum quoslibet bonos Christianos multo convenientius quam malos principes reges intellig decet. Isti enim gloriam Dei quærendo seipsos strenue regunt; at illi, non quæ Dei sunt sed sua

quærentes (*Philip.* II), sibimet hostes alios tyrannice opprimunt; hi vero regis Christi, illi vero diaboli corpus sunt. Isti ad hoc sibi imperant ut cum summo Imperatore æternaliter regnent, illorum vero id potestas agit ut cum tenebrarum principe, qui *rex est super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI), æterna damnatione dispereant. Nec valde sane mirandum est quod mali pontifices iniquo regi, quem adeptis male per eum honoribus diligunt metuuntque, consentiunt, qui Simoniace quoslibet ordinando Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam sicut electi insolubiliter suo Capiti uniuntur, ita et reprobi maxime contra bonos ei qui malitiæ caput est pertinaciter fœderantur; contra quos profecto non tam disserendum quam pro eis est lacrymosis planctibus ingemendum, ut omnipotens Deus illos a laqueis Satanæ, quibus captivi tenentur, eripiat, et vel post pericula ad cognitionem veritatis tandem aliquando perducat. Hæc de regibus et imperatoribus, qui sæculari gloria nimium tumidi, non Deo, sed sibi regnant. Sed quia nostri est officii unicuique secundum ordinem, vel dignitatem qua videtur vigere, exhortationem distribuere, imperatoribus et regibus, cæterisque principibus, ut elationes maris (*Psal.* XCII), et superbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis, Deo auctore, providere curamus. Scimus enim quia mundana gloria et sæcularis cura eos permaxime qui præsunt ad elationem trahere solet, qua semper, neglecta humilitate, propriam quærendo gloriam, fratribus cupiant præeminere. Proinde videtur utile maxime imperatoribus et regibus ut, cum mens illorum se ad alta erigere et pro singulari vult gloria oblectare, inveniat quibus se modis humiliet, atque unde gaudeat sentiat plus timendum. Perspiciat ergo diligenter quam periculosa, quamve timenda sit imperatoria vel regia dignitas, in qua paucissimi salvantur, et illi qui, Deo miserante, ad salutem veniunt, non æque, ut multi pauperum, judicio sancti Spiritus, in sancta Ecclesia clarificantur. A mundi enim principio usque ad hæc nostra tempora, in tota authentica Scriptura non invenimus imperatores vel reges, quorum vita adeo fuerit religione præcipua et virtute signorum decorata, sicut innumerabilis multitudinis sæculi contemptorum, licet plures eorum credamus apud omnipotentem Deum misericordiæ salutem invenisse. Namque, ut de apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum æque ut beatus Martinus, Antonius, Benedictus, miraculis claruit? Quis enim imperator aut rex mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit? Ecce Constantinum piæ memoriæ imperatorem, Theodosium et Honorium, Carolum et Ludovicum, justitiæ amatores, Christianæ religionis propagatores, Ecclesiarum defensores, sancta quidem Ecclesia laudat et veneratur, non tamen eos fulsisse tanta miraculorum gloria indicat. Præterea ad quot nomina regum vel imperatorum basilicas seu altaria dedicari, vel ad eorum honorem sancta Ecclesia missas statuit celebrari? Timeant reges aliique principes, ne quanto se cæteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis subjiciantur. Unde scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). De tot enim hominibus Deo reddituri sunt rationem quot suæ dominationi subditos habuerunt. Quod si alicui religioso privato non parvus labor est unam suam animam custodire, quantus labor imminet principibus super multis millibus animarum?

Præterea si judicium sanctæ Ecclesiæ valde constringit peccatorem pro unius hominis interfectione, quid erit de iis qui multa millia morti tradunt pro hujus mundi honore? qui, licet ore aliquando dicant : Mea culpa pro multorum occisione, tamen corde gaudent in sui quasi honoris extensione, noluntque non fecisse quod egerunt, neque dolent quod fratres suos in Tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde eos non pœnitet, neque volunt humano sanguine acquisita vel detenta omittere, illorum pœnitentia apud Deum sine digno pœnitentiæ fructu manet. Unde profecto valde est timendum, atque ad memoriam eorum crebro revocandum quod, sicut præfati sumus, a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur, cum in una tantum pontificum seriatim succedentium sede, videlicet Romana, a tempore beati Petri apostoli ferme centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc, nisi quia reges terræ et principes vana gloria illecti, sicut prælibatum est, quæ sua sunt spiritualibus rebus præferunt? religiosi autem pontifices vanam gloriam despicientes, quæ Dei sunt carnalibus rebus præponunt. Illi in se delinquentes facile puniuntur, in Deum peccantes æquo animo ferunt; isti in se peccantibus cito ignoscunt, Deum offendentibus non leviter parcunt. Illi terrenis actibus nimium dediti spiritualia parvipendunt; isti cœlestia sedulo meditantes quæ sunt terrena contemnunt.

Admonendi ergo sunt omnes Christiani qui cum Christo regnare cupiunt, ne ambitione sæcularis potestatis regnare affectent, sed potius præ oculis habeant quod beatus Gregorius papa sanctissimus in Libro Pastorali admonet, dicens : « Inter hoc itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat? Quod si ad apostolicam sedem, in qua rite ordinati meritis beati Petri apostoli meliores efficiuntur, qui Deum timent coacti cum magno timore veniunt; ad regni solium cum quanto timore ac tremore accedendum est, in quo etiam boni et humiles (sicut in Saul et David cognoscitur) deteriores fiunt; nam quod de apostolica sede prælibavimus, in decretis beati Symmachi papæ (licet experimento sciamus) sic continetur : ille scilicet beatus P...... [Petrus]

perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. » Et post pauca : « Quis enim sanctum esse dubitet quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiuntur quæ a loci decessore præstantur, Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut eos qui eriguntur illustrat. » Quapropter quos sancta Ecclesia sua sponte ad regimen vel imperium deliberato consilio advocat, [iis] non pro transitoria gloria, sed pro multorum salute, humiliter obediant, et semper caveant quod beatus Gregorius in eodem Libro Pastorali testatur : Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse simul [*f.*, similis] dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel ?*(*I Reg.* XV.) Et paulo inferius : Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Dominum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Dominum parvulus fuit. Vigilanter quoque retineant quod Dominus in Evangelio dicit : *Ego gloriam meam non quæro* (*Joan.* VIII); et : *Qui vult inter vos esse primus, sit omnium servus* (*Marc.* X). Honorem Dei semper suo præponant, justitiam unicuique suum servando jus amplectantur atque custodiant; non eant in consilio impiorum, sed religiosis semper acquiescendo corde adhæreant; sanctam Ecclesiam non quærant sicut ancillam sibi subjicere vel subjugare, sed permaxime oculos illos, videlicet Domini sacerdotes, magistros et patres recognoscendo decenter studeant honorare. Nam si carnales patres et matres honorare jubemur, quanto magis spirituales? Et si ille qui carnali patri vel matri maledixerit morte multandus est, quid ille qui maledicit spirituali patri vel matri meretur? Non carnali amore illecti studeant filium suum gregi, pro quo Christus sanguinem suum fudit, præponere, si meliorem illo et utiliorem possunt invenire; ne, plus Deo diligendo filium, maximum sanctæ Ecclesiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum et proximum (sicut Christianum oportet) non amare convincitur, qui tantæ utilitati, tamque necessariæ sanctæ matri Ecclesiæ (prout melius potest) negligit providere. Hac namque virtute, id est charitate, neglecta, quidquid boni aliquis fecerit omni salutis fructu carebit. Hæc itaque humiliter agendo, et amorem Dei et proximi, sicut oportet, servando, præsumant de illius misericordia, qui dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Quem si humiliter imitati fuerint, de regno servili et transituro ad regnum veræ libertatis et æternitatis transibunt.

Data Idibus Martii.

EPISTOLA XXII.

AD A... FILIAM.

(Anno 1081.)

Monet ut terrena despiciat, cœlestiaque appetat. Hortatur ut regis conjugis animum ad amorem divinum attrahere, sanctæ Ecclesiæ quantum potest prodesse, omniaque charitatis opera sectari studeat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, A.... dilectissimæ in Christo filiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia ob reverentiam beati Petri apostolorum principis rogasti ut litteras manu nostra scriptas excellentiæ tuæ mittamus, devotioni tuæ acquievimus. His etiam te monemus ut summopere procures quæ sunt terrena et transitoria despicere, et cœlestia æternaque semper appetere. Scribe in corde tuo quia summa regina cœli, quæ super omnes choros angelorum exaltata esse creditur, quæ est decus et gloria omnium mulierum, imo salus et nobilitas omnium electorum; quia illa sola meruit virgo et mater edere naturaliter Deum et hominem, caput et vita omnium bonorum; in terris non dedignata est pauperem vitam gerere, et in omni sancta humilitate se custodire. Quanto enim hujus vitæ gloria quæritur, tanto minus futuræ desideratur. Illa enim mulier vere apud Deum regina dicitur, quæ mores suos in timore et amore Christi moderatur. Inde fit ut sanctæ mulieres, licet in hac vita fuerint pauperculæ, in cœlo et in terra glorificentur; et multæ sæculares, etiam reginæ vel imperatrices, apud Deum et homines nec bonam famam habere mereantur. Rogamus ergo te atque præcipimus ut semper studeas animum domini tui regis charissimi filii nostri ad timorem et amorem Dei attrahere, sanctæque Ecclesiæ pro tuo posse prodesse, pauperes, orphanos, viduas, omnesque injuste oppressos defendere, omnibus clericis et monachis maxime religiosis reverentiam exhibere, mortem carnis præ oculis tuis semper habere, ut timorem (403) animæ merearis (404) evadere. Eleemosynis et orationibus studium impende, et admonitionem libenter accipe; et illud semper in corde tuo revolve : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccle.* III); et : *Omnis qui se exaltat humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). Omnipotens et misericors Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis beatæ Mariæ genitricis Dei, per auctoritatem quam dedit beato Petro apostolorum principi te a cunctis peccatis tuis absolvat, mentem tuam semper custodiat, eamque vera charitate repleat, et ad vitam perducat æternam.

EPISTOLA XXIII.

AD EPISCOPUM ALBANENSEM, ET PRINCIPEM SALERNITANUM.

(Anno 1081.)

Jubet Gallis præcipiant ut unaquæque domus pro

(403) *Scribendum arbitror* tumorem : *omnia enim vergunt ad humilitatem.*

(404) *Forte* mortem. HARD.

censu denarium unum annuatim solvat beato Petro: et Caroli imperatoris erga Romanam Ecclesiam munificentiam ostendit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nostris P..... Albanensi episcopo, et G..... principi Salernitano legatis nostræ apostolicæ sedis in Gallias, salutem et apostolicam benedictionem.

Vobis commissa negotia non latent etiam vos, ita ac si nostra, imo quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta digne peragite. Dicendum autem est omnibus Gallis, et per veram obedientiam præcipiendum ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat beato Petro, si eum recognoscunt Patrem et pastorem suum more antiquo. Nam Carolus imperator (sicut legitur in tomo ejus, qui in archivo ecclesiæ Beati Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille et ducentas libras ad servitium apostolicæ sedis, id est Aquisgrani, apud Podium Sanctæ Mariæ, et apud Sanctum Ægidium; excepto hoc quod unusquisque propria devotione offerebat. Idem vero magnus imperator Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio, et posuit signum devotionis et libertatis, sicut ipsi Saxones habent scriptum, et prudentes illorum satis sciunt.

LIBER (405) NONUS REGISTRI.

EPISTOLA PRIMA.

AD ARCHIEPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

(Anno 1081.)

Arguit quod nec ipse ejus suffraganei, ad apostolorum limina venerint, nec legatos apostolicos adierint, et pallium a sede apostolica non postularit. Quare prohibet, ne deinceps episcopum vel sacerdotem ordinet, vel ecclesias consecret, donec pallium impetrarit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, WILLELMO Rotomagensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ quas nobis misisti, satis devotionis prætendunt, sed ad earum fidem rei penitus testimonium deest. Si enim ita se res haberet, non, quemadmodum suffraganei tui, etiam tu ipse apostolorum limina visere tanto tempore parvipendisses. Ex quo enim nos, licet indignos, ad hujus sedis curam dignatio divina provexit, neminem vestrum nos vidisse recordamur. Quod tamen in eo minus mirandum videtur, quia legatos nostros, qui propius vos sunt, adire non multum curatis. Qui vero labor, aut quæ difficultas præ aliis dissuasit vobis per tantum spatii beatum Petrum negligere, cum ab ipsis mundi finibus etiam gentes noviter ad fidem conversæ studeant annue tam mulieres quam viri ad eum venire? Illud quoque, nisi nos apostolica mansuetudo detineret, profecto severius in te jam animadversum sensisses, quod huc usque præclarius tuæ dignitatis insigne, videlicet pallium, ab apostolica sede pro more acquirere postposuisti. Te ipsum namque non ignorare putamus, quam districte sanctorum Patrum censura in eos jud candum statuerit, qui post consecrationem suam per tres continuos menses pallium, quod sui sit officii, obtinere tepuerint.

Proinde apostolica tibi præcipimus auctoritate ut, quia sanctorum Patrum statuta parvipendisti, nullum deinceps episcopum vel sacerdotem ordinare, seu ecclesias præsumas consecrare, donec honoris tui supplementum, pallii videlicet usum, ab hac sede impetraveris. De cætero tam te quam et suffraganeos tuos monemus ut præfatam culpam summopere emendare procuretis, ne, si negligentes, ut hactenus, in hoc exstiteritis, potestatem beati Petri per nos quanto dilatiorem, tanto severiorem pro contemptu experiamini.

EPISTOLA II.

AD ALPHONSUM REGEM CASTELLÆ.

(Anno 1081.)

Ostendit se multorum odium propter veritatem et justitiam incurrisse, eaque de causa eosdem sibi detrahere. Laudat quod in ecclesiis ejus regni secundum morem Romanæ Ecclesiæ divina officia celebranda curet. De ejus uxore et abbatia Sancti Secundi per legatos se responsurum, ait. Quemdam in archiepiscopum eligendum scientia carentem respuit, et alium de consilio legati eligi mandat. Monet ne in regno suo Judæos Christianis dominari permittat. De munere ad se a rege misso gratias agit, eique et fidelibus ejus omnium peccatorum absolutionem impartitur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ALPHONSO glorioso regi Hispaniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorat prudentia tua mentiri peccatum esse, si et de otioso verbo in districto examine exigenda est ratio. Sed ne mendacium quidem ipsum quod fit pia intentione pro pace, a culpa penitus immune esse probari potest. Hæc idcirco prælibavimus ut, cum in cæteris illud peccatum esse non dubitaveris, in sacerdotibus quasi sacrilegium conjicias; et quod tibi dirigimus, ita in re esse teste veritate cognoscas. Non nos latet multa de nostris factis ac dictis tuis auribus sinistra interpretatione deferri. Unde et pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus respondere non alienum putavimus. Peccatorem me esse, sicut verum est, confiteri minime piget. Verum si causa odii vel detractionis eorum qui in nos fremunt, subtiliter investigetur, profecto non tam alicujus iniquitatis meæ intuitu, quam ex veritatis assertione, injustitiæque contradictione, illos in nos exarsisse patebit. Quorum quidem servitia et largissima munera nos satis abundantius multis antecessoribus nostris habere potuimus, si, ad periculum

(405) Cum desint indictiones et dies mensium, vix certo potest annus designari.

illorum et nostrum, veritatem silere malitiamque ipsorum dissimulare maluissemus. At nos certe ex hujus vitæ termino, et temporalium commodorum qualitate perpendentes nunquam melius quemquam posse episcopum nominari, quam cum persecutionem patitur propter justitiam (*Matth.* v), decrevimus potius divinis mandatis obtemperando pravorum inimicitias incurrere, quam illis male placendo iram Dei provocare. Nunc ad industriam tuam sermonem vertimus, charissime fili. Noverit excellentia tua, dilectissime, illud unum admodum nobis, imo clementiæ divinæ, placere, quod in ecclesiis regni tui matris omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinem recipi, et ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo quem hactenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus religiosis viris didicimus, quædam contra catholicam fidem inserta esse patulo convincuntur. Quæ cum relinquere, et ad priscam consuetudinem, scilicet hujus Ecclesiæ, reverti deliberasti, non dubie te beatum Petrum patronum optare, et subditorum tuorum salutem, cœlesti gratia inspirante, sicut regem decet, curare monstrasti. Quod tamen gaudium de sapientia tua multo cumulatius referimus, cum tuæ humilitatis illustrem famam memoriæ interdum reducimus, et eam virtutem quæ cum regia potentia vix aut rarissime capi sub uno domicilio consuevit, in corde tuo immorari consideramus. Cæterum quod de uxore tua et de abbatia Sancti Secundi postulasti, competentius responderi per filium nostrum Richardum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem et legatum, et fratrem Simeonem episcopum, arbitrati sumus; de illa autem persona quæ in archiepiscopum fuerat eligenda, dicimus: licet satis prudens et liberalis videatur, tamen (quemadmodum nobis notum est, et litteræ tuæ non negant disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ peritia, indiget. Quæ virtus quam sit non modo episcopis, verum etiam sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis, cum nullus sine ea aut alios docere aut sese possit defendere. Quapropter serenitatem tuam studere oportet ut cum consilio præfati legati nostri Richardi Massiliensis abbatis aliorumque religiosorum virorum eligatur inde, si inveniri potest; sin autem, aliunde expetatur talis persona cujus religio et doctrina Ecclesiæ vestræ et regno decorem conferat et salutem. Neque vero te pigeat aut pudeat extraneum forte, vel humilis sanguinis virum, dummodo idoneus sit, ad Ecclesiæ tuæ regimen, quod proprie bonos exoptat, adscire, cum Romana respublica, ut paganorum tempore, sic et sub Christianitatis titulis inde maxime, Deo favente, excreverit, quod non tam generis aut patriæ nobilitatem, quam animi et corporis virtutes perpendendas adjudicavit. Quoniam autem sicut de bonis gloriæ tuæ merito congratulari, ita et de his quæ non conveniunt a te fieri dolere, ac ex merito inhibere compellimur, dilectionem tuam monemus ut in terra tua Judæos Christianis dominari, vel supra eos potestatem exercere ulterius, nullatenus sinas. Quid enim est Judæis Christianos supponere, ac hos illorum judicio subjicere, nisi Ecclesiam Dei opprimere, et Satanæ synagogam exaltare; et dum inimicis Christi velis placere, ipsum Christum contemnere? Caveas itaque, fili, hoc facere Domino et Creatori tuo, quod non impune fieri tibi sustineres a servo tuo. Memento honoris et gloriæ quam tibi super omnes Hispaniæ reges misericordia Christi concessit; atque illius voluntatem tuis actibus quasi formam adhibendo, mutuam vicem in cunctis ei rependere stude: imo, ut hic et in futuro exaltari merearis, te in omnibus illi submittere semper memineris. Valde quippe indignum est ei unum hominem, videlicet teipsum, perfecte non subjicere, qui tibi ultra mille hominum millia subjecit, et judicio tuo commisit. De cætero regiæ munificentiæ tuæ gratulamur, cujus animi devotionem in eo plane satis agnoscimus, atque agnoscentes amplectimur, quod quanti beatum Petrum fecerit ex dono patenter ostendere voluit. Et certe cum tui cordis amorem munus illud per se satis sufficienter ostendat, tum etiam tuæ fidei meritum illud ipsum mutua vice longe vero magis commendat, multisque gentibus e cunctis mundi partibus ad gremium matris sanctæ Romanæ Ecclesiæ venientibus ad honorem tuum clare manifestat. Et quidem licet illud munus tam amplum et magnificum fuerit, ut et te regem dare, et B. Petrum recipere convenienter decuerit; tamen in illo animi tui devotionem multo magis amplectimur, quæ quanti beatum Petrum fecerit ex dono patenter ostendit. Eo igitur, ut dignum est, decenter suscepto, donum quod, Domino largiente, sedes habet apostolica, sinceræ tuæ devotioni remittit.

Omnipotens Deus, omnium rerum creator et rector, omniumque dignitatum ineffabilis dispositor, qui dat salutem regibus, meritis altissimæ dominæ genitricis Dei Mariæ, omniumque sanctorum, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli nobis licet indignis per eos qualicunque commissa, te tuosque fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis visibilibus et invisibilibus. Mentem tuam semper illuminet, ut, ejus bonitatem et humanam fragilitatem diligenter perspiciendo, mundi gloriam despicias, et ad æternam beato Petro duce pervenias.

EPISTOLA III.

AD EPISCOPUM PATAVIENSEM ET ABBATEM HIRSAUGIENSEM.

(Anno 1081).

Significat defuncto Rodulpho rege omnes sibi persuadere ut Henricum in gratiam recipiat. Monet ut Mathildem certiorem faciant an ab eis præsidium contra Henricum exspectare debeat; et ducem Welphonem aliosque moneant ut fidem beato Petro servent, atque omnes hortentur ne regis electio temere fiat, sed Deum exorent ut inimici resipiscant, et Ecclesiæ suæ defensorem tribuat. In sacerdotes belli tempore rigorem canonicum temperandum esse ait. In synodo se omnes excommunicatos iterum excommunicasse.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, di-

lecto in Christo fratri et coepiscopo, Pataviensi A....... et venerabili Hirsaugiensi abbati W. .... salutem et apostolicam benedictionem.

Prudentiæ vestræ ex hoc satis gratulamur, quia, sicut oportebat, nuntiare nobis vera summopere studuistis, præsertim cum multa et varia ex partibus vestris apud nos referantur. Notificamus autem dilectioni vestræ, pene omnes nostros fideles, audita voce (406) Rodulphi beatæ memoriæ regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, ut Henricum jampridem, sicut scitis, plura facere nobis paratum, cui ferme omnes Italici favent, in gratiam nostram recipiamus : adjicientes, si ille in Italiam, pro velle et conatu suo non valens nobiscum habere pacem, contra sanctam Ecclesiam venerit, ex vobis frustra sperandum fore auxilium. Quod quidem si nobis, qui illius superbiam parvipendimus, deficiat, non adeo grave videtur. Si vero filiæ nostræ Mathildi, cujus militum animos ipsi perpenditis, a vobis suffragatum non fuerit, quid aliud restat, nisi ut, cum sui resistere recusaverint, quam utique hac in re pro insana habent, ipsa vel coacta paci illius acquiescat, aut quidquid possidere videtur amittat? Quamobrem summopere niti vos oportet eam certam reddere an ex vobis præsidium exspectare firmiter debeat. Si Henricus forte Longobardiam intraverit, admonere etiam te, charissime fratrer, volumus ducem Welphonem ut fidelitatem beato Petro faciat, sicut coram imperatrice Agnete et episcopo Cumano mecum disposuit concesso sibi post mortem patris ejus beneficio. Illum enim totum in gremio beati Petri desideramus collocare, et ad ejus servitium specialiter provocare. Quam voluntatem si in eo, vel etiam in aliis potentibus viris amore B. Petri pro suorum peccatorum absolutione ductis, cognoveris, ut perficiant elabora, nosque certos reddere diligenter procura. Hac enim fiducia, ut Italici remoti ab Henrico nobis, imo B. Petro fideliter adhæreant, Deo adjuvante, efficere credimus. Præterea admonendi sunt omnes in partibus vestris Dominum timentes, ac sponsæ Christi libertatem diligentes, ut non aliqua gratia suadente aut ullo metu cogente, properent eam temere personam eligere, cujus mores et cætera quæ regi oportet inesse a suscipienda Christianæ religionis defensione et cura discordent. Melius quippe fore arbitramur ut aliqua mora secundum Dominum ad honorem sanctæ Ecclesiæ provideatur idoneus, quam nimium festinando in regem aliquis ordinetur indignus. Scimus quidem quod fratres nostri longo certamine diversisque perturbationibus fatigantur; nobilius tamen esse dignoscitur multo tempore pro libertate sanctæ Ecclesiæ decertare, quam miseræ ac diabolicæ servituti subjacere. Certant namque miseri, scilicet membra diaboli, ut ejusdem misera servitute opprimantur. Certant econtra membra Christi ut eosdem miseros ad Christianam libertatem reducant. Quapropter fundendæ sunt frequentissimæ orationes, et largissimæ dandæ eleemosynæ, omnibusque modis Redemptor noster exorandus ut inimici nostri, quos suo præcepto diligimus, resipiscant, et ad gremium sanctæ Ecclesiæ redeant, suæque sponsæ, pro qua mori dignatus est, defensorem et rectorem, sic ut eam decet, clementer tribuat. Nisi enim ita obediens et sanctæ Ecclesiæ humiliter devotus ac utilis, quemadmodum Christianum regem oportet, et sicut de Rodulpho speravimus, fuerit, procul dubio ei non modo sancta Ecclesia non favebit, sed etiam contradicet. De prædicto enim Rodulpho rege quid sancta Romana Ecclesia speraverit, et quid ille promittebat, tu ipse, frater charissime, satis cognoscis. Providendum est ergo ut non minus ab eo qui est eligendus in regem, inter tot pericula et labores sperare debeamus. Qua de re quid promissionis juramento sancta Romana Ecclesia ab illo requirat, in sequenti significamus.

Juramentum regis.

« Ab hac hora et deinceps fidelis ero per rectam fidem beato Petro apostolo ejusque vicario papæ Gregorio qui nunc in carne vivit : et quodcunque mihi ipse papa præceperit, sub his videlicet verbis : *Per veram obedientiam,* fideliter, sicut oportet Christianum observabo. De ordinatione vero ecclesiarum, et de terris vel censu quæ Constantinus imperator, vel Carolus, sancto Petro dederunt, et de omnibus ecclesiis vel prædiis quæ apostolicæ sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore sunt oblata vel concessa, et in mea sunt vel fuerint potestate, ita conveniam cum papa, ut periculum sacrilegii et perditionem animæ meæ non incurram; et Deo sanctoque Petro, adjuvante Christo, dignum honorem et utilitatem impendam; et eo die quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles sancti Petri et illius efficiar. » Verum quoniam religionem tuam apostolicæ sedi fidelem et promissis tenemus et experimentis non dubitamus, de his si quid minuendum vel augendum censueris, non tamen prætermisso integro fidelitatis modo, et obedientiæ promissione, potestati tuæ, et fidei quam beato Petro debes, committimus. Quod vero de sacerdotibus interrogastis, placet nobis ut impræsentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, scilicet quia paucissimi sunt qui fidelibus Christianis officia religionis persolvant, pro tempore rigorem canonicum temperando, debeatis sufferre. De his namque pacis et tranquillitatis tempore, quod, Domino miserante, cito futurum credimus, convenientius tractari pleniusque poterit canonicus ordo servari. Cæterum de Buggone, cujus malitiam significastis, necdum tantam potestatem videlicet absolvendi sibi tam temere commisisse, nec etiam recordamur nos aliquando eum vel sermone vel visu notum habuisse. In sancta quidem synodo quam nuper Deo auctore celebravimus, om-

(406) *Nece, morte* Marianus Scotus et Bertoldus, anno 1080.

nes excommunicatos usque ad condignam satisfactionem rursus excommunicavimus, et fratrum multitudinem qui aderant rogavimus, ut misericordiam Dei quotidie exorent, quatenus illos per veram pœnitentiam ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ reducat, eisque in bono perseverantiam tribuat. Nullius enim hominis perditionem quærimus, sed omnium salutem in Christo desideramus.

EPISTOLA IV.

AD ABBATEM CASSINENSEM.

(Anno 1081).

Ut exploret an Robertus dux apostolicæ sedis auxilio venturus sit, et an quadragesimali tempore, quo a militia vacare solebat, aliquod apostolicæ sedis oppidum in officio continere velit. Ducem moneri vult, ut nepotem suum ab invasione terrarum sancti Petri compescat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili abbati Cassinensi D..... [Desiderio, *sic et in cod. Mutin.*] salutem et apostolicam benedictionem.

Satis novit dilectio tua quantum commodi de pacatione ducis Roberti sancta Romana Ecclesia speraverit, quantumque ex hoc inimici ejus timuerint; neque etiam te latere putamus, huic apostolicæ sedi ex parte illius quid utilitatis accesserit. Unde, quia plurimorum fidelium super eo spes, sicut palam cernitur, hucusque non processit, volumus ut de cætero animum ipsius qualiter se circa Romanam Ecclesiam habeat veraciter intelligere studeas. Præcipue autem ejus voluntatem in his agnoscere diligenter te cupimus, scilicet si necessaria nobis expeditio fuerit, post Pascha, an per se, vel per filium suum se decenter succursurum fiducialiter polliceatur. Si vero hoc non potuerit, quot milites post paschale festum, ut in familiari militia beati Petri sint, se destinaturum indubitanter promittat. Hoc etiam solerter procures advertere an illos dies, videlicet quadragesimales, quibus Nortmanni solent pugna vacare, præfatus dux assentiat hoc pacto Deo offerre, ut una vel nobiscum vel cum nostro legato ad aliquas terras beati Petri, quo invitatus fuerit, competenter instructus accedat; quatenus hoc sui obsequii studio, et bonos in apostolica fidelitate confirmet, et rebelles ac contumaces ad debitam sanctæ Romanæ Ecclesiæ reverentiam atque servitium vel terrore revocet vel vi, talique modo suæ Deo militiæ munus gratuitum offerat. Præterea de nepote suo Roberto de Loritello ad ipsius ducis memoriam revoces qualiter de illo nobis promisit, videlicet quod idem comes se terras apostolicæ sedis, præter quas habebat, ulterius non invasurum spopondit : quas tamen pro posse suo invadere, sicut audivimus adhuc non desistit. Suadens igitur admoneas eum ut memorati nepotis sui sacrilegam compescat audaciam, atque hortetur illum præterita corrigendo, et in futuro se abstinendo, beatum Petrum propitium sibi facere, in cujus irritatione ruinam, et in gratia vitam et felicitatem possit obtinere perpetuam. De novis ultramontanis nihil certi habemus, excepto quod Henricum nunquam se infelicius habuisse pene omnes illinc advenientes affirmant.

EPISTOLA V.

AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

Cum legatus episcopos Nortmannos, quia synodo ad quam vocabantur præsto non fuerant, deposuisset, præcipit ei ut eos restituat, ne regem Angliæ, qui in sedem apostolicam præ cæteris regibus obsequentior erat, exasperet; et jubet ut erga omnes ejus subditos mitius agat. Quod idem vult erga milites quosdam, qui ad Simoniacos et fornicarios clericos coercendos auxilium legato tulerant observari.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus Hugoni Diensi episcopo, et A... salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatum nobis est quod religio vestra omnes Nortmannorum pontifices, præter Rothomagensem, ipsumque Culturensem abbatem, quem nos restituimus, ad concilium invitatos suspendit. Quos tamen, sicut nobis suggestum est, non tam inobedientia quam metus regis Francorum, scilicet quia secure venire nequibant, subtraxit. Qua in re prudentia tua quid nobis videatur advertat. Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat (407); tamen in hoc quod ecclesias Dei non destruit neque vendit, et pacem justitiamque in subditis suis moderari procurat; et quia contra apostolicam sedem, rogatus a quibusdam inimicis crucis Christi pactum inire, consentire noluit; presbyteros uxores, laicos decimas quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit; cæteris regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit : unde non indignum debet existimari potestatem illius mitius esse tractandam, atque, respectu probitatis, ipsius subditorum et eorum quos diligit, negligentias ex parte fore portandas. Denique meminisse potest dilectio vestra qualiter et beatus Leo papa neophytos, et beatus Gregorius Venantium expatricium, quem suus episcopus injuste corripuerat, sustinuit : et quemadmodum clementia Domini Josaphat regi Juda, qui impio Achab auxilium præbens iram divinam meruerat, indulsit. Quare volumus ut fraternitas vestra supra memoratis episcopis et abbatibus, non prætermisso Culturensi abbate, quos suspendistis, per præsentium portitorem restitutionis litteras mittat, et præfatum regem in talibus ulterius sine assensu nostro non exasperet. Videtur enim nobis multo melius atque facilius lenitatis dulcedine ac rationis ostensione, quam austeritate vel rigore justitiæ illum Deo lucrari, et ad perpetuum beati Petri amorem posse provocari. Præterea innotuit nobis quod multos milites qui prius ad presbyteros fornicarios et Simoniacos coercendos favorem et auxilium vobis impenderant, propterea quod decimas dimittere nolebant, excommunicando turba-

(407) Guillelmus Neubrig., *Rerum Anglicarum* lib. I, cap. 1.

veritis : quales nos adhuc anathematis vinculis alligare synodali judicio per discretionem distulimus. Super his igitur consulimus atque hortamur ut nunc pro tempore canonicum rigorem vestra sapientia temperet, atque hac turbationis tempestate quædam parcendo, nonnulla dissimulando, ita studeat moderari, ut non ex severitate justitiæ deteriorandi occasionem sumant, sed, suspenso nunc judicio, spatium recognoscendi æquitatem habentes, postmodum facilius acquiescant : ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod, Deo annuente, cito futurum speramus, id quod nunc apostolicæ sedis discretio patienter differt, justitia dirimens ad statum suum restauret.

EPISTOLA VI.

AD ABBATEM MASSILIENSEM.

(Anno 1081.)

Quorumdam monasteriorum, quæ sub Romanæ Ecclesiæ tutela constituta sunt, curam eis committit. Dat facultatem repetendi quidquid ad eadem monasteria pertinens ab aliis injuste detinetur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio RICHARDO sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, sacerdoti atque abbati Massiliensi, suisque successoribus regulariter promovendis in perpetuum, etc.

Licet apostolici nos apicis cura pro cunctis generaliter Ecclesiis vigilare, ac pro omnium statu vel reparatione sollicitos esse admoneat, illis tamen præcipue locis nostram curam specialius exhibendam perpendimus, quæ, sub Romanæ tutela sedis constituta, scimus status sui confirmationem, augmentum vel restitutionem ab hac potissimum ecclesia cujus juris sunt exspectare. Quia ergo quædam monasteria, alterum in provincia videlicet Sancti Petri, quod dicitur ad Montem Majorem, et alterum in Narbonensi archiepiscopatu Sanctæ Mariæ de Crassa, quæ ad hujus sedis defensionem pertinere, propriique juris ejus esse noscuntur, jamdudum sæcularium monachorum culpa a religionis tramite deviasse intelleximus; ea reformare ad lapsi decoris specimen valde esse necessarium duximus. Scis enim, decentius atque convenientius esse decernitur destructa restruere, et ad gradum suum collapsa reducere, quam in dilatandis vel noviter ædificandis operam dare. Quapropter ad prædictorum locorum restaurationem religionis tuæ prudentiam perutilem arbitrantes, licet tu, quorumdam proborum virorum precibus adhortatus, absque licentia nostra de eorum cura te nolueris intromittere, nos tamen censuimus per tuam successorumque tuorum solertiam fratribus in eisdem cœnobiis deinceps mansuris perpetuam regularis vitæ circumspectionem providere. Proinde circa præfata monasteria sollicitudinis nostræ vicem dilectioni vestræ committentes, volumus atque præcipimus ut in eis quæ amputanda sunt amputetis, quæque corrigenda sunt corrigatis, et quæ illis disciplinæ tenore defue-

A rint, vestra vigilantia et labore conferantur. Præterea, quoties eorum rectores obierint, vestri sit studii alios cum consensu probabiliorum fratrum de eadem congregatione, si fieri potest; sin autem, aliunde secundum Deum et regulam sancti Benedicti abbates eligere ibique substituere, quos ab illo episcopo in cujus diœcesi fuerint, si ab hac sede excommunicatus vel Simoniacæ hæreseos infamia notatus non erit, ordinandos decrevimus. Si vero alterum horum obstiterit, abbas a Romano pontifice suam consecrationem exspectet, aut ad quemcunque episcopum ille præceperit pergere pro sui ordinatione licentiam habeat : cujus nihilominus abbatis mores et vitam sicut et subditorum suorum discutere, excessusque corrigere, vestræ
B potissimum providentiæ attinebit. Quod si forte in aliquod crimen depositione dignum fuerit lapsus, vestrum erit ad apostolicam audientiam deferre; quatenus aut hic damnationis suæ sententiam per Romanum pontificem excipiat, aut per apostolicum legatum ad id peragendum serio missum, dignum suis meritis judicium subeat.

Statuimus etiam ut quidquid ad eadem monasteria pertinere cognoscitur, si ab aliquibus irrationabiliter detinetur; ex hac nostra auctoritate repetendi exigendique ac vindicandi habeatis per omnia, Deo juvante, licentiam; quia dignum est ut quorum curam geritis rebus nullo modo defraudemini. Præfato igitur modo nostræ providentiæ ac dispositionis vicissitudinem circa sæpe dicta monasteria
C tibi tuisque successoribus, ut prælibavimus, regulariter promovendis concedentes, interdicimus ut nullus successorum nostrorum, vel archiepiscoporum aut episcoporum, et nemo clericalis seu laicacalis ordinis, audeat hanc potestatem præsentis decreti auctoritate firmatam vobis auferre vel perturbare, sed ea (sicut præfixum est) in vestra salubri ordinatione ac dispositione in perpetuum inconvulsa permaneant.

EPISTOLA VII.

AD UNIVERSOS CHRISTIANOS.

(Anno 1081.)

Præcipit ne quisquam ecclesiam Sancti Petri, in villa Mascharans sitam, tutelæ apostolicæ sedis commissam infestet.

D GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus Deo et beato Petro fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum sit vobis nos ecclesiam Sancti Petri sitam in villa quæ dicitur Mascharans, sub jus et defensionem apostolicæ sedis ab ipsius fundatoribus sponte traditam suscepisse, ob cujus donationis memoriam perpetuo retinendam, constituerunt, et devoverunt se illi, qui circa eumdem locum propter amorem et tutelam beati Petri sibi ædificant, pro unaquaque domo censum annualiter octo nummos Pictavensium persoluturos. Quapropter apostolica auctoritate præcipimus ut nemo præfatum locum apostolica tuitione munitum deinceps infestare præsumat; sed

sub defensione beati Petri, cujus juris est, quietus et securus ab omni perturbatione permaneat. Si quis ergo contra hæc nostra mandata memoratum locum vexaverit, admonitus semel, iterum, usque tertio, per convenientes inducias, si non resipuerit, sciat se a gratia beati Petri separatum; et, nisi satisfecerit anathematis vinculis innodandum : quicunque vero propter apostolicam reverentiam ab infestatione ipsius loci et læsione, sicut Christianum decet, se continuerit, eumque adjuvare studuerit, veniam peccatorum suorum; et gratiam beati Petri, si in bonis perseveraverit, se promeriturum non dubitet.

EPISTOLA VIII.

AD VENETOS.

(Anno 1081.)

Hortatur ut ab excommunicatis caveant. Excusat se quod eorum petitioni in præsenti non annuat; promittens tamen se opportuno tempore postulationi eorum assensum præbiturum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, glorioso duci et genti Venetorum, his tamen qui non communicant excommunicatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum nos ex longo tempore vos et patriam vestram dilexerimus, non existimamus scientiam vestram latere. Verum postquam nos omnipotentis Dei dignatio ad id provexit officii, non dilectionem ex vobis, qualem oportebat, agnovimus. Sed licet antehac res ita sese habuerit, tamen quia sanæ mentis consilio matrem vestram, apostolicam videlicet sedem, recognoscentes, eam incipitis quærere et venerari; nos, qui hujus sedis, quamvis indigni, sollicitudinem gerimus, honorem vestrum tam in præsenti quam in futuro secundum Deum diligere et servare haud secus optamus. Unde paterno vos affectu adhortantes, ex parte beati Petri monemus atque præcipimus ut summa diligentia et cautela vos ab excommunicatis custodire curetis, ac permaxime caveatis amicitiam forte vel gratiam illorum captando iisdem vos laqueis damnationis innectere. Quod autem petitioni vestræ ad præsens in adimplendo eam non videmur annuere, non tam nostræ velut incuriæ, quam temporum incommoditati, velitis ascribere. Denique cum tempus opportunum (quod, Domino favente, cito futurum speramus) advenerit, postulationem vestram recte efficere, ac honorem vestrum salva justitia servare (opitulante clementia divina) non pigritabimur. Sicut enim in sancta Ecclesia charitas circa omnes generaliter tenenda dignoscitur, ita suum quibuslibet, justitia dictante, honorem specialiter non denegandum fore, sed habendum perpendimus.

Data sexto Idus Aprilis.

EPISTOLA IX.

AD COMITEM QUEMDAM.

(Anno 1081.)

Gratulatur de ejus erga Romanam Ecclesiam observantia; utque in ea perseveret, et ab excommunicatorum communione se separet, hortatur.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, T..... nobilissimo comiti, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam devotionem tuam erga communem matrem, Romanam videlicet Ecclesiam, fidissimam in omnibus, multis et probatis viris attestantibus, et maxime charissimo fratre nostro Hugone Diensi episcopo referente cognoscimus, valde lætamur, et omnipotentis Dei supernæ clementiæ grates referimus. Oramus etiam ut divina præeunte clementia sic cœptum bonum ad finem usque perducas; quatenus ille cujus judicio fidelium Ecclesia Christi commissa est, peccatorum nexibus absolutum in electorum te faciat sorte conscribi. Te itaque, charissime fili, hortamur ut tuæ mentis oculos in æterni regis amore et spe indesinenter figas; ne nobilitas tua ab illius divinitate præ cæteris exaltata, terrenis sollicitudinibus et voluptatibus emollita, vim spiritualis desiderii amittat. Dignum namque est ut qui tuo nutui tantam hominum multitudinem supposuit, hanc ei vicissitudinem recompenses, ut unum hominem, videlicet teipsum, pura semper mente sibi et corde conserves. De causa videlicet excomunicatorum super qua consuluisti, nihil tibi, præter quod sacri canones præcipiunt, respondere possumus, scilicet ut abstineatis vos a communione ipsorum, prout Deus concesserit, et vestra prudentia poterit. Nec enim parum te a talibus abstinendo existimes agere; imo credas certissime, quoniam in futura beatitudine geminam a Domino coronam, obedientiæ scilicet ac sanctæ prædicationis, accipies. Bona namque est vox prædicationis cum opere, sed non parva est bona actio sine voce. Neque nos alicui licentiam peccandi dare possumus aut debemus, cum nos ipsi hanc licentiam non habeamus; sed peccantibus apostolica auctoritate subvenire non denegamus, et manum salutaris consilii porrigere desideramus. Illud quoque prudentiam tuam animadvertere volumus, quod, si quisquam illorum excommunicatorum te graviter offenderet, ab illorum amicitia usque ad satisfactionem te submoveres. Quod si hoc pro tuo honore faceres, quid pro Deo facere debes animadverte. Quapropter monemus te, charissime fili, ut quod a subjectis tibi vis fieri, non negligas pro illius amore agere qui te ad suam imaginem creavit, et suo pretioso sanguine redemit.

Data Lateranis, quarto Kalendas Maii.

EPISTOLA X.

AD EPISCOPUM PATAVIENSEM.

(Anno 1081.)

Monet ut qui Henrico adhæserant, si resipiscant benigne suscipiat, præcipue vero Burgensem episcopum.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri A...... Pataviensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia vicem nostram in Teutonicis partibus prudentiæ tuæ commisimus, discretionem tuam diligenter monemus, sicut jam aliis litteris ad te destinatis,

si pervenerint, fecimus, ut, consilio fratris nostri Saltzburgensis archiepiscopi, et aliorum confratrum nostrorum episcoporum, eos quos adhærendo H..., [Henrico, *sic et in cod. Mutin.*] a proposito veritatis errasse cognoscitis, studiose revocetis; et qui redire voluerint fraterne suscipiatis, et maxime Osnaburgensem episcopum, quem nobis velle fideliter adhærere audivimus, benigne suscipiatis, et fraterno auxilio contra quamlibet injuriam inferendam ei occurrere, ubi opportunum fuerit, non hæsitetis; et litem quam de decimatione ecclesiæ suæ habet cum Corbegense (408) abbate, vel juste ante vos terminate, aut absque læsione suæ ecclesiæ certum tempus ipsius ante nos terminandæ ex utraque parte statuite. Vale.

EPISTOLA XI.

AD DESIDERIUM, ABBATEM CASSINENSEM.

(Anno 1081.)

Henricum regem Romam cum paucis copiis venturum significat, quem, si ejus voluntati favere vellet, obsequentem sibi haberet; sed se mori potius paratum asserit, quam ejus impietati assensum præbere. Monet ut sibi in defensione Ecclesiæ adhæreat. Significat ex Mathildæ litteris cognovisse quod rex cum Roberto duce fœdus inierit, de quo quid actum sit ab eo vult inquiri. Romanos ad apostolicæ sedis obsequium paratos ostendit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, DESIDERIO, venerabili cardinali Sancti Petri et abbati Cassinensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam, dilectissime, cognoscere volumus quod (sicut pro certo didicimus) Henricus dictus rex in suburbanis Ravennæ moratur, disponens, si poterit, Romam circa Pentecosten venire (409). Quem certissime scimus ex ultramontanis et Longobardis parvam manum habere. Audivimus autem quod, ex his qui circa Ravennam vel in Marchia morantur, putet exercitum cum quo veniat colligere; quod fieri minime credimus, quoniam nec etiam focum ab his per quos transitum habet habere potest. Tu vero ipse, amande frater, cognoscis quia si nos amor justitiæ et honoris sanctæ Ecclesiæ non teneret, tamque pravæ voluntati ac nequitiæ regis et suorum vellemus favere, nullus aliquando prædecessorum nostrorum ab antecessoribus regibus, seu etiam archiepiscopis, tam amplum et devotum servitium, sicut nos ab hoc rege et ab archiepiscopo, habere potuerunt. Verum quoniam illorum minas et sævitiam pro nihilo ducimus, magis, si necesse fuerit, mortem suscipere parati erimus quam impietatibus eorum assensum præbere, aut justitiam relinquere. Quapropter rogamus atque monemus ut, quemadmodum te decet, ita nobis adhæreas quatenus sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ honor, quæ de te multum confidit, nunc et semper robur obtineat. Hoc etiam te scire volumus quod comitissa Mathildis litteras ad nos direxit, quibus continetur hoc quod, quemadmodum a familiaribus ipsius pro certo cognovit, præfatus rex placitum cum Roberto duce habeat, videlicet hoc, ut filius regis filiam ipsius ducis accipiat, et rex duci Marchiam tribuat. Quod Romani facile credent, si viderint ducem adjutorium (sicut juramento fidelitatis nobis promisit) subtrahere. Sed prudentia tua sollicite invigilet, et quid super hac re actum sit diligenti examinatione cognoscat. Tu ipse etiam quantocius ad nos propera. Scias præterea quod Romani, et qui circa nos sunt, fide et prompto animo Dei et nostri servitio parati per omnia existunt.

EPISTOLA XII.

AD VALVENSES.

(Anno 1081.)

Eadem quæ in epistola decima quinta libri VIII. *Juramentum Bertranni comitis Provinciæ.*

« Ego Bertrannus Dei gratia comes Provinciæ ab hac hora et deinceps tibi domino meo papæ Gregorio et cunctis successoribus tuis, qui per meliores cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ electi fuerint, fidelis ero, et quidquid credideritis, in damnum vestrum me sciente non manifestabo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Evangelia. »

Aliud juramentum ejusdem.

« Ego Bertrannus Dei gratia comes Provinciæ, pro remissione peccatorum meorum et parentum meorum offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me jure parentum pertinet, omnipotenti Deo, et sanctis apostolis Petro et Paulo, et domino meo Gregorio papæ septimo, et omnibus successoribus ejus, ita ut quidquid placuerit deinceps domino papæ Gregorio de me et de toto honore meo, sine ullo contradicto faciat. Ecclesias autem omnes quæ in mea potestate sunt, præfato domino meo Gregorio papæ omnino dimitto et omnibus successoribus suis; et ad ordinandas eas juste et secundum Deum pro posse meo fideliter adjuvabo. »

EPISTOLA XIII (410).

AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

(Anno 1081.)

Præcipit ut ratum habeat quidquid a Lugdunensi archiepiscopo super electione Tervannnensis episcopi statutum fuerit, et ut clericis qui hac de causa Romam venerant nullam læsionem fieri permittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ROBERTO nobili Flandrensium comiti, salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatum nobis est quod Tervannensis archidiaconus, qui prius cum quadam parte cleri R..... contra Lambertum invasorem elegerat, nunc sibi ipsi contrarius, mutato consilio, alterum supposuerit. Quam causam fratri nostro Lugdunensi archiepiscopo H....... [Humberto], diligenter procurandam litteris nostris commisimus, ut, nisi prior electio canonice fuerit improbata, nullum illi sedi alterum

(408) Corbeiæ Saxonicæ ad Visurgim. Fl.; *cod. Mutin.* Corbeiense.

(409) Marianus Scotus, et Bertoldus, anno 1081. Leo Ostiensis lib. II, cap. 49.

(410) Hæc epistola hic errore scriptoris locata, inferius ponenda erat.

subroget. Quidquid ergo ipse super hoc negotio fuerit exsecutus, quia certi sumus eum a justitia non recessurum nobilitati tuæ præcipimus ut ratum firmumque tenere nullenatus renuat; sed quod ille statuerit, quasi nostrum, vos observare, cæterisque ne contradicere audeant pro vestri magnitudine imminete. Insuper volumus atque monemus ut clericis, qui propter hoc negotium sedem apostolicam petiverunt, nullam exinde læsionem faciatis, vel fieri permittatis.

EPISTOLA XIV.

AD REGES WISIGOTHORUM.

(Anno 1081.)

Gratulatur de gentis eorum regni ad fidem Christianam conversione. Ad bona opera hortatur. Vult clericos sæpe ad se mittant qui Romanæ Ecclesiæ instituta edocti eos postea instruere possint.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, Wisigothorum gloriosis regibus L..... et A..... et populis, salutem et apostolicam benedictionem.

Frater noster episcopus [episcopus R.] vester ad apostolorum limina veniens suggessit nobis de nova gentis vestræ conversione, scilicet qualiter relicto gentilitatis errore ad Christianæ fidei veritatem pervenerit. Unde plurimum in Domino lætati, miseratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes vestras lumine suo visitare, et de tenebris ad lucem, de morte ad vitam dignatus est vos æterna sua benignitate reducere. Simul etiam ipsius ineffabilem misericordiam deprecati sumus, assidueque postulare optamus ut vos, tam fidei gratia quam et bonorum operum fructibus, et in hac vita vigere et in futura sanctorum cœtibus faciat adnumerari. Proinde, charissimi filii, auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vice beatorum apostolorum Petri et Pauli nobis, licet indignis, concessa, vos admonemus, ut, hujus fugitivæ vitæ incertitudinem ac temporalium rerum et gaudiorum instabilitatem perpendentes, contemnere, et ad illa quæ sine fine mansura sunt, quæque humani sensus ac desiderii angustias amplitudine sua excedunt, memineritis aciem mentis semper extendere; concordiam et dilectionem studeatis ad invicem indeficienter habere, ecclesiis honorem, pauperibus vel afflictis compassionem, sacerdotibus, præcipueque episcopis, reverentiam et obedientiam, quasi patribus, procuretis impendere; nec non et decimas, quæ ad usum tam ipsorum quam ecclesiarum et pauperum proficiant, dare totique regno indicere. Quod quidem nulli debet grave videri pro meliori parte, videlicet semper victura anima, quemque decimam Deo offerre, cum pro morituro corpore plurimæ gentes conjugibus suis tertiam rerum legibus compellantur exsolvere. Præterea ad hoc summis animi viribus enitimini ut qui velut in fine orbis, ita et sæculorum, ad laborandum in vineam Dominicam introistis, inter primos remunerandi eumdem denarium undecimæ operatores percipere debeatis (*Matth.* XX). Agite etiam ut quemadmodum de prædecessoris vestri laudabili fama valde sumus gavisi, ita quoque studiorum probitatumque vestrarum opinio nos de se, sicut optamus, lætificet. Quia vero noviter ad Christum conversos nondum Christianæ fidei et religionis doctrinam sufficienter vos sumpsisse putamus, volumus ut frequenter ad hanc sedem clericos vestros mittatis, talesque personas provideatis ad nos destinare, qui et sanctæ Romanæ Ecclesiæ moribus plenius instrui, et instructi valeant ad vos docte salubriterque quæ sunt agenda referre.

EPISTOLA XV.

AD HUGONEM DIENSEM EPISCOPUM.

(Anno 1081.)

Significat Parisiensem et Carnotensem episcopos de eo apud se esse questos quod eumdem Carnotensem non canonice accusatum excommunicatum deposuerit, nec ejus defensionem admiserit; qua de re cum se certiorem non fecisset, jubet ut, iis interim Romæ exspectare jussis, ipse aut veniat, aut nuntium mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio HUGONI Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Frater et coepiscopus noster Parisiensis cum Carnotensi ad apostolicam sedem venerunt, non sine multa quidem, sicut ipsi referebant, et sui fatigatione et rerum suarum jactura in quibusdam locis, etiam capti, nec sine redemptione sui dimissi. Clamorem itaque ad nostram audientiam tulerunt quod in alterum eorum, videlicet Carnotensem episcopum, tua fraternitas præjudicium fecerit, et non canonice accusatum excommunicationis ac depositionis sententiæ subdiderit. At hoc etiam maximum gravamen factum esse conquesti sunt quod, cum talis esset accusatio, et in defensione illius prædictus Parisiensis episcopus, qui rem omnem constitutionis ejus novit et fecit, et Belvacencis absolute, duo vero archiepiscopi, aliique duo episcopi qui non interfuerunt, conditionaliter videlicet, se scientibus, jurare voluerint, propter hoc tamen solum quod conditionem isti quatuor apponebant defensionis recipere juramentum nolueris. Verum cum de prudentia tua nihil incongruum temere credendum nobis esse putemus, præsertim quia tam viva voce quam litteris ex nobis te super hac re commonitum esse meminimus, ut quidquid in synodis ageres diligenter conscriptum nobis dirigeres; quanquam se adventum suum tibi notificasse memorarent, nos tamen nuntium tuum exspectantes aut litteras, illos, ut causæ suæ diffinitionem perciperent, per dies aliquantos detinuimus; ac post ingressum Urbis sub ea spe plures quam viginti dies sunt demorati. Ubi vero illis, et labore itineris, et rerum dispendiis magnisque sumptibus fatigatis, nec nuntium nec litteras vestras accepimus, fratribus quoque nostris valde compatientibus atque adjudicantibus nimis indignum esse apostolica mansuetudine ut illi sine consolatione recederent, præcepimus eis ut tandiu adhuc exspectarent donec ex vobis responsum reciperemus. Fra-

ternitati itaque tuæ jubemus ut aut tu ipse, quod magis optamus, de hoc et de aliis majoribus negotiis nobiscum tractaturus advenias, aut idoneum nuntium cum litteris super hac re compositis, qui eas, si sit necessarium, juramento comprobet, dirigas.

Data Lateranis, secundo nonas Decembris.

EPISTOLA XVI.

AD CLERUM ET POPULUM CARNOTENSEM.

(Anno 1081.)

Præcipit ut episcopum suum de falso Simoniæ crimine purgatum debito honore suscipiant, eique ut proprio pastori obediant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Carnotensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod episcopum vestrum tandiu apud nos detinuimus, sciatis nos idcirco egisse ut causam ipsius pleniter discutientes irretractabili fine concluderemus. Inde etiam litteris nostris ad legatum nostrum episcopum Diensem directis mandavimus ut aut ipse ad nos veniret, aut nuntium suum cum litteris hujus negotii seriem continentibus nobis transmitteret. Verum apicibus illius susceptis reperimus eum aliquantulum a verbis avunculi hujus, scilicet Parisiensis episcopi, dissentire. Sed diversitatem ipsam diligentissime perspicientes, cognovimus prælibatum negotium, inviolata justitia, non incongrue cum misericordia posse tractari. Quapropter divino freti auxilio, censuimus ne ulterius hunc falsi criminis tanti dilaniaret infamia, ut præsentialiter per se et avunculum suum, dato supra sacratissimum corpus beati Petri apostolorum principis juramento sese purgaret. Non enim aut cujuslibet personæ gratiam, aut lucri temporalis ardorem tantum valere credidimus ut aliquis sanæ mentis vir, præsertim episcopus, spreto divini horrore judicii, ultro perjurium tam grave velit patrare. Quocirca dilectionem vestram monentes, ex parte beati Petri vobis præcipimus ut præfatum episcopum vestrum paterna cum veneratione suscipiatis, eique debitum honorem deferentes, sicut pastori obediatis. Præterea apostolica interdictione inhibemus ne eum super illo Simoniacæ infamationis, quo se purgavit, aliisve falsis criminibus, deinceps agitari, neve ipsum, sicut mos est quorumdam, prælatos criminosis suspicionibus commaculare, ulterius injuste sollicitari permittatis, sed eum, ut præsignavimus, sicut patrem spiritualem venerantes, ostendatis vos et apostolicis jussis obedientiam gerere, et ut Christianos oportet animarum vestrarum curam habere.

EPISTOLA XVII.

AD ROBERTUM DUCEM.

(Anno 1081.)

Cum Robertus adeptum se victoriam pontifici et Romanis nuntiasset, hortatur ut beati Petri auxilio consecutum se eum esse reminiscens, debitam vicem rependat, et promissis satisfaciens Romanæ Ecclesiæ ab Henrico vexatæ sit auxilio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Roberto glorioso duci, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod gesti belli proventum et adeptæ victoriæ palmam nobis et Romanis notificasti, id quod decuit prudenti consilio usus egisti, ut res quam ex voto amicorum gloriose obtinueras, ipsorum congratulationibus gloriosior tibi redderetur atque jucundior. Oportet interea te illum alta memoria figere cujus favore et auxilio non ambigis res tuas jamdudum procedere. Nam sicut ingratitudo provocat indignationem, ita devotio incunctanter accumulat gratiam. Quapropter beatum Petrum, cujus tibi adesse patrocinium grandia facta testantur, præ oculis habere semper memineris, ejusque beneficiis, cum necesse est, gratam vicem rependens ipsum de cætero, velut debitorem, efficere tibi procurato; de quo nimirum eo magis præsumere poteris quo amplius obsequiis illum tibi quasi obnoxium astrinxeris. Memento itaque matris tuæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ de te inter cæteros principes specialiter confidit et peculiariter diligit. Memento quod sibi promisisti; et quod pollicitus es (cui etiam non promittens, ex jure Christianitatis debes adimplere), cum promiseris, non ulterius differas. Non enim ignoras quanta perturbatio contra eam per Henricum dictum regem sit orta, quantumque tuo, qui suus es filius, auxilio indigeat. Age ergo, ut quantum studet filius iniquitatis adversari, non minus debeat de tuæ devotionis opitulatione mater Ecclesia gratulari. Dubitavimus hic sigillum plumbeum ponere, ne si illud inimici caperent, de eo falsitatem aliquam facerent.

EPISTOLA XVIII.

(Anno 1081.)

Ut in Lugdunensi Ecclesia archiepiscopum idoneum ordinandum curet; quod nisi cito reperiatur, ipse ejus Ecclesiæ regimen suscipiat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, V.... (411) dilecto in Christo fratri et coepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Summopere procurandum tibi est ut in magna sede Lugdunensi non diu differatur ordinari archiepiscopus, qui revera sit miles Christi et defensor justitiæ; pro qua non solum laborare, sed etiam pro eo desideret mortem carnis subire. Quod si cito non potest reperiri, ex apostolica tibi præcipimus auctoritate ut rogatus a fratribus tuis, et electus ab ejusdem Ecclesiæ filiis, indubitanter præsumens de adjutorio cœlesti ad regimen prædictæ Lugdunensis sanctæ accedas Ecclesiæ, imitando dominum, et patrem nostrum beatum Petrum apostolum, qui de minori Ecclesia Antiochena translatus est in Romanam.

Data nono Kalendas Novembris.

(411) Quid si *Hugoni* qui Gebuino successit ad multos annos? *ita et in Mutin.*

EPISTOLA XIX.

AD ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

(Anno 1081.)

Terminandam ei committit causam abbatis, cui officium propter contumaciam, excusabilem tamen, interdixerat; quod interim illi reddi vult. Præcipit ut privilegio, quod ab adversariis ejus monachis ab Alexandro pontifice subreptum dicebatur, si ita est, cassato, causaque discussa, secundum veritatem judicium super ea proferat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri H.... [HUGONI, *sic et in Mutin.*] Lugdunensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Abbas præsentium lator retulit nobis officium sibi ecclesiæque suæ a fraternitate tua esse interdictum, propterea quod loco ad justitiam inter ipsum et B abbatem de Casa Dei discernendam constituto admonitus non interfuit; ad quem, sicut ipse dicit, venire non contempsit, sed propter discordiam, quæ inter comites illius patriæ fuit, non ausus est. Proinde quia nos illius causam nec pleniter scimus, nec absente altera parte judicare debemus, eam fraternitati tuæ committimus, ut statuto utrique parti congruo loco et termino, ad finem quem justitia dictaverit eorum causam perducas. Volumus tamen ut pro amore beati Petri, a quo sine misericordia nemo regredi debet, in quantum cum justitia poteris, istum misericorditer tractes, atque in mansuetudine tua is sentiat se non frustra tantum laborem ad apostolicam sedem sumpsisse. Interim etiam dignum C videtur, et volumus ut, nisi hoc ad justitiam exsequendam impediturum esse pro certo cognoveris, officium sibi suæque ecclesiæ reddas; quatenus in hoc quoque apostolicæ sedis auxilium petiisse non eum pœniteat. Præterea idem iste frater retulit nobis se causam, quam cum quibusdam monachis habebat, ad audientiam tuam detulisse; cujus rei examinationem, quoniam præfati monachi privilegium venerandæ memoriæ Alexandri prædecessoris nostri prætendebant, nolueris facere. Quapropter quia prælibato antecessori nostro a malitia quorumdam, sicut ipse nosti, nonnunquam subreptum est, religioni tuæ præcipimus ut nihilominus causam ipsam discutias, et, si privilegium contra justitiam factum esse deprehenderis, eo cassato, quidquid D æquitas postulaverit exsequi nostra auctoritate fultus non dubites. Quidquid autem super his diffiniveris, nostræ intelligentiæ studeas indicare.

EPISTOLA XX.

AD EPISCOPUM CANTUARIENSEM.

(Anno 1081.)

Cantuariensi episcopo, cum Romam sæpe vocatus nec venisset, nec excusationem canonicam haberet, præcipit ut intra quatuor menses Romam veniat, alioquin eum ab officio episcopali suspendit.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, L..... [LANFRANCO, *sic in Mutin.*] Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sæpe fraternitatem tuam apostolica legatione invitavimus Romam venire etiam pro fidei et religionis A Christianæ comprobatione; quod hucusque, sicut apparet, aut superbe aut negligenter nostra abutens patientia distulisti, cum nec etiam canonicam excusationem prætenderis. Non enim labor aut difficultas itineris te sufficienter excusat, cum satis notum sit multos longe remotos, licet corpore invalidos et infirmos, et a lectulis vix valentes surgere, tamen beati Petri amore flagrantes ad ejus limina vehiculis properare. Quare apostolica tibi auctoritate præcipimus ut postposita occasione vel inani formidine, datis induciis quatuor mensium, postquam hæc nostra mandata ad notitiam tuam pervenerint, in præsentis anni festo Omnium Sanctorum Romæ adesse procures et satagas, et inobedientiæ tuæ reatum per tantum temporis supportatum emendare non ulterius negligas. Quod si nec adhuc te mandata apostolica moverint, sed ea dissimulans in contemptu durare malueris, et periculum inobedientiæ incurrere non erubueris, quod est quasi scelus idololatriæ, testante beato Samuele (*I Reg.* XV), a beati Petri gratia scias te procul dubio removendum, et ejus auctoritate omnino feriendum, ita videlicet ut si infra prædictum spatium ad nos non veneris, ab omni sis officio episcopali suspensus.

EPISTOLA XXI.

AD UNIVERSOS FIDELES.

(Anno 1081.)

Hortatur ad persecutiones patienter ferendas.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis, abbatibus, clericis et laicis, apostolicæ sedi fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Scimus, fratres charissimi, quia tribulationibus et angustiis nostris compatimini, et in vestris orationibus ante Dominum memoriam nostri habetis. Quod idem nos erga vos agere non dubitetis, et merito; nam Apostolus dicit : *Si patitur unum membrum compatiuntur* et cætera *membra* (*I Cor.* XII). In hoc etiam credimus charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, quia omnes unum volumus, unum desideramus et ad unum tendimus. Unum volumus, videlicet ut omnes impii resipiscant, et ad Creatorem suum revertantur; unum desideramus, scilicet ut sancta Ecclesia, per totum orbem conculcata et confusa, et per diversas partes discissa, ad pristinum decorem et soliditatem redeat; ad unum tendimus, quia ut Deus glorificetur in nobis, et nos cum fratribus nostris, etiam cum his qui nos persequuntur, ad vitam æternam pervenire mereamur, exoptamus : *Nolite mirari, fratres charissimi, si odit vos mundus* (*I Joan.* III), quia et nos ipsi eum contra nos irritamus, qui illius desiderio valde contradicentes opera illius condemnamus. Quid autem mirum si principes mundi et potentes sæculi nos pauperes Christi pravitatibus illorum obviantes, odiunt, et quadam indignatione contra nos desæviunt, cum aliqui subjecti, vel etiam servi, jussi suas iniquitates relinquere, conantur præpositorum suorum vitam auferre, et tamen adhuc usque ad sanguinem rari ex nostris impiis restiterunt, et, quod omnino erat

optandum, paucissimi nostrum pro Christo mortem subierunt. Pensate, charissimi, pensate, quot quotidie milites sæculares pro dominis suis vili mercede inducti morti se tradunt. Et nos quid pro summo rege et sempiterna gloria patimur aut agimus? Quale dedecus, et quale improperium, qualisque derisio oculis nostris objicitur, quod illi, velut pro vili alga, mortem subire non metuunt, et nos, pro cœlesti thesauro et æterna beatitudine, etiam persecutionem pati devitamus!

Erigite ergo animos in vires, spem vitam concipite, illud vexillum præ oculis habentes ducis nostri, scilicet regis æterni, unde ipse dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Et si volumus, divina suffragante gratia, hostem antiquum cito et fortiter confringere omnesque versutias ejus parvipendere, studeamus persecutiones ab eo immissas et mortem pro justitia non solum non devitare, sed etiam pro amore Dei et Christianæ religionis defensione appetere. In hoc enim omnes elationes maris (*Psal.* XCII) et superbiam sæculi conculcabimus, et pro nihilo ducemus, et ei qui est caput nostrum sedens in dextera Dei Patris, ipso largiente, jungemur et conregnabimus. Clamat enim Magister noster : *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Tim.* II). Interea vobis, fratres mei, qui mecum minus valentes estis, fortiora bella certaminis annuntiamus, quia pius Redemptor noster cito faciet cum tentationibus nostris etiam proventum, ne nimia fragilitate devicti, non possimus sustinere, sed inter qualescunque suorum fidelium positi addiscamus vel in prosperitate sibi servire (412).

EPISTOLA XXII.

AD COMITEM ANDEGAVENSEM.

(Anno 1081.)

Dolet quod fama et egregiis virtutibus, quibus ante ornatus erat, seipsum ob quamdam mulierem privarit, et episcopum, qui eum ea de causa excommunicaverat, sit insectatus. Monet ut resipiscat; et si innocentiam suam probari posse confidat, concilium vult cogi, in quo super hac re feratur sententia. Munera ab eo ad se missa non recipit. Jubet ut episcopo ablata restituat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, G.... [GAUFRIDO] glorioso comiti Andegavensi (413).

Dolemus satis quod adversus gloriosam famam tuam per Galliarum partes diffusam, et usque ad apostolicæ sedis notitiam perlatam, astutia diaboli potuit prævalere. Sicut enim de te lætabamur, et quodammodo unice de bonis studiis tuis in sermonibus nostris præsumebamus, asserentes te non solum principes sed et ipsos reges, justitia et morum honestate superare, sic nobis gemendum videtur, prudentiam tuam a tanta gratia et a tanto virtutum culmine decidisse. Qua in re antiquam hostis humani fraudem recognoscimus nequissime elaborasse, ut qui Adam per mulierem de paradiso A expulit, te per eumdem sexum eadem gloria et hujus vitæ laudabili fama privaret, et multa bona tua isto deceptionis suæ genere confunderet. Cujus rei gratia ab episcopo tuo correctus, et excommunicatus, ut a tanto periculo te et conjunctam tibi erueres, et domum tuam a perpetua infamia liberares, non solum Deo et justitiæ de perpetrato crimine non satisfecisti, sed et ipsum episcopum, cui etiamsi injustam sententiam super te dedisset obedire debueras, contra morem æquitatis tuæ tyrannice insecutus es, cum constet aliquem amorem Dei non posse habere, qui spiritualis patris pro culpa inobedientiæ suæ gratiam et dilectionem probatur amisisse. Quod nos audientes, victi amore tuo, memores etiam virtutum tuarum, quæ a religiosis B viris nobis insinuatæ fuerant, usque modo te portavimus, sperantes ut divina tactus miseratione ad sanum consilium redires, et æterno regi, cujus judicio quotidie propinquas, te purgatum præsentare contenderes. Et quia in hoc amorem sæculi magis quam animæ tuæ salutem perpendisti, veremur ne divina indignatio diu protractum et inemendatum facinus acriter puniat. Unde paterna te charitate monemus ut ab hac iniquitate, quæ bonorum tuorum fructus universaliter dissipat, sapienti usus consilio surgas, et tam te quam tibi conjunctam de catena diaboli eruas. Quod si innocentiam tuam super hoc negotio confidis posse probari, videtur nobis perutile ut synodus constituatur, cui legati nostri Hugo Diensis episcopus, et Richardus vel C alter eorum intersit; ut in audientia religiosorum virorum possit perquiri quid in te vel sententia super te promulgata debeat emendari. Deus scit, et conscientia nostra testis est, quia mens nostra multum gauderet de te, utpote quem jampridem sincero et pleno amore dileximus, si ab hac infamia quoquomodo te liberares, et aditum lædendi te per fructum correctionis hosti antiquo concluderes. Munera tua ideo recipienda non esse arbitrati sumus, quia divinis oculis oblatio tua non acceptabilis esse probatur quandiu a peccato isto immunem te non reddideris, et ad gratiam omnipotentis Dei, sicut catholicum principem decet, non redieris. Licet munera tua propter illud peccatum non recepimus, tamen Dei misericordiam pro te exorare D non desistemus. De cætero nobilitatem tuam monemus, atque præcipimus ut præfato episcopo tuo, res quas sibi abstulisti restituens, digne satisfaciendo eum placare procures, ac deinceps eum nullatenus inquietare præsumas.

EPISTOLA XXIII.

AD TURONENSES ET ANDEGAVENSES.

(Anno 1081.)

Præcipit ne Andegavensi comiti ab archiepiscopo Turonensi excommunicato communicent. Præterea

(412) Sequitur epistola alia in originali, quæ est eadem et iisdem verbis cum epistola decima sexta libri octavi.

(413) Hæc epistola debuit in superioribus scribi, Orig.

opem ferant archiepiscopo, qui a comite de sede ejectus et bonis Ecclesiæ privatus fuerat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, abbatibus, clericis et laicis Turonensis archiepiscopatus, et episcopatus Andegavensis, qui Deo et beato Petro, atque sedis apostolicæ legatis, obediunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse non dubitamus Andegavensem comitem ob nequitiam suam esse excommunicatum, quam etiam in eos qui sibi adhærent et favent extendi cunctis sacram Scripturam scientibus liquet. Qui tandiu exspectatus non solum de via sua pessima ad Deum, sicut Christianum oportet, non est conversus, sed insuper ad augmentum malitiæ suæ aliis item excommunicatis conjunctus, fratrem nostrum Turonensem archiepiscopum de sede sua expulit, bonisque Ecclesiæ penitus exspoliavit. Proinde apostolica vobis auctoritate præcipimus ut tam a præfato comite, quam ab omnibus sequacibus vel complicibus ejus, vobis summopere caveatis, omnino vos abstinentes a familiaritate et participatione ipsorum. De prædicto vero fratre nostro archiepiscopo, qui propter justitiam pulsus et persecutionem perpessus est (*Matth.* v), vobis nihilominus præcipientes mandamus, ut ei sicut patri vestro fideliter devoteque obediatis, ac necessitatibus ipsius, sicut boni filii, opitulari libenter studeatis. Quemadmodum namque sæpe dicto comiti faventes in se Dei odium procul dubio provocant, ita et huic fratri nostro, in quibus necesse est, suffragantes, non dubie gratiam beati Petri, suorumque peccatorum absolutionem, merentur. Præterea præcipimus nominatim B........ venerabili abbati sanctæ Mariæ, ut litteras nostras canonicis Sancti Martini, quas eis dirigimus, ferat.

EPISTOLA XXIV.

AD ROBERTUM COMITEM.

(Anno 1081.)

Petitionem ejus super electo Melitensi episcopo non posse adimpleri, cum ad Ecclesiam Regitanam consecratio pertinere dicatur. Quare vult ut una cum legatis discutiatur, an ad eam talis consecratio spectet. Trajanensem episcopum sine apostolicæ sedis auctoritate electum se consecratum ait, dum tamen in posterum hujusmodi electio non fiat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Roberto nobili comiti, salutem et apostolicam benedictionem.

Non dubitet prudentia tua nos libenter petitioni tuæ favere, in quantum cum Deo et sine fratrum nostrorum scandalo fieri potest. Non est enim aliqua sæcularis apicis persona, cui salva justitia pronius assensum nostrum præbere velimus. De eo autem quod super electo Melitensi postulasti, noverit nobilitas tua nobis esse intimatum ad jus Ecclesiæ Regitanæ pertinere. Unde non aliter annuendum postulationi tuæ perpendimus, nisi diligenter examinata justitia Melitensem Ecclesiam ad præfatæ Regitanæ parochiæ consecrationem non attinere constiA terit. Ad cujus rei indagationem, quia te diligimus, sine temporum molesta dilatione copiam tibi providimus, videlicet ut accersitis fratribus nostris Barensi archiepiscopo. V........ et W. [*deest* et W]....... Firmano episcopo et legato nostro W........ si fieri potest, cum his tribus, alioquin vel horum duobus præsentibus causa in commune discutiatur. Si ergo causa solerter eventilata ab illius potestate inventa fuerit libera, tunc nos sicut oportebit effectum dare precibus tuis non pigritabimur. Sin autem decet atque necesse est ut sic tua devotio in his præcipue quæ Dei sunt sese æqualiter habeat, quatenus fraternæ charitatis et concordiæ vinculum rumpere et dilectionis unitatem in invicem scindere caveat, in mente habens quod scriptum est : *Si recte offeras et* B *recte non dijudicas* [*dividas*], *peccasti*. De cætero quia Trajanensem electum a nobis consecrari postulas, licet electioni ejus hoc defuerit quod legatus apostolicæ sedis et consensus noster non adfuit; tamen monentes ne de futuro id fiat, tuæ dilectioni, ipsiusque personæ, laudabili testimonio id ad præsens annuimus, ut veniens, Deo favente, per nos consecretur.

EPISTOLA XXV.

AD ARCHIEPISCOPUM CAPUANUM ET CÆTEROS.

(Anno 1081.)

Ut se ab excommunicatorum participatione abstineant, eamque aliis interdicant. Iis qui persecu- C *tionem ferre non possunt licentiam impartitur aut ad sedem apostolicam aut ad ducem fugiendi.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri H........ Capuano archiepiscopo, cæterisque principatuum episcopis, qui beato Petro obedientes Christianam religionem constanter defendunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Congratulamur dilectioni vestræ, fratres charissimi, quoniam digni inventi estis, qui pro Christiana religione integra virtute fortique constantia inimicitias, odium et contumelias patiamini : ac optamus ut de reliquo immobili robore perseveretis, non modo vos ab illicita et nefaria excommunicatorum participatione abstinentes, sed et cæteros sacerdotes ab eorum communione interdicentes. Si qui vero D fuerint qui contra interdictum vestrum et nostrum contumaciter missas et officia illis divina celebrare subinde præsumpserint, pro certo habeant tales, annuente Deo, sacris se ministeriis, quæ indigne usurpare non metuent, in perpetuum abdicandos et sine spe recuperationis amovendos. De cætero si quis vestrum impiorum pressuram ferre non valens cupit secedere, nobis non displicet. Hujusmodi ergo vel in potestatem ducis gloriosi vel fratris ejus poterit ire, aut si ad nos venire maluerit, nos charitate qua debemus eum libenter suscipiemus. Qui vero aliis exemplum factus fortiter inter impios perseveraverit, ille procul dubio virtutis coronam gloriæque triumphum merito majorem, Domino largiente, percipiet.

EPISTOLA XXVI.

AD ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM.

(Anno 1081.)

Præcipit ut magistro militum sub excommunicationis pœna interdicat, ne ulterius Jordani perjuro et excommunicato auxilium ferat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, L.... Neapolitano archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorat prudentia tua nobis imminere, ut omnibus et ubique salutaria consilia provideamus, et monita vel interdicta, prout res postulare videtur, cunctis exhibere debeamus. Præterea non latere te volumus, ex quo charissimus noster Salernitanus princeps noviter rediit, nos et nobilissimum magistrum militum, et majores atque minores vestræ urbis quodammodo specialiter cœpisse diligere. Unde modo valde magis dolemus, quia eos auxilium dare hominibus pravis et ab Ecclesia atque Deo separatis audivimus. Nam relatum est nobis, quod Jordani, qui scienter perjurus beato Petro et nobis et ob hoc anathematis nodis ligatus est, adjutorium faciant. Quæ res illos procul dubio et a gratia beati Petri alienos et dilectione nostra indignos efficit : et, nisi resipiscentes desinant, æternis pœnis obnoxios reddet. Proinde fraternitati tuæ præcipimus ut præfatum magistrum militum omnesque tibi commissos admoneas, et pontificalis censuræ disciplina prohibeas, et interdicas ut tam a præfato Jordano quam a cæteris illius complicibus sese abstineant, illique nullum prorsus auxilium tribuant, donec beato Petro satisfecerit quem perjurio abnegavit. Si quis ergo nec consiliis tuis, nec præceptis nostris, nec auctoritati beati Petri obtemperans, in fidelitate vel adjutorio illius mortuus fuerit, pro illo certum est non esse orandum : et nos etiam jubemus ut nec sepulturæ Christiano more commendetur. Timendum quoque est ne, si ab illo animum non revocaverint, divinæ ultionis iram ipse locus vester experiatur.

EPISTOLA XXVII.

AD HERIMANNUM CARDINALEM.

(Anno 1081.)

Hortatur patienter se pro Christi nomine gerat, et justitiam defendat. De electo Corsicano vult sibi, antequam consecretur, testimonium suum mittat.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HERIMANNO dilecto in Christo fratri sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias omnipotenti Deo bonorum omnium largitori referimus, qui te illorum consortio adnumerare dignatus est, de quibus scriptum est : *Quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Hoc est, dilectissime frater, quod sepæ legeras : *Vasa figuli probat fornax* (*Eccli.* XXVII); et illud : Innocentiam Abel habere non potest, quem malitia Cain non exercet. Hæc denique et alia hujusmodi nunc in manibus geri patenter intelligit prudentia tua : perpendit etiam quod ab ea exigitur, A nec ignorat quid sibi pro talibus in fine debetur. Quapropter, ut solertiæ tuæ breviter loqui si multa dixisse, admonemus, id quod memoriæ tuæ semper adesse putamus, videlicet ut Veritatis sententiam quasi signaculum sub cor tuum ponas : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Ea est enim justitiæ consolidatio, fidei stabilimentum, spei securitas, charitatis indissolubile vinculum, consummatio nempe virtutum. De cætero quoniam Corsicanus electus ad consecrandum nuper advenit, fraternitatis tuæ testimonio, quæ rem illius (ut arbitramur) clarius novit, super eo indigemus. Cum enim nobis electio illius incognita sit et persona, oportet profecto non ei temere manum imponi. Proinde, frater, ut de eo quid faciendum sit scire B valeamus, volumus et jubemus quatenus veritatis judicium super ipso nobis destinare procures. Esto memor memoris. Ora pro nobis.

EPISTOLA XXVIII.

AD UNIVERSOS FIDELES.

(Anno 1081.)

Ait se generalem synodum in loco tuto velle congregare, ut tantorum malorum auctorem, ac præsertim pacis inter pontificatum et regnum perturbatorem ex occultis antris extrahat, pacemque ipsam confirmet. Paratum se offert sedis apostolicæ innocentiam defendere. Rodulphum regem absque ejus præcepto electum ejusque electores qui illum ordinarunt, nisi hoc factum recte defendant, tam ipsos a dignitatibus suis quam Rodulphum a regno deponere minatur.

C GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clericis et laicis qui non tenentur excommunicatione, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum facimus vobis, charissimi fratres et filii, nos admodum desiderare et apostolica auctoritate velle sancire ut generalis synodus congregetur in loco tuto et securo, sicque opportuno ut ad eum possint undique terrarum clericalis ordinis et laicalis amici vel inimici sine timore convenire. Disponimus enim tractare, et diligenti excussione detectum in faciem orbis ex occultis tergiversationum suarum antris extrahere quicunque ille est qui tantorum malorum, quæ jampridem in Christianam religionem grassantur et sæviunt, causa et auctor existit. Cujus etiam impietas et inaudita temeritas D hactenus obstitit et proturbavit ne inter pontificatum et regnum divina pax et recta concordia fieret; quam pacem, opitulante Domino, sicut Christiana devotio cupit et postulat, in eodem concilio instaurare et confirmare optamus. In qua synodo præterea, Deo auctore, ad honorem beati Petri, secundum sanctorum Patrum decreta parati erimus quod justum est facere, et iniquorum nequitiam revelantes de his quæ apostolicæ sedi objiciuntur, et unde quidam fratrum submurmurant, ipsius innocentiam evidenter ostendere, ita tamen ut ante omnia res sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quibus exspoliata cognoscitur, si dignum est, restituantur. Verum illud admodum vestræ dilectioni notificare non dedignamur, Deo teste, Rodulphum, qui rex ab ultramon-

tanis ordinatus est, non nostro præcepto sive consilio regnum tunc suscepisse; insuper etiam nos in synodo decernentes firmavisse, nisi archiepiscopi et episcopi, qui illum ordinaverant, hoc factum suum recte defendere potuissent, tam ipsos a dignitatibus suis quam et præfatum Rodulphum a regno deponere. Enimvero interim quis hanc nostram dispositionem interturbaverit, et multi vestrum sciunt, et nostram scientiam nequaquam fugere potest. Si enim Henricus rex dictus et pars ejus obedientiam quam promiserat nobis, imo beato Petro, servasset, confidenter dico, Deo juvante, non tot mala, videlicet homicidia, perjuria, sacrilegia, Simoniacæ hæresis pestilentiæ ac proditiones evenissent. Vos itaque, quos aut tantæ calamitates movent, aut divini timoris respectus ad Deo dignam pacem et concordiam animat, nitimini et summopere laborate, ut synodus, qualem supra memoravimus, fieri possit quatenus sanctæ Ecclesiæ caput, totumque corpus, quod impiorum procellosis fraudibus et machinationibus fluctuat nimirum et titubat, communi omnium bonorum consensu et robore quiescat de cæero et stabiliter consolidetur.

EPISTOLA XXIX.

AD ABBATEM MASSILIENSEM.

(Anno 1081.)

Præcipit ut moneat quosdam, qui canoniam Sancti Saturnini apostolicæ sedis patrocinio commissam infestabant, desistere, et quæ contra illam egerant emendare. Nisi pareant, vult eorum audaciam compescat, et dictæ canoniæ curam habeat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, R... (Richardo, *sic in Mutin.*) sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinali, et abbati Massiliensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Non ignorat prudentia tua canoniam Sancti Saturnini, sitam juxta Tolosanam urbem, apostolicæ sedi esse commissam. Cui licet ex generali omnium Ecclesiarum cura conveniat nos tuitionis auxilium providere, tamen specialiter oportet nos eo magis illi loco nostræ protectionis munimen impendere quo amplius constat ejus vel injurias vel negotia ad Romanam sedem, cujus juris est, attinere. Præfata igitur Ecclesia, quamquam noviter, decenter tamen canonicam vitam instituit, atque hactenus, sicut tua solertia novit, ex tunc regulariter vixisse dignoscitur. Verum quoniam antiqui hostis mos est eo magis dolere invidiæque facibus uti quo amplius videt Christianam religionem crescere, et de bonorum provectibus lucra, vel potius rapinas suas, diminui, contra memoratum locum jam cœpit sæcularium exagitatio, et, quod magis mirandum ac dolendum est, ecclesiasticorum odia suboriri. Unde et canonici querimoniam ad nos direxerunt super clericis Sancti Stephani, quorum suggestione per quemdam fugitivum clericum sibi privilegium, quod eis indulseramus, subreptum est, quique cœmeterium, quod ante regularem ordinationem suam locus ille quiete per longa temporum curricula tenuit, modo auferre, atque ecclesias ad eum pertinentes

A in potestatem suam illicitis conditionibus redigere conantur. Conqueruntur et super monachis Mojacensibus, qui quamdam ecclesiam, unde interpositis sacrosanctis Evangeliis secundum judicium legati nostri A....... Ellorensis [Amati Olorensis] episcopi, collaudantibus aliis episcopis qui aderant, lis inter eos determinata fuerat, iterata deterius injuria per vim comitis W..... datis, ut fertur, muneribus occupatam, detinere nituntur. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus ut prælibatos tam clericos quam et monachos, atque ipsum comitem litteris et quibus modis vales commonere procures, quatenus ea quæ contra sæpe dictam ecclesiam inique vel odiose gessisse noscuntur, Deo et justitiæ satisfacientes, sicut oportet; emendent; ac de cætero debitam apo-

B stolicis privilegiis reverentiam exhibentes, iram Dei provocare et maledictionem supra se temerariis ausibus inducere caveant. Episcopum quoque diœcesis ipsius admoneas, ut eamdem canoniam tam ipse non inquietet quam et alios quos prohibere valet inquietare non sinat. De monachis tamen, quoniam Cluniacensi abbatiæ pertinent, ipsi venerabili abbati in primis notificandum censemus ut ipse insolentiam subditorum suorum compescat et justitiæ acquiescere, si forte noluerit, compellat. Ad ultimum vero, si qui illorum monitis tuis, imo beati Petri obtemperare contempserint, quamcunque in eorum audaciam sententiam protuleris, scias auctoritate nostra firmandam. Volumus siquidem et ju-

C bemus ut circa prænominatam canoniam studium sollicitudinis tuæ invigilet, et negotiis ac necessitatibus ejus facilem te pronumque exhibeas, quatenus Romanæ libertatis securitate fulta, sicut cæteræ Ecclesiæ apostolicæ sedis adhærentes, in sanctæ conversationis obtentu et religionis amore, favente Domino, magis magisque proficere valeat.

EPISTOLA XXX.

AD MILITES TERVANNENSES.

(Anno 1081.)

Increpans eorum scelus qui, januis ecclesiæ effractis, sacra vasa, ornamenta, cruces, et alia deprædati, episcopo ante altare oranti linguam, et dextræ articulos detruncarint. Monet ut coram legatis satisfacturi se sistant, et, nisi satisfecerint, eos excommunicandos esse affirmat.

D Gregorius episcopus, servus servorum Dei, militibus Tervannensibus [Tarvanensibus] O........ et E......

Intolerabilis audaciæ horribilisque facinoris super vos ad nos relatio venit, quod quanto nostris sæculis inusitatum, nec a tempore paganorum persecutorum præsumptum esse vel legitur vel auditur, tanto ad justitiam de se exsequendam apostolicæ mansuetudinis zelum movet et incitat. Denique conquestus est nobis Lambertus dictus Tervannensis episcopus, quod post tot tantaque sacrilegia, quibus eamdem ecclesiam deprædati fuistis, januas ejus infringentes, serica, argentea aureaque diversi generis, et innumera ornamenta diripientes, ac sacris crucibus comminutis, tam ipsas quam et duas capel-

las et reliquias auferentes, abstrahentes, eumdem episcopum ab altari, ubi prostratus orabat, linguam ei dextræque articulos ad acervum tantorum scelerum detruncastis. Qua in re nullam excusationem tentetis obtendere, quasi de ipsius vita reproba, vel ordinatione injusta, seu depositione irrogata; sicut enim supra notavimus, nemo adhuc tale aliquid præsumpsisse dignoscitur, nisi forte qui Deum non timens, et Christianam reverentiam abjiciens, pro nihilo duxit manum in sacros ordines mittere. Quapropter monemus, et ex parte beati Petri præcipimus, ut tantam nequitiam vestram recognoscentes, aut ante legatos nostros Lugdunensem archiepiscopum et abbatem Cluniacensem satisfacturi veniatis, aut secundum consilium vel mandatum ipsorum satisfacere Deo et sanctæ Ecclesiæ nullatenus detrectetis. Volumus siquidem et æquum esse decernimus ut quod nequiter commisistis humiliter emendetis. Quod si diabolico spiritu indurati nostrisque præceptis salutaribus inobedientes, nec pœnitentiam dignam agere volueritis, procul dubio sciatis vos esse excommunicandos, et quodcunque in vos judicium legatus noster dictaverit, auctoritate nostra firmandum.

Præmonitio in sequentem epistolam.

Post epistolam 30 lib. IX Registri codex Mutinensis hanc recitat epistolam, quæ in editis non comparet ex quo hic subjungendam censeo

B. comes Arelatensis ad Gregorium VII papam. — De Bernardo abbate Sanctorum P. et R. Montis Majoris expulso, et Guillelmo in ejus loco subrogato quem comes pontifici commendat, qui legitime creatus fuerat.

Summo pontifici et universali papæ Gregorio VII B. comes Arelatensis, prosperam in omnibus, et æternæ perfrui beatitudinis munere cum cœli civibus.

Sublimissime domine et princeps totius orbis terræ, si bene vales, congratulor valde. Si autem, quod absit, aliter, conturbor vehementissime. Ego enim sum vestri servus, et de injustitia quam hactenus passi estis ab iniquo judice ita sum afflictus quasi corpore et mente flagellis maximis verberatus. De cætero, Pater sanctissime, mando tibi qualiter Bernardus abbas Sancti P. et R. Montis Majoris, abbatia expulsus sit juste, et qualiter iste susceperit quem tibi mitto, Guillelmus nomine. Ille namque tanti erat flagitii et tantæ impudicitiæ quod pudet me aliquid dignum honesto viro dicere. Sed unum ex pluribus nequeo tacere. Sodomitica quippe libido ultra modum in eum regnabat, et deinde ab ullo viventi corripi non poterat. Ego quoque et monachi supradicti loci detestabilem hujusmodi rem agnoscentes, nequivimus diu pati, sed, consilio invicem habito, audivimus archipræsulem Lugdunensem qui ei benedictionem tribuerat abbatis, et ejus consilio atque judicio abbatiam quam ab archiepiscopo Arelatensi, a te anathemate percusso, Simoniace acceperat, amisit; et hic qui nunc præest paulo ante memorati pontificis decreto regulariter subrogatus, atque benedictionem ab eodem suscepit. Nunc ego supplex imploro tui clementiam, ut propria manu abbatiam a te suscipiat et privilegia, olim loco illi qui est ditionis tuæ a Patribus indulta, corrobores manu propria, et novum sibi privilegium tui ex parte attribuas. Noscis enim quemadmodum dereliquerim, Dei et S. Petri, et Romanæ Ecclesiæ ac tui pro amore omnes episcopatus et abbatias et nolo ut hæc, quæ semper remansit libera cuilibet viventi, nisi sancto Petro, et Romanæ Ecclesiæ et tibi subjaceat (413*).

EPISTOLA XXXI.

(Anno 1081.)

Cum clerici Augustodunenses de quodam monasterio cum monachis Floriacensibus contenderent, et privilegium contra æquitatem a pontifice subreptum diceretur, vult ut, si ita est, eo cassato, sententiam secundum justitiam proferat. Ipsi, adversus se verba jactanti quod episcopum Carnotensem absolvisset, ostendit id a se cum ratione factum.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo fratri et coepiscopo H.... [Hugoni] salutem et apostolicam benedictionem.

Clerici quidam Augustodunenses his diebus ad nos venerunt adversus Floriacenses monachos, super quodam monasterio, Sancti videlicet Symphoriani, causam habentes. Quam a te ante ventilatam et definitam nos retractasse dicebant, tuæque fraternitati aliter quam eis videretur et ratio postulasset scripsisse. Quod a nobis factum nequaquam recolimus, nec in registro nostro hujus causæ litteras reperire potuimus. Noverit itaque prudentia tua quia multa tanquam a nobis deferuntur et scripta et dicta nobis nescientibus. Multa etiam subripi possunt nimis ad singula intentis, utpote divisis ad plurima, et intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profecto minime recordamur, si quid forte subreptum fuit, optato magis amamus corrigere quam ab æquitate et rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere. Ad quem ergo justæ decisionis terminum negotii hujus quæstio fraternitatis tuæ considerata actione pervenit, imo, si minus adhuc satisfactum est pervenire poterit, non solum non mutamus, verum auctore Deo annuimus et laudamus: quippe cum magis rationi consentaneum videatur ut clerici, si canonice vivere volunt, et in eo persistere quod voverunt, suo quod antiquitus possedere non debeant carere monasterio, quod et ipsi interventu pecuniæ obtinuisse monachi infamantur. Super hoc ergo indubitanter cognoscas, quia perperam acta sive subrepta damnamus, juste acta et diffinita firmamus, et a te firmanda et statuenda mandamus. De Carnotensi autem episcopo unde fraternitas tua submurmurare videtur nosti quod dilectionis tuæ in-

(413) In registro Mutinensi superior epistola signatur numero XXXI, quæ hic sequitur in eodem registro est XXXII, et sic deinceps.

tuitu longo eum tempore una cum Parisiensi Romæ tenuimus, aut ut ipse venires, aut ad comprobanda objecta in eum capitula legatos et testes idoneos delegares. Quod cum minime feceris, justitiæ necessitate coacti, de ejus restitutione sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio acquievimus. Cui si superna pietas aliquando respirare concesserit, liquido tua beatitudo intelligere poterit, eam multo irreprehensibilius hoc egisse, quam te matris tuæ judicialem censuram manum reprehensionis extendisse. Decuerat quidem vos, et dignius videretur hac potius tempestate, et has inter quas patitur angustias, Dei utique æmulatione et conscientia bona, tanquam filios suos consolationum sibi dulcia ministrare, quam talia mandando, et talibus eam næniis implicando, dolorem super dolorem apponere, multiplicare pondera, non communicare ponderibus. Vale.

EPISTOLA XXXII.

AD ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

(Anno 1081.)

Significat se, antequam ejus litteras accepisset, Tervannensem episcopum absolvisse, accepto juramento quod judicio sedis apostolicæ vel legati acquiesceret; quare jubet ut coacto concilio, et adjuncto sibi Cluniacensi abbate, si depositio ejus justa probabitur, sententiam confirmet; sin minus, eum in integrum restituat, et eos qui male illum tractaverunt, nisi satisfaciant, excommunicet.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili H... [Hugoni] Lugdunensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam causa Lamberti dicti Tervannensis episcopi partim nota, partim incognita est, præsentim cum Robertus comes Flandrensis longe alia verba in litteris suis nobis direxerit quam prius Ingelrannus præsentialiter retulisset, eam fraternitati vestræ plenius eventilandam destinamus. Negat siquidem præfatus episcopus sibi notum esse quod eum synodalis per te sententia damnaverit, vel excommunicaverit, seu ad synodum ullam vocaverit. Unde nos ante agnitum litterarum tuarum tenorem, compassi multis laboribus ipsius, eum absolvimus; accepto tamen ab eo prius juramento, quod super episcopatu Dervannensis sedis apostolicæ vel legatorum nostrorum judicium non exibit. Itaque quia res grandis est, et diligentioris eget inquisitionis, præcipimus ut episcoporum et abbatum aliorumque religiosorum virorum concilium congreges. Et quoniam memorato episcopo, propter regem Francorum qui a te dissidet, suspectus es, associato tibi venerabili abbate Cluniacensi idem negotium uberius ac solertius tractes. Qua de re nos ita jam nunc censemus, si depositionis illius certissime causa juxta comprobatur, et peremptoria in eum sententia data cognoscitur, ipse ab episcopatu cessans sanctæ Ecclesiæ judicium ferat. Sin autem se vel injuste depositum fuisse, vel synodalem vocationem nescivisse defendere potuerit, integre suis et rebus et dignitati restituatur : sicque deinceps canonice, si qua fuerint objecta sibi, respondeat. Quocunque tamen

A dignitatis ejus sententia cesserit, hoc omnino jubemus, ut de illis qui eum tam male tractaverunt, quod justitia postulat sibi per vestram instantiam fiat, id est, si satisfacere contempserint, excommunicationis in eos eorumque perfidiæ fautores gladius exeratur. Istud vero in hoc negotio maxime servare vos volumus, tum pro labore quem memoratus episcopus ad apostolicam sedem subivit, cum etiam pro amore nobilissimi comitis Roberti, qui nobis super eo petitorias litteras misit, ut cum misericordia tractetur, et, quantum salva justitia potest, canonum rigor compassionis respectu temperetur. Denique ita se fraternitatis vestræ sagacitas habeat, ut nec in dextram nec in lævam declinet, sed ex utroque unum faciens unum temperamentum

B medium salubriter teneat.

EPISTOLA XXXIII.

AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

(Anno 1081.)

Ignoscit ejus verbis quæ adversus apostolicam sedem jactaverat : deinde repetit ea quæ in præcedenti epistola dixerat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Roberto glorioso comiti Flandrensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Locuta est prudentia tua in litteris suis apostolicæ sedi quædam sicut non decuit : quæ nos sane cupientes in sancta Ecclesia te conservare, supportamus adhuc, et libenter ignoscimus de misericor-

C dia divina sperantes quod et eorum qui tibi talia persuaserunt imperitiam, et sacræ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem et discretionem, quandoque præsentaneis affatibus ostendemus. Proinde super causa Lamberti dicti Tervannensis episcopi licet multo aliter se verba Tervannensium clericorum quam litteræ tuæ nobilitatis habuerint; tamen quia non dubium est posse interdum subrepi, eam secundum votum tuum retractationi delegamus. Quod quidem, ut quantum decenter possumus, tuo desiderio annueremus, sic peragendum providimus. Quoniam Lugdunensis archiepiscopus (quamvis de eo satis confidam) vobis suspectus est, ne suspicio prorsus ordinem rerum utiliter gerendarum impediat, gra-

D vem et illustrem virum Cluniacensem abbatem sibi associare censuimus. Itaque præcipimus ut congregato concilio causam ipsius episcopi diligentius eventilare procurent; et si quidem juste depositus fuisse comprobatus fuerit, acquiescens, saniori consilio cesset; sin autem vel omnino injuste, vel præpropere addictus esse patuerit, rebus et honore suo recepto instauretur, ac deinde canonicæ, si qua sibi fuerint objecta, respondeat. Quocunque tamen modo synodalis erga dignitatem ipsius sententia provenerit, jussimus ut illi qui diabolico furore succensi rem tam gravem et nefariam in ejus personam patraverunt quamprimum commoneantur ut satisfaciant. Si vero ad cumulum iniquitatum suarum renuerint, mandamus, tam in eos quam et in

fautores, contumaciam ipsorum anathematis gladio animadverti. Quod cum fuerit ea cura qua decet impletum, tunc deinde oportebit excellentiam tuam Ecclesiam adjuvare, et ipsius injuriam, sicut decet Christianum principem, defendere. Sicut autem volumus industriam tuam in hoc negotio justitiæ amorem habere, ita quoque et in causa cæterorum clericorum et laicorum, qui membra sunt ejusdem Ecclesiæ, te æquitatem servare monemus, et rogamus ut rebus eorum redditis, deinceps, si quid de eis statuendum est, secundum justitiam diffiniatur.

EPISTOLA XXXIV.

AD FLANDRENSES.

(Anno 1081.)

Cum Flandrensis comes, et excommunicato et deposito Tervannensi dicto episcopo favens, una cum eo in ecclesiam Tervannensem effracto ostio irruisset, ex qua Tervannensis cuncta deprædatus, clericos alios vulneraverat, alios semivivos ejecerat, et alios sibi communicare nolentes a comite rebus suis privatos e ditione sua expelli fecerat, præcipit ut illum adeuntes arguant moneantque ut resipiscat. Tervannensem a se repellat et clericos ejectos restituat. Quod nisi paruerit, eum, et quicunque illi adhæserit, excommunicatum declarat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei G..... Cameracensi episcopo R... [Rabtodo] Noviomensi, R... [Roriconi] Ambianensi, et omnibus Ecclesiarum rectoribus atque principibus in Flandria sub Roberto comite nobilissimo militantibus, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierint.

Noverit charitas omnium vestrum, fratres et filii charissimi, quoniam, licet peccatores et ad tantum onus portandum impares simus, tamen cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum parvitati nostræ a Deo commissa est. Dominus enim Jesus Christus beatum Petrum constituit principem apostolorum, dans ei claves regni cœlorum, et potestatem ligandi et solvendi in cœlo et in terra; super quem etiam Ecclesiam suam ædificavit (*Matth.* XVI), commendans ei oves suas pascendas (*Joan.* XVII), ex quo tempore principatus ille et potestas per beatum Petrum successit omnibus suam cathedram suscipientibus, vel usque in finem mundi suscepturis divino privilegio et jure hæreditario. Ex cujus sedis successione imminet nobis inevitabili necessitate ut omnibus oppressis debeamus opem ferre, et contra inimicos Dei pro defendenda justitia, quousque convertantur, Spiritus sancti gladio, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI), etiam usque ad mortem, si oportuerit, pugnare. Unde volumus omnes vos scire A... archidiaconem Tarvannensem, et M... abbatem, et L... diaconem, et per eos multos clericorum illius Ecclesiæ, nobis lacrymabilem querimoniam fecisse super comite Roberto, quem antehac pro fama quam sæpe de eo audivimus, sicut filium nostrum charissimum et dileximus, et (si monita salutis suæ non spreverit) diligere volumus, dicendo quod eos omnibus bonis suis nudatos de terra sua ejecerit pro eo quod præceptis apostolicis obediendo noluerunt cuidam Lamberto pseudoepiscopo a nobis et a legatis nostris H... [Hugone] Lugdunensi archiepiscopo et A... [Amato episcopo in Meldensi concilio excommunicato, tum pro aliis nefariis, tum pro eo quod quinque clericos ad Romanam synodum ire, et de malitia ejus querimoniam volentes facere, captione pessima afflixit, et quod de Ecclesia sua canonicam disciplinam evitans sine licentia fugitivus evasit. In qua excommunicatione, hæretica pravitate se fecit ab episcopis officio suo suspensis consecrari, imo potius exsecrari diaconem, presbyterum, episcopum. Deinde hostiliter et armata manu, comite Roberto cum exercitu secum eunte, ad ipsam civitatem pergens, portas ecclesiæ, quas ei clerus et populus obcluserat, in securi et ascia et aliis violentiis incidit atque confregit. Crucem quoque et imaginem Salvatoris, libellum contradictorium ante ipsas portas clausas manu dextera sibi quasi porrigentis et velut ore proprio ingressum ecclesiæ sibi contradicentis, ita diabolice a portis abstraxit ut dexteram manum (quod nunquam antea legimus aut audivimus factum) illi evulserit, sicque cum lanceis et gladiis evaginatis fur et latro irrumpens, alios clericorum vulneravit, alios semivivos fugavit, omniumque sibi communicare nolentium domos diripuit atque distraxit. Ipsum vero comitem in tantum seduxit ut omnes clericos sibi obedire nolentes omnibus bonis privatos de tota terra sua ejecerit, et duas epistolas nostras tam superbe spreverit, ut portitoribus earum contumeliosa verba et tanto principi multum indigna protulerit.

Quæ omnia quantum apostolicæ sedis reverentiæ sint intolerabilia et Christianæ religioni contraria, si Deum timetis, eique hominem non præponitis, satis intelligit industria vestra. Pro quibus omnibus præfato comiti exhortatorias et deprecatorias nunc tertio scripsimus litteras, ut Antichristi membrum amplius non sustentaret neque foveret, sed magis de ecclesia oppressa citius propelleret, et clericis pro justitia exsulatis omnia sibi ablata in integrum restitueret, et omnia hæc mala corrigendo dignos pœnitentiæ fructus faceret infra terminum quadraginta dierum post litteras nostras sibi ostensas, sive notificatas. Sin autem (quod absit, et quod Deus procul ab eo avertat!) nollet, secundum Apostolum, qui ait: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* X); et alibi: *Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate et non commisceamini cum illo, ut confundatur* (*II Thess.* IX); et alio loco: *Auferte malum ex vobismetipsis* (*II Cor.* V,) *quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (*Gal.* V). Si nollet, inquam, obedire, segregatus et excommunicatus foret a corpore et a communione sanctæ Ecclesiæ, auctoritate Dei, et judicio sancti Spiritus, quem quodammodo blasphemat, inimicum ejus contra eum scienter sustentando, qui toties excommunicatus charismata virtutum, et dona gratiarum ejus quotidie adhuc profanare non timet, donec satisfaciendo pœniteat. Omnipotens Deus cordibus omnium vestrum et cordi illius indicet ex quanto dolore cordis hæc dico, quoniam omnes

Deum diligentes diligo, et illum quadam speciali dilectione, sicut jam præfatus sum, dilexi, quia bona multoties de eo audivi; sed dissimulare hæc neque sine animæ meæ magno periculo propter illud prophetæ : *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ejus, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III), et illud Apostoli : *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt, digni sunt morte* (*Rom.* I); et beatus Gregorius ait : « Mala quæ ad nos pervenerunt dissimulare non audemus, quia qui emendare potest et negligit, delicti participem procul dubio se constituit, » et alibi : « Quisquis contra neophytos et Simoniacos pro officii sui consideratione vehementer non arserit, cum eo non dubitet se habere portionem, a quo hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. » Unde, dilectissimi fratres et filii, vos omnes rogamus, et per veram obedientiam ex parte beati Petri apostolorum principis præcipimus ut eum persuasibiliter et honorifice, sicut decet talem et tam nobilem virum, Deum tamen sibi semper præponentes, unusquisque vestrum opportuno tempore adeatis, rogetis et increpetis, ne seipsum et totum populum illum perdat, apostatam illum defendendo : sed quantocius a perditione eripiat longius a se expellendo. Vos quoque fratres G......, et Ra....... et Ro......... separatim et præ cæteris rogo et præcipio ut vos tres simul, vel semotim, cum litteris nostris, et litterarum portitoribus, præfatum principem adeatis, et litteras ei legatis, et constanter arguatis quia tantopere defendit illum, qui quando Dominum pro se et populo exorat, magis illum offendit, et ad iracundiam provocat. An non de talibus dicit Isaias : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi, et cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam* (*Isa.* I); et Malachias : *Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes*, ait Dominus : *Si nolueritis audire, et ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, maledicam benedictionibus vestris. Vos enim recessistis a me, et scandalizastis plurimos in lege, offerentes super altare meum panem pollutum* (*Malach.* II); et beatus Gregorius : « Maxima metuenda est in illis locis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei iracundiam magis in se concitant, quam per semetipsos placare debuerant. Cuncti liquido novimus, quia cum is qui Deo displicet ad intercedendum pro populo mittitur, citius irati animus ad deteriora provocatur. » Et alio loco : « Malis subesse pastoribus, quid est aliud nisi ut plebs populanda prædonibus permaneat, et inde sumat interitum, unde protectionis debuit habere subsidium? Sacerdotes enim mali causa sunt ruinæ populi. » Item alibi : « Qui improbe ad inanem gloriam locum festinat sanctitatis arripere, eo ipso quo honorem quærit, indignus est. Sicut enim is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, procul dubio est repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius ad profunda descendat? » (S. Greg., *hom.* 39, *in Lucam*, et *epist.* lib. IX, epist. 64) et paulo post : « Templum Dominus et salvator noster ingressus, cœpit ejicere omnes vendentes et ementes in illo, et cathedras vendentium columbas evertit. Qui sunt isti vendentes et ementes, quorum cathedræ eversæ sunt, nisi qui vendunt et emunt sacerdotium et Spiritum sanctum, quorum sacerdotium ante oculos Dei cecidisse cathedrarum eversione patenter signatum est? Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes alias radice pestifera in Ecclesia surrepsisse, atque in ipso portu apostolicæ maledictionis telo esse damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? » Hæc omnia et horum similia sibi, quia virum litteratum eum audivimus, dicite : considerantes diligenter et cum timore quia inobedientes, Samuele propheta testante (*II Reg.* XV), scelus incurrunt idololatriæ : sine qua videlicet obedientia, sicut beatus Gregorius in ultimo *Moralium* libro declarat, infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Plurima sibi in epistolis, sicut et modo vobis dixi, quia et plurimum eum dilexi; nisi enim eum multum dilexissem non tam multa sibi vel de eo dixissem, quia non est consuetudinis nostræ alicui tam prolixam epistolam facere, nisi res magna sit valde. Quod ideo feci, quia desideramus eum ad gremium universalis matris sanctæ Romanæ Ecclesiæ reducere, et sub alis beati Petri, sicut charissimum filium nostrum fovere. Quod si litteras apostolicæ sedis infra præscriptum terminum, aliqua fraude aut superbia suscipere vel audire contempserit, non solum sibi non proderit, sed etiam pro majoris inobedientiæ culpa divino judicio anathematis vinculis alligatum arctius indubitanter sciatis, et non solum eum, sed et omnes quicunque ei postea scienter in ecclesiasticis officiis communicaverint, vel in militia sæculari servierint. Quapropter rogo vos iterum, et ex parte Dei et B. Petri apostolorum principis præcipio ut vobis ab eo caveatis, et nullum divinum officium intra vestras provincias agatur, ubi vel ipse vel aliquis scienter sibi communicantium adfuerit : quousque per Dei pietatem satisfecerit. Rursum quoque monemus, quod prudentiæ vestræ vigilanter observandum esse cognoscimus, ne aliqua dissimulatione præceptis apostolicis obtemperare negligatis, sed sollicite considerantes, ac jugi memoria beati Gregorii verba super inobedientia in Samuelis sermonibus habita retinentes, procuretis quatenus, obediendo sicut oportet, videamini cum saluti vestræ prospicere tum illius etiam consulendo providere.

Observatio in sequentes epistolas.

Tres sequentes epistolas addendas hic censui, quod pertinere illas cognovi ad res episcopi Lam-

berti Tervanensis, de quibus superiores epistolæ in Regesto contentæ agunt. Deduxi vero illas ex t. X Galliæ Christianæ, pag. 393, in Append.

I.

ADR. FLANDRENSIUM COMITEM DE LAMBERTO MORINENSIS SEDIS INVASORE.

(Anno 1081.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, R. glorioso Flandrensium comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Notum tibi esse non dubitamus quantum nos hactenus nobilitatem tuam dilexerimus, cui industriam inter cæteros Franciæ principes satis honesta fama commendabat. Unde, quia bonis studiis tuis congratulamur, cum contraria de te referuntur multum profecto dolemus. Audivimus nuper te cuidam clerico sacrilego Lamberto, qui publice Tarvanensem episcopatum mercatus est, contra voluntatem clericorum illi Ecclesiæ imposito, imo ab eis omnino jampridem repudiato assensisse, eique adjutorium et potestatem Ecclesiam invadendi præstitisse, de qualibus ipsa Veritas dicit : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (*Joan.* x, 1). Et beatus papa Leo : *Non habeatur inter episcopos qui non fuerit a clero electus et a populo expetitus.* Oportet ergo prudentiam tuam divinæ majestatis omnipotentiam et districtionem præ oculis incessanter habere, nulliusque mortalium gratiam vel timorem illi præferre, cui et vitam et salutem et honorem tuum non ambigis te debere. Ergo quia te audivimus, admonitu fidelitatis quam regi Philippo feceras, ad id periculose esse inductum, ex parte omnipotentis Dei præcipimus ut, si prædictus Lambertus tam nefariis modis ad episcopatum prorupit, nullatenus ei sacerdotalem obedientiam vel reverentiam exhibeas, sed a male mercata et invasa sede alienum et extorrem facere præfatis clericis adminiculando procures. Non enim te decet æstimare illa te adjuratione ad tam gravissimum scelus adstringi, quia perniciosius est illum per quem juratur quam cui juratur, et Deum quam hominem offendere, simul ipse satis perpendis quia plus debetur animæ quam corpori. Et tunc profecto fidelitas perspicue magis servatur jubenti, quando salus animæ ejus corporeis commodis et iniquis prælata jussis magis attenditur. Euge ergo, ut non pro homine supplicium, sed pro Dei timore exspectare debeas præmium, ac sic prædictis clericis, qui promotioni illius libere ex parte Dei contradixerunt, opitulari eosque defendere procures, ut quanto te gratia divina altius sublimavit, tanto magis et bonis fiduciam et pravis terrorem præbeas, cæterisque principibus te imitabilem reddas. Plumbeo sigillo idcirco signari litteras istas noluimus, ne, si forte caperentur ab impiis, eodem sigillo posset falsitatis quidpiam fieri.

II.

AD TERVANENSES.

(Anno 1082.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero A et populo Tervanensis Ecclesiæ, præcipueque nobili comiti R., salutem et apostolicam benedictionem si obedierint.

Sicut aliis litteris misimus, non ignorat solertia tua nos jamdudum te satis diligere, propterea quod te bonis studiis inter cæteros Franciæ principes, fama ferente, audivimus eminere; nam potioris erga te dilectionis habendæ causa nobis hæc exstitit, quia te Christianæ religionis amatorem, ecclesiasticæque disciplinæ et honoris suffragatorem ac defensorem in quibusdam cognovimus. Unde, cum a solita probitate contraria forte audivimus, quantum doleamus prudentia tua perpendit. Nuper vero de te quoddam innotuit, quod sicut a priscis moribus tuis alienum, ita quoque penitus credere visum B fuerit indignum, videlicet quod, contradicentibus Tarvanensis Ecclesiæ clericis renitentibusque, tua protectione auxilioque fretus quidam Lambertus illius Ecclesiæ sedem invaserit, qui publice Simoniacus a parte divini muneris emptor, quanto se in tali negotio turpiorem et impudentiorem ostendit, tanto tuum non favorem, sed zelum, non opem, sed expulsionem experiri debuit. Verum quia, obstante rege, sub specie timoris ne pejerares, ad id mali inductus fuisse diceris, idcirco jampridem et nunc litteris te admonere censuimus quatenus, vanum timorem abjiciendo, quod jure metuendum videtur attenderes. Noverit ergo prudentia tua fidelitatem terreno domino tunc non recte servari, cum cœlestis Domini et Creatoris gratia per illam probatur offendi; C et, si corpori, multo amplius animæ; si mortali homini, multo maxime sempiterno Deo fidem et devotionem deberi. Proinde tam nobilitati tuæ quam et præfatæ Ecclesiæ, clero et populo ex parte B. Petri præcipimus ut prædicto Lamberto nullam episcopalem reverentiam exhibeatis, sed ipsum velut furem et latronem existimantes, ab invasa sede propellere, fautoresque ipsius, donec resipuerint, cohibere procuretis. Quod si prædictus invasor ferre præjudicium dixerit, et de re sua ita esse, ut dicitur, se posse probare existimaverit, audientiam legati nostri Diensis, imo Lugdunensis archiepiscopi petat, quatenus per competentem illius discussionem justumque judicium obtinere quod postulat æquitas D valeat.

III.

AD ROBERTUM FLANDRIÆ COMITEM.

(Anno 1082.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, R. glorioso Flandrensium comiti dilecto in Christo filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Jam sæpe excellentiæ tuæ scripsimus super causa clericorum Tarvanensis Ecclesiæ E. præpositi, S. decani, J. diaconi et reliquorum, quos malignorum mortiferis suggestionibus, bonis propriis privatos, in exsilium pro apostolica obedientia detrusisti, ut eos ad integrum sicut justum est, restaurares, et illum hæreticum L. depositum et excommunicatum amplius non sustentares, sed magis ecclesiam

captivatam de ejus tyrannide et oppressione liberares. Quod quia, sicut illi adhuc lacrymabiliter conqueruntur, nondum pleniter peregisti, crebris querimoniis eorum fatigati adhuc nobilitati tuæ mandamus, et ex parte Dei et apostolorum principis præcipimus, ut ecclesiam de prædicto Antichristi membro eripias, clericisque præfatis sua omnia cle- A menter restituas, et gratiam tuam pristinam eis habere permittas, ut Deus omnipotens tibi suam gratiam hic et in futuro sæculo tribuat, et beatus Petrus, ad cujus præsentiam confugium fecerunt, januas cœli post hujus vitæ felicem terminum tibi aperiat.

In exemplari liber decimus vacat.

LIBER UNDECIMUS REGISTRI.

EPISTOLA PRIMA.

AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

(Anno 1082).

Monet ne ulterius Tervannensi excommunicato auxilium ferat, sed eo expulso episcopum canonice electum suscipiat, et auxilium impendat.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Roberto glorioso comiti, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras quod Lambertus inimicus Dei, et invasor Tervannensis Ecclesiæ, ope et sustentatione tua adhuc sibi iram Dei thesaurizet. Qui cum traditus sit Satanæ, non miramur si ejus consiliis ducitur, et in iniquitate perdurat. De te autem non solum miramur, sed ex corde dolemus, quod virum, quem bona fama passim commendaverat, mala nunc intentio ad commune periculum illius patriæ retorqueret. Unde, de anima tua multum timentes, monemus ut ab hac prævaricatione ad cor rediens, Dominum in prædicti hominis sustentatione non offendas, sed ab eo sicut a pessimo homine et excommunicato te custodias; qui nimirum audientiam pro amore tuo a nobis sibi concessam declinans, totum se a planta pedis usque ab verticem anathemate maculavit. Pro scelere, aliisque culpis præcedentibus, sancta universalis Ecclesia irrecuperabiliter depositum maledixit et anathematizavit, et extorrem omnino a communione totius Ecclesiæ esse judicavit. Quapropter nobilitatem tuam monemus ut non solum adjutorium sibi non impendas, verum etiam Domini gregis multitudinem fœditate sua commaculans de medio vestrum ut putridum et inutile membrum studio tuo evellatur. Injungimus etiam nobilitati tuæ ut G..... Gerardum canonice electum, et Ecclesiam Tervannensem per ostium, id est per Christum ingredientem, honeste et sicut decet suscipiatis, et ei pastoralem exhibentes reverentiam, consilium et auxilium impendatis : ut qui in altero Dominum offendistis, per hunc ipsi Deo et beato Petro justitiam vestram commendetis.

II.

AD GUILIELMUM REGEM ANGLORUM.

(Anno 1083.)

Commemorat mutuam inter se dilectionem. Dolet quod episcopum germanum ejus in carcerem injecerit.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Guilielmo regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

B Communis amor et sincera devotio, quam erga beatum Petrum apostolum gerimus, ex longo jam tempore inter nos amicitiam junxit, atque adeo invicem inde magis convaluit, quia et ego te præ cæteris tui ordinis apostolicæ sedi devotum animadverti, et tua me claritudo inter aliquos prædecessores tuos circa honorem apostolicæ sedis credidit amplius desudasse. Denique cum in malis moribus idem velle et nolle perniciosam sæpe factionem conficiat, consequens videtur ut in bonis rebus idem studium animique desiderium, diverso quamlibet spatio terrarum disjunctos in unum dilectionis glutino copulet. Verum, licet quidam regiæ potestatis non modicum doleant, et in nos sæpissime murmu- C rent se quodammodo contemni : conquerantur se non sic ab apostolica sede diligi, nec ita factis aut sermonibus per nos honorari; minime tamen nos pœnitet, nec deinceps, Deo favente, pœnitebit. Speramus etenim celsitudinis tuæ industriam in eadem sanctæ Ecclesiæ devotione justitiæque studio semper mansuram, ac in melius etiam, opitulante Domino, de cætero dilatandam. Unde merito nos oportet in ejusdem dilectionis tenore perseverare, imo per diuturnitatem temporum, crescentibus meritis, magis ac magis excrescere. Tuum tamen interea nos tangit, et tangendo angustat, atque inter regalium tuarum virtutum insignia monumenta lætitiam in amico corde violenter obnubilat, videlicet quod in capiendo germanum tuum episcopum, non sicut decuit, propriæ ho- D nestati prospiciens, sed sæcularem cautelam et rationem divinæ legi præponens, sacerdotalem reverentiam minus vigilanter attendisti. Et quidem non latere tuam prudentiam credimus scriptum esse, quod de sacerdotibus maxime oportet intelligi : *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II); et alibi : *Nolite tangere christos meos* (*II Paral.* XVI) : et quod Dominus ipse sacerdotibus licet pravis et valde indignis honorem deferre non sit dedignatus. Qua rem piæ memoriæ Constantinus præcipuus videlicet imperator intelligens, in Nicæna synodo nullam in episcopos ab ipsis etiam episcopis accusationem voluit suscipere, nullumque contra eos judicium præsumpsit inferre, dicens : Vos dii estis a vero Deo constituti : ideo non oportet ut nos homines deos præ-

sumamus judicare (RUFINUS, lib. I, cap. 2, *Historiæ ecclesiasticæ*). Quanta etiam sit sacerdotii dignitas, quantaque sublimitas episcopalis, beatus Ambrosius doctor scilicet eximius vestram doceat magnitudinem, vestramque instruat prudentiam; in Pastorali suo sic ponens : « Honor igitur, fratres, et subli- A mitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares (S. AMBROSIUS, *De dignitate sacerdotii*). » *Cætera desunt.*

SANCTI GREGORII VII

PONTIFICIS ROMANI

OPERUM PARS SECUNDA.

EPISTOLÆ EXTRA REGISTRUM VAGANTES.

I.

Epistola Gregorii VII ad Lanfrancum Cantuariensem episcopum. De difficultatibus regiminis apostolatus.

(Anno 1073.)

[MANSI *Concil.* XX, 274.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo fratri in Christo LANFRANCO venerabili Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Qualiter nobis apostolici regiminis honor et onus impositum sit, et quantis undique stringamur angustiis, præsentium tibi portitor indicabit, cui respectu tuæ dilectionis etiam nonnulla nostris adhuc familiaribus occulta aperuimus. De cætero in primis fraternitatem tuam rogamus ut Deum pro nobis jugiter exorare non pigeat, et subditos sibi vel conjunctos fraternis nos suis orationibus apud Deum juvare commoneat. Qanto enim in majori periculo positi sumus, tanto amplius tuis et bonorum omnium suffragiis indigemus. Nos etenim si divinæ vindictæ judicium effugere volumus, contra multos insurgere, et eos in animam nostram provocare compellimur. Nam dum omnes fere, sicut ait Apostolus, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quærunt (*Philip.* II), regnorum principes, et hujus mundi potentes, ut cupiditates suas expleant, legem Dei et justitiam non jam negligenter deserunt, sed summis conatibus impugnant : ut illud prophetæ nunc sub oculis videamus impletum : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II). Episcopi vero, et qui pastores animarum esse deberent, mundi gloriam et delicias carnis insatiabili desiderio prosequentes, non solum in semetipsis quæ sancta, quæque sunt religiosa confundunt, et [sed] subditos suos ad omne nefas operum suorum exemplo pertrahunt. Quibus non contraire quam nobis pericu- B losum, resistere autem et eorum nequitiam refrenare, quam difficile sit, tua prudentia novit. Sed quoniam quos dolores inter has patiamur angustias, ut supra diximus, huic communi filio nostro tibi referendum exeruimus [exaravimus], plura de his dicere supersedemus. Tuam vero fraternitatem, etsi monitore non egeat, impellente tamen nos sollicitudine, admonemus quatenus graviora usquequaque resecare vitia studeat : et, inter omnia et præ omnibus, nefas quod de Scotis audivimus, quod plerique videlicet proprias uxores non solum deserunt, sed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat. Ad hæc enim apostolica auctoritate fultum esse volumus, ut non solum in Scotis hoc scelus, sed etiam C in aliis, si quos in Anglorum insula tales esse cognoveris; dura animadversione punias, et radicem tanti mali prudenti sarculo correctionis penitus exstirpare non differas.

II.

Epistola Gregorii VII ad monachos Vallis Umbrosæ. Ipsos Joannis Gualberti abbatis Vallumbrosiani discipulos ad imitationem magistri hortatur.

(Anno 1073.)

[MANSI, *Concil.* XX, 374.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clericis, monachis, disciplinam sanctæ recordationis Joannis Gualberti abbatis imitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet venerandæ memoriæ eumdem Joannem pa- D trem vestrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fidei ejus puritas in Tusciæ partibus mirabiliter resplenduit, multum eum amore dileximus, ad cujus sanctæ conversationis studium, quamvis vos imitatores non ambigimus, ut vigor rectitudinis vestræ ad exstirpendam de agro Dominico zizaniam sollicitius invigilet, attentiusque ferveat, paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque, dilectissimi, in quantum humana possibilitas per-

mittit, vitam illius sequentes, et vere filios ejus et hæredes simili vos conversatione probantes, viriliter agite, et confortamini in Domino, et in patientia [potentia] virtutis ejus, documenta sanctarum Scripturarum, quibus hæreticorum argumenta destruuntur, et fides sanctæ Ecclesiæ defenditur contra membra diaboli, quæ diversis machinationibus Christianam religionem conantur evertere, mens vestra quotidie meditetur, in ea quæ solet libertate in malorum confusione erigatur : eos vero qui in vobis confidunt, et consilium religionis vestræ sequi disponunt, more prædicti Patris vestri suscipite, et de his quæ ad salutem eorum pertinere videntur sanctis exhortationibus instruite : ut non solum vestra, sed et vos sequentium circumpositi populi considerantes sancta opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nos autem ipsum amorem, quem Patri vestro et vobis olim impendimus, donec nostros spiritus rexerit artus, exhibere desideramus, et tanto quidem deinceps majori vos charitate fovebimus, quanto vos in divinis negotiis ferventiores esse probabimus, quibus non solum spirituale, sed et sæculare, si necesse fuerit, auxilium, Deo adjuvante, ministrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate, ut ipse vires et facultates nobis tribuat, quatenus suscepti regiminis importabile pondus possimus tolerare, et sanctam Ecclesiam in statum antiquæ religionis reducere. Valete.

III.

Epistola Gregorii VII ad Sancium regem Aragonensium et Pampilonensium. — Gregorius, recens pontifex creatus, ad exemplum prædecessoris sui Alexandri secundi, ei successoribusque ejus permittit liberam dispositionem omnium ecclesiarum qua ipse vel successores ipsius eripient de manibus Saracenorum, vel quas ipsi in regno suo ædificabunt, fecibus duntaxat episcopalibus exceptis. — Descriptam ex archivo regio Barcinonensi ultro mihi libensque promiserat vir nunquam satis mihi commendandus Petrus de Marcæ illustrissimus archiepiscopus Tolosanus et Parisiensis. Vide publicas solemnesque donationis illius tabulas, p. 379 historicæ synopseos Conciliorum Mansi.

(Anno 1073.)

[MANSI, *Concil.* XX, 622.]

IV.

S. Gregorii epistola. Ad Ottonem episcopum Constantiensem. — De episcopis Simoniacis.

(Anno 1074.)

[BALUZ. *Miscell.* edit. Luc. II, 232.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri OTTONI Constantiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Instantia nuntiorum tuorum festinanter redire volentium non permisit nos fraternitati tuæ quæ in Romana synodo constituta sunt seriatim intimare. Hæc tamen necessario tibi scribendo fore arbitrati sumus, nos juxta auctoritatem sanctorum Patrum in eadem synodo sententiam dedisse ut hi qui per Simoniacam hæresim, hoc est, interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius

A ministrandi locum habeant. Illi quoque qui Ecclesias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant; nec deinceps vendere vel emere alicui liceat. Sed nec illi qui in crimine fornicationis jacent missas celebrare aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Statuimus etiam ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat; ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia sæculi et objurgatione populi resipiscant. Studeat igitur fraternitas tua sic se in his nobis cooperatricem exhibere, seu crimina ista de Ecclesiis tuis radicitus evellere, quatenus boni pastoris meritum apud Deum valeas [obtinere] et Romana Ecclesia de te
B sicut de bono fratre et studioso cooperatore debeat gaudere.

V.

Privilegium Gregorii VII papæ pro eremio Camaldulensi.

(Anno 1074, XIII Kal. Aprilis.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul*, tom. II, append., pag. 247, ex veteri authentico archivi S. Blasii de Fabriano.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RUSTICO priori et cunctæ ejus congregationi de loco qui dicitur Campus Amabilis, in perpetuum.

Nulli fidelium venit in dubium quin sedes apostolica, eo quod princeps et mater omnium Eccle-
C siarum, omnibus hoc jure et debita sollicitudine Ecclesiis præesse debeat, ut non solum eas catholicæ religionis unitate concludat, sed generaliter ab his quæ extrinsecus promoventur, sua auctoritate salvet et muniat. Inter quas tamen complures inveniuntur, quæ speciali ac propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolicæ se contulerunt, ut speciali charitate et studio suæ matris amplectæ securiores et liberiores ab omni infestatione consisterent.

Quas, ut dignum erat, ita in suo sinu Romana suscepit Ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus ornamenta præstaret, nonnullis quoque gratiam conferret amplificationis. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri præcessores
D nostri reliquerunt, qui ante nos in ea, quam diximus, apostolica sede fulgentes pro honore Ecclesiarum Dei et earum exaltatione magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt. Novimus enim monasteria plurima et cætera bona ecclesiastica, quæ a religiosis viris ad patrocinium et defensionem apostolicæ sedis sunt delata, cum summa charitate ab illis suscepta, et privilegio apostolicæ defensionis quasi muro munita firmissimo. In qua re quam pie, quam sancte fecerint, et illorum nobis ostendit gloria, et ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace et tranquillitate consistunt, et ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriunt, laus Deo digna depromitur, et remedia peccatorum tam vivis quam etiam defunctis pie impenduntur. Unde

nos, in eadem apostolica sede non nostris meritis, sed divina locati gratia, oratorium Sancti Salvatoris in Campo Amabili constructum, et cellas ipsi adhærentes et circum circa adjacentes, sive omnia ad ipsum pertinentia, communi rogatione fratrum in tutelam apostolicæ auctoritatis et nostram, successorumque nostrorum, suscepimus defensionem, salva quidem suæ matricis Aretinæ Ecclesiæ debita et canonica reverentia. Volentes ut tam pia collatio fidelium animarum, a quibus idem oratorium fuit inceptum, et huc usque productum, Deo crescat, et illis eorumque posteris et successoribus ad salutem corporis et animæ proficiat. Sic denique ipsum oratorium et prædictum locum cum omnibus cellulis et hospitiis suis, seu universis rebus ad eum pertinentibus in nostram defensionem suscipimus, ut tam illa quæ modo habere et tenere videtur, quam quæ in antea, Deo largiente, juste acquirere poterit, ubicunque posita fuerint, sub apostolica custodia et tuitione consistant. Primo itaque loco ponimus eremum et oratorium situm in loco qui dicitur Campus Amabilis. Secundo, hospitium ejus, quod dicitur Fons Bonus. Tertio, cœnobium quod est constructum in loco qui dicitur Cerritum, qui est infra comitatum Vulternensem, nec non et abbatiam Sanctæ Mariæ virginis supradicto loco adhærentem, positam in loco qui dicitur Puliciano. Quarto, in loco qui dicitur Agna. Quinto, in loco qui dicitur Monte et Soci. Sexto, in loco qui dicitur Caliano et Punina. Octavo, in loco qui dicitur in Chio, et ecclesia Sancti Savini. Nono, in loco qui dicitur Fogiano. Sancimus igitur hoc nostro privilegio ut neque rex, imperator, dux, comes aut pontifex, aut aliqua persona idem oratorium, aut fratres ibi Deo servientes, ejusque territoria, aut aliqua sibi justo modo aut in antea pertinentia, invadere aut molestare, vel aliquo modo inquietare præsumat, libertatem aut licentiam ecclesiastici juris, quam huc usque habere visi sunt, seu quam in antea juste habere poterint, in hac eadem serie confirmamus et perpetuam fore statuimus. Ne quis autem malas consuetudines superinducat, quibus idem oratorium a sua religione turbetur, apostolica auctoritate prohibemus; hoc tamen voluimus et constituimus ut jam dictum oratorium cum cellis suis omni tempore, eo modo atque tenore quo prius inchoatum est, et ad nostra usque tempora perductum, maneat in suo vigore atque stabilitate, scilicet ut semper eremitico tramite, et contemplativæ vitæ celsitudine perseveret, nec liceat cuiquam aut abbatem ibi ponere, aut cœnobium facere, sed semper solitariæ vitæ locus ipse sit deditus, et firmitate continua dedicatus. Hoc quoque vestra charitate rogante, ut hic apostolicæ sedis privilegio adnectimus, et si quando opportunum fuerit aliquem ex vestra congregatione in ecclesiasticos gradus ordinari, et episcopus, ad cujus parochiam pertinet jam dictum oratorium Sancti Salvatoris, seu aliqua ex ecclesiis vel cellis vestris in antea pertinebit, Simoniaca hæresi fuerit depravatus, ut rite et canonice episcopale non possit implere officium, tunc libera facultas ac licentia pateat vobis adire catholicum et bene viventem episcopum ubicunque in vestra vel proxima provincia inveniri poterit, ut ab ipso in ecclesiasticis gradibus et officiis ordinari et consecrari ex vestra congregatione, qui dignus est possit. Sacris enim canonibus et bonis omnino congruit moribus, ut sicut hi qui ordinandi sunt, bonæ vitæ erectæque scientiæ existere debent, sic, juxta Apostoli sententiam, illi qui manus ordinandis imponunt, irreprehensibiles et absque crimine inveniantur. Si quis autem temerario ausu et in incorrigibili temeritate, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ apostolicæ auctoritatis et confirmationis seriem agere tentaverit, sciat se auctoritate apostolorum Petri et Pauli districtæ animadversionis sententiam subiturum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, benedictionis gratiam et vitam æternam a Domino Deo consequi mereatur.

Datum Romæ XIII Kal. Aprilis per manus Petri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis archibibliothecarii, anno primo pontificatus Gregorii VII papæ, anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo quarto, indictione tertia decima.

VI.

Gregorius VII Ecclesiæ Bononiensis possessiones, petente Lamberto episcopo, confirmat.

(Anno 1074.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, II, 16.]

GREGORIUS, servus servorum Dei.

Notum omnibus fieri volumus quod reverendissimus Lambertus civitatis Bononiensis episcopus Romam veniens visitare apostolorum limina, ostendit nobis munimina et investitiones factas ab antecessoribus nostris, id est Agapito, et Pelagio, et Gregorio, Dialogo et Formoso apostolicis de rebus suæ Ecclesiæ. Proinde inclinati precibus ejus concedimus atque confirmamus suæ ecclesiæ, salvo in omnibus jure et Romanæ ecclesiæ privilegio, monasterium S. Michaelis archangeli positum in fundo paterno cum omnibus rebus et pertinentiis suis, atque concedimus curtem de Brento, cum servis et ancillis, et cum omnibus suis pertinentiis. Seu donamus monasterium S. Mariæ, situm in Massa quæ vocatur monte Pulense, quam Joanninus imperator tradidit Bononiensi Ecclesiæ cum curte ibique tenente, quæque nominatur Aurelia, cum montibus, qui in circuitu præfati monasterii positi sunt, et curtem aliam, quæ vocatur Bombiania cum casulibus et pertinentiis suis et montem, qui vocatur Cavallorum, et concedimus portum, qui cognominatur Galliona, cum ripatico, et teloneo, et paludibus, et piscariis, et silvis, et cum omnibus rebus quæ ad ipsum pertinere dignoscuntur, et duas curtes, et unam, quæ nominatur curtis Major, et aliam, quæ dicitur Minor, posita infra plebem, quæ dicitur Boida. Insuper et damus monasterium S. Anastasii fun-

datum in fundo Petriculo cum portu, et teloneo, et A ripatico, cum silvis et venationibus, cum paludibus et cum omnibus, quæ ad curtem, quæ vocatur Petriculo, et ad præfatum monasterium pertinere videntur : nec non et curtem, quæ vocatur Cellula juxta flumen, quod vocatur Savena, cum olivetis, vineis, campis, silvis, famulis, colonis, et cum omnibus sibi pertinentibus, et ibique non longe fundum Venetiæ integrum, quod sociorum vocatur, pertinentem ad ipsam curtem, atque curtem in Panigale, quæ continet in se tres fundos terrarum, et vinearum, quæ hoc nomine vocantur Candidatis, Pulosia et Grisintilli, et monasterium S. Prosperi situm in supradicto loco, qui vocatur Panigale, et curtem, quæ dicitur Cumo cum omnibus suis pertinentiis; et monasterium S. Martini in Pojo cum curte, et B omnibus sibi pertinentibus; et monasterium S. Petri in Strata; et monasterium S. Mariæ in Strata cum omnibus suis pertinentiis; et monasterium S. Petri cum curte, quæ vocatur Nurisatico, et omnibus suis rebus; et monasterium S. Martini in Casalichio cum omnibus suis pertinentiis. Atque donamus fratertinati tuæ portam in civitate Bononiæ, quæ communi nomine dicitur S. Petri, et stratam quæ nominatur Salaria cum stratico, et cum omni redditu, quem antiquitus persolvere solent ipsi homines, qui per prænominatas stratas ire, vel redire soliti sunt. Commonemus quoque ut, statuto tempore, præfatum redditum absque negligentia persolvere studeant et monasterium S. Mariæ, quæ nominatur Major, cum C omnibus suis pertinentiis, cum casa salariata infra civitatem Bononiæ, quæ est juris ipsius monasterii, et monasterium S. Columbani confessoris cum omnibus suis rebus; et monasterium SS. martyrum Gervasii et Protasii cum omnibus suis rebus; et monasterium S. Thomæ apostoli situm ante portam S. Petri cum omnibus suis rebus; et monasterium S. Joannis evangelistæ fundatum in monte, qui vocatur Oliveti, cum omnibus suis pertinentiis. Similiter concedimus monasterium S. Stephani, quod vocatur Hierusalem, et quod D. Petronius ædificavit ad usum ejusdem ecclesiæ et cum mercato S. Joannis Baptistæ ibique tenente. Seu confirmamus, atque stabilimus curtem quæ nominatur Milonis, cum portu,[1] et ripatico, et teloneo et merca- D to, et silvis, et venationibus, et cum paludibus, et piscationibus, et cum servis, et ancillis, et cum omnibus ad se pertinentibus. Similiter concedimus cuncta prædia, et possessiones monasteria videlicet, et plebes, et ecclesias baptismales, castella, villas, abbates, monachos, presbyteros, diaconos, clericos, litteratos et illitteratos, servos et ancillas Dei, atque diaconissas, famulos utriusque sexus, et homines omnes super terram prædictæ Ecclesiæ Bononiensis residentes, ut in tua tuorumque successorum sint potestate, et defensione infra terminos, et confinia episcopatus Bononiensis, sicut esca flumine, quod dicitur Gaibana, et rivus qui Sablosolus vocatur, et strata, quæ Ungarista dicitur atque ad Stalogalam, et locus, qui vocatur Culce, et fluvius, qui dicitur Leo, et alius, qui vocatur Mazza. Similiter concedimus præfatæ Ecclesiæ curtem, quæ dicitur Maximaticum cum rebus, et possessionibus, cunctisque pertinentiis. Hæc omnia, quæ superius leguntur, quæ præfata Ecclesia nunc juste tenet, vel deinceps acquisitura est, tam tibi quam cunctis qui in eo, quo es ordine, loco successerint, vel eis, quorum interesse potuerit, in perpetuum reservanda decernimus.

Datum X Kal. Aprilis per manum S. R. E. presbyteri cardin. ac bibliothecarii, an. primo pontificatus D. Gregorii VII papæ, anno 1073, indict. XI.

VII.

Gregorius omnes abbates et prælatos per Gallias constitutos hortatur ut ecclesiarum B. Petro stipendiariarum census pensitent Hugoni episcopo Diensi, cui vices suas commissas nuntiat.

(Anno 1074.)

[*Chron. Hugonis Flavin., ap.* PERTZ. *Monum. Germ. hist.*, Script, VIII, 412.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus abbatibus et prælatis tam monachorum quam et canonicorum per Gallias constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem vestram, dilectissimi fratres, latere minime credimus quasdam ecclesiarum vestrarum beato Petro et nobis annuos census persolvere ex præcedentium Patrum institutionibus debere. Sed quia quidam vestrum, partim negligentia, partim vero tenaci induratione hæc hactenus minus plene quam oporteret egerunt, hos ut emendari et debita solvere studeant, omnes autem ut apostolico præcepto *cui vectigal vectigal, qui tributum tributum* obtemperetis commonemus. Unusquisque enim *non quod suum est, sed quod alterius est quærat*; quoniam si digne redarguitur qui, prout oportet, propria non largitur, qua sententia dignus est qui nec aliena rapere nec debita metuit retinere, dicente Domino : *Quæ vultis ut faciant vobis, hæc facite et vos illis*; et : *Quod tibi non vis, alii non feceris ?* Nunc igitur quia dilectum filium nostrum Hugonem Diensem episcopum ob ecclesiasticæ utilitatis diversa negotia in Gallias vices nostras executurum mittimus, et quia nemini potius credere debemus, quem in omnibus a nobis sibi injunctis fideliter egisse comperimus, quæ nobis ex ecclesiis vestris specialiter debetis vos illi ad nos perferenda persolvere ac de retentis satisfacere jubemus.

VIII.

Gregorii epistola ad clerum et populum Matisconensem. — Ut Landrico Matisconensi episcopo a se ordinato reverentiam et adjutorium impendant.

(Anno 1074.)

[Dom BOUQUET, *Recueil des historiens*, XIV, 575.]

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, clero et populo Matisconensis Ecclesiæ salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta sit erga vos et locum vestrum apostolicæ

sedis benevolentia, ex amore quem in episcopum (*Landricum*) vestrum habemus cognoscere datur, qui episcopalis officii benedictionem et dignitatem per impositionem manuum nostrarum, auctore Deo, suscepisse dignoscitur. Cæterum, ut ordinationis suæ certa demonstrare possit indicia, sicut oportere cognovimus, cum litteris nostris et apostolico sigillo eum ad vos remisimus, admonentes vos et apostolica auctoritate præcipientes, ut eum omni dilectione et gaudio recipientes unanimiter honoretis, et reverentiam quæ patri debetur et episcopo fideli obedientia ac devota subjectione sibi exhibeatis, attendentes Dominica verba : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* x, 16). Tanto enim lætioribus animis hunc suscipere, venerari, timere debetis, ac diligere, quantum eum ab omni Simoniaca ambitione purum et incontaminatum, nec aliunde quam per ostium ad custodiam animarum vestrarum in Ecclesiam introisse, et episcopalis vigilantiæ speculam constat ascendisse. Proinde nos multum vobis congaudentes rogamus et admonemus dilectionem vestram, quatenus ad regendam sibi commissam Ecclesiam, ejusque jura conservanda, et ubi opus fuerit recuperanda, quantum valetis, consilium sibi et adjutorium præbeatis, et in omnibus quæ ad Christianam religionem pertinent, ejus admonitionibus acquiescatis, scientes sibi ac vobis, et Ecclesiæ, cujus in Christo spiritales filii estis, apostolica suffragia, quantum, Deo præstante, possumus, ad libertatem fidei vestræ et nostram, profectumque salutis, ubique prompta atque parata fore.

IX.

Epistola Gregorii VII ad canonicos S. Hilarii Pictaviensis. — Privilegium pro ecclesia Sancti Hilarii Pictaviensis.

(Anno 1074.)

[Mansi, *Concil.* XX, 623.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Sancti Hilarii Pictaviensis salutem et apostolicam benedictionem.

Igitur ob reverentiam beati Hilarii confessoris, cujus corpus in eadem ecclesia requiescit, cujusque doctrinæ splendor non solum de Gallicanis partibus erroris tenebras expulit, verum etiam universali refulgens lumen contulit Ecclesiæ, inclinati vestris precibus, præfatam beati Hilarii ecclesiam a Francorum regibus et Aquitaniæ principibus constructam, eorumque prædiis ac donis ditatam, in protectione ac tuitione sedis apostolicæ specialiter suscipimus, hujus privilegium auctoritatis nostræ decreto indulgentes. Deinde statuimus ut quæcunque bona præfata beati Hilarii ecclesia ex donatione prædictorum regum et principum juste possidet, sive in futurum justis modis poterit adipisci, vobis perenni tempore et sine inquietudine aliqua illibata permaneant, adjicientes ne quisquam deinceps archiepiscopus aut episcopus beati Hilarii ecclesiam, aut ipsius canonicos aut clericos excommunicare aut interdicere præsumat, sed omnis eorum causa gra-

A vior ex apostolicæ sedis judicio pendeat. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes canonicorum et clericorum, a quocunque malueritis catholico suscipiatis antistite. Ad hoc adjicimus ut eadem beati Hilarii ecclesia soli Romanæ Ecclesiæ subdita permaneat, et de tanta semper libertate atque auctoritate gaudeat. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis per annos singulos unam auri unciam Lateranensi palatio persolvat. Si quis autem archiepiscopus, episcopus, aut quælibet persona hujus nostri privilegii paginam agnoscens, contra eam temere venire præsumpserit, si quæ male facta fuerint non emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere B de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, et in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem illo loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniant.

Datum Laterani x Kal. Maii, per manum Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, primo anno pontificatus domini Gregorii VII papæ, indictione xi.

X.

Privilegium Gregorii XII pro monasterio SS. Petri et Huberti Andaginensis.

C (Anno 1074.)

[Marten. *Ampliss. Collect.* IV, 947.)

Gregorius, episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Theoderico abbati monasterii Sancti Petri Sanctique Huberti Andaginensis, in Arduenna constituti, suisque successoribus regulariter ibidem canonice intrantibus in perpetuum.

Nulli fidelium est in dubio quin sedes apostolica, eo quod universalis mater et omnium Ecclesiarum princeps est, omnibus his jure ac debita sollicitudine præesse debeat, ut non eas catholicæ religionis unitate concludat, sed generali circumspectione etiam ab his quæ extrinsecus promoventur pro sua auctoritate salvet et muniat : inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali et propria commendatione D in tutelam ejusdem sedis apostolicæ se contulerunt, ut speciali charitate et studio suæ matris amplexæ usquequaque securiores et liberiores ab omni infestione consisterent, quas, ut dignum erat, ita Romana suscepit Ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri reliquerunt, qui ante nos in illa, quam diximus, apostolica sede fulgentes, pro honore Ecclesiarum Dei et exaltatione earum magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt. Suscipientes monasteria et venerabilia loca in patrocinium apostolicæ defensionis, et confirmantes ea propriis privilegiis, quatenus ex quotidiana tran-

quillitate ardentius in devotione divinæ servitutis et in omni bono proficerent. Qua in re quam pie, quam sancte fecerunt, et illorum nobis ostendit gloria, et ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace et tranquillitate consistant, et ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriant; cum vero laus Deo digne promitur, et remedia peccatorum tam vivis quam defunctis impenduntur. Unde nos in eadem sede apostolica, non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum monasterium, cui tu, dilecte fili et prænominate abba, præesse dignosceris, tuo rogatu in tutelam apostolicæ sedis et nostram et successorum nostrorum defensionem suscepimus, confirmantesque et corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii, ecclesiam Sanctæ Mariæ super Axonam sitam, et ecclesiam S. Sulpitii super Mosam, cæterasque possessiones tam in villis quam castellis, cæterisque ecclesiis et terris cultis, aut incultis, seu in omnibus rebus mobilibus et immobilibus, quas nunc jure possidet, aut in posterum, Deo miserante, acquiret, quatenus omnia ad communem utilitatem fratrum inibi Deo famulantium sub tuo tuorumque successorum regimine et congrua dispensatione semper inconvulsa illibataque permaneant. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscentes, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem justa servantibus eidem loco, pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. *Subscripsit autem manu propria domnus papa :* Miserationes tuæ, Domine, super omnia opera tua. Bene valete.

Datum Lateranis in Kalendis Maii, per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis et bibliothecarii anno primo pontificatus domni Gregorii VII papæ indictione undecima.

XI.

Epistola Gregorii VII ad Tierneum vicecomitem. — Concedit « potestatem auspicandi conceptum ordinem monasticum juxta regulam B. Benedicti. »

(Anno 1074.)

[Mabill. *Acta SS. ord. Bened.* Sæc. VI, parte II Præf., pag. L.]

Gregorius, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam dilecto filio Stephano, vicecomiti Tierneo, ejusque fratribus regularem vitam professuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam religiosam vitam instituentes apostolico oportet uti judicio et consilio ne quidam post suum proprium sentire abeuntes, cum temeritate et in-A expertis viribus aggrediantur pœnitentiæ iter, quod non possint perficere, ac deficiant in eo, ita ut a proposito resilire cogantur, ad confusionem et injuriam ordinis ecclesiastici. Nos vero cognito, quod apud venerabilem fratrem nostrum Milonem archiepiscopum Beneventanum cum frequentatione filiorum et fratrum nostrorum Benedictinensium de Calabria virtutis tirocinium sine habitu posueris, et sumpto de solido tui desiderii fervore experimento, per quatuor annos in aula pontificali sanctissimi Patris bonæ memoriæ Alexandri divina providentia papæ hujus nominis secundi prædecessoris nostri, dum coram ipso beatissimo pontifice archidiaconum cardinalem ageremus : cum tuis viribus a natura delicatis diffideremus, non tam cito manus super B te imposuimus (*I Tim.* V, 22), sicut nos cum Timotheo docuit Apostolus, ad cujus tumbam consistimus. Verum cum indesinenter ac indeficienter a sancta sede, in qua sedemus, licet indigni et inviti, postules potestatem auspicandi conceptum ordinem monasticum juxta regulam B. Benedicti, quam diu exspertus es inter fratres de Calabria, nos nolentes exstinguere spiritum, eo promptius ac benignius inclinati nunc tibi concedimus et annuimus, quo majori Spiritus sancti flamma accensi desideramus agrum Dominicum tam sanctis virtutum seminariis ditari. Benedicat ergo tibi Dominus corona justitiæ, mons sanctus; asciscat te tuosque futuros bonæ vitæ sodales in filios æternus Pater; recipiat vos in fratres æternus Filius, et porrigat tibi latus aperC tum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi; accendat in te tuisque æternus Spiritus sanctus ignem sui amoris et flammam æternæ charitatis; tuque, tuique in ingressu per professionem et in egressu per mortem benedicantur a Deo virtutum ex alto, qui cœpit in te opus bonum perficiat, solidetque, confirmet illud et corroboret amodo et usque in sempiternum; concedat tibi sanctum angelum suum de cœlis, quorum sanctorum vitam proponis imitari, ipsorum patrociniis confortare. Adducantur tibi socii innumeri, sicut stellæ cœli, quæ præ multitudine numerari non possunt; sint docibiles Dei in solatium mortalis tuæ peregrinationis. De plenitudine itaque potestatis decerniD mus, ut nulli omnino hominum liceat quæ postmodum electurus es loca tuæ pœnitentiæ temere perturbare, seu quibuslibet vexationibus te aut tuos aggravare, sed nec fatigare. Si quæ igitur sæcularis aut ecclesiastica persona contra hanc nostræ ordinationis præsentis paginam venire tentaverit, sciat se ream pro perpetrata iniquitate (quia nullo medio vos volumus ad sanctam sedem pertinere) ipsoque suo attentatu indigno privari omni honoris sui dignitate, divino subjacere maledicto. Agri quos colueritis, sint agri primitiarum; beatus Pater Benedictus benedictiones pro te impetret in spiritualibus et temporalibus. Confortare et esto robustus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Datum Romæ in præsentia charissimæ filiæ Agne-

tis Augustæ imperatricis, et sex fratrum nostrorum A cardinalium, Kalendis Maii, pontificatus nostri anno primo.

XII.

Gregorii epistola ad Ottonem Constantiensem episcopum.

(Anno 1074.)

[MANSI, *Concil.* XX, 626.]

GREGORIUS, servus servorum Dei, Ottoni Constantiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatum est ad nos de fraternitate tua quod satis invitus et mœstus audivi, quodque si vel de extremo Christianæ plebis membro ad audientiam nostram deferretur, severiore districtioris disciplinæ censura esset procul dubio castigandum. Cum enim B apostolica auctoritate et veridicis sanctorum Patrum sententiis incitati, ad eliminandam Simoniacam hæresim et præcipiendam clericorum castitatem, pro nostri officii debito exarsimus; Moguntino venerabili archiepiscopo confratri nostro, cui plures et late dispersi suffraganei sunt, hoc obedientiæ munus injunximus ut tam per se quam per coadjutores suos hoc Romanæ Ecclesiæ decretum universo clero studiosius inculcaret, et inviolabiliter tenendum proponeret; tibi quoque, cui plurimus Constantiensis episcopii clerus et populus amplissime dilatatus, ob eamdem causam speciales litteras cudere, bulla nostra impressas, collibuit, quarum fultus auctoritate tutius animosiusque præceptis nostris obtemperares, et de sanctuario Domini Simoniacam hæ- C resim et fœdam libidinosæ contagionis pollutionem expelleres: Apostolica namque B. Pauli præpollet auctoritas, qua fornicatores et adulteros cum cæteris sceleratis connumerans, diffinitam suæ jussionis sententiam subjicit, cum ejusmodi nec cibum capere. Præterea universus Ecclesiæ catholicæ cœtus, aut virgines sunt, aut continentes, aut conjuges; quicunque ergo extra hos tres ordines reperitur, inter filios Ecclesiæ, sive intra Christianæ religionis limites non numeratur : unde, et nos, si vel extremum laicum pellicatui adhærentem liquido cognoverimus, hunc velut præcisum membrum a corpore Dominico, a sacramentis altaris, donec pœniteat, arcemus : quomodo ergo sanctorum sacramentorum distributor vel minister esse debet, qui nulla D ratione potest esse vel particeps? Sed illa beati papæ Leonis nos impulit auctoritas, qui subdiaconis ineundi conjugii licentiam prorsus abstulit. Quod decretum S. Leonis posteriores sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifices, maxime doctor eximius Gregorius, ita pro lege sanxerunt, ut deinceps his ordinibus ecclesiasticis, sacerdotibus, levitis et subdiaconis vincula conjugalia omnino sint prohibita. Cum autem hæc omnia tibi observanda, pastorali providentia transmitteremus, tu, non sursum cor, sed deorsum in terra ponens, prædictis ordinibus frena libidinis (sicut accepimus) laxasti; ut qui mulierculis se junxerunt, in flagitio persisterent, et qui necdum duxerunt tua interdicta non timerent. O impudentiam! o audaciam singularem ! Videlicet episcopum sedis apostolicæ decreta contemnere, præcepta sanctorum Patrum convellere, imo vero præceptis contraria ac fidei Christianæ repugnantia de sacratiore loco, et de cathedra pontificali subjectis ingerere. Quapropter tibi apostolica auctoritate præcipimus, ut ad proximam synodum nostram (prima) proximæ (quadragesimæ) hebdomada te præsentem exhibeas; tam de hac inobedientia et sedis apostolicæ contemptu, quam de omnibus quæ tibi objiciuntur canonice responsurus.

XIII.

Epistola Gregorii VII ad clericos et laicos Constantiensis episcopatus. — Ottonem episcopum ad synodum vocatum nuntiat.

(Anno 1064.)

[MANSI, *Concil.* XX, 627.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clericis et laicis majoribus et minoribus, in Constantiensi episcopatu consistentibus, Christianam legem diligentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Misimus fratri nostro, episcopo vestro, Ottoni litteras exhortatorias, per quas pro nostri necessitate officii apostolica auctoritate injunximus illi ut Simoniacam hæresim de Ecclesia penitus sua excluderet, et castitatem clericorum studiose prædicandam susciperet, et firmiter tenendam episcopali vigilantia inculcaret. Nam sic eam nobis evangelicæ et apostolicæ litteræ, authenticarum synodorum decreta, et eximiorum doctorum præcepta insinuant, ut eam dissimulare et negligere sine magno animæ nostræ et populi Christiani detrimento non possimus. Sed episcopus vester, ut nobis relatum est, quæ paterne suaseramus, perficere non curavit : et ut non solum inobedientiæ, verum etiam rebellionis offensam contraheret, quemadmodum accepimus, palam clericis suis jussioni nostræ, imo beati Petri, omnino contraria permisit; ita ut qui mulierculas habuerant, retinerent et qui non habebant, illicita temeritate subintroducerent. Quod, ut audivimus, moleste ferentes, secundam ei scripsimus epistolam, indignationis ei nostræ motus ostendentes et idem præceptum iterato acrius inculcantes : tum etiam ipsum ad synodum Romanam, quæ prima proximæ Quadragesimæ hebdomada futura est, advocavimus ut pro se rationem reddat, et inobedientiæ causas, si rationabiles habuerit, in audientiam totius conventus exponat. Hoc ideo, fratres charissimi, vobis innotescimus ut animæ vestræ saluti consulamus. Si enim beato Petro et sanctæ sedi apostolicæ fronte aperta repugnans et contumax esse voluerit, liquido manifestum est quod qui matrem vel patrem inhonorat, nullam a fidelibus patris et matris jure obedientiam exigere aut quærere debeat. Indignum est enim ut qui magistro detrectat subesse, magister auditoribus postulet præesse. Quapropter omnibus, sicut prædiximus, majoribus atque minoribus Deo et beato Petro adhærentibus, apostolica

auctoritate præcipimus, si in obduratione sua persistere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ vestræ perniciem esse putetis. Nam si, ut toties jam prædiximus, præceptis apostolicis voluerit esse contrarius, ab omni illius subjectionis jugo beati Petri auctoritate absolvimus ita universos, ut cum sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obstrictus, quandiu Deo omnipotenti et sedi apostolicæ rebellis exstiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione flat obnoxius. Non enim cuilibet personæ contra Creatorem suum, qui cunctis præponendus est, aliquis debet obedire; sed debemus contra Deum superbienti resistere, ut saltem hac necessitate coactus ad viam justitiæ addiscat redire. Quanti enim periculi, quantæque a Christiana lege sit alienationis obedientiam, maxime apostolicæ sedi, non exhibere lex dictis beati Samuelis prophetæ potestis cognoscere, quæ sanctissimus papa Gregorius in ultimo libro moralium procuravit exponere. Ut ea autem sint vobis in promptu, scripta transmisimus; quatenus indubitanter sciatis, nos vobis novam non dicere, sed antiquam sanctorum Patrum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait : Melior est obedientia quam victima, et auscultare magis quam offerre adipem arietum (*I Reg.* XV, 22); quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere; obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos, repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso igitur melius ostenditur quid de ejus laude sentiatur; si enim ariolandi peccatum est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet; sine qua quisque convincitur infidelis, etsi fidelis esse videatur.

XIV.

Epistola Gregorii VII ad Germanos.

(Anno 1074.)

[MANSI, *Concil.* XX, 625.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus clericis et laicis in regno Teutonicorum consititutis salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus quod quidam episcoporum apud vos commorantium, aut sacerdotes, et diaconi, et subdiaconi mulieribus commisceantur aut consentiant aut negligant. His præcipimus vos nullo modo obedire, vel illorum præceptis consentire, sicut ipsi apostolicæ sedis præceptis non obediunt neque auctoritati sanctorum Patrum consentiunt. Testante divina Scriptura facientes et consentientes par pœna complectitur (*Rom.* I, 32). Sciunt namque archiepiscopi et episcopi terræ vestræ, quod omnibus fidelibus notum esse debet, quoniam in sacris canonibus prohibitum est ut hi qui per Simoniacam hæresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant, nec illi qui in crimine fornicationis jacent missas celebrare, aut secundum inferiorem ordinem ministrare altari debeant. *Et infra :* Quapropter ad omnes de quorum fide et devotione confidimus nunc convertimur, rogantes vos et apostolica auctoritate commonentes ut quidquid episcopi dehinc loquantur aut taceant, vos officium eorum quos aut Simoniace promotos et ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.

XV.

Ad canonicos ecclesiæ Belvacensis.

(Anno 1074.)

[MANSI, *Concil.* XX, 624.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Dei Belvacensis Ecclesiæ filiis benedictionem apostolicæ sedis.

Quoniam audivimus vos perfecte redintegratos cum dilectissimo filio et coepiscopo nostro patre vestro Widone, gaudemus et ne quid scissuræ ulterius fiat petimus et interdicimus. Sciatis etiam quoniam quidquid cum Lanzelino gestum est, nostra voluntate gestum est (*Vide* GREGOR. VII, lib. II, epist. 5), multum renitente et reclamante domino filio et coepiscopo Widone, etiam aliquid gravius et acerbius in nos obloqui præsumente. Sed Ecclesiæ vestræ nobis commissæ commodo prospicientes, et excommunicationem a se factam rumpentes, quæ inconsultius acta fuerat, eumdem coepiscopum nostrum absolvimus, et militi pro quo vobis et Ecclesiæ vestræ et patri vestro minus fidelis erat redonavimus. Unde obnixe petimus et præcipimus ne super hoc minus benevoli coepiscopo nostro Patri vestro fueritis. Veritatem enim loquor vobis, quoniam nec voluit nec consensit. Valete, filii mei.

XVI.

Gregorii papæ declaratio canonizationis Heriberti Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopi.

(Anno 1074.)

[LACOMBLET, *Urkundenburh für die Geschichte des Niederrheins*, tom. I, p. 145.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, universis sanctæ catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ filiis vel maxime tamen in eis Alpinis gentibus, salutem charissimam cum benedictione apostolica.

Quidquid divinis testimoniis roboratur humanis non indiget ut roboretur. Heribertus Coloniensis archiepiscopus sanctissimæ vitæ meritis inter sanctorum agmina in cœlesti numerari aula promeruit. Quod asseruerant, et dum vixit in hoc sæculo, factæ per eum virtutes et posteaquam illuc translatus et signa subsecuta. Vitam ejus stylo traditam vidimus in qua magnam ejus sanctitatem didicimus; annuente igitur Domino, auctoritate apostolica nobis divinitus tradita, jubemus illum amodo inter sanctos connumerari, et in confessorum catalogo scribi, atque ab omnibus ut sanctissimum in suo natalitio celebrari. Condignum enim videtur ut quem Deus Pater

honoravit in cœlis, a nobis ejusdem servis honoretur A etiam in terris.

XVII.

Gregorius VII « monasterii S. Mariæ Virginis, constructi in loco qui dicitur Banza, » possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1075.)

[In tabulario Ecclesiæ Romanæ, ex schedis Pertzii, teste JAFFÉ, *Regesta pontif. Rom.*, pag. 417. Inc. *Supernæ miserationis.*

XVIII.

Bulla Gregorii VII pro monasterio Pataviensi.

(Anno 1075.)

[*Monumenta Boica;* tom. IV, *pag.* 290.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri in Christo Alamno Pataviensi episcopo, et per eum ecclesiæ quam in territorio ejusdem B civitatis in portu OEni fluminis construxit, et in honore Sanctæ Trinitatis, et passionis Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum Andreæ apostoli, Pantaleonis martyris et sancti Nicolai confessoris, consecravit in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini religiosis desideriis et petitionibus ea benignitate et pietatis studio condescendere effectumque præbere, ut, dum spiritualis auctoritas officii sui debitum peragit, dum fidelium statuta roborando venerabilibus locis præsidium defensionis impendit, hic affectus supernæ retributionis lucretur incrementum, quod in præstando beneficio non minor fuit charitas quam pietas. Hoc enim et bonorum studiis spe proficiendi augmentum tribuit et opus proprium fructu per- C fectionis Deo acceptabile reddit. Itaque, dilecte frater, charissima sancti Petri filia imperatrice Agnete semper augusta indicante nobis, te in suburbio civitatis tuæ juxta portum prædicti fluminis OEni ad communem et regularem vitam ecclesiam construxisse, et ut eam, juxta propositum tuæ devotionis, constitutionis apostolicæ privilegiis confirmaremus, tum ipsa pro te sancto Desiderio postulante, tanto promptius utriusque voluntati annuendum esse judicavimus quanto et tua vota justa esse certius intelligimus, et illius desideria divino accensa Spiritu ubique prosperari cupimus. Concedentes igitur tibi et præfatæ ecclesiæ hujus nostri apostolici decreti [auctoritate], qui vel nunc in eadem ecclesia sunt ordinati, vel aliquo postea D in tempore fuerint ordinandi, sub communi semper vita et claustrali conversatione consistant. Ad quorum communem usum confirmamus, et incommutabiliter tenenda determinamus, determinate quidem, et ea quæ prænominata imperatrix Augusta remedio animæ suæ donavit, videlicet nonam partem omnium, quæ ad Persenburg ad manus suas culta redduntur et ea quæ tu ipse per manum advocati tui Remberti illuc tradidisti, scilicet antesignatum portum prædicti fluminis OEni, cum omni utilitate sua gratis quidem transponendis, qui causa orationis vadunt. Insuper duas curtes Seuftling, et Neunhoven cum omnibus pertinentiis, et unam hofsacham, quam Egeno ad usum episcopi dedit, et unum mansum et dimidium ad Stainfelde, et tres hofsachas in loco qui dicitur Alburch, et decimationem ejus villæ cum uno manso, et unam curtem Enzenwis cum Genezeo et omni utilitate, et tres hofsachas de Euchendorf cum omni utilitate. Ad Richestorf unum mansum, et unum molendinum, ecclesiam unam quæ dicitur Aitenbach cum omni utilitate quæ ad ipsam pertinebat, et unam decimationem in parochia Huttarn, et unam hofsacham ad Ousta cum cæteris bonis illuc pertinentibus, et ad Alnkoven unum mansum cum decimatione ejusdem ecclesiæ, ad Rustam decimationem, ad Leuben unam vineam, ad Mautarn unum mansum, ad Wachawe duas vineas, ad Schenenbohel duas, ad Aschach duas et tres sagenas, unam Pataviæ, et aliam Sebach, tertiam Mathsee, pro vestitu autem XXIV, lib. X de navibus, VI de Golderbert, IV de Evirding, III de censu Mathsee, I de Aufhoven, et molendinum in eodem loco. Unam hofsacham ad Richerstorf, I Peringen, Aunchirchen et Altheim cum omnibus pertinentiis suis; I Gerichwis, I Heiming, unam decimationem Ruebrechtshoven, duas vineas Liumating, unam ecclesiam cum decimatione Grieschirchen, et I hofsacham, Kaltenpach, decimationem in rure Beugen, item decimationem Gumtis. Hæc, inquam, omnia, et quæcunque etiam innominata bona eidem ecclesiæ vel nunc juste collata sunt, vel in posterum Deo disponente conferenda eo tenore, et auctoritate ad communem usum fratrum ibidem Deo famulantium decernimus et corroboramus ut communem et regularem vitam ducentes, nihil de bonis ecclesiæ propriæ et singulariter sibi vindicent. Si quis vero imperatorum, regum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac religiosarum personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque dignitate careat reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Romæ per manus Petri presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, IX Kalend. Aprilis, anno II pontificatus domni Gregorii septimi, indictione XIII.

XIX.

Gregorii VII epistola ad Liprandum sacerdotem (414).

(Anno 1075.)

[MURATORI, *Rer. Ital. Script.* V, 477.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, LI-

(414) Dederat has litteras ad Liprandum Gregorius VII statim ac fœdam aurium et nasi mutilatio-

PRANDO sacerdoti salutem et apostolicam benedictionem.

Si sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte et abscisione membrorum, si patientiam laudamus eorum, quos a Christi fide gladius nec ulla pœna divisit, tu quoque, absciso naso et auribus pro Christi nomine, laudabilior est, qui ad eam gratiam pertingere meruisti quæ ab omnibus desideranda est, qua a sanctis, si perseveraveris in finem, non discrepas. Integritas quidem corporis tui diminuta est, sed interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis suscepit incrementum : forma visibilis turpior, sed imago Dei, quæ est forma justitiæ, facta est in diminutione jucundior, in turpitudine pulchrior. Unde in Canticis canticorum gloriatur Ecclesia dicens : « Nigra sum, filiæ Hierusalem. » Quod si interior species nihil passa est detrimenti, iis abscisionibus non est abscisum a te sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis, et non tantum consideratur in integritate membrorum quam in integritate virtutum. Unde imperator Constantinus Hierosolymitani episcopi cujusdam oculum pro nomine Christi erutum sæpe osculabatur, et exemplo Patrum atque documento majorum didicimus non auferri sacrum officium martyribus pro hujusmodi cæsura membrorum. Proinde, martyr Christi, confortare in Domino, magis credas in te nunc esse presbyteratus officium, quod prius olei unctione, nunc vero tibi est sanguinis tinctione commissum; et quanto minus habes quod possit auferri, tanto minus timeas prædicare quæ recta sunt, seminare quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem te ab inimicis sanctæ Ecclesiæ semper inimicari atque affligi : sed tu ne eos timeas, neque perterrearis, quia nos tam te quam tua omnia sub nostra et sub apostolicæ sedis tutela cum magna charitate tenemus, et si in aliquibus tibi necessarium fuerit, apostolicam sedem appellare concedimus, et si ad nos et ad sedem nostram veneris, cum gaudio et magno honore suscipere parati sumus.

XX.

Privilegium Gregorii papæ VII, quo confirmat monasterio Cluniacensi omnia loca et monasteria jam acquisita, quæ et hic nominatim exprimit; item confirmat jus eligendi proprium abbatem, et advocandi quem malueri antistitem pro consecratione ipsius, sicut et pro omnibus aliis consecrationibus et ordinationibus, etc.

(Anno 1075.)

[*Bullarium Cluniacense*, 18.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio HUGONI abbati monasterii sanctorum apostolorum Petri et Pauli, constructi in loco qui dicitur Cluniacus suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus, præcipue tamen de venerabilium locorum stabilitate pro debito honore summæ et apostolicæ sedis, cui speciali jure adhærent, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, nobis pensandum et laborandum esse perpendimus. Proinde juxta petitionem tuam præfato monasterio cui tu præesse dignosceris, cum capellis circumjacentibus, videlicet Sanctæ Mariæ, Sancti Maioli et Sancti Odilonis, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum vel imperatorum, antistitum, nullum quemcunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt vel in futurum, Domino miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve ne specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis, quasi propriis de causis, pro suæ avaritiæ excusatione concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri; eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernatione que concessa sunt modis omnibus profutura. Nominatim etiam confirmantes eidem monasterio Cluniacensi in comitatu Matisconensi cellam in honore sancti Martini, et ecclesiam juxta positam in honore sancti Joannis cum omnibus suis appendiciis Cavinias villam cum ecclesia, et villam Solestriacum cum ecclesia, et Sactiolam cum ecclesia, Galliniacum cum ecclesia, Rufiacum cum ecclesia, Masiliam Bargiserenam villam cum ecclesia, Clarmanum cum ecclesia, Curtirias villam, Paronam cum ecclesia, Arpogiacum cum ecclesia, Darboniacum cum ecclesia, Betorniacum cum ecclesia, et ecclesiam Sanctæ Columbæ, Verreriam et Berguliensem villas, ecclesiam Sancti Laurentii, Castrum Lordonum Blanuscum, Costam cum ecclesia, Laisiacum cum ecclesia, monasterium Charum Locum cum omnibus ad se pertinentibus, cellam Regniacum cum omnibus sibi pertinentibus, ecclesiam Sancti Victoris cum omnibus sibi pertinentibus, cellam quoque Sancti Victoris in monte Algido cum omni sua pertinentia, ecclesias etiam et terras quæ juxta illam sunt pro quibus data est quondam ecclesia Sancti Gengulfi, Equirandam curtem cum ecclesia Sancti Andreæ, et cum aliis ecclesiis et appendiciis suis, novam villam in Petrogoico castro cum ecclesia, omnes quoque ecclesias et terras, seu quidquid præfatus locus habet in jam dicto comitatu.

In comitatu vero Cabilonensi cellam de Bello-

nem pro tuenda sacerdotum castimonia passus fuerat anno 1075, easque conscripserat sanctissimus pontifex non tantum ut gratularetur illi adeptam martyrii gloriam, sed etiam ut ecclesiasticis impedimentis, quibus ob corporis deformitatem arceri ab altaribus posset, auctoritate apostolica ipsum minime innodatum declararet.

monte cum ecclesia Sanctæ Mariæ et omnibus ibi A pertinentibus, ecclesiam de Campiloco cum suis appendiciis, curtem vocabulo Juliacum cum ecclesiis et terris eidem loco quondam ab episcopo Manasse collatis. Ecclesiam Sancti Gengulfi cum suis pertinentiis, cellam sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, et monasterium Sancti Marcelli cum omnibus suis pertinentiis, omnes etiam ecclesias et terras et quodcunque supradictus locus comprobatur habere in jam dicto comitatu.

In episcopatu Augustodunensi monasterium in Aurea Valle, quod vocatur Paredum cum omnibus suis pertinentiis; monasterium etiam Marciniacum cum omnibus suis, cellam de Oiadellis cum suis appendiciis, illas etiam terras et ecclesias quas Theodardus clericus contulit jam dicto Cluniacensi B monasterio. Confirmamus etiam et corroboramus illam convenientiam nostra apostolica auctoritate quam fecit dominus Walterius Augustodunensis Ecclesiæ episcopus de monasterio Magatro ad suam ecclesiam pertinente cum omnibus ad ipsum pertinentiis. Burbonum monasterium cum suis pertinentiis, ecclesiam in villa quæ dicitur Melai et ecclesiam in villa quæ dicitur Simullai et ecclesiam Sancti Christophori juxta Castrum Caninum; et abbatiam Vizeliacensem, omnes etiam ecclesias et terras, et quodcunque supradictus locus Cluniacus videtur habere in eodem episcopatu. In territorio vero Divionensi curtem Giuracum cum omnibus sibi pertinentibus. In pago Autissiodorensi, monasterium quod dicitur Sanctæ Mariæ ad Charitatem C cum suis pertinentiis, Bonaiacum et monasterium Sanctæ Dei genitricis in Donziaco castro cum omnibus quæ in ipso episcopatu habere videtur Cluniacus. In comitatu Arvernensi, Silviniacum monasterium, ubi sancti Maiolus et Odilo requiescunt, cum ibidem pertinentibus, cellam quæ vocatur Firmitas, cellam quæ vocatur Scuriolas, ecclesiam Sancti Sulpitii in villa quæ dicitur Langiacus, cellulam quæ vocatur ad Boscum. Curtem quem vocant in Fridomonte, monasterium quod dicitur Rivis cum curte Lipsiaco et cum suis appendiciis, ecclesiam quæ vocatur ad Montes, monasterium Celsinianense cum cellis, ecclesiis, villis, terris et cum monasterio ubi requiescit sanctus D Florus quod tradidit supradicto loco Eustorgius clericus cum omnibus sibi pertinentibus, mansiones in Brivatensi vico, monasterium quod dicitur Volta cum suis pertinentiis, Rocam fortem, cellam Reiliacum cum curte et omnibus ad eam pertinentibus, cellam Sanctæ Mariæ quæ vocatur ad Pontem, omnes quoque ecclesias et terras, et quodcunque videtur Cluniacus possidere in jam dicto comitatu. In episcopatu Nivernensi monasterium Sancti Salvatoris quod est intra muros, monasterium Sancti Stephani quod est in suburbio ejusdem civitatis, cellam Sancti Reveriani cum suis pertinentiis, ecclesiam quæ dicitur Lupertiacus quæ Fræmundus dedit cum suis pertinentiis, locum qui dicitur Baiard; et obedientia quæ dicitur Villa. In comitatu Pictaviensi villam quæ dicitur Molgon. In episcopatu Sanctonico monasterium de insula quæ dicitur Aias, monasterium Sancti Georgii juxta castrum Didonium, monasterium Sanctæ Mariæ juxta castrum Berbeziacum, abbatiam sancti Joannis quæ vocatur Ingeriacus, abbatiam Malliacensem.

In abbatia autem Sancti Cypriani quæ est Pictavis, concedimus tibi quod antecessores tui ibi habuerunt. In episcopatu Lemovicensi monasterium Sancti Martialis. In episcopatu Engolismensi monasterium Sancti Mauritii quod est juxta castrum montis Berolti. In episcopatu Parisiensi monasterium de Longoponte. In episcopatu Trecassino monasterium Sanctæ Margaritæ cum his quæ ad illud pertinent. In episcopatu Suessionensi Conciacum villam quam dedit Theotbaldus comes et uxor ejus Cluniacensi cœnobio. In episcopatu Petragorico ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ dicitur Anessa. In episcopatu Cadurcensi abbatiam Sancti Petri de Moysiaco cum omnibus suis appendiciis; et monasterium quod dicitur Fiacus, et monasterium Caronnacum. Tolosæ monasterium Sanctæ Mariæ de Aurate, et in eodem episcopatu monasterium quod dicitur Lajad; et castrum quod dicitur Lordag, et terras quas Rogerius comes dedit Cluniaco in valle Javartensi. In pago Agisinensi monasterium quod dicitur Lairacum; et alterum quod dicitur Muiracum, et alterum quod dicitur Sancta Genevera, et monasterium quod dicitur Meediziacum. In pago Lecturicensi monasterium Sancti Genu. In territorio Ausciensi monasterium Sancti Orientii et ecclesiam quæ vocatur ad altum montem et monasterium quod dicitur Monasterium. Et monasterium Sancti Joannis quod dicitur ad Sanctum Montem cum suis pertinentiis. In territorio Bigorritano monasterium Sancti Licerii. In territorio Laccurrensi, in villa quæ vocatur Furcas ecclesiam Sanctæ Fidis, Ecclesias etiam villas et terras quascunque Cluniacus in Vasconia possidere comprobatur. In episcopatu Hispalensi monasterium Sancti Isidori martyris cum suis appendiciis. In episcopatu Vivariensi Misoscum, cellam de monte Rompono, cellam ad Fontes, cellam Rionis. In episcopatu Uticenci monasterium Sancti Saturnini cum castro Columcellas et curte Tueleta, et omnibus ad se pertinentibus ex utraque parte Rhodani fluminis. In episcopatu Nemausensi monasterium Sancti Ægidii. In Tricassinensi civitate monasterium sancti Amandi. In episcopatu Arausico cellam quæ dicitur Podiolenus, monasterium Sancti Pentaleonis. In Agapicensi episcopatu cellam Sancti Andreæ concessam Cluniaco a Ricaudo clerico; Ganagobiense monasterium; curtem Valentiolam. In Valentinensi episcopatu, villam quæ dicitur Ales et Montesium, monasterium Sancti Marcelli quod dicitur Salicetum. In episcopatu Viennensi monasterium Taherniacum; cellam quæ dicitur Causella, villam Bracost, villam quæ dicitur Insula, cellam in

castro Candiaco. In episcopatu Lugdunensi monasterium quod dicitur de Amberta; cellam Talusiacum, cellam Poliacum, cellam Artedunum, cellam Saviniacum, curtem Ambariacum, ecclesiam Sancti Andioli, [ecclesiam quæ vocatur ad Oratorium, curtem de Romanis, cellam Cavariacum, ecclesiam in castro Gosan. Omnes quoque villas et terras quas Vichardus moriens Cluniaco contulit. In Gratianopolitano episcopatu cellam quæ vocatur Borget, monasterium quod vocatur Domena. In episcopatu Vesontiensi cellam quæ vocatur Portus. In episcopatu Tullensi cellam quæ vocatur Ramengas. In Lausannensi episcopatu monasterium quod dicitur Paterniacas, et quæ in Alsatia dederunt imperatores eidem loco; cellam quæ dicitur mons Richeri et monasterium quod dicitur Romanum. In episcopatu Genevensi monasterium Sancti Victoris martyris. In Argentino episcopatu monasterium Salsense. In Constantiensi episcopatu cellam quæ dicitur Romisino. In episcopatu Papiensi monasterium Sancti Maioli. In episcopatu Lausensi monasterium S. Marci. In Urbe Placentina ecclesiam Sancti Gregorii. Juxta urbem Cremonam monasterium in honore Sancti Gabrielis et sanctorum Barnabæ et Lucæ. Præter ea, sicut supra diximus, quæcunque nunc habet aut in posterum, Domino annuente, habere contigerit in quibuslibet rebus mobilibus vel immobilibus.

Item constituimus ut obeunte abbate non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur nisi quem fratres ejusdem cœnobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint. Et ad consecrandum illum ipsi fratres advocent episcopum quemcunque voluerint. Nec quovis modo quisquam episcopus vel archiepiscopus locum ipsum seu capellas supradictas, videlicet Sanctæ Mariæ, S. Maioli et S. Odilonis, vel presbyteros ab abbate ibi constitutos. Et monachos ipsius monasterii excommunicare, vel judicare audeat, sed semper sub tutela et immunitate Romana, soliusque Romani pontificis judicio consistentes, omnipotenti Domino quieti securique deserviant. A quocunque episcopo voluerint etiam in opus consecrationum in ipso loco agendarum, chrisma, oleum sanctum, oleum infirmorum accipere; necnon et consecrationis altarium et capellarum, seu ordinationes monachorum. Concedimus tibi et ipsi venerabili loco, et confirmamus apostolica auctoritate quandocunque vel quandiu vobis placuerit percussuram proprii numismatis vel monetæ quemadmodum privilegiis venerabilium prædecessorum nostrorum comperimus vobis concessum et confirmatum esse, concedimus et confirmamus. Hæc igitur omnia quæ ejus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, et eis quorum interesse poteris in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, venire contra eam tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque

A se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi ea quæ ab illo sunt male oblata restituerit et digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia pacis inveniant.

Datum Lateranis, quinto Idus Decembris, per manus Petri sacræ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno quarto pontificatus domni Gregorii papæ septimi, indictione XIV. Bene valete.

XXI.

B *Privilegium Gregorii papæ VII, per quod monasterium novum in suburbio Pictavicensi constructum a Willelmo comite Pictavorum, ad ejus preces, committit regendum perpetuo sancto Hugoni ejusque successoribus abbatibus Cluniacensibus.*

(Anno 1075.)

[*Bullarium Cluniacense*, 20.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio HUGONI abbati monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli constructi in loco qui dicitur Cluniacus.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis quantum, Deo C donante, possumus subvenire debeamus; præcipue tamen de venerabilium locorum stabilitate pro debito honore summæ et apostolicæ sedis cui speciali jure adhærent, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, nobis pensandum et laborandum esse perpendimus. Proinde juxta petitionem tuam et filii nostri Willelmi comitis Pictavorum, monasterio quod ipse comes in suburbio ejusdem civitatis, in honore beatorum apostolorum Joannis evangelistæ, Simonis et Judæ construxit. Nosque ut tibi ac tuis successoribus secundum Dominum perpetuo regendum committeremus exoravit. Hujusmodi privilegium præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus. Statuentes nullum regum D et imperatorum, antistitum vel comitum, nullum quacunque dignitate præditum vel quemquam alium audere de his quæ a præfato comite, vel a quibuslibet hominibus eidem venerabili loco de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Domino donante collata fuerunt sub cujuslibet causa occasionisve specie minuere vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab iis qui in tuo officio locoque successerint perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione, gubernatione que concessa sunt, modis omnibus profutura.

Item, constituimus ut, obeunte abbate, non alius ibi

quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem tu tuique successores secundum timorem Dei elegeritis, et hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium et abbates ejus vel monachi ab omni sæcularis servitutis sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti. Nulli alii nisi abbati Cluniacensi aliqua teneantur occasione subjecti. Consecrationis autem abbatum et ecclesiarum et ordinationis monachorum, sive clericorum, sæpe fato cœnobio pertinentium, ab episcopo in cujus diœcesi sunt accipiant, ita tamen, si episcopus canonice ordinatus fuerit, et ordinationem gratis fecerit. Sin autem aliquid horum obstiterit, habeant licentiam auctoritatis sedis apostolicæ ad qualemcunque catholicum episcopum qui eis placuerit, causa consecrationis et ordinationis, tam locorum quam personarum, licenter pergere. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint vel iis quorum interesse potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reusque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit et digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicium præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Lateranis, quinto Idus Decembris, per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno quarto pontificatus domni Gregorii septimi, indictione decima quarta.

Bene valete.

XXII.

Privilegium Gregorii papæ VII per quod monasterium Gigniacense committit regendum sancto Hugoni, et ejus successoribus abbatibus Cluniacensibus in perpetuum.

(Anno 1075.)

[*Bullarium Cluniacense*, 21.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio Hugoni Cluniacensi abbati.

Justa sanctæque religioni profutura poscentibus aurem nos oportet benevolam commodare, quatenus et petentes remedia sperata reperiant, et ecclesiis monasteriisque destitutis debita non desit sollicitudo compassioque pastoris. Proinde Gigniacensis monasterii (quod proprium beati Petri apostolorum principis esse dignoscitur), monachi nostræ miserationis sperantes auxilium, idem monasterium et religionis, quæ olim excellentissima ibi habebatur, nunc propter abbatum præpositorumque remissio-

A rem sollicitudinem, penitus amisisse vigorem, et temporalibus etiam omnino destitutum esse subsidiis, lacrymabiliter conquesti sunt. Quibus miseriis propellendis ipsi quoque monachi quæ medicina possit adhiberi suggerentes multis supplicationibus nobis institerunt, ut tuæ vigilantiæ præfatum monasterium debeamus commendare, quo per providentiæ tuæ studium quæ aliorum somnolentia deperiit religio reviviscat, et corporalibus item, Domino auxiliante, suffragiis renovetur et crescat. Igitur, tibi Hugoni charissimo sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio, reverendissimo videlicet Cluniacensis cœnobii abbati, prædictum Gigniense monasterium committentes, hujus nostræ præceptionis auctoritate præcipimus, annuimus atque concedimus ut ab hac præ- B senti die, quandiu vixeris, illud, prout Domino miserante volueris, ordinandi, regendi, corrigendi commutandique cum omnibus suis pertinentiis liberam potestatem habeas. Postquam autem tu desideratam longi laboris mercedem a Christo recepturus, Domino vocante, ab hoc mundo transieris, omnesque successores tuos talem in præfato Gigniensi monasterio potestatem habere volumus et hanc auctoritate roboramus, scilicet ut nullus ibidem abbas eligatur aut ordinetur, nisi vel ipse Cluniacensis abbas adfuerit eumque approbaverit, vel per legatum suum secundum timorem Dei assensum præbuerit. Si quis autem regum, imperatorum, ducum, comitum, seu quælibet omnino magna vel parva C persona, hujus nostri præcepti sanctionem violaverit et infringere ausus fuerit, donec tibi aut tuis successoribus satisfecerit dignamque pœnitentiam egerit, eum a sacrosancto corpore Domini, velut sacrilegum, removemus, et apostolica auctoritate prohibemus.

Datum Lateranis, quinto Idus Decembris, per manus Petri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri, cardinalis ac bibliothecarii, anno quarto pontificatus domni Gregorii papæ septimi, indict. decima quarta.

Bene valete.

XXIII.

Gregorius VII monasterii S. Petri Condomiensis possessiones confirmat.

(Anno 1076.)

[Apud Acherium, *Spicilegii* tom. II, 584.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, di- D lecto in Christo filio Raymundo abbati monasterii Sancti Petri siti in loco qui dicitur Condomus, suisque successoribus in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus. Proinde juxta petitionem tuam præfato monasterio, cui tu præesse dignosceris hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus; concedimus atque confirmamus; statuentes nullum regum, vel imperatorum, antistitum, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemcunque alium

audere de his quæ eidem venerabili loco quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, juste collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis piis de causis per suæ avaritiæ excusationem concedere; sed cuncta quæ ibi juste oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, modis omnibus profutura.

Et quia Ugo episcopus idem monasterium ex bonis hæreditatis suæ ditatum Romanæ Ecclesiæ juri contradidit, ad futuram defensionis suæ cautelam constitutum est ut singulis annis pensio quinque solidorum monetæ illius terræ apostolicæ sedi reddatur. Nominatim igitur confirmamus eidem monasterio illas possessiones, quas prædictus Ugo episcopus ejusdem monasterii fundator, in pago Leumaniæ ex jure patrimonii sui præfato loco contulit: videlicet ecclesiam Sancti Petri et locum Condomus, quod interpretatur domus sublimis, cum omnibus suis appendiciis. Item constituimus ut, obeunte abbate, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem loci communi consensu secundum timorem Dei elegerint. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium et abbates ejus, vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli atque quieti, et nulla aliqua habeantur occasione subjecti.

Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eorum loca successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, possessionis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum boni operis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Lateranis VIII Idus Martii, per manus Petri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri, cardinalis ac bibliothecarii, anno tertio pontificatus domini Gregorii VII papæ, indictione XIV.

XXIV.

Gregorius VII suscipit monasterium Fontis Avellanæ sub sua protectione.

(Anno 1076, x Kal. Aprilis.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, tom. II, pag. 258.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, archi- A episcopis, episcopis, marchionibus, comitibus, proceribus, valvasoribus omnibusque in Christo credentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Notum sit vobis omnibus, quod nos ecclesiam sanctæ Crucis Fontis Avellanæ et omnia quæ ipsius eremi sunt, scilicet monasteria, eremos cunctasque illi supposita ecclesias vel capellas, castella, vicos villasque, prædia cum retinentibus ea, armenta quoque, etc., in nostram suscepisse custodiam solo Dei timore, atque charissimi filii nostri Petri Damiani hujus Romanæ Ecclesiæ cardinalis amore; unde omnibus hominibus præcipimus, et ex beati Petri auctoritate ac nostra mandamus ut omnia præfatæ ecclesiæ, ubi fuerint inventa, sine læsione custodiri, nullus a nobis vel ab aliqua potestate, etc.

B Datum Laterani x Kalendas Aprilis, per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis bibliothecarii, anno III pontificatus domni Gregorii VII papæ.

XXV.

Gregorii VII epistola ad Henricum episcopum Tridentinum. — Exponit juste se Henricum imperatorem excommunicasse, et ut pontificem missis copiis juvet, rogat.

(Anno 1076.)

[MANSI, *Concil.* XX, 375.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, fratri, et coepiscopo Tridentino, HEINRICO, salutem et C apostolicam benedictionem.

Miramur fraternitatis tuæ prudentiam verba nostra neglexisse, ut secundum ea nullum decreveris dare responsum, maxime cum post synodalem sententiam in Heinricum regem prolatam dilectio tua minime differre debuerit; ad cujus nimirum sententiæ promulgationem nos justitiæ zelo impulsos, et non aliqua promotione injuriæ concitatos manum exercuisse, neque solertiam tuam ignorare, neque aliquem sanæ mentis hominem putamus posse ambigere. Quod tamen si in dubium cuiquam deveniret, constat ejus rei rationem prius ex nobis fore scrutandam, quam in illum præjudicium factum temere esse credendum. Verum, utcunque sese opinio habeat, factumve interpretetur, illud procul D dubio clementia divina sperantes promittimus, festum beati Petri non prius transeundum, quam in cunctorum notitia certissime clareat, illum justissime esse excommunicatum. Et inde fraternitatem tuam volumus, atque monemus, ut certos nos studeat facere utrum Deo an hominibus magis elegerit obedire, utrumve justitiæ obtemperando fidem Deo, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ observare, quam filiis iniquitatis hærendo [adhærendo] conculcare censuerit. Rogamus ergo atque invitamus ut ad servitium beati Petri pro posse tuo milites mittere studeas, eosque si decreveris mittere, Mathildæ nostræ notificare procures, cujus ope conducti secure possint ad nos, et sine impedimento, favente Domino, pervenire.

XXVI.

Gregorii VII epistola ad Germanos. — Causas excommunicationis Heinrici imperatoris explicat.

(Anno 1076.)

[Mansi, *Concil.* XX, 377.]

Gregorius, servus servorum Dei, omnibus episcopis, ducibus, comitibus, cæterisque in regno Teutonicorum Christianam fidem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus inter vos quosdam de excommunicatione, quam in regem fecimus, dubitare, ac quærere utrum juste sit excommunicatus, et si nostra sententia ex auctoritate legalis censuræ, ea, qua debuit, deliberatione egressa sit. Quapropter, qualiter ad excommunicandum illum adducti sumus, prout verius potuerimus, teste conscientia nostra, oculis et intellectibus omnium patefacere curabimus, non tam ut singulas causas, heu! quæ nimium notæ sunt, quasi nostro clamore projiciamus in publicum, quam ut eorum opinionibus satisfaciamus qui putant nos spiritualem gladium temere, et magis motu animi nostri quam divino metu et justitiæ zelo, arripuisse. Cum adhuc in diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de regis actionibus sinistra et multum inhonesta fama : propter imperialem dignitatem, et reverentiam patris et matris ejus, nec non propter spem et desiderium correctionis ejus per litteras sæpe admonuimus ut a pravitate sua desisteret, et, memor clarissimi generis ac dignitatis suæ, vitam suam moribus quibus regem et futurum, Deo donante, deceret imperatorem, institueret. Postquam autem ad pontificatus apicem, licet indigni, venimus, et illi ætas pariter crescere cœpit et iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem tanto districtius de manu nostra animam ejus requisiturum, quanto nobis illum ad increpandum præ cunctis libertas data fuisset et auctoritas, multo sollicitius eum modis omnibus arguendo, obsecrando, increpando, ad emendationem vitæ suæ hortati sumus. Qui cum nobis sæpe salutationes et litteras mitteret, excusans se cum ex ætate, quæ fluxa esset et fragilis, tum quod ab his in quorum manibus cura ejus erat, multoties sibi male suasum atque consultum sit, monita nostra de die in diem se promptissime suscepturum verbis quidem promisit; cæterum re, et exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter hæc quosdam familiares suos, quorum consiliis et machinationibus episcopatus et multa monasteria, inductis per pretium lupis pro pastoribus, Simoniaca hæresi fœdavit, ad pœnitentiam vocavimus : quatenus et bona ecclesiarum, quæ per interventum tam scelerati commercii sacrilega manu susceperant, venerabilibus locis, ad quæ pertinebant, cum adhuc locus esset emendandi, redderent, et ipsi de perpetrata iniquitate per lamenta pœnitudinis Deo satisfacerent. Quos cum ad hæc exsequenda datas inducias spernere, et in consueta nequitia pertinaciter stare agnovimus, sicut dignum erat, sacrilegos administros et membra diaboli a communione et corpore totius Ecclesiæ separavimus, et regem ut eos a domo sua, a consiliis, et omni communione sua, sicut excommunicatos expelleret, admonuimus. Interim vero, ingravescente contra regem Saxonum causa, cum vires et præsidia regni ex parte maxima a se deficere velle conspiceret, interim direxit nobis epistolam supplicem, et omni humilitate plenam, in qua omnipotenti Deo, et beato Petro ac nobis valde se culpabilem reddens, preces etiam obtulit, ut, quod ex sua culpa in ecclesiasticis causis contra canonicam justitiam et decreta sanctorum Patrum factum fuisset, nostra apostolica prudentia et auctoritate corrigere studeremus, atque in eo suam nobis obedientiam, consilium, et fidele promisit adjutorium. Hoc idem etiam postea a confratribus et legatis nostris Humberto Prænestino episcopo, et Geraldo Hostiensi episcopo, quos ad illum misimus, ad pœnitentiam susceptus in illorum manus per sacras stolas quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit. Dein post aliquod tempus commisso cum Saxonibus prælio, rex, pro victoria quam adeptus est, tales Deo grates et victimas obtulit, ut vota quæ de emendatione sua fecerat, continuo frangeret, et nihil eorum quæ nobis promiserat, attendens, excommunicatos in suam familiaritatem et communionem reciperet, et ecclesias in eam quam consueverant confusionem traheret. Qua de re gravi dolore perculsi, quanquam potius, contempta regis cœlestis beneficentia, pene omnis spes correctionis ejus nobis ablata sit adhuc, tamen animum temperandum fore decrevimus magis cupientes eum apostolicam audire mansuetudinem, quam experiri severitatem. Itaque misimus ei epistolas commonitorias, ut meminerit quid, et cui promiserit, ne credat se posse fallere Deum, cujus quanto prolixior est patientia, tanto severior est, cum vindicare cœperit, ira; ne inhonoret Deum honorantem se, nec potentiam suam ad Dei contemptum, et apostolicam tentet extendere contumeliam, sciens quod superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Præterea misimus ad eum tres religiosos viros, suos utique fideles, per quos eum secreto monuimus ut pœnitentiam ageret de suis sceleribus, quæ, quam horrenda sunt dicta, pluribus tamen nota, et in multis partibus terræ divulgata. Propter quæ non solum excommunicari usque ad dignam satisfactionem, sed etiam ab omni honore regni eum absque omni spe recuperationis debere destitui, divinarum et humanarum legum testatur et jubet auctoritas. Postremo, nisi excommunicatos, a sua participatione divideret, nos nihil aliud de eo vindicare aut decernere posse, quam ut, separatus ab Ecclesia, in excommunicatorum consortio foret, cum quibus ipse potius quam cum Christo habere partem elegerit. Sane si nostra monita suscipere, et vitam suam corrigere vellet, Deum testem invocavimus et invocamus, quantum nos de ejus salute gauderemus et

honore, et cum quanta charitate eum in gremio sanctæ Ecclesiæ amplecteremur, utpote eum qui, princeps populi constitutus, et amplissimi regni gubernacula tenens, catholicæ pacis et justitiæ defensor esse deberet. Verum quanti ipse aut scripto, aut per legatos missa nostra verba fecerit, ejus facta declarant; qui indigne ferens se a quoquam reprehendi aut corripi, non solum a perpetratis ad emendationem revocari non potuit, sed ampliori conscientiæ furore correptus, non prius cessavit, donec episcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Christi naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro et apostolicæ sedi obedientiam, et honorem a Domino nostro Jesu Christo concessum, abnegare subegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad summum prodiisse vidimus, pro his causis, videlicet, primum, quod ab eorum communione qui pro sacrilego reatu Simoniacæ hæresis excommunati sunt, se abstinere noluit, demum quod pro criminosis actionibus vitæ suæ pœnitentiam, non dico suscipere, sed nec promittere voluit, immutata ea, quam in manus legatorum nostrorum promiserat, fide, nec non quod corpus Christi et unitatem sanctæ scindere Ecclesiæ non expaverit, pro his, inquam, culpis synodali eum judicio excommunicavimus, ut, quem mites non potuimus, vel severi ad viam salutis, Deo adjuvante, revocare valeamus; aut si, quod absit! ne districtionis quidem censuram pertimuerit, nostra saltem anima negligentiæ aut timoris discrimini non succumbat. Si quis igitur hanc sententiam injuste vel irrationabiliter prolatam esse putaverit, si talis est, ut sacris regulis intelligentiæ sensum præbere velit, nobiscum etiam agat, et non quod nos, sed quid divina auctoritas doceat, quid decernat, quid consona vox sanctorum Patrum indicet, patienter audiat, acquiescat. Nos tamen non æstimamus quemquam fidelium, qui ecclesiastica statuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, et si publice affirmare non audeat, vel in corde suo rectum factum esse perhibeat. Quanquam si nos, quod Deus avertat! non satis gravi de causa aut minus ordinate eum hujusmodi vinculo ligavimus, sicut sancti Patres nostri asserunt, non idcirco spernenda sententia est; sed absolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem Domini [*Annalista Saxo legi :* dilectissimi] qui justitiam Dei nec pro regia indignatione, nec pro aliquo periculo deserere voluistis, fatuitates, quæ de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione parvipendentes, viriliter state et confortamini in Domino, scientes quod illius partem defenditis qui insuperabilis rex est, et magnificus triumphator, judicaturus vivos et mortuos, reddens unicuique secundum opus suum. De cujus multimoda retributione, et vos certi esse poteritis, si usque in finem fideles et inconcussi in ejus veritate perstiteritis. Propter quod et nos incessanter pro vobis rogamus Deum, ut det vobis corroborari per Spiritum sanctum in nomine ejus, et convertat cor regis ad pœnitentiam, ut et

A ipse aliquando cognoscat nos multo verius amare eum, quam illos qui nunc suis iniquitatibus obsequuntur et favent. Quod si, Deo inspirante, voluerit resipiscere, quidquid contra nos moliatur, semper tamen nos ad recipiendum eum in sanctam communionem, prout vestra nobis charitas consuluerit, paratos inveniet.

XXVII.

Gregorii VII epistola ad omnes episcopos, abbates, cæterosque fideles.

(Anno 1076.)

[Hugonis Flaviniac. *Chronic.*, apud Pertz *Monum. Germ. Hist.*, Script. VIII, 442.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, om-
B nibus in Christo fratribus, episcopis, abbatibus, sacerdotibus, ducibus et principibus atque militibus, omnibusque Christianam fidem et beati Petri honorem revera diligentibus in Romano imperio habitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Postquam fraternitati vestræ epistolam direximus quæ ita incipit : Gratias agimus omnipotenti Deo, » a fidelibus sanctæ Ecclesiæ accepimus quod rex summopere procuret nos ab invicem sejungere, suaque fraude decipere, modo per spirituales, modo per sæculares personas. Proinde dubitamus ne forte ex nostris fratribus minus cauti pro licentia quam dedimus decipiantur; et ideo ex parte beati Petri
C apostolorum principis præcipimus ut nullus eum præsumat a vinculo anathematis absolvere, quousque illius satisfactio et pœnitentia per idoneos vestros nobis fuerit renuntiata, ut simul decernentes per legatos nostros quod æquum fuerit ac Deo placitum, omni fraude remota, apostolica auctoritate. Vos autem diligenter studete eam promissionem eamque securitatem ab illo accipere ut non videamur pro columbæ simplicitate serpentis prudentiam negligere. Quod si inter hæc, quod non optamus, morte præventus fuerit, non dubitet vestra fraternitas quam vera pœnitentia veraque satisfactio prometretur absolutionis medicinam impendere.

Data Triburis, IV Kal. Septembris.

XXVIII.

D *Gregorii VII epistola ad Willelmum regem Anglorum. — De Simonia, luxuria, et depositione Johœni Dolensis episcopi, et ordinatione Oveni in ejus locum.*

(Anno 1076.)

[Mansi, *Concil.* XX, 383.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, excellentissimo filio W. glorioso regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Compertum esse celsitudini tuæ non dubitamus quod dictus episcopus Dolensis Ecclesiæ, quæ Britannicæ provinciæ principalis est sedes, suæ salutis immemor, et sanctorum canonum decreta conculcans, eamdem Ecclesiam per Simoniacam hæresim impudenter invaserit, et prolixo jam tempore op-

presserit violenter. Datis namque comiti Alano copiosis muneribus, quæ usque hodie ad probamentum prius nequitiæ in propatulo exstant, non per ostium in ovile Christi, sed ut fur et latro aliunde irrepsit; qui etiam nec hoc scelere contentus, iniquitatem super iniquitatem apposuit, et quasi Simoniacum esse parum et pro nihilo deputaret, Nicolaita quoque fieri festinavit. Nam in ipso tam perniciose adepto episcopatu nuptiis publice celebratis, scortum potius quam sponsam ducere non erubuit, ex qua et filios procreavit, ut qui jam spiritum suum animarum corruptori per Simoniaca commercia prostituerat, per fœdæ libidinis incestum corpus suum ita in contumeliam diabolo consecraret, et sic in eo nullus locus superesset Conditori, quem intus exteriusque obligatum totum sibi adversarius non vindicasset. Nec tamen hucusque malitiæ conatus substitit, sed atrocissimum facinus turpissimumque flagitium horrendo etiam sacrilegio cumulavit. Nam adultas ex illicito matrimonio filias, prædiis ecclesiæ et redditibus nomine dotis collatis, atque alienatis scelere immanissimo maritavit. His iniquitatibus coopertus, eamdem tamen ecclesiam dilaceratam dissipatamque si liceat incubare molitur, quibus de causis celsitudo tua noverit illum jam beati Petri apostoli spiculo perfossum, et, nisi sceleris resipuerit, anathemate mortifero esse damnatum. Quapropter paterna charitate te admonere, et causam breviter exponere studuimus, ne fortasse per ignorantiam tam scelesto homini tandiu in tenebris suis jacenti ulterius auxilium præbeas, neve scelerum ejus te participem facias, sed sedi apostolicæ, nostrisque monitis modeste parendo illum a te repellas; vel etiam ut tandem aliquando sibi consulat, atque ad remedium pœnitentiæ confugiat, blande suadendo, si poteris, inducas. Nam tales in malo perseverantes fovere et adjuvare nihil est aliud quam iram Domini contra se provocare. Nos vero supradictæ Ecclesiæ afflictionem diutius non ferentes, Deo inspirante, virum vitæ probabilem et compertæ religionis inibi ordinavimus et consecravimus, videlicet S. Melanii abbatem qui, cum ob alias causas quas explicare prolixum est, ad nos venisset, pontificatus onus ex insperato subire compulsus est. De quo confidimus in Domino, quia si, ut desideramus litterisque nostris multipliciter implorare curavimus, principum terræ bonorum virorum gratiam et studia habere meruerit, Domino cooperante, sub B. Petri patrocinio ecclesiam in melius restaurabit.

XXIX.

Bulla Gregorii VII pro ecclesia S. Autberti Cameracensis.

(Anno 1076.)

[BALDERIC, *Chronique d'Arras et de Cambrai*, edit. LEGLAY, pag. 545, in notis.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, LIEBERTO dilecto in Christo filio, Cameracensis Ecclesiæ episcopo, suisque successoribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus ut justis precantium votis faveamus et nostro libramine charis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus. Proinde juxta personam tuam ecclesiæ beati Autberti, hujusmodi privilegio auctoritatisque nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum successorum tuorum, nullum quoque dignitate præditum, vel quemque alium, de his quæ eidem venerabili monasterio a te vel a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sint, vel in futurum, Deo miserante, allata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie, minuere, vel auferre, ac suis usibus applicare aut aliis concedere. Sed cuncta quæ oblata sunt, vel ibi offerri contigerunt, perenni tempore integra a clericis loci illius et sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura. Hæc igitur omnia quæ hujus prædicti decretique nostri pagina continet tam tibi quam cunctis qui tibi successerint in perpetuum servando decernimus. Si quis vero episcoporum aut clericorum, vel sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra venire tentaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reumque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi quæ ab illo sunt mala ablata restituat, a sanctissimo corpore ac sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Lateranis Kalendas Novembris per manus Petri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno IV pontificatus domni Gregorii papæ.

XXX.

Gregorii VII epistola ad Germanos. — Significat se ideo accelerare ad eos iter statuisse ut possit die 8 Januarii (1077) Mantues esse. Mandat curent ut bene recipiatur.

(Anno 1076.)

[MANSI, *Concil.* XX, 379.]

GREGORIUS, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, nec non majoribus et minoribus in regno Teutonicorum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Nos, et indigni et inutiles principis apostolorum servi, statuimus ad vos divina auxiliante clementia venire, et postponentes omnium fidelium nostrorum consilium, ita profectionem nostram maturare ut VI Idus Januarii apud....... velimus esse, vestra quidem voluntate et desiderio, ut fiducia probatæ fidei quæcunque aspera, et si necessarium

fuerit, ipsam effusionem sanguinis pro libertate Ecclesiæ sanctæ et salute imperii, pura et sincera intentione subire non dubitemus. Vestri ergo studii sit de exceptione et servitio nostro præmonere eos, quos prudentia vestra cognoverit id posse, et nobis debere. Sit etiam studii vestri per partes vestras pacem firmare, ut intentionis nostræ propositum nihil impedire possit. Quot et quantas colluctationes cum nuntiis regiis habuerimus, et quibus rationibus dictis eorum obviaverimus, quidquid deesse videtur litteris, latores earum plenius judicabunt. Quibus, sicut de iis, quæ beato Petro et nobis promisistis, indubitanter credimus, ita vos de his, quæ ex nostra parte dixerint, nobis certissime volumus credere.

XXXI.

Gregorii VII epistola ad Germanos. — Nuntiat se contra voluntatem et consilium Romanorum iter ad eos habere. Hortatur dent operam ut eos possit adire.

(Anno 1076.)

[Mansi, *Concil.* XX, 383.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, marchionibus, comitibus, omnibusque Christianam et B. Petri, apostolorum principis, fidem et doctrinam defendentibus, et observantibus in omni regno Teutonicorum, salutem et beatorum apostolorum Petri et Pauli benedictionem et omnium peccatorum absolutionem.

Ego qualiscunque sacerdos apostolorum principis servus, contra voluntatem et consilium Romanorum, confidens de misericordia Dei et vera fide catholica, venio ad vos, paratus propter honorem Dei et salutem animarum vestrarum mortem subire, ut per multas tribulationes tendamus, et perveniamus ad requiem. Vos autem, fratres mei dilectissimi, et desideratissimi, summopere curate ut vos possim, Deo auxiliante, adire, vobisque in omnibus prodesse. Benedicat vos ille ex cujus gratia dictum est mihi ad corpus beati Petri in die ordinationis meæ : Quodcunque benedixeris benedictum erit, et quodcunque solveris in terra erit solutum in cœlo. Amen.

XXXII.

Gregorius VII cathedralem ecclesiam Florentinam tuendam suscipit bonaque ejus confirmat, petente Ragnerio episcopo.

(Anno 1076.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 79.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Martino S. Florentinæ Ecclesiæ præposito, aliisque confratribus canonicis, tuisque successoribus in perpetuum.

Si justis servorum Dei petitionibus satisfecerimus, procul dubio apostolica præcepta servamus. Quapropter, interveniente confratre nostro Raynerio episcopo vestro, confirmamus atque corroboramus tibi, tuisque successoribus, quidquid in pagina concessionis, et confirmationis, quam vester fecit vobis Gerardus, tunc episcopus, postea Romanæ sedis pontifex, rescriptum esse constat, vel vestræ canonicæ. Quam scilicet canonicam tuendam, et defendendam per eamdem paginam ipse vester episcopus, sanctissimi prædecessoris mei Leonis papæ, suorumque successorum auctoritati tuendam, et defendendam commisit, atque supposuit, ut quieti, et securi ab omni læsione permanere valeatis. Desiderio itaque, ac petitione tua, ut diximus, inclinati, et præpositum, atque successores canonicam vitam ducturos sub nostræ apostolicæ defensionis munimine suscipimus. Et bona omnia, quæ vestra et habet, et habitura est, et sibi pertinent canonica, videlicet curtes, terras, et juxta Florentinam urbem pratum regis, campum regis totum cum mansis, et territoriis omnibus, quæ in Florentina curte habet et retinet, vel sibi pertinent prædicta vestra cononica, curtem S. Andreæ cum omnibus sibi pertinentibus, curtem de Quinto, curtem de Cintoria cum omnibus suis pertinentiis, et illam partem, quam Petrus primicerius contra canonica instituta usurpare visus est, plebem de Exinea cum curte, et mansis, et omnibus territoriis, et decimationibus, quæcunque ad eamdem plebem, vel curtem pertinere videntur. Insuper totum, quod Theuzo filius Lepizi pro salute animæ suæ in ecclesia S. Joannis contulit, vel in eadem canonica; terram S. Proculi in prædicta plebe, curtem de lacu, quæ est infra plebem S. Petri sitam Valiam, cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis, campum nihilominus Randi; similiter ecclesiam S. Petri, quæ dicitur Cantuari cum suis pertinentiis, quam Gerardus venerabilis episcopus Florentinæ Ecclesiæ prælibatæ contulit canonicæ. Nec non ubicunque aliquid habere, vel tenere, aut sibi pertinere videtur, ipsa vestra canonica : et quidquid Gerardus archipresbyter pro beneficio, et ipsa Florentina Ecclesia tenuit, tam in decimationibus quam quæ in mansis, et in prædiis, nec non et quæcunque Stephanus abbas ex beneficio tenuit. Similiter et quæcunque primicerii beneficia fuere; atque plebem S. Hippolyti sitam Elsæ, itemque campum, et hortum, qui est juxta ecclesiam S. Reparatæ, seu etiam curtes et ecclesias atque castellum in territorio plebium S. Joannis Majoris, et S. Laurentii, et S. Cassiani a finibus jugi Alpium Mucellensium usque in fluvium Sevæ, quæ Jeremias filius Ildeprandi pro sua filiique sui anima per chartulam offersionis prælibatæ contulit canonicæ, curtes et casas, sortes et domnicata, et ecclesiam S. Martini cum omnibus sibi pertinentibus rebus in villa de Bagnolo, quæ scitur esse infra plebem S. Mariæ de Pinita, quæ dedere homines de Rufina in prædicta canonica. Ecclesiam S. Ambrosii cum suis pertinentiis, ecclesiam S. Mariæ novellæ cum rebus suis, castrum de Scharaboni, mansum unum in Conciano, et quidquid in prædicta canonica dedit Imelda in civitate Fesulana intus, et extra curtem de Petramala cum omnibus sibi pertinentibus rebus, et terram, quæ dedit Thetberga uxor Rodulphi, et præterea, sicut supra diximus, quæ-

cunque vestra canonica juste nunc habet, aut in posterum, Domino annuente, habere contigerit in quibuslibet rebus mobilibus, vel immobilibus, sive ab ejusdem civitatis episcopo datis, sive ab aliis hominibus publicis, vel privatis tibi, tuisque successoribus confirmamus et stabilimus in perpetuum. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis, qui in eo, quo es ordine, locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, apostolica auctoritate in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea, quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Signum Gregorii papæ septimi : *miserationes tuæ, Domine, super omnia opera ejus.*

Datum Florentiæ v Kal. Januarii per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis, ac bibliothecarii, anno IV pontificatus domini Gregorii VII papæ; anno videlicet Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo sexto, indict. XIV.

XXXIII.

Gregorii VII epistola ad archiepiscopos, episcopos, duces, comites cœterosque principes cum omni populo regni Teutonicorum.

(Anno 1077.)

[Hugonis Flaviniac. *Chronicon*, apud PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, Script. tom. VIII, pag. 445.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo fratribus et filiis, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisque principibus, cum omni populo regni Teutonicorum christianam fidem et religionem defendentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut in prioribus litteris et legatorum verbis vobis significavimus, intelligentes quod digne Deo defensores justitiæ vos in vera obedientia et apostolici principatus reverentia exhibuistis, in vestra fide et consiliis fiducialiter spem ponentes, contra voluntatem pene omnium fidelium nostrorum, excepta charissima et fidelissima beati Petri filia, videlicet Mathilde, iter ad vos non solum inter multa incommoda, sed et pericula aggressi sumus, et pervenisse quidem potuissemus, si ducatum eo tempore, eo loco quo constitutum erat, ex vestra parte habuissemus. Cum autem ex ipsa suspensione nostræ profectionis regi in Italiam properanti ad nos perveniendi daretur occasio, victi ejus humilitate et multimodæ pœnitudinis exhibitione ab anathematis vinculo absolutum in gratiam communionis eum recepimus. De cætero nihil secum statuentes, nisi quod ad cautelam et honorem omnium vestrum fore putavimus. Cumque Langobardorum episcopi totius negotii summam ad communem conventum et prudentiæ vestræ consultationem reservatam esse cognoscerent, nec de suis culpis ea quam sperabant impunitate absolutionem consequi potuissent, quantam superbiam quantosque malitiæ conatus contra nos adorsi sint, ad dicendum quidem triste, ad audiendum est abominabile, cum illi, qui in Ecclesia Dei columnæ esse debuerunt, non modo in compage corporis Christi nullum locum teneant, sed pertinaciter impugnatores, et quantum ad se destructores existant. De rege vero, ut in his quæ nobis promisit simpliciter aut obedienter ambulaverit, non multum lætari possumus, præsertim cum ex ejus præsentia pessimi quique contra nos et apostolicam sedem plus audaciæ quam terroris pro perpetrata iniquitate habeant. Inter hæc vestra consilia exspectantes, tandem per filium nostrum Rapotonem, quem ad vos misimus, hoc vos velle et postulare cognovimus, si quomodo ad partes vestras transire possimus, atque id, ut cautius fieri possit, cum regis consilio et adjutorio, agere studeamus. Nos itaque sicut vobis mandavimus, vestræ voluntati atque consiliis in omnibus secundum beneplacitum Dei satisfacere cupientes, id ipsum per nuntios nostros cum rege statuere atque coaptare operam damus. Verum quo animo ipse nobis et vobis in hac causa consentire debeat, ante missionem hujus legationis, quoniam rex a nobis longe distabat, prænoscere non potuimus, sed mox ut cognoverimus, vobis intimare non tardabimus. Scitote igitur quoniam hæc est voluntas et desiderium nostrum, ut vel consensu regis, vel si eo nolente fieri possit, ad vos pro communi utilitate et salute omnium vestrum pertranseamus. Quod si, peccatis et pravorum studiis obstantibus, fieri nequiverit, absens tamen omnipotentem Deum obnixis semper orabo precibus, ut corda vestra et fidem in omni gratia virtute confirmet, et ita in omnibus vestra consilia et facta dirigat, ut libertatem Christianæ religionis indefessa virtute defendere, et ea, quæ ad statum et gloriam nobilissimi regni vestri Deo dignissima et vobis utilissima sunt, providere possitis et exsequi. Vos autem in proposito defendendæ justitiæ, quod pro nomine Christi et æterna retributione incœpistis, ita persistite, ut ad coronam tam sancti, tam Deo placiti certaminis, Deo donante, pertingere valeatis. Plura vobis per scripta misissemus, nisi quod tales ad vos nuntios direximus, quibus indubitanter credere potestis, in quorum ore quidquid in epistola minus continetur, et pro vobis vel ad vos cor nostrum habet, posuimus. Amen.

XXXIV.

Gregorii VII epistola ad omnes archiepiscopos, episcopos, abbates, reges, principes, clericos et laicos in Narbonensi Gallia, Guasconia et Hispania regione constitutos quando Amatum, Oloronensem

episcopum S. R. E. legatum misit in Galliam et Hispaniam.

(Anno 1077.)

Mansi, *Concil.* XX, 622.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, regibus, principibus, clericis quoque ac laicis in Narbonensi Gallia, Guasconia Hispaniaque regione salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectissimi fratres et filii, prudentiæ vestræ manifestissime notum est quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit ab ipsis suæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes quæ Christianæ religionis titulo prænotantur suos legatos mitteret, quatenus ea quæ gubernator et rector ejusdem Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret, easque apostolica doctrina in omnibus quæ sacræ religioni conveniant diligenter instrueret. Proinde horum præsentium portitorem venerabilem confratrem nostrum Amatum episcopum ad partes vestras dirigimus, ut, quæ ibi vitia eradicanda sunt a fundamento evulsis, plantaria virtutum, Deo auctore, solerti vigilantia plantare procuret. Quem sicut nostram, imo beati Petri, præsentiam vos suscipere apostolica auctoritate jubemus; ac pro reverentia apostolicæ sedis, cujus nuntius est, vos in omnibus sibi obedire atque eum audire mandamus ut propriam faciem nostram seu nostræ vivæ vocis oracula. Scriptum est enim : *Qui vos audit, me audit* (*Luc.* x, 16). Agite itaque prudenter ac religiose; et sic vos obedientes Deo et sancto Petro in omnibus exhibete, quatenus, ipso apostolorum principe interveniente, utriusque vitæ gloriam et felicitatem consequi mereamini.

XXXV.

Gregorius VII monasterium S. Michælis Pisanum tuendum suscipit et ejus bona ac jura confirmat.]

(Anno 1077.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 361.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Leoni, abbati monasterii S. Michaelis archangeli Pisæ constituti, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurere, et poscentium animis alacri devotione impertire assensum : ex hoc enim potissimum præmium a conditore omnium Deo procul dubio promerebimur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Proinde postulante te, dilecte fili, quatenus monasterium cui, Deo auctore, præesse dignosceris, apostolicis privilegiis muniremus ob reverentiam beati Michaelis archangeli, in cujus honorem venerabilis locus ille constitutus est, precibus tuis benevola concessione annuendum esse destinavimus. Suscipientes igitur præfatum locum, et omnia sibi pertinentia, nec non

A et congregationem fratrum inibi Deo servientium in tutelam et defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ apostolicæ tuitionis privilegium ex tunc, qua per beatum Petrum, Deo disponente, suscepimus, auctoritate concedimus; confirmantes et corroborantes eidem venerabili monasterio quæcunque nunc sunt in terris cultis aut incultis, sive in quibuslibet rebus mobilibus vel immobilibus juste habet, aut in posterum, Deo opitulante, acquirere poterit, quatenus tum ad communem usum fratrum, tam in tua, quam in successorum tuorum providentia et congrua dispensatione, inconvulsa illibataque permaneant. Eadem præsentium auctoritate sancimus ut eos qui, pia devotione et amore cœlestis patriæ mundo abrenuntiantes, ibidem ad monasticam vitam
B regulariter se conferre voluerint, sine omni contradictione cujuslibet personæ, ab abbate, qui pro tempore fuerit, cæterisque confratribus recipi ac teneri liceat. Præterea statuimus, et, juxta quod beatus papa Agapito Urbis præscripsit, firma præceptione censemus ut nemo fideles Christianos in eodem monasterio sepelire cupientes contradicat, vel missam aliquo modo cantare prohibeat, aut eleemosynas, quas vivorum aut defunctorum aliquis ibidem destinavit aut pro amore Dei destinaverit, inde evellere vel aliquo modo subtrahere præsumat. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat,
C reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et, nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Florentiæ iv Id. August. per manus Cononis cardinalis presbyteri, anno ab Incarnatione Domini 1077, pontificatus vero D. Greg. VII papæ iv, ind. xv.

D

XXXVI.

Privilegium pro monasterio S. Salvatoris Septimiani.

(Anno 1078.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 83.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Azoni, abbati S. Salvatoris constructi in loco qui dicitur Septimo, suisque successoribus ibi regulariter promovendis in perpetuum.

Memores divinæ gratiæ circa nos, manifeste cognovimus quam benevola concessione rectis desideriis et justis petitionibus condescendere debeamus, et ita administrationem nobis creditæ dispensationis ad multorum utilitatem exhibendo dilatare, sicut desuper erogato lucro ab eo mercedem accipere cupimus cujus talentorum gratuita bonitate sua dona susci-

pimus. Quapropter, dilectissime fili, sicut tua et A fratrum tuorum devotio postulavit, suscipientes, sicut et prædecessores nostri, præfatum monasterium cui, Deo auctore, præesse dignosceris, in tutelam et defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per hujus nostri decreti paginam, ad corroborandum Deo auctore statum ejus, apostolicæ tuitionis privilegium tibi concedimus. Confirmamus omnia quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, cujuscunque modi possessiones aut bona sunt, tam in rebus mobilibus quam immobilibus, et postremo universa quæ nunc legaliter acquisita possidet, et in posterum, Deo opitulante, acquirere potuerit. Proinde apostolica auctoritate censemus atque statuimus ut nullus regum vel impera- B torum, ducum, marchionum, comitum, castaldionum, nullus antistitum, vel quacunque dignitate præditus, aut aliqua persona sæcularis vel ecclesiastica, magna vel parva, audeat præfatum monasterium a sui ordinis ac firmitatis stabilitate divellere, aut bona sibi pertinentia, pro sua rapacitate vel violentia aut iniquæ dominationis oppressione, invadere, vel diripere, vel inde auferre, sive suis usibus impia temeritate applicando, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedendo: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata ac sine infestatione aliqua volumus ac decernimus possideri, eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione guber- C nationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus ut, obeunte abbate, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur nisi quem fratres ejusdem cœnobii secundum timorem Dei elegerint, maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis qui huic regimini congruat inter eos inveniri non possit, aliunde sibi Patrem et magistrum expetant; qui non ab alio nisi a Romano pontifice secundum consuetudinem priorum abbatum consecretur, neque alterius nisi ejusdem Romani pontificis subdatur judicio. Consecrationes autem ecclesiarum, et ordinationes clericorum præfato cœnobio pertinentium, ab episcopo in cujus diœcesi est accipiant, ita tamen si D ipse episcopus canonice ordinatus, aut a Romana Ecclesia tunc excommunicatus non fuerit, et ordinationem gratis fecerit. Sin autem aliquid horum obstiterit, abbas, ad qualemcumque catholicum episcopum ei placuerit, causa consecrationis et ordinationis tam locorum quam personarum licenter pergat: liceatque episcopo canonice, quod rogatus ab eo fuerit, peragere. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, imperatorum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens contra eam temerario ausu venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani IV Idus Januarii per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno quinto pontificatus D. Gregorii septimi papæ, ab incarnatione vero Domini 1078, indictione prima.

XXXVII.

Gregorii papæ VII privilegium pro monasterio S. Crucis Kimperlegiensis.

(Anno 1078.)

[*Callia Christiana*, vet. edit, tom. IV, p. 553.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio BENEDICTO, abbati monasterii Sanctæ Crucis in Britannia siti, in villa quæ dicitur Avantot, suisque successoribus ibidem regulariter viventibus, et monachis in perpetuum.

Britannia, sicut nonnulli gentis nostræ testantur, non solum ab imperatoribus, verum etiam ab ipsis habitatoribus, tutelæ et defensioni sanctæ Romanæ Ecclesiæ commissa est. Verum antecessores nostri in hac causa, sicut in multis aliis, adeo negligentes fuerunt, ut amor, et promissio apostolicæ tutelæ, et pristina devotionis nostræ intentio, in injuriam et pene quasi in ablutionem (*sic*) utrinque devenerint. Nos itaque, Deo auctore, hæc quæ hactenus neglecta sunt ad memoriam satagimus reducere, et tanto sollicitius circa salutem et honorem patriæ vestræ procuramus studium impendere quanto, sicut jam diximus, beati Petri patrocinio gentem vestram pro devotione colla submisisse cognoscimus, et licet universaliter quod a nobis requiris, charissime fili, Britanniæ debeamus, specialius tamen ad liberationem et tutelam monasterii tui munimen auxiliumque prætendimus. Unde, secundum tenorem postulationis tuæ, monasterium cui tu, Deo auctore, præesse dignosceris, sub tutela et defensione apostolicæ sedis cum tota insula quæ vocatur Guedel, vel alio nomine Bella Insula; quæ, cum aliis possessionibus quæ juste sibi pertinere videntur, suscipientes, hujusmodi sibi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum, imperatorum, antistitum, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemcunque alium audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, et suis usibus applicare, vel

aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere; sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel et iterum, usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit atque prædicto monasterio non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani VIII Kal. April. per manus Petri S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et bibliothecarii, anno V pontif. domini Gregorii VII papæ, indict. prima.

XXXVIII.

Gregorii papæ VII privilegium pro monasterio S. Benigni Divionensis.

(Anno 1078.)

[PÉRARD, *Recueil de pièces pour servir à l'histoire de Bourgogne*, pag. 192.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili filio GERENTONI, abbati Divionensis monasterii, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu, ad hoc venerabilis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis intenta benignitate faveamus. Proinde, dilecte in Domino fili, Gerento abbas, petitionibus tuis grato occurrentes assensu, libertati ac quieti monasterii vestri, auctore Domino, duximus providendum. Si quidem ipsum cœnobium sub sedis apostolicæ protectione suscipimus, et obeunte te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quorumlibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, secundum timorem Dei et regulam sancti Benedicti, elegerint, maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, aliunde sibi Patrem et magistrum expetant, et Lingonensi episcopo consecrandum ordinandumque provideant, si tamen ipse episcopus gratiam apostolicæ sedis habuerit, et canonice ipsam ordinationem facere voluerit. Quod si aliquid horum obstiterit, liceat electo ejusdem monasterii, aut ad apostolicam sedem recurrere, aut a quocunque voluerit religioso episcopo consecrationem et clericorum ordinationes atque cætera quæ ad episcopum pertinent suscipere. Statuimus etiam ne ab episcopo vel ministris Lingonensis Ecclesiæ divina vestro monasterio interdicantur officia, sed continue celebrentur, nisi eisdem causis fratres cessare oporteat quæ sedis apostolicæ præsulis Benedicti determinatione distinctæ sunt. Illam quoque in monachis tuis quietem ac libertatem, quam idem præsul decreto suo firmavit, nos beati Petri et nostra auctoritate intemeratam perpetuo manere sancimus. Quicunque vero clericorum vel laicorum sese in monasterio vestro voluerint conferre, vobis liceat eos sine aliqua contradictione recipere, dummodo proprie excommunicati non fuerint vel nominatim interdicti.

Confirmamus etiam vobis ecclesias vestras, quascunque nunc possidetis, seu quas, largiente Deo, in posterum canonice possidebitis, statuentes ut nullus clericorum sine assensu vestro in eis audeat ministrare; sed quotiescunque in aliqua earum minister fuerit subrogandus, vos idoneum ad hoc eligentes, episcopo præsente, qui episcopus curam ei animarum injungat, et sic vobis de temporalibus, episcopo vero de spiritualibus debeat respondere. Si quis autem contra hanc formam in eisdem ecclesiis ministrare præsumpserit, nos eum ab officii sui exsecutione suspendimus; claustro etiam, in quo monasterium vestrum situm est, eam libertatem et immunitatem concedimus quam illustris rex Robertus noscitur contulisse, ut ab omni invasione et violentia ducis et hominum suorum sit in perpetuum liberum ac securum, ita ut nihil prorsus a torrente, qui castri sanctique causam dividit, aliquis vel auferre præsumat vel accipere. Ecclesiam quoque Beati Germani *de Laré*, ubi sanctimoniales consistunt, vobis perpetuo confirmamus possidendam, et ut ipsæ sanctimoniales nunquam a subjectione Ecclesiæ Divionensis se removeant, sub anathemate prohibemus, sed semper per vestram providentiam gubernentur. Decernimus itaque ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, et ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnino integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnibus profutura. Si qua autem ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam agnoscens, contra eam temere venire tentaverit, et admonita semel et secundo, non congrua satisfactione emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio exi-

stere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem, præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Gregorius sanctæ catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Data Laterani, per manum Joannis R. Ecclesiæ diaconi cardinalis, XIII Kal. Julii, anno ab Incarnatione Domini 1078, indictione I, pontificatus autem domni Gregorii PP. VII, VI.

XXXIX.

Gregorii VII epistola ad Gallos. — Vocat illos ad synodum pro discordiis inter regnum et sacerdotium componendis habendam.

(Anno 1078.)

[MANSI, *Concil.* tom. XX, col. 381.]

GREGORIUS, servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, abbatibus in Gallia constitutis, qui in gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanere videntur, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantas tribulationum angustias et persecutionum procellas ac pondera periculorum universalis mater sancta Romana Ecclesia perpessa sit temporibus istis, quod credi vix potest, ex majori parte latet scientiam vestram. Ad hæc quoque quid consilii, quidve suffragii per vos, filios suos, debitæ compassionis perceperit, vos ipsi agnoscitis. Quod itaque sine dolore vix possumus vel reminisci, ita charitas multorum circa eam refrigescit, ut hæc ipsa per Evangelium præsignata quodammodo specialiter videantur, ut dicitur : « Quando abundaverit iniquitas, refrigescet cor multorum (*Matth.* XXIX.) » Unde quid aliud dixerim, nisi quod vos, qui aut segniter neglexistis, ac pavide refugistis matri vestræ in tanta pressura solatiari, nomine filiorum indignos et charitatis visceribus alienos vos ostenditis? Quem vero pudorem, vel potius quantum dolorem, quisquis est sanæ mentis non sentiat, cum consideret persecutores Christianæ religionis tanta factionis conspiratione, sicut omnimodis aduisibus non solum res suas profundendo sed etiam se ipsos morti tradendo, ad explendam animi atrocitatem huc usque desudasse; neminem autem vel vix paucissimos, justitiæ fautores, aut corporum laborem subire, aut rerum dispendia pati, aut de bonis suis opem matri suæ Ecclesiæ ferre curavisse. Verum, utcunque fraternitas vestra sese habuerit, benedictus Deus et Domini nostri Jesu Christi Pater, qui, nos ab adversariorum manibus et persecutorum violentia protegens, hactenus in manu nostra justitiam secundum testimonium conscientiæ nostræ defendit; atque, potentiæ suæ vigore humanæ infirmitatis imbecillitatem nostram corroborans, ad iniquitatem converti nullis nos promissionum blanditiis, nullis vexantium terroribus sinit. Ipsi ergo

A gratias immensas referimus, qui, nos infractos huc usque in pressuræ tempestate conservans, ad quamdam spem tranquillitatis sicut liberis incessibus duxit; ut non nos contra principalem justitiæ intentionem egisse, aut propria conscientia aut religiosorum, qui noverunt, examinatio reprehendat. De cætero, fratres, ut causa jurgiorum et discordia quæ inter regnum et apostolicam sedem jam dudum agitatur, annuente Domino, congruum valeat finem sortiri, vos ad synodum quam in medio Novembri celebrare disponimus, præsentium litterarum vocatione, ex parte beati Petri apostolorum principis præcipientes invitamus. Hoc etiam fraternitatem vestram scire volumus quia, ut secure ad nos venire et in vestram patriam, Deo protegente, possitis B redire, fideles nostri a majoribus, qui sunt in curia Henrici dicti regis, juramento securitatem receperunt. Desideramus igitur una vobiscum tractare, divino fulti auxilio, qualiter possimus pacem confirmare, atque ad gremium matris Ecclesiæ sanctæ schismaticos, Deo auxiliante, revocare.

XL.

Gregorii VII papæ privilegium pro Casinensi cœnobio.

(Anno 1078.)

[GATTULA, *Hist. Casin.* 254.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri DESIDERIO, abbati Montis Cassini, suisque successoribus.

Ea quæ ante nos eorum definitionis finem perci- C piunt, necessarium et utile videtur ut ad memoriam futurorum non solum litteris intimare, verum etiam auctoritate sedis apostolicæ munire debeamus. Cum enim Capuæ essemus, clerici illius civitatis conquesti sunt, dicentes ecclesiam Sancti Angeli, quæ olim fuerat juris Capuanæ ecclesiæ, in jus monasterii Sancti Benedicti injusto concambio transisse. Quam nimirum querimoniam indiscussam non permittentes, per discretos et veraces viros diligenter inquisivimus utrum concambium quod pro eadem Ecclesia datum fuerat, sufficere videretur. Qui videlicet viri illud quod eis injunximus studiose perquirentes, probaverunt, quod pro concambio donatum fuerat, videlicet ecclesiam Sancti Joannis infra Capuanam civitatem sitam, plus possessionis D et ornamenti habuisse. Hoc etiam Erbeus tunc archiepiscopus ejusdem civitatis rem indubitanter cognovisse testatus est. Unde testimonio competenti promoto, litis omni dubietate sublata, censuimus tam archiepiscopum quam Capuanos clericos in perpetuum ab hac quæstione quiescere, et de jam dicto concambio nullam deinceps litem promovere. Unde, juxta fraternitatis tuæ postulationem, præsenti privilegio firmum hoc et in perpetuum stabile judicantes, decernimus ut in prædicto loco Sancti Angeli religio monachorum sub cura et regimine abbatis Montis Cassini omnipotenti Deo deserviat. Cui nimirum ecclesiæ hujus modi privilegium indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes

nullum imperatorum, regum, principum, antistitum, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante. collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis, quasi piis de causis, pro suæ avaritiæ excusatione concedere : sed cuncta, quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit a quoquam, ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet in perpetuum reservanda decernimus. Si quis vero imperatorum, regum, principum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel et iterum usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit, atque prædictæ Ecclesiæ non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus sit, atque in extremo examine districtiori ultioni subjaceat. Cunctis autem in eidem loco juste observantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. *Miserationes tuæ, Domine, super omnia opera tua* (*Psal.* CXLIV).

Datum Romæ septimo Idus Decembris per manus Petri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri, cardinalis et bibliothecarii; anno vero VI pontificatus Domini Gregorii septimi papæ, indictione II.

XLI.

Litteræ commendatitiæ Gregorii VII datæ Berengario post consilium Romanum.

(Anno 1079.)

[MANSI, *Concil.* XX, 621.]

GREGORIUS, servus servorum Dei, omnibus beato Petro fidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Notum vobis omnibus facimus nos anathema fecisse ex auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli omnibus qui injuriam aliquam facere præsumpserint Berengario, Romanæ Ecclesiæ filio, vel in persona, vel in omni possessione sua, vel qui eum vocarit hæreticum. Quem post multas quas apud nos, quantas voluimus, fecit moras, domum suam remittimus, et cum eo fidelem nostrum, Fulconem nomine.

XLII.

Gregorii VII epistola ad Germanos.

(Anno 1079.)

[MANSI, *Concil.* XX, 383.]

GREGORIUS, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis in Teutonico atque in Saxonico regno commanentibus, omnibusque principibus, cunctisque majoribus et minoribus, qui non sunt excommunicati et obedire voluerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quomodo ex lite et dissensione vestra maximum in sancta Ecclesia periculum fieri quotidie cognoscimus, visum est nobis, visum est et fratribus nostris in concilio congregatis, summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii tam religione quam scientia pollentes et latere apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur, qui religiosos episcopos, laicos etiam pacis et justitiæ amatores, in partibus vestris commorantes, ad hoc opus idoneos congregarent, qui, Domini gratia præeunte, die et loco ab illis statuto, tam ipsi quam quos ipsis adjungere adhuc debemus, aut pacem componant, aut, veritate præcognita, super illos qui sunt tanti dissidii causa, canonicam censuram exerceant. Verum quomodo nonnullos diabolico instinctu confectos, iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes fore non ignoramus, statuimus in hac synodo, sicut et in præterita, ut nulla persona alicujus potentiæ vel dignitatis, sive parva, sive magna, sive princeps, sive subjectus, aliqua præsumptione audeat legatis nostris obsistere et, cum ad vos pervenerint, de componenda pace contraire, nec postea contra interdictum illorum, alter in alterum audeat insurgere, sed usque ad diem ab illis statutum firmam pacem omnes sine ulla occasione et fraude observent. Quicunque autem hæc vestra statuta ulla præsumptione violare tentaverit, anathematis vinculo eum ligamus, et non solum in spiritu, verum etiam in corpore et in omni prosperitate hujus vitæ apostolica auctoritate innodamus et victoriam in armis auferimus, ut sic saltem confundantur et duplici contritione conterantur.

XLIII.

Gregorii VII epistola ad Rodulfum regem.

(Anno 1079.)

[Bruno, *De bello Saxonico*, ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, Script. V, 378.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULFO regi et omnibus secum Christianam religionem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quod regnum Teutonicorum, hactenus inter omnia mundi regna nobilissimum, jam video incendiis, cædibus et rapinis devastari, confundi et annullari, quam magnus exinde cordi meo dolor insideat, quam continuus in visceribus meis me gemitus afficiat, testis est ille solus, qui omnium hominum corda scrutatur et probat. Deferuntur enim mihi

jam sæpius legationes Henrici, cum per proprios nuntios, tum per cognatos et aliarum terrarum principes et affines, modo omnem obedientiam promittendo, modo per varia ingenia sollicitando, id a me summo conamine cupientes efficere quo me ad votum suum suis partibus valeant inclinare. Verum quia hinc inde et Romana gravitas et apostolica mansuetudo me per mediam justitiæ viam incedere cogunt, omnibus quibus possum modis hoc oportet intendere quomodo veram a falsa justitiam, perfectam a ficta obedientiam judicio sancti Spiritus valeam discernere, et rato ordine ad finem usque perducere. Hæc vero et alia, si, propitio Deo, ad vos sani perveniunt legati mei, melius quam hæ litteræ viva voce testificabuntur et docebunt.

XLIV.

Gregorii VII epistola ad Rodulphum regem et Saxones. — Nuntiat se curasse ut per legatos suos de rebus a se decretis in duabus synodis docerentur; tum ad patientiam hortatur et ut Magdeburgensis archiepiscopatus optime provideatur.

(Anno 1079.)

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, R. regi omnibusque secum in regno Saxonum commanentibus, tam episcopis quam ducibus, comitibus, nec non majoribus et minoribus peccatorum absolutionem et apostolicam benedictionem.

Cum Veritas ipsa dicat omnium qui propter justitiam persecutionem patiuntur regnum esse cœlorum (*Matth.* v), et Apostolus clamet neminem, nisi qui legitime certaverit, posse coronari (*II Tim.* II), nolite, filii mei, in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere; nolite per ullius fallentis personæ mendacia de nostro fideli adjutorio dubitare; sed magis magisque pro tuenda veritate ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis libertate, labori jam citius finiendo incumbite; et ex adverso ascendendo vos et corpora vestra quasi murum pro domo Dei opponere satagite. Quidquid jam in duobus synodi nostræ conventionibus de rege R. et de H. statutum sit, quidquid ibi de pace et concordia regni et cum juramentis sit diffinitum, per nostras litteras et per nostros legatos, nisi sorte capti sint, apertissime potestis cognoscere; et, si quid adhuc remanserit, per episcopos Metensem et Papiensem et abbatem Augustensem, qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos ipsi venerint, quasi in promptu habetis audire. Postremo hoc vos ignorare nolumus quod qua omni oportet instantia, cum orationis nostræ assiduitate, tum officii nostri gravitate, et prospiciendo consulere, et consulenda prospicere veræ necessitati non dubitamus. Audivimus de vestro archiepiscopatu Magdeburgensi, in disciplinam quorumdam ejusdem Ecclesiæ filiorum, pro acquirendo sæculari habitu et honore, obortam fuisse contentionem, quos modis omnibus ex præcepto Dei omnipotentis et sancti Petri, et nostro, ne sibi in locum damnationis culmen arripiant regiminis prohibete, et Deo dignum dispensatorem, prout jus postulat et ordo,

A cum nostra voluntate, et apostolica benedictione et communi omnium bonorum tam clericorum quam laicorum electione disponite. Vos tamen ipsi nostis quod, in constituendis episcopis, neglecta sanctorum Patrum instituta hunc qui modo funditur sanguinem genuerunt, et adhuc, nisi provideantur, pejores prioribus errores fovendo parturiunt.

XLV.

Gregorii epistola ad omnes fideles per Teutonicum et Italicum regnum.

(Anno 1079.)

[Mariani Scotti *Chronicon*, ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, Script. V, 561.]

GREGORIUS apa, servus servorum Dei, per totum
B Italicum regnum et Teutonicorum, debitam sancto Petro obedientiam exhibentibus apostolicam benedictionem.

Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi, qui jaceant in crimine fornicationis, interdicimus eis, ex parte omnipotentis Dei et auctoritate sancti Petri, introitum ecclesiæ usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum auscultare præsumat; quia benedictio illius vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, testante Domino per prophetam: *Maledicam*, inquit, *benedictionibus vestris.*

XLVI.

Gregorii VII papæ epistola ad monachos Casinenses.

C (Anno 1079.)

[GATTULA, *Hist. abbatiæ Casin.*, II 149.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Sancti Benedicti monachis salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus, quod sine gravissimo dolore dicere non possumus, quosdam homines a Jordano principe suggestione diaboli missos, secretarium vestrum intrasse, et quædam commissa vobis inaudita temeritate detulisse. In quo facto nimiæ negligentiæ, et acriter ulciscendæ timiditatis vos et abbatem vestrum arguere possumus, et gravius adversum vos commoveri deberemus, nisi ea qua vos semper charitate dileximus, detineremur; si quidem tolerabilius nobis videretur villas et castella Sancti Be-
D nedicti in prædam et direptionem dari, quam ut sanctus locus, et per totam, ut credimus, Christianitatem famosus et venerabilis, tantæ ignominiæ periculo subjaceret. Quapropter hujus temeritatis noxam inultam esse non ferentes, præsertim cum locum vestrum violatum esse, et exemplo hujus facinoris deteriora posse vobis contingere perpendentes, admonemus ut divinum officium in ecclesia Beati Benedicti non faciatis, sed altaria omnia quæ intus sunt detegentes, quantum sit hujusmodi violationis periculum quosque cognoscere faciatis. Si enim in ecclesia Sancti Petri humano sanguine respersa divinum officium non sine diligenti reconciliatione celebratur, multo magis istud quod in eccle-

sia Beati Benedicti pernicio (*sic*) suis commissum est, A competenti indiget expiatione. Vos itaque omnipotentem Dominum instanter deprecemini ut tristitiæ mentis nostræ dignetur super hac re nobis consolationem impendere, et ad reparandam in omnibus vestram dignitatem, modis quibus decet, nos instruere.

XLVII.

Gregorii VII papæ epistola ad monachos Casinenses.

(Anno 1079.)

[GATTULA, *Hist. abbatiæ Casin.*, II, 149.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili congregationi Casinensis cœnobii salutem B et apostolicam benedictionem.

Nuper, dilectissimi fratres, nos violentia sacrilegii huic reverentissimo loco illata compulsi, vestræ ecclesiæ officium ob tantum facinus irrogatum interdiximus. Verum quia ascensionis Domini solemnitas toto venerabilis orbi nunc imminet, nolentes jam propter alicujus scelus in tanto festo tam religiosum locum officio pietatis carere, decrevimus et vos et eumdem locum ab interdicto absolvere. Quapropter, apostolica mansuetudine ducti, reddimus et ecclesiæ ministerium et cultum religionis devotioni vestræ licentiam celebrandi.

Volumus etiam atque rogamus charitatem vestram ut, nostri memores, pro nobis preces fundatis C ad Dominum, pro statu quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Rectori rerum quotidie supplicetis, nec non tam pro inimicis quam etiam pro amicis, dilectionis affectu, omnipotentem Dominum deprecari sedulo memineritis et studeatis; nec non et pro illo qui tam sanctissimum locum, toto mundo famosum, violavit preces effundite, ut Deus det illi cor pœnitens, et sic eum ad se convertat, ut in hac vita et futura mereatur gratiam Dei obtinere. *Et immediate sequuntur hæc alia verba in codice* : Hoc autem accidit per..... Rosellano episcopo; nam idem episcopus non parvam pecuniam huic commendaverat loco. Jordanus autem princeps missis militibus præcepit ut eamdem sibi deferrent pecuniam. Fratres autem ad hæc Pecuniam, quæ S. Benedicto credita est, nos D alicui viventium minime damus, sed eam super corpus ejus ponimus; inde qui præsumpserit auferat. Milites autem tollentes thesaurum de altario ad principem deferunt. Quo accepto statim idem princeps, tanti auctor sceleris, lumen amisit, et usque ad mortem ita permansit.

XLVIII.

Gregorii VII epistola ad Petrum Albanensem et Odelricum Patavinum.

(Anno 1079.)

[Hugonis Flaviniac. *Chronicon*, ap. PERTZ, *Monum. Germ. Hist.* Script. VIII, 450.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus et coepiscopis, PETRO Albanensi et ODELRICO Pataviensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sunt multi, quibus tamen non credimus, qui de legatione vestra murmurare incipiunt, suspicantes vos aliter velle incedere quam a nobis præceptum est; et alterum vestrum nimis simpliciter, alterum vero non adeo simpliciter acturum esse causantur. Quapropter diligentissima circumspectione cavendum est vobis, ut utramque suspicionem possitis exstinguere. Quod ita facile cum Dei adjutorio proveniet, si præcepta nostra ante mentis oculos semper teneatis, et nihil aliud præsumatis efficere, nisi quod nos vobis noscimur, non modo nudis verbis, verum etiam litteris inculcando mandasse. Volumus autem ut de causa regum vel regni sive etiam de Trevirensi vel Coloniensi et Augustensi electis, vel de omnibus istis qui investituram per manum laicam acceperunt, nullum præsumatis exercere judicium, summumque vobis studium sit, si rex acquieverit vobis de statuendo colloquio et pace firmanda in regno, et de restituendis episcopis in sedibus suis, et hæc eadem cito ad nos aut per vos ipsos aut per certos legatos annuntiare, ut tot et tales personas possimus illuc ad constitutum tempus dirigere, qui ad tantum negotium determinandum valeant una vobiscum, Deo auxiliante, sufficere. Interim vero sic vos utrique parti communes, et ab omni suspicionis nævo, quantum in vobis est, cum divinæ gratiæ adjutorio exhibete immunes, ut justitiæ semper et nullo modo partibus faveatis, sicut habetis formam nostram; qui videlicet, postquam judicium tanti hujus negotii in manu beati Petri commissum est, nihil aliud vobis testibus intendimus, nisi ut per justitiæ semitam incedamus. Ad nullam partem sinceritatem apostolicæ discretionis inflexímus, nullis promissionibus aut terroribus cessimus, nec aliud unquam, Deo protegente, acturos nos esse confidimus. Præterea specialiter vobis de abbate Augiense injungimus, qui nuper ad apostolorum limina veniens, non solum captus est, sed etiam in loco ejus quidam est tyrannice subrogatus, ut ea bona sua, quibus exspoliatus est, expulso invasore illo, restitui faciatis. Qui tamen postquam de his quæ perdidit, fuerit pleniter investitus, si quid contra illum habet aliquis, paratus erit in nostro judicio respondere. Non enim debet ab alio aliquo judicari, qui in apostolica sede scitur a memet consecratus. Et certe gravis fuit præsumptio, manum in eum ponere, qui tanto erat privilegio munitus. Quod si invasor ille contra interdictum nostrum prædicto fratri sua restituere contempserit, confestim in eum velut in rebellem et invasorem ex auctoritate apostolica sententiam excommunicationis intendite. Quidquid autem agitis, vel quidquid vobis contigerit, litteris semper mandare et frequenter ad nos mittere procurate. Omnipotens et misericors Deus, a quo bona cuncta procedunt, meritis beatæ Dei genitricis Mariæ, dominæ nostræ, et beatorum apostolorum suorum Petri et Pauli, ab omni malo

vos defendere, et in omnem veritatem inducere dignetur, quatenus quidquid agitis secundum timorem Dei et utilitatem sanctæ Ecclesiæ feliciter peragatis. Inter omnia studiosissime Wormatiensis episcopi mementote, qui cum esset diu ab Ecclesia sua expulsus, et ob id Romam veniret, ut auxilium apostolicæ sedis acquireret, non solum nihil sibi profuit, sed modo etiam pejus incurrit. Interim vos salutamus, et rogamus ut sitis memores nostri, memoris vestri, apud Deum.

XLIX.

Gregorii VII epistola ad Hugonem episcopum Diensem.— Gratulatur de pace Ecclesiæ ejus restituta.

(Anno 1079.)

[Hugonis Flaviniac. *Chronicon*, ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, Scrip. VIII, 421.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri HUGONI, Diensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod divina clementia pacem Ecclesiæ tuæ restituit, sciat fraternitas tua nos haud aliter quam de nostra, aut sanctæ Romanæ Ecclesiæ tranquillitate et profectu gaudere. Et hoc in mente tua semper maneat fixum; quod omnipotens Deus, cui fideliter famulari toto cordis affectu adniteris, et temporalem tibi pacem competenter conciliabit, et sempiternam meritis tuis bonus remunerator retribuet. De discordia vero quam inter Lugdunensem archiepiscopum et abbatem Cluniacensem significasti, noverit dilectio tua nos non parum gravari, sed, quoniam inter religiosos jurgia sunt, multum profecto dolere. Quippe quorum concordia multis prodesse poterat et debuerat, non dubium est quin de eorum dissensione plurimis oriatur et futura sit gravis pernicies. Unde fraternitatem tuam vigilare oportet et curare necesse est religiosos tibi viros adhibere, et ita præfatos ex parte nostra super concordia convenire. Denique quicunque illorum justitiæ, secundum consilia vestra, non acquieverit, nulli sit ambiguum quod nos in eum graviter, omnis personæ acceptione postposita, commovebimur. Quia vero in partibus præordinatis concilium celebrare non potuistis utiliter, competens arbitramur ut aptum locum diligentia vestra inveniatis, ubi synodo congregata Remensis archiepiscopi causa diligenter examinetur. Et quidem, si idonei accusatores et testes inventi fuerint, quod objicitur ei canonice comprobantes, quam justitia dictaverit sententiam dare absque hæsitatione vos volumus. Alioquin si tales personæ fuerint quæ recipi rationabiliter nequeant, quoniam turpis de eo fama non solum Galliam, verum etiam fere totam replevit Italiam, sex episcopis, quorum vita non notetur infamia, assumptis sibi, si potest, excuset se, et sic purgatus cum pace in Ecclesia sua et propria dignitate remaneat. Præterea eum quem per sæcularem potestatem, id est regiam investituram, Cabilonensem Ecclesiam intrasse significastis, ab omni regimine et spe ipsius Ecclesiæ alienum esse apostolica A auctoritate decernimus. Quod si post hujus nostræ interdictionis sententiam ad hujus regiminis dignitatem aspiraverit, quid beati Petri gladius valeat sine dubio experietur, et in perpetuum nulla sibi ecclesiastici regiminis fiducia relinquetur. Ad comprimendum etiam multorum conatus illicitos, qui obstinatis animis non timent Deum postponere et superbiam suam propalare, diabolum imitantes, qui non contentus sibi concessis, dum illicite nititur ad altiora, et quod habebat juste amisit, volumus vos in omnibus conciliis vestris, vice nostra, omnes illos excommunicare quicunque apostolicæ sedis decreto super hac re synodaliter constituto obviare præsumpserint, et de manu alicujus laici investituram B Ecclesiarum susceperint, ut his saltem terroribus a spe ambitionis suæ reducti, non aliunde ut fures et latrones ad ovile Dominicum ascendant, sed ex habitatione religiosorum virorum invitati, ut boni et idonei pastores per ostium ingrediantur. Admonemus etiam ut viscera pietatis tuæ dolor et calamitas Lingonensis Ecclesiæ penetret, et una cum fratre nostro Lugdunensi archiepiscopo, modis quibus valetis, tantis ejus periculis consulatis, illud principaliter perficientes ut in decanum, qui fere omnia illius Ecclesiæ officia pessimis studiis arripuit, justam sententiam detis, et officia illa per religiosos et competentes viros pure deinceps administrentur.

L.

C *Gregorii VII papæ epistola ad Anselmum, monasterii Beccensis abbatem.— De celeberrima Anselmi fama.*

(Anno 1079.)

[MANSI, *Concil.* XX, 619.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ANSELMO, venerabili abbati Beccensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, quam dignas grates Deo referimus, et te in Christi dilectione ex corde amplectimur; credentes pro certo tuorum studiorum exemplis Ecclesiam Dei in melius promoveri, et tuis similiumque tui precibus etiam ab instantibus periculis, Christi subveniente misericordia, posse eripi. Nosti D frater: si justi apud Deum prævaluit oratio (*Jac.* v), quid justorum? prævaluit equidem, imo impetrabit, sine dubio, quod petierit (*III Reg.* XVII). Ipsius etiam Veritatis auctoritate cogimur hoc confiteri: *Pulsate*, inquit, *et aperietur vobis, petite et accipietis* (*Matth.* VII, 7). Pulsate simpliciter, petite simpliciter hæc etiam quæ sibi placeant. Simplex est ostium, simplex dator vult peti simplicia, et quæ sibi conveniant: hoc modo aperietur, hoc modo accipietis, hoc modo justorum exaudietur oratio. Unde volumus tuam tuorumque fraternitatem assidue Deum orare, ut Ecclesiam suam, et nos (qui ei licet indigni præsidemus) ab instantibus hæreticorum oppressionibus eripiat, et illos, errore dimisso, ad viam veritatis reducat. Querimoniam apud nos fecit quidem peregrinus de

quodam converso tuo : *Justus Dominus justitiam dilexit, æquitate vidit vultus ejus* (*Psal.* x, 8). Imitare Dominum tuum, imitare magistrum, a quo habes doctrinam vitæ. Præcipimus etiam et nos ut ei justitiam facias coram Huberto dilecto filio nostro, et (ut intelleximus) amico tuo.

LI.

(415) *Gregorii VII epistola ad Henricum episcopum Leodicensem.*

(Anno 1080.)

[MANSI, *Concil.* XX, 625.]

Pervenit ad nos te, fratrem et coepiscopum nostrum Henricum, Leodicensem episcopum, ad apostolorum limina venientem, ab Arnulpho comite rebus tuis exspoliatum, et ad nequitiæ augmentum gladiis jurare compulsum quod ablata nunquam repeteres, et hujus tanti sceleris a nobis sibi veniam impetrares. Cognita itaque contumelia tibi, imo beato Petro, illata, valde doluimus, asserentes fraternitatem tuam nullis juramenti vinculis posse teneri, quæ tam nefandissime coacta juraverit. Unde et apostolica te auctoritate absolvimus, ut non tuæ vel alicujus conscientiæ ab [ob] hoc videaris innexus. Insuper etiam eadem freti potestate, ne hoc in exemplum cæteris improbis audendi pejora sit futurum, fratri nostro Virdunensi episcopo et aliis illius patri [partis] beati Petri fidelibus summopere præcipimus ut eum ut tyrannum et Christianæ religionis conculcatorem impugnent, et armis tam carnalibus quam spiritualibus undique et ubique, quantum possunt, nisi digne satisfecerit, insequantur. Volumus itaque ut præfatus episcopus prius quoscunque potest episcopos et reliquos sacerdotes sibi adjungat, et illum Dei inimicum ad dignam satisfactionem convocet. Quod si digne pœnitere et ablata restituere noluerit, datis sibi 15 dierum induciis, introitu ecclesiæ privetur, et præfato modo injuria beati Petri vindicetur usque ad satisfactionem.

LII.

Gregorii VII epistola ad Aymericum vicecomitem et Narbonenses.

(Anno 1080.)

[MANSI, *Concil.* XX, 621.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero, vicecomiti AYMERICO nec non universo populo Narbonensi apostolicam benedictionem libenter vobis manderemus, si in apostolicæ sedis reatum incurrisse vos non cognosceremus. Verum ubi ab eadem vos resipuisse excommunicatione cognoverimus, et archiepiscopalem patri vestro Dalmatio obedientiam exhibere, benedictionem beati Petri mandabimus.

Sicut novit prudentia vestra, inimicus humani generis Ecclesiam vestram malis et Simoniacis pastoribus invasam quasi jus proprium longo tempore possedit. Sed condolentes necessitati et periculo vestro, bonum et legalem pastorem vobis præficiendum censuimus non aliunde, sed per ostium, id est per Christum intrantem (*Joan.* x, 2). Qui enim aliter, id est sine Christo, ingrediuntur, fures sunt et latrones, ad hoc constituti ut gregem Dominicum mactent et perdant (*Ibid.*, 10). Hic itaque apostolicæ sedis benedictione et auctoritate confirmatus per exemplum laudandæ conversationis suæ et documentum prædicationis, quidquid culpa et injuria malorum pontificum inter vos commissum est, Domino auxiliante, poterit corrigere, vosque bonus pastor summo Pastori devotissime commendare. Admonemus itaque prudentiam vestram, ut eum quem Romana Ecclesia vobis legaliter constituit, honeste et cum benevolentia recipiatis, et ei sicut spirituali Patri et archiepiscopo obedientiam et reverentiam impendatis, memores Domini sermonis fideles suos commendantis : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16). Neque enim vos ignorare volumus quod si quis vestrum, quod non speramus, obedientiam sibi contradixerit, iram Dei et vindictam B. Petri ad periculum suum provocabit et sententiam excommunicationis in Tolosana synodo a legatis nostris promulgatam apostolica auctoritate confirmabimus. Qui vero obediens fuerit, gratia et benedictione ejusdem apostolicæ sedis gaudebit.

LIII.

Gregorii VII epistola ad Rodulfum archiepiscopum Turonensem et Eusebium episcopum Andegavensem. — Mandat ut Berengarium sacerdotem a Fulconis comitis Andegavensis aliorumque injuriis defendant.

(Anno 1080.)

[Franciscus de ROYE, *Vita, Hæresis et Pœnitentia Berengarii*, 75.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, RODULPHO Turonorum archiepiscopo et EUSEBIO Andegavorum pontifici, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus, fratres, comitem Andegavensem, quorumdam instinctu, qui filio nostro charissimo Berengario inimicantur, in ejus odium exarsisse. Quapropter fraternitati vestræ mandamus quatenus ipsi comiti, nostra vice, præcipiatis ut non ulterius supradictum virum inquietare præsumat. Nec solum, sed et contra omnes inimicos et perturbatores rerum ipsius, vicem nostram ad ferenda illi auxilia suscipiatis, præcipiendo præcipimus ex auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli. Valete, et nulla ratione quæ præcipio contemnite.

LIV.

Gregorii VII privilegium pro monasterio S. Zenonis Pisano.

(Anno 1080.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, III, 364.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio LEONI abbati monasterii S. Zenonis in Pisana urbe, et ejus successoribus.

Supernæ miserationis respectu, ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis postulantium votis attenta benignitate faveamus, præcipueque ad

(415) Vide lib. VII, epist 13, 14, Registri.

venerabilem locorum quietem stabiliendam, nostræ auctoritatis munimen conferre debeamus. Proinde prælibatum monasterium cui tu præesse dignosceris, juxta petitionem tuam, sub apostolicæ sedis defensione recipimus, et præsentis privilegii decreto cuncta quæ hactenus jure possidere visum est, vel deinceps Domino largiente juste acquiret, concedimus atque firmamus; insuper etiam, consentiente Pisano episcopo, decimationes omnium terrarum quas ad dominicatum vestrum laborare feceritis annuimus : adjicientes ut fidelium oblationes accipere, et eos qui se devoverint in cœmeterio vestro sepeliri, nec non etiam quicunque sæculo renuntiantes ad vestram conversationem venire voluerint, licitum sit vobis sine alicujus contradictione admittere. Quæ omnia, sicut scripta sunt, ut memoratum cœnobium tuum per succedentium temporum curricula secure ac sine inquietudine firmiter et inconvulse obtineat, apostolica auctoritate corroborantes statuimus nullum regum, vel imperatorum, antistitum nullum quacunque auctoritate præditum, vel quempiam alium audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, conferentur, sub cujuslibet ausu occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quamvis piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel, et iterum usque tertio per convenientes testes, si non resipuerit, atque prædictæ Ecclesiæ non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. At nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani IV Non. Martii per manus Petri S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri, cardinalis ac bibliothecarii, anno IX pontificatus D. Greg. VII papæ, indict. IV, 1081.

LV.

Epistola Gregorii VII ad Landricum, Matisconensem episcopum, pro confirmandis per eum privilegiis Cluniacensis ecclesiæ.

(Anno 1081).

[*Bullarium Cluniacense*, 21.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri LANDRICO, Matisconensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Mirari valde compellimur quomodo fraternitas tua persuasione clericorum, sicut audivimus, in confirmatione privilegiorum Cluniensis ecclesiæ, episcopo Albanensi legationem nostram ferenti inobediens exstiterit, præsertim cum, etiamsi aliquid, quod non credimus, inconsultius tibi irrogare voluisset, quidquid esset, pro reverentia apostolicæ sedis ferre decuisset. Itaque, propter bonam vitam et pastoralem vigilantiam qua circa Ecclesiam tibi commissam desudas, hanc culpam supportantes, præcipimus tibi quatenus vocatis de melioribus monachis Cluniensis ecclesiæ, ad communem locum inter Matisconem et Cluniacum venias, ut in præsentia illorum prædictum privilegium confirmes, et sic in episcopali officio restitutus, adjuvante Domino, populum tuum valeas consolari. De cætero fraternitatem tuam paterno affectu, quo eam amplectimur, admonemus ne improbitati vel levitati clericorum tuorum ulterius credulus existas, sed meis, qui te, non tua, diligo, potius quam illorum consiliis acquiescas. Quod si feceris, scias profecto quod nos Ecclesiam tibi commissam præjudicium sustinere nullatenus patiemur. Interim autem sine omni inquietudine et discordia vos et abbas Cluniensis pacifice maneatis, donec coram vicario Diensi episcopo hujusmodi lis religiosarum personarum consilio terminetur; aut, si illud non potuerit fieri, nos, utraque parte vocata et causa diligenter discussa, auxiliante gratia Dei, finem congruum imponere valeamus. Clerici autem qui, spiritu superbiæ ducti, contra legatum nostrum Albanensem episcopum turbam fecerunt, et archiepiscopum Viennensem Cluniaco revertentem ablatis rebus suis contumeliose invaserunt, apud Cluniacum nudis pedibus ante altare sancti Petri satisfaciant, et sic emendatis moribus absolvantur. Absque data.

LVI.

Gregorii VII epistola ad canonicos S. Martini Turonensis.

(Anno 1081.)

[MABILL. *Annal. S. Bened.* V, 176.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, canonicis Sancti Martini Turonensis.

Quia legatis nostris et archiepiscopo vestro non obedire, sed insuper eum expulisse audivimus, et ab eis vos esse excommunicatos ob culpam vestram didicimus, idcirco salutem et apostolicam benedictionem mittere ausi non fuimus, cujus rei indignos vos existere profecto plus vobis ipsi dolemus. Nam si animarum vestrarum curam gereretis, omnino nec illud præsumere, nec post flagitium tandiu in impœnitudine manere consilium haberetis. Quapropter paterna vos allocutione monentes ex parte B. Petri præcipimus ut de tanto facinore digne satisfacientes, prædictum fratrem nostrum archiepiscopum ad Ecclesiam suam cum honore reducere procuretis; ac deinceps ei paternalem, sicut decet, obedientiam et reverentiam exhibentes, obedire nullatenus detrectetis. Præcipimus etiam vobis ut res tam ipsius archiepiscopi, quam canonicorum Sancti Mauricii in integrum restituatis; atque legatis nostris de cætero debitam obedientiam exhibentes, et

ab ipso comite excommunicato Fulcone et ab omnibus excommunicatis vos custodire vigilanter studeatis. Quod si nec his etiam mandatis salubriter obedire volueritis, sententiam anathematis in vos confirmantes, apostolicæ ultioni vos subjacere decernimus.

LVII.

(416) *Gregorii VII epistola ad Richardum, Ecclesiæ Romanæ cardinalem et abbatem Massiliensem. — Præcipit ut excommunicatos S. Saturnini monachos absolvat.*

(Anno 1082.)

[MANSI, *Concil.* XX, 656.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, R. venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali et abbati Massiliensi salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos quod monachos illos qui ecclesiam Sancti Saturnini non sine licentia proprii abbatis acceperant, ac deinde, compellente eos jussu majoris abbatis Cluniacensis, eamdem dimiserant, tua fraternitas illos, postea quo satisfacientes exierint, excommunicavit. Quod si ita est, non parum de prudentia tua miramur. Unde volumus atque præcipimus ut tam illos ab excommunicationis vinculo solvas quam et de cætero; ne tam leviter in religiosos viros hujusmodi sententiam feras, summopere cavere procures. Quid est enim aliud quam auctoritati derogare indiscrete vel temere in quasque honestas personas auctoritatis licentia uti? Quod ut de futuro vigilanter attendas solliciteque provideas, iterum iterumque monemus.

LVIII.

Gregorii VII epistola Ugoni Diensis Ecclesiæ episcopo, et Richardo Massiliensi, cardinalibus.

(Anno 1082?)

[D. BOUQUET, *Recueil*, tom. XIV, pag. 186.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, U. Diensi episcopo, et R. cardinali et abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Aquensis archidiaconus A. (Arnaldus) queritur quod archiepiscopus W. (Willelmus) et A. (Amatus) legatus noster, nec non episcopus Vasatensis, insurgunt adversus ecclesiam suam, et ecclesias quasdam ejusdem episcopatus sui auferunt et violenter invadunt. Ausciensis quoque archiepiscopus et Amatus episcopus litteris suis nobis significavere ab Aquensibus easdem ecclesias proprietati Olorensis ecclesiæ ab antiquo tempore pertinuisse. Unde fraternitati vestræ injungimus ut, si potestis, ambo, sin autem unus in competenti loco eorum negotium audiat, atque, canonicis rationibus diligenter utrinque perscrutatis, Deo placentem et justitiæ congruum finem imponat.

LIX.

Gregorii VII epistola ad clerum, Aymericum vicecomitem et universum populum Narbonensem.

(Anno 1082.)

[CATEL, *Mémoires de l'Hist. du Languedoc*, pag. 782.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clero, A vicecomiti AYMERICO, necnon universo populo Narbonensi.

Apostolicam benedictionem libenter mandaremus si in apostolicæ sedis reatum incurrisse vos non cognosceremus; verum ubi ab eadem vos resipuisse excommunicatione cognoverimus et archiepiscopalem [Patri vestro Dalmatio obedientiam exhibere, benedictionem beati Petri mandabimus. Sicut novit prudentia vestra, inimicus humani generis Ecclesiam vestram malis et Simoniacis pastoribus invasam, quasi jus proprium longo tempore possedit; sed condolentes neccessitati ac periculo vestro, bonum et legalem pastorem vobis præficiendum censuimus, non aliunde sed per ostium, id est per B Christum, intrantem; qui enim aliter, id est, sine Christo ingrediuntur, fures sunt et latrones ad hoc constituti ut gregem Dominicum mactent et perdant. Hic itaque apostolicæ sedis benedictione et auctoritate confirmatus, per exemplum laudandæ conversationis suæ et documentum prædicationis, quidquid culpa et injuria malorum pontificum inter vos commissum est, Deo auxiliante, poterit corrigere, vosque bonus pastor summo Pastori devotissime commendare. Admonemus itaque prudentiam vestram ut eum quem legaliter Ecclesia Romana vobis constituit honesta etiam benevolentia recipiatis, ut ei sicut spirituali Patri et archiepiscopo obedientiam et reverentiam impendatis, memores Dominici sermonis fideles suos commendantis: *Qui vos audit,* C *me audit: et qui vos spernit, me spernit.* Neque enim vos ignorare voluimus quod si quis vestrum (quod non speramus) obedientiam sibi contradixerit, iram Dei et vindictam beati Petri ad periculum suum provocabit, et sententiam excommunicationis in Tolosana synodo a legatis nostris promulgatam, apostolica auctoritate confirmabimus; qui vero obediens fuerit, gratia et benedictione ejusdem apostolicæ sedis gaubedit.

LX.

Gregorius VII confirmat omnia privilegia Panormitanæ Ecclesiæ.

(Anno 1083.)

[COCQUELINES, *Bullar. Rom. pont. Collect.*, tom. II, pag. 58, ex Rocco Pyrrho, *Sicilia sacra*, tom. I, col. 70.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri ALCHERIO, Panormitano archi- D episcopo, salutem.

Summæ sedis apostolicæ, cujus, licet indigni, curam gerimus, contemplatione monemur ut omnibus sacris Ecclesiis, quæ defendi seu roborari nostræ auctoritatis privilegiis expetunt, nos, in quantum favet justitia, libenter annuamus; et earum rectoribus honorum suorum insignia, quæ antiquitus obtinuisse noscuntur, requirentibus, per nos, largiente Domino, facilius præbeatur assensus. Præcipue tamen oportere arbitramur ut rudibus Ecclesiis, scilicet noviter ad fidem vel venientibus vel redeuntibus, nostri favoris fiduciam, et apostolici muniminis, miserante Domino, perfidiæ tenebras

(416) Vide Greg. VII, lib. IX, cap. 29. Vide etiam Castellum in Memoriis Hist. Occis. pag. 871, 874, et in Historiæ comitum Tolosanor., pag. 126.

ac erroris laqueos evaserunt, eodem juvante in Christianæ fidei vigore ac religionis amplitudine per nostræ benignitatis studium, ac tuitionis adjutorium magis ac magis excrescere valeant (417). Quamobrem, charissime frater Alcheri, Panormitanam Ecclesiam cui tu, Domino auctore, præesse dignosceris, quæ quondam nobilis et famosa, postmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum potestatem perfidiamque redacta, nunc revera ad Christianam fidem labore vel instantia filii nostri gloriosi ducis Roberti, Domino innuente, conversa est, te postulante privilegio apostolicæ liberalitatis fulciri, nos tam justæ petitionis intuitu quam etiam præfati ducis amore, quem id scimus optare, cupere, gratanter concedimus, tribuimus atque largimur. Apostolica igitur auctoritate confirmamus eidem Ecclesiæ et per eam tibi, quidquid dignitatis antiquitus tenuisse probatur, id est omnes ejus suffraganeos episcopatus, vel si qui, destructis illis, in eorum loco statuti sunt, vel, opitulante Domino, statuentur, ut in præfatæ tuæ ecclesiæ pristinam redeant potestatem; insuper quidquid possessionis per regalem largitionem et justam concessionem antiquitus habuisse, ac quidquid (quod justitiæ non contradicit) antiquis superaddidisse dignoscitur.

Proinde præsentis auctoritatis nostræ decreto, tam præsentium quam et futurorum omnium hominum temeritatem coercentes, interdicendo statuimus nullum regum, vel imperatorum, anstistitum nullum quacunque dignitate præditum, vel quemcunque alium, audere de iis quæ eidem Ecclesiæ a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum conferentur, auferre, vel diminuere. Præterea fraternitati tuæ pallii usum secundum antiquum Ecclesiæ tuæ morem concedimus, ut eo inter missarum solemnia his duntaxat festivitatibus utaris, videlicet, Nativitate Domini, festivitate S. Stephani, Epiphania, cœna Domini (in die Paschæ), Ascensione, Pentecoste, et quatuor festivitatibus S. Mariæ, nativitate S. Joannis Baptistæ, natalitiis apostolorum, S. Laurentii; in festivitate Omnium Sanctorum, quæ celebratur Kal. Novembris; et die tuæ ordinationis, et in festivitatibus SS. quorum reliquiis tua decoratur Ecclesia, atque in ordinatione episcoporum, seu cæterorum clericorum, et in consecratione ecclesiæ. Hortamur itaque fraternitatem tuam ut honor tantæ dignitatis, supplementum utique totius sacerdotalis ordinis, moribus tuis conveniat; et non solum exteriori, sed interiori homini tuo decorem præstet, et gratiam, siquidem ista sunt pallii, ista sunt hujusmodi indumenti signa, ut Dominum ex toto corde, et tota anima, et omni virtute diligas, et proximum tuum sicut teipsum. Nam licet ad usum pallii omnium virtutum ornamenta sint necessaria, inseparabiliter tamen charitas, quæ omnes superexcedit, ac pollentem dignitate comitari convenit. Ad imitanda igitur omnium bonorum instrumenta, vita et scientia tua subditis tuis sint forma et regula, ut si quid in eis ex humana fragilitate reprehensibile deprehenditur, intuitu sanctæ conversationis tuæ ad rectitudinem sinceritatis corrigatur; quibus sic studeas dispensationis jura moderari in corrigendis vitiis, ut zelo rectitudinis ferveas, et modum temperantiæ non excedas; et, ut paucis multa explicemus, quidquid in sanctorum Patrum dictis reperis, ad tuam, et eorum, qui tibi subduntur, utendum censeas ædificationem; quatenus, documentis tuis instructi, sedem boni Pastoris tecum valeant pertingere, et perpetuæ vitæ felicitatem percipere.

(417) Videtur aliquid deesse.

Datum Romæ, XVI Kal. Maii, per manum Benjamin, fungentis vicem Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyt. cardinal. et bibliothecarii, anno Dominicæ Incarnationis 1083, pont. vero domini Gregorii VII papæ anno X, indict. V.

LXI.

Gregorii VII privilegium pro ecclesia S. Quintini.

(Anno 1083.)

[Guiberti Opera, ed. D'ACHERY, p. 600.]

GREGORIUS dilecto in Christo filio IVONI, præposito ecclesiæ S. Quintini, sitæ in episcopatu Belvacensi, suisque successoribus regulariter promovendis.

Supernæ miserationis respectu, ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum, Domino donante, possumus, subvenire debeamus. Proinde, interventu et rogatu confratris nostri Guidonis Belvacensis episcopi, præfatæ ecclesiæ constructoris, postulationi tuæ annuentes, sub tutela et defensione sanctæ sedis apostolicæ, locum cui præesse dignosceris, ecclesiam videlicet S. Quintini martyris suscipimus. Cui privilegia ejusmodi præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus: statuentes nullum regum vel imperatorum, antistitum, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his quæ eidem venerabili loco a præfato episcopo vel a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum Deo miserante collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie, minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata, et sine inquietudine volumus possideri: eorum quidem usibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Nominatim, etc., deinde cunctis possessionibus enumeratis.

Datum Laterani VIII Kalendas Decemb. per manus Petri S. R. E. presbyteri, cardinalis ac biblioth., anno XI pont. dom. Gregor. VII papæ, anno videlicet Dom. Incarnat. 1083, indict. VI

LXII.

Bullæ Gregorii VII pro monasterio S. Mariæ Pinerolensis.

(Anno 1083.)

[GUICHENON, *Histoire généalogique de la maison de Savoie,* Preuves, tom. III, pag. 16.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ARNULPHO venerabili abbati monasterii Sanctæ Mariæ in Pinarolo constituti, suisque successoribus regulariter intrantibus in perpetuum.

Religiosis desideriis et petitionibus justis benignitatis studio ac benevolentiæ munere effectus tribuendus est, ut dum spirituali auctoritate susceptæ dispensationis effectum peragit, dum venerabilibus locis præsidium defensionis impendit affectus, inde augeatur divinæ retributionis meritum, quod in præstando beneficio non minor fuerit charitas quam potestas. Hæc enim et bonorum studiis tempore proficiendi auctoritatem tribuit, et opus proprium, fructum perfectionis, Deo acceptabile reddit. Quapropter æquitatem tuæ postulationis attendentes, præfato monasterio S. Mariæ cui præesse videris, charissime fili et prænominate abba, cum omnibus sibi pertinentibus, sub sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis tutela susceptum, interpellante charissima S. Petri filia comitissa Adelayda cum filiis suis, quæ eumdem venerabilem locum, pro redemptione animæ suæ suorumque parentum, ex propriis facultatibus fundavit atque constituit, præsenti privilegio apostolicæ auctoritatis munimus, et perpetuo roboratum fore sancimus; concedentes et confirmantes eidem monasterio, ac ejus catholicis abbatibus in perpetuum, tam in ecclesiis quam in villis, agris, vineis, cultis et incultis, et in omnibus quæ nunc legaliter possidet, vel in posterum, juste quomodolibet [possidebit], quatenus sub apostolica tuitione, in jure ac proprietate præfati monasterii, sub regimine abbatiali, ad communem usum fratrum ibi Deo famulantium, semper illibata permaneant. Statuimus ut nemo ibi mortuum sepelire prohibeat, secundum quod beatus papa Gregorius, Agapito Urbis Veteris episcopo promulgat, salva justa consuetudine sui episcopi, et sanctæ matris Ecclesiæ.

Item, in hac eadem nostra decretali pagina sancimus atque constituimus ut, defuncto abbate præfati cœnobii, abbates monasteriorum videlicet Fructuariensis, Bremensis, S. Salvatoris Taurinensis, S. Michaelis Clusini, et si alii religiosi in illis partibus fuerint, in unum conveniant, in quorum præsentia fratres aliquem de congregatione ejusdem monasterii, si quidem idoneum reperire valeant, communi consensu in abbatem sibi eligant. Quod si ex suis nequiverint fratres huic regimini congruum invenire, aliunde talem, cui sacri canones et monastica regula non contradicat, eligant; quatenus electio, si bona fuerit, a prædictis abbatibus probetur, sin vero illorum discreto judicio reprobetur, a fratribus in congruam personam transmittetur. Denique hoc ordine et hac cautela electus A abbas, susceptaque, secundum morem, regula et cura regiminis, a sæculari potestate, quæ pro tempore ibi fuerit, sine omni contradictione laudetur, nec aliter contradicendi licentia per potentiam alicujus domini protegetur, nisi forte a pluribus et religiosis viris alicujus electio improbetur. De consecratione vero abbatis et cohabitatione fratrum ita decernimus ut, si episcopus, in cujus diœcesi est, ordinatione et vita religiosus fuerit, ordinationem gratis faciat, alioquin Astensem episcopum, sub ejusdem religionis observatione, abbas pro sua suorumque monachorum ordinatione requirat; sin vero et hic talis religionis expers fuerit, Albingaunensem episcopum adeundi licentiam habeat. Quod si, peccatis facientibus, et ille contra religionem B constitutus apparuerit, prædictus abbas apostolicam sedem adeundi liberam licentiam habeat, quatenus a Romano pontifice suæ ordinationis et suorum fratrum honorem atque mandata suscipiat. Hæc omnia quæ infra terminos ejusdem parochiæ continentur: ecclesia de Adreio; ecclesia S. Saturnini, quæ est super Ligerim; ecclesia Sancti Petri de Monte Foleti, et quiquid Robertus de Monte-Contorio Vindocinensi cœnobio donavit, et ejus filius Bertrannus concessit; ecclesia Sancti Joannis, quæ est super Ligerim : neque etiam subditas prædicto loco ecclesias, ubicunque sint, excommunicare, vel interdicere cuiquam liceat, nisi apertis pro culpis, et quas Vindocinensis abbas et fratres canonice ab ipsis episcopis admoniti emendare contempserint. Si C quis vero contra illum beati Petri locum pro aliquibus rebus causari voluerit, non ei abbas vel fratres respondeant, antequam Romanum pontificem consuluerit, quia quidquid sine nostro vel successorum nostrorum judicio definitum fuerit, sive distractum, irritum erit. Præterea notum esse volumus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, et huic nostræ confirmationi adnectendum, quod Theodericus Carnotensis episcopus, in cujus diœcesi supradictum Vindocinense monasterium situm noscitur, Clementis papæ præsentiæ suam transmiserit epistolam, rogans eum quatenus monasterium ipsum per illum sic sua corroboretur auctoritate, ut nulli successorum suorum post eum res hujus loci auferre vel mi- D nuere, vel excommunicare, seu interdicere, vel potestatem aliquam in ipso loco exercere liceret, seu quolibet modo rectorem loci vel fratres molestare aut inquietare auderet, quod Clemens papa benigne annuit, et nos nostra auctoritate dignum annuere censuimus. Si quis autem violator hujus nostri præcepti exstiterit, nisi resipuerit, et Romanæ Ecclesiæ satisfecerit, sciat se apostolica auctoritate perpetuo anathemate perculsum, atque a corpore sanctæ Ecclesiæ divisum, diaboloque cum impiis traditum; qui vero conservator et obediens huic nostræ confirmationi et apostolicæ auctoritati fuerit, benedictione et gratia omnipotentis Dei perfruatur, et inter prospera humilis, et inter adversa maneat securus, et divina misericordia munitus valeat per

beatum Petrum cœlestia regna intrare, et cum Christo in æternum gaudere.

Scriptum per manus Octaviani, scriniarii et notarii sacri palatii in mense Aprili, indict. XIV.

LXIII.

Epistola Gregorii VII ad monachos Conchenses et Figiacenses. — Abbatiam Figiacensem ita unit cum Conchensi, ut unus deinceps esset utriusque monasterii Pater.

(Anno 1084, 7 Jan.)

[Dom BOUQUET, *Recueil*, XIV, 664.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus in Conchensi et Figiacensi monasterio habitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

In discussione negotii vestri (418) diu multumque laborantes, intelleximus Figiacensem locum subesse debere monasterio Conchensi, et cohærere sibi sicut capiti membrum, secundum dispositionem eorum qui eadem loca construxerunt. Verum quia uterque abbas auctoritate et præcepto apostolicæ sedis ordinationem suscepit, paci et concordiæ utrinque providentes, adjudicavimus ut ambo loca illa his rite ordinatis regantur abbatibus, eo videlicet pacto ut, si Stephanus abbas Conchensis prius obierit, Ayraldus Figiacensis sibi succedat, et tam ipse quam monachi Figiacenses caput suum Conchense monasterium deinceps recognoscant; et sicut uni abbati subdendi sunt, ita uni professionem monasterio, videlicet Conchensi faciant. Quod si Figiacensis prius decesserit, nihilominus adjudicavimus Figiacensem ecclesiam Conchensi monasterio in perpetuum uniri, atque, sopita omni lite et controversia, uni duntaxat abbati, scilicet Conchensi, per omnia subdi, sitque hoc perpetua stabilitate firmum et inconvulsum ut eo defuncto, videlicet qui nunc est Figiacensis, Conchensis abbas a communi congregatione eligatur, et utrique loco præsit secundum regulam S. Benedicti. Admonemus itaque et apostolica auctoritate interdicimus ut contra hujus definitionis tenorem nullus agat seu in aliquo contraire præsumat; et sicut salubriter et discrete provisum est, permanere permittat (418*). Si vero aliquis (quod non speramus) definitioni nostræ contraire tentaverit, si abbas, vel episcopus est, proprii ordinis periculo subjacebit; si vero monachus, laicusve fuerit, absque dubio excommunicabitur.

Datum Romæ, VII Idus Januarii, anno XI pontificatus domni papæ Gregorii VII, anno videlicet Dominicæ Incarnat. 1084, indictione VII.

LXIV.

Gregorii VII epistola ad omnes fideles. — Demonstrat se in malis ideo versari quod nolit Ecclesiam in servitutem redigi.

(Anno 1084.)

[MANSI, *Concil.* XX, 628.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei omnibus in Christo fidelibus apostolicam sedem revera diligentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit, fratres charissimi, pervenit, ut æstimamus, ad notitiam vestram, quia nostro tempore innovatum est, quod in Psalmista inquirendo dicitur : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 1). Principes enim gentium, et principes sacerdotum cum magna multitudine convenerunt in unum adversus Christum, omnipotentis Dei Filium, et adversus apostolum ejus Petrum, ut Christianam religionem exstinguerent, et hæreticam pravitatem propagarent. Sed, Deo miserante, illos qui confidunt in Domino, nullo terrore nullaque credulitate vel mundanæ gloriæ promissione ad suam potuerunt deflectere impietatem. Pro nulla quippe alia qualibet actione contra nos iniqua conspirantes, manus erexerunt, nisi quia periculum sanctæ Ecclesiæ noluimus silentio præterire, et his [restitimus] qui eamdem sponsam Dei non erubescunt in servitutem redigere. In omnibus enim terris licet etiam pauperculis mulieribus suæ patriæ lege suaque voluntate virum accipere legitime; sanctæ vero Ecclesiæ, quæ est sponsa Dei et mater nostra, non licet, secundum impiorum votum et detestabilem consuetudinem, divina lege propriaque voluntate suo sponso legaliter in terris adhærere. Non enim pati debemus ut filii sanctæ Ecclesiæ hæreticis, adulteris et invasoribus, quasi patribus subjiciantur atque ab eis velut adulterina infamia notentur. Hinc multa, diversa pericula, et inaudita crudelitatis scelera qualiter sint exorta, a nostris legatis luce clarius veraque relatione potestis addiscere, et, si revera doletis et contristamini de ruina Christianæ religionis et confusione, eique vultis manum præbere adjutorii, intrinsecus certo tacti dolore, ab eisdem instrui sa-

(418) Jurgii causam narrat anonymus qui Historiam Figiacencis monasterii scripsit, a Baluzio editam, t. II Miscellan., p. 298, in cujus fine ait: « Post Lautardum Willermus Fiaco successit, qui in expugnandis inimicis diu victoriosus exstitit. Hic de Simonia accusatus, quæ pestis jam per ultimum papam Leonem fuerat declarata, et per Gregorium VII ejus successorem valde insecuta, quamvis invitus abbatiam dimisit, et pastori legitimo introducendo locum vacuum reliquit. Monachi vero Figiacenses abbatem legitimum domnum Hugonem Cluniacensem eligentes, admonuerunt Conchenses ut, abjecto suo Simoniaco, more solito subderentur illorum abbati legitimo. At illi indignati, non solum non sunt emendati, sed multa facientes, plura mendacia invenientes, caput in caudam, caudamque in caput erigere conantes, in tantum sunt pejorati, ut more Judæ osculo tradi, et a proprio monasterio Figiacenses ejici fecerint, et Airardum Figiacensem abbatem, cui subditi auctoritate apostolica fuerant, contra totius Christianitatis ritum a se projecerint.

(418*) In concilio Narbonensi anno 1096 celebrato, hæc controversia denuo agitata, ita definita fuit ut uterque locus cardinalem, id est proprium abbatem haberet. Vide inf. Urbani II ea de re litteras.

tis potestis. Sunt enim beato Petro fidelissimi, A et inter primos domus ejus unusquique in suo ordine annumerati, qui nullo terrore nullaque temporalium rerum promissione potuerunt in aliquo ab ejus fidelitate et defensione avelli, et a gremio S. matris Ecclesiæ separari. Sed quia, sicut novit vestra fraternitas, licet indigno, et peccatori divinitus per prophetam dicitur : *Super montem excelsum* (*Isa.* LVII, 7), et reliqua ; et iterum : *Clama, ne cesses* (*Isa.* LVIII, 1), velim, nolim, omni postposita verecundia, timore quoque vel alicujus terreno amore, evangelizo, clamo, clamo et iterum clamo, et annuntio vobis quia Christiana religio et vera fides, quam Filius Dei de cœlo veniens per patres nostros nos docuit, in sæcularem versa pravam consuetudinem, heu! proh dolor! ad nihilum pene devenit, et immutato B antiquo colore cecidit non solum in diaboli, verum etiam in Judæorum, Saracenorum atque paganorum derisionem. Illi enim leges suas, licet hoc tempore ad nullam animarum salutem utiles, nullisque miraculis, sicut lex nostra æterni regis frequenti attestatione clarificatas et corroboratas, prout credunt, observant. Nos autem sæculi inebriati amore, et vana decepti ambitione, omni religione et honestate cupiditati atque superbiæ postpositis, exleges et quasi fatui videmur ; quia præsentis vitæ et futuræ salutem et honorem sicut patres nostri non habemus, nec etiam sicut oportet speramus. Et si sunt aliqui, licet rarissimi, qui Deum timeant, pro se utcunque, non pro communi fratrum salute decertant prompta voluntate. C Qui, vel quoti sunt, qui pro timore, vel amore omnipotentis Dei, *in quo vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28), tantum desudent, vel usque ad mortem laborent, quantum sæculares milites pro dominis suis, vel etiam pro amicis et subditis? Ecce multa millia hominum sæcularium pro dominis suis quotidie currunt in mortem ; pro cœlesti vero Deo et Redemptore nostro non solum in mortem non currunt, verum etiam quorumdam hominum inimicitias subire contemnunt. Et si sunt aliqui (imo, Deo miserante, sunt, licet perpaucissimi,) qui in faciem impiis usque ad mortem resistere pro amore Christianæ legis contendunt ; non solum a fratribus, ut dignum est, non adjuvantur, sed etiam imprudentes et minus discreti ut dementes habentur. Sed quia D hæc et his similia specialiter imminent nobis, ut vobis indicemus, quatenus, Deo largiente, et vitia possimus a cordibus fratrum avellere, et virtutes in eis plantare : rogamus et obsecramus in Domino Jesu, qui nos sua morte redemit, ut tribulationes et angustias quas patimur ab inimicis Christianæ religionis, cur et qualiter patiamur, diligenter investigando intelligatis. Ex quo enim dispositione divina mater Ecclesia in throno apostolico me valde indignum, et Deo teste invitum collocavit, summopere procuravi, ut sancta Ecclesia sponsa Dei Domina, et mater nostra, ad proprium rediens decus, libera, et casta, et catholica permaneret. Sed quia hosti antiquo hæc omnino displicent, armavit contra nos membra sua, ut omnia in contrarium verteret. Ideo in nos, imo in apostolicam sedem tanta fecit, quanta facere a tempore Constantini Magni imperatoris nequivit. Nec valde mirum ; quia quanto plus tempus appropinquat, tanto amplius Christianam religionem exstinguere decertat. Nunc autem, fratres mei charissimi, diligenter quæ vobis dico, audite. Omnes qui in toto orbe Christiano censentur nomine, et Christianam fidem vere cognoscunt, sciunt et credunt beatum Petrum, apostolorum principem, esse omnium Christianorum Patrem, et primum post Christum pastorem, sanctamque Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram. Si ergo hoc creditis, et indubitanter tenetis, rogo vos et præcipio ego, qualiscunque frater et indignus magister vester, per omnipotentem Deum adjuvate et succurrite prædicto patri vestro et matri, si per eos absolutionem omnium peccatorum, et benedictionem atque gratiam in hoc sæculo et in futuro habere desideratis. Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procedunt, mentem vestram semper illuminet, eamque sua dilectione ac proximi fecundet, ut mereamini præfatum Patrem vestrum et Matrem certa devotione debitores vobis facere, et ad eorum societatem, sine verecundia pervenire. Amen.

LXV.

Gregorii VII privilegium pro ecclesia S. Sophiæ Beneventana.

(Anno 1084.)

[*Anecdota Ughelliana,* 491.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Domini, MADELMO dilecto nostro in Christo filio, et abbati venerabilii cœnobii almæ et coæternæ Dom. Patri Sophiæ, intra Beneventum in loco nuncupato Urbe vetere exstructi, suisque successoribus regulariter in eodem cœnobio promovendis in perpetuum.

Cum officium sit apostolicum, omnium Ecclesiarum Domini utilitatibus, in quantum possibilitas datur, salubriter providere, cultui tamen venerabilium locorum, atque Domino devote militantium, propensiorem curam piæ sollicitudinis indeficienti vigilantia debemus adhibere. Quocirca, excellentissime fili, quia sanctæ devotionis affectu petiisti a nobis ut præfatum monasterium tuum sub apostolicæ defensionis tutela admitteremus atque susciperemus, et in eadem ecclesia, quidquid moderno tempore juste habere videtur aut in futuro etiam poterit acquirere tempore, per nostri privilegii paginam confirmaremus, petitionibus tuis libenter admodum annuimus, quandoquidem justis postulationibus facilis debetur assensus et piis desideriis promptus pro posse affectus. Unde per hujus nostræ constitutionis decretum et apostolicæ liberalitatis edictum, secundum prædecessorum nostrorum privilegia, prænominato monasterio S. Sophiæ virginis, tibique prænominato, amande fili, tuisque successoribus regulariter justeque promovendis, concedimus et confirmamus atque in perpetuum

corroboramus omnia quæ prædicta ecclesia venerab. tui monasterii ad præsens habere, aut deinceps juste divinis humanisque legibus in perpetuum acquisierit, tam in ecclesiis, casis, terris, vineis, hortis, olivetis, pratis, campis, silvis, curtibus vel castellis, quamque in servis et ancillis, et in omnibus rebus et possessionibus suis mobilibus et immobilibus, seseque moventibus, et quæ liberalitate, seu collatione sive concessione religiosorum hominum legaliter et laudabili studio acquisivit, aut acquirere poterit, et prorsus quæ concessa sunt illi et corroborata piorum imperatorum aut principum præceptis. Quanquam vero istam in Pantano capellam, quæ vocatur Sancti Benedicti, et aliam S. Vitalis cum omnib. pertinentiis suis, et aliam S. Michaelis archangeli, quæ dicitur ad Olivolam una cum omnibus suis pertinentiis, et in Paletria capellam unam S. Mariæ, eccl. S. Bartholomæi apostoli et martyris, et curtem in collina, et curtem de Muriano, in Petra strumina casas, et silvas, et curtem de Lapillo, hæreditatem de Bato, in Curtiano capellam in honore S. Petri apostolorum principis, in Cereto capellam S. Martini episcopi cum omnibus pertinentiis suis, capellam S. Sylvestri confessoris de Corneto in comitatu Capuano, in loco Biniano capellam S. Mariæ Virginis Matrisque Domini Dei nostri, in Bibino ecclesiam S. Marciani, in Beletro flumine infra civitatem Ascolensem ecclesiam S. Desiderii, et foris omnem hæreditatem, in finibus Cannæ ecclesiam S. Juliani, in comitatu Tranensi curtem de Pazano cum omnibus olivetis suis, in comitatu Sipontino piscariam, in comitatu Lesinensi piscariam, Cajazo curtem in molino; Laniensem curtem unam, Sanctum Roseum de Sessa cum curtibus suis omnibus, in finibus Capuæ Sanctum Reinerum, et Sanctum Robertum cum territoriis suis, in campo Marini in finibus Tremonensibus Sanctum Adjutorem erga fluvium Vulturnum cum terris suis, in finibus Capuæ Sanctum Stephanum de Strada cum territoriis suis, sed etiam in Castello Magno ecclesiam Sancti Magni cum omnibus suis territoriis, et ecclesiam S. Angeli in Altissimo super fluvium Bivernum in finibus campi Morani cum ejusdem ecclesiæ hæreditate, quæ est in longitudine milliarium duo, nec non ecclesiam S. Joannis cum omnibus pertinentiis suis in casa Pollucis, ecclesiam S. Petri in finibus de Loreto una cum omnibus suis pertinentiis, castellum quod vocatur Becclo cum ecclesia S. Marciani, et Nicolai episcopi, et Sanctum Maurum, in Curfiano villam quæ nominatur Leo Cubante, in civitate Alife ecclesiam S. Mercurii cum aliis ecclesiis sibi pertinentibus, ripæ longe in civitate Arole ecclesiam S. Mercurii, et S. Petrum ad Mortitam cum omnibus pertinentibus suis, S. Stephanum de Lucore, et S. Stephanum de Fromari, et S. Angelum in Plesco, et S. Angelum de Atriano, et Sanctum Angelum in Palumbara, et S. Gregorium de Lescle, et S. Martinum de Ventecano, et S. Petrum, et S. Mariam

A de Aliperga, et S. Nicolaum de Pazano, S. Marcellum in Tommano, Sanctam Mariam in Calisi, S. Mariam de Regina cum omnibus eorum pertinentiis, in Eliceto S. Effrem cum territoriis suis, Sanctum Marcianum de Parituli, et Sanctam Mariam de Sableta, S. Mariam in casale Geldoni cum omnibus eorum pertinentiis.

Præterea auctoritate sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis concedimus atque confirmamus tibi ac tuis successoribus omnes in integrum oblationes virorum ac defunctorum quæ ipsi monasterio per testamentum, aut etiam sine testamento jure accesserint; et perpetuo maneat jam ipsum fatum monasterium sub tutela, ditione, seu jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberum et immune ab omni subje-B ctione alterius Ecclesiæ, et ab omni jure immolestatum. Statuimus etiam ut sint monachi tui ab omni sæcularis officii infestatione securi, et omni prægravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ regulæ observatione quieti, nulli alii nisi Romanæ et apostolicæ sedi, cujus juris est, aliqua teneantur occasione esse subjecti; qui de suis sibi qualem voluerint secundum B. Benedicti regulam, abbatem eligant; si vero ex eis idoneus defuerit, ab aliis utilem et religiosum cum consilio Romani pontificis accipiant, ab eodem benedicendum et consecrandum. Consecrationes etiam ecclesiarum, et ordinationes monachor. sive clericorum suprad. cœnobio pertinentium, ab episcopis, in quorum diœcesib. sunt, C accipiant, si tamen episcopi canonice ordinati fuerint, et ordinationem gratis fecerint; si autem horum aliquid obstiterit, abbas cum licentia et auctoritate Rom. pont. ad qualemcunque catholicum episc. placuerit, causa consecrationis et ordinat. tam locorum quam personarum licenter pergat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, in omnibus in perpetuum conservanda decrevimus. Si quis vero imperatorum, ducum, marchionum, comitum, principum ac judicum, aut quacunque dignitate prædita, cujuscunque ordinis vel etiam conditionis magna parvaque persona hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, aut tentari consenserit, vel fautor exstite-D rit, admonitus semel atque iterum et tertio per competentes inducias, nisi ea quæ ab illo sunt male ablata ecclesiæ humiliter satisfaciens restituerit, potestatis honorisque sui dignitate cadat, reumque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratiss. corpore ac sanguine Dei ac Dom. nostri Jesu Christi alienus fiat, usque dum resipiscat; cunctis autem quæ superius scripta sunt observantibus sit absolutio ac remissio omnium peccatorum suorum, sit gaudium et exsultatio, lætitia et pax in die adventus Domini nostri Jesu Christi, et sic in hoc sæculo fructum bonæ actionis suscipiant, quatenus apud districtum Judicem in futuro præmia æternæ pacis inveniant. Bene valeat.

Data Salerni III Id. Decembr. per manum Grego-

rii S. R. E. diaconi, anno Pontificatus Domini Gregorii VII papæ duodecimo, ab Incarnatione vero Domini nostri Jesu Christi 1084, indictione octava, feliciter, feliciter.

LXVI.

Gregorii VII epistola ad Altmannum, episcopum Passaviensem.

(Fragm. — Anno 1073-1085.)

[*Vita Altmanni, Acta SS. Aug.*, tom. II, 374.]

Quia te credo sincero corde amare pro Deo sanctæ Ecclesiæ honorem et libertatem, volo et præcipio ut summopere cum clericis tuis vel laicis qui ad hoc apti videntur procures, ut sponsa Christi non habeatur amplius pro ancilla.

LXVII.

Gregorii VII epistola ad Altmannum episcopum Passaviensem.

(Fragm. — Anno 1085.)

[*Vita Altmanni, Acta SS. Aug.*, tom. II, 374.]

. . . . Ut presbyteros in fornicationem lapsos, si vere pœnituerint in pristinum gradum restituat; si negligentes et inutiles, eos penitus abjiciat.

LXVIII.

Gregorii VII epistola ad episcopum Rotomagensem. — De iis qui ecclesias vel ecclesiastica beneficia vendunt.

(Fragm. — Anno 1073-85.)

[Gratiani *Decret.* causa I, qu. 3, c. 2.]

Si quis dator vel acceptor, Dei ecclesias vel ecclesiastica beneficia (quæ quidem præbendas vocant) sub pecuniæ interventu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, a Simonis non excluditur perditione. Sed si perseverans fuerit, perpetua multetur damnatione. Nam qui sub religionis obtentu Deo famulari voluerit, si quid accipit, et meritum perdit et beneficio accepto frustratur. Rationis ergo vigore cogitur quod injuste receperit restituere, et quidquid turpis lucri gratia receperat non tenere.

LXIX.

Gregorii VII epistola ad Wimundum episcopum Aversanum. — Quælibet sit consuetudo, veritati est postponenda.

(Fragm. — Anno 1073-85 [419].)

[Gratiani *Decret.* I, dist. 8, c. 5.]

Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est quod Dominus dicit: *Ego sum veritas et vita.* Non dixit, ego sum consuetudo, sed, veritas. Et certe (ut beati Cypriani utamur sententia) quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda; et usus, qui veritati est contrarius, abolendus.

LXX.

Gregorii VII epistola ad episcopos Hispanos. — De iis qui sacros ordines munerum acceptione dispensant.

(Fragm. — Anno 1073-85.)

[Gratiani *Decret.*, causa I, qu. 3, c. 1.]

Audivimus, dilectissimi, quod nos audisse oportuit, sed audisse profecto non libuit: quosdam scilicet esse sacrorum ordinum professores, qui sub munerum datione vel acceptione Dei ecclesias vel earum sibi beneficia usurpant. Quod quidem scelus vos non jam dudum acriter correxisse vehementer admiramur. Juste enim uterque corripiendus est et a sanctæ liminibus Ecclesiæ submovendus, et qui pro Ecclesiæ ambitu munera largitur, et qui ut Ecclesiam adeat quidquam præsumit accipere. Iste quippe domum Dei emere, hic autem præsumit vendere. A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id quod sponte et sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur. Quare, fratres charissimi, quæ taliter facta sunt curiose refellite, infecta prohibete, vestrisque jussionibus resistentes, digno anathematis vinculo percutere non dubitate.

LXXI.

Privilegium confirmationis bonorum immunitatumque monasterii Hirsaugiensis, quod sub apostolicæ sedis protectione recipitur, injuncto onere annui census.

(Anno 1073-85.)

[Coquelines, *Bullar. sum. pont. ampl. Collect.* II, 59.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Willelmo, abbati monasterii S. Aurelii in Hirsaugia in episcopatu Spirensi siti, ejusque successoribus in perpetuum.

Cum omnium Ecclesiæ filiorum saluti et securitati sancta sedes apostolica ex generali pastoralis regiminis providentia cavere et consulere debeat, tum vero alacrius et impensius [eam] piæ intentionis et religiosæ devotionis vota suscipere, ac salutifero effectui mancipari necesse est, ut gratanter bonorum studiorum petitionibus occurrat, et quæ ad laudem et gloriam divini nominis sunt instituta auctoritatis suæ soliditate firmiter tenenda stabiliat. Unde et nos dilecti filii nostri Adelberti de Calb laudabili desiderio congaudentes, precibus ejus sanctæ sedi apostolicæ humiliter directis acquiescere decrevimus, et religiose postulata efficaciter concessimus; qui, æternæ retributionis amore succensus, in prædio suo, quod dicitur Hirsaugia, monasterium a progenitoribus suis antiquitus constructum, nuper, amissa restituens, venuste reparavit, et in usus fratrum inibi Deo servientium, pluribus possessionibus et redditibus adjectis, largius ampliavit. Quam suæ libertatis [liberalitatis] institutionem ne in posterum ulla perversorum hominum audacia imminuere aut violare præsumat, apostolicæ auctoritatis privilegio muniri et sanctæ Romanæ Ecclesiæ tuitione roborari, data annui aurei Bizantii pensione, postulavit; illud profecto considerans quia, dum a sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus beatis apostolis Petro et Paulo honor, metus et obedientia exhibetur, quod eorum decreto et nomine solidatum et roboratum fuerit nullius eversionis illicita præsumptione quatiatur. Quam ob rem idem præfatum monasterium cum omnibus sibi hoc tempore juste pertinen-

(194) Rectene hoc fragmentum Gregorio VII ascribatur dubium est. Jaffé.

tibus, et legaliter collatis, et deinceps quarumcunque personarum authentica traditione conferendis, sub apostolicæ sedis tutela et protectione generaliter amplectimur, et sub alis beatorum apostolorum Petri et Pauli, tibi, fili Willelme, tuisque successoribus, eliminata ac prohibita omni infestantium inquietudine, libere et absolute possidenda, et regulariter atque utiliter ordinanda præsentis scripturæ testimonio confirmamus. Constitutionis quoque, immunitatis, libertatis modos, quos præfatus comes illustris Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit et regio sigillo imprimi curavit, ad posteritatis cautelam et arcendos infestantium impetus diligenter observandos statuimus, hos duntaxat, qui canonicis sanctionibus non obsistunt, ut nec de permissis quidlibet negligatur, nec de vetitis quidlibet irrogetur. Hæc igitur quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, in perpetuum servanda decrevimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicium et sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se de perpetrata iniquitate divino judicio agnoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituat, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ retributionis inveniant. Datum Romæ (420).

LXXII.

Privilegium Gregorii VII Gad Almodum abbatem Rothonensem. — Confirmat privilegia monasterii Rothonensis.

(Anno 1073-85.)

[Dom MARTENE, *Thesaurus Anedot.*, I, 204, ex ms. S. Michaelis in periculo maris.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio ALMODO, abbati monasterii S. Salvatoris, constructi in loco, qui dicitur Rothonensis, in Britannia constituti, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu, ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et, libramine æquitatis, omnibus in necessitate positis, quantum, Deo donante, possumus, subvenire debeamus. Præcipue tamen de venerabilium locorum stabilitate, pro debito honore summæ et apostolicæ sedis, cujus membra sunt, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, nobis pensandum et laborandum esse perpendimus. Proinde, juxta petitionem tuam, præfato monasterio, cui tu præesse dignosceris, et quod juris S. R. E. esse dignoscitur, unde per singulos annos census trium denariorum aureorum sibi redditur, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus: statuentes nullum regum vel imperatorum, aut antistitum, nullum quoque dignitate præditum, vel quemcunque alium, de his quæ eidem venerabili loco de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere; sed cuncta, quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus ut, obeunte abbate, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem fratres ejusdem cœnobii, cum communi consensu, secundum timorem Dei elegerint; maxime de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, cum consilio Romani pontificis, alium sibi Patrem et magistrum expetant. Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut ipsum monasterium, et abbates ejus, vel monachi, ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ oppressionis remoti in sanctæ religionis observatione seduli et quieti, nulli alii, nisi Romanæ et apostolicæ sedi, cujus juris est, aliqua teneantur occasione subjecti. Consecrationes etiam ecclesiarum et ordinationes monachorum sive clericorum sæpefato cœnobio pertinentium, ab episcopis in quorum diœcesi sunt, accipient; ita tamen si episcopi canonice ordinati fuerint, et ordinationes gratis fecerint. Sin autem aliquid horum obstiterit, abbas cum licentia et auctoritate Romani pontificis ad qualemcunque catholicum episcopum ei placuerit, causa consecrationis et ordinationis tam locorum quam personarum, licenter pergat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum reservanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi illa quæ sunt male ablata restituerit, vel digna pœni-

(420) Hucusque auctor Chronici. Diploma vero, in cujus calce antiquitate fortasse corrosos chronologi characteres ille non legit, nos datum putamus anno 1083, ut ex ejusdem monasterii historia potest conjici.

tentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore A et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ lucis inveniant. Amen.

LXXIII.

Bulla Gregorii VII pro monasterio S. Petri Juncellensis.

(Anno 1073-85.)

[*Gall. Christ.*, Instrum., tom. VI, pag. 12, ex archiv. Juncell.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio..... abbati monasterii S. Petri B Juncellensis constituti in loco qui dicitur *Lunate*, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis assueta benignitate faveamus, et, libramine æquitatis, omnibus in necessitate positis, quantum, Deo juvante, possumus, subvenire debeamus. Proinde juxta petitionem tuam præfatum monasterium Juncellis, cui tu præesse dignosceris, in tutela et defensione sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis suscipimus, et ab omni sæculari dominatione liberum semper esse decernimus, cui hujusmodi privilegio præsenti, auctoritatisque nostræ decreto indulge- C mus, concedimus et firmamus, statuentes nullum regum vel imperatorum, antistitem nullum, quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de iis quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie, minuere, vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa D sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus ut, obeunte te, non alius ibi cujuscunque obreptionis astutia sive per investituram, sive per sæcularem potestatem ordinetur, nisi quem religiosi fratres ejusdem cœnobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint de eadem congregatione, si idoneus inventus fuerit. Quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, cum consilio religiosorum virorum aliunde sibi Patrem et magistrum expetant, ordinandum vero ab episcopo in cujus diæcesi monasterium vestrum constitutum est, nisi forte ipsum ab apostolica sede interdictum esse claruerit; qui quandiu in eadem interdictione seu rebellione remanserit, nulla sibi a vobis obedientia exhibeatur. Quod si aliquis episcoporum, seu quælibet ecclesiastica vel sæcularis persona... monasterium vestrum, et abbates ejus vel monachi ab omni sæcularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundanæ opressionis remoti in religionis observatione seduli atque quieti permaneant. Hæc igitur omnia quæ in hujus præcepti decretive pagina nostri continentur in perpetuum servanda decernimus Si quis vero regum, imperatorum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam ignorans contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel, et iterum, usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit atque prædictæ Ecclesiæ vestræ non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sanctissimo corpore ac sanguine Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem loco vestro justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

LXXIV.

Privilegium Gregorii papæ de monasterio S. Benedicti.

(Anno 1073-85.)

[MABILL., *Annal. ord. S. Bened.* V, 640.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI, venerabili abbati Cluniacensis monasterii, suisque successoribus in perpetuum.

Suscepti nos officii cura compellit venerabilibus locis, et præcipue his quæ proprii juris sunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ, talem nostræ dispensationis adhibere diligentiam, ut in illis ea maxime apostolicis privilegiis et memorabili auctoritate firmentur quæ ad sacræ eruditionis studium, et ad religiosæ vitæ propositum et diuturnam spiritalis gratiæ ædificationem potissimum valere noscuntur. Quapropter de spiritali gubernatione et statu monasterii Sancti Benedicti, consistentis inter littora Padi et Larionis fluminum, hujusmodi instituta sancire et confirmare dignum duximus, ut nostra, quam semel impendimus, semper cum Dei adjutorio sollicitudo vigilet. Et sicut in illo auctorum, a quibus, constructum et Deo oblatum est, omni tempore devotio, fides vivit et pietas; ita ad commune ipsorum ac nostræ devotionis meritum nostra ibidem providentia, Deo disponente, vivat ac operetur auctoritas. Namque monasterium illud a Thedaldo, illustri viro, patre marchionis Bonifacii constitutum est, traditum vero et in proprium jus collatum beato Petro et ejus apostolicæ sedi, sicut et aliqua alia monasteria tempore nostri pontificatus, a Mathilde, filia ejusdem marchionis Bonifacii, quondam decreta et corroborata constitutione, sicut etiam in aliis, quæ ad communionem et confirmationem ejusdem loci fecimus, habetur privilegiis

ut inde per singulos annos beato Petro et ejus apostolicæ sedi, in præsentia Romani pontificis aut ejus archilegati, Romæ aut ubi ipse jusserit, octo diebus ante vel post Kal. Maii, id est Romanæ, uncia auri impensioni reddatur. Verum quia tu, dilectissime frater et abbas venerande, ad regendum illud idem monasterium de congregatione Cluniacensis monasterii, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, fratrem Widonem nobis donasti, virum religiosum et prudenter edoctum, qui ibidem sacræ religionis formam atque doctrinam secundum regulam sancti Benedicti et vestræ conversationis consuetudinem edoceret, et, Deo auxiliante, institueret; ne hujus ædificationis vestigia in posterum deleantur, aut tui, frater, spiritualis germinis fructus, per subrogationem alicujus extraneæ conversationis et infecundæ supplantationis, aliquo deinceps tempore deficiat vel occasione depereat; curam illius loci tibi tuisque successoribus in perpetuum in nostra vice committimus, ut in ejus gubernatione atque custodia nostræ sollicitudinis tu omnesque successores tui et potestatem habeant et studium procurationis mpendant. Decernimus etiam ut, obeunte ibi abbate, vestra semper provideat diligentia quatenus idonea et huic officio digna in loco regiminis secundum regulam S. Benedicti persona subrogetur, et quidquid in monasterio ad augmentum et observationem moinasticæ religionis institui vel emendari oportuerit, vestro semper magisterio et dispensatione administretur, salva quidem in omnibus auctoritate sedis apostolicæ, cujus juris locus ille esse dignoscitur, et cæteris quæ de consecratione abbatis et fratrum monasterii nec non et aliorum ad id pertinentium, seu de redditione census, postremo de omni statu ejus, in privilegiis pro sua stabilitate et speciali munitione sibi concessis, decreta ac statuta firmavimus.

LXXV.

Gregorius VII privilegia Ecclesiæ S. Audomari in Arthesia, Roberto Flandriæ comite postulante, confirmat.

(Anno 1073-85.)

MIRÆUS, *Opp. diplom.*, tom. IV, pag. 5, ex motivo juris capituli Audomari contra Bertinianos.]

GREGORIUS.... dilecto..... filio ROBERTO Flandrensium comiti.....

Ecclesiæ, quam beatus Audomarus, tertius Morinorum episcopus, fundavit in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, et quæ usque in hodiernum diem ejusdem episcopi venerabilis habetur corpore, hujusmodi privilegia,.. auctoritatis nostræ decreto.... concedimus atque firmamus. Renovamusque etiam illa quæ beatus Nicolaus a beato Gregorio quadragesimus secundus eidem ecclesiæ fecit privilegia, præsente Balduino quondam tuo progenitore, qui, ad apostolorum limina ad eumdem papam veniens, promeruit pacificari eorum auctoritate cum socero suo Carolo imperatore, cujus filiam sibi copulaverat eo ignorante. Statuentes nullum regum, antistitum, A nullum quacunque præditum dignitate vel quemquam alium, de his quæ eidem ecclesiæ a beato Audomaro, Adroaldo et cæteris donata sunt, minuer vel auferre, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum.... usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura.

Item, constituimus ut, obeunte præposito vel decano ejusdem ecclesiæ, non alius ibi substituatur quacunque obreptionis astutia, nisi quem consensus canonicorum canonice et secundum Dei timorem providerit ordinandum, vel elegerit constituendum, etc.

LXXVI.

B *Gregorii VII papæ bulla qua monasterio Cavensi Sanctæ Trinitatis donat et confirmat quædam monasteria.*

(Anno 1073-85.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.*, V, 479.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christi fidelibus, clericis ac laicis salutem et apostolicam benedictionem.

Notum esse volumus omnibus clericis ac laicis, Deum pia catholicaque fide colentibus, nos in apostolicæ defensionis tutelam Cavense monasterium suscepisse, quod apud Salernum in sanctæ ac individuæ Trinitatis honore constructum esse dignoscitur: cui monasterio nos quædam in Cilentio monte C posita monasteria, videlicet monasterium Sanctæ Mariæ de Gulia, monasterium Sancti Nicolai, Sancti Archangeli, Sancti Magni, Sancti Fabiani, Sancti Georgii, Sancti Matthæi ad duo flumina, et ecclesiam Sancti Angeli de monte Corase, Sancti Blasii de Butrano, Sancti Joannis de Turesino, Sancti Salvatoris de Nuce, sancti Zachariæ de Lauris, cum cellis eorum, jure perpetuo possidenda atque regenda, et secundum Deum ordinanda venerabili Petro, abbati ejusdem monasterii, charissimo filio nostro Gisulfo principe concedente, olim donavimus, et nunc eidem abbati ejusque successoribus ad regendum corrigendum et procurandum ipsa committimus et auctoritate apostolica confirmamus. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri apostolorum principis, cujus D vice sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidemus, et omnino prohibemus ut nullus archiepiscopus aut episcopus, nullus regum, ducum, principum, comitum, nullus clericorum, laicorum aut quælibet omnino magna vel parva persona, præfato sanctæ Trinitatis cœnobio in prædictis monasteriis vel ecclesiis, cunctisque ad ea pertinentibus, quocunque modo seu qualibet occasione aliquid minuere, vel dolos vel molestias aut aliquam violentiam inferre, aut Dei servos inquietare punienda temeritate præsumat, quatenus Romanæ soli Ecclesiæ idem monasterium cum præfatis ecclesiis pleno jure videatur esse subjectum. Tanto enim religiosi monachi, ibidem Deo servientes, sinceriori mente divinum opus exsequi

devotissime poterunt, quanto nos eorum quieti nostra, imo beati Petri apostolorum principis, auctoritate per omnia providere studemus. Si quis vero adversus prædictum monasterium justam se putat habere querelam, et apud cœnobii abbatem vel monachos litem suam decidere ac diffinire noluerit, volumus atque edicto perpetuo statuimus ut ante nos vel legatos nostros querimonia deferatur, quatenus æquitate judicii sine personarum acceptione sua unicuique justitia, Deo auctore, servetur. Si quis autem contra hanc nostri decreti auctoritatem ire tentaverit, sciat se beati Petri apostoli gratiam amissurum, et apostolicæ indignationis ultione feriendum. Obedientes vero, et hujus paginæ præcepta servantes, dignam a Deo retributionem accipiant, et apostolicam benedictionem consequantur.

LXXVII.

Gregorii VII epistola ad Laetum, abbatem S. Michaelis in Passiniano.

(Anno 1073-85.)

[Lami, *Deliciæ erudit.* tom. III-IV, pag. 198.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Laeto, abbati monasterii Sancti Michaelis archangeli in Passiniano, suisque successoribus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Supremæ miserationis respectu, ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, et, libramine æquitatis, omnibus in necessitate positis, quantum, Deo donante, possumus, subvenire debeamus. Præcipue tamen de venerabilium locorum stabilitate pro debito honore summæ et apostolicæ sedis, cujus membra sunt, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur nobis, pensandum et laborandum esse perpendimus. Proinde, juxta petitionem tuam, prædicto monasterio vel ecclesiæ tuæ, cui præesse dignosceris, hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto, consensu et rogatu fratris nostri Guillelmi Fesulani episcopi, indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum vel imperatorum, antistitum nullum, quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his quæ eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de principio jure jam donata sunt, vel in futurum, Deo miserante, collata fuerint, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel quasi piis de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Nominatim etiam concedimus eidem ecclesiæ vel monasterio decimas suarum possessionum in usum pauperum et advenientium; confirmantes, sicut supra diximus, quæcunque nunc juste habet, aut in postremum, Domino annuente, habere contigerit, in quibuslibet rebus mobilibus vel immobilibus, salva quidem canonica subjectione proprii episcopi. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, imperatorum, sacerdotum, clericorum, judicum ac sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel, et iterum, usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit atque prædictæ Ecclesiæ non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini, Redemptoris nostri Jesu Christi, alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

LXXVIII.

Gregorii VII papæ privilegium pro ecclesia S. Pauli Romæ.

(Anno Christi 1074, Martii 13.)

[Margarini *Bullarium Casinense*, tom. II, pag. 106, ex archivis sac. monasterii S. Pauli de Urbe caps. T, n. 1-2.]

Domino sancto, ac beatissimo, magnoque prædicatori, Magistro gentium in fide et veritate, Paulo apostolo, Gregorius indignus servus.

Quotiescunque tibi, S. Paule, apostole, Vas electionis, aliquid dare videmur, non nostra concedimus, sed tua potius reddimus vel confirmamus. Nam quid unquam sine te nostrum est? Quapropter ego Gregorius, episcopus servus ejus omniumque servorum Dei, a remedio animæ meæ cedo, trado et inviolabiliter largior omnes oblationes, quæcunque a fidelibus Christianis super altare tuum oblatæ fuerint, sub quo sacrosanctum corpus tuum creditur esse reconditum; nec non et oblationes confessionis et omnium altarium tuæ ecclesiæ, et substentationes fratrum ibidem servientium Deo in perpetuum, sicuti a sanctis antecessoribus nostris, tibi famulantibus, concessum esse dignoscitur; atque totum Galdum qui vocatur Lapigio in integrum, cum ecclesia S. Proculi, sive quibus aliis nuncupatur vocabulis, cultum, vel incultum, et cum omnibus ad suprascriptum Galdum generaliter et in integrum pertinentibus; et medietatem castelli Ardiæ, cum rocca sua, et Turre Majore, cum omnibus suis pertinentiis; et ecclesiam S. Mariæ in Cannella, cum suis pertinentiis; et massam Fulanam, cum omnibus suis pertinentiis; et medietatem laci Caprulaci; et castrum Velletrum, cum omnibus suis pertinentiis, sicut a sanctis pontificibus concessum est; et in Albano cellam S. Nicolai et cellam S. Mariæ quæ vo-

catur Minor, sitam in palatio, et cum omnibus ad supra dictas cellas pertinentibus; et in palatio ecclesiam S. Trinitatis, cum toto eodem palatio; et massam quæ vocatur Floriana, vel quibus aliis vocabulis nuncupetur, cum terris, silvis, campis, pratis, pascuis, vel cum omnibus ad suprascriptam massam Florianam generaliter et in integrum pertinentibus; iterum casale quod vocatur Castellione, cum casale juxta se, quod vocatur Filioli, cum terris, silvis, campis, pratis pascuis, vel cum omnibus ad ipsos pertinentibus; atque casale quod vocatur Ulmetum, cum vineis suis atque silvis simulque pratis: et casale quod vocatur Squezanellum, cum suis pertinentiis, casis, casalibus, vineis; atque cellam vinariam Antonionum, villam Pertusam, Bifurcum, et Priminianum, Cassianum, Silonem, Cornelium, Tesolatam atque Cornelianum, cum omni jure instrumentoque suo, et cum omnibus ad eam generaliter pertinentibus.

Adjicientes etiam huic cessioni hortos duos, positos inter Tiberim et porticum ipsius ecclesiæ, euntibus a porta civitatis parte dextra, quos dividit fluvius Almon, inter affines horti monasterii S. Stephani, quod est monasterium ancillarum Dei, positum ad S. Petrum apostolum; et fundum Pisciniani, cum vineis et hortis suis; simulque terrulæ quæ vocantur Fossæ Latronis, positæ item juxta eamdem porticum, euntibus similiter a porta parte sinistra, ubi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere possessioni Eugenitis quondam scholastici, et ab alia parte possessioni monasterii S. Eristi; item monasterium S. Cosmati situm in valle Tiberina, cum omnibus suis pertinentiis; et ecclesiam S. Pauli apostoli, sitam infra civitatem Tibertinam; simulque Antedoniam civitatem, cum pertinentiis suis et portu suo; montem qui vocatur Argentarium, cum lacu Catamare, ubi est ecclesia S. Angeli; et medietatem castri Orbitelli cum pertinentiis suis; et castrum quod vocatur Elsa, cum omnibus suis pertinentiis; pari modo lacum prope montem Argentarium, cum piscariis suis, ita ut medietas piscium qui ibi capiuntur reddatur suprascripto monasterio S. Pauli apostoli; insuper et Casamariam, cum terris et familiis suis, sicut in curte regis persolvere solita erat, omnia in integrum, sicuti ab imperatoribus et sanctissimis pontificibus concessa sunt et in perpetuum confirmata; etiam portionem de lacu qui vocatur Dulia, nec non et Cesinam, quæ ponitur in Piretu, atque vineas quæ ponuntur in Semproniano, insuper et terram juxta Piscariam, seu vineas quæ ponuntur in Cerbarola; et alias vineas quæ ponuntur in Querquetu; nec non et casale quod vocatur Visilianum, cum oratorio sanctorum Joannis et Pauli, cum casis et vineis, massaritiis et familiis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus; pariterque salinas in Urbe Vetere, et alias salinas positas in Abinea, paria duo; item casa, massaritia cum mancipiis suis, et cum omnibus ei in integrum pernitentibus; et alias salinas, paria duo, positas

A in territorio suprascripto; insuper ecclesiam Sancti Angeli in Semproniano, cum oratorio Sancti Joannis posito in portu Herculis, omnia juris proprietatis ejusdem monasterii; insuper trado tibi quatuor molas in Albano et unam in valle Aricia, cum forma sua, cum omnibus quæ tuo jure videntur ibidem haberi; itemque confirmamus tibi, Doctori gentium, monasterium Sancti Sergii, cum omnibus suis pertinentiis, situm in Subura; et monasterium Sanctæ Priscæ, cum omnibus suis pertinentiis; item et ecclesiam Sancti Focæ martyris, quæ juris Sancti Anastasii olim fuit; et ecclesiam Sancti Leonis papæ, positam juxta monasterium Sancti Andreæ ad clivum Scauri; nec non et ecclesiam Sancti Nicolai, sitam juxta formam Claudii; similiter et piscariam in flu-
B mine Tiberis in Marmorata; seu omnia quæ infra Romana urbe a viris religiosis seu a quibuscunque personis tibi concessa sunt.

Corroboramus insuper curtem Sanctæ Cæciliæ, quæ vocatur de Mega, cum omnibus suis pertinentiis, sitam foris portam S. Laurentii, his finibus terminatam, ab uno latere flumen Tiberis, ab alio latere rivus Megæ, et per eumdem rivum ascendit usque ad terram S. Luciæ de Renati, indeque usque ad publicam viam quæ vocatur S. Valentini, et subinde descendit usque in puteum publicum, et ex eo descendit per formellas, usque in supra scriptum flumen Tiberis; fundum vero Paterni, qui similiter situs est foris portam S. Laurentii, cum terris, plantanis, hortis, aquimolis, terris cultis vel
C incultis, et cum omnibus suis pertinentiis et omnibus terminibus sicut concessum est monasterio tuo a papa Paschasio prædecessore nostro, excepta terra parva quæ ibidem detinet S. Sabas; et totam massam Cæsanam, cum colonis et colonabus suis, sicut Benedictus Campaninus monasterio tuo dedit, quando effectus est monachus; et totam massam Lulianam cum castello; Julianellum cum colonis et colonabus. Itemque confirmamus tibi Casale de Solone cum castello suo quod vocatur Ponte de Nona; simulque Casale quod vocatur Casa Arsicia. Quin insuper concedimus tibi castellum quod vocatur Longezzæ, cum omnibus suis pertinentiis, silvis, campis, pratis, pascuis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, fontibus,
D rivis aquæ perennis, ædificiis, parietinis, cryptis, arenariis, et cum aquimolis suis; simulque medietatem Castelli Novi cum suis pertinentiis; curtem quoque et massam S. Juliani cum pantanis, et silvis, terris cultis et incultis, sicut antiquitus limitata fuit, cum medietate laci Borrani, videlicet a primo latere flumen Tiberis, a secundo latere rivus Osæ, per eumdem rivum, usque ad pontem sanctarum Dignæ et Meritæ; a tertio vero latere, ab eodem ponte per Silicem, usque ad Pilum fractum, et exinde per eamdem Silicem, in rivum Spineti; quarto vero latere terminatur per eumdem rivum Spineti usque in Silicinum rivum, et per eumdem rivum usque in flumen.

Præterea confirmamus tuo venerabili monasterio, et corroboramus castellum Passarani cum rocca sua et cum omnibus sibi pertinentibus. Simulque concedimus tibi roccam quæ vocatur de Guerro, cum omnibus suis pertinentiis, atque medietatem castelli quod vocatur Columna, cum omnibus suis pertinentiis intus vel foris, cum ecclesia tota Sancti Salvatoris, et alia ecclesia Sancta Dei genitricis Mariæ posita in Oliveto; atque ecclesia Sancti Laurentii quæ vocatur Marmorio, cum omnibus suis pertinentiis; nec non et castellum Sancti Victorini, cum omnibus quæ sibi pertinent; et in civitate Tiburtina monasterium Sancti Angeli, qui vocatur Placiule; roccam quoque Sancti Joannis, quæ vocatur Camporacii, cum omnibus suis pertinentiis; Poium vero de Numentana cum omnibus suis ecclesiis atque pertinentiis; castrum Rotundum cum ecclesia Sanctæ Reparatæ, atque silvam quæ vocatur de Sancta Reparata; in Albano fundum Tribuni. Quin et donamus tibi, egregio Doctori gentium, castrum Flaiani cum suis pertinentiis intus vel foris, atque castellum Vaccariciæ, cum omnibus suis pertinentiis; itemque castrum Morilupo cum omnibus suis pertinentiis; castrum vero Lepronianum cum omnibus suis pertinentiis; tertiam partem civitatis Scapranatæ cum omnibus suis pertinentiis; civitatem vero de Collinis cum omnibus suis pertinentiis; castrum quoque Formelli cum omnibus suis pertinentiis; fundum quoque Maceranum, positum juxta ecclesiam Sancti Cornelii; monasterium Sancti Benedicti de Nepe, positum in Pentoma; massam quæ vocatur Ulmetum, positam in territorio Nepesino; similiter massam quæ vocatur Meiana, positam juxta Nepesinam civitatem; atque lacum qui vocatur Jamela; itemque concedimus tibi, egregio Doctori gentium, ecclesiam Sancti Stephani cum castello et burgo suo, positam juxta civitatem Sutrinum, cum terris seu hortis, atque molendinis, vineis, campis, pratis, pascuis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis. Nec non et confirmamus tibi fundum qui vocatur Lubre, cum vineis et pratis, cum terris sementariciis, cum plantariis et paludibus suis.

Itemque confirmamus hæreditatem quæ olim fuit de Guido de Sergi, postea empta a monasterio tuo; quartam scilicet partem Castellionis, sex pedicis terræ sementariciis, cum vineis, seu plantariis, atque pratis, atque cum parte quarta rivi Octavi, atque ecclesiam Sancti Joannis, positam in fundo qui vocatur Maliano, cum ipso fundo, sicuti a sanctis pontificibus concessum est tibi; item in civitate Hostiensi, ecclesiam sanctæ genitricis Mariæ Dominæ nostræ, cum suis pertinentiis; et juxta mare, medietatem ecclesiæ Sancti Laurentii, sitam in territorio Ardeatino; atque ecclesiam Salvatoris, positam in Decimo; castellum quoque quod vocatur Sanctus Paulus in Jona; terram vero de Canneto, quæ est foris portam Sancti Pauli, juxta porticum, quam nunc detinent monachi Sancti Bonifacii; atque portam Urbis quæ vocatur Sancti Pauli cum reditu suo; et molas duas in fluvio Almonis subtus pontem, cum ecclesia Sancti Andreæ; totumque castellum Sancti Pauli quod vocatur Joannipolim, cum mola juxta se; itemque totum castellum quod vocatur Curcurlum, cum curte Sancti Primi; et castrum quod vocatur Polis; et castellum quod vocatur Fustinianum; et castellum quod vocatur Gallicani, sicuti Theodorus de Rufino olim tibi dedit; civitatem vero Patricam, cum omnibus appendiciis, et cum tota ecclesia Sancti Laurentii, sicuti beatus Marinus papa concessit monasterio tuo; et montem Porculi, atque monasterium Sancti Petri de Massa, situm in territorio Palestrino. Itemque concedimus tibi Sanctam Mariam, quæ cognominatur Domine-Quo-Vadis, et totam planitiem ante januas dictæ ecclesiæ, ubi fullones candificant pannos, cum tribus molendinis quæ ibidem sunt; et medietatem circi cum omnibus cryptis, ubi lutea vasa coquuntur; et balneum, quod nunc detinet Gregorius de Tusculana; ecclesiam quoque S. Salvatoris in capite pontis S. Mariæ, cum domo ejus; et, infra urbem et porticum S. Petri, quinquaginta mansiones; atque decem et octo filas salinarum in campo de Saline; et casale, quod vocatur Fulconis, totum ex integro, usque ad pontem Molli et usque ad S. Leucium; et totum Fascanorum, et totum Quintum; et totam Galleriam cum colonis et colonabus suis; atque medietatem civitatis Manturanæ et totius territorii ejus, cum colonis et colonabus suis, sicuti papa Agapitus dedit monasterio tuo, qui et alteram medietatem retinuit in dominio suo; et medietatem Pontis Veneni; et duas ecclesias in collina, juxta Vaccariciam, cum omnibus villis suis, id est S. Christinæ et S. Luciani; et quatuor massas in Nazzano usque ad portam ipsius castelli quod vocatur Nazzanum, et usque ad casam murmuratam, quorum nomina hæc sunt: Monumentum, Priscianum, Paramentum, Cascanum, Casaretuli, prope montem Soracti, cum colonis et colonabus suis, quæ dedit Farulfus comes tibi, qui sepultus est in monasterio tuo; itemque totum agrum Veranum, ubi ecclesia S. Laurentii martyris sita est, quem Constantinus imperator tibi Doctori gentium dedit, tali tenore ut per singulos annos redderes trecentos quinquaginta solidos; duo quoque castella quæ detinet Raynerius comes, filius Veillæ, id est mons Pado, et Campum lacum, Grossetum, quæ omnia tibi dedit beatæ memoriæ papa Marinus, cum Elsa Majore, quæ vocatur Crassa.

Tandem quia longum est ire per singula, summatim confirmamus et corroboramus tibi tuoque cœnobio in perpetuum quidquid confirmatum et corroboratum tibi constat per antecessorum nostrorum privilegia, seu quidquid justum et concessum tibi est et deinceps concedetur per quorumlibet hominum scripta. Ab omni etiam jugo seu ditione cujuscunque personæ præfatum monasterium hoc privilegio nostræ auctoritatis absolvimus. Decerni-

mus etiam ut cuncta loca urbana, vel rusticana, id est curtes, massas, casalia, vineas, terras diversaque prædia culta vel inculta, cum colonis et colonabus, servis et ancillis, quæ ab aliquibus fidelibus Christianis eidem monasterio concessa sunt, seu et quæ a beatæ memoriæ, octo videlicet prædecessoribus nostris pontificibus Gregorio quondam doctore mellifluo, atque Leone IV, atque Sylvestro et Marino, sive a Leone nono, et Agapito, atque Paschasio et Alexandro, præfato monasterio per præcepti paginas concessa et confirmata sunt, et etiam quæ per aliqua munimina vel præcepta antecessorum nostrorum ad eumdem pium locum pertinere videntur, cum magna securitate servitores tui loci possideant in perpetuum, ut nihil omnino de iis quæ a nostris prædecessoribus vel ab aliquibus Deum timentibus inibi concessum est, ullo modo, qualibet occasione, vel cupiditatis ingenio, alicujus discretionis titulo, scilicet de hæreditatibus ipsius loci omnino imminuatur, interdicentes per sanctæ Romanæ sedis, quam vos Deo auctore fundastis, auctoritatem. Statuimus insuper ut hoc præfatum monasterium nulli alteri ecclesiæ jurisdictionibus nisi Romano pontifici submittatur. Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in prænominato monasterio et in cunctis ecclesiis sibi pertinentibus, qualibet auctoritate, habere ditionem, præter nostram sedis apostolicæ, prohibemus, atque terribiliter sub divini judicii obtestatione, nostraque, videlicet tam Petri coapostoli tui quamque tua potestate, mihi, quamvis indigno, tradita, interdicimus. Et, nisi a rectore ipsius tui prædicti monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnitatem ibidem quis non præsumat celebrare omni modo. Et ubicunque et a quocunque episcopo servitores tui voluerint ordinari ad diversos ecclesiasticos ordines, vel altaria ædificare, sive chrisma suscipere, liberam habeant facultatem. Concedimus etiam tuæ sanctæ congregationi ut nullus episcopus audeat quemque monachorum vel clericorum, per diversa loca, ecclesias eidem sacratissimo tuo loco subjectas, excommunicare, vel ad synodum sine licentia sui prælati provocare.

Præterea concedimus eidem congregationi sacratissimi tui loci prædicti, omnibusque inibi spiritualiter secundum regulam, scilicet beati Benedicti, monachis tibi servientibus, potestatem eligendi sibi specialem rectorem, pari modo communique consilio, ad laudem Dei et salutem suarum animarum, ex eadem videlicet congregatione, si inter eos fuerit inventus qui prædictum monasterium secundum Deum regere possit. Quod si in eodem monasterio non fuerit inventus dicti regiminis quisquam specialis idoneus, quod, te cum omnibus sanctis juvante, nunquam eventurum speramus, tum successor noster, una cum specialibus clericis et laicis diversi ordinis, de quocunque loco potuerit, tibi sancte Paule, duci bonorum, fortissimoque prædicatori,

A summa cum diligentia dignum ministrum ad regendum tibi servientes eligere procuret. Præterea, secundum hoc privilegium nostræ auctoritatis, et propter ipsius cœnobii devotionem, quam specialiter retinemus in te maxime, Prædicator veritatis, et propter utilitatem illius monasterii, quam per omnia comprobavimus et quotidie comprobamus, remittimus et indulgemus tuo monasterio in perpetuum omne servitium vel xenium quod antecessoribus nostris et nobis solebat persolvi ad consuetudinem cæterorum monasteriorum Romanæ urbis; ita ut nec vinum, nec verrem, nec vaccam, imo nihil omnino vel intra aut extra Quadragesimam persolvere cogatur, aut facere aliquid in Lateranensi servitium palatio, nisi forte voluntarium. Sitque per hanc no-

B stram decretalem paginam cœnobium tuum ab omni conditione, gravamine vel reditu absolutum atque liberrimum, secundum quod ipse, libertatem tuam primis tunc apostolis coæquans, gloriam tuam evacuare cogentibus protestaris, dicens : *Non sum liber? non sum apostolus?* plus enim *omnibus laboravi*. Quod si quisquam temerarius, parvipendens Dei tremendum judicium, hoc nostræ auctoritatis ac dilectionis et devotionis erga te privilegium, vel antiquorum nostrorum prædecessorum decreta, minuerit, vel immutare ad damnum cœnobii tui præsumpserit, omnibus modis, quod contra egerit, evacuetur, atque anathematis ultione multatus partem cum Juda traditore Christi, nisi resipuerit, in

C fine extremi examinis habeat; et per auctoritatem, quam Deus beato scilicet Petro, coapostolo tuo, tibique et in cœlo et in terra ligandi atque solvendi tribuit, sit a consortio omnium fidelium perenniter exclusus; insuper et nostro palatio et tuo monasterio centum libras pretiosi auri componere cogatur, quatenus honor ab omni Ecclesia tibi debitus, divina juvante gratia, in omnibus exhibeatur, et laus Dei omni tempore in tuo sacratissimo monasterio laudabiliter celebretur.

Scriptum per manus Benjamini, notarii sacri palatii, in mense Martio, die XIII, indictione I (421).

LXXIX.

Privilegium pro ecclesia S. Audomari.

(Anno 1077-85.)

D [MIRÆUS, *Opp. diplom.* IV, 5.]

Licet hanc sanctam sedem..... Ecclesiam itaque beati Audomari antecessorum nostrorum privilegiis munitam et summe corroboratam, auctoritatis etiam nostræ præsentia et apostolicæ dignitatis censura corroboramus, et corroborando statuimus ut ejusdem Ecclesiæ fratres et canonici possessionum suarum liberam dominationem obtineant.... Statuimus præterea præsentibus episcopis Gaulfrido Parisiensi, Rabodone Noviomensi, Gerardo Cameracensi, Arnulpho quoque ejusdem Ecclesiæ præposito et Joanne, abbate sancti Bertini, ut nullus clericorum aut laicorum, magna seu parva persona, Ecclesiæ memoratæ canonicis molestiam aliquam in-

(421) Clausula corrupta est. JAFFE.

ferre audeat, aut in eorum monasteriis novam consuetudinem contra voluntatem eorum inducat.....

LXXX.

Gregorius VII Altmanno, episcopo Passaviensi, « epistolam mittit, in qua ei rigorem canonum pro tempore flecti permittit. »

(Anno 1073-85.)

[*Vita Altmanni, Acta SS. Bolland.*, Aug. II, 374.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto A in Christo fratri Altmanno, Pataviensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex quo a nobis dicessisti, frater charissime, aliquoties legatus ex tuo nomine ad nos venisse meminimus...

DUBIA.

LXXXI.

Gregorii VII privilegium pro monasterio Vindocinensi.

(Anno 1073-85.)

[Launoii Opp., tom. III, part. I, pag. 367.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Oderico religioso, abbati venerabilis monasterii Vindocinensis, cunctisque successoribus ejus ibidem regulariter promovendis in perpetuum.

Justis petitionibus et quieti servorum Dei prospicientibus competens et facilis debetur assensus. Quapropter monasterium sanctæ et individuæ Trinitatis, apud castrum Vindocinum situm, quod a suis fundatoribus, Gaufredo scilicet nobilissimo Andegavorum comite, et Agnete nobilissima comitissa, conjuge ejus, oblatum B. Petro Romanæ Ecclesiæ in alodium et patrimonium novimus, tam juxta votum fundatorum ipsius loci, quam etiam omnibus hujus loci abbatibus ecclesiam B. Priscæ cum dignitate cardinali, sancti Spiritus judicio decernentes, ut nulla deinceps ecclesiastica sæcularisve persona prædictam B. Priscæ ecclesiam seu ecclesiæ dignitatem eis auferre qualibet occasione præsumat. Statuimus etiam ut, defuncto abbate ipsius monasterii, successor ei eligatur de eadem congregatione, si tamen dignus sancto regimine inveniatur. Quod si dignus apud eos non fuerit inventus, quod absit! a Cluniaco, seu a Majori Monasterio, vel undecunque melius poterunt, procurent monachi sibi Patrem secundum Deum eligere, non tamen sine trium abbatum consilio, quos religiosiores de vicinis locis habere poterunt. Electus autem, ne statim Romam venire fatigetur, a quocunque voluerit catholico episcopo consecrationem suscipiat : electio vero vel ordinatio qualiter facta fuerit studeant monachi papæ litteris intimare, ut aut emendet, si opus fuerit emendandum, aut si fuerit secundum Deum et nostrum decretum facta electio sive consecratio, bono studio congratuletur et ab ipso confirmetur. Præcipimus etiam ut abbas ipse qui alodiarius Romanæ Ecclesiæ dignoscitur, ab episcopo vel a quolibet apostolicæ sedis vicario ad concilium non vocetur, nec coactus veniat, sed Romanam Ecclesiam per se aut per legatum suum studeat visitare. Censum vero ad memoriam et cognitionem sempiternam duodecim solidorum B de moneta ejusdem patriæ, sicut statutum est a fundatoribus loci, B. Petro reddi per unumquemque annum volumus. Quod si forte legatus Romanæ Ecclesiæ supradictum B. Petri locum visitare voluerit, ibi cum charitate suscipiatur, et quæ corpori erunt necessaria ei a fratribus diligenter, juxta loci possibilitatem, ministrentur : ipse vero in eodem loco nihil per se corrigere, neque occasione legationis rectorem loci vel fratres molestare præsumat; sed si quid viderit corrigendum, papæ litteris intimare licebit. Illud etiam confirmamus, ut locus Sancti Salvatoris, prope muros Andegavis constructus, sub monasterio Vindocinensi semper maneat, nec aliquando ibi ordinetur aliquis rector vel præpositus nisi voluntate abbatis Vindocinensis. Hoc etiam, di- C vina fulti fiducia, apostolica auctoritate prohibemus, ne in Vindocinensi cœnobio, seu in prædicta Sancti Salvatoris ecclesia, nulli unquam personæ nisi soli papæ liceat potestatem aliquam aut dominationem exercere, aut excommunicare seu interdicere, etiamsi Carnotensis vel Andegavensis patria excommunicata fuerit aut interdicta; excommunicatos tamen monachi non suscipiant. Nos autem ea quæ ab ipsis fundatoribus vel ab aliis personis usque ad hunc diem eidem loco oblata sunt, nostra auctoritate firmamus et corroboramus in perpetuum juri ejusdem loci sine diminutione vel qualibet detractione persistant. In quibus hæc propriis visa sunt exprimenda nominibus : Ecclesia sancti Georgii Oleronis in insula cum D magna parte ejusdem insulæ, ecclesia Beatæ Mariæ de Castro Oleronis, ecclesia sancti Nicolai de Olerone, ecclesia Beatæ Mariæ de Surgeriis, ecclesia Sancti Sepulcri de Balgentiaco, ecclesia parochialis Sancti Clementis de Credone; et omnes ecclesiæ quæ infra hujus decreti pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine successerint, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum, aut sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam agnoscens, contra eam tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata impietate agnoscat; et nisi male ablata restituerit, vel digna pœnitentia defleverit illius acta, a sacratissimo corpore et sanguine Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, at-

que in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud clementem Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani, per manus Petri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis.

LXXXII.

Confirmatio primatus Ecclesiæ Viennensis, et concessio privilegiorum, confirmatis iis quæ a prædecessoribus pontificibus eidem concessa sunt.

(Anno 1073-85.)

[Cocquelines, *Bullar. Rom. pont. Collect.*, tom. II, pag. 41.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Warmundo venerabili fratri, Viennensi archiepiscopo, et per eum ipsius successoribus, et Viennensi ecclesiæ, in perpetuum.

Cum ex apostolicæ sedis moderamine, cui Deo auctore præsidemus, omnium quæ usquam sunt Ecclesiarum curam gerere, et tamen illis nos convenit invigilare, ut et de ipsarum juribus quod modo forte diminutum est in reliquum inviolabiliter custodiatur, omnem nostram sollicitudinem iis exhibere quæ principales ac speciales filiæ sanctæ sedis apostolicæ et appellantur et existunt, et aliarum primatum continent Ecclesiarum. Certum quippe est Viennensem Ecclesiam hujus sedis concessione super septem provincias primatum tenere, ipsam Viennensem, Bituricam, Burdegalam, Auxionensem, quæ appellatur Novem-Populana, Narbonam, Aquensem et Ebrudunum, in quibus Viennensi archiepiscopo, juxta Nicolai decretum, Romani pontificis vices agere, conventus scilicet synodales indicere, et jura ecclesiastica juste ac regulariter apostolica auctoritate concessum est definire. Hoc utique in privilegiis eidem Ecclesiæ a sanctissimis prædecessoribus nostris collatis habetur; hoc quoque in privilegio beatæ memoriæ Leonis papæ continetur. Ex quo liquet privilegio, et aliis quampluribus et his authenticis, supradictas VII provincias ad Viennensis Ecclesiæ privilegium, utpote a beatissimis apostolis Petro et Paulo fundatæ, juste et rationabiliter pertinere. Et ad potestatem ejusdem ecclesiæ, secundum antiquam auctoritatem catalogi X et VIII, pertineant; definitum est ut VII oppida vel civitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, et Dia, Alba Vivarium, Tarentasia, Geneva, Maurienna, Viennensi Ecclesiæ interim subjectæ permaneant, donec quæ residuæ sunt, certius discussæ et plenius ventilatæ, sub potestate Viennensis Ecclesiæ redigantur. Porro Tarentasiam ita semper sub primatu Viennensis Ecclesiæ permanere decernimus, sicut a sanctis Patribus Leone et Nicolao noscitur confirmatum. Præterea de Salmariacensi archidiaconia unum nobis intimasti. Consecrationes vel ordinationes, et quidquid ad pontificale pertinet officium, sicut tuus prædecessor Leodegarius et alii prædecessores firmius obtinuerunt, ita tibi tuisque successoribus absque ulla inquietatione seu diminutione, obtinere concedimus; sed et abbatiam S. Petri foris portam Viennæ sitam, et infra eamdem urbem S. Andreæ abbatias, unam monachorum et alteram sanctimonialium; nec non abbatiam sancti Theuderii, quam idem venerabilis confessor ædificavit, juri Viennensis Ecclesiæ per omnia subjectas esse non dubium est. In Romanensi quoque Ecclesia, quamvis se fulciat nostræ libertatis, visis tamen imperatorum præceptis, tam in sæcularibus quam in regularibus canonicis, per consilium vicarii nostri Hugonis Diensis episcopi, inibi ordinatis tibi tuisque successoribus, in omnibus omnem potestatem habere apostolica auctoritate decernimus. Quoniam igitur, dilectissime frater, qui divina dispositione ejusdem Ecclesiæ regimini præes, tua veneranda religiositas ab apostolica sede humiliter postulavit ut antiqua privilegia a sanctis prædecessoribus nostris sacræ sedi Viennæ tradita confirmaremus; quoniam res digna petebatur, tui dilectione cum ejusdem Ecclesiæ debita charitate libenter annuimus. Privilegia igitur et prædia, vel bona quæ a beato Silvestro, Leone et Nicolao, et ab eorum successoribus, vel a Romanorum imperatoribus, seu Francorum vel Burgundiæ regibus, Ecclesiæ tuæ sunt data vel reddita, confirmamus et apostolica auctoritate præsenti privilegio corroboramus; ex parteque Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis præcipimus ut futuris temporibus deinceps firma et inconvulsa permaneant et incommutabiliter consistant. Si quis autem hujus privilegii nostri sanctionem violaverit, nisi resipuerit et digna satisfactione emendaverit, sit extorris a regno Dei, et digne excommunicatione damnatus ab Ecclesia Dei efficiatur extraneus, perpetuæque subjaceat maledictioni.

Data per manum Petri cancellarii, II Nonas Martii, anno Domini Incarnationis 1077, indictione XV, anno pontificatus domini Gregorii VII PP. IV.

LXXXIII.

Epistola Gregorii VII ad clerum et populum Viennensis Ecclesiæ. — De Warmundi electione in ipsorum archiepiscopum gratulatur, hortaturque ut eum adjuvent in recuperandis rebus Viennensi ecclesiæ ablatis.

(Anno 1073-1085.)

[D. Bouquet, *Recueil*, tom. XIV, p. 609.]

Gregorius (422) episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Viennensis Ecclesiæ, quibus pro meritis et devotione debetur, salutem et apostolicam benedictionem.

Non solum vobis, sed et omni pene mundo manifestissime notum est quod per multa jam tempora Simoniaca hæresis Ecclesiam Dei suis callidis machinationibus perturbavit, et adeo in eam invaluit violenter, ut quasi fera bellua (quod equidem

(422) In Historia Viennensis Ecclesiæ C. *Charvet*, p. 29, hæc epistola Gallico reddita nomen præfert Alexandri II, at perperam, ut mox ex sinceris monumentis dicemus.

est), per crudeles suos ministros suis jam morsibus dilaniando prope contriverit. Unde nos qui nutu divinæ dispositionis ac providentia divinæ clementiæ, licet non nostris meritis, in vertice tamen universalis Ecclesiæ speculatores existimus ad defendendam libertatem matris nostræ sanctæ Ecclesiæ, nec debemus nec possumus animum cohibere vel linguam. Scriptum est enim, *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII), hoc est, qui prohibet linguam suam a correptione carnalium. Nos quidem semina, loquendo veritatem, in terris cordium servorum Dei jactare studebimus; ipse autem, qui Veritas est, messem ad fructum maturitatis ut sibi placet enutriat. Vobis quidem, modernis temporibus, adeo maturum ac laudabilem fructum concessit, ut non solum nos, sed universa Ecclesia, pabulo tantæ..... (ubertatis) saginata congaudeat. Quis non lætetur canonice et per omnia, juxta normam ecclesiasticæ institutionis, in Ecclesia Dei virum religiosum atque prudentem ordinari episcopum? Habetis quidem ex dono divinæ propitiationis ordinatum Warmundum (423) bonum et justum episcopum. Studete ergo sic sibi in omnibus obedientiam exhibere et pro timore divini nominis et reverentia apostolicæ sedis, cujus auctoritate (424) hoc actum est, cuncta quæ juris sunt Ecclesiæ vestræ, sicut ipsa Ecclesia antiquitus tenuit, tenere, et quæ violenter sibi ablata sunt, eum recuperare juvare, nominatim autem abbatiam S. Bernardi, quatenus ipsum Deum possitis exinde habere propitium, et B. Petrum vobis debitorem faciatis, ut in præsenti et futura vita suum vobis auxilium impertiri dignetur.

EPISTOLÆ DIVERSORUM AD GREGORIUM VII.

I.

Lanfranci, archiepiscopi Cantuariensis, ad Hildebrandum, Romanæ Ecclesiæ archidiaconum. — De sua in illum benevolentia præfatus, docet Eboracensem controversiam fuisse compositam, missamque ad sedem apostolicam rei gestæ relationem, quod ab ipso legi cupiat.

[*Opp. Lanfranci*, p. 304.]

Domino sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiacono HILDEBRANDO LANFRANCUS suus sanctis principiis sanctum conjungere finem.

Explicare litteris mens mea non potest quanta dilectione vestræ sinceritati connectitur, quantaque dulcedine gratiarum vestrarum, quas mihi tam præsenti quam absenti benignitas vestra semper exhibuit, indesinenter reminiscitur. Propterea si, donante Deo, in quibuslibet rerum generibus aliquid boni facio, salutem vestram tam temporalem quam tempore carentem tradere oblivioni non valeo. Et hoc oro omnipotentem Deum, quatenus vitam vestram ad honorem et firmamentum sanctæ Ecclesiæ suæ prolixam in hoc sæculo faciat, incontaminatam ab omni peccati contagione custodiat, et in futuro centuplicatis operibus vestris vitam vobis permanentem copiosus remunerator retribuat.

Porro calumnia quam Eboracensis Ecclesiæ antistes adversum me movit de primatu et subjectione quorumdam episcoporum, secundum præceptum apostolicæ sedis audita et determinata est. Cujus negotii gestionem breviter ex ordine scriptam Domino nostro Papæ transmisi, quam volo et rogo a vobis competenti diligentia legi, quatenus charitas vestra certissimum teneat quid mihi Ecclesiæque meæ sedes apostolica confirmando concedere, et concedendo confirmare per privilegium debeat.

II.

Hildebrandi ad Lanfrancum. — Ideo pallium, quod ejus legati petebant, missum non fuisse, quod absentibus mitti non soleat. Proinde necessarium esse ut Romam veniat.

[*Ibid.*]

LANFRANCO venerabili Cantuariorum archiepiscopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ HILDEBRANDUS archidiaconus salutem in Domino.

Verba legatorum vestrorum graviter [*al.* gratanter] accepimus, sed quod voluntati vestræ in mittendo absenti personæ vestræ privilegio, ut illi petebant, rite non potuimus satisfacere, valde doluimus; neque id ægre ferat vestra prudentia, quoniam si alicui archiepiscoporum vestris temporibus absenti hoc concessum fuisse vidissemus, profecto religioni vestræ promptissima charitate honorem hunc absque vestra fatigatione impenderemus: unde necessarium nobis videtur vos apostolorum limina visitare, quatenus de hoc et cæteris una nobiscum efficacius quod oportuerit consulere valeamus atque statuere. De cætero si legatos nostros ad vos venire contigerit, solita charitate recipite, qui [*al.*, et quæ] vobis in aure dixerint, prout charissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, et religiosum decet sacerdotem, procurare studete.

(423) Warmundus seu Guarmundus, abbas Dolensis cœnobii, anno 1077 *ordinatus est in archiepiscopum Viennensem*, ex Chronico Dolensi, tomo nostro XII, p. 455; et in Chronico antistitum Viennensium, ibid. p. 346, legitur: « Warmundus circa annum 1071 canonice fuit electus in sedem Viennensem, explosis iis qui eam Simoniace administrare conabantur, et a Gregorio pontifice, qui eum fidelem et prudentem noverat, confirmatus, etc. »

(424) Exauctorato nimirum Herimanno, de quo in concilio Romano anni 1076, apud Labbeum tom. X Concil. col. 356: « Viennensem episcopum Herimannum, juste depositum, pro Simonia, perjuriis, sacrilegiis, et apostasia, quia Viennensem Ecclesiam infestare non desistit, excommunicamus. » Hinc quantum errant qui Herimannum Warmundumque unam eamdemque personam fingunt!

III.

Lanfranci ad Gregorium VII. — Purgat quod objectum fuerat a pontifice, minus se ab eo et Ecclesiam Romanam post adeptum episcopatum diligi, quam solebat; amorem contra pontificis remissiorem ait erga se videri. Se regi, quod per legatum suggesserat, suasisse, sed non persuasisse.

[*Opp. Lanfranci*, p. 304.]

Reverendo sanctæ universalis Ecclesiæ summo pastori GREGORIO peccator, et indignus antistes LANFRANCUS servitium cum debita subjectione.

Litteras excellentiæ vestræ per Hubertum sacri vestri palatii subdiaconum porrectas, qua decuit humilitate, suscepi : in quarum fere omni contextu paterna me dulcedine reprehendere studuistis, quod in episcopali honore positus sanctam Romanam Ecclesiam vosque ob ejus reverentiam minus diligam quam ante honoris ipsius susceptionem diligere quondam solebam, præsertim cum apostolicæ sedis auctoritate ad ipsius apicem honoris me pervenisse non dubitem, nec quemquam dubitare existimem.

Et quidem, venerande Pater, verbis tuis calumniam ingerere nec volo nec debeo; ego tamen, teste conscientia mea, in memetipso intelligere non possum quid vel corporalis absentia, vel locorum tanta intercapedo, aut ipsa qualiscunque honorum sublimitas, in hac parte vindicare sibi quidquam prævaleat, quin mens mea præceptis vestris in omnibus et per omnia, secundum canonum præcepta, subjaceat; et si, præstante Deo, præsens præsenti loqui quandoque valerem, me amando crevisse, vos vero (quod pace vestra dictum sit) a pristino amore nonnulla ex parte defecisse, non tam verbis quam rebus ipsis ostenderem. Verba legationis vestræ cum præfato legato vestro prout melius potui Domino meo regi suggessi; suasi, sed non persuasi. Cum [*al.*, cur] autem voluntati vestræ omnifariam non assenserit, ipsemet vobis tam verbis quam litteris innotescit.

IV.

Sigefridi Moguntini episcopi ad Hildebrandum, Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, epistola.

[MANSI, *Concil.* XX, 53.]

SIGEFRIDUS Moguntinus, id quod est. Dei gratia, HILDEBRANDO sanctæ apostolicæ sedis archidiacono, et archicancellario, salutem et fraternæ dilectionis integram veritatem.

Plurimum gratiæ vestræ referimus charitati, pro A eo quod omnibus et legationibus et rationibus nostris, quas ad sedem apostolicam dereximus, semper dexter stetistis, et in omne disceptatione et negotio semper partes nostras sapientiæ et bonæ voluntatis vestræ scuto defendistis. Proinde multiplices primum vobis grates referimus; deinde ut quandoque occasio subluceat qua vobis vicem dilectionis rependere possimus, vehementer exoptamus. Licet enim, inter multimoda Ecclesiæ, quæ quotidie portatis, negotia, nihil nisi Dei gratiam requiratis, neque de terrenis rebus quidquam, nisi ad ordinandum potius quam ad possidendum, attingere velitis; tamen, quia hilarem datorem, ut pro Deo multa possit dare, necesse est multa juste habere, mandamus vestræ dilectioni ut, si quid nostrum B est quod vestro sedeat beneplacito, si nobis scire detur, statim vestrum fiet ex nostro. Quis enim tantum virum possit non diligere? Quis ei quidquam audeat denegare?

Rogamus autem dulcedinem vestræ charitatis ut per vos legationi nostræ, quam nunc ad sacram sedem apostolicam dirigimus, aditus pateat, et de his quæ postulamus vestra ope effectum obtineas, scilicet ut ad synodum quam super rebellibus Thuringis pro decimationibus decrevimus celebrare, domnus apostolicus de latere suo dignetur mittere qui et synodo præsint, et auctoritate ejus determinent ea quacunque determinanda occurrerint. Quod si hoc fieri nequit, saltem scriptis beatitudinis ejus synodus nostra roboretur, et rebellium temeritas C tali auctore comprimatur. Adnitatur ergo dilectio vestra ut hoc obtinere valeat petitio nostra.

V.

Sigifredi Moguntini archiepiscopi ad Gregorium VII epistola (425).

[MANSI, *Concil.* XX, 390.]

Reverentissimo Patri, noviter sacerdotio primæ sedis apostolicæ infidato, S. Moguntinæ dispensator Ecclesiæ, sedulam benevolentiæ servitutem, et debitam obedientiæ subjectionem.

Semper quidem desiderio desiderabamus eum apostolicæ sedis præsulem esse, qui vita et moribus, verbis, exemplis ad salutem præesset et prodesset sanctæ Dei Ecclesiæ. Nunc vero quomodo melliflui D facti sunt cœli, solito dulcius distillantes rorem gratiæ Dei, divina miseratio votis nostris solito cumulatius satisfecit, et eum, quem maxime optabamus, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfecit, qui nobis

(425) Episcopatus Moraviæ Joanni episcopo commissi a Pragensi divisionem cum proventuum quorumdam episcopatus Pragensis assignatione concoquere non valens Jaromir, alio nomine Gebehardus, Pragensis episcopus, nihil non moliebatur ut æmulum episcopum vexaret. Quin nec a vulneribus fœdisque aliis manus abstinebat. Ut id rescivit Alexander papa II legatos suos eo misit, Bernardum et Gregorium, qui Pragensem episcopum ab officio suo suspensum palam edixerunt. Acta sunt hæc ante obitum Alexandri parum; cui succedens Gregorius causam totam resumens, prius quidem litteras dedit ad Wratislaum Bohemiæ ducem, Jaromiri quidem fratrem, sed æmulo illius faventem, conquerens de injuria legatis apostolicis a Jaromiro illata, tum addit se aggravaturum sententiam, nisi ad officium rediisset. Interea Jaromir ad Moguntinum metropolitanum suum confugit, narrans se inauditum, nec a metropolitano in synodo damnatum, injuria prohiberi ne episcopale munus exerceret. Has Pragensis simul et suas querelas Sigefridus Moguntinus archiepiscopus per litteras ad Gregorium pontificem detulit, quam ejus epistolam huc transfero, quod lucem affundat litteris Gregorii ad Wratislaum vulgatis Regist. lib. I, epist. 17.

semper dexter stetit in omnibus negotiis, nunquam nobis defuit in nostris. Unde totis præcordiorum medullis gratias agimus Deo altissimo, qui cathedram Petri, caput scilicet ecclesiarum, vestro, mi reverende Pater, illustravit et ornavit sacerdotio, humili supplicatu orantes et deprecantes ut qui primitias apostolatus vestri perfudit oleo lætitiæ præ participibus vestris, gratiam et pacem multiplicet Ecclesiæ suæ cunctis diebus vestris. Optamus autem promereri ut peculiarem gratiam apud vos obtineamus, et a vestra paternitate specialem nobis provenire clementiam, non solum ea charitate quam universali debetis Ecclesiæ, sed etiam eo gratiæ privilegio quod semper sacra sedes vestra Moguntinæ impendit Ecclesiæ, ut pia mater speciali filiæ. Hac ergo freti gratia, in omnibus quæ nobis obviant, ad vos recurrimus, et quidquid nobis adversatur, ad vos velut membra ad caput referimus. Unum humiliter intimamus vestræ sanctitati quod sub antecessore vestro piæ recordationis papa A. contigit nos, ut salva reverentia dixerimus, injuste præjudicium pati, et inclementer deturbatos esse ab eo jure, quod sacri canones et Patrum scita metropolitanis jubent servari. Denique eidem sanctissimo Patri de fratre et suffraganeo nostro episcopo Pragensi sinistra relatione suggestum est, et, me ignorante, ab inimicis apud eum accusatus est; unum et hactenus insolitum ab eo exiit edictum, ut eumdem fratrem, et coepiscopum nostrum nec inter fratres suos canonice prius auditum, nec canonice ad se vocatum, nec inobedientiæ culpa denotatum, non solum ab officio suo suspenderit, sed etiam rebus et reditibus suæ Ecclesiæ omnino spoliaverit et extruserit, ita ut missis nuntiis publice nuntiari fecerit in clero et populo ut, eum qui excommunicatum habentes, nihil quod episcopi esset vel quærerent vel acciperent ab eo. Quod factum si apostolicam deceat mansuetudinem, si decretorum servet auctoritatem, vestram non præterit sanctitatem. Debuit namque, juxta decreta canonum, ad nos primum causa deferri, et ad concilium vocatus intra provinciam, inter fratres suos audiri; ego vero et fratres mei deberemus ad apostolicam sedem, velut ad caput nostrum referre, si tanta res esset ut per nos nec posset nec deberet terminari. Nunc autem frater noster et coepiscopus a sede sua vagus et profugus, et, ut diximus, rebus et reditibus Ecclesiæ suæ injuste spoliatus et extrusus, indignum patitur judicium, et omnibus fratribus et coepiscopis nostris magnum inde provenit scandalum, et episcopale nomen et officium, quod apud Deum et homines sacrum est, intolerabile patitur opprobrium. Porro Ecclesia illa jam multis diebus pastorali caret administratione, et unico pastore vidua episcopali vacat benedictioni, in quo episcopus ille qui expulsionis et perturbationis hujus auctor est, ejus sibi usurpat officium, et, quod omnibus conciliis et decretis maxime cautum est, consecrando et confirmando eumdem circuit episcopatum. Quod maxime ob hoc periculosum est, quod

A gens illa catholicæ fidei novella est plantatio, et nondum radicata et fundata in Christianismo, et facile ad antiquum paganismi revolabit errorem, si inter pastores suos tantam viderit durare dissensionem. Quapropter ego et omnes fratres mei vestigiis vestræ sanctitatis affusi oramus et obsecramus, primum Ecclesiæ rationes, necnon maligni hujus temporis inclamare importunitates. Habebam quoque de quibusdam agere vobiscum ipse præsens, quod nec litteris intexere, nec nuntio etiam alicui fidelissimo habeo aperire. Quapropter præsentes fratres cum litteris meæ excusationis ad vos dirigo, qui vobis suggerant quod ad vos non veni non esse temeritatis, sed inevitabilis et supremæ necessitatis. Noverit autem sancta paternitas vestra quod non est homo B in terra me vobis fidelior, et ad omne præcetum vestrum implendum devotior, nec adventum meum ad vos aliquod negotium posset retardare, si tamen juvarer virium valetudine. Pro inveterata autem Thuringorum obduratione novam vobis facio conquestionem, qui, sicut semper, sic etiam adhuc Spiritui sancto ejusque justissimis resistunt legibus, redituum suorum negando decimationem, usque adeo ut, dum monerem eos ut omnipotenti Deo obedirent, ipsi e contra armata manu promiscuæ plebis me et meos obsiderent; nisi Dominus omnipotenti manu liberavisset, forsitan crudelitas eorum usque ad internecionem in nos desævisset. Unum rogo sacram paternitatem vestram, ut contra tam nefarium tamque insolitum facinus, respectu ecclesiasticæ di- C sciplinæ, nobis compatiendo succurratis, et contra inimicos Dei gladium arripiatis, quatenus sentiat contumax et rebellis serva Thuringia, quod adhuc in clavigera manu Petri vivit et regnat imperatrix Roma.

VI.

Epistola Sigefridi Moguntini archiepiscopi ad Gregorium papam.

[MANSI, *Concil.* XX, 433.]

Domino venerabili, et Patri in Christo amabili GREGORIO, primæ sedis antistiti S. Moguntinus, id, quod est gratia Dei, debitæ obedientiæ subjectionem, et sedulam obsequii devotionem.

Quid causæ intercedat, et quid impedimenti intercipiat quod sacro huic sanctæ apostolicæ sedis concilio interesse non possum, sicut jam priori le- D gatione significavi, ita et nunc sanctæ paternitati vestræ ex ipsa veritate denuntio, videlicet quod eodem paralysis morbo quo tunc laborabam, non quidem remissius, sed in dies auctius acriusque laboro. Non hoc præmitto, aut fastu superbiæ, aut contemptu inobedientiæ, quem animæ morbum divina miseratio longe faciat a me. Non enim cujuslibet negotii quamlibet maximi me retinere posset impedimentum, cum me ad vos non sola ducit voluntas, sed et ardens trahit desiderium. Mea namque intererat, et hæc obedientiæ ratio et charitatis ordo poscebat, ut huic consortio sanctorum interessem, et de præsentia vel allocutione atque de salutifera collatione divini Patris mei, Gregorii, et Christi sacerdotum hilarescens in melius proficerem. Non

pœnitendum esset longæ viæ et magni laboris; A quippe inde proveniret fructus magnæ salutis. Maximas autem gratres cum humili inclinio vestræ refero sanctitati quod legationi nostræ tam clementer aurem inclinastis, ipsosque legatos bene admisistis et melius dimisistis, quodque placuit vestræ sanctitati antiquæ dilectionis et germanæ affectionis nostræ tam benigne reminisci, nec in summa speculationis arce, et in ipsa omnium Ecclesiarum sollicitudine duxistis prætereundum quod olim, adhuc in ipsa privata conversatione, Christi inter nos fuerat charitate conjunctum. Primum multiplices erga me benignitatis vestræ gratias nulla temporum longinquitate deleri, nulla unquam rerum vel eventuum inæqualitate poterit oblitterari; sed ad hoc remedium nostra sedulo vigilabit industria, ut in hac perseverare vestra dignetur benevolentia. B Quod autem in commonitorio vestro posuistis, me vestræ paternitati secretorum, imo salutis meæ commisisse consilium; quod alia quædam et correctionis limam addidistis ad castigationem vitæ et morum; hoc semper feci et semper faciam, nec ab hoc opere unquam vita comite desistam; et quod ibi cautum est, cautissime cavebo, et quod ibi præceptum est, prout vires dederit Deus, pleniter adimplebo. Et si aliter de me alicujus adversantis vobis suggeret relatio, noverit sanctitas vestra quod unitatem scindere et charitatem corrumpere suo mendacio conetur, nisi forte hoc accuset quod aliquando illud, quo me castigo, frenum disciplinæ aliquantum laxare consilio fratrum compellor causa medicinæ. C Porro quod, de examinandis episcopis quos mihi nominastis, et introitum eorum et conversationem diligentissime inquirere, et per nuntios nostros vobis insinuari mandastis, perpendat vigilans ille oculus sapientiæ vestræ quod, a reditu legatorum nostrorum usque ad hanc iteratam legationem, non tantum erat temporis interstitium ut vel fratres colligere vel examinationis etiam possem habere judicium, non aliud super hac re adhuc vobis de his intimare valeo, quam quod vel vos scitis vel communis habet opinio. Verum litteras vestras illis quantocius direxi, et ut mandatum vestrum impleant etiam nostris litteris diligenter submonui. De pœnitentia autem Strasburgensis episcopi nihil certi possumus vobis respondere, D quod nec, si ei injuncta esset, antehac scivi, nec, si eam observet, propter temporis compendium inquirere potui. De castitate vero clericorum et de Simoniaca hæresi, ad summam de omnibus quam mihi mandastis, semper, prout ipse adjuverit, obediam Deo et vobis. Erit autem apostolicæ mansuetudinis et paternæ dilectionis, si ad fratres mandata dirigere ecclesiastica, ut et temporum opportunitates et singulorum possibilitatem dignemini inspicere, ut et deviantibus et dyscolis adhibeatur disciplina quæ debetur, et infirmis, et opus habentibus medico, compassio charitatis non negetur, sæpeque examinatis negotiorum causis adhibeatur judicii censura, ut apostolicæ discretionis et paternæ pietatis modum non excedat justitiæ mensura. Sacrum apostolatum vestrum pro nobis orantem Samarites ille custodiat, qui in custodiendo suum Israel non dormit neque dormitat, et divisiones gratiarum, quas in clave Petri adunavit, ipse in vobis unitas integrasque conservet, qui ipsam clavem vobis commisit.

VII.

Ejusdem ad eumdem.

[Mansi, *Concil.* XX, p. 433.]

Specialis reverentiæ patri Gregorio, primæ sedis antistiti S. Moguntinus id quod est Dei gratia, quod patri filius, quod prælato subjectus.

Adhibito desidiæ pastorum et negligentiæ sacræ exhortationis et ammonitionis incitamento, vigilantia pastoralis officii vestri, mi reverende Pater, nos quasi de somno excitavit, et ut opus Evangelii, ad quod servi Patris familias deputati sumus, indesinenter curemus implere, quam studiose incitat, tam religiose invitat. Sacra namque est pia sollicitudo providi pastoris, beata et remunerabilis exsecutio hujus divini operis, sed heu! multum reclamat rerum vertigo, et iniquitas temporis. At vero si dies mali sunt, tamen admonita vestra vigilanti cautela tempus redimendum est, ne, si propter auræ intemperiem vineam Domini culturare desistat, de negligentia condemnetur quilibet inutilis operarius, et, si tempestas hodie ingruit quæ nos ab opere repellat, cras cœlitus reddita serenitate studium nimirum in id ipsum recurrat. Itaque indixit auctoritas vestræ sanctæ paternitatis ut statuta die, collectis fratribus ex apostolicæ legationis mandato, concilium debeamus celebrare, et quidquid in provincia aut in regno nostro vel per Simoniacam hæresim vel quomodocunque contra regulam ecclesiasticæ rectitudinis perperam gestum aut male usurpatum vel temere præsumptum occurrerit, judicio fratrum recidere non differamus falce justitiæ. Quod præcipitis mihi, Pater, æquum est et justum, et hoc per provincias bis in anno fieri mandant decreta sacrorum canonum; sed ad quod decretorum auctoritas et vestra paternitas impellit, ab hoc et rerum inæqualitas et hujus maligni temporis importunitas nos longe repellit. Denique auditum credimus vestræ paternitati, quantus in regno nostro motus, quanta sit perturbatio, quam periculose bella grassantur et seditiones, sicut audivimus in evangelico. Auditum, inquam, credimus vobis de bello, quod a Domino nostro rege factum est contra Saxones et Thuringos, et quomodo dextra Domini prostraverit et fugaverit rebelles et impios; et tamen adhuc in eadem obstinatione perdurant etiam victi, et iterum perfidiæ caput levant, ac totius regni gladios contra se acuentes iterum recidua bella parant. Unum timemus, quod pro peccato populi de vagina sua eductus sit gladius Domini, et tamen [nisi] per nostram aliorumque sanctorum propitietur intercessionem, forsitan desæviet usque ad internecionem. Soluto namque pacis vinculo et rupto disciplinæ freno, gens insurgit contra gentem de terminis regni. Hostilis gladius exterminavit concordiam et pacem, et ita

obmutescentibus Evangelii tubis, nec præco clamoris vocem, nec populus habet audiendi aurem. Hostili præda et pervasione magna ex parte disperit res et reditus episcopi nostri, et hoc idem patiuntur plurimi fratres nostri, neque hæc rerum angustia eos patitur venire ad concilium. Huc accedit quod plures coepiscopi nostri, qui ad concilium vocati sunt, non sunt in gratia principis, nec usquam audent progredi sine dispendio salutis suæ. Et si consideremus eos episcopos qui accusantur, et eos qui adesse non audent, si concilium congregetur, vix inveniantur qui judicent. Accedit hic etiam ad cumulum nostri timoris et exaggerat vim nostri doloris, quod, si de diversis imo adversis regionibus ad concilium convocentur, qui ad invicem inimicantur, dum putamus nos colligere ad concilium fratres, paratas habeamus acies ad bellum : et dum corrigendis erroribus et sopiendis querelis in unam tendimus pacis ecclesiasticæ communionem, forsitan, nisi Deus prospiciat, conventus noster turbabitur usque ad internecionem. Recordetur autem sanctitas vestra quod propter Wultensem abbatem aliquando contigerit Goslariæ, quot boni milites in ipsa vespera Pentecostes gladio perempti sunt intra septa ecclesiæ, perfusa sunt altaria sanguine interfectorum, et instigante diabolo totum profanatum est sanctuarium. Et tunc certe omnes convenerant ad curiam sub specie pacis, nisi quod inter eos latebat quædam simultas, quasi doloso cineri suppositus ignis. Et quid credimus futurum si illi qui aperte inimicantur, congregentur in unum ? Pro his et pro hujusmodi fratres nostri, qui sunt sanioris sententiæ, dicunt sibi bonum videri ut adhuc concilium differatur, donec videamus si quomodo reddita pace Dominus propitietur. Nos autem omnibus consiliis et conciliis vestram præferimus sententiam, id quod nobis indicitis nullo modo propter vestram omittemus conscientiam. Unde statim post regiam expeditionem multa cum festinantia nostram vobis dirigemus legationem, nec ad hoc intemperiem consideramus anni, ut advertatis quanti nobis constet auctoritas præcepti vestri. Ergo sapientia vestra, quæ in se ipsa cuncta metitur, retractet quis hujus perturbationis provenire posset eventus; et pericula, quæ timemus, consilio et oratione præveniens disponat in melius, et quidquid dictante Spiritu sancto super hujusmodi fieri decernitis, nobis de oraculo sacri pectoris vestri respondere velitis. Quod si probatis, propter pericula, quæ timemus, ad præsens indictum concilium differatur, et quidnam vobis placuerit, et opportunitas evenerit, celebretur in id ipsum.

VII bis.

Epistola Manassæ Remorum archiepiscopi ad Gregorium VII. — Scripta post concilium Æduense, sive Augustodunense, sed ante Pictavense (GREG. VII, lib. VI, ep. 2 et 3.)

[MANSI, *Concil.* XX.]

Domino GREGORIO, summo pontifici, Patri et domino suo, MANASSES Dei gratia, Remorum archiepiscopus, fidelem servitutis et obedientiæ subjectionem et orationis devotionem.

Vestro, domine, interventu et obsecratione reddidi dominæ M. marchisæ omnia quæ de me suus antecessor tenuit, et ad defendenda eadem consilium meum et auxilium ac receptus meos promitto fideliter et promisi : et de rejiciendo G. et recipiendo comite A. quidquid ipsa quæsierat paratus sum exsequi. Ad quæ omnia confirmanda diebus sacris Pentecostes cum fratre nostro, fideli vestro Theoderico Virdunensi episcopo, suæ civitati interfui, relictis causa necessitatis suæ in sacrosancto tempore meis omnibus necessariis. Sed ego, fidelis vester et per omnia Ecclesiæ jura vobis obedire paratus, vestrum de archiepiscopo Viennensi Guarmundo summopere requiro consilium et implere judicium, qui in archiepiscopatu meo presbyteros degradavit, et eosdem iterum regradavit. Legatum se Romanum cum non esset simulavit, marsupium suum, non sub appellatione veritatis, sed imitatus eos qui, ut ait Apostolus, quæstum æstimant pietatem, cum tandem implesset, a diœcesi mea ad suam rediit. Quapropter, ad honorem Dei et Romanæ Ecclesiæ, hujusmodi præsumptionem et simulationem sicut decet corrigite, ne deinceps quisquam in alieno præsumat aliquid tale. Notum etiam facio vobis quod duo suffraganei mei episcopi, Laudunensis et Suessionensis tertium Ambianensem in archiepiscopatu meo, me nesciente, utpote Romæ posito, episcopum consecraverunt. Primum contra decretum vestrum, quo statueratis ne quis saltem archiepiscoporum eum consecraret episcopum qui a laica persona accepisset episcopii donum; maxime cum idem ipsi interfuissent apud Augustodunense concilium, ubi dominus Hugo, Diensis episcopus, promulgavit et statuit coram omnibus hoc vestrum ecclesiasticum decretum. Hoc igitur præter id quod diximus contra auctoritatem et canones factum, et etiam inauditum, cunctisque qui sanum sapiunt mirabile, et plus quam dici possit stupendum, si placet, deputetur irritum. Quin potius, quia sine metropolitano juste expleri non potest a quibuslibet coepiscopis consecratio pontificis, sicut scitis, oratum et exoratum vos esse volo, ut ad honorem Dei vestrumque ac nostrum tam temerariam ecclesiastici ordinis confusionem zelo justitiæ corrigatis, ut sciat unusquisque in gradu suo et modo persistere, non aliena sibi temere arrogare. Obsecro etiam benevolentiam honoris vestri ut dignitatem quam antecessores vestri antecessoribus meis archiepiscopis servaverunt, et privilegiis aliisque scriptis ad posterorum memoriam reliquerunt, mihi reservare dignemini. Ne irritum aut infractum fiat privilegium quod ipse dedistis mihi, scilicet ut vobis ipsis interpellatus et non interpellatus respondeam et legatis vestris Romanis, non ultramontanis, qui conjuncti Romanis quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, et sub honestis nominibus cupiditati suæ consulunt, non Ecclesiæ Dei. Unde, propter talium

pudendas reprehensiones et vocationes, mihi qui totius Galliæ episcopos debeo convocare, liceat confidere de vobis sine legatorum vocatione, donec ad Pascha veniam ad vos, Deo volente. Præterea volo obnixe supplicare et prænuntiare vobis ut, quoniam in absentia mei, nuper apud vos commorantis, multa prave et inordinate acta sunt in partibus meæ diœcesis, ego vero non potero omittere quin ministerio vestro utar in his ecclesiastice corrigendis. Si quid pro hoc de me accusationis perlatum fuerit vobis, ne hoc vel cito credatis vel moleste erga me accipiatis; sed illud in præsentia nostra ante vos dimittatis, quia ego nullatenus volo excedere metas auctoritatis. Quandoquidem enim illis qui legatos vestros se faciunt multo justius ego debeo per vos ea quæ sunt providentiæ nostræ corrigere, quam quisquam aliena tractare. De comite OEbalo, qui me in præsentia vestra accusare tentabat, et se suamque fidelitatem vobis verbis simulantibus commendabat, satis in promptu habetis cognoscere cujus potius sinceritas fidelitatis erga vos videatur existere : utrum mea, qui Deo et vobis paratus sum per omnia obedire, an illius, qui et apud vos per semetipsum impugnat beati Petri Ecclesiam, et epud nos per Manassem et suos sequaces in suo castro receptos persequitur beatam Mariam. Manasses enim de quo diximus, cui nos jussu vestro quod in nos admiserat, si ad Ecclesiam matrem suam rediret, indulsimus, conscientia sceleris sui depressus nec ad nos vult redire, nec paci Ecclesiæ concordare; quin potius cum illis suis sequacibus, quia factis non potest, verbis et maledictis Ecclesiam meque lacerare non desinit. Unde, ut de ipso OEbalo taceam, in quem vos credo justam et apostolicam exercere sententiam, super Manasse instanter deprecor sanctitatem vestram, ut aut jubeatis eum ad sua regredi et ulterius non impugnare Ecclesiam, aut in eum ejusque fautores et cooperatores apostolici vigoris dirigatis animadversionem. Dignemini etiam ad eorum receptores scribere aptam epistolam, ut aut eos contra Ecclesiæ jura non retineant, aut pari sententia se multatos agnoscant. Restat mihi hoc vobis dicere quia dominus Hugo Diensis episcopus interdixit episcopum nostrum Drogonem sedis Tarvennicæ, qui tantæ est senectutis, ut cum ante episcopatum diu permanserit in ordine presbyterii, jam nunc ultra tempus LX annorum gradum tenuerit episcopi, et pene per singula momenta propinquat exitui. Quapropter volumus vos obnixius exorare ut eum jussu vestro dignemini restituere ministerio suo, ne, quod magnopere formidamus, in hac moriatur interdictione. De hac vero quod me interpellastis ut in conductu episcopi Parisiensis, aliquos vobis milites mitterem, notum vobis facio quod ego volebam dirigere; sed comes de Arlonis Fulco rediens ab urbe Roma hoc mihi intimavit ex vestra parte, quia libenter me de ipsa transmissione militum importabatis, ideo ut in regione nostra strenue et intentius exsequerer dominæ marchisæ M. Pro A hoc ergo a vobis veniente missatico remansit a nostra parte prædictæ expeditionis transmissio. Valeat sanctitas vestra, pater reverendissime.

VIII.

Epistola Hugonis Diensis episcopi ad papam.

[MANSI, *Concil.*, tom. XX.]

Reverendissimo patri et domino papæ GREGORIO suæ sanctitati inutilissimus servus, HUGO, humilis presbyter Diensis, salutem.

Quoniam didicimus R. vestrum Parisiensem rediisse, cui injunxeramus ut fideliter, sicut filius vester, vobis referret gesta Augustodunensis concilii, cui interfuit, qui neque per nos rediit, neque quidquam de statu vestro nobis scripsit; rogamus paternitatem vestram ut sententiam suam nobis dignetur B scribere super ordinatione Remensis, Bituricensis et Carnotensis Ecclesiarum. Sciat quoque paternitas vestra quia ille Noviomensis dictus episcopus, sub comminatione publicæ examinationis a nobis familiariter exactus, confessus est nobis Simoniam suam præsentibus Laudunensi et Lingonensi episcopis, cum aliis quibusdam. Unde etiam sacramento supra sacra Evangelia nobis firmavit quod, visis litteris vestris vel legatione vestra, Ecclesiam quam male occupaverat bene dimitteret, et pro posse et scire suo ut juxta Deum ordinaretur, adjuvaret. Silvanectensis vero episcopus, accepta investitura de manu regis, ordinatus est ab illo Remensi hæresiarcha, cui litteris vestris interdixistis ne hujusmodi in episcopos acciperet. Antissiodorensis infra annos or- C dinatus, investituram quidem de manu regis non accepit, quanquam per familiares regis gratiam ejus consecutus sit. De Senonensi autem archiepiscopo, quantam contumeliam quantamve injuriam auctoritati vestræ in nostra legatione intulerit, a prædicto R., ut spero, sufficienter audistis. Neque hoc dicens, Deus testis est, gloriam meam quæro. Burdegalensis quoque, quoniam vocatus præterito anno ad Arvernense concilium neque venit neque canonice se excusavit, in eodem concilio ab episcopali officio suspensus est. Quod ille vilipendens, interdictum sibi usurpavit officium. Rursus vocatus ad Augustodunense concilium, quoniam nullam causationem nobis misit, etiam a sacerdotio suspendimus D eum. De his ergo omnibus quid magnitudo vestra judicaverit, quid inde agere placuerit, parvitati nostræ, rogamus, rescribite. Præterea summopere poscimus ut per dominum Valentinum episcopum pallium nobis mittatis ad confirmandam ordinationem religiosissimi Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi, contra oblatrantes hæreticos, et de regis indignatione adversus ordinationem Dei carnaliter gloriantes. Ipse enim, postpositis omnibus incommodis et periculis penuriæ atque itineris, sanctitatis vestræ conspectui devotissime se præsentaret, si Ecclesia illi commissa, tandiu languida et pastoris solatio destituta, quoquomodo absentiam ejus sine magno detrimento pati potuisset. Valentino episcopo præcipite, et securitatem in ma..u vestra accipite,

quatenus circa festum S. Joannis Baptistæ, prout nos cum eo condiximus, Ecclesia sua ad celebrandum officium illum accipiat, quia valde opportunus videtur ad oppugnandam provincialium arrogantiam. Manassem autem amicum nostrum in Christo, qui in Claromontano concilio Remensis Ecclesiæ male acquisitam præposituram in manu nostra dimisit, commendamus gratiæ sanctitatis vestræ, sicut catholicæ fidei sincerum defensorem et dominum Brunonem Remensis Ecclesiæ in omni honestate magistrum (426). Digni sunt enim ambo a vobis, et in his quæ Dei sunt vestra auctoritate confirmari, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et ideo consultores profuturos causæ Dei et cooperatores in partibus Franciæ adhibeatis. Remensis hæretici depositionem con..... revelatam iniquitatem sanguis cœli et....... clamat, auctoritatis vestræ scripto robora....... hos rogamus Remensi Ecclesiæ destinate....... suam satisfactionem, aut ipse si placit........ aut nobis suscipiendam præcipite. Quia........... excommunicationem vestram, nobis inconsultis, episcopi electionem fecerunt. Tiezo filius vester jam redisset ad vos, nisi ad convocandum concilium XVIII Kalendas Februarii, Pictavis, Deo annuente, celebrandum detineretur; in quo concilio meritorum vestrorum patrocinium adesse nobis suppliciter exoramus. Orate pro nobis, sanctissime Pater.

(*Eo spectant, arbitror, quæ habet Gregorius pontifex supra epist*. 17 *libri* V, *indict.* I, *septimo Idus Martii.*)

IX.

Epistola Saxonum ad Gregorium VII. — Quid egerint ut decretis ejus parerent; quod minus sibi, plus adversariis faveat, queruntur.

[MANSI, *Concil.* XX, 385.]

Novit sanctitas vestra et omnibus circumquaque notum est quam difficulter quantoque bajulorum discrimine legationes ad vos transmittimus, quia iter, quod omnibus temporibus, populis, tribubus, linguis fuit pervium, nunc clauditur illis maxime qui non minimum pro honore illius laboraverunt, ad cujus corpus eadem via ducit. *Et post aliqua :* Post longam exspectationem reverso nuntio nostro, nihil aliud nobis consolationis relatum est, nisi ut decretis his quæ mandavimus fidem vos non habuisse. Ex qua re, charissime domine, incredibile vobis visum est quod fratres nostri et coepiscopi Wiceburgensis et Pataviensis cum aliis religiosis vobis in veritate nuntiaverunt, quodque se vidisse et audisse testati sunt; certe non in verbis mendacii confidimus liberari, sed credimus quia Veritas liberabit nos; Deus non deseruit sperantes in se; nam rex noster Rodolfus, fortis in eo qui dat salutem regibus, de inimicis Domini potenter triumphavit. Heinricus autem cum suis complicibus, præter eos qui in gladio ceciderunt, in fugam versus est, comite illo cujus malitiam vos in bono vincere frustra tentastis, Roberto Bambergense, qui horum omnium auctor et incentor est. Et o utinam de sua et sociorum ejus fallacia satis edoctus fuissetis! Nolite, charissime domine, amplius ad irrisionem sancti nominis vestri hujusmodi homines mulcere, et post tam frequentes repulsas iterum ducatum ab eis quærere. Adventus vester ad nos tantum nobis esset desiderabilis quantum et necessarius, sed vere scimus quia sponte illorum ad nostras partes nunquam venietis, nisi certi sint vos illorum parti favere. *Et post pauca :* Ergo si non propter nos, tamen propter honorem sedis apostolicæ confirmate quod operatus est ejusdem sedis legatus, ita ut sine ambiguitate denuntietis quid in hac Ecclesiæ divisione tenendum sit, quid sequendum; quod si jamdudum factum fuisset, forte pars iniqua adeo jam vires perdidisset, ut nec nobis nec vobis nocere prævaleret. Rogamus etiam ne in hæc statuta canonica deficere patiamini, ut corpora excommunicatorum, qui in persequendo Ecclesiam occisi sunt in atriis ecclesiarum sepeliri non permittatis; ubi autem sepulta sunt, divina officia celebrari prohibeatis. Multi ex eis in Augusta civitate sepulti sunt : ejusdem loci congregationibus litteras vestras per discurrentes peregrinos satis mittere potestis.

X.

Saxonum Rodulpho faventium ad Gregorium epistola.

[Apud MANSI, ibid.]

Testis est excellentia vestra et litteræ vestræ, quas in testimonium habemus, quia nec pro consilio nostro nec pro causa nostra, sed pro illatis sedi apostolicæ injuriis regem nostrum regia dignitate privastis, nobisque terribili interminatione, ne ei sicut regi serviamus, interdixistis, et omnes Christianos a vinculo juramenti quod ei fecerunt vel facient, absolvistis, eumque vinculo anathematis alligastis. In his omnibus paternitati vestræ cum magno periculo nostro, sicut nunc patet, obedivimus, et quia eidem deposito ad depositionem vestram cum cæteris concordare noluimus, tantam in nos crudelitatem exercuit, ut plures ex nostris, amissa omni substantia, animam in hoc certamine ponerent et filios exhæredes et ex divitibus pauperes reliquerunt : qui autem residui sunt, de vita quotidie solliciti, vitæ subsidia pene omnia amiserunt. Sed cum nulla nos persecutione superaret, superatus est ille, ut licet nolens suam nobis præsentiam exhiberet, et ei quem inhonoravit cum suo dedecore honorem impenderet pro quo labore hunc fructum recepimus, quod his qui cum periculo animarum nostrarum vestigia pedum vestrorum adorare coactus est, absque nostro consilio et sine correctione absolutus, ad nocendum nobis libertatem recepit. *Et paucis interpositis :* Ergo cum jam ultra anni terminum sine rectore essemus, in locum de quo prævaricatus est, ille alius principum nostrorum lectione subrogatus est. Cumque de electo nobis rege, et non de regibus spes ad

(426) Eum intelligit qui Carthusianorum fundator postea exstitit.

refocillandum imperium succresceret, ecce ex inA sperato litteræ vestræ duos in uno regno reges pronuntiant, duobus legationem decernunt, quam regii nominis pluralitatem ac regni divisionem divisio quoque populi ac studia partium subsecuta sunt; quippe cum in epistolis vestris prævaricatoris personam semper præponi cernerent, et ab eo sicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad discutiendam causam præberet. *Et post pauca :* Hoc quoque infirmitatem nostram movet, quod sicut nobis persuadetur ut in incœpto firmiter perduremus, sic etiam contrariæ parti verbis et rebus spes innuitur. Nam familiares prædicti Heinrici, qui ab omni regno infamia notantur, quique illi ut regi serviendo synodalibus præceptis manifeste inobedientes sunt, et una cum capite suo per legatum apostolicum ab B Ecclesia separati, ad hanc sedem venientes benigne suscipiuntur, et non solum impuniti redeunt, sed insuper gloria et honore coronantur, et ad priorem inobedientiam superbiendo revertentes nostræ miseriæ insultant. Nobis autem quasi ridiculis ad insipientiam reputatur quod ab illorum consortio abstinemus, qui ab ipso capite nostro tam charitative in communionem recipiuntur. Accedit et hoc ad cumulum infortunii nostri quod præter illa quæ nos ipsi delinquimus, etiam adversariorum culpa in nobis cuditur, dum nostræ negligentiæ attribuitur quod idoneos et frequentes legatos huc non mittimus; luce enim clarius patet quod illi hoc fieri prohibent, qui ne probiberent jurejurando vobis promiserunt. Et nunc de violentia sacri itineris interclu- C sionis et de manifesto illorum perjurio tacetur, et nobis imputatur, quod nuntios non mittimus. Scimus et ex consideratione vestræ pietatis speramus quia hæc omnia bona intentione et subtili aliqua deliberatione agitis, sed nos homines imperiti occultam illam dispensationem penetrare non sufficientes, quod manifeste audivimus et vidimus de illa utriusque partis confortatione, et rerum certarum incerta dilatione ortum esse et quotidie oriri vobis exponimus, hoc est bella intestina, homicidia innumerabilia, vastationes et incendia domorum et ecclesiarum sine differentia, oppressiones pauperum, direptiones rerum ecclesiasticarum, quales nunquam audivimus, legum quoque divinarum et D sæcularium defectus sine spe reparationis; postremo in dimicatione duorum regum, quorum uterque ad obtentum regni spem a vobis accipit, tanta profligatio regalium, ut posthac reges nostrarum partium rapinis sint sustentandi. Hæc incommoda aut nulla essent jam, aut multo minora, si neque ad dexteram, nec ad sinistram vestra sententia divertisset. *Et quibusdam interpositis :* Nam si hoc quod in synodo Romano definitum, et post a legato sedis apostolicæ confirmatum est, silentio contegi oportet, quid posthac nobis credendum vel pro rato habendum sit, omnino nescimus.

XI.

Willelmi regis Anglorum ad Gregorium VII. — Admonitus rex a legato, de fidelitate facienda pontifici et de pecunia Romam mittenda, de pecunia annuit, de fidelitate, quia inusitatum, recusavit.

[LANFRANCI *Opp.* pag. 304.]

Excellentissimo sanctæ Ecclesiæ pastori GREGORIO gloriosus gratia Dei Anglorum rex et dux Northmannorum WILLELMUS salutem cum amicitia.

Hubertus legatus tuus, religiose Pater, ad me veniens ex tua parte, me admonuit quatenus tibi et successoribus tuis fidelitatem facerem et de pecunia, quam antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem: unum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo, quia nec ego promisi, nec antecessores meos antecessoribus tuis id fecisse comperio. Pecunia tribus fere annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est; nunc vero divina misericordia me in regnum meum reverso, quod collectum est per præfatum legatum mittitur; et quod reliquum est, per legatos Lanfranci archiepiscopi fidelis nostri, cum opportunum fuerit, transmittetur. Orate pro nobis et pro statu regni nostri, quia antecessores vestros dileximus et vos præ omnibus sincere diligere et obedienter audire desideramus.

XII.

Jusjurandum Roberti, dicti Carnotensis episcopi, cujus meminit Gregorius VII Registri lib. IV, *epist.* 14.

[MANSI, *Concil.* XX, 461.]

Ego Robertus promitto omnipotenti Deo, et B. Petro apostolorum principi, cujus corpus hic requiescit, quod in quocunque tempore legatus apostolicæ sedis directus a domino nostro Gregorio, qui nunc est Romanus pontifex, vel ab aliquo successorum suorum item Romanorum pontificum, ad me venerit, infra terminum quem ideo legatus [*f.* idem legatus. HARD.] mihi constituerit, Carnotensem episcopatum, omni occasione sublata vel fraude, dimittam, et cum bona fide studebo quatenus Ecclesia illa secundum Deum ordinetur, nihil acturus, me sciente, per me vel per aliquam a me submissam personam, unde eadem Ecclesia, vel clerici ejus meo studio vel malitia læsionem aut detrimentum accipiant. Hoc sacramentum [jubente] domino nostro Gregorio VII papa, ego Cono humilis presbyter tituli Christi martyris et virginis Sanctæ Anastasiæ scripsi, et in ecclesia Beati Petri in confessione ad corpus ejus ubi factum est interfui. Interfuerunt etiam Joannes Portuensis episcopus, Theodinus archidiaconus, Gregorius, Bernardus, diaconi [diaconus] sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et alii duo, videlicet Ingelrannus [Engelramus] decanus Carnotensis Ecclesiæ, et Ivo tunc magister scholarum in eadem Ecclesia.

Actum Romæ mense Aprili, indict. XIV.

GREGORII PAPÆ VII DECRETUM.

(MANSI, *Concil.* XX, 385.)

Gregorius papa VII et Urbanus papa II constituerunt ut festivitates Romanorum pontificum celebres habeantur. Martyrum in IX lectionibus, confessorum in tribus saltem lectionibus præter quorumdam, qui pro sua excellentia celeberrimi haberentur, sicut et S. Silvester, Gregorius et alii. Nam cum quælibet Ecclesia sui patroni, et si confessor fuerit, festum solemniter observet, quanto magis eorum qui totius Ecclesiæ non tam patroni quam Patres exstiterunt, quam et usque ad martyrium verbis et exemplis instituere non destiterunt. De his quidem sanctis martyribus invitatorium, hymnus, responsoria, psalmi et versus, ut de martyribus, decantantur. Nota autem S. Gregorium papam I in graduali libro de his martyribus, sicut et de confess. pontificalia administrantibus instituisse officia, ut de S. Marcello P. et M. *Statuit ei Dominus;* et de S. Felice P. et M. *Sacerdotes.* Et hoc utique satis congrue propter excellentiam dignitatis apostolicæ.

SANCTI GREGORII VII

PONTIFICIS ROMANI

OPERUM PARS TERTIA. — CONCILIA ROMANA.

CONCILIUM ROMANUM I

PRO REFORMANDO ECCLESIÆ STATU.

Celebratum anno Domini 1074.

(Apud MANSI, *Conciliorum Collect.* tom. XX, col. 401.)

Gregorius, prædecessorum suorum vestigiis insistens, per epistolam ad episcopos Longobardiæ datam indixit synodum prima hebdomada Quadragesimæ celebrandam. Statuto die episcopi qui convocati fuerant magno numero adfuerunt. Ad expurgandam Ecclesiam a concubinariis sacerdotibus principio statuerunt, *ut, secundum instituta antiquorum canonum,* inquit Lambertus, *presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant aut deponantur. Nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cœlibem profiteatur.* Quam constitutionem dum jussu pontificis episcopi in Germania promulgassent, acciderunt quæ a Lamberto anno 1074 describuntur his verbis : *Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum et vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait :* Non omnes capiunt hoc verbum : qui potest capere, capiat (*Matth.* XIX, 11, 12); *et Apostolus :* Qui se non continet, nubat; melius est enim nubere quam uri (*I Cor.* VII, 5) : *violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, et dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi et immunditiei frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, et tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset.*

Nihilominus instabat, et assiduis legationibus episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat, et nisi ocius injunctum sibi negotium exsequerentur, apostolica se censura in eos animadversurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non parvo constare operam hanc, ut tanto tempore insolitam consuetudinem revelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias et deliberandi copiam dedit, hortans eos ut quod necessario faciendum sit sponte faciant, et tam sibi quam Romano pontifici necessitatem adimant aliquid in eos quod secus sit decernendi. Ad ultimum congregata synodo in Erfordia mense Octobri pressius jam imminebat,

ut, relegata omni tergiversatione impræsentiarum aut conjugium abjurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas econtra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisque improbitatem [forte, *importunitatem*] *eludere, sententiamque cassare niterentur. Cumque adversus apostolicæ sedis auctoritatem, qua se ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesque proficerent, egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt ut in synodum non redeant, sed injussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri ut in synodum regressi ipsum episcopum, priusquam exsecrabilem adversus eos sententiam promulgaret, cathedra episcopali deturbarent, et merita morte multato insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum ejus talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad episcopum relatum esset hoc eos machinari, commonitus a suis ut tumultum qui oriebatur matura moderatione præverteret, misit ad eos foras, rogavitque ut sedato pectore in synodum regrederentur, se, cum primum opportunitas arrisisset, Romam missurum, et dominum apostolicum, si qua posset ratione, ab hac sententiæ austeritate deducturum. Postero die admissis in auditorium communiter laicis et clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat,* etc.

In hac eadem synodo excommunicatus est Robertus Guiscardus Nortmannorum princeps, de quo in fine libri primi epist. Gregorii supra hæc referuntur : *Celebravit Romæ synodum, in qua, inter cætera quæ ibi gesta sunt, excommunicavit atque anathematizavit Robertum Guiscardum ducem Apuliæ et Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus suis, quousque resipisceret.* Post hæc diversorum abbatum et episcoporum causæ cognitæ sunt et dijudicatæ. Pictavensibus canonicis indultum fuit, ut eorum episcopus, decanus, vel alius aliquis prælatus, jus retineat certis diebus cantandi missam in aliena et exempta ecclesia, sicut Romæ atque alibi in stationibus observari consueverat. Decreto hujus synodi mandatum est Hispaniarum Ecclesiis, ut Romanum ordinem atque officium recipiant, prout Hispaniarum episcopi qui præsentes erant se facturos promiserant. Insuper lectæ fuerunt litteræ Geisæ Hungariæ regis, quibus idem rex suum erga sedem apostolicam incomparabile studium et observantiam indicabat, petens ne adversantium hostium suorum querelis et calumniosis accusationibus ulla fides adhibeatur.

In eadem synodo Guilielmus episcopus Bellovacensis dignum exhibuit specimen Christianæ charitatis et episcopalis modestiæ, ut qui gravissima a suis tam clericis quam laicis perpessus, pro iisdem ea de causa excommunicatis apud pontificem intercesserit, eosque ab excommunicatione absolvi petierit et impetraverit. Ad hanc eamdem synodum vocati sunt canonici Lucenses, ut causam redderent cur adversus Anselmum episcopum suum Lucensem conspirassent. Qui de conspiratione et insidiis suo episcopo instructis convicti, juxta canones et capitulum sancti martyris et pontificis Fabiani, quo conspiratores et insidiatores suorum episcoporum curiæ tradendos esse decernitur, judicio totius sanctæ synodi etiam ipsi curiæ traditi fuerunt. Hæc ex Gregorii epist. 51 et sequentibus decem, Baronius anno 1074, num. 36 et sequentibus.

Vide epistolam Gregorii ad Ottonem Constantiensem episcopum, infra capitulo primo sequentis apologetici, qua eum de rebus in hac synodo gestis summatim ac breviter informat, quæque in ea salubriter contra Simoniacos et concubinarios decreta sunt per eumdem promulgari præcepit. Apologeticum sermonem pro hac synodo scripsit auctor quidam hujus temporis, qui exstat in antiquissimo manuscripto codice monasterii Weingartensis, quem inde descriptum hic subjungimus.

INDEX CAPITULORUM.

XXIII. Quod domnus apostolicus non solum episcopos sed et subditos eorum damnare possit.

XXIV. Quod cujuslibet episcopi parochianus domno apostolico etiam plus debeat obedire quam proprio episcopo.

APOLOGETICUS SUPER DECRETA

Quæ venerabilis papa Gregorius ejusdem nominis septimus in Romana synodo promulgavit contra Simoniacos et incontinentes altaris ministros.

PROLOGUS.

In superioribus epistolis illi nostro, nolit Deus ut deinceps dicam, æmulo, sed amicissimo satisfacere studui, et capitulum statutis nostri apostolici contrarium nullatenus attendendum, ut puta sub anathemate prohibitum evidenter monstravi, adeo videlicet ut ipse amicus noster se jam non ulterius contentioni, sed amicitiæ operam daturum mihi rescriberet. Sed plures adhuc restant, qui eisdem statutis obstinato animo nimium periculose, imo perniciose resistunt, qui et alios simpliciores, quippe non multum studiosos ad considerandos canones adeo seducunt, ut et ipsi prædictas authenticas sanctiones contemnant, et suam consuetudinem jucundissimam quidem, sed perniciosissimam, retinere contendant. Quod non plures eorum fecissent, ut mihi videtur, si ipsis compertum bene esset quam parum et potius quam nihil noster apostolicus in prædictis statutis deviet a sanctis Patribus. Quapropter mihi meisque similibus commodum fore censui, si eadem statuta canonicis scripturis conferrem, et mutuam eorum concordiam qualiscunque styli officio breviter ac fideliter commendarem, et hoc ea intentione : ut si quis forsitan ex idiotis hoc inspicere dignetur, tanto vivacius ad obediendum apostolicis institutis resipiscat, quanto evidentius videat hæc eadem nullatenus a sacratissimis canonibus deviare, sed cum eisdem ex ipsa sacra Scriptura processisse.

CAPITULA.

I. In primis igitur decretalem epistolam nostri apostolici describere juvat, ut tanto apertius sequentia elucescere valeant.

« GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri OTTONI Constantiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Instantia nuntiorum tuorum, » etc. *Exstat supra inter epistolas.*

II. Sed priusquam statuta singulatim consideremus, quiddam de ipsorum canonum auctoritate non incommodum æstimo prælibare, ut tanto firmius teneatur quidquid ex eis ad observandum nobis denuntiatur.

Sanctissimus papa Gregorius, quem noster apostolicus nomine et actione nostris repræsentavit temporibus, in sua synodica, id est synodali epistola, sanctissima quatuor concilia confirmat ita : Sicut sancti Evangelii quatuor, sic quatuor concilia suspicere et venerari me fateor : Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constan- A tinopolitanum quoque, quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione amplector, integerrima approbatione custodio; quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, tamen extra ædificium jacet. Cunctas vero personas quas præfata veneranda concilia respuunt respuo, quas venerantur amplector; quia dum universali consensu sunt constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud B sapit, anathema sit. *Hucusque Gregorius.*

Hanc autem synodalem epistolam idem apostolicus statim post ordinationem suam composuit, et reliquis patriarchis, quippe Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano transmisit. Consuetudo enim erat eo tempore ut quilibet in aliqua patriarchalium sedium noviter ordinatus, se prædictas quatuor synodos custodire, reliquis sedibus transmissa epistola profiteretur, antequam nomen ejus apud reliquas sedes in diptychis describi mereretur : nomen videlicet prædecessoris ejus, licet defuncti, reliquæ sedes computabant inter viventes, donec ipsius noviter inthronizati præsulis synodicam reciperent epistolam : quæ quia eumdem C episcopum quatuor synodos recepisse denotavit, hoc sibi nomen *synodicam* ab eisdem synodis non incongrue videtur mutuasse. Hanc autem consuetudinem illius temporis fuisse idem sanctissimus papa testatur in epistola ad Secundinum servum Dei inclusum, quam et usque ad beati papæ Adriani tempora, quippe ad Carolum regem, perdurasse Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus asserit, qui Vitam S. Gregorii ex præcepto Joannis papæ fideliter descripsit. Sed utrum adhuc eadem consuetudo perduret ignoro, quam tamen præfatis temporibus fuisse non dubito. Patet ergo evidentissime quam magnæ sint auctoritatis illa quatuor concilia, quæ sanctus Gregorius, imo per ipsum Spiritus sanctus, non semel, ut prædictum est, sed sæpius et Evange- D liis comparat, et omnes ab eisdem dissentientes anathematizat, quæ et quilibet novitius patriarcha se observaturum per epistolam suam reliquis sedibus profiteri debebat, si se inter catholicos patriarchas in diptychis describi volebat.

III. Decreta vero sanctissimorum Romanorum pontificum, si possemus, etiam studiosius quam illa quatuor concilia venerari et observare deberemus, cum et ipsa concilia omni firmitate carerent, si non apostolicæ sedis pontifices eadem per apostolicam auctoritatem congregare et corroborare decrevissent. Unde et beatus papa Marcellus, qui et ante Nicænum concilium sua decreta martyrio consecravit, ipse, inquam, vir apostolicus in decretis suis capite undecimo testatur : ita Ipsi apostoli eorumque

successores, Domino inspirante, constituerunt ut A nulla fieret synodus præter Romanæ sedis auctoritatem. Sanctus quoque Athanasius præsul Alexandrinus, qui non minima pars Nicæni concilii fuit in epistola ad Felicem papam cap. 2, ita dicit : Scimus in Nicæna magna synodo trecentorum decem et octo episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum non debere absque Romani pontificis sententia concilia celebrari. Sed et beatæ memoriæ Julius papa idipsum cap. 5 profitetur, dicens : Ipsi vero primæ sedis Ecclesiæ convocandarum generalium synodorum jura et judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis. B. quoque Damasus papa in decretis suis cap. 9 hanc intulit sententiam : Nulla unquam concilia rata leguntur quæ non sunt fulta B apostolica auctoritate. His autem sententiis B. Isidorus, rimator Scripturarum sagacissimus, fideliter astipulatur, dicens : Synodorum vero congregandarum auctoritas apostolicæ sedi privata commissa est potestate, nec ullam ratam esse legimus quæ ejus non fuerit auctoritate congregata et fulta. Hæc canonica testatur auctoritas. Hæc ecclesiastica historia roborat. Hæc sancti Patres confirmant. Si ergo illa quatuor concilia omni auctoritate carerent, nisi principaliter ex decretis Romanorum pontificum firmitatem obtinerent, quis inficiari poterit quanto decreta per ipsos apostolicos viros promulgata majori veneratione digna merito censeantur quam ipsa concilia, quæ non per ipsorum apostolicorum præsentiam, sed tantum per eorum legatio- C nem authentica fieri merebantur? Sic enim legat sedis apostolicæ eorumdem principalium conciliorum sanctiones primaria subscriptione apostolica vice canonizabant. Nempe sub piissimo imperatore Constantino, magnus Osius Cordubensis episcopus, Victor et Vincentius presbyteri Romanæ Ecclesiæ ex parte sancti Silvestri papæ Nicæno concilio præfuerunt, et ipsum principali subscriptione firmaverunt. Item temporibus Theodosii junioris Augusti sanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus et Arcadius episcopus ex Italia vice beatissimi papæ Cœlestini Ephesino concilio præfuerunt, et ipsum apostolica vice corroboraverunt. Item tempore Marciani principis Paschasius et Lucentius episcopi et Bonifa- D cius presbyter vice S. Leonis papæ in Chalcedonensi concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt qui et Anatolio patriarchæ Constantinopolitano quoddam privilegium in concilio usurpanti liberaliter contradixerunt, et reliquis statutis apostolica vice subscripserunt, ut liber Liberati Carthaginensis diaconi de eodem concilio testatur. Hæc autem omnia manifestius ille videbit, quicunque eorumdem conciliorum subscriptiones studiose perspexerit. Ergo reverentiam sive obedientiam, quam sacratissimis IV conciliis juxta S. Gregorium merito exhibemus, decretis apostolicæ sedis nullatenus denegare, imo, si possibile est, studiosius impendere debemus, cum sine eorum auctoritate nec ipsa concilia fas esset recipere.

IV. Sed nec reliqua concilia parvipendere debemus, in quibus multa nusquam alibi inventa, ecclesiasticæ tamen dispensationi necessaria, reperimus; quæ quidem a superioribus authenticis sanctionibus nullo modo discrepant, cum Christianæ religioni apertissime conveniant. Hujusmodi, inquam, capitula in quibuslibet conciliis inventa, nullatenus ab aliquo catholico sunt contemnenda, præsertim cum ipsa reliqua concilia ex sacratissimarum auctoritate sanctionum descendisse non dubitentur, quæ per singulas provincias bina episcoporum concilia annuatim fieri firmissime decernunt. Hoc, inquam, beatus Anacletus ab ipso principe apostolorum presbyter ordinatus in decretis suis cap. 17 certissime decernit. Congregatio, inquit, summorum per singulos annos fieri solet et debet. Hoc excellentissima synodus Nicæna cap. 5 constituit. Bene, inquit, placuit singulis annis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones. Item Constantinopolitanum concilium, enumeratis privilegiis diversarum Ecclesiarum, cap. 2 constituit : Servata regula quæ scripta est de gubernationibus, manifestum est quod illa quæ sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio. Item Chalcedonense concilium cap. 19 dicit : Decrevit sancta synodus secundum canones Patrum bis in anno episcopos in idipsum in unamquamque provinciam convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere, si quædam fortassis emerserint. Patet ergo quod authenticæ sanctiones etiam provincialia concilia fieri præcipiunt, quod incassum præciperent, nisi et nos eorumdem conciliorum probabiles sententias observare decernerent. Unde et in tertio Toletano concilio universali decretum est : Qui concilia orthodoxorum episcoporum consona sanctissimis quatuor conciliis non recipit, anathema sit. Quicunque ergo et horum conciliorum rationabilibus statutis obviare conatur, etiam a superioribus authenticis sanctionibus in periculum suum dissentire probatur. Beatus quoque Isidorus in quadam sua præfatione de canonibus cap. 11 prædictis rationibus astipulatur hoc modo : Nosse etiam oportet, licet cætera non infirmentur, quatuor esse principalia concilia. His autem enumeratis, subinfert in eodem capitulo : Sed et si quæ sunt concilia quæ sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore. Est ergo dignum, ut et hujusmodi conciliorum statutis obtemperetur : si enim non parvæ stultitiæ constat, si quis cujuslibet unius hominis sano consilio acquiescere detrectat, quanto magis reprehensibile videtur, si quis impudenter resistat hujusmodi conciliorum statutis, non unius, sed plurimorum sapientium, auctoritate et judicio prolatis atque probatis. Nempe hujusmodi conciliis plures catholici et eximii doctores interfuisse leguntur, ut in Africanis

conciliis legati sedis apostolicæ, Faustinus, Honoratus, Urbanus, episcopi; sanctus etiam Aurelius Carthaginensis archiepiscopus; item ipse vir omnium virtutum Augustinus Hipporegiensis [Hipponensis] episcopus, quem et Cœlestinus vir apostolicus in decretis suis ita nobis commendat: Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros etiam a meis prædecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. Huic etiam Augustino, ut liber Liberati testatur, Theodosius imperator per sacram suam mandavit, ut se Ephesino concilio præsentaret: sed heu! tam egregius doctor ante mundo substractus est, quam ad illum invitatoria Romani principis epistola pervenisset. Hi ergo quos prædixi, et alii innumerabiles sancti Patres, Africanis conciliis interfuere, imo præfuere. Sic etiam sanctus Marianus [Marinus] Arelatensi concilio per sanctum Silvestrum papam approbato; sic sanctus Cæsarius Agathensi; sic sanctus Hilarius Arausicensi, sanctus Albinus (427) Aurelianensi, sanctus Bonifacius Moguntiensi concilio. Sic et alii aliis conciliis non soli, sed cum pluribus aliis sanctis Patribus, interfuisse leguntur, qui in Christiana religione et doctrina tam insignes fuisse creduntur, ut vel unius eorum singulari judicio obviare nimium esset temerarium. Ergo multorum sapientium judicio non acquiescere multo magis est intolerabile, in his duntaxat capitulis quæ prædictis authenticis statutis non adversantur; sed institutioni Christianæ religionis procul dubio suffragantur. Nam juxta beati Augustini judicium, pro nullius personæ reverentia est recipiendum, si quid canonicæ veritati in aliquo concilio vel alicubi reperitur adversum. Præterea sancta et veneranda synodus Chalcedonensis etiam provincialia concilia ante ipsam transacta canonizasse non dubitatur, ita decernens cap. 1: Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas proprium robur habere decrevimus. Hæc autem concilia ante ipsum Chalcedonense leguntur fuisse Ancyranum, Neocæsariense, quæ et Nicæno concilio antiquiora traduntur: item Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicense; ergo eadem et in Chalcedonensi synodo non dubitantur esse roborata, quæ etiam cum Africanis canonibus beatus Adrianus papa Carolo imperatori ad disponendas Ecclesias in regno suo Romæ tradidisse legitur. Quapropter nec provincialium conciliorum statuta a quolibet temere sunt respuenda, quæ et apostolica sedes censuit recipienda. Hucusque sufficiat dixisse de sacrorum canonum auctoritate: nunc ad propositum redeamus, et statuta, quæ noster apostolicus in superiori epistola Ottoni Constantiensi episcopo cautissime descripta transmisit, per ordinem digeramus.

V. Horum illud erat primum, ut clerici aliquem sacrorum ordinum gradum et officium per pretium adepti nullatenus deinceps in Ecclesia ministrent; secundum, ut Ecclesiam pretio acquisitam nullus retineat, nec alicui deinceps Ecclesiæ jura vendere vel emere liceat; tertium, ut a clericali officio cessent quicunque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent; quartum, ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos apostolicas institutiones contemnere videat. Curramus ergo per singula et eadem, quam authentica, quam attendenda, imo quam inevitabilia sint, non ex nostris conjecturis, sed ex sanctorum Patrum statutis compendiose monstremus.

VI. Primum itaque statutum in Chalcedonensi concilio plenissime et evidentissime reperitur, quod unum ex quatuor prædictis conciliis tempore quidem, non dignitate ultimum, sancti Patres Leoni Augusto usque ad sanguinem vindicandum esse mandarunt, ut Liberatus in libro suo testatur: in ipso, inquam, concilio scriptum est capite 2: Si quis episcopus per pecunias fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet ex his qui numerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemque qui subjectus est regulæ pro sui turpissimi lucri commodo, is, cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit: et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis exstiterit, et ipse, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monachus, anathematizetur. Et notandum quam caute istud caput omnes Simoniacorum astutias excludat, cum quolibet modo per pecuniam promotos absque omni spe recuperationis deponat. Solent enim Simoniaci diversis modis, sed uno reatu, sacras dignitates mercari, nempe nunc ipsi, nunc pro ipsis eorum amicis, pretium pro sacra dignitate vel ante ordinationem suam dederunt, et in ipsa dant, et postmodum se daturos promittunt, et hoc nunc electoribus eorum, nunc eorum ordinatoribus, vel demum quibuslibet eorum fautoribus. Quicumque ergo aliquo horum modorum, quemlibet promoverit, vel seipsum ita promotum esse cognoverit, indubitanter a superiori capite degradari jubetur, cum per pecuniam vel alium promovisse, vel ipse promotus esse non dubitetur. Sed nec hoc sine consideratione prætereundum videtur, quod idem caput duo negotiatorum genera damnavit, unum quidem eorum qui ad diaconatum, vel presbyteratum, vel ad aliquem hujusmodi gradum per pecuniam ordinantur, alterum eorum qui ad dispensationis ministerium,

(427) Quid sit concilium illud et quis ille Albinus nemo hactenus docuit.

vel ad aliquod hujusmodi clericale officium, per pecuniam promoventur, qualis est vicedominatus, præpositura, decania, archipresbyteratus, et his similia. Sic ergo et noster apostolicus duo negotiatorum genera, et omnes negotiantium versutias in primo ejus statuto comprehendit, in quo clericos aliquem sacrorum ordinum gradum et officium quoquo modo per pecuniam adeptos deponit, quod tamen statutum superiori capite mitius liquido probatur, cum spiritualium officiorum venditores, et tam nefariæ negotiationis mediatores, debita ultione non damnet, quos tamen prædictum caput cum ipsis emptoribus degradandos et anathematizandos esse decrevit. Et nota si mediator degradari vel anathematizari merito jubetur, quid de illo censes qui per eamdem negotiationem indigne promovetur. Hoc utique quod sanctissimus papa Gregorius, imo per illum Spiritus sanctus, de hujusmodi negotiatoribus indubitanter decrevit, qui in ejusdem apostolici auriculam sub columbina specie quælibet decernenda dictare consuevit. Nempe scriptum est in decretis suis capite 131 : Quicunque ergo ecclesiasticum officium pretii studet datione mercari, dum non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed inaniter tantummodo dici concupiscit. Et paulo post in eodem cap. (lib. IX *Epistolarum*, ep. 34) : Cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica detestatione esse damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Quid ergo mirum si noster apostolicus eos tantum ab ecclesiasticis ministeriis separavit, quos sanctissimus ejus æquivocus ab Ecclesia separatos esse cum reliquis hæreticis deputavit?

VII. Secundum quoque statutum nostri apostolici quod Ecclesias emptoribus earum adimi præcipit, item in prædicto Chalcedonensis concilii capite, licet obscure, comprehensum videtur, quod etiam dispensatori rerum ecclesiasticarum per pecuniam promoto officium dispensandi jubet auferri; quilibet enim presbyter dispensator debet existere, non prædicationis tantum, sed etiam rerum Ecclesiæ sibi commissæ, quas sancti Patres non solius presbyteri, sed quorumlibet egentium necessitati dispensandas esse censuerunt. Præterea in eodem capitulo cuilibet clerico omnis ecclesiastica sollicitudo per pretium acquisita jubetur adimi, procurare autem ipsam Ecclesiam cum sacerdotali diligentia, ni fallor, clericalis sollicitudo est et ecclesiastica. Ergo et in eodem capitulo ecclesiæ sollicitudo per pecuniam usurpata jubetur auferri. Unde et beatissimus papa Gregorius scribens ad Clementem Bizanzenum [*forte*, Byzacenum] de quodam presbytero, decernit ita : Ut si idem presbyter quamdam Ecclesiam obtinuisset per pecuniam, non solum eadem Ecclesia privaretur, sed etiam presbyterii honore spoliaretur. Sic quoque et in antiquis nostrarum provinciarum conciliis, Moguntiacensi videlicet, Remensi, A sive Turonensi statutum legitur, ut presbyter Ecclesiam pretio adeptus, et presbyterio et Ecclesia privetur. Item beatus Leo papa ejus nominis nonus, nostro tempori pene contiguus, in prima sua Romana synodo Simoniacam hæresim penitus damnavit, emptiones et venditiones altarium sub anathemate prohibuit; quod anathema illi non evaserunt quicunque deinceps tam nefariam negotiationem exercere præsumpserunt. Libet ergo considerare quam clementer noster apostolicus tantum emptas Ecclesias emptoribus eorum ademerit, quos juxta censuram sanctorum Patrum et Ecclesia et presbyterio, imo Christiano nomine et communione, privandos esse non ignoravit.

VIII. Sed cur in tantum laboramus, ut prædicta B nostri apostolici statuta ex synodicis sanctorum Patrum sententiis processisse demonstremus, cum eadem ex ipso sacræ Scripturæ armario emanasse nullum dubitare eruditum putemus? Nam in eadem Scriptura omnes personæ tam nefarii mercimonii damnatæ reperiuntur, scilicet et venditores et spiritualium officiorum emptores, atque hujus negotii mediatores. Ipse enim Dominus pariter ementes et vendentes de templo suo ejecit, et cathedras vendentium columbas jam tunc ipse subvertit (*Matth.* XXI, 12); quod S. Gregorius ille theologus noster in vigesima secunda homilia exponit ita : Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam vendunt, et ante humanos oculos, et ante Dei oculos, sacerdotio privantur; et me- C rito, nam ipsa Veritas præcipit in Evangelio : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X) : quod cum tales non attendant, etiam a Deo seipsos alienant, qui in eodem Evangelio dicit : *Qui est ex Deo, verba Dei audit : ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Matth.* V). Præterea princeps apostolorum Petrus, imo per illum ipse Christus omnibus prælatis in Ecclesia præcipit ita : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; providentes non coacte, sed spontanee secundum Dominum ; non turpis lucri gratia, sed voluntarie* (*I Petr.* V). Contra hoc præceptum illi agunt, quicunque hoc spirituale officium pro sæculari lucro subjectis suis turpiter impendunt, de quibus idem apostolus in sua posteriori epistola te- D statur : *Secuti sunt viam Balaam ex Bosor qui mercedem iniquitatis amavit; correptionem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam* (*II Petr.* II). Quod venerabilis presbyter Beda in tractatu super eamdem epistolam dilucidat ita : Nonnulli catholicorum intantum mercedem amant iniquitatis, ut etiam docti ab indoctis, a laicis clerici merito lacerentur : qui jure comparantur prophetæ, qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen a proposito pravi itineris retardatur. Iste videlicet Balaam idem esse asseritur qui et beatum Job in libro superflue et arroganter docuisse legitur, qui et Eliu, id est divinus, ab officio divinandi est cognominatus. Sic enim testatur sanctus Hieronymus

in libro De *Hebraicis quæstionibus*. Hic ergo cum esset propheta a Balaac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Israel conductus, illis quidem in verbo Domini pro pretio studuit maledicere, sed pravitatem suam, Domino vetante, ad effectum non perduxit, nec mercedem iniquitatis accepit, qui tamen adeo a Deo reprobabilis denotatur ut asina ejus sapientiam, imo vesaniam ejus et insipientiam corripuisse, et eum a gladio ejus [f., ei] resistentis angeli eripuisse, legatur, quam ipse angelus non morituram fore testatus est, etiamsi ipsum reprobum prophetam debita morte multasset.

Si ergo Balaam tantum amando mercedem iniquitatis adeo legitur reprobabilis, quanto magis ille inter reprobos est computandus, qui cum Balaam de iniquissima venditione spiritualis officii pretium studiosissime requirit, nec cessat donec ambitionem suam ad effectum perducat. Præterea beatus Hieronymus in tractatu super Matthæum, illum scribam qui dixit Jesu : *Magister, sequar te quocunque iveris* (*Matth.* VIII), ideo repudiatum a Domino testatur, quia more Simonis Magi eum sequi voluerit, ut ex operum miraculis lucrum assequeretur, unde et sibi a Domino respondetur : *Vulpes foveas habent* (*Ibid.*), etc.; ac si diceret : Cur propter lucra et divitias vis me sequi, cum tantæ sim paupertatis ut nec proprium habeam hospitium, cum vulpes etiam et volucres proprias habeant mansiones? Si ergo ille, qui spirituale officium pro lucro tantum exercere voluit, ab ipso Domino jure reprobatur, quanto magis ille qui et hujusmodi officium penitus aliis vendidisse detegitur!

IX. Emptores autem spiritualium officiorum cum ipso principe eorum Simone Mago in Actibus apostolorum damnati leguntur, ubi ille noster Simon princeps apostolorum eumdem alium Simonem principem apostatarum æterna damnatione multavit, ita decernens : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac malitia tua, et roga Dominum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem, Simon dixit : Precamini et vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis* (*Act.* VIII). Et nota ipsum hæresiarcham Simonem Magum pro sola nefaria cogitatione ab æquivoco suo damnatum, quem videlicet spirituale officium mercari solummodo cogitasse, nullatenus autem tam nefariam negotiationem legimus implesse : videsne quam rationabiliter illi damnentur qui et tam inhianter, ut Simon Magus, spiritualia officia mercari concupiscunt, et insuper desideratam negotiationem perficiunt : et qui et eadem scelerate acquisita sceleratius uti, imo abuti non verentur, unde non parum ipsum Simonem Magum in culpa præcedere videntur. Ille enim emptionem, quam male concupivit, nullatenus ad effectum perduxit, qui pro solo nefario appetitu damnatus, per ipsos apostolos apud Dominum efficere studuit ut damnatorias eorum sententias subterfugeret, non ut officium criminose appetitum criminosius obtineret. Sed cur idem hæresiarcha spirituale officium mercari appetisset, nisi emptum deinde nefandius vendere vellet, non enim frustra de eo scriptum esse videtur, quod stupidius de signis et virtutibus admiretur, quæ ut ipse posset facere per pecuniam suam voluit efficere, videlicet, ut, juxta sancti Hieronymi assertionem, temporale lucrum ex miraculis assequeretur. Ergo non solum emptores, sed et venditores spiritualium officiorum, sectatores præfati hæresiarchæ denotantur, unde et cum eodem æternæ damnationis vinculo adstricti non dubitantur, attestante beato Gelasio in decretis suis capitulo vigesimo quarto. Quos vero constiterit indignos meritis sacram mercatos esse dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo tale facinus patrantes, quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit.

Hanc autem generalem sententiam B. Gelasius papa pertractans de singulorum graduum ordinationibus subintulit, inter quos etiam ostiarios, notarios, sive defensores, numeravit, qui nec per manus impositionem ordinantur, nec ipsi manus alicui imponere permittuntur; unde et illum in decretis sancti Alexandri Simoniacum vocari non dubium est, qui pœnitenti ad reconciliationem pro pretio apud episcopum juvat. Ex qua re colligitur, non solum illos reputari inter Simoniacos, qui per pretium ad manus impositionem perveniunt, sed et illos qui et alia clericorum officia per pecuniam acquirunt. Omnia autem in ejusmodi officiis operatur unus atque idem Spiritus (*I Cor.* XII), cujus donum non gratis, sed per pretium dare et accipere, non catholicum, sed indubitanter est Simoniacum.

X. Mediatores quoque hujus nefandissimæ negotiationis ab ipso vase electionis damnatur, qui eos ita detestatur : Nam digni sunt morte non solum qui nefanda faciunt, sed qui facientibus consentiunt (*Rom.* I). Item citharista noster David : *Si videbas*, inquit, *furem, currebas cum eo* (*Psal.* XLIX). Et illud : *Os tuum abundavit malitia; et lingua tua concinnabat dolos* (*Ibid.*). Deinde in eodem psalmo terribilis sententia de hujusmodi assentatore profertur, videlicet quod a Domino arguendus, nec per aliquem a manu Domini deinceps eripiendus. Nec mireris si spiritualis officii mercator sub nomine furis designetur, cum ab ipsa Veritate in Evangelio ita nominetur : Qui enim aliunde intrat nisi per ostium, non pastor ovium, sed fur et latro nuncupatur a Domino (*Joan.* X). Nempe nullus in Ecclesia prælatus per ostium, hoc est per ipsum Dominum, ad pastoralem curam intravit, qui per avaritiam, id est idolorum servitutem, ad hoc officium pervenit. Non est ergo indignum hujusmodi mercatorem sive mercenarium sub nomine furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit imitari. Hu-

jus autem criminosissimi mercimonii mediatores non negligenter attendant Giezi puerum Elisæi, qui ex parte domini sui, eo quidem nesciente, munera sponte oblata suscepit a Naaman Syro, qui jam a lepra mundatus est ab Elisæo propheta. Idem quippe Giezi, licet inter Elisæum et Naaman medius nefarie lucraretur, neutrum tamen secum sceleris fecit ejusdem obnoxium. Nam et ille spontaneam oblationem sortis eleganter respuit, quam iste non quasi ex debito ementis, sed ex benigno affectu mentis, liberaliter obtulit; sed quamvis Giezi neutrum horum in crimine secum attraxerit, sed se solum in hos medium simplici crimine obligaverit, ipse tamen et omnes et posteri pro eadem culpa leguntur severissime puniti; sed et lepram, a qua mundatus est Naaman, quasi hæreditariam in sempiternum sortiti. Quapropter mediatores Simoniacæ negotiationis attendant quam districte, imo quam districtissime sint damnandi, qui non solum se ipsos, sed et illos quorum mediatores sunt sub æterna damnatione secum posuerunt. Satis ergo, ut opinor, declaratum est quam summopere prædictas nostri apostolici sanctiones venerari et observare debeamus, quas non solum ex synodicis et authenticis sanctorum Patrum sententiis promanasse, sed etiam ex propheticis, evangelicis et apostolicis scripturis processisse probatum est evidentissime. Ipsa videlicet Veritas eadem, et per seipsam, et per suos fideles indubitanter promulgavit, quæ et sub fideli attestatione nobis dicit : *Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum* (*Joan.* XVIII). Item alibi : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV). Ergo qui mandata ejus non observat, ipsam Veritatem non amat : *Qui autem non diligit*, attestante sancto Joanne, *manet in morte* (*II Joan.* III; qui vero divina præcepta contemnit, nullatenus mortem subterfugere valebit.

XI. Tertium autem apostolici nostri statutum, quod incontinentibus clericis ministerium altaris interdicit, nihilominus definitum est a sanctis Patribus : est enim scriptum in Nicæno concilio, quod maximum est inter quatuor concilia Evangeliis adæquata, capite tertio : Interdicit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt. Ut autem hujus capitis intentio clarius elucescat, apertiorem ejus translationem subnectere non pigeat : Omnimode sancta interdixit synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque ulli omnino clericorum, licere habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit, aut soror, aut amita : in his namque personis, et harum similibus, omnibus suspicio declinatur : qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de clero suo.

Videsne ergo, quod penitus clericis conjugale

A opus interdicatur, qui et pro ipsa cohabitatione feminarum non solum de ministerio altaris, sed de clericatu suo periclitari jure censentur. Nec hoc tantum de sacerdotibus, sed de omnibus sacris ordinibus evidenter decernitur. Item Neocæsareense concilium, quod ante Nicænum concilium fuisse legitur, capite primo decrevit : Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi.

Chalcedonense etiam concilium, quod ipsas Neocæsareenses et Nicænas, imo omnium sanctorum Patrum sanctiones ante ipsum transactas, ut prædictum est, confirmat, etiam earumdem sanctionum prævaricatores generaliter ita condemnat capite 10 :

B Eos autem qui ausi fuerint per [*lege* post., HARD.] diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quæcunque ex his quæ sunt prohibita penetrare, decrevit sancta synodus a proprio gradu recedere.

Item beatissimus papa Silvester, qui Nicænam synodum congregavit et eamdem apostolica auctoritate corroboravit, in suis synodalibus decretis ita decernit capite sexto : Nemo presbyter a die honoris presbyterii sumat conjugium : quod si quis neglecto hoc aliter egerit, duodecim annis eum jubemus privari honore; quod si quis contra hoc chirographum præsens et publice dictum egerit, damnabitur in perpetuum.

Item beatus Siricius papa in decretis suis capite

C septimo : Quilibet episcopus presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps, si incontinens fuerit inventus, jam nunc sibi per nos omnem aditum indulgentiæ intelligat obseratum. Item in eisdem capite duodecimo : Feminas etiam non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem synodus Nicæna permisit. Item sanctissimus papa Gregorius scribens ad Romanum defensorem ita decernit capite decimo : Si quis episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hos ut omnino compescas jubemus, et de cætero illic eas inhabitare nullo modo patiaris, exceptis iis quas sacrorum canonum censura permittit, id est matrem, amitam,

D germanam, et alias hujus modi, de quibus prava suspicio non possit esse. Melius tamen faciunt, si se etiam a talium cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit; dicens : Quæ cum sorore mea sunt sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Et post pauca : Præterea curæ tuæ sit eosdem confratres nostros adhortari, ut subjectos sibi in sacris ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem suam, modis omnibus servare commoneant. Item Zacharias papa in decretis suis capite primo : Decernimus ut episcopi cum mulieribus omnino non habitent, ne ab antiqui hostis fraude decipiantur. Item in eisdem capite undecimo : Ut presbyteri et diaconi

subintroductas mulieres nullo modo secum habere audeant, nisi forsitan commatrem suam, aut proximitatem generationis sibi habentes, quæ suspiciones effugiunt; sicut in Nicæno concilio habetur : Si quis præter hæc statuta præsumpserit agere, sacerdotii sui honore privetur.

Item beatus Hieronymus scribens ad Oceanum, authenticis rationibus probavit non licere clericis conversari cum feminis; et postmodum subintulit : Quod si post nostra monita aliquis clericus agapetas amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur, et præcepta in Nicæa diffinita ei legantur; jam vero si conventus prædictos fugerit et reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est, germinant enim feminæ spinas cum viris habitantes, et arcana mentium acuto mucrone percutiunt.

Sed quid dicam ulterius? deficit enim mihi tempus, ut enarrem viritim sanctos Patres prædictis nostri apostolici statutis subscribentes. Nam omnes Catholici eadem observanda esse censuerunt; qui et a sacratissimis IV conciliis dissentire noluerunt, ex quibus noster apostolicus præfata produxit decreta : quapropter nec idiotas latere æstimo, quam periculose vel potius quam perniciose sibi suisque sectatoribus desipiant, quicunque per Sozomeni caput sacerdotibus incontinentiam ascribere non formidant : quibus licet superiorum epistolarum assertio sufficere debeat, iterum tamen eos præmonere de cavendo anathemate non tædeat.

XII. Vetus Testamentum partim in mysteriis, partim in moralibus præceptis continetur : sed, adveniente Christo, cessavit in mysteriis et carnalibus observantiis, quia ipse est finis sive completio legis; in moralibus præceptis adhuc manet, quia semper est observandum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XII), et reliqua. Quicunque ergo ex lege aliquam carnalem observantiam novo quidem Testamento adversam adhuc observandam esse dogmatizat, procul dubio cum Galatis, imo cum Ebionitis, judaizat. Conjugale autem opus sacerdotum inter carnalis legis observantiam computatur : quibus unquam [*forte,* in quam, HARD.] sacerdotibus hoc tantum in lege successionis causa legitur concessum, quia ex alia tribu nullus eo tempore pervenit ad sacerdotium. Nam nostro tempore ex quolibet genere sacerdotes eligere licet, quibus et merito interdicitur conjugale opus, cum non jam successores habent necessarios. Quapropter quisquis et hoc tempore illud Judaicum conjugium sacerdotibus licere cum Sozomeno, vel potius cum Ebione, dogmatizat, non negligenter illud inevitabile anathema considerat [*forte,* consideret. HARD.], quo ipse Apostolus specialiter Judaicarum observationum prædicatores anathematizat, Galatas judaizantes ita deterrens : *Sed licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quam quod evangelizamus vobis, anathema sit* (*Galat.* I). Item vero inculcans, subjungit : *Nunc iterum dico vobis, si quis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit* (*Ibid.*). Idem quoque Paulus ipsum principem apostolorum Antiochiæ, licet ejusdem sedis episcopum, liberaliter corripuit, eo quod non quidem prædicando, sed suo exemplo judaizare cogeret, cum se ab eorum convivio pro timore Judæorum simulando subtraheret. Præterea ipse hæresiarches Ebion cum omnibus suis sectatoribus inter reliquos hæreticos anathematizatus est a sacratissima synodo Constantinopolitana, et a beato Gelasio papa in apostolica sede : quod anathema nullus subterfugere poterit, quicunque ipsum hæresiarcham per Sozomeni caput sectari præsumpserit.

XIII. Quidam etiam videntur sibi nimium scholi [scioli], asserentes incontinentiam sacerdotibus esse concessam in illo Apostoli : *Unusquisque suam uxorem habeat* (*I Cor.* VII); qui autem non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I) ; aut, si intelligunt, suam ipsorum conscientiam impugnant. Nam, attestante beato Hieronymo, Corinthii inter cætera ab Apostolo quæsierant an nuper renatis in Christo carnalis copula licita esset : quibus ita rescripsit Apostolus : *De quibus autem scripsistis mihi, bonum est hominem mulierem non tangere : propter fornicationem aut unusquisque suam uxorem habeat, unaquæque virum suum. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir; similiter et vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 1) : quod ita exponit beatus Hieronymus in libro contra Jovinianum : Non dixit Apostolus propter fornicationem ducat unusquisque uxorem, alioquin hac excusatione libidini frena laxasset, ut quotiescunque uxor moriatur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur; sed *unusquisque uxorem suam habeat* : *suam*, inquit, *habeat*, sua utatur, quam habebat antequam crederet : quam bonum erat non tangere, et post fidem Christi sororem tantum nosse, non conjugem, nisi fornicatio tantum excusabilem faceret. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere non permittit, quandiu enim impleo mariti officium, non impleo continentis. Jubet idem Apostolus in alio loco ut semper oremus (*I Thess.* V) : si semper oramus, nunquam conjugio serviendum est, quandoquidem quotiescunque uxori debitum reddo, orare non possum. Sic et Petrus apostolus docet Christianos ut infirmiori vasculo muliebri honorem tribuant, ab opere conjugali cessantes, ne impediantur eorum orationes. Quis ergo sanæ mentis prædictas apostoli sententias de exercendo conjugali opere sacerdotibus ascribat, quorum quotidianum est officium non modo orare, sed et divina sacramenta contrectare, præsertim cum in eodem loco etiam cuilibet Christiano tempore orationis injun-

gatur continentia? Nempe si Apostolus his etiam sacerdotibus carnalem copulam concederet, profecto contrarius sibi esset, qui ad Titum scribens præcipit ut sacerdotes sobrii, justi sint, atque continentes (*Tit.* VI). Et non hic sacerdotibus, sed laicis, et his non solidum cibum sed lacteum potum ministrat, utputa neophytis, qui nondum sibi, necdum aliis sufficienter erant instructi.... idem Apostolus sacerdotale officium penitus intercludit. Eadem etiam ratione probatur ad laicos, non sacerdotes, spectare quidquid idem Apostolus scribit de exercendo opere conjugali, ut illud : *Quod si se non continent, nubant. Melius est nubere quam uri* (*I Cor.* VII) : id est, melius est legitimo marito misceri quam fornicari. Et illud : *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem; si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccat* (*Ibid.*). Hoc itaque nullo modo de sacerdotibus vel de aliis continentiæ dedicatis dicitur, sed de illis tantum qui legitime conjugari possunt. Unde beatus Hieronymus in libro supradicto : Si, inquit, nupserit virgo, non peccabit, non illa virgo quæ semel Dei cultui dedicata : harum enim si qua nupserit, damnationem habebit, quia primam irritam fecit fidem. Si autem hoc de viduis dictum objecerit, quanto magis de virginibus prævalebit, cum etiam his non liceat quibus aliquando licuit : virgines enim quæ post consecrationem nupserint non tam adulteræ sunt quam incestæ. Si ergo prædictæ apostoli sententiæ hujusmodi continentibus carnalem copulam non concedunt, quanto minus sacerdotibus; maxime cum illæ simpliciter ad continentiam sint consecratæ, illi autem ipsis continentibus sint prælati, et per venerandam manus impositionem, et per sacrosancti chrismatis unctionem. Præterea idem Apostolus ipsis quibus conjugale opus exercere concedit, eisdem etiam secundas nuptias inire licenter permittit. Soluto enim ab uxore aliam ducere concedit, et viduæ nubendi licentiam attribuit. Nullatenus ergo sacerdotes sub permissoria carnalis copulæ sententiæ comprehendit, quibus in epistola ad Timotheum et Titum bigamiam penitus prohibuit, cum jubeat tantum unius uxoris virum eligi ad sacerdotium : nam nec apud ethnicos bigamia licebat sacerdotibus beato Hieronymo asserente contra Jovinianum. Legant, inquit, nostrates, antequam religio nostra fulgeret in mumdo, unicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas Fortunæ muliebri sacra fieri solita, nullum sacerdotum bigamum, nullum flaminem bimaritum. Hierophantas quoque Atheniensium usque hodie cicutæ sorbitione castrari, et postquam in pontificatum electi fuerint, viros esse desinere; quicunque autem prædicti Apostoli verba intantum adulterant ut sub eorum perversa interpretatione, etiam sacerdotibus incontinentiam licere consignent, procul dubio sequuntur Nicolaum hæresiarchen, quem Clemens Alexandrinus in tertio libro Stromatum refert uxorem suam cuilibet etiam volenti prostituisse, et hoc exemplo suo docuisse cunctis promiscua atque communia feminarum consortia licere : et hoc ideo ut a majoribus..... quia scriptum est : *Et erant illis omnia communia* (*Act.* II), inter quæ Nicolaus numeravit et conjugia. Sicut ergo ille apostolicum exemplum nimis generaliter et perverse acceptum in hæresim mutasse refertur, sic et isti illud Apostoli : *Unusquisque uxorem suam habeat* (*I Cor.* VII), nimis generaliter et perversissime interpretantes, in errorem vertisse notantur, qui sub eodem exemplo contra eumdem Apostolum sacerdotibus conjugale opus concessum fallaci pertinacia contendunt. Quamvis enim in sacris ordinibus promiscua feminarum consortia magis detestanda sint quam singularia, depravatori tamen apostolicæ institutionis ipsi hæresiarchæ Nicolao minus imputanda videtur quam istis. Ille enim eo quidem tempore apostolicam doctrinam male interpretatus est, cum vix in primis nomen Christianitatis incœpisset, cum evangelica et apostolica doctrina nondum esset per totum mundum dilatata, nondum tot virtutibus, tot signis, tot sacratissimis sanctorum martyrum triumphis approbata; isti autem eamdem doctrinam jam ubique ignotam, nec rusticis jamdudum [notam nec rusticis jamdudum ignotam], imo jam ab antiquo sanguine sanctorum Patrum consecratam et irrefragabiliter corroboratam, obstinatissima temeritate nituntur depravare. Unde et illam perditionem subterfugere nequibunt quam ipse princeps apostolorum depravatoribus Scripturarum assignat, qui Epistolas coapostoli ejus Pauli ita nobis commendat : *In quibus*, inquit, *Epistolis sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* (*I Petr.* III). Vos ergo, fratres, præscientes custodite ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. Ut autem clarius eniteat Apostolum in superioribus sententiis non sacerdotibus, sed laicis, carnale commercium indulsisse, diligenter inspiciamus quid idem Apostolus ministros sanctorum observare decernat, et quibus sacros ordines concedi vel denegari constituat. Nam in eadem apostolica institutione et defensoribus sacerdotalis incontinentiæ perpetuum silentium evidenter imponitur, et præfata nostri apostolici statuta irrefragabiliter corroborantur; quippe quæ nulli sacrum officium interdicunt, nisi quem et apostolica præcepta penitus ab ipso sacro ordine secludunt.

XIV. Beatus ergo Paulus apostolus scribens ad Timotheum de sacris ordinibus ita testatur : *Fidelis*, inquit, *sermo : Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum; filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat dia-*

boli. Oportet autem et illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi primum probentur, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint viri unius uxoris, qui filiis suis bene præsint et domibus suis; qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu (*I Tim.* III). Item ad Titum : *Hujus*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui; si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet autem episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit et exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere. Sunt multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Et post pauca : *Increpa illos dure, ut sint sani in fide, non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium se a veritate* (*Tit.* I).

XV. In primo igitur notandum est in his apostolicis institutionibus sub nomine episcopi etiam presbyteros comprehendi; inconvenienter enim Apostolus post descriptionem episcop statim de diaconibus subinfert, si non et presbyteros sub episcopali descriptione comprehenderet, qui post episcopum proximi, et ipsis diaconibus indubitanter sunt antepositi. Aut enim nusquam de ordinatione presbyterorum dixit, aut sub nomine episcoporum eos descripsit. Sed incongruum esset ut prætermisso magistro ministrum ejus describeret, cum tamen magister ecclesiasticis dispositionibus magis esset necessarius. Præterea cum Apostolus Tito præcipiat ut per civitates presbyteros ordinet, statim eum de ordinatione eorum informans subinfert : *Oportet episcopum sine crimine esse* (*Tit.* I). Idem Timotheo scribit : *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (*I Tim.* IV); cui in sequentibus statim dixit : *Nemini manum cito imposueris* (*Ibid.*), quod proprie episcoporum est : ergo eumdem episcopum dicit quem et presbyterum nominavit. Sic beatus Hieronymus et sanctus Ambrosius, prædictas Apostoli sententias fideliter exponentes, testantur apud antiquos idem fuisse episcopum et presbyterum, ut nomen unum esset officii, aliud ætatis. Postea autem, ut Hieronymus asserit, cum unusquisque eos quos baptizaverat suos esse putaret, non Christi, propter auferenda schismata in toto decretum est orbe ut unus de presbyteris præponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret. Post descriptionem autem episcopi et presbyteri caute Apostolus subjungit de diaconibus ita decernens : *Diaconos similiter*, id est, *oportet esse pudicos*, etc. (*I Tim.* III), ac si diceret : Quod de episcopis et presbyteris decrevi, hoc idem et de diaconibus me sciatis decrevisse. Satis ergo evidenter patet, ut æstimo, Apostolum in superioribus suis diffinitionibus etiam presbyteros cum episcopis et diaconibus comprehendisse : unde et merito quilibet eorum a sacris officiis dimoventur, quicunque ex illis in se apostolicam informationem corrupisse probantur. Nempe Apostolus testatur episcopos, presbyteros et diaconos oportere turpis lucri non esse cupidos. Omnis autem Simoniacus turpissimi et nefandissimi lucri indubitanter est cupidus, ergo inter sacros ordines nullatenus est computandus, scilicet jamdudum per apostolicam sententiam penitus ab eisdem segregatus. Notandum autem, si neophytus inter sacros ordines non recipitur, qui tamen inter laicos posse salvari creditur, quanto magis inde sunt segregandi cupidi, sive avari, qui sunt idolorum servi; *qui*, juxta Apostolum, *nullatenus habent hæreditatem in Christo et regno Dei* (*Ephes.* V). Item Apostolus præcipit in superioribus ut episcopi, presbyteri, diaconi sint pudici et continentes; nec mirum, cum et laicos hortetur ad continentiam, dicens : *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, utique continentes (*I Cor.* VII). Item : *Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (*Ibid.*). Item : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V). Unde Hieronymus : Si Christus, inquit, sancte, caste, si absque ulla macula diligit Ecclesiam, viri quoque in castitate uxores suas diliant, et *sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ Deum ignorant* (*I Thess.* IV). Quem honorem ita interpretatur beatus Hieronymus : Si, inquit, abstinemus nos a coitu, honorem muliebri vasculo tribuimus; si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam. Præterea omnis populus filiorum Israel, ad montem accessurus et Dei eloquium de longinquo tantum auditurus, triduo sanctificari et se continere ab uxoribus jubetur (*Exod.* XIX). Jure ergo Apostolus sacrorum ministris incontinentiam interdixit, qui et sæcularibus debent præminere in castitate, qui et ipsius Spiritus sancti locutorium effecti, quotidie Dominum pro populo debent interpellare. Quicunque ergo horum incontinens esse detegitur, ab ipso Apostolo sacris ordinibus interesse prohibetur, cum per incontinentia apostolicæ institutioni seipsum subtraxisse videatur. Nam quod Apostolus dicit : *Unius uxoris virum* (*I Tim.* III), juxta attestationem sanctorum Patrum, ante ordinationem tantum, non post ipsam est intelligendum. Unde sanctus Cyprianus, in libro De duodecim abusionibus, dicit quod

talis esse debeat episcopus ut ante episcopatum A unam tantum uxorem habuerit, non plures. Unde et sanctus Hieronymus in apologetico ad Pammachium : Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eligantur aut vidui, vel certe post sacerdotium in æternum pudici. Item, beatus Zacharias, vir apostolicus, scribens ad sanctum Bonifacium Moguntiacensem archiepiscopum ita decrevit : Cum, inquit, tua fraternitas in concilio Moguntino consederit cum Carolomanno excellentissimo viro, si quos repererit episcopos, presbyteros, aut diaconos, contra canones vel statuta Patrum excessisse, id est in adulterio, vel si plures uxores habuerunt, aut etiam aliis capitulis, quibus canones obviasse reperit, tua sanctitas nulla ratione apostolica auctoritate permittat eos sacerdotio fungi, quia tales a suo proprio ore B falsi nominantur sacerdotes, et deteriores sæcularibus esse noscuntur qui se neque a fornicationibus neque a nefariis matrimoniis abstinent. Nam quod inde sentiunt, dicente Domino : *Sacerdotes mei semel nubant;* et Apostolus : *Unius uxoris virum;* et hoc ante sacerdotium susceptum uti licitum est : nam a die suscepti sacerdotii etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. Unde et Hieronymus ad Vigilantium scribens testatur : Ecclesia Orientis et Ægypti, et apostolica sedes, aut virgines clericos accipiunt aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt; quomodo enim juxta eumdem Apostolum, ut prædictum est, se continerent, si cum conjugibus incontinen- C tiam exercere deberent? Quæ quia contraria sunt, nullatenus simul esse possunt. Sed et hoc diligenter inspiciendum quod Apostolus jusserit eligi ad sacerdotium, nam qui jam per incontinentiam filios generaret, sed qui dudum filios adultos et bene nutritos habuisset.

Nota autem Apostolum inobedientes et vaniloquos nullatenus inter sacros ordines computasse, imo peritos sacerdotes constitui præcepisse ad hos utique arguendos qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia; quos etiam dure increpari jubet ne Judaicis fabulis intendant, et mandatis hominum aversantium se a veritate, ut illi qui juxta mandatum Pauli Samosateni, sive Ebionis, Judaicam incontinentiam Christianis D sacerdotibus licere dogmatizant. Quid ergo mirum si etiam noster apostolicus hujusmodi inobedientes a sacro officio dimovit, quos et Apostolus dure increpari, non sacris ordinibus annumerari, decrevit? Videsne ergo quam inevitabiliter sint observanda nostri Gregorii statuta, quæ a sacratissimo fonte Scripturarum videmus derivata? Sciendum autem Apostolum constituisse ut ordinandi sive ordinati sine crimine essent, non sine peccato. Nam in mundo nullus, juxta Augustinum, exceptis parvulis baptizatis, sine peccato conversatur, attestante ipso dilectissimo Domini Joanne : *Si dixerimus,* inquit, *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* VIII). Item frater Domini Jacobus : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* II). Multi autem sine crimine reperiuntur. Unde beatus Augustinus in tractatu quadragesimo primo super Joannis evangelium testatur. Sed plane multi justi dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine. Nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen vero est peccatum grave accusatione et damnatione dignissimum; qui ergo tam grave admiserit, juxta Apostolum, peccatum, sacrum ordinem obtinere non debeat.

XVI. Ut autem hæc apostolica institutio de sacris ordinibus nobis evidentior fiat, beati Hieronymi expositionem super eamdem considerare non pigeat, qui eam in libro contra Jovinianum ita dilucidat. Sed et ipsa episcopalis electio mecum facit; non enim dicitur : Eligatur episcopus qui unam ducit uxorem, et filios faciat, sed qui unam habuerit uxorem et filios in omni subditos disciplina. Certe confiteris non posse esse episcopum qui in episcopatu filios faciat. Alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur; aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint virgines quod mariti, aut si sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo sancti sunt quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed et hoc inferendum : Si laicus et quicunque fidelis orare non potest nisi vacet [careat] ab officio conjugali, sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sacrificia, semper est orandum : si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed etiam purificabantur [ad tempus] ab uxoribus separati et vinum et siceram non bibebant (*Levit.* x), quæ solent libidinem provocare. Eliguntur mariti in sacerdotium : non nego, quia non sunt tanti virgines quanti sunt necessarii sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisque eligendus est, idcirco non assumentur et infirmiores, cum omnes fortes esse non possunt? si exercitus viribus tantum constaret, et non etiam numero militum, adjicerentur imbecilliores : nunc et secundarum et tertiarum virium gradus assumitur, ut turba et numero exercitus compleatur. Et quomodo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali sacerdos virgo negligitur, et maritus assumitur? Quia forte et cætera opera virginitati non habet congruentia, aut virgo putatur, et non est, aut est virginitatis [virginitas] infamis, aut certe ipsa virginitas parit ei superbiam, et dum sibi applaudit de sola corporis castitate, virtutes cæteras negligit : non fovet pauperes, aut pecuniæ cupidior est. Evenit interdum ut tristior vultus, adductum supercilium, incessus pomparum ferculis [similis] offendat populum, et qui nihil habet quod reprehendat in vita habitum solum oderit et incessum. Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, et alterius prudentiæ et calliditati quasi malitia opponi-

tur. Nonnunquam erat vulgi plebisque judicium, et A in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum quam sui similem quærat præpositum. Evenit aliquoties ut mariti, quæ pars major est in populo, maritis quasi sibi applaudant, et in eo se esse arbitrentur non virgines, si mariti virgini præponantur. Dicam aliquid quod forsan cum offensione multorum dicturus sum, sed boni non mihi irascentur, quia eos peccati conscientia non remordet. Interdum hoc et pontificum vitio accidit quia non meliores, sed argutiores in clerum eligunt, et simplices quosque atque innocentes inhabiles putant. Et affinibus et cognatis quasi terrenæ militiæ officia largiuntur; sive divitum obediunt jussioni; quodque his pejus, [illis] clericatus donant gradum, quorum obsequiis sint B deliniti. Alioqui si juxta sententiam Apostoli, non erunt episcopi, nisi mariti, ipse Apostolus episcopus esse non debet, ut qui docet [qui dixit] : *Volo autem omnes esse sicut ego sum* (*I Cor.* VII). Et Joannes indignus hoc gradu æstimabitur, et omnes virgines [et] continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur. Episcopus, presbyter, diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officium, nec dicitur : *Si quis episcopatum desiderat,* bonum honorem [gradum] desiderat, sed *bonum opus desiderat* (*I Tim.* III), quod in majori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse,* ut nulli vitio mancipatus sit; C *unius uxoris virum,* qui unam uxorem habuerit, non habeat; *sobrium,* sive, ut melius in Græco dicitur, *vigilantem,* νηφάλιων, *pudicum,* hoc enim significat σώφρων [σώφρωνα]; *ornatum* et castitate et moribus; *hospitalem,* ut imitemur Abraham, et cum peregrinis, imo in peregrinis suscipiat Christum; *doctorem,* nihil enim prodest ei conscientia virtutum perfrui, nisi et creditum sibi populum possit instruere et valeat exhortari in doctrina et eos qui contradicunt redarguere; *non vinolentum,* quia qui semper in sanctis sanctorum est, et offert hostias, et vinum et siceram non bibit; [qui] sic bibat episcopus ut an biberit ignoretur [quia in vino luxuria est]; *non percussorem,* id est, qui conscientias singulorum non percutiat; neque enim pugilem de- D scribit sermo apostolicus, sed pontificem instituit; quid facere non debeat docet, nunc e regione quid faciat. Sed quid? *modestum, non litigiosum, non cupidum,* domum suam regentem, *filios habentem subditos cum omni castitate* (*I Tim.* III). Vide quanta pudicitia exigatur in episcopo, ut si filii ejus impudici fuerint, ipse episcopus esse non possit, et eodem officio offendat Dominum quo offendit et Heli pontifex; corripuerat quidem filios, sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit et mortuus est, lucerna Dei antequam exstingueretur. *Mulieres similiter pudicas* et reliqua (*Ibid.*). In omni gradu et sexu tenet pudicitia primatum. Cernis ergo quod episcopus, presbyter, diaconus non ideo sint beati quia episcopi, presbyteri, aut diaconi sunt, sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioquin si diaconus episcopo suo sanctior fuerit, num non ex eo quod in inferiori gradu est, apud Christum deterior erit? Absit ut Stephanus diaconus, qui primus martyrio est coronatus, minor futurus sit in regno cœlorum multis episcopis, et Timotheo et Tito, quos ut subjicere non audeo, ita nec anteponere.

Hucusque sanctus Hieronymus, qui quantæ auctoritatis fuerit, etiam apud episcopos, apostolicæ sedis decreta beati Gelasii papæ satis insinuant, quæ inter authenticas et canonicas sanctiones opuscula ipsius recipienda esse decernunt : sicut et sancti Cypriani, Ambrosii, Augustini opuscula, sive tractatus reliquorum sanctorum Patrum, qui nec in fide nec in prædicatione a sancta Romana Ecclesia deviarunt, sed in ejus communicatione usque ad finem vitæ perdurarunt. Intantum namque beatus Gelasius in prædictis decretis auctoritatem sancti Hieronymi nobis commendat ut et aliorum opuscula, juxta ejus judicium, rapienda vel respuenda esse ibidem decernat. Quicunque ergo debitam obedientiam apostolicæ sedi impendere voluerit, nullatenus hujusmodi sanctorum Patrum singularibus sententiis repugnabit. Hucusque sufficiat dixisse quid Apostolus exigat a sacerdotibus, quod quicunque fideliter perspexerit, nequaquam statuta nostri apostolici obliteranda judicabit, quæ nec aliquis contemnere poterit, nisi et ipsorum apostolorum sententiis repugnare velit, quibus ipsa Veritas in Evangelio fidelissime promittit : *Amen dico vobis : Erit remissius terræ Sodomæ in die judicii quam* illis qui sermones vestros non receperunt (*Matth.* XI).

XVII. Quartum autem nostri apostolici decretum præcipit ut populus clericorum officia non recipiat, quos sacris canonibus, imo evangelicis et apostolicis institutionibus, adversari percipiat : videlicet quos juxta censuram sanctorum Patrum damnatos in propriam eorum perniciem altari ministrare videat. Nempe Antiochenum concilium a sacratissimo Chalcedonensi concilio, ut prædiximus, indubitanter roboratum, officia damnatorum clericorum a populis recipi districtissime prohibet, intantum scilicet ut etiam ab ecclesia abjiciendos esse censeat qui illis clericis saltem communicaverint, quos interdictum sibi ministerium usurpare cognoverint. Sic enim quartum ejusdem concilii caput testatur : Si quis episcopus a synodo damnatus, vel presbyter aut diaconus ab episcopo, ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei et in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis; sed et communicantes ei omnes abjici de ecclesia, et maxime posteaquam [*forte,* qui posteaquam] didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eis communicare tentaverint. Juxta hujus capitis teno-

rem sancti Patres, qui in Chalcedone sacratissimos canones promulgaverunt, omnes communicatores cujusdam damnati Timothei Alexandrini præsulis excommunicatos esse censuerunt; qui Leoni imperatori pro eodem Timotheo consulenti hoc modo rescripserunt : Eos etiam qui, cum scirent Timotheum fuisse damnatum, communicare illi sine periculo crediderunt, extraneos esse a Dei Ecclesia judicamus, secundum consequentiam regularem nulla eis venia nec spe restitutionis ullo modo remanente, sicut 83 regula de talibus aperte decernit, cujus initium est : Si quis episcopus a synodo, etc. Quapropter et noster apostolicus merito populis officia hujusmodi clericorum prohibuit, eorum, inquam, quos non tam ipse damnavit quam a sanctis Patribus jamdudum damnatos esse monstravit. Præterea sanctissimus papa Alexander, a B. Petro quintus, qui potius in camino ignis concremari quam mentiri fortissimus athleta delegit, ipse namque nec loquendum eis esse testatur quibus et episcopus pro sceleribus eorum sentitur adversus, et hoc ex ipsius principis apostolorum auctoritate confirmat, ita dicens, cap. 6 : B. Petrus in ordinatione sancti prædecessoris nostri Clementis instruens clerum et populum ait : Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, nolite vos exspectare, ut ipse vobis dicat : Cum illo nolite amici esse; sed observare prudenter debetis et voluntati ejus absque commonitione obsecundare, et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum; sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest, et per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt; et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est; et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt, et evidenter inimici sunt; hic enim per amicitiarum speciem quæ inimica sunt gerit, et Ecclesiam dispergit ac vastat. Ubi ergo ipse princeps apostolorum tam stricte prohibet ne quis eis saltem loquatur qui apostolicis institutis non obsecundare deprehendantur, ibi etiam evidentissime vetat ne populus missas aut reliqua officia hujusmodi ab eis recipiat. Mos enim populi Dei, juxta Augustinum, pro lege tenendus comprobat nobis cum canonibus, ut (*forte*, ne) populus cujuscunque sacerdotis missas audiat, ejus etiam singulis salutationibus in missa respondeat. Quapropter populus hujusmodi prævaricatorum missas nullatenus recipiat, si ipsius principis apostolorum sententiam observare volet.

XVIII. Sanctissimus papa Gregorius scribens ad reges Francorum de hujusmodi sacerdotibus canonum contemptoribus, cap. 135, testatur quod regnum ex culpa talium sacerdotum prægravetur; et post pauca subjungit : Major, inquit, metuenda est locis illis calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in se iracundiam promovent quam per semetipsos populis placare debuerant.

Jure ergo nostri temporis Gregorius populum hujusmodi præsumptorum officia recipere prohibuit, quos sanctissimus æquivocus et regnum culpa sua prægravare, et Dei iracundiam in se magis provocare asseruit : scriptum est enim : *Qui averterit aurem suam ne audiat legem, exsecrabilis erit ejus oratio* (*Prov.* XXVIII). Quo crimine omnes obligantur, quicunque canonicis sanctionibus obstinato animo refragantur; unde et eorum officia merito populis interdicuntur quorum orationes omnipotens Deus non dico non recipit, sed exsecratur. Sed jam ad ipsum Vas electionis veniamus, qui et præsenti statuto nostri apostolici consonare non dubitatur : *Si is*, inquit, *qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumite* (*I Cor.* III), videlicet qui nolunt juxta ecclesiasticas sanctiones emendari, licet certis et publicis criminibus sint obligati. Item ad Thessalonicenses : *Renuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (*II Thess.* III). Et paulo post : *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur* (*Ibid.*). Cum quibus igitur Apostolus fideles nec corporalem cibum sumere permittit, et a quorum consortio fideles discedere præcipit, de eisdem apostolicæ institutionis contemptoribus populo præcipit noster apostolicus, ut eis saltem ad Dominicam mensam non communicaret, et eorum societati se saltem eo tempore subtraheret, cum illi contra fas et jus sacra mysteria in perniciem suam usurparent; juxta Apostolum enim : *quicunque Dominicum panem et calicem sumit indigne, corporis et sanguinis Domini reus erit, et judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI); quod omnes faciunt, qui fornicationem et avaritiam non solum exercere, sed etiam obstinato animo defendere præsumunt : de quibus Apostolus dicit : *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Gal.* V) : qui etiam pro eisdem criminibus juxta canonicas sanctiones damnati interdictum sibi officium temeraria usurpatione frequentant. Nempe ipsi quos proprie vocamus pœnitentes, licet pro hujusmodi criminibus canonicæ disciplinæ colla submittant, non tamen divinis sacramentis tam temere approximant. Unde, juxta sententiam beati Innocentii papæ, nec infirmos pœnitentes et reliquos ægrotantes sacro chrismate ungi licet, quibus, inquit, pœnitentibus reliqua denegantur sacramenta, ne sibiipsis damnationem potius quam remissionem acquirant, si eadem tam indigni, nondum sane per pœnitentiam ad plenum purgati, percipiant. Si ergo pœnitentes, etiam canonice pro criminibus suis sa-

tisfacientes, divinis sacramentis judicantur indigni, quanto magis illi qui non pœnitere, sed culpas suas jamdudum publicatas pertinaciter defendere conantur, qui et obstinato animo resistentes etiam Spiritum sanctum blasphemare probantur? Sic enim beatus Damasus papa in epistola ad sanctum Aurelium Carthaginensem archiepiscopum testatur. Violatores, inquit, canonum voluntarii graviter a sanctis Patribus judicantur, et a Spiritu sancto, cujus instinctu ac dono ditati sunt, damnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui etiam contra sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præfixum est aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quoniam, ut jam prælibatum est, contra eum agit, cujus nisu et gratia iidem sancti canones sunt editi. Itaque illi sacerdotes, qui tam gravissimis criminibus sunt obligati, imo qui pro eisdem secundum canonica instituta jam sunt damnati, nullatenus nisi in perniciem suam sacrificare possunt. Unde et illi non parum deliquerunt [*forte*, delinquerent], quicunque ipsis in propriam necem sacrificare usurpantibus per solitas responsiones in missa scienter cooperari præsumerent. Non enim pro parvo crimine haberetur, si quis alicui seipsum crudeliter occidenti scienter cooperaretur. Sapientissime ergo vir apostolicus populum hujusmodi præsumptorum usurpationibus interesse prohibuit, quas non solum ductoribus eorum sed et receptoribus, perniciosas esse non ignoravit. Sic enim ipse Dominus a Core ejusque sequacibus sacrificandi officium usurpantibus reliquos filios Israel discedere præcepit, ne peccatis eorum involverentur, sicque crudelissima morte cum eisdem damnari mererentur. Nam ipsi hæresiarchæ, videlicet Core, Dathan, et Abiron, cum universa eorum substantia vivi ad infernum ex improviso descenderunt; sequaces vero eorum per ignem a Domino penitus comburi meruerunt (*Num.* XVI). Horum itaque subitaneam et crudelissimam ultionem illi diligenter attendant, qui contra apostolica præcepta interdictum sibi sacerdotale officium obstinata temeritate usurpant; nec otiose mortem Oseæ considerent, qui, cum David arcam Domini de Philistiim in novo plaustro reduceret, a Domino percussus interiit, eo quod arcam, licet jam casuram, manu sustentare præsumpserit. Si enim ille merito periit qui temere quidem, sed benigne, arcam Domini tantum tetigit, quanto magis ille qui contra fas et jus ipsum corpus Domini contrectare sibique incorporare præsumit indignus?

XIX. Quidam tamen satis imperite nostro apostolico objiciunt quartum Gangrensis concilii capitulum : Quicunque discernit a presbytero qui uxorem habuit quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. Hoc etiam capitulum, juxta Petri apostoli attestationem, in suam ipsorum

A perniciem depravantes ita pronuntiant : Quicunque recusaverit missam conjugati presbyteri, anathema sit, videlicet ut eos anathematizatos esse demonstrent qui apostolicis institutis obedientes incontinentium sacerdotum missas recipere detrectant. Sed frustra; nam prædictum caput illos tantum anathematizat qui respuunt presbyteri oblationem, non qui modo habet, sed qui quondam habuit uxorem. Eo enim tempore, ut prologus Gangrensis concilii testatur, erant hæretici sectatores cujusdam Eustathii, qui legitimas nuptias quali mortale crimen condemnabant, asserentes nullum in conjugali gradu positum spem habere apud Dominum; unde et oblationes presbyterorum etiam ante ordinationem legitime conjugatorum respuisse traduntur, quippe B legitimum conjugium pro mortali crimine deputantes; quales etiam si quis hoc tempore perpetrasse detegitur, altari ministrare juxta canones non permittitur. Merito ergo anathematizantur iidem hæretici dogmatizantes contra illud Apostoli : *Si acceperis uxorem, non peccasti* (*I Cor.* VII); et illud : *Oportet episcopum unius uxoris esse virum* (*I Tim.* III). Sæpe positum autem nostri apostolici institutum nulli prohibet audire missam illius presbyteri qui, juxta apostolicam permissionem, ante sacrum ordinem unam tantum uxorem habuit, quando et sine crimine uxorem ducere potuit; sed illius presbyteri qui, contra Apostolum, in crimine fornicationis detegitur jacere, quem ipse Apostolus, et reliqui C sancti Patres successorque eorum noster apostolicus a sacratissimo officio segregavere. Igitur quicunque hujusmodi presbyterorum missas respuit, nullatenus tamen superiori Eustathianorum anathemati subjacebit, cum optime Apostolo consentiat qui et sacerdotibus continentiam indicit et fideles prævaricatoribus sermonum ejus admisceri non permittit. Notandum autem quod noster Gregorius, juxta sanctorum Patrum statuta, prius incontinentes presbyteros officio privavit, postmodum populo, ne eorum officia reciperet, interdixit : unde non tam incontinentium quam pro incontinentia damnatorum missas audire prohibuit, ne et populus se juxta Antiochenum concilium sub excommunicatione poneret, si eorum officia re- D cipere præsumeret. Ipse autem Spiritus sanctus per Samuelem prophetam docet populum ut canonicis institutionibus nostri apostolici potius obediat quam hujusmodi præsumptorum sacrificia in periculum suum recipiat. Dicit enim : *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam afferre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Igitur populus apostolicis institutis obediens inobedientium sacerdotum officia et sacramenta recusat, ne ipse crimen idololatriæ per inobedientiam incurrat. Item Dominus alibi protestatur : *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Matth.* IX), quibus scilicet placens Deo, ut per obedientiam potius animæ suæ misereatur (*Eccli.* XXX),

cui potissimum est miserendum, quam cum inobedientia, aut per se aut alium Domino offerat sacrificium. Libet autem considerare quam clementer noster apostolicus etiam ipsos contemptores canonum in superioribus statutis tractavit, quos tantum a tali officio removit, quod tamen nullatenus nisi in perniciem suam celebrare possent, si canonicis sanctionibus repugnantes ipsum Spiritum sanctum blasphemare non desisterent. Ipsorum sane diuturnam obstinationem jamdudum acrius plectendam nondum debita severitate punivit. Sed illos, ut saltem adhuc redirent ad cor, paterno affectu exspectavit, ut vel in hoc suam damnationem cognoscere vellent, cum populum a recipiendis eorum officiis justissime prohibitum negare non possent.

XX. — Fortassis autem aliquis dicit : Cur noster Gregorius tam contraria nostræ consuetudini statuta observari præceperit, cur non potius nostram consuetudinem quasi misericordi dissimulatione tolerarit? Sed ille audiat quid B. Leo papa, qui sacratissimo Chalcedonensi concilio præfuit, decernat; qui Anatolii præsulis Constantinopolitani præsumptionem cohibens ita pronuntiat : quod in reatum Romani pontificis deputetur, si institutio canonum non prohibente, et in hoc quasi connivente alicubi violetur. Item sanctissimus nostri apostolici homonymus scribens Victori episcopo hanc terribilem et generalem sententiam protulit : Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniacæ aut neophytorum hæreseos, emendandum officii sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubitet portionem a quo prius hoc piaculare flagitium et crimen sumpsit exordium. Igitur et ille nihilominus Ebionis hæresiarchæ particeps detegitur, quicunque pro debito officii illius hæresim, id est Judaicam incontinentiam, modernis sacerdotibus prohibere non studuerit. Ipsa quoque sacratissima concilia, ex quibus statuta nostri apostolici profluxerant, adeo amplexati sunt sancti Patres, ut, sicut ipsorum scripta testantur, potius seipsos diversis tormentis affligi, imo se potius crudeliter occidi permitterent quam violatoribus earumdem sanctionum consentire vellent. Ob hanc causam magnus Athanasius patriarcha Alexandrinus post diversas calamitates in exsilium deportatur. Ob hoc etiam Felix papa Romanus ab episcopatu depositus martyrio legitur coronatus, et multi ejus presbyteri, diacones et reliqui ex clero, etiam intra Ecclesiam, ob eamdem causam, heu! crudelissime occisi leguntur, videlicet quia sectatoribus Arii in violationem Nicæni concilii assentiri nolebant. Hæc autem et hujusmodi innumerabilia ex ecclesiasticis historiis affatim colligere poteris. Dicat ergo quivis quomodo noster apostolicus sine suo periculo aut potius exitio negligere posset quin tam inevitabilium sanctionum, non dico violatoribus, sed impugnatoribus, ex debito officii sui obviaret, quibus ipsos sanctos Patres etiam usque ad sanguinem restitisse non ignoraret. Quamvis enim modo quidam non tam aperte cum Ario et reliquis hæresiarchis fidem sanctorum Patrum impugnent, tamen eorum moralibus statutis cum ipsa quidem fide per eosdem sanctos Patres eodem tempore eadem subscriptione roboratis obstinate resistunt, quæ et cum eadem fide ex sacratissimo fonte Scripturarum emanaverunt.

Sed in hac eorum nefandissima rebellione etiam ipsam fidem sancti Patres probantur adnullare, cum in authenticis sanctionibus auctoritatem illorum pro nihilo ducunt qui et fidem sua auctoritate confirmaverunt. Nullatenus sane alicui fides sanctorum Patrum proderit qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit; nam, ut Jacobus frater Domini testatur : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II); qualem et dæmones habere fatetur. Non ergo minus est resistendum pertinacibus authenticarum institutionum impugnatoribus quam sacræ fidei violatoribus, cum et dæmonibus assimilentur quicunque institutionem sanctorum Patrum in fide tantum et non etiam in conversatione pro viribus assectantur, qui et culpam, quia humanum fuit committere, diabolico instinctu non timent pertinaciter defendere. Amplius ipsum *Vas* electionis in sua persona omnibus ecclesiasticis pastoribus dicit : *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; væ enim est mihi, si non evangelizavero* (*I Cor.* IX). Quomodo ergo noster apostolicus istud *væ* subterfugere posset, si gregem sibi commissum juxta ipsius Apostoli præcepta instituere negligeret? Sanctus etiam Spiritus per Ezechielem prophetam cuilibet pastori terribilem proponit conditionem : *Si,* inquit, *non dixeris peccatori, Morte morieris, et ostenderis ut recedat ab iniquitatibus suis, ipse quidem in peccatis suis morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem dixeris, et ille contempserit et non obedierit, ille in sceleribus suis morietur; tu autem animam tuam liberabis* (*Ezech.* XXXIII). Hac quidem translatione S. Augustinus in sermone de psalmo XLIX utitur, statimque suis auditoribus subjungit : Dico vobis, libero animam meam; in magno enim sum non periculo sed exitio constitutus, si tacuero. Satis ergo patet quam immerito quidam nostro apostolico pro superioribus statutis indignentur qui tam inevitabili necessitate coactus eadem instituisse detegitur, videlicet ne propriæ mortis crimen incurreret, si nos ex debito officii sui instituere negligeret.

XXI. Præterea si ob hoc nostro apostolico indignari satagunt, cur non potius illis 318 sanctis Patribus in Nicæa congregatis, ut [*forte*, aut, HARD.] 630 Patribus in Chalcedone congregatis et coadunatis indignantur, qui, ut prædictum est, contra Simoniacos et incontinentes altaris ministros multo acriores sententias protulerunt quam noster apostolicus. Indignentur sane sanctissimo papæ Clementi, qui martyrio sua decret confirmavita, quem ipse princeps sibi successorem destinavit. Legitur enim in decretis ejus, cap. 46, quod incontinentes penitus

ab altaris officio removerit, quod etiam cohabitationem extranearum feminarum clericis prohibuerit, quod violatores hujusmodi institutionis prorsus anathematizaverit. Indignentur etiam beatissimo papæ Silvestro, qui in apostolica sede constitutus incontinentiam totius mundi presbyteris, ut prædictum est, prohibuit, et omnes huic decreto repugnantes in perpetuum damnandos esse decrevit. Indignentur etiam beato martyri Damaso papæ, cujus auctoritate secunda universalis synodus Constantinopolitana legitur roborata. Item sanctissimo papæ Leoni Chalcedonensium canonum auctori, quorum uterque eadem et apostolica auctoritate in decretis suis, ille quidem, cap. 4, hic autem, cap. 5, ita generaliter decrevere : Omnia decretalia cunctorum pontificum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita omnibus episcopis ac cunctis generaliter sacerdotibus custodire debere mandamus ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Indignentur etiam sanctissimi nostri apostolici æquivoco qui sub generali anathemate damnavit omnes a sacratissimis quatuor conciliis dissentientes. Sed cum nullus sanæ mentis hujusmodi sanctis Patribus [*forte*, Patrum, HARD.] sententiis indignetur, patet evidentissime quam irrationabiliter quidam nostri apostolici institutis indignentur, in quorum promulgatione nullatenus a sanctis Patribus discrepavit excepto hoc tantum, quod non tam severe, ut illi, contemporibus canonum obviavit. Illos enim clericos ab officio tantum privavit, quibus sancti Patres non modo officium, sed et veniam, et ecclesiasticam communionem denegavere. Nil denique novi noster apostolicus nobis observandum injunxit, quod etiam si fecisset, non tamen sine periculo ejus contemni præceptum posset. Nam apostolica sedes ex divina confessione [*forte*, concessione, HARD.] hunc semper obtinuit et obtinebit primatum, ut totius mundi Ecclesias non solum antiquis institutis, sed etiam novis disponat, prout diversorum necessitas temporum postulat. Cogunt enim, ait sanctus Augustinus ad Bonifacium, multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. Hoc utique diversa Romanorum pontificum decreta testantur, in quibus ipsi diversis temporum necessitatibus consuluisse leguntur.

XXII. Incassum autem publici contemptores apostolicæ institutionis inducias suæ damnationis a nostro apostolico quærunt, quos, ut prædictum est, sancti Patres absque omnibus induciis damnaverunt. In dubiis enim rebus, licet veris, nondum tamen publicatis, necessario conceduntur induciæ, ut juxta sanctiones apostolicorum virorum Felicis, et Julii et reliquorum ipse accusatus possit se contra accusatores pleniter præparare ad abluenda crimina; unde et beatus Eleutherius à B. Petro duodecimus in decretis suis, cap. 1, testatur : Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid præpropere agi a quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt. Jure ergo illi absque induciis damnantur qui culpam suam jamdudum a sanctis Patribus diffinite damnatam non negare, sed publice contra apostolica statuta conantur defensare. Nempe B. Gregorius, ab omni catholico pastore merito imitandus, contemptores sedis apostolicæ etiam ante peractam culpam solebat excommunicare : sic enim Maximum per ambitionem Salonitano episcopatui inthronizatum, et omnes ejus ordinatores excommunicavit, quos eadem excommunicatio, nondum peracta culpa pro qua excommunicati sunt, obligavit; nam priusquam Maximus ordinaretur, sub excommunicatione prohibuit sanctus Gregorius ne hoc præsumeretur; quod præceptum contemnentes episcopi, cum ordinarent eumdem Maximum, ante peractam ordinationem erant excommunicati, juxta attestationem S. Gregorii; scribit enim in epistola ad eumdem Maximum præsumptorem, ita detestans ejus consecrationem : Quam rem, inquit, nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis celebrata est. Non enim post ordinationem excommunicandos, sed in ipsa ordinatione dixit excommunicatos. Sic idem apostolicus per subdiaconem suum Natalem Salonitanum episcopum absque induciis, si præcepto ejus non obedisset, pallio et communione censuit privandum esse. Sic, inquam, ipse et reliqui ejusdem sedis episcopi quoslibet et absque induciis damnaverunt, qui aliquam rem sub excommunicatione vel officii suspensione prohibitam temerarie usurpaverunt. Has ergo et hujusmodi rationes moderni præsumptores caute considerent, nec deinceps injuste se absque induciis damnatos esse existiment. Forsitan autem aliquis adeo delirat, ut subditos cujuslibet episcopi per ipsum tantum non per Romanum pontificem damnari posse dicat.

XXIII. Sed illi ipsa Veritas in Evangelio contradicit, quæ B. Petro principaliter inter reliquos apostolos hoc privilegium concessit : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI); qui enim generaliter omnes apostolicæ potestat subjecit, nullo modo alicujus episcopi subditum excepit. Unde idem Apostolus et a senioribus sui temporis, id est presbyteris, sive episcopis et ab eorum subditis, obedientiam generaliter exegit, cum tam subditis quam prælatis, tam feminis quam viris, specialia vivendi præcepta in Epistolis suis tradiderit; quod incassum ipse faceret, si non generaliter omnes ejus institutioni obedire deberent. Beatus quoque Anacletus, ab ipso principe apostolorum presbyter ordinatus, in decretis suis cap. 3, testatur : Sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, sicut ipse B. Petro dixit : *Tu es Petrus,* etc. (*Ibid.*). Ergo hæc apostolica sedes cardo et caput omnium Eclcesiarum a Domino non ab alio est constituta, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Eccle-

siæ Domino disponente reguntur. Item B. Gelasius doctor apostolicus, cap. 11 : Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Romana Ecclesia de omni Ecclesia fas habeat judicare, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemini appellare licitum est.

Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes, sine ulla synodo præcedente, exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Et hoc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus apostolus Domini voce et tenuit, et semper retinebit. His autem sanctissimi Patres Callistus, Fabianus, Sixtus, Silvester, Julius, et reliqui innumerabiles adstipulantur, qui adeo amplexati sunt veritatem, ut potius mori quam mentiri desiderarent. Hujus ergo privilegii auctoritate B. Simplicius papa XLIX Gregorium Mutinensem episcopum Ravennatis archiepiscopi suffraganeum a ditione ejusdem archiepiscopi penitus absolvit, et hoc ideo, quia idem archiepiscopus eum invitum Mutinensi cathedræ inthronizavit. Item, S. Gregorius Honoratum Salonitanæ Ecclesiæ archidiaconum, qui jam ex archidiaconatu ad presbyterium devenit, invito etiam episcopo ad pristinum gradum reduxit, deposito quidem eo quem idem Salonitanus episcopus in locum ejus ordinavit. Quapropter apertissime desipiunt, seque reos apostolicæ auctoritatis efficiunt, quicunque ejus potestati temere præjudicant, cum cujuslibet episcopi subditos non per Romanum pontificem, sed per proprium tantummodo antistitem, ligari vel solvi posse confingant. Præterea B. Leo papa, qui quartam universalem synodum Chalcedone congregavit, item Vigilius papa, sub quo quinta universalis synodus Constantinopoli convenit, item beatus Pater Gregorius, hi, inquam, singuli eadem auctoritate præcipui, pene eadem voce in decretis suis verissime testantur hoc modo : Sancta Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis ut in partem vocatæ sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde liquido demonstratur quod quilibet episcopus nec super gregem sibi commissum tantam potestatem habeat quantum [*Pro*, quantam] præsul apostolicus; qui licet curam suam in singulos episcopos diviserit, nullo modo tamen seipsum sua universali et principali potestate privavit, sicut nec rex suam regalem potentiam diminuit; licet regnum suum in diversos duces, comites sive judices diviserit. Cum igitur dominus apostolicus in omni Ecclesia tam principalem postestatem habeat, ut etiam invito episcopo cujuslibet Ecclesiæ quidquam in ea juxta canonicas sanctiones possit disponere, quis denegare poterit quin ubique gentium tam subditos episcoporum quam ipsos episcopos apostolicæ institutionis contemptores damnare possit?

XXIV. His autem rationibus et hoc declaratur quod cujusvis episcopi parochianus potius domino A apostolico quam proprio episcopo obedire debet, cum auctoritas proprii nullatenus eum ab apostolica damnatione valeat liberare, si apostolicis præceptis inobediens exstiterit. Et econtra dominus apostolicus, si ei obedierit, eumdem ab omni violentia proprii episcopi facillime poterit defendere, videlicet et ipsum parochianum ejus ditione penitus emancipando et episcopum ab injuria per correptionem et damnationem apostolica auctoritate refrenando. Attendat sane cujusvis episcopi subditus, ne vel proprio episcopo contra apostolica præcepta obediat in aliquo, cum S. Gregorius archidiaconum Salonitanum, in locum Honorati jam depositi subrogatum, deposuerit, eo quod idem proprio episcopo se in locum illius ordinari post apostolicam prohibitio- B nem obedierit. Hinc etiam patet quam apertissime illi desipiant qui dicunt quod subditi cujuslibet episcopi apostolicæ sedi nullatenus obedire debeant, si proprio antistiti obediant, cum a S. Gregorio et ille merito degradaretur qui et per obedientiam episcopi sui apostolicæ sedi adversus fuisse detegitur. Nempe nullus debitam obedientiam proprio episcopo exhibere poterit, nisi qui apostolicæ sedi principaliter obedire studuerit. Omnis enim qui vult esse episcopus, hoc maxime subditis suis inculcat ut sanctorum Patrum institutis absque omni contradictione obediant; quæ ut prædictum est, apostolicæ sedi principaliter ab omnibus obediendum esse denuntiant. Quicunque ergo suo legitimo pastori debitam obe- C dientiam exhibuerit, etiam principaliter domino apostolico obedire studebit. Nam juxta ipsius Veritatis edictum : Discipulus non est honorandus super magistrum (*Matth.* X). Si autem Dominus apostolicus proprio et legitimo pastori jure præponitur, quanto magis illi qui nec nititur esse quod dicitur. Has ergo et hujusmodi rationes quicunque, saltem ex rudibus, fideliter inspicere dignabitur, nullatenus prædicta nostri apostolici statuta proscribere conabitur; præsertim cum videat evidentissime eadem ex sanctorum Patrum sententiis, imo ex divinis Scripturis, emanasse. Præterea vero quamplures alias rationes superioribus annectere et innumerabilia sanctorum Patrum exempla præfatis statutis assignare, hac consideratione prætermisi, ne gravis D essem idiotis, quibus hic specialiter satisfacere proposui : quibus pauca ex multis tam indubitatæ veritatis sufficere possunt, si indagandæ potius veritati quam infructuosæ contentioni operam dare volunt.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

De eadem synodo Romano occasione consecrationis Hugonis Diensis episcopi, quemadmodum supra dictum est, hæc habet Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi, p. 196, tom. *I Bibliothecæ nostræ novæ librorum mss.*

Cum ergo Romæ positi (Anselmus scilicet Lucensis et Hugo Diensis) præstolarentur diem consecrationis suæ, venerunt nuntii regis Henrici Romam, rogantes ne contra morem prædecessorum suorum

dominus papa eos consecrare vellet qui episcopatus electionem solam, non autem donum per regiam acceperant investituram. At ipse, convocatis cardinalibus, legationem regis aperuit, et quid sibi ad hoc respondendum, quid esset faciendum admonuit. Quibus respondentibus usum Ecclesiæ hunc esse, hunc haberi pro lege, cum auctoritas eis nulla ad hoc suffragaretur, in Lucensi tamen electo eis acquievit, ut consecrationem ejus differret, donec investituram episcopatus ex regio dono accepisset. In Diensi vero acquiescere noluit, sed eum prima XL hebdomada, Sabbato in presbyterum, et Dominica consecravit in episcopum. Et quia vidit hoc sanctorum Patrum adversari decretis, ut in canonica electione episcopi prævaleret donum regis, imo multoties ipsam electionem immutaret, vel potius irritam faceret, eodem (428) anno in Romana synodo 50 episcoporum, considente presbyterorum et abbatum multitudine, juxta decreta pontificalia et institutiones canonicas ne hoc amplius a quoquam præsumeretur prohibuit sub interminatione anathematis, decretum faciens in hæc verba : *Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec nulla ei ut episcopo vel abbati audientia concedatur. Insuper et gratiam B. Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quoad usque locum quem, sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cepit, deseruerit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, aut personarum, investituram episcopatus, vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum sciat.* Secutus est autem in hoc Patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula damnabiiis hæc consuetudo inolevisset, et in usum conversa esset. Dicitur enim in VII universali synodo a 5 patriarchis et 350 Patribus sub Adriano papa habita, cap. 111 : Omnis electio episcopi, presbyteri vel diaconi, a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. Item, in VIII universali synodo habita a 5 patriarchis, sub Nicolao I pontifice, cap....., promotiones vel consecrationes episcoporum concordans prioribus conciliis hæc sancta et universalis synodus electione et decreto episcoporum fieri constituit, et statuit atque promulgavit neminem laicorum principum et potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitæ, aut cujuslibet episcopi, ne inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, et attendere sibi usquequo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia obtemperare asciscentibus. Quisquis autem sæcularium principum et potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversus communem et consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat. Item ex concilio Nicæno, cap. 6. Per omnia manifestum est, quia si quis præter voluntatem et conscientiam metropolitæ fuerit ordinatus, hunc sanctum et magnum concilium statuit non debere esse episcopum. Item ex concilio Antiocheno, cap..... Si quis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem Ecclesiam Dei obtinuerit, dejiciatur, et ipse et ordinator ejus a communione modis omnibus abscindantur, et sint sub anathemate sicut Simon Magus a Petro. In electione igitur et consecratione domini Diensis evidenter ostenditur operata divinitas, quia per hanc occasionem sanctæ Dei Ecclesiæ sub papatu domini Gregorii multis retro annis obnubilata electionis ecclesiasticæ splenduit veritas. Viderint igitur viri cordati quid juris imperatoribus, regibus, et principibus, in electione pontificis reservetur. Commisit autem ei vices suas in Gallia, ubi plurimum Simoniæ serpebat pestis iniqua, quia perrari illic erant qui non essent aut Simoniaci, aut a Simoniacis ordinati, aut per manum laicam investiti, plurimum illi inculcans potestate data non abuti, quominus depravata corrigeret, damnanda recideret sancta et honesta doceret et docenda faceret.

AD ROMANUM CONCILIUM I,

Contra clericos Simoniacos et incontinentes a Gregorio VII pontifice anno 1074, priori Quadragesimæ hebdomada, celebratum, additio.

(*Suppl.*, MANSI, tom. II, p. 2.(

Actorum hujus concilii synopsim tantummodo exhibet Labbeus tom. XII pag. 547, Venet. edit. Acta ipsa interciderunt. Eorumdem actuum fragmentum licuit mihi investigare in Gerhoi Reicherspergensis expositionibus in Psal. ad psal. X pag. 157. Continet autem fragmentum istud ipsos concilii canones tertium, et quartum, ut ex collatione synopsis eorumdem canonum intelligimus.

Gregorius septimus dicit :

Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdia-

(428) Imo 1075, inquit Pagius, quo primum decretum contra investituras editum in Romano concilio contendit ad an. Chr. 1075, n. 1 et seq.

coni, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis et sancti Petri auctoritate introitum, usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullum vestrum eorum audire præsumat officium, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, Domino testante per prophetam : Maledicam, *inquit,* benedictionibus vestris. Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrunt, Samuele teste et beato Gregorio instruente : Peccatum ariolandi est non obedire et scelus idololatriæ nolle acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit quisquis dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit.

CONCILIUM ROMANUM II (429),

Pro reformanda Ecclesia celebratum anno Domini 1075.

(Apud Mans. *Concil.* XX, 443.)

Anno ab Incarnatione Domini (430) millesimo septuagesimo quarto, pontificatus vero Domini Gregorii papæ (431) secundo, indictione 13, celebravit ipse dominus Gregorius papa Romæ synodum a sexto Kalendas Martii usque ad pridie Kalendas (sequentis) præteriti mensis. Ubi interfuit archiepiscoporum, episcoporum et abbatum multitudo atque diversi ordinis clericorum et laicorum copia, In qua inter cætera decreta quæ ibi gesta sunt, quinque de familia regis Teutonicorum, quorum consilio ecclesiæ venduntur (vendebantur), a liminibus sanctæ Ecclesiæ separavit, ita ut si abinde usque ad Kalendas Junii Romam non venirent et satisfacerent, excommunicati haberentur. Philippus rex Francorum, si nuntiis papæ ad Gallias ituris de satisfactione sua et emendatione securitatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremensem archiepiscopum pro inobedientia superbiæ suæ ab episcopali officio suspendit, et a corpore et sanguine Domini interdixit. Guarnerium Strazburgensem ab episcopali et sacerdotali officio suspendit. Henricum Spirensem suspendit. Henrimannum Bambergensem, si ante Pascha non venerit satisfacturus, similiter suspendit. Item in Longobardia Guilielmum Papiensem et Cunibertum Taurinensem suspendit. Dionysium Placentinum deposuit. Robertum ducem Apuliæ jam anathematizatum, et Robertum de Loritello invasores bonorum Sancti Petri, excommunicavit.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium. Ad reformandam Ecclesiæ disciplinam Gregorius anno 1074 synodum indixit exordio Quadragesimæ anni 1075 celebrandam, ad quam vocavit imprimis longius distantes Britannos episcopos et abbates, Tullensemque episcopum de Simonia et cohabitatione cum muliere, quam haberet ut conjugem, diffamatum. Isembertus Pictavensis episcopus, qui per milites irruerat in episcopos causam incestuosi comitis cognoscentes, eorumque quosdam verberibus, quosdam contumeliis affecerat, ab officio suspensus, jussus est Romam venire, sicut etiam Benno Osnaburgensis episcopus et abbas Corbeiensis inter se litigantes. Citavit etiam Liemarum Bremensem archiepiscopum ob causam supra enarratam. Sigefridum Moguntinum archiepiscopum cum omnibus suis suffraganeis episcopis eidem synodo assistere præsentes mandavit. Ab Henrico rege per litteras petiit ut legatos ad synodum mittat, illosque non audiat qui discordias inter se seminant. Cunibertum Taurinensem episcopum, qui de invaso monasterio Sancti Angeli accusabatur, jussit etiam advenire, sicut etiam Guilielmum Papiensem ob causam divortii inter Azonem et Mathildem. Hugonem militem, qui bona Taurinensis Ecclesiæ invaserat, ad reddendam rationem citavit. Ea quæ supra de Herimanni Bambergensis episcopi suspensione, et Dionysii Placentini episcopi depositione, in Actis synodalibus recensentur, inveniuntur etiam apud Gregorium libri II, epistola 54 et 76, et libri tertii epistola 3. In eadem synodo compositas fuisse discordias inter Pragensem et Moravensem episcopos declarat Gregorii epistola 93 libri II. Constituta synodalia per universum orbem promulgari mandavit, scriptisque ad sanctum Annonem Coloniensem et Sigefridum Moguntinum episcopos epistolis voluit ab iisdem congregatis in sua diœcesi conciliis, ea præcipue quæ de continentia clericorum et pravitate Simoniaca corrigenda decreta et constituta fuerant, promulgari. Baronius anno 1075, numero 10 et sequentibus.

(429) In hoc concilio editum fuisse primum contra investituras decretum docet Pagius ad ann. Ch. 1075, n. 1 et seqq.

(430) Non a Natali Domini sed a die Annuntiationis Virginis, et incarnationis Verbi numerans annos, ut dictum est superius.

(431) Tertius autem incipit hoc anno, die 22 Aprilis.

CONCILIUM ROMANUM III,

Quo Henricus rex Germaniæ, Sigefridus Moguntinus, Wilielmus Trajectensis, et Robertus Bambergensis episcopi excommunicantur, anno Domini 1077.

(MANSI, *Concil.* XX, 467.)

Anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo quinto, indict. XIV, celebravit ipse (432) dominus Gregorius papa Romæ synodum in ecclesia Domini Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, ubi interfuit episcoporum et abbatum, atque diversi ordinis clericorum et laicorum copia, in qua, inter cætera decreta quæ ibi gesta sunt, excommunicavit Sigefridum Moguntinum archiepiscopum in hunc modum : Sigefridum Moguntinum archiepiscopum, qui conatus est episcopos atque abbates regni Teutonicorum a sancta Romana Ecclesia, videlicet spirituali matre sua, scindere, judicio sancti Spiritus et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omni episcopali officio suspendimus, et a communione corporis et sanguinis Domini separamus, nisi forte mortis periculum superveniat, ita tamen ut pœnitentia ductus resipiscat. Cæteros vero qui sua sponte ejus schismati consentiendo subscripserunt, et in ea iniquitate perdurare volunt, similiter ab omni episcopali officio suspendimus. Illos vero qui non sponte consenserunt, usque ad festivitatem sancti Petri sufferimus, eo quidem respectu, ut si infra istum terminum idoneam aut per se aut per nuntios suos satisfactionem præsentiæ nostræ non obtulerint, episcopali deinceps officio priventur.

Excommunicatio episcoporum Longobardiæ.

Episcopos Longobardiæ, qui, spreta canonica et apostolica auctoritate, contra beatum Petrum apostolorum principem sacramentum conspiraverunt, auctoritate ejusdem beati Petri ab omni episcopali officio suspendimus, et a communione sanctæ Ecclesiæ separamus.

Excommunicatio episcoporum ultramontanorum.

Agathensem episcopum Berengarium, quia (qui) Narbonensi episcopo excommunicato communicavit, et vices episcopales pro illo fecit, excommunicamus. Viennensem episcopum Herimannum juste depositum pro Simonia, perjuriis, sacrilegiis et apostasia, quia Viennensem Ecclesiam infestare non desistit, excommunicamus : et Ecclesiis Romanensi et Sancti Irenæi Lugdunensi, quousque eas occupaverit, divinum interdicimus officium. Desiderium et Romanenis Ecclesiæ clericos, qui regulares nostros ab ea expulerunt, et excommunicatis communicaverunt, inde, donec satisfaciant, excommunicamus. Abbatem Sancti Ægidii similiter, et comitem sancti Ægidii, propter consanguineam, et comitem Forensem, et Umbertum de Bellogioco (Imbertum de Bellojoco) propter infestationes Lugdunensis Ecclesiæ; Podiensem Simoniacum, homicidam Stephanum, scilicet a legatis nostris excommunicatum, et Pontium Gratianopolitanum, quousque resipiscat, excommunicamus; et ea quæ Diensis episcopus in episcopatu Diensi de decimis et primitiis et Ecclesiis fecit, et cætera quæ in legatione nostra statuit, nos quoque confirmanus.

Excommunicatio Henrici regis Teutonicorum.

Beate Petre apostolorum princeps, inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, et audi me servum tuum quem ab infantia nutristi, et usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt et odiunt. Tu mihi testis es, et domina mea mater Dei, et B. Paulus frater tuus, et omnes sancti, quod tua sancta Romana Ecclesia me invitum ad sua gubernacula traxit, et ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiusque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi sæculari ingenio arripere; et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus, credo quod tibi placuit et placet, ut populus Christianus tibi specialiter commissus mihi obediat, specialiter pro [*f.*, vice, *sic et in Mutin.*] vita tua mihi commissa, et mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi atque solvendi in cœlo et in terra. Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ tuæ honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, per tuam potestatem et auctoritatem, Henrico regi filio Henrici imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita surperbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiæ gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere vel facient, absolvo, et ut nullus ei sicut regi serviat, interdico. Dignum est enim ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit quem dimisit, participando excommunicatis, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misi, te teste, spernendo, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, et sic eum ex fiducia tua alligo, ut sciant gentes, et comprobent quia tu es Petrus, et super tuam petram Filius Dei vivi ædificavit Ecclesiam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI).

(432) In cod. Mutin. deest *dominus*.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium. Quæ in hac synodo Romæ acta fuerint, summatim apud Lambertum recensentur his verbis : « Legati, ut jussum fuerat, summo conatu iter accelerantes, pridie quam a papa Romæ synodus indicta celebraretur (erat, ex more, prima hebdomada Quadragesimæ), Romam ingressi litteras tradunt. Tunc cæteram legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso quam scripto exsequuntur. Papa, nihil permotus atrocitate nuntii, postera die, cum clerus et populus ad synodum frequens confluxisset, in auribus omnium litteras recitari fecit, et sic cunctis qui convenerant episcopis id fieri decernentibus, regem excommunicat, et cum eo archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, episcopum Trajectensem Wilielmum, episcopum Bambergensem Robertum. Cæteris qui conspirationis hujus participes exstiterant diem statuit, qua, nisi Romam præsentati causam dicerent novæ hujus et inusitatæ contra sedem apostolicam rebellionis, similem cæteris excommunicationis sententiam sortirentur. Porro Ottonem Ratisponensem episcopum, et Ottonem Constantiensem episcopum, et Burchardum Lausannensem episcopum, Eberhardum comitem, Uldalricum, et alios nonnullos, quibus rex potissimum consiliariis utebatur, jampridem excommunicaverat. » In eadem hac synodo, teste Domnizone presbytero in Vita Mathildis, Gregorius papa ad repræsentandum et exprimendum totius tragœdiæ quam cum rege habebat argumentum, hoc usus est symbolo : « Anguis quidam, inquit, percussus seipsum spiris collegit; qui dum morsu rabido ovum lapideum juxta se positum ad lædendum appeteret, a lapide quem lædere intendebat ipse læsus aufugit. » Quod symbolum ea haud dubie intentione dixit, ut significaret petram, quæ est Ecclesia, furore persequentis regis lædi non posse; ipsum vero potius lædi, qui eam persecutione lacerandam attentavit. Verba Domnizonis presbyteri metrice conscripta ita sunt :

Incipiens synodum pastor Gregorius, ovum
Gallinæ sculptum, gestans in cortice scutum
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput, ictu
Quippe repercussus quodam, pertingere sursum
Non poterat, caudamque plicans dabat sinuatam,
Non erat hæc plana, sed erat sculptura levata.
Ad synodum fertur nunquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus et ecce Rolandus
In medium venit, papæ mox dicere cœpit :
Rex jussit terræ, jusserunt pontificesque,
Ut linquas sedem quam non es dignus habere.
Romanis clericis mox idem portitor, inquit :
Costes in pente Romam, testor, veniet rex.
Missurus papam, lupus hic, non est quia papa.

Hæc eadem de Rolando habent acta ipsius Gregorii, quibus ejusdem pontificis Vita texitur, et reliqua consentientia iis subjiciuntur. Nunc pergit Domnizo.

Has gestare decet virtutes non modo vere,
Atque crucem Christi studeamus ferre metipsi.
Non nos a Christo tribulatio separet isto
Tempore, sed colla subdamus membraque nostra
Martyrio. Verbo fidei feriatur hic ergo
Ostensus serpens, qui scutum gestat et ensem
Adversus matrem Romanam catholicamque
Ecclesiam Christi de sanguine rubra benigni.
Plura loquens papa; dixit synodus sibi sancta :
Tu pater es patrum, blasphemum contere, pravum,
Est nostrum quippe jussis parere, tuisque
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes.
Judicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelso dignum clamantibus esse
Privari regno regem, maledicere nec non.
Papa dolens vinclis anathematis illico strinxit
Regem prædictum. Cui regnum devetat ipsum.
In Quadragesima synodus celebrata sit ista.
Qui Petrum sanctum, qui papam diligit almum,
Hoc anathema probat.

Eadem habentur in rebus gestis sancti Anselmi Lucensis episcopi his verbis : « Inaudita deinde audacia et admirabili superbia sui facinoris compotes, nec dicendos colligit episcopos in civitatem Wormatiam, habitoque conciliabulo, proscripserunt primæ sedis episcopum : quod a sæculis non est auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præsumptionem per schismaticos sibi complices episcopos. Hujus legationis lator fuit quidam (Rolandus) Ebarardus nomine, Teutonicus natione, filius sæculi, hamus diaboli, inventor omnis fere mendacii. Hic circuivit et perambulavit terram ut schismatica omnes inficeret contagione. Multos certe, qui propter interdictum domini papæ divino ab officio cessaverant, ipse interdictus et vinculo perditionis ligatus inaudita temeritate ac superbia reconciliavit; et ex parte domini sui regis, ut officium more priori celebrarent, indixit.

« Cum igitur dissimulare amplius tanti facinoris malitiam non posset apostolicus, excommunicavit tam ipsum quam omnes ipsius fautores, atque omnem sibi regiam dignitatem interdixit, et obligatos sibi sacramentis ab omni debito fidelitatis absolvit. Quia (quod verecundum etiam est dicere) præter hæreticam, quam prælibavimus, culpam, aderant in sancto concilio nuntii illius sic audentes latrare : Præcipit dominus noster rex ut sedem apostolicam, papatum utpote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum ultra impedias . Proh nefas ! O exsecrabilem infelicissimi hominis temeritatem ! En suum esse dixit quod solum apostolorum principi Petro Christus Dominus commisit; nec subito quidem commisit, verum tertio antequam committeret interrogavit : *Simon*, inquiens, *amas me? pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Non regem, non imperatorem, aut aliquam Christianæ professionis conditionem excepit, præter eam quæ suam se ovem esse negaverit. Igitur quem sui solius judicio Dominus reservavit, hic non solum judicare, verum etiam suum dicere, et, quantum in se est, audet damnare. Quam ob causam omnis illa sancta synodus jure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat. » Hactenus de his ibi.

In Vita autem ejusdem pontificis additur, quod sequenti die, post Rolandi illius in synodo habitam invectivam orationem, allatæ sunt litteræ pœnitentium episcoporum. Sunt autem hæc ibi scripta : « Die vero altera ab episcopis ultramontanis litteræ ad pontificem sunt allatæ, in quibus confitebantur se errasse, et nimium deliquisse : qui postulabant quoque veniam, et omnem de cætero sibi obedientiam observaturi firmiter spoponderunt. Vixque sedato tumultu, synodalis tractatus in tranquillitate processit. Sed cum tempus jam instaret absolvendi synodum, pontifex habito cum centum et decem episcopis utiliori consilio, in eumdem regem, qui ecclesiasticam unitatem scindere attentavit, excommunicationis sententiam protulit, et usque ad condignam satisfactionem sententiam ipsam firmiter observari præcepit. » Quod quidem pie, sancte, juste riteque factum prædecessorum exemplis pluribus auctor docet. Gregorius igitur ubi anathematis sententia in synodo perculit Henricum regem, et omnes qui perpetrati sceleris fuissent auctores, ad omnes Christi fideles has litteras dedit, quibus et sententiam excommunicationis in eosdem latam adjunxit : « GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus qui cupiunt se annumerari inter oves quas Christus beato Petro commisit, salutem et apostolicam benedictionem.

« Audistis, fratres, novum et inauditum, » etc. *ut supra epist.* 6. *lib.* III.

Ad hanc quoque synodum spectare noscuntur sententiæ illæ breviores, quæ inter epistolas Grego-

rii lib. II, post epist. 55, habentur hoc titulo inscriptæ : *Dictatus papæ*. Quas sine dubio pontifex eo consilio promulgavit, ut rex ex his audaciam schismaticorum episcoporum et principum hoc tempore in Romanam Ecclesiam insurgentium experiretur. Vide Baronium anno 1076, numero 16 et sequentibus.

AD CONCILIUM ROMANUM III ADDITIO.

(MANSI, *Suppl.*, t. II, pag. 16.)

Scitum est Romani hujus concilii habendi causam præbuisse impudentiam Henrici Germaniæ regis, quo agente conciliabulum Wormatiæ coactum eo devenerat audaciæ, ut Gregorium e pontificali sede dejiceret. Cujus definitionis auctoritate fretus Henricus litteras injuriarum plenas dedit ad Hildebrandum seu Gregorium papam, quas integras inseruit in aliis litteris ea de causa ad Romanum clerum destinatis. Hæ vero litteræ tum quæ ad Henricum cum quæ ad Romanos scriptæ sunt, per bajulum missæ, Gregorii jussu recitatæ sunt in plena Romana synodo anni 1076, teste annalista Saxone Eccardi ad ann. 1076, ex quo easdem litteras integras habemus. Cum igitur ad acta synodi hæc pariter scripta pertineant, æqui bonique facient lectores ecclesiasticæ Historiæ studiosi, si huc translatas habeant; quos tamen præmonitos volo ut quæ in Gregorium fœda jactantur, hæc dicta accipiant ab homine impotenti, qui commoti animi insanias non veritatis consilia sequitur.

HENRICUS *Dei gratia rex, universo sanctæ Romanæ Ecclesiæ clero et populo, gratiam, salutem et omne bonum.*

Hæc fides firma et inconcussa creditur, quæ semper et eadem et præsenti et absenti servatur, nec diuturna ejus, cui debetur, absentia, nec longi temporis tædio immutatur, quam talem vos nobis servare scimus, et gratias agimus; et ut eadem perseveret petimus, videlicet, ut, sicut facitis, amicis nostris amici, inimicis inimici jugiter existatis. Inter quos scilicet Hildebrandum monachum notantes, vos in ejus inimicitiam excitamus; qui huic Ecclesiæ invasorem et oppressorem, et Romanæ reipublicæ vel regni nostri insidiatorem deprehendimus, ut in sequenti epistola sibi a nobis directa in promptu est.

« HEINRICUS, *Dei gratia rex*, HILDEBRANDO.

« Cum hactenus ex te ea quæ patris sunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrum indignatione obedirem; percepi a te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo qui vitæ regnique nostri perniciosissimus esset hostis. Nam cum in primis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Nec hoc contentus, in reverendissimos episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis acerbissimisque contumeliis contra divina et humana jura, ut ipsi aiunt, exacerbasti. Quæ omnia cum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput ausus es insurgere, mandans quæ nosti, scilicet, ut tuis verbis utar, quod aut tu morieris, aut mihi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego, non verbis, sed re confutandam dijudicans, generalem conventum omnium regni primatuum, ipsis supplicantibus, habui, ubi cum ea quæ hactenus metu et reverentia tacebantur in medium deducta fuissent, veris assertionibus illorum, quas ex ipsorum litteris audies, palam factum est te nullatenus in apostolica sede posse persistere. Quorum sententia, quia justa et probabilis coram Deo hominibusque videbatur, ego quoque assentiens, omne tibi papatus jus, quod habere visus es, abrenuntio, atque ut a sede urbis, cujus mihi patriciatus, Deo tribuente et jurato Romanorum assensu, debetur, ut descendas edico. »

Hæc series epistolæ nostræ ad Hildebrandum monachum, quam idcirco et vobis scripsimus, ut et vobis nostra voluntas, et nobis, imo Deo et nobis vestra satisfaciat charitas. Exsurgite igitur in eum, fidelissimi, et sit primus in fide, primus in ejus damnatione. Non autem ut sanguinem ejus fundatis dicimus, quippe cum major sit ei post depositionem pœna vita quam mors; sed ut eum, si nolit descendere, cogatis, et alium communi omnium episcoporum et vestro concilio a nobis electum in apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in Ecclesia vulneravit, curare et velit et possit.

HENRICUS *non usurpative, sed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando, jam non apostolico, sed falso monacho.*

Hanc talem pro confessione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem præteriisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca et egregia loquamur; rectores sanctæ Ecclesiæ, videlicet archiepiscopos, episcopos, presbyteros non modo tangere sicut christos Domini non timuisti, quin sicut servos nescientes quid faciat Dominus eorum sub pedibus tuis calcasti; in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nil scire, te autem omnia nosse judicasti, qua utique sententia, non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti, ut jure hoc B. Gregorium, cujus nomen tibi vindicasti, de te prophetasse credimus sic dicentem : *Ex affluentia subjectorum plerumque animus prælati extollitur, et æstimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse.* Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum apostolicæ sedis honorem servare studeremus; sed tu humilitatem nostram ti-

morem fore intellexisti, ideoque et in ipsam regiam potestatem, nobis a Deo concessam, exsurgere non timuisti, quam te nobis auferre ausus es minari; quasi nos a te regnum acceperimus; quasi in tua, et non in Dei manu, sit regnum vel imperium, qui Dominus noster Jesus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutia, quod monachica professio abominatur, pecuniam pecunia, favorem favore, ferrum ferro; sedem pacis adisti, et de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum episcopos nostros a Deo vocatos, tu non vocatus, spernendos docuisti, dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel contemnant, quos ipsi a manu Dei per impositionem manuum episcopalium descendi acceperant. Me quoque, qui licet indignus inter Christos ad regnum sum unctus, tetigisti, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum deponendumque commiserit. Ipse quoque verus papa B. Petrus clamat: *Deum timete, regem honorificate* (*I Petr.* II). Tu autem, quia Deum non times, me constitutum ejus inhonoras. Unde B. Paulus ubi angelo de cœlo, si alia prædicaverit, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Tu ergo hoc anathemate, et omnium episcoporum nostrorum judicio, et nostro damnatus, descende; vindicatam sedem apostolicam relinque; alius in sedem beati Petri ascendat, qui nulla violentiam religione palliet, sed B. Petri sanam doctrinam doceat. Ego Heinricus Dei gratia cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus : Descende, descende.

Quæ litteræ (subdit annalista Saxo Eccardi) cum domno papæ in basilica Lateranensi sanctæ synodo præsidenti fuissent allatæ, et coram synodo palam recitatæ, tanta fit in Ecclesia commotio, ut legatus (Henrici) nisi inter apostolici pedes defensionem invenisset, membratim laniatus interiisset. Sequenti die dominus papa coram synodo declaravit qua mansuetudine regem de magnis criminibus corripuisset; utque episcopos a captivitate liberaret, quanta suavitate rogasset et jussisset, quamtamque superbiæ amaritudinem recepisset. Deinde, cunctis acclamantibus, ne talis contumelia remaneret inulta, omnium consilio et consensu Henricum synodali judicio damnavit, regisque nomine et honore privavit, atque anathematis gladio percussit. B. Petre, apostolorum princeps, etc. *Vide inter epistolas, supra.*

CONCILIUM ROMANUM IV,

In quo Gilbertus Ravennas, Tebaldus Mediolanensis, aliique plures episcopi excommunicantur, anno Domini 1078.

(MANSI, *Concil.*, XX, 503.)

(433) Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octavo, pontificatus vero domini Gregorii papæ VII anno 5, celebravit ipse dominus Gregorius papa synodum, ubi interfuere archiepiscopi et episcopi diversarum urbium fere numero centum, nec non et abbatum ac diversorum ordinum clericorum et laicorum innumerabilis multitudo. In qua apostolica constituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, et quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine synodalis absolutionis hæc annexuit, et perpetuæ memoriæ pro posteris scribenda mandavit, ita dicendo : Tebaldum (Theobaldum) dictum archiepiscopum Mediolanensem, et Ravennatem Gilbertum, inaudita hæresi et superbia adversus hanc sanctam catholicam Ecclesiam se extollentes, ab episcopali omnino suspendimus et sacerdotali officio, et olim jam factum anathema super ipsos innovamus. Arnulphum Cremonensem publice coram nostra præsentia convictum et confitentem se Simoniacum, ab omni episcopali officio absque spe recuperationis deponimus, et usque ad dignam satisfactionem anathemate percutimus. Rolandum vero Tarvisiensem, qui pro adipiscendo episcopatus honore subdolus factus legatus inter regnum et sacerdotium schisma facere non abhorruit, ut amodo et usque in sæculum episcopali careat dignitate, apostolica censura censemus, et ut nullus successorum nostrorum suæ consecrationi aliquo modo consentiat, modis omnibus prohibemus, et perpetuo eum anathemate alligamus, nisi resipuerit, et digne Deo satisfecerit. Hugonem cardinalem tituli Sancti Clementis, tertio ab apostolica sede damnatum, eo quod aspirator et socius factus hæresis Cadaloi Parmensis episcopi, et iterum constitutus legatus apostolicæ sedis, hæreticis et Simoniacis, et ab apostolica sede damnatis se conjunxit, et tertio factus apostata et hæresiarcha, schismata et divisiones atque scissuras in Ecclesia Dei tentans eam scindere fecit, ab omni sacerdotali officio privamus, et tam ab ingressu et honore prædictæ Ecclesiæ, quam omnium Ecclesiarum, sub perpetua et irrevocabili sententia submovemus, et usque ad satisfactionem anathemate percutimus. Renovamus etiam excommunicationem a prædecessoribus nostris factam super Gaufredum archiepiscopum Narbonensem, et absque ulla recuperationis spe ab episcopali officio eum submovemus.

(433) *Dantur variantes ex cod. Mutin.*

De causa regis [*deest* Henrici et aliorum] *Henrici, et aliorum.*

Et quoniam lis et perturbatio (litem et perturbationem) regni in maximum sanctæ Ecclesiæ periculum et detrimentum quotidie redundare cernimus [*lege* cernuntur], placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione quam etiam scientia pollentes nuntii e latere apostolicæ sedis ad partes illas mittantur, qui omnes religiosos et justitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes clericalis et laicalis ordinis viros et ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus (Domini gratia præeunte aut finem et pacem juste componant, aut veritate præcognita, cui parti magis justitia faveat, ad plenum addiscere valeant; quatenus pars injusta desistat, et apostolica auctoritate munita, justitia vigoris et auctoritatis robur obtineat. Verum quoniam nonnullos diabolico instinctu collectos, tyrannidis suæ facibus accensos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes, fore non ignoramus; statuimus ut nulla unquam persona alicujus potentiæ, sive rex, aut archiepiscopus, episcopus, dux, comes, marchio, sive miles, aliqua præsumptione, temerariove ausu, fraude, dolove, seu aliqua perturbatione, legatis nostris obsistere et contraire, ne justitiam et finem componant, pertentent. Quicumque autem temerario ausu (quod non optamus) hujus nostræ constitutionis violator exstiterit, legatisque nostris ad hanc pacem componendam euntibus prænominatis fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, et non solum in spiritu, verum etiam et in corpore et omni prosperitate hujus vitæ apostolica potestate innodamus, et victoriam ejus in armis auferimus; ut sic saltem confundantur, et duplici confusione et contritione conterantur. Item Rainario vero Ugizzoni (Rainerio vero Vidicionis) filio inducias trium hebdomadarum damus. Quod si in spatio isto coram præsentia nostra aut per se aut per legatos suos justitiam facere noluerit, eo quod fratrem suum manu sua interemit, et multa perjuria ut scelestus incurrere non abhorruit, et cognatam suam et pupillos, liberos utique fratris sui, castra eorum diripiendo et prædia, contra periculum animæ suæ vexare non desinit. Transacto prænominato termino anathemate eum alligando percutimus. Et filium comitis.... datis induciis usque in Palmas simili excommunicatione innodamus, eo quod Lucensem Ecclesiam quiete manere sua diripiendo minime permittit. Excommunicamus (*Leo episcopus Ostiensis*, lib. III.) omnes Nortmannos, qui invadere terram Sancti Petri laborant, videlicet marchiam Firmanam, ducatum Spoletanum, et eos qui Beneventum obsident, et qui invadere et deprædari nituntur Campaniam et maritimam, atque Sabinos, nec non et qui tentant urbem Romanam confundere. Episcopos vero qui acceptis epistolis nostris, aut cognitis, neque per se, neque per canonicam excusationem ad præsentem synodum venerunt, ab episcopali suspendimus officio, et quicunque eorum, seu episcopus sive presbyter, prædictis Nortmannis, donec excommunicati fuerint, divinum officium fecerit, a sacerdotali officio perpetuo submovemus. Abbati Farfensi octo similiter dierum inducias concedimus; post quem terminum, nisi ad emendationem venerit, excommunicamus, et ei corpus et sanguinem Domini interdicimus, abbatisque ordine in perpetuum carere eum censemus.

Et quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoscimus, et eos quasi legali jam jure diabolico imo instinctu, ab his quibus misericorditer sublevari et consolari deberent deprædari conspicimus, statuimus et sub anathematis vinculo, ut a prædecessoribus nostris statutum est, jubemus ut quicunque naufragum quemlibet, et bona illius invenerit, secure tam eum quam omnia sua (bona sua) dimittat. Ordinationes vero illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censemus. Iterum sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a sacramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent omnibus modis prohibemus. Item : Et quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus. Apostolica namque auctoritate anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos et servientes, et omnes alios qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et illos qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis pro sustentatione, non superbiæ sed humanitatis causa, aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus.

Actum Romæ in ecclesia Domini Salvatoris quinto Nonas Martii, indictione prima.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium. His actis synodalibus redarguitur Marianus Scotus in Chronico, scribens Gregorium in hac synodo Henricum regem regno privasse, illudque in Rodulphum Sueviæ ducem transtulisse. Nam nonnisi post biennium a Saxonibus et principibus imperii electus auctoritate Gregorii confirmatus fuit, ut infra dicemus in concilio Romano VII synodica epistola de rebus in hac synodo gestis extra supra lib. v, epist. 15.

CONCILIUM ROMANUM V,

Celebratum anno Domini 1078,

PRO RESTAURATIONE SANCTÆ ECCLESIÆ.

(MANSI, *Concil.*, XX, 507.)

(434) Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo octavo, pontificatus vero domini Gregorii septimi papæ sexto, tertio (tertio decimo) Kalendas Decembris, indictione secunda, celebrata est synodus Romæ in ecclesia Sancti Salvatoris pro restauratione sanctæ Ecclesiæ. In qua inter alia excommunicatus est Constantinopolitanus imperator, aliique qui subscripti habentur. Juraverunt quoque legati Henrici et Rodulphi, quisque pro domino suo, quod nullis dolis colloquium legatorum sedis apostolicæ in Teutonico regno habendum impedient. Constituta etiam sunt illic ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ quædam capitula quæ in sequentibus denotantur:

De Teutonicis contradicendis, ne prædia ecclesiastica a regibus data, sive ab invitis episcopis, detineant.
Ut iterum excommunicentur illi quorum culpa colloquium remansit.
Narbonensis archiepiscopus iterum excommunicetur.
Et alii qui ab Amato episcopo sunt excommunicati.
Comes sancti Ægidii excommunicetur propter uxorem.
Et idem monasterium, si fuerit in potestate comitis.
Monasterium Sancti Benedicti montis Cassini defendatur ab omnibus Nortmannis.
Ut contradicatur ne aliquis accipiat investituram Ecclesiarum De manibus laicorum.
Et ne præbendæ vel officia ecclesiastica vendantur.
De consanguinitate.
De Simoniacis.
De castitate clericorum.
De falsis ordinationibus.
De falsis pœnitentiis.
Qualiter vera pœnitentia detur
De decimis a laicis injuste detentis.
De patriarcha Aquileiensi.
De patriarcha Gradensi.
De imperatore Constantinopolitano.
De festivitatibus pontificum Romanorum celebrandis.
De abstinentia Sabbati.
De Judæis non præponendis Christianis.
De sancti Petri hæreditate occultata.
Ut nullus pœnitens suscipiatur sine litteris episcopi sui, nisi forte fuerit episcopus mortuus vel excommunicatus.
Ut nullus abbas decimas et primitias sine auctoritate Romani pontificis seu episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat.
Ut nullus episcopus gravamen, seu servile servitium, ex usu abbatibus imponat.
Ut sacerdotes sine licentia sui episcopi, et monachi de notis monasteriis sine licentia suorum abbatum, non recipiantur.
A *Ut episcopi qui consenserint fornicationem vel incestum in suis parochiis a suo officio suspendantur.*
Ut omnes episcopi firmamentum faciant, ne prædia ecclesiastica vendant.
Ut nulli episcopi prædia Ecclesiæ in beneficium tribuant sine consensu papæ, si de sua sunt consecratione. Cæteri autem sine consensu archiepiscopi sui et fratrum suorum hoc idem non præsumant; si autem præsumpserint, ab officio suo suspendantur, et quod venditum est vel datum beneficium Ecclesiæ reddatur, omnino evacuata omni venditione, vel in beneficium traditione.
Ut omnes episcopi artes litterarum in suis Ecclesiis doceri faciant, et ornamenta Ecclesiæ sine certa utilitate, aut gravi necessitate, nullo modo nulloque ingenio Ecclesiis subtrahant, ne periculum sacrilegii, quod absit, incurrant.
Ut annuntietur laicis cum quanto periculo animæ suæ decimas detinent, et Ecclesias possident.
B *Ut qui certam partem in solemni missa volunt habere, aliquid procurent offerre.*
Decreta quædam in hac synodo facta: multa enim desiderantur, quorum tantum tituli habentur.

I. Quicunque militum, vel cujuscunque ordinis vel professionis persona, prædia ecclesiastica a quocunque rege, seu sæculari principe, vel ab episcopis invitis seu abbatibus, aut ab aliquibus ecclesiarum rectoribus susceperit, vel suscepit, vel invasit, vel etiam de rectorum depravato seu vitioso eorum consensu tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat.

Si quis Nortmannorum (435), vel quorumlibet hominum, prædia monasterii Sancti Benedicti montis Cassini invaserit, vel quascunque res ejusdem monasterii injuste abstulerit, et bis vel ter admonitus C non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, et Ecclesiæ satisfaciat.

II. Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, et ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri (436), ex quibus Christiana religio conculcatur; decernimus ut nullus clericorum investituram episcopatus; vel abbatiæ, vel ecclesiæ, de manu imperatoris, vel regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel feminæ, suscipiat.

Quod (437) si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subjacere.

(434) Dantur variantes ex cod. Mutin.
(435) Hæc desunt in chronico Virdunensi Hugonis Flav.
(436) In Ecclesia imo ruinam sanctæ religionis oriri.
(437) Hæc quoque desiderantur in eodem Chronico.

III. Si quis præbendas, archidiaconatus, præposituras vel aliqua officia ecclesiastica vendiderit, vel aliter quam statuta sanctorum Patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio suspendatur : dignum est enim, ut sicut gratis episcopatum accepit, ita membra ejusdem episcopatus gratis distribuant.

IV. Ordinationes quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ (aliqui personæ) ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu cleri et populi secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his ad quos consecratio pertinet non comprobantur, infirmas et irritas esse dijudicamus : quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est per Christum, intrant, sed, ut ipsa Veritas testatur, fures sunt et latrones (*Joan.* x).

V. Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio debitus quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, et recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum episcoporum pro defendenda justitia, vel negotium derelinquat, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuste abstulit restituat. Ne tamen desperet; interim quidquid boni facere poterit hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

VI. Decimas, quas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus : sive enim ab episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis, eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere (incurrere), et æternæ damnationis periculum incurrere (pœnam subire).

VII. Quia dies Sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi majori festivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abstineat.

VIII. Ut nullus abbas decimas et primitias, et reliqua quæ secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani pontificis, seu episcopi consensu in cujus diœcesi habitat, detineat, apostolica sanctione firmamus (auctoritate sancimus).

IX. Nullus episcopus gravamen, seu servile servitium, ex usu contra ecclesiasticam normam abbatibus seu clericis suis imponat. Interditum (*vel* interdictum) sardotale officium pretio interveniente restituat. Quod si fecerit, officii sui periculum subeat.

A X. Si quis prædia B. Petri apostolorum principis ubicunque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit (vel [438] debitum servitium exinde beato Petro non exhibuerit), recognoscat se iram Dei et sanctorum apostolorum velut sacrilegum incurrere. Quicunque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eamdem hæreditatem beati Petri legitime restituat, et pœnam quadrupli de propriis bonis persolvat.

XI. Si quis episcopus fornicationem presbyterorum, diaconorum, seu subdiaconorum, vel crimen incestus in sua parochia, precibus vel pretio interveniente, consenserit, vel commissum sibique compertum auctoritate sui officii non impugnaverit, ab officio suspendatur.

B XII. Ut omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre, et ducat (et duci) ad memoriam, quod Deus par Moysen dixit : *Non apparebis in conspectu meo vacuus* (*Exod.* XXIII). Etenim in collectis sanctorum Patrum liquido apparet quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debent.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Hujus Romani concilii canonibus hæc præmittit Hugo Flaviniacensis abbas jam sæpe laudatus : Consecratus, etc., *alibi* jam *excusa.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium. In hac synodo, post ea quæ in actis supra recensitis continentur, nefandissimum Gilbertum Ravennatem archiepiscopum ad synodum fre- C quenter citatum, apostolicæ sedis patientia et benignitate abutentem, ob immensa scelera perpetrata depositum esse, indicat epistola Gregorii decima libri sexti, quam ad ommes Ravennates de Gilberti sceleribus et depositione perscripsit.

Excommunicatus est Constantinopolitanus imperator. Nicephorus nimirum, cognomento Botoniates, qui imperium sibi tyrannice vindicans, Michaelem cum Maria Augusta conjuge, filioque Constantino Porphyrogeneto in Blachernis captos in monasterium relegavit. Coronatus est autem ipse Nicephorus a Cosma patriarcha, qui eodem anno, Joanne Xiphylino defuncto, a Michaele imperatore in locum ejus fuerat subrogatus. Venerat iste Hierosolymis, et magnæ existimationis erat apud imperatorem. *Joannes Curopalates.*

Si quis Nortmannorum. Hujus canonis sanciendi occasionem Leo Ostiensis episcopus qui aderat lib. 3, cap. 45 et 46, sic enarrat : « Eodem tempore Ro- D sellanæ Ecclesiæ pontifex ad hoc cœnobium veniens, non parvam pecuniæ summam in hoc loco deposuit. Quod ubi Jordani principi Capuæ relatum est, missis militibus, eam de secretario ecclesiæ abstrahi, et ad se præcepit afferri. Ad hæc fratres : Pecuniam, inquiunt, quæ Patri Benedicto credita est, nos nulli omnino viventium damus; verum in secretario conditam qui præsumpserit tollat. Milites diabolico furore ebriati pecuniam de secretario abstrahunt, ac abstractam ad principem deferunt. Tantum vero et tam immane inauditumque facinus Gregorii papæ dum pervenisset ad aures, hujus temeritatis noxam inultam esse non ferens, et verens ne hoc rursus exemplo ecclesia nostro violaretur, divinum officium in ecclesia Patris Benedicti interdixit, altariaque omnia nudari fecit, asserens in tanto scelere nimiæ negligentiæ damnandæque formidinis Desiderium

(438) Desunt in Chron. Virdunensi.

abbatem hac fratres argui merito posse : seque adversus congregationem nostram severius commovendum, nisi ea qua semper locum istum dilexerat charitate teneretur. Siquidem tolerabilius esse villas et castella juris nostri in prædam et direptionem dari, quam sanctum locum, ubique terrarum famosissimum, tantæ ignominiæ subjacere. Sed non diu divina ultio dilata est. Nam princeps tanti auctor sceleris, postquam pecuniam tulit ecclesiæ, lumen amisit. Inde vero Gregorius in concilio præsidens constituit, ut si quis Nortmannorum vel quorumlibet hominum, prædia, monasteria, villas, possessionesque nostri monasterii Cassinensis invaserit, et secundo ac tertio admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, quousque satisfaciat. »

Quoniam investituras ecclesiarum. De hoc canone Leo Ostiensis, cap. 41, ita scribit : « Per idem tempus, supradicto papa Gregorio synodum habente, Leo hujus monasterii bibliothecarius, qui postea Ostiensis episcopus fuit, proposuit litem de monasterio Sanctæ Sophiæ de Benevento, quod nuper Beneventani a ditione nostri cœnobii violenter abstraxerant. Cumque res ad judicium deducta esset, audientibus omnibus recitata sunt omnia privilegia nostra, quibus principes Romanique pontifices, imperatores, reges, duces, prædictam cellam huic monasterio donasse probatum est, decretumque a summo pontifice cellam illam nihil ad Beneventanos pertinere, sed juris nostri perpetuo esse debere. In eadem item synodo institutum est, ut qui a laico investituram Ecclesiæ acciperet, anathemate uterque plecteretur, et qui scilicet daret, et qui acciperet. » Hæc Leo.

ADDITIO PHILIPPI LABBE S. J.

De Gregorii VII zelo adversus Simoniacos, concubinarios, etc., *hæc habet idem Hugo Flaviniacensis, pag.* 207 *Chronici Virdunensis.*

Consecratus igitur in justitia et sanctitate miro modo assiduis votis pro se et grege sibi commisso excubans, urgente pastoralis officii necessitate, distorta perversorum corda ad rectitudinis lineam summa vi corrigere nitens, veritatem Dei absque personæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob zeli Dei fervorem, et justitiæ exsecutionem. Sed quia nulla est societas luci ad tenebras, perditorum hominum odium et detractionem, imo persecutionem acerrimam incurrit; regiam tamen viam, quam semel intraverat, inconcussus, immotus, per arma justitiæ a dextris et a sinistris fortiter incessit. Ac primo quidem apostolica auctoritate, veridicis sanctorum Patrum animatus sententiis, ad eliminandam Simoniacam hæresim, et præcipiendam clericorum castitatem commissi sibi officii debito vehementer exarsit. Audiant igitur qui audire volunt, ut muniantur, qui audire nolunt, ut confundantur, quam libera, quamque catholica voce contra insanos impiorum latratus, impiaque molimina, aususque nefandos intonuerit hic propugnator Ecclesiæ. Cum enim omnes fere sua quærerent, non quæ Jesu Christi, et adhærere mallent discipulatui Simonis, quam pauperiem Christi servare in unitate fidei; ministri quoque divini sanctuarii fœdam libidinosæ contagionis pollutionem contra jus fasque usurpatam, et subintroductam nollent abjicere, investituræ etiam Ecclesiarum a laicis indebite usurparentur : ipse pro communi

A Ecclesiæ utilitate et necessitate in Lateranensi palatio aggregata synodo, circumsedentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus et religiosis Deumque timentibus clericis et monachis, de suprascriptis et aliis Ecclesiæ commodis tractans, hæc decretalia promulgavit capitula.

I. *Quicunque militum,* etc.

Hæc sunt beatissimi papæ synodalia decreta (pag. 208 ejusdem Chron.) moribus corrigendis idonea, sanctorum Patrum decretis consona, cœlo rorante stillata, universis fidelibus inculcanda, amplectenda atque tenenda, justitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentia promulgata, temperantiæ virtute prædita. Sed perversi dum in eorum norma vi- B tæ suæ perversitate offendunt, hæc gravia, hæc dificilia, hæc, quia corrigi nolunt, emendari refugiunt, omnimodis appellant impossibilia. O mentem amentem ! o spurcam nequitiam ! et nequissimam spurcitiam ! Nunquid si perditorum mores hominum corrigi refugientes desipiunt, justitia silebitur, pietas conculcabitur, et ecclesiasticæ animadversionis gladius a sanguine prohibetur? Væ rectori quem denotaverit sententia hujusce maledictionis! maledictus est qui prohibet gladium suum a sanguine. Gladium a sanguine prohibere est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. Ob hanc igitur causam, quia scilicet sanctam Dei Ecclesiam castam esse volebat, liberam, atque catholicam; quia de sanctuario Dei Simoniacam et neophy- C torum hæresim, et fœdam libidinosæ contagionis pollutionem volebat expellere, membra diaboli cœperunt in eum insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in eum manus injicere, et ut eum morte vel exsilio confunderent, multis eum modis conati sunt dejicere. Sic surrexit inter regnum et sacerdotium contentio, accrevit solito gravior sanctæ Dei Ecclesiæ tribulatio. Henricus enim Henrici imperatoris filius adversus Deum et matrem omnium catholicorum Romanam Ecclesiam superbe tumidus, qui vita ejus prava sanctorum Patrum decretis et canonicis adversabatur institutis, adversus Deum et adversus Christum ejus (*Act.* IV) insurrexit, ecclesiasticis sanctionibus impie factus D rebellis : membra diaboli contra eum incitando, et omnes quos potuit minis, blanditiis, terroribus, muneribus contra eum armando, facta cum multis episcopis Lothariensibus et Transrhenensibus compositione. Posito enim adhuc in diaconatus officio eodem papa sanctissimo, cum de eo sinistra et inhonesta ubique ferretur fama, propter imperialem dignitatem ei patris matrisque reverentiam, necnon propter spem correctionis ejus, sæpe ab eo litteris et nuntiis est admonitus, ut memor clarissimi generis, memor imperialis dignitatis, vitam suam moribus imperio congruentibus institueret, ut regem se et imperatorem moribus ostenderet, operibus exhiberet. Sed quia cum ætate illius quoque pariter crevit iniquitas, sublimatus in ordine pontificatus,

auctoritate officii sibi commissi multo sollicitius ad vitæ meliorationem eum in dies hortabatur, cum ille excusatione ætatis fluxæ et fragilis de die in diem monita ejus se suscepturum verbis quidem promitteret, cæterum re et exaggeratione culparum, malo eorum, in quorum manus curia erat, consilio penitus conculcaret. Hinc jam proclivior factus ad scelera præceps præcipiti usus consilio ferebatur per devia. Visum est papæ beatissimo ut familiares ejus, quorum machinationibus per episcopatus et monasteria inductis Simoniace lupis pro pastoribus, Ecclesiæ innocentiam hæresi nefanda fœdaverat, ad pœnitentiam vocaret, venientes susciperet, respuentes a communione corporis Christi et consortio fidelium separaret, ut vel sic eum ab eorum subreptione et maligno consilio segregaret, admonens eum ut eos excommunicatos a domo, ab convivio, ab omni etiam familiaritate et communione sua expelleret. Interim vero invalescente contra eum Saxonum causa, cum vires regni et præsidia a se videret deficere velle, epistolam ei direxit supplicem et humilitate plenam, pœnitentiam de perpetratis agens, emendationem pollicens, et suam ei obedientiam et fidele adjutorium contra rebellantes promittens. Et hoc postmodum legatis ejus Humberto Prænestino et Giraldo Ostiensi episcopis, in illorum manus per sacratas eorum stolas, quas collo gestabant, jurejurando confirmans. Textus autem epistolæ iste est :

« *Heinrici imperatoris epistola ad papam.*

« Vigilantissimo et desiderantissimo domino papæ Gregorio apostolica dignitate cœlitus insignito, Heinricus Dei gratia Romanorum rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.

« Cum regnum et sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant, oportet nimirum, domine mi et Pater amantissime, quatenus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissimo indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic et non aliter conservatur in vinculo perfectæ charitatis et pacis, et Christianæ concordia unitatis et ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui, Deo annuente, regni jam sortimur ministerium et sacerdotio, ut oportuit, per omnia jus et honorem non exhibuimus legitimum. Quippe datæ nobis a Deo potestatis vindicem gladium non sine causa portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti et in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando confitemur, sperantes de vobis in Domino ut apostolica vestra auctoritate absoluti justificari mereamur. Heu, criminosi nos et infelices! partim pueritiæ blandientis instinctione, partim auctoritatis nostræ imperiosa libertate, partim etiam eorum quorum seductilia nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in cœlum et coram vobis, et jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, et Simoniaco felle amaricatis, et non per ostium, sed aliunde ingredientibus, ecclesias ipsas vendidimus, et non eas ut oportuit defendimus. At nunc, quia soli absque vestra auctoritate Ecclesias corrigere non possumus, super his, ut etiam de nostris omnibus, vestrum una consilium et auxilium obnixe quærimus, vestrum præceptum studiosissime servabitur in omnibus. Et nunc imprimis de Ecclesia Mediolanensi quæ nostra culpa in errore est, rogans ut vestra apostolica districtione canonice corrigatur, ei exinde ad Ecclesias corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis Deo volente in omnibus non deerimus, rogantes idipsum suppliciter paternitatem vestram ut nobis alacris adsit clementer in omnibus. Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habitis, ex quibus nostra quæ dicenda adhuc restant, Deo dante, plenius audietis. »

Verum, commisso prælio et victoria obtenta, ad vomitum cito rediit, vota fregit, excommunicatos in communionem et gratiam suscepit, Ecclesiarum confusionem non abhorruit. Pius autem papa adhuc animum ejus tentandum credens, litteras ei direxit commonitorias, ut recordaretur Domini Dei sui, recordaretur promissi, nec inhonoraret honorantem se, nec crederet se fallere posse Deum, adjiciens *Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam* (*I Petr.* v), parcensque ei et moderaminis apostolici erga eum censuram conservans, quem potuisset pro hoc solo scelere juste punire.

ALTERA ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ad concilium Romanum V, *ex chronico Virdunensi, pag.* 214, *tom. I. Bibliothecæ novæ ms. librorum.*

Anno ab Incarnatione Domini 1078, *indictione* I, *pontificatus ejus anno* V, *mense Martio*, *Gregorius papa VII Romanæ synodo episcoporum centum præsidens, dixit post aliqua :*

Ordinationes illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censuimus. Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis juraverunt fidelitate aut sacramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent modis omnibus prohibemus. Et quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis quotidie perire cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam nimia necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam, prout possumus, ad tempus opportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos et servientes, et omnes alios qui non adeo curiales sunt ut eorum consilio scelera perpetrentur, et illos qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicunque

autem orator, sive peregrinus, aut viator in terra excommunicatorum venerit, ubi non possit emere, aut non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non sustentatione superbiæ [*lege* pro sustentatione, non superbiæ, etc., *ut supra concil. Rom. IV*, Hard.] sed humanitatis causa aliquid dare voluerit non prohibemus. Actum in ecclesia Domini Salvatoris quæ appellatur Constantiana [*forte*, Constantinianæ, Hard.], v. Nonas Martii.

Observatio P. Antonii Pagi *ad an. Chr.* 1078, *n*. 4 *et* 5.

Subdit de v synodo Romana Bertoldus in Chronico : « In synodo ista Berengarius Andegavensis « canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter convenitur, eique induciæ usque ad proxi- « mam futuram synodum dantur. » Huc referendum quod anonymus Chiffletianus in opusculo de Berengarii hæresiarchæ damnatione multiplici scribit : « Reverendissimus papa Gregorius VII, suc- « cessor Alexandri, iterum eidem Berengario au- « dientiam in duabus synodis generalibus Romæ « concessit. Sed cum ipse sectam suam catholicæ « fidei contrariam denegare non posset, iterum sub « juramento eamdem abdicare et fidem catholicam « profiteri delegit, sicut in superioribus conciliis « fecit. Tot igitur conciliis Berengarianam hære- « sim damnatam percipimus, tum ex fidelium re- « latione virorum qui eisdem conciliis interfuerunt, « tum ex regestis Romanorum pontificum, tum ex « scriptis religiosorum virorum qui de his fidelis- « sime scripserunt. Nam eadem concilia nostris « temporibus infra 40 annos celebrata reperiun- « tur; quot anni ab exordio pontificatus S. Leonis « Papæ usque in præsentem annum computantur, « qui est ab Incarnatione Domini 1088 (quo auctor

A « opusculum suum scripsit.) Unde et adhuc multi « vivunt, qui eisdem conciliis interfuerunt; qui et « nobis de iisdem conciliis fidelissime testificati « sunt. »

Berengarius, qui primam fidei professionem, anno 1059, coram Nicolao papa fecerat, secundam in ista synodo edit, quam hactenus ineditam ex veteri codice Ms. Mabillonius, tom. II. Analect. in Observat. de multiplici Berengarii damnatione in hunc modum exhibet : « Profiteor panem altaris post « consecrationem esse verum corpus Christi, quod « natum est de Virgine, quod passum est in cruce, « quod sedet ad dexteram Patris : et vinum altaris « postquam consecratum est, esse verum sangui- « nem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore B « pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic « me adjuvet Deus, et hæc sacra. » Verisimile est, inquit Mabillonius, Berengario, postea quam priorem confessionem quasi proprium Humberti cardinalis fetum tam atrociter, scripto suo a Lanfranco confutato, lacerasset, ut vel sic omnis causandi ac tergiversandi aditus ei præcluderetur, datam fuisse potestatem suis verbis explicandi propriam de eucharistia mentem, quod ipse præstiterit, edita hac confessione secunda, id qua subdolis *veri corporis et veri sanguinis* verbis catholicam fidem profiteri videbatur; tametsi sub ejusmodi speciosis larvis hæresim suam occultabat. Inde factum ut hæc confessio permultis istius synodi episcopis non fecerit satis, ideoque remissa ac dilata sit amplior hujus rei C discussio in synodum anni subsequentis, cujus gratia frequentior episcoporum numerus Romam convenire debebat; ac interim Berengarius ad id tempus Romæ residere jussus. Quæ viri doctissimi conjectura valde mihi probatur.

AD CONCILIUM ROMANUM V ADDITIO.

Cum in concilio isto Romanæ res Cassinensis monasterii contra Normannorum invasiones assertæ fuerint, non dubito quominus ad idem Romanum concilium pertineat sententia illa adversus eosdem Normannos lata, qua eosdem castigat pro simili invasione rerum monasterii Casauriensis vel Piscariæ, quæ insula est maris Adriatici in Aprutio ulteriori. Hanc igitur damus ex Chronico ejusdem monasterii exhibito Rer. Italic. tom. II, par. II, pag. 365. Insuper de investituris dignitatum ecclesiasticarum a laicis non recipiendis, decreta duo integra cum non legantur in synopsi actorum hujus concilii, quam solam hic pro actis deperditis exhibet Labbeus, supplemus ex opusculo S. Anselmi Lucensis contra Wibertum antipapam, lib. II, pag. 384, edit. Canisianæ Basnagii; sed antequam hæc proferantur, disquirere aliquid juvat de hæretico Berengario, cujus causa non in concilio tantummodo Romano sequentis anni tractata est, quod et Labbeum non latuit; sed et quod ipse ignoravit, in præsenti pariter jussus est fidei suæ confessionem exhibere, quam, siquidem vera ille narraverit in scripto quodam suo vulgato in Anecdotis Martene, tom. IV, pag. 103, concilii illius Patres tunc quidam catholicam agnoverunt; sed alii latere in illa veneni aliquid hæretici suspicati persuaserunt pontifici ut Romæ ad concilium usque sequentis anni D illum detineret. Ibi clariorem fidei suæ confessionem exprimere coactus est. Porro ex ea Berengarii de rebus suis narratione intelligimus concilium istud Romanum in festivitate Omnium Sanctorum cœpisse, idque vero toto illo mense perseverasse demonstrat inscriptio ejusdem concilii in editis Labbeanis, quæ diem III Kal. Decembris signat. Nunc tandem confessionum fidei ejusdem Berengarii ex eodem opusculo promamus.

Juramentum Berengarii Turonici.

Profiteor panem altaris post consecrationem esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram

Patris, et vinum altaris postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me corde habere confirmo, sic me adjuvet Deus, et hæc sacra.

(439) Scriptum istud, cum Romæ apud papam moram facerem in conventu episcoporum, quem habuit in festivitate Omnium Sanctorum, vociferatione multa omnibus pronuntiari fecit, dicens sufficere debere fidei, sufficere debere his quibus lac potus dandus esset non cibus, secundum quod scribit B. Augustinus de sacrificio Ecclesiæ dicens : *Quod videtis in altari panis est et vinum, quod etiam oculi vestri vobis renuntiant; quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi vinumque sanguis.* Inclamans populo me non hæreticum esse, ita me de Scripturis, non de corde meo habere, omnibus testificans in audientia sua Petrum Damiani, non inferiorem lima eruditionis, non inferiorem Lanfranno dignitate Christianæ religionis, Romæ non consensisse de sacrificio Ecclesiæ dictis Lanfranni, pro eo se dare sententiam, negligenda esse ea quæ diceret Lanfrannus, potius quam ea quæ diceret Petrus Damiani Romanæ Ecclesiæ filius, S. Rufinæ, si satis memini, episcopus, non inferior, ut dicta repetam, Lanfranno lima eruditionis, dignitate Christianæ religionis; multo Lanfranno operosior in studio divinæ lectionis, secundum quod præcepit ipse Dominus: *Scrutamini Scripturas* (*Joan.* v). Ita papa ille, cum quo moras pene per annum feceram, compescitam putare visus est et compositam vecordiam turbæ turbatæ; ut ait B. Augustinus, cœni commoti, quo me hæreticum quantum potuit insimulaverat: maxime quia papa undecunque libros comportari fecerat episcopis et abbatibus, clericis et monachis, unde sacrificia Christi impervertibilia; sensa et scripta Augustini, Hieronymi, Ambrosii, aliorumque legenda proposuerat, mecum sentientibus, in eis qui cum papa erant, episcopo Portuensi, episcopo Sucirensi (*lege* Sutrinensi), episcopo Terracinensi, cardinalibus Attone Mediolanensi, monacho Tudensi Romanæ Ecclesiæ cardinali nomine Deusdedit, Petro cancellario, benigni atque humilis cordis fratre Fulcone transmontano, clerico ipsius domini papæ convictore nihilominus Tethbaldo, qui litterarior diligentia peculiari apud S. Petrum eo tempore habebatur clericus, et fratre quodam qui cognomine Bona-dies appellabatur, aliisque compluribus, quorum nomina dignitatesque non teneo. Cum tamen urgerent papam illum quam maxime pestilentes et Scripturarum perversores, ut exigeret a me moras adhuc Romæ facere usque ad conventum qui futurus erat apud eum in Quadragesima, episcoporum, etc.

Gregorius VII, Romana synodo quinquaginta episcoporum, considente presbyterorum et abbatum multitudine, statuit dicens :

I. Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos habeatur, nec ulla ei ut episcopo aut abbati audientia concedatur, insuper ei gratiam B. Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quo usque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cepit, resipiscendo non deserit (440). Similiter etiam de inferioribus et ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

II. Si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, vel quilibet sæcularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se astrictum esse sciat.

Sententia a Gregorio papa VII promulgata contra pervasores possessionum monasterii S. Clementis.

(441) Si quis Nortmannorum vel quorumlibet hominum prædia monasterii B. Clementis invaserit, vel quascunque res ejusdem monasterii injuste abstulerit, si bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat et Ecclesiæ satisfaciat. Si quis prædia B. Clementis ubicunque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde B. Clementi non exhibuerit, recognoscat se iram Dei, et S. Clementis velut sacrilegum incurrere. Quicunque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eamdem hæreditatem B. Clementi restituat, et pœnam quadruplum de propriis bonis persolvat. Quicunque militum, vel cujuscunque ordinis vel professionis persona, prædia ecclesiastica, a quocunque rege seu sæculari principe vel ab episcopis aliquibus [donata], invitis abbatibus aut Ecclesiarum rectoribus suscepit, vel susceperit, vel invasit, vel etiam eorumdem rectorum depravato sententioso consensu tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat. Romæ in universali synodo, præsidente B. Gregorio papa, ab eodem promulgata, ab universali concilio comprobata.

(439) Hæc narrat Berengarius in scripto a Martene vulgato.

(440) Ex opusculo S. Anselmi Lucensis contra Wibertum lib. II Canif. Veter. Lecti., t. III, p. 384, edit. Basnag.

(441) Rer. Ital. tom. II, part. II, col. 865.

CONCILIUM ROMANUM VI,

In quo Berengarius sæpe ad pœnitentiam vocatus, sæpiusque relapsus, hæresim suam iterum abjuravit, fidemque catholicam professus fuit, anno Domini 1079.

(MANSI, *Concil.* XX, 523.)

(442) Anno ab Incarnatione sempiterni Principis [Principii] millesimo septuagesimo nono, mense

(442) Ex Thoma Valdensi tom. II cap. 43, qui Acta formata *hujus concilii dicit a se reperta fuisse*

Februarii, indictione XI, pontificatus vero domni Gregorii (443) universalis pontificis VII anno VI ad honorem Dei et ædificationem sanctæ Ecclesiæ, salutem quoque tam corporum quam animarum ex præcepto sedis apostolicæ convenerunt finitimi et diversarum regionum et provinciarum archiepiscopi, episcopi, religiosæque personæ, ut sanctam synodum celebrarent. Omnibus igitur in (444) ecclesia Salvatoris congregatis habitus est sermo de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hæc, nonnullis illa prius sentientibus (445). Maxima siquidem pars panem et vinum [per] sacræ orationis verba et sacerdotis consecrationem, Spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod et in cruce pependit, et in sanguinem qui de ejus latere militis effusus est lancea, asserebat, atque auctoritatibus [rationibus] orthodoxorum sanctorum Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam vero cæcitate nimia et longa perculsi, figuram tantum substantiale illud corpus in dextera Patris sedens esse, seque et alios decipientes [figurate tantum se quam alios decipientes] quibusdam cavillationibus conabantur astruere. Verum ubi cœpit res agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in synodo, defecit contra veritatem niti pars altera, nempe sancti Spiritus ignis (446) emolumenta palearum consumens, et fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram concilio frequenti confessus, veniamque postulans et orans ex apostolica clementia meruit, juravitque (447) sicut in consequentibus continetur.

Jusjurandum Berengarii Turonensis presbyteri (448).

Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor panem et vinum quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri, et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce, pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ et veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tunc domnus papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare vel aliquem docere præsumeret excepta causa reducendi ad fidem hanc eos qui per ejus doctrinam ab ea recesserant [recesserunt].

His itaque pie et feliciter actis, inter multas proclamationes conquesti sunt legati regis Rodulphi super Henrico, quod, nulli loco nullique personæ parcens religionem Transalpinam contereret et conculcaret: neminem debitus honor vel reverentia vel dignitas tueretur, et ceu vilia mancipia non modo sacerdotes, sed etiam episcopi archiepiscopique caperentur, vinculisque manciparentur, partimque trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures concilii in illius tyrannidem gladium apostolicum debere evaginari; sed distulit apostolica mansuetudo. Juraverunt igitur legati Henrici regis illud quod in sequentibus scriptum reperitur.

Sacramentum nuntiorum Henrici regis.

Legati domini mei regis ad vos venient infra terminum Ascensionis Domini, exceptis legimitis soniis (449) id est morte, vel gravi infirmitate, vel captione absque dolo, qui legatos, Romanæ sedis secure ducent et reducent, et dominus rex obediens erit illis in omnibus secundum justitiam et judicium illorum: et hæc omnia observabit absque dolo, nisi quantum ex jussione vestra remanserit, et hæc juro ex præcepto domini mei regis Henrici.

Jusjurandum nuntiorum Rodulphi regis, itidemque Rodulphi, quod sequitur.

Si colloquium ex vestro præcepto constitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco et tempore a vobis definito, ante præsentiam vestram vel legatorum vestrorum dominus noster rex Rodulphus vel ipse veniet, vel episcopos et fideles suos mittet, paratusque erit judicium quod sancta Romana Ecclesia decreverit de causa regni subire, nulloque malo ingenio conventum a vobis sive legatis vestris constitutum impediet, et, postquam certum inde vestrum nuntium videbit de pace in regno constituenda et confirmanda, studebit ut legatio vestra provenire ad pacem regni et concordiam possit. Hæc omnia observabuntur nisi quantum ex vestra certa licentia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet morte, vel gravi infirmitate, vel captione, sine dolo.

Sacramentum archiepiscopi Aquileiensis.

Juravit idem eodem tempore archiepiscopus Aquileiensis Henricus secundum hæc verba: Ab hac hora et inantea fidelis ero beato Petro et papæ Gregorio, suisque successoribus, qui per meliores cardinales intraverint: Non ergo [*forte*, Non ero, HARD., *sic et in Mutin.*] in consilio, neque in facto,

in annoso libro decretorum pontificum sub decreto Gregorii papæ. HARDUINUS. — Dantur variantes e cod. Mutin.

(443) Vald. *papæ septimi*. HARD.

(444) Eadem habentur pag. 214 tom. I, bibliothecæ novæ ms. librorum in Chronico Virdunensi Hugonis abbatis Flaviniacensis.

(445) Vald. *alia sentientibus*. HARD.

(446) Vald. *emolumenta*. HARD.

(447) Vald. *sicut nunc in*. HARD.

(448) Uncis inclusa desunt.

(449) Sive *exoniis*, hoc est legitimis excusationibus quæ *causæ sonticæ* dicuntur. Cod Mutin. fert, causis mortis vel gravis infirmitatis vel captionis. ED.

ut vitam aut membra aut papatum perdant, aut capti sint mala captione. Ad synodum ad quam me vocabunt vel per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam, et canonice obediam; aut, si non potero, legatos meos mittam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adjutor ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine. Consilium vero quod mihi crediderint per se, aut per nuntios suos, sive per litteras, nulli pandam, me sciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo et redeundo honorifice tractabo, et in necessitatibus suis adjuvabo. His quos nominatim excommunicaverint scienter non communicabo. Romanam Ecclesiam per sæcularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia observabo, nisi quantum sua certa licentia remanserit [*forte* remiseris, Hard.]

Excommunicati sunt in eadem synodo sine spe recuperationis archiepiscopus Narbonensis, Tedaldus [Thebaldus] dictus archiepiscopus Mediolanensis, Sigefridus dictus episcopus Bononiensis, Rolandus Tarvisiensis, item episcopi Firmanus et Camerinus. Hi omnes cum sequacibus suis tam clericis quam etiam laicis.

Sacramentum Regiensis episcopi.

Ego Gandulphus Regiensem episcopatum contra interdictum vestrum, aut vestri legati, octo diebus non tenebo, neque aliquo inveniam studio, quo vestræ legationi resistatur. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium. Cum in hac synodo Berengarii hæresis damnata fuerit, quis non videt calumniam esse mendacissimam, qua Gregorius in conciliabulo Moguntino propterea damnatus fuisse asseritur, quod antiquus discipulus Berengarii exstiterit? Inter alias Gregorii epistolas exstat unica primo anno sui pontificatus ad Mathildem scripta, qua evidenter profitetur, sub speciebus panis et vini vere ipsum corpus et sanguinem Domini contineri; quæ unica epistola, si nullum aliud monumentum existeret, sufficiens esset ad integerrimam fidem Gregorii papæ demonstrandam, et ad schismaticorum calumniantium os impudens obstruendum.

In hoc concilio S. Brunonem, qui paulo post Signiæ episcopus creatus est, adversus Berengarium disputasse, acta Vitæ illius attestantur. Petrus Igneus Albanensis episcopus missus est legatus in Germaniam, estque illi adjunctus Udalricus Patavinus episcopus, ut tradit Bertholdus in Chronico hoc anno. Præter hæc alia quædam in ista synodo agitata fuisse indicant epistolæ 18 et 19, lib. VI, quas ex hac synodo ad Parmensem et Bambergensem Ecclesiam scripsit.

ADDITIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Eodem anno Gregorii papæ VII sexto habitum fuit die IV Nonas Maii Romanum aliud concilium: *Utrum,* scilicet, *bona Ecclesiarum possint poni in pignore pro pecunia colligenda ad resistendum Guiberto, archiepiscopo Ravennati Romanam sedem invadere conanti.* Interfuisse episcopos quatuor cum pluribus cardinalibus, abbatibus et archipresbyteris fidem faciunt duo pervetusti codices mss. quos possidebat illustrissimus dominus Petrus de Marca archiepiscopus Tolosanus, ut monuimus pag. 379 historiæ nostræ synopseos.

CONCILIUM ROMANUM VII,

In quo regnum Germaniæ Henrico abrogatum, collatum fuit Rodulfo, ea constitutione addita, ne deinceps investituræ beneficiorum a laicis conferantur vel accipiantur, anno Domini 1080.

(Mansi, *Concil.* XX, 531.)

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo, pontificatus vero domini Gregorii VII papæ anno VII, indictione III, celebravit ipse dominus papa synodum Romæ, ubi interfuerunt archiepiscopi, episcopi [et episcopi] diversarum urbium, nec non et abbatum ac diversorum ordinum clericorum et laicorum innumerabilis multitudo. In qua, apostolica [auctoritate] constituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, et quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine synodalis absolutionis hæc annexuit, et perpetuæ memoriæ pro posteris scribenda mandavit, ita dicendo:

I. Sequentes statuta sanctorum Patrum, sicut in prioribus conciliis, quæ, Deo miserante, celebravimus, de ordinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus; ita et nunc apostolica auctoritate decernimus ac confirmamus ut, si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo seu abbati audientia concedatur. Insuper etiam ei gratiam S. Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ (*I Reg.* XV) (quod est scelus idololatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

II. Item si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet sæcularium potestatum aut personarum, investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat. Insuper etiam, nisi resipiscat, et Ecclesiæ propriam libertatem dimittat, divinæ animadversionis ultionem in hac præsenti vita tam in corpore suo quam cæteris rebus suis sentiat, ut in adventu Domini (*I Cor.* XV) spiritus salvus fiat.

III. Item sententiam depositionis et excommunicationis, jam plerumque datam in Tedaldum

[Tebaldum] Mediolanensem dictum archiepiscopum, A et Guibertum [Gibertum] Ravennatum, et Rolandum Tarvisiensem, confirmamus et corroboramus. Et Petrum olim Rothonensem [Ruthenensem, *cod. Mutin.* Redonensem] episcopum, nunc autem Narbonensis Ecclesiæ invasorem, pari sententia damnamus.

IV. Item si quis Nortmannorum terras Sancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ marchiæ, quæ nondum pervasa est, et ducatum Spoletanum, et Campaniam, nec non Maritimas atque Sabinum, et comitatum Tiburtinum, nec non monasterium Sancti Benedicti montis Cassini, et terras sibi pertinentes; insuper etiam Beneventum invadere vel deprædari præsumpserit, gratiam sancti Petri et introitum ecclesiæ ei usque ad sa- B tisfactionem interdicimus. Verumtamen si quis illorum adversus habitatores harum terrarum aliquam justam causam habuerit, prius a nobis, vel a rectoribus seu ministris inibi constitutis justitiam requirat; quæ si ei denegata fuerit, concedimus ut pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat, non tamen ultra modum, nec more prædonum, sed, ut decet Christianum, et eum qui sua magis quærit recipere quam aliena diripere, et qui timet gratiam Dei amittere et maledictionem beati Petri incurrere.

V. Præterea admonemus omnes qui æternæ damnationis pœnas evadere, et veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut a falsis sibi caveant pœnitentiis. Sicut enim falsum baptisma non lavat ori- C ginale peccatum, ita post baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum. Ideoque valde necessarium est ut qui se aliquod grave crimen commisisse cognoscit, animam suam prudentibus et religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam. Hæc est enim vera pœnitentia, ut post commissum [commissionem] alicujus gravioris criminis, ut pote meditati homicidii et sponte commissi, seu perjurii pro cupiditate honoris aut pecuniæ facti, vel aliorum his similium, ita se unusquisque ad Dominum convertat, ut, relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat. Sic enim Dominus per prophetam docet : *Si conversus fuerit* D *impius ab omnibus iniquitatibus suis et custodierit universa mandata mea, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* XVIII). In quibus verbis manifeste datur intelligi quoniam qui aliena bona diripuit, et ea, cum possit, reddere vel emendare noluerit, vel qui arma contra justitiam portavit [portaverit], aut odium in corde retinet, vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis implicitus fuerit quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. Unde inter omnia vos hortamur atque monemus ut, in accipiendis pœnitentiis, non ad illos curratis in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum quam ad salutem ducunt, teste Veritate quæ ait : *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV); sed ad eos qui, religione et Scripturarum doctrina instructi, viam veritatis et salutis vobis ostendere valeant.

VI. *De electione pontificum.*

Quoties, defuncto pastore alicujus Ecclesiæ, alius est ei canonice subrogandus, instantia visitatoris episcopi, qui ei ab apostolica vel metropolitana sede directus est, clerus et populus, remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia, apostolicæ sedis vel metropolitani sui consensu pastorem sibi secundum Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, et de cætero nullam electionis potestatem habebit. Electionis vero potestas omnis in deliberatione sedis apostolicæ sive metropolitani sui consistat. Si enim is ad quem consecratio pertinet, non rite consecrando, teste beato Leone, gratiam benedictionis amittit, consequenter is qui ad pravam electionem declinaverit, eligendi potestate privatur.

VII. *Excommunicatio regis Henrici.*

Beate Petre, princeps apostolorum, et tu, beate Paule, Doctor gentium, dignamini, quæso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis estis discipuli et amatores, adjuvate ut [et] veritatem vobis dicam, omni remota falsitate quam omnino detestamini, ut fratres mei melius mihi acquiescant, et sciant et intelligant quia ex vestra fiducia post Dominum et matrem ejus semper virginem Mariam pravis et iniquis resisto; vestris autem fidelibus auxilium præsto. Vos enim scitis quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, et invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem ecclesiam redii, in qua utcunque vobis deservivi. Deinde valde invitus, cum multo dolore et gemitu ac planctu, in throno vestro valde indignus sum collocatus. Nec ideo dico [*forte verius,* hæc ideo dico, HARD., *sic et in Mutin.*] quia non ego vos, sed vos elegistis me, et gravissimum pondus vestræ Ecclesiæ supra me posuistis; et quia super montem excelsum me jussistis ascendere, et clamare atque annuntiare populo Dei scelera eorum, et filiis Ecclesiæ peccata eorum (*Isai.* LVIII), membra diaboli contra me cœperunt insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas injicere. Astiterunt enim reges terræ et principes sæculares et ecclesiastici, aulici et vulgares convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus vos christos ejus, dicentes : *Dirumpamus vincula eorum; et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* (*Psal.* II), et ut me omnino morte vel exsilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere.

Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt regem, Henrici imperatoris filium, contra vestram

calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis episcopis ultramontanis et Italicis conspiratione, adnitens me dejiciendo eam sibi subjugare; cujus superbiæ vestra resistit [*forte*, restitit, HARD.] auctoritas, eamque nostra destruxit potestas; qui confusus et humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quæsivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suæ vitæ emendatione, solam ei communionem reddidi, non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, instauravi, nec fidelitatem omnium qui sibi juraverant, vel erant juraturi, a quo omnes absolvi in eadem synodo, ut sibi servaretur, præcepi.

Et hæc ideo detinui, ut inter eum et episcopos vel principes ultramontanos, qui ei causa jussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, justitiam facerem vel pacem componerem, sicut ipse Henricus juramento per duos episcopos mihi promisit.

Prædicti autem episcopi et principes ultramontani, audientes illum non servare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rodulphum ducem in regem. Qui rex Rodulphus festinanter, ad me misso nuntio, indicavit se coactum regni gubernacula suscepisse; tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire : et, ut hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdem mihi semper [*dele* semper] misit sermonem, adjiciens etiam filio suo obside et fidelis sui ducis Bertholdi filio quod promittebat firmare.

Interea Henricus cœpit me precari ut illum contra prædictum Rodulphum adjuvarem, cui respondi me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut scirem cui justitia magis faveret. Ille vero putans suis viribus eum posse devincere, meam contempsit responsionem. Postquam autem persensit se non posse (sicut speravit) agere, duo episcopi, Virdunensis videlicet et Osenburgensis [*forte*, Osnebrugensis, HARD., *cod. Mut.* Osneburgensis], de consentaneis suis Romam venerunt, et in synodo ex parte Henrici me ut ei justitiam facerem rogaverunt; quod et nuntii Rodulphi fieri laudaverunt. Tandem, aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem synodo in partibus ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax statueretur, aut cui amplius justitia faveret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos mihi testes estis, Patres et domini, usque hodie nullam partem disposui adjuvare, nisi eam cui plus justitia faveret. Et, quia putabam quod injustior pars colloquium nollet fieri ubi justitia suum locum servaret, excommunicavi et anathemate alligavi omnes personas sive regis, sive ducis, aut episcopi, seu alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ut non fieret. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ (*I Reg.* XV), colloquium impediendo excommunicationem incurrit, et seipsum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradi, et Ecclesias fecit dissipari, et totum pene Teutonicorum regnum desolationi [desolatum] dedit. Quapropter, confidens de judicio et misericordia Dei ejusque piissimæ matris semper virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, sæpe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio et anathematis vinculis alligo; et iterum regnum Teutonicorum et Italiæ ex parte omnipotentis Dei et vestra interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo, et ut nullus Christianorum ei sicut regi obediat interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rodulphus regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior et concedo : omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestramque benedictionem in hac vita et in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro sua superbia, inobedientia et falsitate a regni dignitate juste abjicitur, ita Rodulpho pro sua humilitate, obedientia et veritate potestas et dignitas regni conceditur.

Agite nunc, quæso, Patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat quia, si potestis in cœlo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus et omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique et concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris [religiosi vero] dedistis. Si enim spiritualia judicatis, quid de sæcularibus vos posse credendum est? et, si angelos dominantes omnibus superbis principibus judicabitis, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc reges et omnes sæculi principes quanti vos estis, quid potestis; et timeant parvipendere jussionem Ecclesiæ vestræ, et in prædicto Henrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant quia non fortuito, sed vestra potestate, cadet. Confundatur utinam ad pœnitentiam, ut spiritus sit salvus in die Domini.

Acta Romæ Nonis Martii [Maii], indictione tertia.

Rodulphi regis Romanorum, et principum imperii, propositio in synodo Romana contra Henricum IV imperatorem.

1. Nos ex legatione domini nostri regis Rudolphi et principum ejus conquerimur Deo, et sancto Petro, vestræque paternitati, et cuncto huic sanctissimo concilio quod ille Henricus, quem vos apostolica auctoritate deposuistis a regno idipsum regnum contra vestrum interdictum tyrannice invasit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devastavit; archiepiscopos, episcopos, de episcopatibus suis impia crudelitate expulit, et eorum episcopatus suis fautoribus in beneficia distribuit; per cujus etiam

tyrannidem piæ memoriæ Werinharius Magdeburgensis archiepiscopus occisus est; Adelbertus Wormatiensis episcopus adhuc ab eo, contra sedis apostolicæ præceptum, in captione cruciatur; multa hominum millia ejus factione sunt occisa; quamplures ecclesiæ abbatis reliquiis (*sic*) incensæ ac penitus destructæ.

2. Innumerabilia quidem facinora sunt quæ idem Henricus in principes nostros perpetravit, eo quod sibi, contra sedis apostolicæ decretum, ut regi obedire noluerunt, et colloquium quod vos pro inquirenda justitia et pace componenda fieri decrevistis, ex culpa Henrici et fautorum ejus (irritum) remansit.

3. Quapropter vestram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, imo sanctæ Dei Ecclesiæ decretam sacrilego pervasori Ecclesiarum justitiam faciatis.

Actum Romæ anno ab Incarnatione Domini 1080, pontificatus vero domini Gregorii papæ septimi anno VII indictione III.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilium Coronæ, quam ex hoc concilio Gregorius papa ad Rodulphum misit, iste versus inscriptus fuit :

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

In hac synodo ventilatam quoque esse antiquam illam controversiam inter Turonensem et Dolensem Britanniæ Ecclesiam ejusdem Gregorii papæ litteræ ad episcopos Britanniæ datæ significant. Nihil certi in ea definitum, sed de mittenda legatione in Britanniam ad causam cognoscendam deliberatum; deque juribus Lemovicensis Ecclesiæ super monasteria a Dolensibus monachis usurpata, atque aliis a Remensi archiepiscopo occupatis in eadem actum esse, eædem epistolæ testantur. Baronius, anno 1080, numero decimo sexto.

ADDITIO AD ROMANUM VII CONCILIUM.

Anni 1080.

In quo Henricus regno exspoliatur, Rodulphus investitur.

(*Supplem.* MANSI, II, 46.)

Ex hac synodo scriptas testatur Annalista Saxo Eccardi litteras, quas ex illo acceptas hic repeto. Forte tamen hæ litteræ præcesserunt sententiam in Henricum regem in concilio pronuntiatam. Hanc vero sententiam anno 1080 *tunc arbitror dictam, cum Henricus victoria de Saxonibus relata inflatus omnem in apostolicam sedem observantiam abjecit. Prœlium vero illud die* VI *Kal. Februarii Annalista Saxo consignat. Ex quo fieret concilium hoc Januario mense convenisse. Quibus constitutis, hoc Romanum ab eo in quo sententia exauctorationis in Henricum dicta est, consignaturque Martio mense, plane distinguitur.*

In ipso anno domnus apostolicus in Teutonicas partes a synodo subjectam misit epistol.

« GREGORIUS, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis et episcopis in Teutonico, atque in Saxonico regno commanentibus, omnibusque principibus, cunctisque majoribus et minoribus, qui non sunt excommunicati, et obedire voluerunt, salutem et apostolicam benedictionem. »

Quomodo ex lite et dissensione vestra maximum in sancta Ecclesia periculum fieri quotidie cognoscimus, visum est nobis, visum est et fratribus nostris in concilio congregatis summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuntii, tam religione quam scientia pollentes, e latere apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur, qui religiosos episcopos, laicos etiam pacis et justitiæ amatores, in partibus vestris commorantes, ad hoc opus idoneos congregarent; qui domni gratia præeunte, die et loco ab illis statuto, tam ipsi quam quos ipsi adjungere adhuc debemus, aut pacem componant, aut, veritate præcognita, super illos qui sunt sancti, dissidii causa canonicam censuram exerceant. Verum quomodo nonnullos diabolico instinctu confectos, iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri et videre desiderantes fore non ignoramus; statuimus in hac synodo, sicut et in præterita, ut nulla persona alicujus potentiæ vel dignitatis sive parva sive magna, sive princeps sive subjectus aliqua præsumptione audeat legatis nostris obsistere, et cum ad vos pervenerint de componenda pace contraire, nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat insurgere, sed usque ad diem ab illis statutum firmam pacem omnes sine ulla occasione et fraude observent. Quicunque autem hæc vestra instituta ulla præsumptione violare tentaverit, anathematis vinculo eum ligamus, et non solum in spiritu, verum etiam in corpore et in omni prosperitate hujus vitæ apostolica auctoritate innodamus, et victoriam in armis auferimus, ut sic saltem confundantur et duplici contritione conterantur.

CONCILIUM ROMANUM VIII,

In causa Henrici regis et episcoporum quorumdam, celebratum anno Domini 1081.

(MANSI, *Concil.* XX, 577.)

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo primo, pontificatus vero Gregorii septimi anno octavo nondum exacto, præsidente eodem apostolico celebrata est synodus Romæ in basilica ejusdem Sal-

vatoris et Redemptoris nostri Jesu Christi, in qua inter cætera sententiam depositionis archiepiscoporum Arelatensis et Narbonensis atque excommunicationis per legatos apostolicæ sedis promulgatam, dominus papa, his qui aderant collaudantibus, firmavit.

Henricum quoque dictum regem, et omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverunt, iterum excommunicavit.

Anathematizavit item Ildimundum et Landum Campaninos tyrannos, omnesque adjutores eorum.

Præterea suspendit ab officio quosdam episcopos, qui, ad concilium invitati, neque ipsi neque nuntii eorum pro ipsis venerunt.

CONCILIUM ROMANUM HABITUM ANNO 1081.

Anno Gregorii VII papæ nono, IV Nonas Maii, convenientibus simul episcopis, cardinalibus, abbatibus, archipresbyteris ut discerent utrum bona Ecclesiarum possent poni in pignore pro pecunia colligenda ad resistendum Guiberto, archiepiscopo Ravennati Romanam sedem invad ere conanti, quæsitis auctoritatibus exemplisque sanctorum, unanimiter laudaverunt sacras res Ecclesiarum nullatenus in militia sæculari exponendas, nisi in alimonia pauperum, in sancto usu rerum divinarum, et in redemptione captivorum. Ita quippe sub procuratione Joseph fuerant immunia a tributo prædia sacerdotum, nec exponebatur aut mittebatur in corbonam pretium sanguinis (*Matth.* XXVII), nec Heliodorus raptor sacrarum rerum sub Onia pontifice fuit impunitus (*II Mac.* III). Quibus actis interfuerunt Joannes episcopus Portunensis, Joannes episcopus Tusculanensis, Umbertus episcopus Prænestinus, Brunus episcopus Signinus, Beno cardinalis Sancti Martini, Ber..... cardinalis Chrysogoni, Benedictus cardinalis Sanctæ Pudentianæ, Cono cardinalis Sanctæ Anastasiæ, Azo cardinalis Sancti Marci, Romanus cardinalis Sanctæ Susannæ, Bonus senior cardinalis Sanctæ Mariæ, Maurus abbas Sancti Sabbæ, Laurentius cantor, Petrus archipresbyter de porta Latina, Joannes archipresbyter de Sancto Sebastiano, Joannes archipresbyter de Sancta Cæcilia,...... archipresbyter Salvatoris, et alii plures.

CONCILIUM ROMANUM IX,

Anno Domini 1083 *celebratum.*

(Apud MANSI, *Concil.* tom. XX, col. 587).

(450) Anno ab Incarnatione Domini millesimo (451) octuagesimo quarto, pontificatus vero domini Gregorii papæ septimi anno undecimo, duodecimo [XIV] Kalendas Decembris, præsidente eodem apostolico, celebrata est tribus diebus in Lateranensi basilica synodus, in qua fuerunt archiepiscopi, episcopi, et [*deest* et] abbates Campani, et de principatibus atque Apulia, pauci quoque Gallicani; nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retro vertere compulit, qui Ostiensem episcopum de apostolica legatione redeuntem contra fas et juramenti fidem capi jussit sive permisit. Tres autem synodos quadragesimales ejusdem Henrici persecutio impedivit [præpedivit]. Qui semel beatum Paulum, bis beatum Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine quam negligentia civium, porticu [porticæ] muros subripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bello fatigatum, acri inedia laborabat: cum nec ipsis ad vicina oppida vel castra exire liceret, nec illi jurati Henrici in Urbem vellent negotiatum venire; multi quoque fame abacti Urbem reliquerant. Proinde cæteri bello remissius attenti rem ex animo minus gerebant, et a custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentes aberant. Hæc super Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat.

Cæterum dominus apostolicus in eadem synodo de fidei forma et Christianæ religionis conversatione, sed et robore animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano sed angelico patenter edisserens, die tertia totum fere conventum in gemitus et lacrymas compulit, sicque concilium apostolica benedictione lætificatum in pace dimisit.

(450) Dantur variantes ex cod. Mutin.

(451 Legendum 1083, ut annus XI Pontificatus Gregorii hoc anno inchoatus certo demonstrat. Præterquam quod an. 1084, m. Novembri, Gregorius VII Romæ non erat. PAGIUS *ad An.* 1083, *n.* 5.

CONCILIUM ROMANUM X,

Quo Guibertus antipapa et hæresiarcha atque Henricus pseudoimperator cum omnibus suis fautoribus, excommunicatur, anno Domini 1084.

(MANSI, *Concil.* XX, 589).

De hoc concilio ista Bertholdus : Dominus autem papa, collecta synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham, et Henricum, et omnes eorum fautores, promulgavit; quod et in festo

sancti Joannis Baptistæ præterito jamdudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati sedis apostolicæ, videlicet Petrum Albanensis episcopus in Francia, Otto Ostiensis episcopus in terra Teutonicorum usquequaque divulgarunt. *Hæc Bertholdus.*

Ad hunc quoque annum referenda quæ scribit Hugo Flaviniensis in Chronico anno 1084 : Henricus Romam veniens urbem cepit, muros evertit, Gregorium papam in turre Crescentis muro clausit, suumque papam in ecclesia S. Petri sedere constituit, ut impleretur quod scriptum est : « Cum videretis idolum abominationis stans ubi non debet, qui legit intelligat A (*Matth.* XXIV), » etc. Nec mutabat pardus varietates suas (*Jer.* XIII), Henricus scilicet nequitias suas; quinimo Romæ positos quotquot poterat minis, terroribus, blandimentis, promissis sibi conciliabat, bella, cædes, homicidia per se suosque faciens, et totis quibus poterat viribus iniquitati favens, veritati resistens et insuper suis litteras mittens, quibus se Romam obtinuisse, papam dejecisse et omnibus omnino prævaluisse mendaciter confingebat. At vero Mathildis, etc. Gregorius igitur in turre Crescentis muro clausus legatos misit ad Robertum, Apuliæ ducem, ut veniret et obsidionem solveret, etc.

AD OPERA S. GREGORII APPENDICES.

APPENDIX PRIMA.

OPERA A NONNULLIS S. GREGORIO ASCRIPTA.

I.

COMMENTARIUS IN VII PSALMOS PŒNITENTIALES.

(*Vide in S. Gregorio I papa, Operum ejus tomo V, col.* 549, *Patrologiæ tom. LXXIX.*)

II.

FRAGMENTUM EXPOSITIONIS IN MATTHÆUM.

(Fabric., *Bibl. med. et inf. Lat.*, III, 92.)

Expositionem in VII psalmos pœnitentiales, quam supra inter Gregorii I scripta retuli, parum certa conjectura Hildebrando aliqui tribuunt, sicut etiam Commentarium uberiorem in Matthæum, ex quo ms. in bibliotheca Lambethana Petrus Allixius in præfat. ad Determinationem Joannis, Parisiensis prædicatoris, de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris, Lond. 1686, 8, protulit hoc fragmentum.

Cum autem panis et vinum, inquit, dicantur a cunctis sanctis, et a fidelibus creditur transire in substantiam corporis et sanguinis Christi; qui fit illa conversio, an formalis, an substantialis, quæri solet. Quod autem formalis non sit, manifestum est; quod forma panis et vini remanent. Utrum vero sit substantialis, perspicuum non est. Quidam autem dicunt hic substantiam transire et converti, ut hæc fiat illa, nec tamen illa augeatur, nec concedunt quod hanc esse illam vere dici possit. Alii autem sic dicunt, hanc in illam transire et converti, quod sub illis accidentibus sub quibus prius erat substantia panis et vini, post consecrationem est substantia corporis et sanguinis, quibus tamen non efficitur. Nos autem, incerta relinquentes, quod auctoritatibus certum est profitemur, scilicet substantiam corporis et sanguinis Christi converti, modum vero conversionis ignorare non erubescimus fateri.

Subjungit post hoc clarissimus Allixius : « Hildebrandi, qui deinde Gregorius VII, esse hoc opus, verba quibus illud clauditur, demonstrant : Explicit Expositio Hildebrandi, servi Jesu Christi, super Matthæum, per verba et sensum horum expositorum et subtilitatem glossarum venerandorum magistrorum. Adjuro te ut librum hunc per præsens exemplar corrigas. » Sed omnino audiendus Henricus Warthonus, qui, eodem ms. codice Lambethano usus, Commentarium hunc in auctario ad Historiam dogmaticam Jac. Usserii, p. 405, non Gregorio VII, sed juniori cuidam *Hildebrando*, circa annum 1150 tribuit. Ascribam ejus

verba, quo rectius lectori de commentario illo adhuc inedito possit constare. « *Hildebrandus junior expositione in Evangelium S. Matthæi* ms. in bibliotheca Lambethana. S. Scripturæ ubertatem atque plenitudinem, omnibus ex æquo Christianis paratam, sæpius deprædicat. Hinc illam comparat cum fermento, cujus admistione integra farinæ massa animatur; cum margarita, pro cujus acquisitione omnia sunt vendenda; cum vinea, in quam Dominus omnes confertim servos ad operandum immisit; cum talento, quod dominus peregre profecturus universis servis negotiandum concredidit; denique cum prandio, ad quod Dominus omnia hominum genera invitari voluit. Sic enim scribit lib. VIII, homil. 64, in illud Matthæi cap. 22 : Dicite invitatis quod prandium meum paravi : *Prandium est doctrina justitiæ, et verba cœlestium mysteriorum de Dei Filio. Ex omni igitur lege, et ex omnibus prophetis et Scripturis, mensam S. Scripturæ ordinavit : in qua mensa, doctrina omnis justitiæ et diversorum mysteriorum : quia diversi cibi sunt. Magnitudo igitur et abundantia divinorum mysteriorum, quinimo cibi animarum, in mensa sanctæ Scripturæ inveniuntur.* Expositionem istam Hildebrando cardinali, qui postea Gregorius VII fuit, deberi credidit vir doctissimus P. Allixius, qui ex ea descriptum de Eucharistia fragmentum edidit in Præfat. ad Joannem Parisiens. Verum longe a Gregorii VII genio ac sententia abludit istius libri auctor. Ille hæreticos et Ecclesiæ Romanæ adversarios ferro flammaque exscindendos clamavit, et exemplo præivit; clavium potestatem Petro a Christo datam super omne fas nefasque extulit; Ecclesiam super Petrum fundatam esse constanter docuit; et ordinem monasticum, cui impense favit, summo sibi studio addictum habuit. Iste e contra hæreticos morte nequaquam mulctandos esse contendit; de clavium potestate haud minus sobrie sensit quam Protestantium quivis, omnibusque ex æquo apostolis datam fuisse docet; Ecclesiam non super Petrum, sed super ipsum solummodo Christum ædificatam esse asserit : et monachorum ordinem Pharisæis semel atque iterum comparans, eorum tonsuram, vestes religiosas et vigilias vellicat (*lib.* VI, *homil.* 42 *et* 50; *lib.* VI, *homil.* 69). His adde, Gregorium VII preces lingua populo ignota factas maxime comprobasse. Noster autem Hildebrandus ejusmodi orationem non obscure improbat, ad illud Matth. XXIII : Excolantes culicem, camelum autem glutientes : *Væ nobis, ad quos vitia Pharisæorum pervenerunt ! Quia in tonsura, et veste religionis, et oratione labiorum, et jejuniis et vigiliis quibusdam nos quasi bonos ostendimus. Et cum talia facimus, quid aliud quam vilia olera decimamus; et relinquimus dilectionem Dei et proximi, justitiam, et fidem, et simplicitatem, et humanitatem, puram in Spiritu sancto orationem, et alia virtutum germina?* Demum, quod rem extra omne dubium ponit, noster Bernardum citavit, Gregorio VII inferiorem. Ecclesiasticorum enim vitia insectatus, ista subinfert : *Lege librum domini Bernardi Claræallensis abbatis De consideratione, valde bonum, quem scripsit Eugenio papæ, ibi plenius invenies descriptos errores malorum prælatorum.* Hildebrandus itaque junior quidam hujus expositionis auctor fuit. Istum circa sæculi duodecimi medium collocavimus, tum quod certior calculus desit; tum quod et codicis ms. ætas, et loquendi de Bernardo modus, illi ætati optime conveniant. » Hæc V. C. Henricus Warthonus.

APPENDIX SECUNDA.

WIBERTUS ANTIPAPA (CLEMENS III).

NOTITIA HISTORICA.

(CIACCONI, *De Vitis pontificum Romanorum*, pag. 340.)

Clemens tertius, Parmensis, Guibertus de Corrigia antea vocatus, archiepiscopus Ravennas ab Alexandro II factus, olim imperatoris Henrici IV cancellarius, et, eo auctore, in schismate Romanus antipapa creatus, contra Gregorium VII et ejus successores Victorem III, Urbanum II, et Paschalem II, eo imp., sedit annos 21, menses et dies aliquot. Creatus Brixini in Noricis a triginta episcopis schismaticis, auctore Henrico IV imp., VII Kal. Julii, feria II, indictione III; coronatus Romæ A ad S. Petrum x Kal. Aprilis Dominica Palmarum anno 1084. Cardinales fecit viginti novem, episcopos quatuor, presbyteros decem, et diaconos quatuor. Obiit Romæ in arce S. Angeli post Kal. Septembr. anno 1101; sepultus Ravennæ in cathedrali ecclesia, et non longe post corpus ejus, exhumatum jussu Paschalis II, combustum est.

Schisma in Romana Ecclesia pessimum vicesimum tertium.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(JAFFÉ, *Registra Romanorum pontificum*, pag. 443.)

In Wiberti bullis has sententias reperimus : DOMINI EST TERRA ET PLENITUDO EJUS; — CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS (7); et : B VERBO DOMINI CŒLI FIRMATI SUNT, CONFIRMA HOC, DEUS, etc. (8).

Datæ sunt p. m.
Roberti card. presb. (1),
Bernerii vice cancellarii (7),
Bernerii vice Petri cancellarii (8),
Roberti Sanentini [l. *Faventini*] *episcopi* A *vice cancellarii Petri* (9),
Tiderici Albanensis episcopi (11).

In bulla 2 legitur : *Per manum Joannis scriniarii et notarii nostri palatii,* qui scripsisse eam videtur.

WIBERTI ANTIPAPÆ

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

Canonicorum Veronensium possessiones et privilegia confirmat.

(Anno 1084.)

[UGHELLI, *Italia Sacra*, V, 769.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis PAULO archipresbytero, et TOTONI archidiacono, et TOTONI præposito, omnibusque canonicis S. Veronensis Ecclesiæ, tam præsentibus quam et futuris, perpetuam in Domino salutem.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione incurrere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium. Quapropter ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beatæ Mariæ semper virginis, BB. apostolorum Petri et Pauli, cæterorumque sanctorum quorum nomina in libro vitæ ascripta sunt, necnon ex auctoritate sanctorum canonum omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, seu cunctis magnis parvisque personis, præcipimus ut vestras personas, seu prædia ac beneficia, omnemque vestram justam possessionem et investituram beneficiorum prædictæ canonicæ quam usque nunc tenuistis, nulli liceat lædere, disvestire, inquietare, abstrahere. Similiter præcipimus ut nullus vestrum aliquo ingenio ab episcopo vestro beneficia, quæ soliti estis investire, requirat, vel investituram ex illius manibus accipiat. Similiter præcipimus de omnibus rebus vestræ canonicæ, tam de curtis, quam de castellis, seu villis, xenodochiis, factitiis, incensitis, libellariis, decimis, servis et ancillis, terris, vineis, pratis, salictis, montibus, planitiis, tam infra civitatem quam extra civitatem, quæ a fidelibus vobis sunt collata vel fuerint, ut nulla magna parvaque persona se intromittat; sed liceat vobis quieto eas tenere ordine, sicut per mercedem meorum antecessorum pontificum, seu imperatorum et regum hactenus tenuistis, eo videlicet ordine qui in vestrarum chartularum paginibus continetur : et de nulla alia ecclesia super vos archipresbyter vel archidiaconus præferatur. Quod ob hoc dico quia spero B vestram ecclesiam nunquam carituram clericis qui ad hos honores sint utiles. Si vero archipresbyter et archidiaconus uno tempore mortui fuerint, liceat præposito frui officio illorum de investituris donec archipresbyter vel archidiaconus ordinatus fuerit. Si enim ab aliquo aliquid inventionis scriptum repertum fuerit ad destruendam rectitudinem ordinum, aut hæreditatem vestram, vel ea quæ supra diximus, præcipimus ut omni modo destruatur, et nunquam compareat, si vero (quod absit !) aliquis contra hoc nostræ auctoritatis scriptum agere tentaverit, vel vos in his quæ supra diximus offenderit, et infra annum non emendaverit, illius irritus fiat conatus, et illum vivum terra deglutiat, sicut Dathan et Abiron in seditione Core; lepra Naaman C Syri super eum veniat, et maledictio quæ fuit data in monte Nebal, et anathema maranatha, et omnes illæ plagæ et maledictiones quibus Deus Pharaonem et Ægyptum percussit, quæ sunt scriptæ in quinque libris Moysi; et Judæ traditori sociatus cum Anania et Saphira pœnam luat æternam, et nostro, seu nostrorum successorum subjaceat judicio : hæc omnia juxta privilegium sanctissimi Leonis Noni papæ ita firmari ac corroborari decrevimus.

Actum Ravennæ, anno Dominicæ Incarnationis 1084, indict. VII. Datum per manum Roberti card. presb., anno III Ordinat. D. Clementis III PP., VI Non. Mart. feliciter.

II.

D *Litteræ Clementis III antipapæ ad omnes fideles ordinem sessionis inter episcopos concilio assidentes statuit.*

(Anno 1085.)

[MURATORI, *Rer. Ital. Script.* I, II, 583.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis perpetuam in Christo salutem.

Quod propulsis de apostolica sede iis qui in ovile sanctissimo apostolorum principi Petro a Christo Domino commendatum non ingressi fuere per ostium, sed aliunde subrepere, utpote fures et latrones, prospicientes suis commodis potius quam gregis utilitati, non est nostris meritis ascribendum, sed divinæ benignitati, qui elegit ea quæ non sunt

tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur. De multis autem quæ in ipso nostri pontificatus primordio acta sunt in synodo, quam pro communi utilitate maturavimus, eam circa Nonas Januarii celebrantes, unum, propitiante Domino, nobis concessum est, illud determinare, quod, multoties ventilatum a retro pontificibus prædecessoribus nostris, aut vix aut nullo fine sopitum est : istud videlicet in synodo sedenti jurgium quod emerserat inter Ravennatem et Mediolanensem archiepiscopos, unde etiam in ipsa nostra synodo Aquilegiensis patriarcha mussitabat; quisque enim juxta nos dextri lateris locum vindicabat, et cui jure deberetur, nobis incertum erat. Contigit autem primo die synodi non interesse Mediolanensem archiepiscopum a primordio, sed jam die inclinata cum patriarcha a dextris nostris sederet, interposita tamen sella charissimi filii nostri imperatoris Henrici, qui jam advenire putabatur, quia eo loci erat elatus, quasi Ravennatis Ecclesiæ a sinistris nostris assideret. Quo Mediol anense archiepiscopo in medium veniente, dextrumque locum petente, hunc acclamatum est ab electo Ravennate sibi deberi. Illinc simili modo a patriarcha Aquilegiense; et ita unius rei altercatio inter tres exorta est. Placuit autem universæ synodo trium partium dissensionem coram deferri. Statimque prolatus est quidam catalogus nominum eorum archiepiscoporum, et ipsorum qui interfuerunt synodo Symmachi papæ, ubi præscriptus erat Mediolanensis archiepiscopus. Quo contra ostensum est privilegium Ravennatis Ecclesiæ, continens qua habet illa in scriptis nominum, non aliquo jure, non aliqua rectitudine, sed potius causa humilitatis evenerit quod scilicet archiepiscopus Ravennas permiserit præscribi sibi illo termino casu archiepiscopum Mediolanensem, et ne pro . . . . . . quivis esset imposterum gigneretur, placuisse papæ Joanni, successori illius Symmachi, ipsum privilegium fieri. Hoc autem proposito, ut quis eorum videretur esse major, quamvis vero dextra papæ Romani semper jure deberetur archiepiscopo Ravennati, addendum tamen ei soli imperatori, si præsens adesset, ut sic ad sinistram eum transmigrare debere. Quibus duorum altercatorum ostensis, tertii vero altercatorum, id est patriarchæ, ostensum est privilegium a Joanne nono decimo papa factum similiter de sessione ad dexteram partem. His auditis universa synodus interrogata est a nobis : primo autem omnium Romani episcopi clerusque Romanus, quibus et auctoritas est major, et ipsa res erat notior; deinde cæteri omnes. Cumque ex ordine Joannes episcopus Portuensis, et Petrus diaconus nostræ apostolicæ sedis cancellarius, privilegium Ravennatis Ecclesiæ vice sua universæ partes laudarent, Poppo quoque Brisegensis episcopus hoc idem fecit, ejusque vocem tota synodus consecuta est. Quo igitur in unum placitum vox omnium convenerat, noster quoque assensus pari ratione accommodatus est. Ut vero quod actum est omnibus innotescat, placuit nostris litteris apostolicis adnotari, et tam præsentibus quam futuris intimari, ut tanto firmius valeant credi, quanto constat de nostro ore audiri. Verum ne posthac iterum vel archiepiscopo Mediolanensi, vel patriarchæ Aquilegiensi de sessione dextri lateris nostri liceat exerere quamlibet controversiam, interdicimus nostra apostolica auctoritate hoc eis de cætero licere. Quod si forte fuerit perruptum per temerationem interdictum nostrum, non modo sancti Petri nostræque sedis indignationem, verum nostræ quoque excommunicationis et anathematis laqueos incurrat. Sedem enim Ravennatis archiepiscopi jubemus semper esse a dextris nostris nostrorumque successorum secundum antiquæ constitutionis auctoritatem, nisi forte imperator adfuerit; et tunc etiam ipsum sinistram nostram tenere per hanc nostræ auctoritatis firmitatem huic nostræ narrationi subjectam per manum Joannis scriniarii et notarii sacri nostri palatii. Bene valete.

Ego Ubaldus Ravennas tabellio, et notarius sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, ut in authentico vidi et legi, ita scripsi.

Ego Artufinus, et Bartolinus, et Canulius de Artusinis vidimus authenticum privilegium bullarum cum bulla domini Clementis papæ.

Et ego Paulus Scordili de Candia doctor decretorum, præpositus et canonicus cardinalis sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, illud privilegium in authentico vidi, et legi bullatum bulla plumbea apostolica sed non more aliarum apostolicarum bullarum anno Domini N. J. C. 1413, indictione VI, die primo Maii, Amen.

III.

Ravennatis ecclesiæ privilegia a Wiberto antipapa, qui Clemens appellari volebat, confirmantur.

(Anno 1086.)

[MANSI, *Concil.* XX, 615.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, sanctæ Ravennati Ecclesiæ, omnibusque futuris in illa archiepiscopis per eam in perpetuum.

Cum ad nos Ecclesiarum cura respiciat, et de singulis cogitare conveniat, et ex debito suscepti regiminis omnibus nos providere oporteat : specialiter tamen et maxime Ravennati prospicere debemus Ecclesiæ, cui præsumus, Deo propitio, ut sponsæ et filiæ. Hujus igitur miserias nimis ægre ferentes, et, quantum in nobis est, amputare volentes, hoc remedii genere, hoc concilii antidoto tandem subvenire curavimus, ut, consideratis privilegiis decessorum nostrorum Romanorum pontificum et præceptis imperatorum quæ in archivo nostræ Ravennatis Ecclesiæ continentur, quæcunque in illis leguntur privilegii astipulatione firmentur, ut, sublatis de cætero seminariis litium, nec Romana Ecclesia Ravennati Ecclesiæ, mater filiæ suæ, injuriam faciat, nec matri filia contradicat, sed dignitatem suam utraque possideat. Et deinde quid melius, quid Deo

jucundius, quam scandala tollere, lites reprimere, A pacem componere, Ecclesiarum concordiam videre? Iis Deus lætatur et gaudet, et talibus super omne sacrificium placatur muneribus. Consentientibus igitur et collaudantibus primo cardinalibus nostris, Ruberto Sancti Marci, et Anastasio Sanctæ Anastasiæ, confratribus et coepiscopis nostris, Rolando Tarvisino, Milone Paduano, Hecelino Vicentino, Fulcone Forosemproniense, Thebaldo Castellano, aliisque quampluribus qui fuere præsentes : hujus nostri privilegii auctoritate firmamus quæcunque in privilegiis Romanorum pontificum leguntur, Pauli, Sergii, Anastasii, Leonis, Adriani, Eugenii, Theodosii, Valentiniani, Ludovici, Caroli, Othonis, Chunradi, Henrici, et aliorum : omnes donationes B et concessiones illorum, quas Ravennati fecisse perhibentur Ecclesiæ tam in episcopatibus quam in abbatiis, comitatibus, exarchatu cæterisque similibus, quæ in privilegiis et præceptis plenius habentur, hujus scripturæ nostræ assertione munimus. Decernentes, et auctoritate apostolica statuentes ut, si quis contra hoc nostrum privilegium venire tentaverit, si quis contradictor exstiterit, sit anathema maranatha, sitque pars ejus cum Pilato, et Herode, et Juda traditore. Quod ut certius credatur, et ab omnibus diligentius observetur, sigillo nostro præsentes litteras statuimus roborari.

Acta sunt hæc Ravennæ, in plenaria synodo, in matrice ecclesia, quæ dicitur Agiæ Anastaseos, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo C sexto, imperante Henrico tertio Romanorum Augusto, anno imperii ejus secundo, indic. nona, tertio Kal. Mart.

IV.

Clementis III antipapæ epistola ad Wratrizlaum primum ducem, postea regem Bohemiæ. Hortatur ad solvendam sedi Romanæ oblationem, et ad cujusdam ad episcopatum promotionem.

(Anno 1086.)

[PETZ, *Thesaur. anecd.* VI, I, 286, *ex biblioth. S. Emmer. Ratisbon.*]

C. episcopus, servus servorum Dei, W. glorioso principi Boemiorum, ac dilectissimo filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Tuam, dilectissime fili, prudentiam credimus nosse quantis dolis, quantis fraudibus adversarius noster D diabolus humanum genus exagitet, quantis versutiis eam, quam inter angelos, et inter Deum, et primum hominem seminavit, discordiam quotidie inter Christianos seminare laboret. Ut enim tibi veritatem fateamur, plurima jam sæpius nobis de te sunt relata, quæ adversum dilectionem tuam animum nostrum, quod Deus avertat! incitarent. Sed ipse cordium inspector... est testis, nolle nos super tua dignitate aliud quam deceat, vel credere, vel audire, et quod in omnibus te et desideravimus et desideramus prosperari. Tuus tantum animus, unde dolemus, unde ingemiscimus, non ea se erga nos charitate, ea qua deceret devotione habere videtur; cum, nescimus quo nostro peccato, qua nostra erga tuam dilectionem offensione, debitam beati Petri, contra omnium prædecessorum nostrorum religiosissimam institutionem, et exhibitionem tanto tempore detinueritis, et, multoties inde a nobis paterna affectione admonitus vel nos, vel nostra mandata parvi pendens prorsus neglexeris. Sed talia tibi forsan sunt relata. Est enim hodie terra, perversis delatoribus plena, quæ tuæ menti sinistram, ut videtur, de nobis injecere suspicionem, et, falsitati credulus, tam illicite retinendi illicita qualitercunque adeptus es occasionem. Sed Deus novit, qualitercunque te erga nos habueris, nos semper te corde puro dilexisse, et tuam modis omnibus prosperitatem exoptasse. Aufer itaque, dilectissime fili, omnem de animo tuo, si qua est, contrarietatis rubiginem, et eam, quam nos erga te, tu quoque erga nos, habeas dilectionis sinceritatem. Quia vero de sanctæ Romanæ Ecclesiæ injuria cum salute animæ nostræ silere non possumus, adhuc te paterne admonemus, rogamus etiam et obsecramus, charitative quoque consulimus, ne beati Petri debitam oblationem ulterius retineas, ne videlicet ipsam retinendo ejus iram in te exasperes, sine quo aperiente nemo regnum valet intrare cœlorum. Sed, sicut decet, debita eam reverentia dirige, ut ipsum tibi pacatum valeas invenire.

Præterea non credimus a tua excidisse memoria, quod dilectionem tuam et per litteras et per nuntium tuum plurimum postulavimus. Obnixe rogavimus super quodam dilectissimo filio nostro [Felice], tibi equidem fidelissimo et satis noto, celsitudinem tuam interpellantes, ut in illa re quam postulabamus nostræ voluntati assensum præberes. Sed nihil nobis de hac ipsa re postea, unde plurimum miramur, remandasti. Et ipse quidam jam magnifice, sicut dignus est, foret locatus, nisi hac fuisset exspectatione detentus; quo, Deus novit, fideliorem tibi non poteris invenire. Hoc autem tuæ sit notum dignitati, quod cum Domino imperatore, charissimo filio nostro, de re ista nondum quidquam egimus, quoniam tuæ certitudinem voluntatis hactenus exspectavimus. De hoc vero certissimus existas, quod si hoc unum nostri causa, nostro rogatu feceris, quidquid a nobis deinceps me et te dignum petieris, impetrabis. Quidquid igitur de hac re sedet tuo animo, utrum videlicet nostris tam dignis, quod non diffidimus, assentiaris petitionibus, nos quantocius effice certos. Nolumus enim tantum virum, tam utilem ecclesiastico regimini, tali amodo suspendio detineri. Novo quoque sigillo, utpote evidentiori, has litteras idcirco insigniri præcipimus, ut tua etiam dignitas evidentissimum tuæ concessionis signum, aliquod videlicet admirationis novum in novo, quem petimus, episcopo [Misnensi] eligendo et constituendo mittere dignetur.

V.

Clementis antipapæ et concilii Romani synodica ad clerum universum.

(Anno 1089.)

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, omni-

bus orthodoxis fratribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, atque universis sanctæ Ecclesiæ ordinibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantæ et quam pestiferæ schismaticorum adinventiones nostris temporibus sanctam Ecclesiam perturbaverint, et quantos populos, peccatis nostris exigentibus, erroribus suis infecerint; fraternitatem vestram credimus non latere. Venenum siquidem eorum, a capite sanctæ Ecclesiæ usque ad ultima membra passim diffusum, vobis et subditis vestris constat non modicum certamen generasse, et usque ad medullas corporis vestri dolorem tantæ præsumptionis intrasse. Hac itaque necessitate compulsi, ne B. Petri navicula tot perturbationum fluctibus et pene ad naufragii discrimen inflexa præceps laberetur, ad arma quibus Patres in defensionem Christianæ fidei usi sunt, nos convertimus, atque episcopos et abbates et quamplures honestos viros ad synodum in ecclesia B. Petri celebrandam ex diversis partibus convocavimus. Quibus Spiritus sancti inspiratione congregatis, inter cætera quæ synodalis conventus tractanda susceperat, quæstionum impia dogmata ad perniciem multorum noviter orta, a nonnullis communi audientiæ inferuntur; quæ fraternitati vestræ dignum duximus notificare, quatenus ad ea devitanda, imo Deo auxiliante destruenda, promptiores vos et vigilantiores redderemus. Ibi namque de perjuriis quæ ipsi ad periculum imperialis dignitatis fieri hortantur, non parvus clamor exoritur. Et quia negotium illud radix et origo cæterorum flagitiorum videbatur, placuit de eo primum tractari debere, et quam pessima et periculosa sit hujusmodi adhortatio ostendi. Unde in imperatorem excommunicationem promulgatam necessariis documentis improbavimus, quia illius ex occasione perjuriorum et omnium assertionum suarum vires contraxisse videbantur. Ad convincendam itaque eorum temeritatem, cum plurima tam ex sacris canonibus quam etiam et mundanis legibus exempla occurrerent, illa tamen ad auxilium nostrum sufficere documenta visa sunt, scilicet quod in eos qui non sunt legitime vocati, et rationabiliter convicti, quique bonis suis exspoliati, sententia damnationis non sit proferenda, Nicæno concilio approbante : « Incerta nemo pontificum judicare præsumat, quia, quamvis vera sint, non tamen credenda sunt nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judicatorio ordine publicantur. » In eodem : « Caveant judices Ecclesiæ ne absente eo cujus causa ventilatur sententiam proferant, quod irrita erit. » In eodem (452): « Non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus. » Item B. August. plenius in lib. pœnitent. tractans, ita inter cætera dicens : « Nos a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. » Et ut manifestissime omnibus pateret eos ipsos ejusdem excommunicationis sententiam subiisse, utile visum fuit hæc ex dictis B. Augustini recitare (AUG. *serm.* 351 *de Pœnit.* t. V, pag. 948 nov. edit. Antuerp.) : « Quidam intuentes præcepta severitatis, quibus jubemur non dare sanctum canibus, ut ethnichum habere ecclesiæ contemptorem, a compage corporis membrum, quod scandalizat, evellere; ita perturbant ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus zizania eruere, atque hoc tempore cæcati ipsi potius a Christi unitate separantur. » His itaque ad medium recitatis, adjudicante universa synodo, constituimus ut nullus deinceps ad injuriam Domini imperatoris præsumat de hac quæstione disputare, et ei subditos a servitio et communione ipsius subtrahere : Ad hoc etiam quod genus ultionis mereantur subire qui, hortatu schismaticorum, juramenta regi et principibus facta non timent violare; sicuti Augustini auctoritatem induximus : « Si quis laicum juramentum violando profanat, quod regi et Domino suo jurat, et postmodum perverse ejus regnum et dolose tractaverit, et in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, manum suam in Christum Domini mittens, anathema sit, nisi per dignam pœnitentiæ satisfactionem emendaverit, sicut constitutum est a sancta synodo, et sæculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, et pœniteat omnibus diebus vitæ suæ; verumtamen communionem cum eucharistia in exitu suo accipiat, episcopus vero, presbyter, diaconus, si hoc crimen perpetravit, degradetur. » His vero diligenter expositis, summa nos necessitas compulit ad ea quæ de sacramentis ecclesiasticis inimici christianæ religionis adversus catholicam fidem oblatrant, discretas auctoritates opponere; et quæ dicere et audiri nefas est, probabilibus argumentis confutare. Dicunt attamen sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, consecrationes chrismatis, imo quæcunque ad episcopale et sacerdotale officium pertinent, ab his qui sectæ eorum non communicant celebrata, nulla prorsus esse sacramenta, et nihil aliud suscipientibus nisi damnationem conferre. Nam panem illum qui de cœlo descendit, in quo tota salus et vita nostra consistit, impio blasphemantes ore, pollui potius quam consecrari astruunt; aquam quoque baptismatis, per sacerdotum preces ac benedictiones et chrismatum admistiones nihil sanctificationum suscipientem, his qui regenerandi sunt potius sordiditatis maculas quam spiritales munditias aiunt præstare. Sic etiam pessime sentiunt de reiterandis ecclesiasticis ordinibus, de reconsecrandis ecclesiis, et pueris reconsignandis; postremo de omnibus idem testantur, quæ per sacerdotale officium christianis conferuntur. De his itaque diutius laborantibus (*sic*), singulis eorum erroribus opponenda censuimus, quibus

(452) Hoc pariter testimonio, tanquam ex Gelasio et synodis Nicæna ac Sardicensi petito, usi sunt Patres synodi Perestadensis anni 1085, quam legas in Collect. Concil.

manifeste declaratur, non solum apud nos Dei gratia catholicos, verum etiam apud schismaticos, et hæreticos, hæc omnia esse rata nec ulla unquam ratione iteranda. Augustinus super Joannem : « Sive aut baptizet servus bonus, sive servus malus, non sciat se ille baptizari qui baptizatur, nisi ab eo qui sibi tenuit baptizandi potestatem. » Et paulo post : « Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi faciat malus minister, ubi est bonus dominus? et te non decipiant seductores. Agnosce quod docuit columba : Hic est qui baptizat in Spiritu sancto; » et in sequentibus dicit : « Seductor, non habes baptismum, malus tibi dedit, traditor nescio quis dedit. De officiali non disputo, judicem attendo, ego a Christo ipso baptizatus sum. Non, inquit, sed ille episcopus te baptizavit, et ille episcopus illis communicavit. A Christo ipso sum baptizatus, ego novi. Docuit me columba quam vidit Joannes. O milve, non me dilanias, male. Justos, inquiunt, oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi, si velint; si autem superbus fuerit minister, cum Diabolo computatur; sed per illum donum Christi non contaminatur. Quod per illum fluit, purum est; quod per illum transit, liquidum est. Puta quod ipse lapideus est, quod ex aqua fructum ferre non potest, et in canali lapideo aqua nihil generat, sed hortis fructum afferet. Spiritualis vero virtus sacramenti ita est ut lux, quæ et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat non inquinatur. Quos baptizat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus ipse baptizat. » Idem ad Vincentiam Donatistam : « Non sacramenta Christiana faciunt te hæreticum, sed prava dissensio. Non propter malum quod processit a te, negandum est bonum quod remansit in te; quod malo tuo habes, si ibi non habes unde est bonum quod habes. Ex catholica itaque Ecclesia sint omnia sacramenta Dominica, quæ sicut habetis et datis, quomodo habebantur et dabantur etiam priusquam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia non estis ibi unde sint quæ habetis. Non in nobis mutamus, in quibus estis nobiscum. Nam et de talibus dictum est quoniam in multis erant mecum. Sed ea corrigimus, in quibus non estis nobiscum, et ea vos hic accipere volumus, quæ non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, in cæteris Dominicis sacramentis. In spiritu autem unitatis, et in vinculo pacis, in ipsa denique catholica Ecclesia nobiscum non estis. » Item in quarto libro contra Donatistas : « Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur : Ergo hæreticus dimittit peccata, cum juxta te baptizat; sic et ego cum dico : Ergo avarus religionis simulator peccata dimittit? Si per vim sacramenti, sicut ille, ita et ille : si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud igitur sacramentum, et in malis hominibus, Christi esse cognoscitur. » Item in quinto libro contra Donatistas : « Quomodo aquam mundat et sanctificat homicida? quomodo benedicunt Deum tenebræ? si autem Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur; et sacramenta Dei ubique recta sint, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique subversi. » Item in eodem : « Quomodo exaudiet Deus homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quæ tamen omnia et fiunt et valent, etiam per homicidas, id est qui odorunt fratres etiam in ipsa intus ecclesia. » In eodem : « Sicut ficti veraciter conversis recipiuntur, nec tamen eorum baptisma reprobatur; sic et illa quam schismatici vel hæretici aliter habent, nec aliter agunt, quam vera ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus. Ita ergo nec foris, sicut nec intus quisquam, qui ex parte diaboli est, potest vel in se, vel in quoquam maculare sacramentum, quod Christi est. » Hieronymus ad Luciferianum : « Sicut hic est qui baptizat, id est Christus, ita hic est qui sanctificat. » Idem : « Oro, inquit, te ut aut sacrificandi licentiam ei tribuas cujus baptisma probas; aut reprobes ejus baptisma quem non putas sacerdotem. Neque igitur fieri potest ut qui in baptisterio sanctus est, sit apud altare peccator. » Papa quoque Anastasius, scribens ad Anastasium imperatorem, asserit omnes quos ordinavit Acacius, licet a B. Felice papa excommunicatus et hæretica pravitate infectus, debere in suis ordinibus absque omni reordinatione permanere, sic inter cætera dicens : « Acacius bonum male administrando sibi tamen nocuit, nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suæ virtutis obtinuit. » His et aliis pluribus diversorum patrum sententiis recitatis illam synagogam Satanæ ad reddendam impietatis suæ rationem litteris et nuntiis nostris ad synodum vocavimus, non tamen ut ipsi audientiam, in præteritis conciliis jam prorsus ei exclusam, mererentur; sed ut pacem sanctæ Ecclesiæ, quæ per ipsos omnino divisa est, in unitatem componeremus. Litterarum autem hic tenor fuit.

VI.

Wiberti epistola ad O. Ostiensem. — De rebus a se in synodo Romana constitutis, et quod ad synodum vocatus non venerit, objurgat.

(Anno 1089.)

[MANSI, *Concil.* XX, 599.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, O., olim dicto Ostiensi episcopo, et sequacibus suis quæ merentur.

Licet synodali audientia vos indignos fecissetis, quia ad synodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ multoties vocati venire recusastis, et hac de causa excommunicati estis, tamen ut murmur populi erroribus infecti vestris auferatur, apostolica auctoritate præcipimus ut ad synodum quam in ecclesia beati Petri Deo auxiliante celebramus securi penitus veniatis, ut de eo quo sanctam Ecclesiam perturbastis, sicut decet, rationem reddatis. Verum ipsi nec Deum

timentes, nec hominem reverentes, legatos et litteras nostras nec audire nec videre voluerunt. Unde in erroribus suis perdurantes ex latebris quas serpentino more incolunt, ad decipiendos incautos, vel simplices dira sibila emittunt, acuentes linguas suas sicut serpentes venenum aspidum sub labiis eorum, etc. Quantæ igitur humani sanguinis effusiones in Italico et Teutonico regno occasione prædicationis eorum factæ sint, quantæ ecclesiarum destructiones, quanti viduarum et orphanorum gemitus; postremo quantæ universi Romani regni depopulationes, lucidius ex eorum gemitibus, qui opprimuntur, quam nostra relatione comprobatur. Præterea placuit sancto conventui, ut in Simoniacos, qui Ecclesiam Dei latronum speluncam fecerunt, debita animadversione inveheremus, et redivivum caput illius hæreseos toties a sanctis Patribus abscissum gladio beati Petri amputaremus. Unde eorumdem Patrum sanctorum documenta sectantes apostolica auctoritate præcipimus ut nullus deinceps alicui manum præsumat imponere potius quam pessimi commercii conventione. Si vero, quod absit, hoc crimen in aliquo deinceps repertum fuerit, et ordinator propria in perpetuum careat dignitate, et ordinatus ex ea quæ per commercium facta est, perficiat ordinatione. Præterea, quod silentio prætermittendum non fuit quia murmur populi adversus incontinentiam clericorum passim crescit ac dilatatur, utile visum fuit, ut ea qua debetis diligentia, ministros altaris secundum statuta canonum vivere, atque munditiam castitatis, sine qua, teste Apostolo, placere Deo non possunt, irreprehensibiliter custodire commoneatis, quatenus de correctione eorum ab his qui foris sunt, bonum testimonium habentis, et murmurantis populi insolentiam quiescere faciatis. Hi vero qui missas peccatorum sacerdotum respuunt, et qui eis ante judicii nostri censuram opinionis suæ præjudicium inferunt, communione sanctæ Ecclesiæ usque ad emendationem priventur. Conjunctiones autem consanguineorum fieri prohibete, quoniam has, et divinæ et sæculi prohibent leges. Consideret vero, fratres dilectissimi, vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, et in fide recta, atque hæreticis, et æmulis Christi repugnare, et nunquam a veritatis tramite declinare, quam Dominus et Salvator omnium, cujus fidem tenemus, qui pro nobis mori non dubitavit, et proprio nos sanguine redemit, fidem B. Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter semper fecisse, cunctis est cognitum, quorum et pusillanimitas mea, licet impar et minima pro suscepto, tamen divina dignatione ministerium pedissequa cupit existere. Væ igitur erit nobis, qui hujus ministerii onus suscepimus, si veritatem fidei ad hujus destructionem erroris prædicare neglexerimus. Væ erit nobis si veritatem silentio oppresserimus, quam erogare nummulariis jubemur. Idcirco, fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis, sollicitudine vigiletis, ad investigandos hæreticos, et inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, et a sanis mentibus ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus exstirpetis, quoniam sicut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit exsecutus; ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare quicunque plebem suam contra tam sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.

VII.

Privilegium Clements III pro parthenone Beatii Petri Patavini.

(Anno 1091.)

[ORSATO, *Hist. di Padova*, p. 262.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimæ in Christo filiæ THEOPHILÆ, monasterii Beati Petri in Paduana civitate siti abbatissæ, et Dei ancillis inibi famulantibus, cunctisque inibi regulariter succedentibus in perpetuum.

Ex consideratione pastoralis curæ, quam administratione sedis apostolicæ gerimus, cui nullis propriis meritis sed divinæ providentiæ dispensatione præsidemus, omnium quæ usquequaque sunt Ecclesiarum provectui nos convenit invigilare, ac justis fidelium postulationibus æquitatis assensum præbere, bonisque ac religiosis inceptis, ut de die in diem augmententur, et ad perfectionem usque perducantur, nostri favoris nostræque auctoritatis suffragium impertiri, quatenus personæ Deo dicatæ et divino cultu perpetuo jure mancipatæ, ab omni sæcularium inquietudine remotæ et cunctis mundialibus impedimentis expeditæ, pura et intenta mente Creatoris sui laudibus insistere teneantur. Unde, reverenda filia Theophila, quoniam sanctissima devotio tua, religiosis moribus suffragata, humiliter petiit ut prædictum Beati Petri monasterium nostri privilegii auctoritate firmaremus, quatenus omnibus futuris temporibus monasterium ancillarum Dei existeret, ut videlicet sanctimoniales, nullorum absque omni contradictione, sub regimine abbatissæ degerent; devotas petitiones tuas per interventum honorandorum confratrum nostrorum Milonis, scilicet ejusdem civitatis episcopi, et Roberti Faventini episcopi, necnon dilectissimi filii nostri Petri Paduani archidiaconi, gratanter suscipimus, et tuis religiosis votis libenter annuimus. Quapropter apostolica auctoritate, et hujus nostri privilegii constitutione, concedimus et confirmamus ut omnibus deinceps futuris temporibus monasterium illud prædictum sanctimonialium monasterium habeatur, nec ulla sit deinceps magna parvaque persona quæ hoc ullatenus audeat immutare. Confirmamus quoque eidem monasterio, tibique et omnibus tibi regulariter succedentibus ad usum sanctimonialium inibi Deo servientium omnia quæ habentur in charta donationis

quam episcopus Milo vobis fecit, et omnia quæ nunc habetis, vel acquisistis, et quæ deinceps, tam vos quam succedentes vobis, juste acquisituræ estis. Præcipimus insuper et apostolica auctoritate interdicimus ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, nullaque magna parvaque persona sive ecclesiastica, sive sæcularis, prædictum monasterium Beati Petri, vel Dei famulas ibi servientes, de his quæ hujus nostri privilegii auctoritate confirmamus, audeat deinceps ulla inquietudine molestare. Si quis autem hujus nostri privilegii sanctionem violaverit, nisi resipuerit, et digna satisfactione emendaverit, sit extorris a regno Dei, utpote apostolicæ auctoritatis sacrilegus contemptor, et, digna excommunicatione damnatus, ab Ecclesia Dei prorsus extraneus efficiatur, perpetuæque subjaceat maledictioni. At vero qui pius observator exstiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur, constituimus.

Anno Dominicæ Incarnationis 1091, indictione XIV, anno autem pontificatus domni Clementis III papæ VII, XIV Kal. Februarii.

Datum per manum Bernerii vice cancellarii in urbe Paduana, actum feliciter.

VIII.

Clementis III, sive Guiberti, pseudo-papæ bulla, qua canonicis ecclesiæ Regiensis omnia illorum bona et jura confirmat.

(Anno 1092.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.*, II, 185.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, canonicis Regiensis ecclesiæ, ipsorumque successoribus in perpetuum.

Oportet nos in specula sanctæ sedis apostolicæ constitutos ad defensionem et firmitudinem ecclesiarum Dei vigilanter insistere, quatenus de bono in melius Deo adjuvante proficiant, ut, remota omnium pravorum hominum inquietudine, ministrantes divinis officiis promptius intenti quiete ministrare queant, et nos boni pastoris mereamur percipere præmia. Ac per hoc per præsentem scripturam apostolica auctoritate in perpetuum manendum confirmamus canonicis sanctæ Regiensis ecclesiæ, ut ad canonicam suam inviolabiliter teneant curtem unam quæ dicitur Villa, et mansos tres in Gova, mansum unum in Noniano, in Campilia curtem unam, et mansos duos, et unum quem dedit Sigefridus, qui dicitur Galliulo, curtem quæ dicitur Massa, cum suis appendiciis, Prenniano cum suis, et terram quæ est in Castro Holeriano in Mucleto mansum unum, in Dinazano unum, in Valle Birli unum, in monte Babuli unum, in Casalicio unum, in Braciano tres in Veterivola unum, in monte Todioni unum. Et quidquid pertinet ad prædictam Sanctæ Mariæ et Sancti Michaelis canonicam in Tabiano, Caterniano, Mellocio, et Grazano, et Verniano, cum suis appendiciis, et in *civitate Nova*, et in Curlo, et res illas cum silva in Bajarola, et plebem unam

A in Rivalta cum castro et suis pertinentiis, et mansum in Corniano et in Runcho, Folliano et Alliano, et res in Gavassa cum decimis, et sylva, et in *Corrigia,* seu in Butrio, in Rio, Fazano, Campogalliani, in Fontana, in Prato, Canule, Mandrie, in Gurgo. Et sortes duas quæ sunt prope Curtemnovam, et mansos duos in Cetlole, et plebem de Nuvalare cum omnibus suis pertinentiis, et mansos tres in Canole, Corviatico, Mandriole, in Fabrica mansum unum, et in Seso, Rodano, Silvarano, Carbognano, Caldariola, Campaniola, Bedullo; vico Martini, Querciola, Monte Gamoni. Et capellam Sancti Viti in Offiano, et Capellam Sancti Abundi cum suis pertinentiis, Pratum de Boceto, Ariole, Gaziata, Motelena, Campigene, Marmoriolo, et res quæ rejacent

B juxta pontificellum Rodani, silva de Groseto, Purciliole, Runcise, et in Casale Fossedunde, et Razolum cum piscariis, et omnibus suis pertinentiis ad Sanctum Stephanum, ad Sanctum Possidonium, in pago Mutinensi Buyda, in monte Passarario, in Puliaguello, Serra, Appollina ad Sanctam Mariam cum oliveto. Et decimam in civitate quæ vocatur Regium, cum omni integritate, et in Marsia. Et omnes res quæ sunt in circuitu civitatis quæ vocatur Emilia. Et curtem unam in Tertonensibus, quæ dicitur Nova, et omnes res quæ sunt in Aqueductio, et curtem Sancti Stephani cum plebe quæ infra castrum sita est, cum omnibus suis pertinentiis, sicuti a bonæ memoriæ Sigefrido episcopo vel ab aliis episcopis, pro suis suorumque successorum animabus,

C eidem canonicæ per scriptum vel investituram bene providendo integre collata sunt. Atque omnes res quas de donis episcoporum vel voto fidelium prædictæ canonicæ vel canonicis oblatas esse dignoscitur, sanctorum canonum auctoritate nostraque apostolica immunitate huic nostro inscripsimus privilegio, cum omnibus suis adjacentiis et pertinentiis in perpetuum inviolabiliter conservandas, absque omni contradictione alicujus magnæ parvæque personæ. Si quis autem temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere, vel ordinare aliter res canonicas, vel alium in eis usum ponere præsumpserit quam eum quem constituit Teuzo episcopus, Sigefridus, Adhelberius, Wolmarus,

D Gandulfus, sciat se omnipotentis Dei potestate, ac beati Petri apostoli, sanctorumque omnium, nostra etiam auctoritate, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienatum, et cum omnibus impiis æterno incendio concremandum. At vero qui observator exstiterit, gratiam et misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Datum apud Cesenam per manum Bernerii vice Petri cancellarii, anno Dominicæ Incarnationis 1092, indictione XV, anno autem pontificatus domni Clementis tertii papæ IX, Idibus Junii.

IX.

Clementis III antipapæ epistola ad Ruithardum ar-

chiepiscopum Moguntinum. — Diem illi ad synodum Vercellis agendam dicit.

(Anno 1097.)

MANSI, *Concil.* XX, 601.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, R. confratri et coepiscopo Moguntino salutem et apostolicam benedictionem.

Nuperrime per confratrem nostrum episcopum Faventinum fraternitati tuæ ut ad synodum, quam pro totius Ecclesiæ necessariis causis in jam dicto loco et tempore celebraturi sumus, omni postposita occasione advenires, mandavimus et per summam obedientiam præcepimus. Et primum quidem bene promisisti, verum postea, voluntate tua in aliqua parte peracta, cum prædictus nuntius rediens veram tibi ut cæteris obedientiam injungeret, dixisti te a nobis per tuum nuntium esse relaxatum. Quod ut audivimus, quam graviter tulerimus nequit efferri. Hoc enim dictum magna perturbatio synodi videbatur, cum omnes pene suffraganei tui ad te respiciant, cum omnium vox sit : quod magister meus fecerit, hoc faciam. Quapropter eidem N., qui tam nefandum, tam exsecrabile, tam nocivum sanctæ et universali Ecclesiæ mendacium protulit, omne divinum officium apostolica auctoritate interdicimus, donec ad nos veniens de tanta tam detestandi mendacii iniquitate satisfaciat. Quod nisi usque ad festum scilicet Michaelis ad nos de hac re satisfacturus venerit, ampliori quam forsitan æstimet excommunicationi subjacebit. Tibi vero apostolica auctoritate et per veram obedientiam iterum atque iterum præcipimus ut ad synodum in festo sancti Dionysii Vercellis celebrandam venias, et omnes suffraganeos tuos per eamdem obedientiam admoneas.

X.

Clementis III pseudopapæ epistola ad Rotbertum Bambergensem episcopum. — Monet ut ad synodum accusator Ruithardi Moguntini archiepiscopi veniat.

(Anno 1097-98.)

[MANSI, *Concil.* XX, 600.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, R. confratri et coepiscopo Babenbergensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod contra Ecclesiæ demolitores et nostros æmu- D los juste disputando fortiter stabas, audivimus et gavisi sumus, ideoque tibi gratias referimus. Quod autem quæ de Ecclesia tua Romanæ debes Ecclesiæ te diu injuste detinuisse patienter exspectavimus, non propter ignorantiam fecimus, sed gratuitam obedientiæ tuæ præstolati sumus benevolentiam. In hoc quam parum profecimus, monemus te, et firmiter præcipimus ut quod debes solvas, ablatumque temere restituere non differas. Si hoc non feceris, etiam advocato nostro imperatori, et omnibus fratribus nostris publice et per legatos nostros querimoniam faciemus. Moguntino episcopo, quem nobis pessimis criminibus accusando detulistis, ad respondendum nobis inducias dedimus ad festum Sancti Michaelis. Huic rei te cum cæteris fratribus B nostris volumus interesse, ut, sicut eum accusasti absentem, ita illum veris testimoniis sub nostra auctoritate convincatis præsentem. Relatum est nobis a quibusdam quod Judæis baptizatis, nescio qua ratione, permissum sit apostatare, ritumque Judaismi excolere. Quod quia inauditum est et prorsus nefarium, te et omnes fratres nostros verbo Dei constringimus, quatenus id, secundum canonicam sanctionem et juxta Patrum exempla, corrigere festinetis, ne sacramentum baptismi, et salutifera invocatio nominis Domini videatur annullari.

XI.

Clemens III antipapa G[odeboldo] præposito et universo clero Moguntino scribit de Ruthardi archiepiscopi criminibus. Quem dicit ob Simoniæ in- C *famiam primum « per Romanæ Ecclesiæ cardinales Warinum, Anastasium et Adalmarium, postea ab episcopis Tiderico Albanensi et Ruoppertho Faventino, postremo per Hugonem sacri palatii diaconum, » ter vocatum non venisse, imo violata imperatoris fidelitate ad regni ac sacerdotii inimicos se contulisse, iisque concitatis, et vitæ et coronæ imperatoris insidiatum esse. Aliis incusationibus additis, obedientia Ruthardi eos solvit ; cui ne quis communicet, sub anathematis pœna interdicit. « Data p. m. Tiderici Albanensis episcopi* IV *Kol: Aug. defuncto Urbano* IV *Kal. Aug. sinea viatico corporis et sanguinis Domini. »* (Legendum haud dubie est : *Data.* — II *Kal. Aug., defuncto Urbano* IV *Kal. Aug.* etc.)

(Anno 1099.)

[Apud SCHUNCK *Beitr. sur Mainzer Gesch.* II, 115, teste JAFFE *Regesta pont. Rom.*, 447. — Incip. « Quanta his temporibus. »]

APPENDIX TERTIA.

VETERA MONUMENTA

CONTRA SCHISMATICOS

JAM OLIM PRO

GREGORIO VII

ALIISQUE NONNULLIS PONTIFICIBUS ROMANIS CONSCRIPTA, ET NUNC PRIMUM IN LUCEM VINDICATA

STUDIO

CLARISSIMI ET ERUDITISSIMI VIRI

DOMINI

SEBASTIANI TENGNAGEL

J. U. DOCTORIS ET CÆSAREI VIENNÆ BIBLIOTHECARII

(*Opp. Gretseri VI*, 429).

AD NOBILEM ET CLARISSIMUM VIRUM AC DOMINUM D. SEBASTIANUM TENGNAGEL.

Dum veterum chartas densa caligine mersas
Extrahis in lucem, ne pereantque caves :
Jure tibi applaudit doctorum turba, rogatque,
Tales ut pergas promere semper opes.
Sint alii CONDI, sint CLUSII et omnia claudant;
Tu PROMUS nobis esto et APERTA simul.

EPISTOLA NUNCUPATORIA

Reverendissimo et illustrissimo præsuli ac domino domino Melchiori KLESL, episcopo Viennensi nominato, episcopatus Neostadiani administratori confirmato, cathedralis ecclesiæ Viennensis præposito, et archigymnasii ibidem celeberrimi cancellario, sacræ cæsareæ et regiæ majestati a conciliis, Domino suo clementissimo, etc.

Quantopere οἱ ἐξ ἐναντίας, illustrissime et reverendissime præsul, apertis machinis, telisque, atque cuniculis pugnent, ut sacrosanctam illam pontificum Romanorum majestatem et auctoritatem violent, labefactent, ac denique funditus excisum eant, testatum facit, luce meridiana clarius, eorumdem indefatigabile studium, quod obsoletas schismaticorum affanias, apinas, et purgamenta, horridis jam diu merito damnata tenebris, ceu nare canina, investigant, eruunt, et dias in luminis oras confertim protrudunt : ac si quid in venerandum illud sacræ hierarchiæ caput, quod Indi, Æthiopes, Arabes, Persæ, Tartari, etiam religionis nostræ non consecranei, ut sileam Europæos, supremam inter Christianos auctoritatem obtinere agnoscunt, si quid, inquam, petulans aliquod ingenium amori, odio, vel lucro obnoxium chartis male sanis illeverit, id ἀκανθολόγοι isti et καλαμοσφάκται, veluti cœlo demissum et ἕρμαιον aliquid arripiunt, cudunt, recudunt, ac tantum non cedro et immortalitate dignum censent, atque hinc sinuosi illi Centuriarum et memorabilium reconditarumque lectionum, aliique ejusdem notæ male suti centones, tanquam vomicæ et carcinomata sinceræ veritatis, prodierunt, licet illi ipsi, quos adeo amant, vulgant prostituuntque auctores, magnam partem ab horum profanis dogmatis sectisque varie dissectis dissideant, atque ita asciam, quam nobis infligere magno conatu laborant, suis illidant cruribus.

Horum itaque exsuscitatus studio et industria, ut et ego, quem in Ecclesia tenet (B. Augustini dictum usurpo [*epist.* 165]) ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas commisit Christus, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum; tenuem symbolam aliquam in augustum hoc et iisdem cum sole limitibus circumscriptum catholicæ Ecclesiæ amphitheatrum conferrem, membranacea quædam opuscula, cæteroquin situ squaloreque peritura, et tineis blattisque excussi, exscripsi, et pancratiastæ nostrarum partium eximio, reverendo P. Jacobo Gretsero societatis Jesu, una cum suis typis exprimenda dedi, quæ, cujus commatis sint, ut laciniosa oratione explicem, supersedeo, ne illud e trivio Lucilianum audiam.

— Scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat,
Præfractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam.

Illud interim elogii vice sit, quod μακαρίτης ille annalium ecclesiasticorum promus condus illust. cardinalis Baronius, hæc nostra videre, et commentariis suis inserere summis votis discupiit, quæ indeptus haut pœnitendum auctarium XI et XII tomo junxisset, et calumniarum illas nebulas, quas veluti e plaustro in Gregorium VII, Alexandrum III et Adrianum IV, κηκάδι σὺν γλώσσῃ (ut Callimachi verbis utar) profundunt, illustri hoc veritatis sole clarius dispulisset. Sit itaque nostra opella, veluti tenue spicum post hæc magnam Baronianam segetem, relictum.

Quam tuo illustri nomine, illustrissime præsul, ceu Palladis ægide, contra rupiconum et vitilitigatorum incondita rostra, tectam, publici juris nunc facio, et tibi, ut eamdem laborum et periculorum aleam cum pontificibus nostris, quos scriptio tuetur, sæpenumero subeunti, jure optimo L. M. dedico. Tu enim, magne et invicte athleta, manu conserta cum adversariis crebro congressus, eorum strophas, sutelas, varieque contextas technas, veluti araneæ telam, unico ictu discidisti, usque adeo ut grandiloquentia tua, quasi Mercuriali quadam catena, devincti, perculsi et prostrati, veritati manus darent, et ejeratis, quibus hactenus imbuti fuerant, profanis mysteriis, in fidei nostræ orthodoxæ numeros transcripti, pro eadem velle uri, vinciri, virgis ferroque necari, sese sacramentis alcres promptique obligarent. In quorum animis porro firmandis dum strenue adlaboras, caput hoc tuum, religioni propagandæ devotum, præsentaneo sæpe pro Christo et Ecclesia ejus objecisti periculo, et, contemptis inimicorum hinc inde imminentium insidiis, contempta vitæ præsentis cura, æternæ vitæ viam regiam, totius venerandæ antiquitatis vestigiis tritam, erronum diverticulis et præcipitiis flexuosis insuper habitis, neophytos tuos ingredi, gratia duce, comite fide, constanter solideque docuisti.

Usque adeo ut religio catholica, quæ collabascere hic paulatim ac retro in pejus ferri tum temporis visa erat, omnem sui cultum, ornatum ac incrementum, quo nunc splendet et efflorescit, tibi uni, ut incomparabili propugnatori, qui se murum ac vallum aheneum pro domo Domini confertis hostium telis vel millies objecit, gratissimo se debere animo profiteatur, quæ licet nunc iterum temporum injuria nonnihil hic delibari et adversaria cervicem erigere, pedemque nostrum premere videatur, spes est tamen confore ut nova et ignobilis hæc Titanum soboles, cœlum cœlitesque nefarie oppugnans, supremi Moderatoris ductu auspiciisque, cujus decreta figit et refigit, ex alto dejecta, sua aggestorum montium mole obruta oppressaque demum jaceat. Conferant itaque pedem, irruant et impugnent andabatarum in morem, terribilem hanc, et ut castrorum aciem bene ordinatam, Romanam vere statu felicem Ecclesiam (ut Tertullianus Afer ait [*de Præscript.* c. 36]), cui totam doctrinam apostoli cum suo sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Stabit nihilominus illa, ut ἀδαμαντοπέδιλος κίων, ut columna et firmamentum veritatis, adversus quam ne inferorum quidem portæ prævalebunt.

Quo in omine abjungo, et ut tenue hoc chartaceum munusculum, meritorum in me tuorum mnemosynon, lubenti manu et serena fronte, illustrissime Mæcenas, excipias, et editorem suum, cum prope solus

.... Tristes hac tempestate Camenas
Respicis.....

auctoritate et gratia tua complectaris et foveas, et ad majora publicanda exstimules, rogo, et supremum numen, ut conatus tuos reipublicæ Christianæ salutares annutu suo firmet prosperetque, ex animo voveo.

Dat. Viennæ Austriorum, ex Museo Regio, XIII die D. Hippolyto Austriæ tutelari sacra. Anno salutis a Christo restitutæ 1611.

SEBASTIANUS TENGNAGEL
JCus et Cæs. Reg. Biblioth.

INDEX AUCTORUM.

V. *Domnizonis presbyteri de vita et rebus gestis Mathildis comitissæ libri duo.* (Editionem Muratorii sequimur. EDIT. PATROLOG.)
VI. *Bernaldi Constantiensis presbyteri opusculum de vitanda excommunicatorum communione*, etc. (Apud. nos accedunt opuscula Bernaldi jam eodem Gretseri Operum tomo VI edita. ID.)
VII. *Synodus Moguntina cum Sigefridi archiepiscopi Moguntini aliorumque epistolis.*
VIII. *Epistola Stephani episcopi Halberstatensis.*
X. *Epistola S. Anselmi archiepiscopi Cantuariensis.*
IX. *Hessonis Scholastici commentariolus de rebus gestis inter Callistum papam et Henricum V regem ac imp.* (Damus infra in CALLISTO II, ad an. 1124. ID.
XI. *Variæ hactenus ineditæ epistolæ.*

SANCTI GEBHARDI

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS

EPISTOLA AD HERMANNUM EPISCOPUM METENSEM

PRO

GREGORIO VII PONTIFICE MAXIMO

Contra ejusdem temporis schismaticos

Nunc primum ex tenebris in lucem prolata.

LECTORI.

Amice lector, si nosse cupis quis quantusque epistolæ hujus auctor fuerit, lege Vitam ejus editam a C. V. D. Henrico Canisio, tom. II antiquæ Lectionis, et tom. VI, ubi res ab eo gestas longe copiosius explicatas invenies. Adi etiam Brunonem a Frehero editum tom. I Scriptorum Germanicorum; ad calcem Commentarii De bello Saxonico, ubi memorat, Gebhardo nostro in conventu quodam utriusque partis episcoporum et principum, partes perorandi demandatas esse. « Nostri, inquit Bruno, rumpentes silentium, ut omnium faceret verbum, Gebehardum petierunt Salzburgensem archiepiscopum. Qui surgens, ut erat vir per omnia prudens, et honestus, et honori quem gerebat non minimum conferens honoris, vultu modesto, voce mediocri, sensum profudit sapientis et pii pectoris.

Quia vero oratio S. Gebhardi ad calamitates illorum temporum melius perspiciendas, et ad hujus epistolæ, quam publicamus, clariorem intelligentiam plurimum facit, haud gravabor eam lectoribus hoc loco repræsentare; cum Brunonis De bello Saxonico historia paucis sit nota. Ita ergo S. Gebhardus ad episcopos et principes, qui a schitmaticorum partibus stabant.

« Episcopi venerabiles, cæterique. »... *Reliqua habes Patrologiæ tom. CXLVII. col.* 489, in BRUNONE.

Hæc S. Gebhardus anno 1081, cui Bertoldus Constantiensis suo in Chronico ejusmodi monumentum posuit, anno 1088. *Gebehardus venerandæ memoriæ Juvaviensis archiepiscopus, in causa S. Petri præcipuus, qui schismaticos publice dictis et scriptis confutare consuevit de hac luce subtractus* XVII *Kalend ..... magnum mœrorem Catholicis reliquit.* In Vita tom. VI antiquæ Lectionis obiisse dicitur XVI *Kalend. Julii*, in castro suo, quod *Werven* dicitur.

Porro Hermannus episcopus Metensis, ad quem S. Gebhardus hanc epistolam dedit, hoc elogio ab eodem Bertholdo cohonestatur, anno 1090 : *Heremannus piæ memoriæ Metensis episcopus, et Bertholdus dux Alemanniæ, filius Rudolphi regis, in fidelitate S. Petri, Maia mense, diem extremum clausere, magnumque mœrorem Catholicis, et exsultationem schismaticis reliquere.*

Sed jam ipsum S. Gebhardum loquentem audiamus, in quem schismaticus apologista, in apologia pro Henrico IV, quam hæretici nostri non semel excuderunt, acriter dentes stringit; quod tanti viri auctoritate et auspiciis plurimi a schismaticorum castris abstinerentur et revocarentur. At citius anonymus iste dentes suos fregit; quam S. Gebhardi famam et existimationem infringere potuerit. *Crescet extento Gebehardus ævo, illum aget penna metuente solvi fama superstes.*

EPISTOLA S. GEBHARDI

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS

AD HERMANNUM EPISCOPUM METENSEM.

Venerando in Christo Patri et Domino, HERIMANNO sanctæ Metensis Ecclesiæ episcopo GEBHARDUS frater et coepiscopus, quidquid potest in Christo melius.

A Mandavit jam secundo, charitas tua mihi meisque in persecutione sociis, indicare tuæ paternitati quid in hac Ecclesiæ dissensione tenendum sentiendumque censeamus, ut respondere valeas his qui

contraria sentiunt et loquuntur. Nos autem, moduli nostri non ignari, ad instruendam prudentiam tuam nequaquam prorumpimus, quod non minus ridiculum foret quam si quis solem facibus adjuvare vellet. Huc accedit quod, sicut facultas hoc non ministrat, sic nec voluntas suggerit. Tædiosum namque et supervacaneum videtur, illos præparandis responsionibus operam dare, quos nemo dignatur audire. Rarum infortunii genus est quod patimur, qui et in multis accusamur, et tamen nullum excusandi locum habere possumus. Seniores namque nostri, scilicet contrariæ partis episcopi, eam cum suis sacerdotibus humanitatem in agendis causis exhibere dedignantur quam nec propriis mancipiis quemquam oportet denegare, non utentes in nobis exemplo beati Job dicentis : *Si contempsi subire judicium cum servo et ancilla mea* (*Job* XXXI).

Ex quo enim hæc inter nos dissensionum scandala oriri cœperunt, nunquid illos, licet frequenter et devote orando, exorare potuimus quatenus, ad reformandum Ecclesiæ formam, et nos illos audire et audiri ab illis concederent, promittentes, si parti illorum justitiam favere constaret, nos sine dubio sententiam illorum secuturos.

Sed fortasse ignorantibus incredibile videtur quod dicimus, tantæ dignitatis et reverentiæ viros afflictis fratribus non solum compassionem non exhibere, sed et justitiam denegare. Ad faciendam verbis nostris fidem, propter legationes quibusdam illorum privatim directas, ipsas personas exprimimus cum quibus in publico colloquio vivis vocibus hæc tractata sunt; scilicet archiepiscopum Coloniensem, episcopos Babinbergensem, Spirensem, electos (electum) Treverensem, electos (electum) Trajectensem. Istis pene omnibus Saxoniæ et Thuringiæ majores, ubi condictum est, obviam venerunt, et, in ea quam prædiximus sententia concordantes, ultro se discutiendos obtulerunt, ea conditione ut, si causam suam juxta leges et consuetudines ecclesiasticas defendere non possent, sanioribus illorum consiliis acquiescerent, non confusionem hoc reputantes, si, meliora et viciniora saluti ab illis discentes, errorem suum relinquerent.

Hæc in auribus omnium qui aderant non contentiose, sed humiliter proponentes nihil profecimus. Et nunc super hæc omnia, fratres et domini nostri, nihil fraternis calumniis et supplicationibus moti, ea qua cœperunt erga nos induratione perdurant, nobis quidem audientiam denegantes; aliis, quibus valent et quantum valent, sinistra de nobis insinuant; nos seductos et seductores, nos perfidos, nos imminentium malorum caput et causam esse testantur. Quod sicut incessanter, ita nec efficaciter docent. Adjuvat enim sacerdotalem doctrinam regalis munificentia, quæ uno eodemque incitamenti genere et doctores facundos et auditores dociles reddit et capaces. Tantum persuadendi studium tanta plurimorum credulitas subsecuta est, ut etiam oves nostræ vocem nostram non audiant, sed alienos sequantur. In locis siquidem de quibus nostræ partis pontifices expulsi sunt, doctrinæ sibi locum vindicant, ibique, in Ecclesiis non suis, oves ad se non pertinentes usurpatæ prædicationis pabulo ad hoc usque informaverunt, ut pastores pios non solum despicere, sed etiam persequi dignum arbitrentur.

Ergo si eousque prodit iniquitas nostra ut nullum de aberratione nostra dubietas locum habeat, et magis plectendi simus quam audiendi, oportuit tamen viros qui ejusdem nobiscum sunt nominis et officii convertendis fratribus potius quam perdendis studere, errantibus viam veritatis ostendere, et salutaribus monitis divisa membra ad unitatem lucrari. Hoc bonum esset et acceptum coram Salvatore nostro, ut qui de plenitudine ejus abundantius acceperunt, acceptam præ aliis gratiam in alterutrum administrarent (*I Pet.* IV), sicut scriptum est : *Qui audit, dicat : Veni.* Bonum quidem esset, et fraternitatis amatoribus competens, in tali, ut aiunt, præcipitio positos, etiam nolentes retinere, quanto magis eos qui summo id desiderio expetunt, et rectiora docentibus obedire in promptu habent. Non grave aut inhonestum arbitrantes sic ab aliis vinci, ut et ipsi suum errorem vincerent.

Postremo, si tantæ obstinationis essemus ut veritatis sermo in nobis non caperet (*Joan.* VIII), ipsi tamen impiis iniquitatem suam annuntiando animas suas liberarent. Nobis autem, quorum calamitatis adeo cupidi sunt, carbones ignis congererent; quia tunc nobis major confusionis cumulus accresceret, quando, agnita veritate, ab eis de ignorantia excusationem non haberemus.

Age nunc, charissime Pater et domine, quandoquidem nos indigni judicamur quos verbum veritatis erudiat, cum *domus exasperans* (*Ezech.* II) simus; tu tamen, cui, pro commorandi vicinitate, colloquendi cum eis facilior aditus patet; quem etiam, tam pro vitæ quam dignitatis honestate, repulsam pati non oportet : tu, inquam, pro nobis verbum fac; tu tibi inter nos mediatoris vicem assume. Audi ab eis quod audiamus; ex te disce quod doceas; inquire quibus ecclesiasticis sanctionibus causam suam probent, nostram vero improbent; quatenus per te illos audiamus, quos per se ipsos audire non contingit, et quod proprii oris officio impetrare non potuimus, per allegantis reverentiam consequamur.

Quod si, tuæ charitati acquiescentes, hanc a te vicissitudinem exigunt ut, sicut suam nobis, ita nostram illis sententiam insinues, dic quod nosti, dic quod nihil novum, nihil inusitatum cudimus, nihil a nobis quasi ex nobis, sed quod audivimus et vidimus, quod patres nostri narraverunt nobis (*Psal.* LXXVII), nihil de nobis præsumentes, sed potius contenti stare et tenere traditiones quas didicimus (*II Thess.* II), nihil per contentionem, nihil per argumentationum versutiam, quæ inimica est fidei. Quod nec propo-

siti nostri est, nec ætatis; quin potius ea quæ hujusmodi sunt ætati decentius lascivæ relinquimus, his quidem qui ad hoc exercitatos sensus habent, non, juxta Apostolum, *ad discretionem boni et mali* (*Hebr.* v), sed ut ingenii sui subtilitate et linguæ volubilitate id quod justum est, quasi recte pervertant. Nostri autem nec officii est, nec studii esse debet, ut dicamus bonum malum, et malum, bonum; sed ut Domini nostri æmulatores, quantum ipse concesserit, studeamus reprobare malum, et eligere bonum (*Isa.* VII).

Hac itaque puritate contenti, eo, quod in præsenti versatur negotio, hoc solum tenemus quod Ecclesia catholica semper tenuit, quod ab initio cœptæ Christianitatis usque ad monstruosa hæc tempora, stabile et inconvulsum perstitit, scilicet quod excommunicatis non est communicandum. Hæc namque dissensionum causa est et seditionum, quod illi ab excommunicatis non abstinent, et non abstinendum docent. Nos vero et abstinemus, et abstinendum persuademus, præcipue ab illis qui a præcipua et prima sede excommunicantur. Quæ diversitas contraria docentium sacerdotum vere facta est ruina populi, vere multorum radix malorum. Ex qua tot male fecundi rami pullulantes in universa Ecclesia varios fructus protulerunt, et quotidie proferunt. Quorum fructuum amaritudo amarissima non tam ramis quam radici ascribenda est. Quidquid enim studia partium delirant, quidquid in hac rerum turbulentia a subditis perverse agitur, juste in capita perversa docentium [*videtur deesse vocula* recidit, relabitur, *vel* similis]. Vere nunc impletur quod scriptum est : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum* (*Dan.* XIII). Hi namque qui veritatis præcones dicuntur, quibus credita sunt eloquia Dei ad evangelizandum populo Dei, si id ipsum dicerent omnes, et non essent schismata in eis; si more speculatorum providerent quatenus contentio inter eos aut non oriretur, aut orta, collatis ex more fraternitatis tractatibus, sed aretur; dubium non est quin illorum in assertione veris unitatem unitas etiam populi sequeretur, et adhuc in suo statu permanens antiquam pacem obtineret Ecclesia, quæ nunc, inimicorum suorum pedibus exposita, inaudita contritione conteritur, et incomparabili tam corporum quam animarum strage cruentatur. Cujus sanguis non incongrue de manibus illorum requiritur qui, eam in sui procuratione suscipientes, contra eam dogmatizando transgredi fecerunt populum Dei.

Nos igitur et qui nostræ partis sunt, quibus etiam Ecclesiæ disciplina commissa est, ipsi Ecclesiæ in hoc satisfacimus, quia nihil docuimus vel docemus præter id quod didicimus. Si inquirimur unde, a quibus didicerimus, certe multos et nequaquam obscuri nominis doctrinæ nostræ astipulatores habemus. Apostoli nos docuerunt, apostolorum successores, apostolicæ sedis pontifices; præter illos,

A imo secundum illos, aliorum Patrum copiosa multitudo, qui notæ sanctitatis et auctoritatis sunt, quorum doctrina fulget Ecclesia, et qui cum Domino regnant in cœlis, et in terris miraculis coruscant; quorum sanctionibus non ignorantia vel negligentia, sed studio reluctari, quid aliud est quam Spiritum, qui per eos locutus est, blasphemare? Istis sine dubio, et non nobis adversantur quicunque ab excommunicatis ante canonicam examinationem non abstinent, et non abstinendum docent. Talia enim prædictos Patres concordi et assidua prohibitione vetasse non solum hi sciunt qui ex scriptis illorum acceperunt, verum etiam rudes et illitterati, qui, et si legem ignorent, tamen ea quæ legis sunt (*Rom.* II) ex inveterata et nunquam mutata consuetudine didicerunt. B Hæc itaque, quæ legislatorum talium unanimitate statuta, usu antiquissimo huc usque stabilita sunt, quandoquidem apertis oppositisque impulsionibus quassari nequeunt, quasi ex latere machinationes parantur ad decipiendas illorum opiniones [*forte*, animas] qui minoris intelligentiæ æstimantur.

Et quia apud tales etiam non leviter agitur, ut in adeo triti lateque patentis itineris ductu exorbitent, juxta iter scandalum ponitur (*Psal.* CXXXIX), dum quædam vitia veritati ad subversionem veritatis illis proponuntur. Audivimus enim quosdam contrariæ partis clericos, de sua scientia gloriantes, id studii habere ut de sacris undique codicibus C illas sententias colligant quas sancti Patres ad cohibendam illorum sacerdotum intemperantiam condiderunt, qui in proferendis sententiis præcipites sunt indiscrete ligando vel solvendo. Vere in his, ut in omnibus, laudabiles atque amplectendæ illorum sententiæ, qui omnium sic curam gerebant, ut et prælatos a præcipitatione compescerent, et subjectorum innocentiæ defensionem necessariam providerent.

Verum illi qui, ad hoc quod persuadendum susceperunt, ista introducunt, bono, at non bene utuntur. Nam quod sancti doctores ad communem profectum tam eorum qui præsunt quam qui subjacent constituerunt, hoc isti procul dubio ad D contemptum episcopalis ministerii, et ad suscitandam inter pastores et oves discordiam assumunt. Quod in hoc profecto patet, quia illas solummodo sententias quas suæ persuasioni commodas existimant auditoribus suis inculcant, aliis prorsus silentio oppressis, quas nihilominus Patres catholici de eadem re statuerunt, quæque ad hanc litem dirimendam ita necessariæ sunt ut nullo modo sine illis juste diffiniri valeat. Quæ vero illæ sint, nequaquam a nobis docendi sunt. Ipsi enim melius nobis sciunt multos Ecclesiæ doctores multimodis [multis modis] et verbis hoc instituisse, ut, si quando de sententia excommunicationis contradictio oboriretur, canonicis discussionibus utriusque partis diligens examinatio fieret, et sic excommu-

nicatoris sententia aut probaretur aut emendaretur.

Hæc et his similia prædicti fratres, quasi incognita nec aliquid ad rem pertinentia, dissimulantes, ad hos suos sequaces instruunt ut, temere et absque omni probatione legitima prolatam in se sententiam contemnentes, jugum disciplinæ penitus excutiant. Cumque ignorent minime hoc etiam antiquitus scitum esse, quod pastoris sententia, sive justa sive injusta, timenda tamen sit; illi homines sub anathemate positos securos, et de timenda illa a nostra diversione [nobis diversa] nihil sollicitos reddunt : illa Scripturarum testimonia frequenter replicando, in quibus hoc astruitur, quod qui innocentem maledicit, sibi plus nocet quam cui nocere appetit, aliaque in hunc modum. A quibus sanctorum verbis nequaquam nos dissentimus, quin potius cum amore et reverentia recipimus, studentes, quantum divina largiente gratia possumus de illa pastoralis officii abusione et nobis cavere, et aliis ut caveant persuadere. Illis autem qui hæc ad suæ partis adjumentum plus æquo intorquent, cum tali moderamine assensum præbemus, ut nequaquam ultra terminos constitutos illorum vestigia prosequamur : non adjicientes ut hoc ex illorum documentis subintelligamus, quod jam suos auditores subaudire fecerunt; hoc scilicet ut, si quis excommunicatus injuste se excommunicatum nudis tantum verbis asserit, excommunicatoris sententia protinus irrita judicetur. Si stabit hæc consequentia, jam a nullo excommunicato abstinet; quia nullus eorum se juste judicatum esse fatetur : sed non est æqua partitio ut subjecti ita audiantur quatenus prælati inauditi præjudicium patiantur, sicut dicitur : *Non esse justum mediatorem, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri reservet.*

Quod si hæc noviter emergens doctrina in Ecclesia fructificare cœperit, antiqui Patres in vanum laboraverunt (*Psal.* CXXVI), qui id modis omnibus satagebant, id conati sunt, quatenus in uno Christi corpore, quod est Ecclesia, nec ab excellentioribus membris minora gravarentur, nec inferiora superioribus resultarent. Multæ illorum constitutiones, causæ quæ inter nos ventilatur congruentes, hoc novo dogmate frustrantur et in irritum cadunt. Quorum synodicas et decretales sententias si hic inserimus, fortasse fastidium legentibus ingerent, eo quod tritæ sunt et tam usu quam auctoritate notissimæ. Quandoquidem autem illi qui contraria agunt tam serenæ luci caliginem inferre conantur, necessarium ducimus, contra ingruentes novitatis hujus obscuritates, antiquam et notam Ecclesiæ lucernam super candelabrum ponere (*Luc.* XI), ut quod illi tanto conatu oblivioni tradere conantur, nos ad memoriam revocemus, satis æstimantes ad defensionem nostram nota replicare quam ut nova introduxisse videamur.

Sancti Patres in Nicæa congregati, cum juxta institutionem apostolorum, et eorum apostolicorum A qui ante synodum Nicænam fuerunt, decernerent de his qui communione privantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab episcopis, ut hi qui abjiciunt et qui abjiciuntur [*videtur deesse vocula* innotescerent, *vel* similis], ita subjunxerunt : *Requiratur autem ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio videatur a congregatione seclusus* (*Nicæn. concil.* cap. 5). Qualiter autem quibusve modis inquirendum sit, nihilominus addiderunt his verbis : *Ut ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrare* (*Nic. conc.*, loc. cit.); et cætera quæ sequuntur.

Igitur qui ad decentem rei hujus inquisitionem concilia celebranda esse decreverunt, nequaquam, B ut nunc moris est, arbitrati sunt ad probandam eorum qui abjecti sunt innocentiam hoc posse sufficere, si passim vageque in suos excommunicatores absentes convitia et obtrectationes eructent. Ergo qui contra sacros canones Nicænos, nulla condicta synodo, nulla præcedente inquisitione, canonica communione privatos in communionem recipiunt, audiant si ejusdem concilii statuta tam leviter violanda sint et contemnenda; audiant quid sanctus Gregorius de auctoritate quatuor conciliorum principalium, quorum istud præcipuum est, sentiat. Siquidem in epistola Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano patriarchis directa, sic ait (lib. I, epist. 24) : *Sicut sancti Evangelii quatuor* C *libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, tamen extra ædificium jacet.*

Item, post pauca, de iisdem conciliis : *Quia, dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

Audiant etiam qui tanto adnisu sancti ac magni concilii Nicæni statuta annullare satagunt, specialem de illo beati Leonis sententiam (*epist.* 53) : *Leo episcopus Anatholio episcopo. Non trecentis,* inquit, D *decem atque octo episcopis, quantumlibet copiosior sit numerus sacerdotum, vel comparare se audeat vel præferre ; cum tanto divinitus privilegio Nicæna synodus sit consecrata, ut sive per pauciores sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.*

Item de eadem re : *Sancti et venerabiles Patres in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos, in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur :* Ecce nos sumus, in quos *fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X), in quo-

rum temporibus illæ penitus leges destruuntur, quas sancti doctores usque in finem mundi mansuras prædixerunt.

Quandoquidem igitur synodo cujus hic testimonia inserta sunt, omnes synodi quæ authenticæ sunt, quasque Ecclesia recipit, principatum concedunt, singulas aliarum sententias annectere non tam necessarium est quam prolixum. Unum tamen et pluribus de Sardicensi concilio excerpere, non abs re ducimus. In hujus namque concilii præfatione, cum de diversis diversorum conciliorum regulis tractaretur, ita tandem subjunctum est : *Sed in his omnibus illa sequi debemus quæcunque a Nicæno concilio et a sancta atque apostolica Romana* [*Ecclesia*] *non discrepare videmus.*

Quod autem in ejusdem concilii capitulo 17 invenitur, illos velimus attendere qui tam facile etiam quorumlibet episcoporum, nedum Romani pontificis sententiam sine legali examinatione rescindunt; quasi discussione non indigeat quidquid illorum verbis sive justum sive injustum asseritur. Continetur autem sic in præfinito capitulo : *Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito et aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem.* Et, paucis intermissis, sic demum concluditur : *Tamen, priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum communioni societ.*

Ecce in hoc loco specialiter de illo excommunicationis genere agitur, quod, iracundia grassante, committitur, quod propero et aspero motu acceleratur; et tamen summopere cavetur ne vel sic excommunicatum ante diligentem examinationem aliquis recipiat.

Hæc et his similia in conciliis et in Romanorum præsulum decretis quasi usque ad fastidium inculcantur. Nec hoc quidem intermittitur, qualis utrosque vindicta sequatur : istos, si excommunicatis scienter et ante utriusque partis justam examinationem communicant, latebrasque defensionum, quominus ad satisfactionem perducantur, prætendunt; excommunicatos autem, si ante, audientiam communicare præsumpserint, si causæ suæ adesse neglexerint, si infra constitutum terminum coram suis excommunicatoribus causam suam non peregerint, si interdictum sibi ministerium usurpaverint; quæ quia nulli incognita sunt, latius hic enumerare nec necessitas exigit, nec brevitas epistolaris admittit.

Sed quia adversus ista excusatio locum non habet, fortasse ex ipsis quiddam nobis objicitur, quod in prædicto capitulo statutum est; quod nos quidem, sicut alia quædam, compendii causa reticui-

A mus, illud videlicet ubi dicitur : *Quia oportet ei qui abjectus est non negare audientiam roganti; et ille episcopus qui eum juste vel injuste abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur.* Hinc, ut putamus, ad excusandas excusationes (*Psal.* CXL), occasiones sumunt, quasi propter hoc, examinatio, sicut debuit, fieri non debuisset (453), quod excommunicator ad probandam vel improbandam sententiam eis patientiam non exhibuerit.

Ad quod refutandum non Scripturarum testimonia, non canonum auctoritas, sed ipse rerum gestarum ordo respondeat. Notum enim omnibus circumquaque est, anathema illud de quo agitur in synodo Romana quæ (1080) prima Quadragesimæ hebdomade ex more celebrata est prolatum fuisse.
B Quod cum in partes Teutonicas insonuisset, in proximo Pascha, episcopi qui in civitate Babinperga festum illud celebrarunt, in die sancto, inter missarum solemnia multa et inhonesta in Dominum papam (Gregor. VII) vitia jaculantes, omnibus qui congregati sunt denuntiaverunt ex tunc in reliquum nequaquam pro apostolico habendum esse; ibique incipientes, pertransierunt per universum regnum eadem prædicando, adjunctis sibi et aliis ejusdem verbi ministris. Quod si talia se ea necessitate aggressos esse obtendunt quod audientia eis denegata fuisset, judicent omnes qui sanum sapiunt si in tali temporis intervallo hoc ullo modo fieri potuerit quatenus, post agnitionem prolatæ in
C se sententiæ, sedem apostolicam pro discutienda causa interpellassent, eaque hoc denegante in prædicto loco et tempore hanc seditionem commovissent. Liquet profecto quod, etsi voluntas hoc illis suggereret, sicut nec fecit, tamen temporis augustia non pateretur. Unde totum illud pariter comprobatur, quod nec discussio facta est, nec ut fieret quæsitum est vel denegatum. Constat ergo temeritatis potius impulsu quam necessitatis id actum esse ut excommunicati ante probationem legitimam in communionem reciperentur. Quod quemadmodum præfatis conciliis et decretis invenitur adversum, ita etiam non nostro, sed virorum apostolicorum Gregorii atque Leonis [judicio] omni auctoritate vacuum et sine cunctatione cassandum. Et quia non minus
D ecclesiasticis consuetudinibus quam legibus refragatur, prædictis duobus testibus, tertium, beatum Augustinum conjungendo, triplicem funiculum faciamus. Qui, ad Casulanum presbyterum scribens, inter alia sic ait : *Sicut prævaricatores legum divinarum, ita et contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.* Item et Januarium : *Omnia talia, quæ nec sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec episcoporum conciliis statuta reperiuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo.*

Verum de militibus Dominicis interim tacendo, ad ipsius Domini illorum verba veniamus, dicentis

(453) Videtur locus corruptus et leg. *Sicut debuit fieri, facta non fuisset.*

in Evangelio : *Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* x). Vere evangelicam et apostolicam doctrinam ante tempus judicaverint qui tam inordinate non solum sententiam summi pontificis, sed et ipsum condemnantes judicaverunt, sententia indiscussa, auctorem sententiæ, inauditum, inconvictum nec confessum, sed neque conventum vel commonitum! sententiam quidem, quæ tali tempore a synodo Romana promulgata est, quando nulla de præsidente contradictio fuit; ipsum præsidentem, cui tunc temporis non solum ea quæ in istis partibus est Ecclesia, sed illa quæ in toto orbe diffusa est debitam subjectionem exhibuit; illum, inquam, suo et non synodali judicio refutaverunt, et alium, qui paulo ante a sede apostolica damnatus est, eidem, sedi quæ illum damnaverat, pontificem designaverunt, Romana Ecclesia nec conscia nec consentiente. Quid igitur canonum testimoniis ad improbanda hæc judicia indigemus, quæ nec similitudinem sensatorum judiciorum tenent, sed quasi prima fronte plena blasphemiæ apparent? Nam, ut verum fateamur, nihil in sanctorum Patrum scriptis contra hujusmodi præsumptiones specialiter edictum nos invenisse meminimus, quia insaniæ non erat lex ponenda. Ex abundanti autem ab antiquis doctoribus statutum est contra illas imperitorum episcoporum infestationes, quæ, etsi ab adversantium insidiis procedant, nonnullam tamen æquitatis imaginem prætendunt, scilicet induciis, evocationibus, discussionibus, aliisque juxta tenorem judiciorum. Ad istorum cautionem distinguendam si auctoritas a nobis requiritur, non Scripturarum excerpta sed volumina opponimus, sicut est liber decretorum pontificalium, qui pene totus in talium discussione cuditur. Sed ne nihil horum ad præsens induxisse videamur, illud saltem beati Gregorii inseramus, quod ad Joannem *Defensorem* euntem in Hispanias scribit de Stephano episcopo, qui injuste esse se depositum conquestus est. *Primum,* inquit, *diligenter quærendum est si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt; deinde causarum qualitas, si, accusato præsente, sub jurejurando contra eum testimonium dictum est; si respondendi locum habuit, si examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter facta est; quod si forte hæc solemniter acta non sunt, in Ecclesia sua omnibus modis revocetur. Hi vero qui eum contra Dei timorem et statuta canonum condemnaverunt, ad agendam pœnitentiam mittendi sunt sex mensibus, ita sane ut, si alicui eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici benedictio non negetur.*

Videant ergo prædictorum judiciorum mediatores, si in Romani præsulis refutatione vel unum de illis sancti viri præceptis observaverint, quæ ille in unius cujuslibet episcopi discussione observanda esse decrevit.

Huc accedit quod multis sanctorum statutis diffinitum est ut nullus episcopus, nisi in legitima A synodo et suo tempore, apostolica auctoritate convocata, judicari aut damnari possit; et quod sine primæ sedis auctoritate concilia rata esse non possint. Hæc qui quærit, invenire poterit in scriptis apostolicorum Julii, Damasi, Marcelli, Gelasii aliorumque, beato Isidoro idipsum attestante.

Mirandum igitur est viros prudentes adeo nota oblivioni tradidisse, qui, nulla existente synodo, illum episcopum judicantes reprobaverunt sine cujus auctoritate nec episcopum aliquem damnare, nec generale concilium licet congregare. Ecce novus ordo judiciarius, ecce matura Domini sacerdotum judicia! Isti judices si eo quo judicaverunt judicarentur [judicio], ita ut a subditis suis eamdem prædamnationis vicem reciperent quam prælato suo B impenderunt; nequaquam hoc ecclesiasticum judicium, sed vere furorem tyrannicum nominarent. Nec id mirum; nam, ut de episcopis taceamus, certe nulli hominum, cujuscunque professionis vel conditionis sit, tale judicium jure competit, quale in ullum processit qui a nullo homine judicandus est. Sicut ille, apostolicæ doctrinæ adhuc nescius, canonum ignarus, Nicodemus dixit: *Nunquid lex nostra judicat quemquam, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat!* (Joan. vii.)

De illo autem (Guiberto) quid dicamus, qui, ad supplendum hujus depositi locum, tam provide deligentium dispositione erectus est? Vere de illo hoc dicimus verisque testibus approbamus, quod, etsi C jam pro suis erratibus nec damnatus esset nec damnandus, sed et sedem illam vacantem invenisset, cui nunc superstite pontifice adulterinus invasor deputatus est, tamen, teste beato Leone, nulla ratio sineret ut inter episcopos haberetur, quem nec clerus elegit nec populus expetivit. Cumque ejusdem Leonis atque Cœlestini sententiis diffinitum sit ut nullis invitis episcopus detur, quanto minus illi Ecclesiæ nolenti episcopus aliunde superponendus erat, quæ sui incolumitate pontificis et concordia potita est.

Ergo quia cum hujusmodi portionem ponere non acquievimus, maledicimur et persecutionem patimur (*Joan.* iii), et velut tantæ discordiæ auctores traditi sumus nos et nostra in direptionem omnibus D qui in circuitu nostro sunt. Vere, ut aiunt, ab illis qui hæc faciunt, discordamus, sed non amore discordiæ, imo timore perpetuæ damnationis, certi quod anathema nobis esset sine fine, si in talibus nos contingeret vitam finere.

Ecce ut jussisti, o dilectissime præsul, quid in hac re mediocritati nostræ videatur, charitati tuæ expositum est. Si autem a prudentioribus potiora audiemus, obaudire parati sumus, ea tamen inter nos et eos qui a nobis diversa sentiunt vicissitudine servata, ut non per ambages vel extrinsecus detortas virisimilitudines res agatur. Nec bonæ quidem æstimationis est, ibi exquisitis circumquaque argumentis inniti, ubi de ipsa re tot speciales atque diffinitivæ sententiæ, uæ nulla possunt ratione con-

velli, a sanctis Patribus promulgatæ sunt, ita ut nullum dubietatis scrupulum reliquerint. Ecce, omni tergiversatione remota, causæ a nobis expositæ sunt de hoc quod excommunicatis, quibus illi communicant, non communicamus; quod apostolicæ sedis pontifici, et beati Petri vicario abrenuntiare non præsumimus; quod eodem, vivente et cum Romana Ecclesia concorditer agente, alium ad eamdem sedem eligere aut eligentibus consentire non acquiescimus. Ergo si illi qui contraria gerunt, verioribus et præpollentioribus documentis ea licere approbant quæ nos illicita esse demonstravimus, æquum est ut rectiora docentibus et auditum et assensum accommodemus.

Sed his quæ ad rem pertinent omissis, vitia [convicia] et vituperationes, ut dicitur, in Dominum apostolicum dictitant; quid hoc nostra interest? Si de vita illius agitur, nos non pro vitæ suæ consideratione ille obedimus, sed pro ministerio collatæ in illum dignitatis. Nam meritorum suorum qualitas sacerdotali officio non præjudicat. Quapropter quantumlibet docte, quantumlibet artificiose in reprehensiones illius invehantur, tamen convicia pro accusatione recipienda non sunt. Ipsi enim, ut sapientes, norunt probe hunc vere confusum et præposterum ordinem esse, si illum, quem sine accusatione vel discussione prædamnaverunt, nunc tandem post factum judicium accusent et discutiant.

Sed et in hoc, ut audimus, studium exhibent, quatenus ex multis Scripturarum collectionibus suis sequacibus ostendant quanti si reatus perjurium incurrere, et nomen Domini in vanum assumere (*Exod.* XX). Et de episcopis, sicut paulo ante prædiximus quia insontes damnando sibi plus nocent quam quibus nocere cupiunt, quæ quidem sunt rationem veritatis habentia, si quando suo vel loco vel tempore proferuntur, quiddam enim aliud quam quod sonant, suggerere putantur, ad percutiendam simpliciorum fratrum infirmam conscientiam, quatenus eis sub specie pietatis laqueum injiciant, et quasi vera dicendo fallant; diligentius autem intuentibus, ad nostræ controversiam causæ nihil pertinere videntur. Quomodo enim ad litem inter nos agitatam hoc pertineat, in quo prorsus nihil discordamus, sed ex utraque parte unum idemque fatemur? Nam quis sanæ mentis perjurium grave peccatum esse dubitet? Similiter, quod de illa præcipiti sententiarum prolatione dicunt, dicimus, sed ad quod dicendo tendunt, non prosequimur. Verba illorum aliud sonant, aliud sapiunt. Quod contra inordinatas episcoporum promulgationes ab antiquis Patribus generaliter disputatur, ita laudamus ut nullatenus, sicut modum [modo] nolunt, speciatim alicujus episcopi sententiam temere et absque probatione refutemus. Item de perjurio id ipsum quod et illi, imo quod omnes dicunt, dicimus; quia ingens animæ periculum est et modis omnibus cavendum. Illa autem divinæ legis præcepta quibus innituntur, licet omni veneratione dignissima sint, non tamen ut illi intelligi volunt intelligimus: videlicet ut quidquid quisque juret, indifferenter et sine retractatione servandum sit; quin potius hoc, quod scriptum est: *Non pollues nomen Dei tui in vanum* (*Levit.* XVIII); *Non perjurabis in meo nomine* (*Levit.* XIX), cautione [caute] omnibus observandum esse credimus, ut aut nihil jurent quæ juranda non sunt, et quæ jurata servari nec debent nec possunt, vel servata in aliud majus aut æque magnum periculum inducunt. Si qui doctores subditos suos aut omnino non jurare, aut aliis juramentis, si quia necessitate fiunt, diligentiam adhibere non docent, sed, quolibet modo fiant vel facta sint, exsolvenda prædicant; talis doctrina nullo unquam tempore sana exstitit; minime autem in isto, in quo pene omne quod loquitur populus, conjuratio est.

Quorsum autem hæc prædicamenta tendant, omissis ambagibus, quasi ad vivum tangendo edisseramus. Hoc sine dubio suis machinationibus moliuntur, ad hoc sequaces suos perducere satagunt, quatenus quod summum nefas est fas esse putent, ita quidem ut qui propriis gravantur, alienis communicare non timeant peccatis, communicando excommunicatis, ut, nulla suadente ratione, sed pro libitu sæcularis potentiæ, illius potestatis a se jugum projiciant in qua Dominus et Salvator noster totius Ecclesiæ posuit principatum, ut in sedem adeo specialiter constitutam violenter irruentibus consensum et auxilium præbeant.

Ad persuadendas autem tales blasphemias quia convenientia testimonia non inveniunt, ratione et auctoritate deficientes, ad juramenta confugium faciunt, quasi, jurationum suarum necessitate, necessario illa perpetranda sint quæ propheticis, evangelicis et apostolicis institutis aperta fronte refragantur. Propheticis quidem, sicut in Deuteronomio legislatorem et prophetam dixisse novimus: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel* (*Deut.* XVII); evangelica autem tuba intonat: *Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* X); apostolorum autem et apostolicorum (454), et quantæ in illos animadversiones procedant, qui contra sedem beati Petri ejusque successores se erigant, per singula evolvere, supersedimus; quia tritum et prolixum est. Illud tamen sancti Gregorii quarti (455), quo expresse sacerdotes sedi apostolicæ adversantes denotantur, non reticendum putamus: *Sit*, inquit, *ruinæ suæ dolore prostratus, quicunque apostolicis voluerit contraire decretis nec locum deinceps, inter sacerdotes habeat; sed extorris a sancto fiat ministerio.*

Et post pauca: *Quia majoris excommunicationis*

(454) Videtur hic aliquid deesse.
(455) Greg. IV in epist. ad univers. episc., tom. III Concil., fol. 539.

dejectione est exigendus cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum præfatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præterirent insinuare. Communiter autem omnibus timendum est quod ipse primus apostolorum de primo suo successore loquitur : *Si quis,* ait, *nunc constristaverit Christum, qui ei cathedram credidit, non recipiet; et ideo nec ipse recipietur in regnum cœlorum.* Dicant ergo qui verba legis ad destruendam legem assumunt, si propter aliqua juramenta in illas prævaricationes recidendum sit quæ in Veteri Testamento morte mulctantur, in Novo autem, sicut Discipulus veritatis docet, a Christo et a regno cœlorum separant. Quicunque in istis se transgressuros jurejurando spoponderunt, nunc sero de juramenti cautela provident. Certissime enim constat quia ipsa hora qua jurabant quod non jurandum esse ignorabant, polluerunt nomen Dei sui, et assumpserunt nomen Dei sui in vanum (*Exod.* XX).

Igitur cum apostolis a Domino dictum sit : *Nolite omnino jurare* (*Matth.* V), nonne contra Dominum fuit ut episcopi, apostolorum vicem tenentes, illum episcopum qui principis apostolorum vicem tenet, abjurarent et proscriberent? Audire ergo velimus e duobus contrariis, quorum alterutrum infirmari necesse sit, utrum tamen Ecclesiæ magis eligendum sit : an quod prophetæ, quod apostoli, quod ipse denique prophetarum et apostolorum magister instituit; seu quod contra hæc omnia moderni pontifices, imo ex pontificibus palatini conjuratores effecti, noviter conflaverunt? Sed, ut de sublimioribus Ecclesiæ documentis taceamus, utrum major reverentia debetur illis 318 qui in urbe Nicæa in nomine Domini congregati sunt, an istis qui (456) præterito anno Brixinæ convenerunt adversus Dominum et adversus Christum ejus? (*Psal.* II.) Nam quod illi Spiritu sancto, ut credendum est, dictante in sancta illa et nominatissima synodo condiderunt, hoc ipsi absque synodali conventu in curiæ tribunalibus abjuraverunt. Siquidem Nicæni canones communione privatos nullatenus absque legitima examinatione recipiendos docent; isti autem a sancta et apostolica sede excommunicatos non solum sine discussione receperunt, verum et, ad ignominiam et confusionem totius ecclesiasticæ regionis, ex ipsis anathematizatis apostolicum sibi elegerunt, vel, ut verius fateamur, *apostolicum* illum nominantes apostatæ angelo configuraverunt; quem etiam eidem sedi, a qua damnatus est, esse imposituros jurejurando polliciti sunt; et nunc quidem, ut quod inique promiserunt, crudeliter adimpleant, in ore gladii, in sanguinis effusione non modica, in sacrilega bonorum beati Petri vastatione grassantur.

Sed nec regni profligationibus, nec eccclesiarum destructionibus parcitur, dum illorum conjuratio effectu non careat. Illi vero quorum ad hæc perpetranda flagitia cruento ministerio utuntur, homines quidem litterarum expertes, ideoque ad seductionem suam creduli, ita novis illis de cavendo perjurio dogmatibus infecti sunt, ut levius atque venialius putent quorumlibet scelerum mensuram implere, quam stultæ ac prævaricatoriæ promissionis suæ vota infringere; non attendentes quod et illa juramenta quæ ex more fiunt et legitima dicuntur, interdum, propter varios rerum intercidentium eventus, gravioris reatus timore rescinduntur; sicut sæpe milites a suis sæpe famulis, sive satellitium sibi professis, juramenta more usitato exigunt et accipiunt. Qui si versa vice promissores fidei ad exercenda latrocinia invitantur, vel ad tractandam principis aut virorum ecclesiasticorum necem, seu ad infringendas ac spoliandas ecclesias, seu ad raptum sacratarum Deo virginum; nunquid non jam stultum esset eos qui invitantur ad utrorumque perniciem expetitam opem ferre, et, sub nomine fidelitatis, perfidiæ et crudelitatis opera implere? Sic etiam episcopis, ducibus, aliisque in sublimitate positis ab Ecclesia vel fisci hominibus sacramenta exhiberi solent. Qui si juxta legum constitutiones, ut aliquando fit, a suis honoribus destituuntur, juratores sui, cum alios sortiuntur dominos, ab anteriorum jurata fide et subjectione se subtrahunt. Isti, quandoquidem non voluntarie, sed compulsi juratoriam promissionem irritam faciunt, quid mirum si ab aliquibus ligandi atque solvendi potestate præditis illius culpæ indulgentiam consequantur, quam ex inopinata necessitate magis quam mala voluntate inciderunt? Sed novi dogmatistæ, longe aliter judicantes, talium absolutionum ministros, subversores atque perjuriorum persuasores nominant, ideoque eos super cathedram Moysi jam non sedere astruunt; quia Moyses dixit : *Non perjurabis* (*Lev.* XIX). Quod si hæc litteræ vetustas absque nova spiritus discretione immutabiliter tenenda est, possunt quidem dicere et ipsum Moysen Moysi cathedra descendisse. Ipse enim qui dicit : *Non perjurabis,* dixit etiam : *Non occides* (*Exod.* XX); et tamen post frequenter intulit : *Qui hoc vel illud fecerit, occidatur.*

Propter quas sententiarum varietates, neque prædictarum culparum remissores Moysi, nec Moyses ipse sibi contrarius est; sed dispensatoria sacrarum institutionum edicta, ad aliud et aliud relata, utrobique tamen veritati et justitiæ consona sunt, et causarum ordini congrua. Ecce legislator propter hoc legalem sententiam immutat, ut a legis transgressione coerceat. E contrario novi legislatores propter hoc legum transgressores facti sunt, ut conjurationis suæ sententia non immutetur. Sunt autem ex ipsis episcopis qui non se cum aliis juramento obligatos fatentur, et tamen in eamdem sententiam votum vovisse non negant; cui illorum facto non aliud quam conspirationis culpam parvi faciunt

(456) Scripta est ergo hæc epistola a S. Gebhardo anno 1081, quia pseudosynodus Brixinensis habita est anno 1080; vide Baron., hoc anno, tom. XI.

novimus (457). Si qui autem conspirationis culpam parvi faciunt, Chalcedonensis concilii statuta relegant (*can.* 18), ubi, inter juratores et conspiratores nullo discrimine habito, utrique pari censura plectuntur.

Quandoquidem igitur hanc promissionem suam, cujuscunque vocabuli sit, tanta cautela custodiunt, cum pace illorum inquirimus quo ordine, qua ratione novum illud votum antiquiori præferant, quod in die ordinationis suæ voverunt, cum ad summum sacerdotium promovendi de fide et obedientia interrogarentur. Credimus enim memoriæ illorum non excidisse quod in sacro illo episcoporum et cleri conventu (458), ad promerendam promotionem suam beato Petro suisque vicariis et successoribus fidem et subjectionem se servaturos promiserunt; qui tamen nuper ad injuriam ejusdem principis apostolorum successori ejus promissam fidem et subjectionem publica professione abnegaverunt. Illud ex antiquorum sanctorum Patrum auctoritate edocti fecerunt; in isto autem solam mundanæ potestatis voluntatem executi sunt. Quomodo ergo hoc pluris faciunt, quod in cubiculo sive in aula regis inter palatinos strepitus conspiraverunt, quam illud, quod coram sacro altari sanctisque sanctorum reliquiis sub testimonio Christi et Ecclesiæ professi sunt?

At fortasse, ad suam defensionem nostram vero exprobrationem, illius juramenti quod nobiscum commune habent necessitatem prætendent, dicentes se juratam fidelitatem infringere veritos nisi regiæ voluntati morem gererent. Ad quod respondendo, de illis inhonestum aliquid eloqui non præsumimus. De nobis autem, quotquot principi fidem juravimus, hoc vere et irrefragabiliter attestamur quod, si, nostro consilio animatus nostraque ope fretus, illud agressus esset unde tantum animæ periculum, tantum regni et regii honoris defectum incidisset, sine dubio et sacramenti violatores et fidei existeremus, et non tantum ecclesiasticæ regionis, sed et reipublicæ publici hostes adjudicaremur. Quamvis enim senior dignitate, ætate tamen juvenis fuit cui hæc fidelis sponsio facta est. Quapropter id potius fidei erat, quatenus provectiorum ætas juvenilis animi irrationabiles motiones magis mitigaret quam noxia assentatione incitaret. Hoc, inquam, fidei esset et officii; sed, sub fidei specie, nocitura persolvere, contra fidem et officium est, sicut sanctus Ambrosius testatur in libro III De officiis (*cap.* 12), ubi de Herodiani sacramenti nefanda adimpletione tractat. *Quod æstimatum est*, inquit, *fidei esse, amentiæ fuit*. Item in eodem libro (*cap.* 50), de exhibendi officii discretione : *Officium est*, ait, *depositum servare et reddere. Sed interdum commutatio fit aut tempore aut necessitate, ut non sit officium reddere quod acceperis, velut si quis, contra patriam opem ferens barbaris, pecuniam apertus hostis reposcat, vel insanienti gladium depositum non neges, quo ipse se interimat, nonne solvisse contra officium est?* Item (*cap.* 12) : *Est etenim nonnunquam contra officium promissum solvere, sacramenta custodire, ut Herodes, qui juravit, et necem Joannis præstitit, ne promissum negaret.*

Item post aliqua : *Unusquisque simplicem sermonem proferat, nec fratrem cirumscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum. Ac si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe est. Sæpe*, inquit, *plerique se constringunt jurisjurandi sacramento, et cum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt.* Et paulo post : *Melius est votum non solvere, quod sibi is cui promittitur nolit exsolvi. Non semper promissa solvenda sunt omnia. Denique ipse Dominus, sicut Scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam.*

Sanctus Isidorus in libro Sententiarum : *Non est*, inquit, *servandum sacramentum quod male et incaute promittitur, veluti si quispiam adulteræ cum ea permanendi fidem polliceatur; tolerabilius enim est non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.* Similiter in libro Soliloquiorum : *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, ne facias; insipiens est promissio quæ scelere adimpletur.* Sed et Venerabilis Beda in Explanatione evangelica, quæ publice quotannis in Ecclesia pronuntiatur in decollatione sancti Joannis Baptistæ : *Si forte*, inquit, *aliquid nos incaute jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, consilio illud salubriore mutandum noverimus.* Et paulo post : *Non solum in jurando, sed in omni quod agimus hæc est moderatio solertius observanda, ut si talem forte in lapsum versuti hostis insidiis incidimus, ex quo sine contagio surgere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus, in quo minimum periculi nos perpessuros esse cernimus* (459).

Mirandum igitur non est seniores Scripturarum peritos, cum de juramentis verbum facerent, nihil de prædicta jurandi cautione attigisse, sed hoc solummodo ad probandum suscepisse, de quo nunquam quæstio mota fuit. Nullus enim negat, sed omnes æque fatentur perjurium malum esse. Ergo si malum est, imo quia malum est, caveant prudentes ne sic jurent quatenus pejerare compellantur, hoc pro certo scientes quia se ipsos male et incaute jurando destruere possunt; legem autem Domini et legem Patrum nostrorum jurando destruere, Deo propitio, non possunt. Ecce in prælibatis catholicorum Patrum sententiis satis demonstratum est quod juramenta injuste promissa et in majus periculum vergentia [mutare] cogimur, quia nihil iniquum juravimus.

Sed dicitur nobis : Fideli principi jurastis, cui si fideles esse vultis, fidem domino apostolico et obedientiam abnegate, et abnegationem illam juramento vel scripto firmate, et ab excommunicatis a

(457) Locus mendosus; sensus est : *Quos suo facto non aliud quam conspirationis culpam parvi facere novimus.*

(458) In conciliabulo Brixinensi, anno 1080.

(459) Exstat hæc homilia tom. VII Operum Venerab. Bedæ.

sede apostolica non abstinete, et non abstinendum docete; quod si non feceritis, velut infideles, regiæ sententiæ subjacebitis. Dura propositio, et antiquæ illi quodam modo conformis, qua dicitur: *Si vis amicus esse Cæsaris, sacrifica diis; quod si non feceris, punieris.* Si eam quam jubemur fidelitatem regi impendimus, non tantum coram isto rege sed coram omnium regum Rege perfidiæ reatum incurrimus, nam omnes divinarum legum sponte violatores, sicut Scriptura docet, apostatæ efficiuntur. Quomodo ergo ad apostasiam et perfidiam quasi pro jurisjurandi religione constringimur, qui nihil nisi fidem jurasse dicimur? Mira res! fidem juravimus, et nisi perfidiam faciamus, perjuri dicimur et infideles; nihil unquam juravimus, nisi quod salvo ordine nostro fieri posset.

Videamus igitur si sacerdotalis vel ordinis vel officii sit ad hoc consilium vel opem ministrare ut Christianus princeps a Christiana lege homines cogat discedere, et discedere nolentes publica animadversione persequatur ut, fugatis sacerdotibus, *Sanctuaria Dei, quasi hæreditate possideat* (*Psal.* LXXXII); ut oblationes fidelium et patrimonia pauperum, suis suorumque usibus incomparabiliter [irrecuperabiliter] usurpet; ut, Neronis exemplo, Petrum et Paulum iterum in membris suis pati faciat; ut Simonem Magum rursus contra Simonem Petrum excitet; ut intret in sanctificationem cum superbia, ubi usque modo fideles, in corde contrito et humiliato, pro remissione peccatorum suorum nudis pedibus in ecclesiam [introire] consueverunt; ut loca sanctorum sanguine consecrata famulorum sancti Petri cruenta strage polluat. Nunquid pastoralis officii est talibus actu vel consilio participare? Nunquid fidelitati competit regibus persuadere ut, Christi tunicam et sacerdotum ejus vestimenta scindentes, scindi a se regnum mereantur?

Sed hæc omnia novi doctores fidelitati attribuunt, dicentes se quidem beato Petro atque sedi apostolicæ devotos existere; sedenti autem super sedem illam insolitas injurias merito irrogari, qui in homines immeritos, regem scilicet et episcopos, tam insolitam damnationis sententiam promulgavit. Quibus respondendum est quod, et si in illis synodalibus judiciis districtio mansuetudinem excessisset, ita ut domnus apostolicus plus solito et non pro materia super eos manum congravarit, decuerat tamen orthodoxos episcopos, catholico principi [suadere] quatenus sic injuriam suam ulcisceretur ne divinam ultionem in se provocaret, ne Ecclesiæ regulas penitus confunderet, ne cædibus, incendiis, vastationibus id ageret quod ecclesiasticis discussionibus agendum erat.

Aliud, quod attendendum est, velimus attendere tam illos, quam qui ab illis edocti sunt ut credant hæc omnia licite et impune committenda propter

A urgentem præcedentis injuriæ necessitatem, omnemque hujus discidii culpam ad inchoationis primordia referri. Audiant, inquam, quod, etiamsi Christianæ vel ecclesiasticæ religionis esset talibus injuriis tales vicissitudines rependere, certe nec hoc modo inexcusabiles fieri possent: nam apostolicæ animadversionis, qua se injuriatos causantur, ipse potius causa exstiterunt, et unde se accensos conqueruntur, hoc ipsi prius incenderant; ideoque injurias non tam retulerunt quam intulerunt. Cum enim primum ad initiandam hanc rem (460) Wormatiæ confluxissent, ubi omnis quam patimur calamitas exordium sumpsit, nullam adhuc dominus papa excommunicationis vel anathematis sententiam destinavit, sed ipsi (primitiæ discordiarum), ipso ignorante et nihil minus

B putante, prælationi suæ superba et repentina temeritate abrenuntiaverunt. Initia dolorum hæc (*Marc.* XIII) primum. Hoc fermentum totam Ecclesiæ massam corrupit (*I Cor.* V). Quod si quis negat, facile probari potest, si gestæ rei et temporis series recenseatur. Conventus enim ille, de quo dicimus, inter Nativitatem Dominicam et sequentem Quadragesimam constitutus est, ita distantibus spatiis ut quæcunque gererentur Romam synodi tempore differri possent. Sed ante eamdem Nativitatis Dominicæ festivitatem, cum rex natalitium diem Andreæ apostoli Bapinberg celebrasset, tanta adhuc inter regnum et summum sacerdotium concordia viguit, ut omne quod (461) ibi in destituto ejusdem loci episcopo alioque substituto actum est, totum jussioni et obedientiæ Ro-

C mani imputaretur pontificis. Et ipse quidem princeps hoc verbis, hoc litteris a sede apostolica charitative directis injunctum sibi fuisse testatus est. Ecce manifesta indicia hoc usque permanentis concordiæ. Quid ergo tam cito intercidere potuit, ut ille, qui in proximo ante Nativitatem Domini tantæ in Ecclesia magnificentiæ fuit ut ad nutum illius dignitatum mutationes fierent; idem paucis post Nativitatem diebus, inconventus, inauditus, totius etiam ignarus dissensionis, proscriberetur? Ab illa enim die, qui tanti habitus est ab eis, imo ab omnibus, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret qua dictum est: *Descende, descende, interdicimus tibi omne jus papatus*; aliaque hujusmodi.

D Dicant ergo hujus legationis compositores, qui conventui Wormatiæ habito intererant, ubi gratis a se jugum disciplinæ projecerunt, ubi sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserunt, ubi novam hanc mundo legem condiderunt ut servus principis summo pontifici cathedram episcopalem interdicendi jus habeat: dicant ergo, dicant; et si non nobis, tamen Ecclesiæ juste adversus eos proclamanti respondeant quibus præcedentibus causis talia ex debito recompensarint. Si autem competentem rationem reddere non possunt, imo quia non possunt, fateantur necesse est (462) novæ se confusionis auctores,

(460) Habitum est hoc conciliabulum anno 1076. Vide Baron. tom. XI.

(461) Loquitur de Hermanno episcopo Bambergensi ob Simoniam deposito, et in locum ejus Ruperto substituto.

(462) Hic, ut orationi major insit vis, perspicuitas

antiquæ pacis autem et quietis pertubatores, legum divinarum et humanarum destructores. Sed utinam fateri mallent, quam tueri quod perperam admissum est, et fatendo potius corrigere, quam defendendo multiplicare! Hæc faciat Deus, et hæc addat ut, quandoquidem cœptis suis omnia confusa respondere conspiciunt, tandem ad cor redeuntes, non adjiciant ut similem principio finem faciant!

Finis epistolæ S. Gebhardi.

ADNOTATIO AD PRÆCEDENTEM EPISTOLAM.

Schismatici olim, præsertim Guibertini, sub Henrico IV valde insultabant orthodoxis, quasi perjuris, quod se ab Henrici regis per sedem apostolicam non tantum excommunicati, sed etiam a regno omnique regia potestate depositi, obedientia subtraherent ac sejungerent; ut videre est cum apud alios schismaticos scriptores, tum in decreto quodam Guiberti pseudopapæ ad universam schismaticorum colluviem misso, ex conciliabulo quodam Romæ in ecclesia S. Petri abominabiliter coacto (cum Guibertus Romana in urbe omnia sacrilegiis suis profanaret et incestaret); ubi terque quaterque perjurus Guibertus ita scribit, prout in codice calamo exarato reperimus: *Ibi namque de perjuriis, quæ ipsi ad periculum imperialis dignitatis fieri hortantur, non parvus clamor exoritur. Et quia negotium illud radix et origo cæterorum flagitiorum videbatur, placuit de eo primum tractari debere, et quam pessima et periculosa sit hujusmodi adhortatio, ostendi. Unde in imperatorem excommunicationem promulgatam necessariis documentis improbavimus, quia illius ex occasione perjuriorum et omnium assertionum suarum vires contraxisse videbantur.* Hæc et plura hujus farinæ exsecrando Guibertus in illo suo decreto.

Quam criminationem S. Gebhardus sua in epistola eo fusius et accuratius confutat et profligat, quo a schismaticis frequentius ingerebatur et inculcabatur. Quæ et hodie in recentium Guibertinorum, hoc est Lutheristarum et Calvinistarum animis renovata est; qui receptissimam in Ecclesia catholica doctrinam de potestate summi pontificis, in perniciosos reges ac principes omnium perjuriorum originem appellitant, homines fœdifragis perjuriis (quod præcipue de Calvinicolis dictum sit) a planta pedis usque ad verticem capitis immersi. Quod proinde Gebbardus æque ac priscos illos perjuros Guibertinos refellit.

et, quam dicunt, συμμετρία, verborum ordinem aliquantulum immutavimus, ut scilicet τὸ *imo quia non possunt* τῷ *fateantur necesse est* præposuerimus. Quod cæterum ita, ut nos scribimus, ab ipso auctore scriptum, librariorum autem incuria serius depravatum esse arbitramur. EDIT. PATROL.

VITA ET RES GESTÆ SANCTI ALTMANNI

EPISCOPI PASSAVIENSIS,

IN QUIBUS

Præclara de GREGORIO VII pontifice maximo Lector inveniet,

Nunc primum ex Manuscripto codice excriptæ et in lucem prolatæ.

LECTORI.

Epistolæ S. Gebhardi visum est subjungere Vitam S. Altmanni episcopi Passaviensis, tum ut quos viventes in terris pietatis amor ab ineunte ætate, et defensio sedis apostolicæ arctissimo nexu copulaverat, scriptorum monumenta non disjungerent; tum quia Gregorii VII pontif. honorifica mentio in hac Historia exstat, sub cujus vexillo maluit Altmannus militare, quam in schismaticorum castris stipendia facere: cui Bertoldus Constantiensis in Chronico anno 1091 hunc panegyricum dixit: « Altmannus, sanctæ recordationis Pataviensis episcopus, in causa S. Petri, et in ecclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes et exsilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum VI Idus Augusti. Hic in episcopatu suo tria cœnobia clericorum, juxta regulam S. Augustini communiter viventium instituit, et tertium in Frigensi episcopatu, in allodio Welphonis ducis, per clericos suos ædificavit, et regularibus disciplinis instituit. Hic fuit tantæ sanctitatis, continentiæ et religionis, ut reverendissimo papæ Gregorio, sanctoque Lucensi episcopo (Anselmo), imo omnibus religiosis reverendus esset et amabilis, schismaticis vero et sceleratis odiosus et formidabilis. Unde in obitu suo bonis magnum mœrorem, malis vero magnam reliquit exsultationem. »

Nomen auctoris qui hanc Vitam conscripsit non exprimitur. Ætatem ejus colligere licet ex hisce ejus verbis: « Sanctus vero præsul, annuente pio principe marchione Luipoldo, hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo, » etc. Prior est Luipoldus seu Leopoldus hoc nomine quartus, qui obiit anno 1096, vel, ut habet Betholdus, 1095. Luipoldus autem alter, sub quo auctor vixit, est Luipoldus sextus(filius S. Luipoldi quinti et nepos quarti,) qui marchionatum iniit anno 1136, ut est in Chronica Australi, quam Freherus publicavit. Aliter tamen Lazius.

INCIPIT PROLOGUS

IN VITAM S. ALTMANNI EPISCOPI.

Conditor ac gubernator rerum universarum, de quo Scriptura testatur quod *præcipit soli, et non oritur, et claudit stellas quasi sub signaculo,* ipse, ad temperandam hujus noctis caliginem quæ nostris

temporibus profundior inhorruit, ea luminaria quæ posuit in firmamento ut luceant super terram, nonnunquam clarius effulgere, et quæ dudum sibi tantum interluxerunt cum jucunditate, etiam hominibus clementer facit innotescere.

Inter quæ ego non immerito numerarim B. Altmannum Pataviensis Ecclesiæ venerandum antistitem, qui post occasum hujus mortalis vitæ inter sidera cœli collocatus, tam crebro nobis desuper novo micat splendore, videlicet in virtutibus et signis, quæ per eum operatur mirabilis in sanctis suis Deus, ut non incongrue ad eum B. Job dixisse judicem : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer* (*Job* XI). Ad ejus enim merita declaranda fugiunt dæmones, paralytici curantur, illuminantur cæci, contracti restituuntur, et variarum pelluntur damna incommoditatum. Erisne ergo præsens ætas adeo cæca, ut tanti luminis claritas, quo Deus illustrat et mirificat sanctum suum, ingratos oculos tuos non perstringat? non conterreat? Dixerit hucusque : *O generatio prava et exasperans!* (*Psal.* LXXVII) *signa nostra non vidimus, jam non est Propheta* (*Psal.* LXXIII). En, qui facit nobiscum signum in bonum (*Psal.* LXXXV), et consolatur nos per merita famuli sui, *innovat signa, et immutat mirabilia usque ad diem hanc* (*Eccli.* XXXVI). Ergone dubitabis de viro hoc, o incredule, quod ipse non introierit in potentias Domini (*Psal.* LXX), qui tam potenter adesse non tardat supplicibus suis? Non quidem audis vocem, umbram non vides; manum non sentis, ut quondam in apostolis ægri audiebant, videbant et sentiebant; et tamen sentis beneficia, et ad invocationem ejus pristina gaudes incolumitate.

Crede igitur apud Deum vivere, et apud eum plurimum posse quem tibi tua sanitas probat etiam invisibiliter adfuisse. Proinde crede sanctum, prædica probatum, qui jam non se, sed quem Deus commendat (*II Cor.* X); qui jam non de se ipso testimonium dicit (*Joan.* VIII), sed cui dant testimonium tres, qui sunt in cœlo, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus (*I Joan.* V). Itaque si leprosi, qui habitabant in porta Samariæ, semetipsos arguunt, si diem boni nuntii tacent civitati (*IV Reg.* VII), multo magis non arguendi, et incredulitatis atque ingratitudinis peccato erimus notandi, si Ecclesiæ Dei tantas Dei laudes, tanta hujus sancti præconia, tantum apud nos repositum thesaurum invideamus vel abscondamus.

Conabor quamobrem, vestris victus et adjutus precibus, reverendi domini et fratres, scribere aliquid de vita et miraculis tanti pontificis, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* (*I Cor.* II), quæ mihi nulla est, et quam ego cum Apostolo stultitiam novi fore apud Deum; sed sermone simplici et pio proponam lectori quidquid ex antiquioribus quibusdam scriptis recentique memoria vos, filii veritatis, indicaveritis et astruxeritis. Scribere autem quæ ad rem non pertinent, et amplificandi causa a narratione longius digredi, nec vos petitis, nec ergo spondeo. Spondeo vero, si quid in his scriptis corrigendum, mutandum, aut tollendum æstimaveritis, id æquum mihi non turbare animum, quippe qui nec amicis, quorum oculi non sunt columbarum, sed aquilarum, hæc carpenda nego; pro quibus nullam quæro gloriam, sed tantum vobis debitam exhibere obedientiam, et ejus, de quo scribimus, apud Deum intercessionem et misericordiam.

Explicit prologus.

INCIPIT VITA S. ALTMANNI
PATAVIENSIS EPISCOPI.

Beatus igitur Altmannus de gente Saxonum oriundus; nihil tamen ferum aut saxeum ab illa didicerat natione, sed, tanquam gemma pretiosissima quæ ex auro fulgentior nitet, sic ille claris parentibus in omni bonitate et honestate clarior effulsit. Qui liberalibus traditus studiis, eo intus aspirante et docente *qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII), tam divinis quam philosophicis elegantissime institutus est disciplinis. Et licet nonnullos scientia hæc inflet (*I Cor.* VIII), hunc tamen virum illa non inflabat, sed ornabat, sed commendabat. Longe fuit et alter ab his qui plus sapiunt quam oportet sapere (*Rom.* XII), fastu scientiæ suæ spernunt simplices, et conculcant humiles. Alioquin, nisi humilibus assensisset, et nequaquam alta sapuisset (*Ibid.*), quomodo intrasset in eum Spiritus sanctus? ille, qui sacrarum scientiarum Dominus est; cum non requiescat nisi *super humilem et quietum, et trementem verba sua?* (*Isa.* LXVI.) Unde etiam, secundum ejus sententiam qui dixit quod *humilem spiritum sequitur* (forte *suscipiet*) *gloria*, dignus habitus est exaltari, qui tam prudenter apud se didicerat humiliari

In Ecclesia quæ dicitur Paderbrunne, non solum canonicus, verum etiam ad regimen scholarum delectus et multis annis astrictus est. Crescente vero tanti viri fama, consequenter crevit et gloria. Quare in illa nobili Ecclesia Aquisgrani, quæ longe jam antiquitate, sede Teutonici decoratur regni, canonicorum præpositus meruit sublimari. Eo quoque in tempore in palatio Heinrici tertii imperatoris in rebus agendis fidelis et prudens inventus est. Puto quod tunc experiebatur Deus in famulo suo an dignus futurus esset cui quod majus erat crederetur, si, in eo quod minimum est, fidelem comprobasset. Defuncto itaque imperatore, in ipso tamen probata fidelitas defuncta non est, quam infatigabi-

liter servavit Agneti imperatrici inter turbines cc fsuum diversorum, quibus tunc miserabiliter con undebatur regnum et sacerdotium.

Ea tempestate nonnulli nobilium, amore ac desiderio Hierusalem cœlestis quæ sursum est et quæ libera est (*Gal.* IV) et est mater nostra, hanc terrenam Hierusalem in qua Redemptor humani generis opus salutis nostræ, quod dedit ei Pater ut faceret (*Joan.* IV), misericorder consummavit (*Matth.* XXVIII), aggressi sunt invisere (463), et, exemplo sanctarum mulierum quæ quondam venerunt cum aromatibus, etiam ipsi cum odoramentis votorum ac precum suarum, locum adire et videre in quo positus erat Dominus (*Luc.* XXIV). Quis opinari audeat diversarum civitatum pontifices, viros prudentia ac nobilitate insignes, summos honores, patriam, cognatos, divitiasque contempsisse pro quadam vulgari opinione, quasi dies extremi instaret judicii; eo quod Pascha illo in anno celebrandum occurrisset VI Kal. April., quo videlicet inscribitur resurrectio Christi? Ego magis putaverim pia devotione permotos, aut crebrescentibus undique malis conturbatos laborem hujus peregrinationis arripuisse, et quod decebat sapientes et religiosos, dies malos potius insumere voluisse in reddendis votis Domino Deo suo, quam sine fructu omni in talium temporum periculo conversari. Fuerunt in hac multitudine viri præcipui : Sifridus Moguntiensis archiepiscopus, et Guntherus Babenbergensis episcopus, et cum eis viri nominati tam clerici quam laici (464). His quoque S. Altmannus cum pluribus honoratis de palatio comes adjunctus est.

Igitur ingressi iter propositum inciderunt in latrones. Inimici namque crucis Christi, eorum cooperatores et socii, de quibus David conqueritur : *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi* (*Psal.* CXXXIX), insidiis eos circumvenientes complures eorum despoliaverunt, vulneraverunt et peremerunt (464*). Docemur certe hic non modo descendentes ab Hierusalem in Jericho pericula pati latronum, verum nihilominus ascendentes ab Jericho (*Luc.* X), id est ab hoc mundo in Hierusalem, non solum invisibilium sed etiam visibilium insidias sustinere inimicorum. Utrorumque insidias et laqueos considerans, sanctus confitetur et dicit : *Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV). Et iterum de Domino dicit : *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero* (*Psal.* XC). At viri virtutis, quorum erat in timore Domini fiducia fortitudinis, rebus adversis fortiores, per damna et ludibria, atque verbera, quibus eos crudeliter et multipliciter affecit sæva barbaries, tandem Hierosolymam pervenerunt; ubi, reddentes Deo vota quæ distinxerant labia sua (*Psal.* LXV), et visitatis debita veneratione locis in quibus Dominus et Salvator noster A *in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch*, III), et præcipue loco passionis ejus et resurrectionis, atque in cœlos ascensionis, quia non habebant ibi manentem civitatem, sed futuram, inquirebant patriam (*Hebr.* XIII) quam liquerant revisere, et exinde ad patriam cœlestem transmigrare communibus votis optaverunt. In Pannoniam vero pervenientes, cum in castro quod nostra lingua Wizzeburch appellatur (Albaregalis) demorarentur, Guntherus venerabilis episcopus de hoc sæculo migravit ad Dominum; auditurus, ut speramus, illud : *Euge, serve bone* (*Luc.* XIX), qui pro apportato et multiplicato talento vocatur intus in gaudium Domini sui (*Ibid.*). Defungitur eodem tempore etiam Egelbertus Pataviensis episcopus, illis admistus in B cœlis quorum dignitate adornatus est in terris.

Post cujus excessum, collato invicem consilio, favente Agnete imperatrice, nec minus regni optimatibus, omnium pari conniventia beatus Altmannus in locum defuncti in Pataviensi sede episcopus denominatus est. Applaudit clerus, populus congaudet, et, nemine dissentiente, hunc pontificalibus infulis dignissimum approbant, quem decus generis, vitæ sanctitas, sanitas doctrinæ, et testimonium commendaret famæ inviolatæ. Mittuntur proinde in obviam viri honorati, qui virgam pastoralem et annulum pontificalem electo in Pannoniam deferant, ac talibus insignibus quid de eo superna ordinaverit dispositio fideliter attestentur.

C Vocatus ergo a Deo tanquam Aaron, non ipse sibi sumens honorem (*Hebr.* V), nec instar multorum fugientem insequens, aut reclamantem obsequiis deliniens, ab ovibus sibi commendatis cum maximo tripudio exceptus; et post modicum a reverendo archiepiscopo Gebehardo [Salisburgensi] debita benedictione consecratus, a Spiritu, testimonium reddente spiritui nostro quia filii Dei sumus (*Rom.* VIII), testimonium accepit quod vere sit ipse Filius cui S. Pater efficaciter imprecatus est, dicens : *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (*Gen.* XXVII). Directus est in eo ab illo die et deinceps Spiritus Domini. Jam exhinc totus succenditur in amorem Dei; et, illius refectus visione, minus de reliquo respexit in D vanitates et insanias falsas (*Psal.* XXXIX); constans in jejuniis, in vigiliis perseverans; creber in orationibus laborabat, per singulas noctes in gemitu suo et lacrymis stratum suum rigabat (*Psal.* VI). Abscondebat eleemosynas in sinu pauperum, ut ipsi orarent pro eo, cum ille orare minus potuisset. Et hæc quidem agebat in abscondito, ut Pater suus, qui videt in abscondito, redderet ei (*Matth.* V).

Sed quoniam acceperat ab Apostolo providere se debere bona non solum coram Deo, verum etiam coram omnibus hominibus (*Rom.* XII); quod a primæva ætate decretum sibi fuerat, optimis foris or-

(463) Instituta est hæc peregrinatio anno 1064, duce Sigefrido archiepisc. Moguntino.
(464) Vide Baron. tom. XI, anno 1064.
(464*) Ex 7 millibus vix duo millia redisse dicuntur.

nabatur moribus, quales idem docere videtur Apostolus, cum sive Timotheum sive Titum instruit dicens : *Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, benignum, modestum, et amplectentem eum, qui secundum sanam doctrinam est, fidelem sermonem* (*I Tim.* III; *Tit.* I). Et tamen in omnibus his ad exemplum B. Job, non vidit solem cum fulgeret desuper, nec lunam incedentem clare (*Job* XXXI); quia, ut B. Gregorii verbis utar, *cum opus suum etiam aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gloriam vir sanctus illud non attendit; sed, dum pro eo extolli timuit, ab intuendo eo oculos mentis avertit. Nam, sicut luna illustrationem a radio solis accipit, ita fama a bono opere vires et favoris gratiam, quasi claritatem luminis aspergit.* Sanctus ergo vir, quem nec opus manifestum nec fama laudabilis extulit, nec solem fulgentem desuper vel lunam incedentem clare vidit.

Porro cum nemo accendat lucernam et ponat eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (*Matth.* V), placuit invisibili et soli Deo, qui lucem habitat inaccessibilem, lucernam hanc quam ipse Pater luminum accenderat, ut luceret coram hominibus, et viderent opera ejus bona, et glorificarent Deum (*Ibid.*) suo testimonio his qui tantum vident in facie et cor intueri nequeunt, amplius quam innotuerat innotescere et manifestare; manifestare autem sic :

Erat in civitate Pataviensi femina quædam, cujus filia unica plaga lepræ percussa est. Cui sæpius oranti et salutem filiæ a Domino suppliciter postulanti revelatum est in somnis, si de ablutione manuum B. Altmanni post sacramenta missarum filiam perungeret, pristinæ sanitari redderetur. Quod dum illa fideliter fecisset, sanata est filia ejus ex illa hora. Quid minus habere videtur sanctus iste ab illo magno propheta Eliseo, qui lepram Naaman Syri curandam docuit in Jordane? (*IV Reg.* V.) Ille septies sanandum jussit lavari; hæc semel lota, secundo lavari non eguit, quia sanitatem illico sensit quam optavit.

Nec hoc solo miraculo Dominus declaravit cujus apud eum meriti dilectus famulus suus fuerit; quin etiam per antecedentes prophetias jam dudum præsignaverat, quid post plures annos futurus erat. In annis enim adolescentiæ constituto, cum simul essent ipse et Gebhardus, cujus supra meminimus, et (465) Albero [Adelbero] postmodum Wirzeburgensis episcopus, accidit ut super marginem fontis alicujus panem comesturi consedissent. Inter mutua colloquia, quibus pauperem mensam condiebant, meliora de se sperare, et quodam occulto ac præsago spiritu prædicere adorti sunt. Aitque Gebhardus : Ego in Salzpurgensi Ecclesia episcopus futurus sum. Albero vero : Et ego, inquit, in Wirzpurgensi cathedra præsidebo. At Altmannus : Et ego Pataviensem sedem episcopus gubernabo. Vaticinium hoc rerum probavit eventus; singuli namque in ecclesiis, quas sibi delegerant, sublimati, ne infructuosæ arbores ab ipso qui plantaverat eos in domo sua invenirentur, reddiderunt fructum temporibus suis; singula quippe monasteria in suis constituerunt episcopiis, et sepultura sua illustraverunt. Gebhardus namque in Admontensi, Albero vero in Lambacensi, Altmannus in Kotwicensi monasterio requiescit in Domino. Corpora quidem illorum illic in pace sepulta sunt, sed vivent nomina eorum in æternum. (*Eccli.* XLIV.) Quomodo non viverent, quæ in libro vitæ ascripta tenentur; cum vere ex illis fuerint quibus Dominus repromittit : *Et non delebo*, inquiens, nomina eorum *de libro vitæ?* (*Apoc.* III.) Sunt, qui vocant nomina sua in terris suis (*Psal.* XLVIII), nec tamen cognoscuntur ex nomine (*Exod.* XXXIII); quia deleti sunt de libro viventium, et cum justis nequaquam conscribuntur. Unde et districtus Judex dicturus est eis in illa tremenda separatione bonorum et malorum : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV), quia non novi vos. Horum secundum sanctum David perit memoria cum sonitu (*Psal.* IX); aut, si qua est, hæc non in benedictione, sed in maledictione est. Nunquid enim parum erat illis, molestos esse hominibus; quia molesti erant et Deo, sicut de similibus eorum testatus est Isaias? (*Isa.* VII.) Et ideo longe est ab eis quod de dilecto Deo et hominibus dicitur, cujus memoria in benedictione est (*Eccli.* XLV).

Attendite, quæso, pontifices sæculi nostri, quæ vobis memoria succedat; non de constructione ecclesiarum, sed castellorum, quæ vos in excelsis et præruptis montibus pauperum sudore et viduarum minutis instauratis. Ad quid autem, nisi ut abinde pellantur homines; non dæmones inibi vincti gemant in ergastulis, deficiant in suppliciis, ut ibi peccatores non convertantur, sed puniantur; puniantur non ad peccatorum veniam, sed ad vestræ injuriæ vindictam. Vos sancti Domini, ministri Dei nostri, de quibus nobis sermo est, saniore consilio instruxistis monasteria de oblationibus fidelium et rebus ecclesiarum, unde abiguntur dæmones, et ubi recipiuntur pauperes, convertuntur peccatores, et sanctæ simplicitatis ac beatæ paupertatis religio conservatur. Ubi die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini, quos a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, ex omnibus populis et linguis, ex omni ætate et conditione, sexu et natione congregavit ad glorificandum se; qui de servientibus sibi omnibus facit cor unum et animam unam (*Act.* IV). Et vos licet somno vestro requiescatis, ut semper optastis, et requiescatis a laboribus vestris (*Apoc.* XIV), haud tamen crediderim spiritus vestros deesse locis quæ viventes tanta devotione construxistis et dilexistis. Credo vos adesse cunctis illic degentibus,

(465) Vide Vitam S. Gebhardi, tom. II et VI Antiq. Lect.

astare videlicet orantibus, succurrere laborantibus, lapsos allevare, et vota singulorum in conspectu divinæ majestatis promovere. Putaverim vos cum Domino de cœlo prospicere, ut videatis si est intelligens aut requirens Deum (*Psal.* LII); et si quem inveneritis segnius agentem, et mentiri Deo in votis suis, et claudicare a semitis Domini; reor vos illico cum angelis pacis amare flere, et querelam gemitus coram facie Domini pro eo, vel contra eum, qui ejusmodi est, medullitus deponere.

Attendendum quapropter est, fratres et domini, qua disciplina reverentiave vobis conversandum sit, inter quos, cum sanctis angelis isti Patres et patroni vestri adsunt, discurrunt et vestræ saluti indesinenter invigilant, ne quid irreligiosum, vel indecens, vel incorrectum reperiatur quod eos contristet aut elonget.

Sed redeundum jam ad narrationem est. Non enim doctoris apud vos vicem gero, sed narratoris, earum tantum rerum quas vos scriptis docueratis aut voce viva.

Itaque beatus Dei famulus, quotidie cum Propheta adjiciens ad laudem Domini opera Dei, non suis meritis, sed divinæ attribuit misericordiæ, dicens cum Psalmista : *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII). Et cum Apostolo : *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV). Ut autem non fallaciter subsequeretur, *et gratia ejus in me vacua non fuit,* ædificavit vir sanctus, in suburbio Pataviensi, in honore S. Nicolai ecclesiam super littus OEni fluminis, pluribus eam ditans rebus et possessionibus. Præfecit autem illic Hartmannum præpositum, virum sapientia et facundia commendabilem, qui Rudolpho regi charissimus, etiam Urbano papæ suisque successoribus notissimus fuit. Hic, ut religiosus erat, ipse sic religiosos clericos et laicos undecunque colligens, communem eos vitam ducere sub regula S. Augustini verbis et exemplis diligenter instituit.

His ita peractis indefessus Christi minister manum suam misit ad fortiora, vere fortiora; quia longe plus affert difficultatis ac laboris radicatas et inveteratas evellere pravitates quam bonas a primordio inserere disciplinas. Ergo, quia nomen ipsum episcopi Ecclesiæ Dei eum superintendere admonebat, consideravit agrum et vineam, quam sibi locaverat Dominus; *et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat* (*Prov.* XXIV). Sed quas putas quidem ego dicam urticas et spinas? Utique, in corde negligentium prurientia terrena desideria et punctiones vitiorum. Et quam maceriam? certe disciplinam Patrum, quæ in corde pravorum lapsa jacebat. Unde totum hoc? Quia dormiebant *homines, et venit inimicus homo, et superseminavit zizania in agro* (*Matth.* XIII), quem Paterfamilias optimus optimo severat semine. Homines prælatos ecclesiarum accipe, quorum torpor et somnolentia inimico homini, id est diabolo, fiduciam præstat, et

A locum seminandi in agro Domini semen suum. Ager autem universalis est mundus. Sed ad eum non nobis est sermo. Agrum, vel vineam quodlibet intelligo monasterium; agros plures vel vineas, plura monasteria. In his vitia invalescentia lætam tunc temporis strangulabant frugem, sanctam dico religionem. In his vitis vera conversa fuerat in amaritudinem, *Ego sum*, ait Christus, *vitis vera* (*Joan.* XV). Iste dulcis et rectus Dominus nonne convertitur in amaritudinem ei qui horret quæ sunt recta, quæ sancta, quæ pudica, quæ bonæ famæ, quæ virtutis, quæ districtionis? (*Philip.* IV.) Nonne amarum judicat Christum qui renuit gustare et videre quam suavis sit ille? (*Psal.* XXXIII.)

Sic se habente agro vel vinea Domini, non credes B virum Domini ab imo pectore ingemuisse ad Dominum et dixisse : *Ut quid* operatur agricola? *destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam. Deus virtutum convertere; respice de cœlo, et* veni *et visita vineam istam* (*Psal.* LXXXIX). Dicit vero inimicus tuus : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV); en quanta subcreverunt quæ tu non plantasti, o Pater? Num, quia constituisti me, ut evellam, et destruam, et dissipem, et disperdam? (*Jer.* I.) Aggrediar spinas istas se invicem complectentes. Una enim adhæret uni, ut ne spiraculum transeat per eas (*Job* XLI). An quia tu dicis nobis servis tuis, ut sinamus utraque cre- C scere usque ad messem (*Matth.* XIII) : rem tam arduam tamque difficilem dissimulabo? Siquidem non ignoro, Ecclesiaste docente, quod *qui transfert lapides*, graves scilicet ac duros pravorum mores, *affligetur in eis;* et : *Qui scindit ligna,* id est, pertinacium corda, *vulnerabitur ab eis* (*Eccle.* X). Ergo, si concedis, crescant utraque. Sed quid agemus, qui spinas crescere cernimus et triticum suffocari? Sollicitus quidem es, ne forte colligentes zizania, eradicemus simul et triticum (*Matth.* XIII). Sed non est labor in discernendo triticum sit an zizania; manifesta sunt scandala hæc. Non egent accusatore; etiam sine teste constant. Publica fama; imo, infamia clamat. Nonne hic clamor jam ascendit ad te? D Ego tuus qualiscunque vicarius descendi ad eos, et video quod sic cuncta opere compleverunt. Non invenio illic saltem Decalogum præceptorum tuorum, cujus respectu parcere debeam, qui parcere mallem. Tuo igitur fretus auxilio, et Apostoli tui consilio, auferam malum de domibus tuis, quas decet sanctitudo (*I Cor.* V, *Psal.* XCIII). Et si quid ex hoc tristius occurrerit, verbis doctoris tui consolabor, qui ait : *Infidelis si discedit, discedat* (*I Cor.* VII).

Igitur pestilentes quosque et corruptos et abominabiles factos in studiis suis (*Psal.* XIII), de sanctis locis undique proturbat; providens vice illorum religiosos tam prælatos, quam discipulos. Inde, jam reflorere religio, inde suave redolens redire sanctitatis opinio; inde reverentia exhiberi servis Christi.

Hoc tam felici ausu solliciti cultoris, innovata sunt novalia cœnobiorum, et seges fecundior surrexit, quoniam infructuosum fuisset serere super spinas. Hinc jam domus sancti Floriani martyris fructificavit suavitatem odoris, et flores ejus fructus honoris et honestatis (*Eccli.* XXIV). Sic cœnobium Sancti Hippolyti scholarum studiis usque nunc insigne; sic monasterium Sancti Agapiti martyris in Chremismunster; quia Dominus dedit benignitatem, dederunt et ipsa fructum suum (*Psal.* LXXXIV).

Quemadmodum vero de Abraham scriptum est quod *erat vadens, et ultra progrediens ad meridiem* (*Gen.* XII) : sic et in sancto hoc viro videre fuit, eo quod et ipse filius esset Abrahæ. Non suffecit novum cœnobium instituisse, instituta correxisse, adhuc progreditur ad opus excelsum, in monte excelso construere, videlicet basilicam magnificam sanctæ Dei Genitrici ac semper Virgini Mariæ. Nam cum quadam die in villa quæ Moutarn dicitur, resideret, attendit eminus montem vicinis montibus non contiguum, quem vulgus Kotwich appellabat. Visus est mons ille amœnus et ad habitandum satis idoneus. Cujus qualitatem cum ab incolis didicisset, mulam suam repente sterni jubet, et multa turba comitatus, stricto quodam et prærupto calle montem ascendit, suo instruens ascensu, quod tantum per arduas et angustas semitas mandatorum Dei de terris itur ad astra. Lustrato itaque monte toto, dum cerneret spatiosum et ad construendum monasterium aptissimum, fixo statim tentorio, silvam quæ condensa illic succreverat succidi, et oratorium præcepit inchoari. Cumque adhuc ambiguus pendere cui sanctorum potissimum attitularetur, pro diversis votis et affectu diversis diversa consulentibus, contigit supervenire nuntium a ducibus Boemiorum transmissum. Ferebat iste tabulam quamdam episcopo, quæ pro munere digne offerretur tanto viro; in qua cernebatur imago beatæ Virginis Mariæ, Græco opere mirabiliter expressa, merito in eadem ecclesia adhuc conservata et perpetuo conservanda. Hanc Deo amabilis pontifex pia veneratione deosculans, quasi divino commonitus oraculo, locum protinus assignavit eidem gloriosissimæ Dei genitrici Mariæ. Cumque opus basilicæ prospere consummasset atque celebriter dedicasset, providit larga benevolentia possessiones inibi habitaturis. Providit quoque ornamenta divinis congrua ministeriis. Quibus rite peractis collectis in unum viris religiosis, et præposito eis viro prudente Outone, sub regula B. Augustini vitam eos ducere jussit spiritalem.

Subit nunc animum quod cantatur in psalmo : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet* (*Psal.* CXI). Quid viderat peccator hic, ut irasceretur, fremeret et tabesceret? Haud dubium quod dispergentis res suas in pauperes, justitia ejus manet in sæculum sæculi; et quod cornu ejus exaltabitur in gloria (*Ibid.*). Sic nimirum in hoc Dei famulo malignus hostis vidit quod invidit. Vidit ejus apud Deum cumulari merita, vidit ejus occupata otia multorum proficere saluti et conversationi. Struit ergo insidias et opponit impedimenta, quibus irretitum ab istis oporteat desistere quæ tantorum profectui dolet prodesse. Consuetis itaque utitur instrumentis, et per membra sua efficiendum non dubitat quod per se efficere minus sperat. Quo vero ordine, explicandum superest.

Fuit eo tempore per universum fere regnum Teutonicum grave scandalum et communis querela de incontinentia sacerdotum. Neque enim occulta latebat; sed *frons meretricis facta* erat *eis, et erubescere* nolebant (*Jer.* III). Delata est res ad aures Romani pontificis; visumque, ut decretalibus epistolis tantam enormitatem argueret et prohiberet. Annuunt et congratulantur episcopi et, pro posse, salutaribus mandatis cooperantur. Quamobrem B. Altmannus, collecto fratrum concilio in Pataviensi sede, litteras super hac re ad se directas recitari jubet, obsecrans et exhortans ne gravis judicetur pudicitia quæ speciali apud Deum remuneratur corona. Quæ, cum omnis fidelis animæ insignis sit ornatus, eos tamen permaxime debet adornare qui sanctam et immaculatam hostiam corporis et sanguinis Christi pro universis nobis divinæ offerre debent majestati. Quid plura? Pluribus verbis bonus Pater et prudens doctor tantæ virtutis et tam amplectendæ puritatis suadet amorem, sed non persuadet. Tuentur se illi antiquitate temporum et auctoritate antecessorum suorum, quorum neminem in hujusmodi severum tulerunt et violentum. Respondet servus Christi se quoque ab his velle quiescere, si mandatum domini papæ indulgeat; nunc autem timere se sibi, timere illis pro eo quod scriptum sit *non solum eos, qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, dignos esse morte* (*Rom.* I). Nihil ergo proficiens, solvit consessum.

Sapientioribus autem communicans consilium et secretum commendans, adveniente festo sancti Stephani protomartyris quem illa Ecclesia patronum veneratur, cum plurimi de magnatibus ad diem solemnem convenissent, quia *justus ut leo confidit* (*Prov.* XXVIII), coram omni frequentia cleri et populi ambonem conscendit, et quod apostolicæ indicant litteræ imperterritus enarrat. Deinde addit interminationem auctoritatis, ut, qui obsecrationibus noluerunt flecti, frangantur districtione. Illico clamor et furor ab omni parte pers trepit. Et forte in præsentiarum famulum Dei furibundis manibus discerpsissent, si non divina virtus, et optimatum præsentium probitas furentibus obstitisset.

Regnabat his diebus Heinricus IV filius imperatoris Heinrici, qui cognominatus est Pius, admodum puer, et absque frenis disciplinæ in voluptatibus enutritus. Completum est in eo dictum sapientis, quo vaticinatur dicens : *Væ terræ* [*tibi terra*], *cujus rex puer est* (*Eccli.* IV). Quid ejus tempore passa sit Ecclesia, quid regnum, quanti pastores ab ovibus suis sint abacti, humanus sanguis quantus sit effusus, quæ patratæ luxuriæ, incendia, rapinæ, orbem

non latet, et scriptores temporum non tacuerunt.

Ad hunc religionis hostem castimoniæque oppugnatorem, ob suam tyrannidem a papa GREGORIO VII excommunicatum confugiunt quibus exhorruit castitas. Apud talem judicem tales accusatores et tales testes merentur audientiam, et viro Dei crimina detestanti, affigunt [*forte* affingunt] crimina, quibus eum pontificali honore credunt devestire.

Poterat vir iste, si coram astitisset, abbreviato verbo respondisse pro se, quo etiam magister suus Christus respondit pro se : *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me* (*Joan.* X). Sed, *in humilitate judicium ejus sublatum est* (*Act.* VIII); affirmantibus adversariis, ut quondam de Salvatore Judæis : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* XVIII). Et, si respondisset quod Christus respondit suis lapidatoribus : *Multa bona opera* operatus *ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* (*Joan.* X.) Verum quidem, et apertum dedisset responsum; sed apud tales, non satis fuisset.

Flexus ergo Heinricus, Pataviam hostiliter ingreditur, et, Herodis vice, confundens fasque nefasque, pro libito cuncta peragens, criminosos quosque ab episcopio pulsos, rebus et dignitatibus suis restituit. Quo recedente, cum facta crudelia fratres de S. Nicolao, qui in suburbio civitatis constituti religiosam vitam agebant, pariter detestarentur, a fautoribus Heinrici de monasterio violenter extracti, publice cæsi et de finibus illis sunt ejecti; substantia eorum raptoribus cedit.

Prævalente itaque iniquitate, B. Altmannus de sede sua propter justitiam ejectus, in Saxoniam patriam suam revertitur. Post hæc, adiit limina apostolorum, et causam viæ, et ordinem injuriæ Gregorio papæ seriatim exponit. Et quia sancti quique verentur omnia opera sua, episcopatum domno papæ resignavit; hoc offensus scrupulo, quod ejus investituram a manu laica recepisset. Cumque aliquantisper papa lassus requiesceret, die quadam, eo in Ecclesia posito, et de S. Altmanni restitutione cum cardinalibus conferente, illo vero honorem tanti oneris humiliter recusante columba quædam cuncta basilicæ loca oberrans, tandem ad pauperculum et humilem spiritu venit Altmannum, et quasi diceret : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI); et quod sequitur : *Viduam ejus*, id est Pataviensem Ecclesiam legitimo sponso viduatam, *benedicens benedicam, et pauperes ejus saturabo panibus* (*Ibid.*), capiti antistitis insedit. Cunctis videntibus et intelligentibus signum, papa nil cunctatus, mitram de capite suo tollens, ejus capiti imposuit, episcopumque ac Romanæ sedis legatum constituens, auctumque benedictione remisit in propria, quasi diceret abeunti : *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos* (*Matth.* X); *manete in dilectione mea* (*Joan.* XV).

Interea fautores Heinrici IV Moguntiæ contrahunt concilium (466). Quo præsidente, ipsi viderint. Ibi schismatici et ab Ecclesia præcisi, papam Gregorium virum catholicum et Patrem universalem, Patrem negant ejusque sequaces ipsi damnati damnant. Deliberat in his pastor Ecclesiæ urbi et armis cedere, puto rememorans Salvatoris licentiam qua dixit discipulis suis : *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* V).

Quo facto, Wichpertus quidam (Guibertus, pseudopapa), cujus laus non est in pontificum Catalogo, apostolicæ sedi intruditur. Quid dico, *intruditur?* Propria ambitione invadit, anhelat et præripit. Abhinc veri pastores ubique terrarum sedibus suis proturbantur; subrogantur vero schismatici vel Simoniaci. Horum etiam factione Altmannus a grege suo fugatur et Hermannus quidam frater ducis Luipoldi substituitur. In hoc maledictio in Judam prolata, id est, *episcopatum ejus accipiat alter* (*Psal.* CVIII), citius completa est. Vix enim biennio oves alienas totondit et mulsit, et pastoris nomen, quod falso gerebat, cum vita finivit. Dicitur tamen in extremis pœnituisse et episcopalia quæque Altmanno episcopo reddidisse, et absolutionem anathematis ab eo suppliciter requisisse. Succedit huic, pecunia tamen impetrante, Timo canonicus Wirzpurgensis, et episcopatum usque ad Anesim [Anasum] (467) fluvium prædo violentus oppressit. Sanctus vero præsul, adnitente prio principe marchione Luipoldo, hujus Luipoldi, qui hodie principatur, avo, cujus nobilitas pietas et fidelitas ditissima usque nunc constat hæreditate, in orientali provincia clerum et populum strenue gubernavit, et inchoato operi in monte Kotwikcensi [Gotwicensi], a quo eum fraus inimici per supradicta impedimenta præpedire tentaverat, devotus invigilavit.

In quo loco, dum aliquando missarum solemnia celebraret, et quidam diaconus adventitius et sinistræ famæ Evangelium lecturus benedictionem peteret, episcopus diutius intuens benedicendum, stolam de collo ejus abstulit et alii legere præcepit. Unde patet quod aliquid de illo revelatione didiceret quod cæteri nesciebant. Confusus miser confusione quæ adducit peccatum, non confusione, quæ gloriam adducit, ad Heinricum pravorum refugium fidens confugit; et volens criminari episcopum et fratres, cum audientia judicaretur indignus, Deo ulciscente, pessima peccatorum morte multatus est.

Et quia tempora instabant periculosa et schisma grave increverat, quod prima capita imperii genuerant et ad incrementum quotidie fovebant, placuit Deo, qui consulere non cessat universis, ad confirmandam vacillantium fidem, decenti signo famulum honorare, et catholicum ministrum suum fidelibus quibusque commendare. Præceperat quippe pincernæ suo propter arctiorem et secretiorem abstinentiam aquam sibi in mensa apponere et, ne

(466) Anno 1080 vide Baron. hoc anno n. 17.

(467) Vide Hundii metrop. in Catalogo episcop. Passaviensium.

sciri posset, spuma cerevisiæ operire. Fecit ille quod sibi imperatum fuerat. Quam cum vir sanctus ori admovisset, sensit vinum et optimum illud vinum. Putans autem pincernam sibi illusisse, transgressorem valde indignans increpat. Verum ille horrendis juramentis quod sibi jussum fuerat apposuisse confirmat. Episcopus quidem rem celare cupit, sed pincerna sublatum de mensa poculum quid episcopus biberet gustu certius explorat. Et hic postmodum in Kotwikcensi [Gotwicensi] monasterio monachus factus rem ordine refert, ut ille benedicatur in omnibus qui ad gloriam sanctorum suorum et ad confirmationem et consolationem pusillanimorum facit mirabilia magna solus (*Psal.* LXXI).

Adhuc ad laudem Dei de famulo Dei aliquid non fastidientes accipite. Quis enim fastidiat signa tam insignia quæ invisibilium adstruunt fidem et probant Dei non defecisse virtutem? Recede, o insipiens, qui dicis in corde tuo, Non est Deus (*Psal.* XIII), et qui tanta perfidia insultas dicens : Ubi est Deus tuus? (*Psal.* CXIII.) Ecce *in sancto* habitat *laus Israel* (*Psal.* XXI). In sancto suo quæ vides operatur Deus. Si ille non adsit, quid faciet homo? Quid aget pulvis, qui dictum sibi novit a Domino : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Scito ergo esse, et adesse Deum qui operatur quæ operari non potest homo. Quod si putas quod hoc operetur homo, vade, et tu fac similiter; impera dæmonibus, et illorum experire obedientiam. Quid si restiterint? illum venerare, illumque devotus amplectere in quo Deus, et per quem operatur talia. Quare Judæis es deterior? Illi aiebant de Christo : *Si non esset hic homo a Deo, non poterat facere quidquam* (*Joan.* IX). Sed tamen audi, et a tua incredulitate convertere. Quandoque astabat sancto altari episcopus venerandus missas celebraturus. Audit post se dæmoniosum horribiliter in ecclesia vociferantem. Interrogat quidnam hoc sit. Indicant astantes hominem ibi atroci dæmone vexari, et vix ligatum a multis teneri. Jubet præsul ad hospitium pauperum vere adduci pauperem, et cibum ei in nomine Domini apponi. A quo spiritus nequam confestim recessit, et homo sanus ad propria remeavit.

Volo adhuc, o incredule, aliquid, quod convincat famulo Dei nec prophetiæ spiritum defuisse, licet ingratum tibi, enarrare. Clericus quidam, dæmone plenus, ad eum est adductus. Ille, continuata oratione acrius instans, dæmonem fugavit, ac peccatum, cujus causa huic immundo spiritui permissus fuerat, interdixit. Prædixit, si peccatum iteret, quod iteretur in eum continuo peccati supplicium, præcipiens ut in claustro cum fratribus vitæ se tradat meliori. Petunt post hæc fratres episcopum ut eum promoveat in presbyterum. Ait præsul hoc illi non expedire. Victus tamen pietate fratrum, rogata indulget, sed sub contestatione quod terribile Dei non evaderet judicium, si non caveret interdictum sibi peccatum. Aliquot igitur annis devitat peccatum, et acceptum honeste complet officium. Negligens tandem episcopi comminationem, revertitur miser ad vomitum suum et eodem momento etiam dæmonem patitur acerrimum. Rursus vir sanctus miserans miserum, hostem consuetis armis aggreditur atque triumphat et ab officio altaris liberatum removet, iterum et iterum de nefando opere sanatum commonens et promovens. Qui perterritus pro recenti flagello, aliquanto tempore abstinet a peccato. Sed, proh dolor! longa rursus victus consuetudine, post excessum episcopi, relabitur in peccatum. Ergo, secundum vocem Domini, malignus spiritus assumens alios septem spiritus nequiores se (*Matth.* XII), intrant ad peccantem et crudeliter nocte ac die vexantes, quæque turpia et nefaria ab eo gesta ore suo captivum fateri compellunt. Stringitur ejulans ille vinculis durioribus, conjectus in custodia hominum, qui custodiam demeruerat angelorum. Tandem in annuntiatione Dominica, precibus fratrum a maligno spiritu vix ereptus, et post triduum oleo sacro inunctus et corpore Christi munitus, terribiliter flagellatus defungitur. Credimus quod traditi Satanæ in interitum carnis, spiritus salvus fiat in die Domini (*I Cor.* V).

Alter etiam quidam clericus pessimo dæmoni traditus, ita ut vix aliquis sanus insani manus evaderet, ab episcopo benedictus, et a dæmone liberatus et pristinæ sanitati est restitutus.

Unus ex fratribus, prolixioribus orationibus et plurimis genuflexionibus instanter deditus, usque ad desperationem fluxum sanguinis incurrit. Hic missus ad episcopum, ejus meruit benedictionem, et cum benedictione continuo sospitatem.

Alius item frater etiam precibus et genuflexionibus supra vires intentus, vitalium incidit rupturam. Qui similiter benedictione episcopi curatus, ad suos cum gaudio reversus est.

Quantum periculum sit mentiri Spiritui sancto, primus pastor Ecclesiæ satis declaravit, cum in Anania et Saphira peccatum hoc repentina morte castigavit (*Act.* V.). Quia ergo sanctus iste, verum se Spiritus sancti præbuerat habitaculum, merito in mentientes sibi Dominus ulciscitur, cui etiam Propheta dicit : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Comes quidam partis Heinrici regis venit ad episcopum cum juramento promittens fidelitatem et famulatum. Conspexit ille forte agmen cornicum precatusque est sibi dicens, ut, quot cornices cerneret, tot dæmones ejus animam possiderent, si fidem promissam non servaret. Sed non multo post pœnitens promissi, ad Heinricum hostem Ecclesiæ redit ipse hostis. Quem episcopus anathemate cauterizans, probro perfidiæ suæ insignitum, divinæ permittit ultioni. Nec mora. Et illa ferit reum. Siquidem inopinate ab hostibus circumfusus, multisque sauciatus vulneribus, et truncatus pene femore, quia claudicaverat a promissione, in signum transgressionis suæ ab eo die ac deinceps claudicavit pede. Miratur quis an illa in eo completa sit imprecatio, quam miser ille imprecatus est sibi?

Ego plane non negaverim qui non ignoro in plerisque multo tempore dæmonia latuisse muta, multosque deterius a dæmonibus vexari intus quam si discerperentur foris.

Quanta vero constantia strenuus pastor lupos hujus sæculi a direptione rerum ecclesiasticarum represserit, cum nullo parentum juvaretur auxilio, vel consilio, subjecto exemplo cognoscitur. Nec tamen erat solus, cui semper aderat Deus. Unde et vere dicebat : *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia quæ placita sunt ei facio semper* (*Joan.* VIII). Et illud in psalmo : *Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus* (*Psal.* CXVII). Erat quidam prædives et nobilis vir, qui defuncti fratris sui beneficium, quod ab episcopo receperat, quasi hæreditario jure, usurpavit; episcopus jure Provinciæ contradicit. At ille cum injuria tentat tollere quod cum justitia non poterat. Sustinet servus Dei ad tempus hominem vesanum dans et optans ei locum pœnitentiæ. Illo in malitia perseverante, jaculo anathematis vindicavit. Cujus communionem, cum quique religiosi declinarent et qui primi erant orientalis provinciæ, verecundia et cunctorum exprobratione cogente, in villa S. Hippolyti episcopum adiit, et in profunda nive ante pedes ejus prostratus et supplex diutissime, satisfecit. Nec tamen meruit reconciliationem, donec villam, quæ Ratoldesdorf dicitur, tradidit in ejus episcopii, et sic demum multorum nobilium precibus vix intervenientibus, a vinculo excommunicationis absolutus est. Acceptam autem episcopus villam delegavit super altare B. Mariæ in Kotwigcensi [Gotwicensi] cœnobio.

Inter hæc marchio Luipoldus, coadunatus primoribus suis in villa, quæ Tulna dicitur, abhorrens tyrannidem Heinrici regis et schisma, cujus auctor factus fuerat, dominium ejus jurejurando abnegat, omnes fautores ejus de Provincia pellit, apostolicæ vero sedi et ejus legato Altmanno obedientes totis viribus fovet et protegit. Quapropter rex ira succensus, marchiam ejusdem Luipoldi contradidit Duci Bœmiorum. Nil ille distulit, sed collecto tam de sua quam de vicinis provinciis permaximo exercitu, ad fines marchionis advenit. Nec ille segnior cum omni populo suo in loco, qui Meurberch dicitur, hostibus occurrit. Sed proh dolor! ab adversariis inspirate circumventus, cum, turbato exercitu, in aciem se colligere nequaquam possent, fuso prius utrinque multo sanguine hostis prævaluit. Hæc sunt judicia tua, Domine. Sic tu, Domine, taces, impio conculcante justiorem se. Nunquid victrix causa tibi placuit? Si placuit, non ad vincentium placuit salutem, sed ad damnationem. Sic enim perditorum perfici sinis perditionem, sic eos ruere facis in tuam severissimam districtionem. Victi autem causa haud dubium tibi placuit, quia meliore devotione circa Ecclesiam tuam et Romanum pontificem tam gravem hostem exacerbare non timuerunt. Et quia putabant, obsequium se præstare tibi, si hostes tuos repressissent, non pepercerunt animabus suis, sed in castris tuis victoribus fide fortiores devoti occubuerunt.

Secuta est autem stragem istam fames maxima, ut fideles suos Dominus experiretur in operibus misericordiæ, quos satis comprobaverat in fortitudine constantiæ. Nihil sibi in hac necessitate Pater Altmannus retinuit, usque ad ipsum linteamen cunctam episcopii suppellectilem vendidit, et indigentibus dis tribuit. Unde quoque Pater pauperum dictus est. Præcipue tamen in monte Kotwigcensi plurima millia pauperum a famis periculo conservavit.

Quam vero negotiosus fuerit in causa Ecclesiæ, quæ tempore suo tanto turbine confundebatur, indicant epistolæ tam crebro ad eum a domino papa directæ. In quibus inter alia etiam hoc consulere et significare papa videtur, ut quæ in tam gravissima sanctæ Ecclesiæ perturbatione dissimulari ac tolerari aliquatenus possent, non sublata penitus, sed temperata districtione quiescant : cum autem, miserante Deo, victoria et pax Ecclesiæ reddita fuerit, de redintegratione justitiæ, quantum ipso auxiliante possibile fuerit, sollicite cogitare et totis viribus elaborare. Hinc capitulum illud de incontinentia sacerdotum a tam invicto propugnatore castitatis dissimulatum, non approbatum remansit.

Porro quantum Ecclesia Pataviensis ejus præsulatus tempore in constructionibus et correctionibus monasteriorum et structuris et ornamentis ecclesiarum, et honestate ministrorum profecerit dicerem, si non contradiceret ex magna parte status, imo casus rerum præsentium. Et tamen ego vermiculus neminem in hac parte judico. Quis enim sum qui judicem alienum servum? suo Domino stat, aut cadit (*Rom.* XIV). Ipse enim sanctus episcopus tempore Reginari, qui tertius post ipsum successit, permutationem melioris status in eumdem antistitem citius vindicandam, cuidam religioso fratri revelare dignatus est. Videbatur illi quod Romæ esset in concilio, et B. Altmannum eximio cultu cum episcopis pluribus infulatum illic assidere. Qui consurgens, stansque in medio a domino papa petit advocatum causæ suæ. Quo accepto, querelam proponit de Reginaro episcopo, asserens eum Pataviensem episcopatum in cœnobiis ac parochiis optime dispositum invenisse, ejus vero negligentia cunctam pene religionem in eo deperiisse. Stabat autem Reginarus retro a longe perterritus. Quærit apostolicus super hac re ab episcopis sententiam, nec aliam quam damnationis accepit ab omnibus. Eodem ergo anno idem Reginarus infirmitatem incidit, in qua etiam usque ad mortem perduravit.

Nunc ergo quem finem vitæ, verius autem quod principium vitæ sortitus sit beatus vir, explicemus. Sicut enim scriptum est : *Cum consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccle.* XVIII). Transactis igitur in episcopatu XXVI annis, post multos labores et adversus bestias Ephesi pugnas, cum jam placeret Domino emeriti militis sudores remunerare, in villa, quæ Zarzimuor dicitur, febre correptus est. Qua invale-

scente, intellexit nuntium mortis. Ad quem, etiamsi A pro fragilitate humana inhorruit, pro conscientia tamen bona gavisus est, sciens quod hac porta intraret in gaudium Domini sui. Itaque, quia non dixerat sibi, *pax et securitas* (*II Thess.* v), non repentinus ei supervenit interitus. Rememoraverat ille semper novissima sua, et ea jugiter desideraverat dicens quotidie in corde suo : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI).

Quapropter sentiens imminere sibi dissolutionem corporis sui, in quo jam diu peregrinabatur a Domino, lætus orabat dicens : *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo* (*Psal.* CXLI). Et quia noverat et persæpe docuerat quod ad quantumlibet justorum emigrationem adversarii colliguntur spiritus, etiam contra hos pugnabat dicens : B *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI). Et cum ad illud districtum examen superni Judicis sollicitus intenderet, gemitu, quo poterat, et intimis suspiriis adorans et supplicans ait : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Advocans etiam sanctorum quemque quem amaverat, quem veneratus fuerat, et illam ante omnes beatam et gloriosam Dei genitricem Mariam, cui tam decorum constituerat habitaculum, ut ipsa eum in præparatum sibi a Deo pia deduceret tabernaculum ; nec non et illum Dei sanctissimum confessorem et pontificem Nicolaum, cujus quoque Ecclesiam summa devotione instituerat ; illis se totum commendat; illos viæ suæ comites et C duces præparat. Illis nihilominus administratoriis spiritibus, quorum virtus et potestas contrarias arcet potestates se totum circumvallat, ut merito inimici dæmones dicere cogantur : En lectulum hujus antistitis ambiunt fortes ex fortissimis Israel : *Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi* (*Cant.* III). Quid hic astamus? Superant nos isti virtute et multitudine. Nonne ipse est, qui a corporibus aliorum tanta nos fugavit potestate ? Præsertim cum plures sint cum illo quam nobiscum.

Igitur non in castris, non in armis non in famulantium decore tunc temporis sanctus præsul spem repositam habuit, sed in Domino Deo suo, et *conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I); unde et ait : *Mihi autem adhærere Deo bonum est; ponere in* D *Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). Hac nostra ætate hoc idem vir nobilis et prædives Otto de Lengenbach sensit et confessus est. Qui cum in extremis ageret, raptus; sed quomodo, nescio, Deus scit, multaque, rediens ad se, narrans ostensa et intellecta; quorum relatu tunc plurimi mirati et compuncti sunt. Tandem singula, quæ multa sibi fuerant, denominans castra : Quid nunc, inquit, opis ferunt castra mea, præpotentes domini mei, charissimi amici mei ? Ex his de omnium desperans auxilio, religiosis quibusque multa se commendabat contritione. Intellexit namque tunc vere quam difficile dives intrat in regnum cœlorum (*Matth.* XIX). Unde ingemiscens clamabat : Heu miserum, quod plus unquam possedi divitiarum quam simplicem victum et vestitum!

Agente itaque in extremis hujus mortalis vitæ venerando antistite, non opus erat ut de providendo exitu suo quis eum commoneret. Ipse enim sibi providerat toto tempore vitæ suæ, et, quia bene vixerat, feliciter moriebatur. Alioquin si tunc primo commoneri eum necesse fuisset, recte respondisset quod venerabilis Chuono Ratisponensis Ecclesiæ episcopus, ante vero Sigbergensis abbas, astantibus et tunc demum morituro consulentibus, fertur respondisse. Ait enim : *Bene quidem me monetis, o filii, ut in hora hac metuenda meæ prospiciam saluti. Nunquid hoc salutis proponebatis consilium, quando placuit vobis ut munera libenter acciperem, ut spiritualia Simoniace venderem, ut judicia perverterem, ut peccata subditorum dissimularem? Sero providerem modo, si hucusque minime providissem.* Sic beatus Dei famulus mature sibi prospexerat, et ideo expeditius transmigrabat.

Igitur a religiosis viris oleo sacro inunctus, et Dominicis sacramentis refectus, benedicens filiis suis, et eos cœlesti Patri obnixius commendans, viam universæ carnis lætus ingreditur anno ab Incarnatione Domini 1091, VI Idus Augusti, flentibus cunctis, et planctu miserabili lugentibus se tanto Patre orbatos, se tanto pontifice destitutos. Non quidem invidebant ejus gloriæ, sed suæ magnæ dolebant miseriæ. Illum gaudebant ab angelis suscipi, et in beatas mansiones electorum adduci. Pro se gemebant in hac lacrymarum valle sine consolatore misere conservari, et in hoc mari magno sine gubernatore conquassari. Ubinam enim his diebus, qui in filios suos patris gerant affectum, et patris exsequantur officium ? More struthionum indurantur in filios, quasi non sint sui, et consuetudine mercenariorum, pro lucris temporalibus astant in prosperitate a quibus ipsi primi fugam petunt in adversitate. Longe fuit hoc ab hoc sancto Patre, in quo superabundabat et patris dilectio et pastoris sollicitudo, et vigilantia in prosperis et constantia in adversis.

Confluit interea ab omni parte populus innumerabilis ad exsequias pontificis. Luget tota provincia, sublimium dignitas, ætas omnis, sexus uterque. Vix tandem a Christi sacerdotibus sustollitur corpus venerandum, ac multa nobilium turba comitante, cum infinita populi multitudine, magna quidem Dei gloria, sed gravi bajulantium mœstitia in montem Kotwitgcensem [Gotwicensem] affertur. Quis jam enarret mugitum et ululatum fratrum illic habitantium quod mons totus increpuit? lugentibus cunctis Patrem charissimum, Patrem piissimum, Patrem sanctissimum. Advolat populus quotidie multus, divitum et pauperum, illum Deo, et se illi suppliciter commendare. Inter quos reverendæ memoriæ archiepiscopus Salzpurgensis Tiemo ab episcopo Altmanno, utpote a suffraganeo suo consecratus, qui etiam postea Hierosolymam petens, a paganis

illustri martyrio coronatus, anhelus occurrit. Et cum lacrymis uberrimis defunctum infudisset, obtulit pro eo sacrificium salutare, et corpus venerandum cum debito honore in ecclesia Sanctæ Dei Genitricis commendat sepulturæ, ubi, ad probanda tanti viri merita, crebro fiunt signa virtutum variarum in laudem Dei Patris omnipotentis, qui cum unigenito Filio suo et spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Quidam clericus sævo dæmone correptus, vix multis ligantibus atque trahentibus ad ejus tumulum est perductus. Hic omnia horribili clamore ac diro fetore replebat. Pro quo cum fratres instantius orarent, repente corruit, et videntibus cunctis, nigerrimum scarabeum evomuit, qui etiam protinus nusquam comparuit. Laudabant universi Deum. Isque qui advenerat ligatus et insanus, sanus recessit et solutus a nexibus mentis et corporis.

Item puella quædam immundo spiritu pervasa, a parentibus est ad sepulcrum viri Dei adducta, et sine mora liberata, atque sanata.

Alia itidem puella per plures annos lumine orbata, per merita ejusdem famuli Dei, lumen, quod amiserat, invenit.

Mulier quædam habens filium parvulum a nativitate mutum et claudum, ad sepulcrum episcopi miserandum deposuit; ipsaque miseranda cum fletu magno ab ecclesia exivit. Post modicum puer loquela et gressu restituto, matrem insecutus est ambulans et loquens recte.

Quidem miles per sex annos mente captus, et sepulcrum ejus sine mente accessit, et mente recepta sanus recessit.

Alter quidam homo totus contractus, et scabellulis quibusdam innixus, venit ad corpus S. episcopi rependo; sed incomulis factus exsiliit, et ambulabat, et laudabat Dominum.

Item quidam toto corpore languidus vix sustentante baculo, tumbam antistitis adiit; sed infirmitate per beatum virum pulsa, baculo jam non eguit; quia lætum et sanum se persensit.

Quodam tempore, cum subita et sæva tempestas montes contereret, et tecta domorum et ecclesiarum ac turrium dirueret, frater quidam mente captus, in oratorium S. Michaelis, quod admodum in alto situm est, conscendit, cunctis ignorantibus et interim nocturnales laudes psallentibus. Hic ab alto in pavimentuum delapsus, vivus tamen sublatus est, licet non longe supervicturus. Eadem quippe die, post sacri olei unctionem, et vivifici corporis Christi communionem carne solutus est. Nemo dubitet hoc meritis beati viri ascribendum, cujus intercessio cadentem excepit, ne sanguine illius basilica respergeretur quam ipse regalem aulam Deo ac beatæ semper Virgini Mariæ devotus consecravit.

His et aliis plurimis miraculorum signis, quæ ad nostram non credimus pervenisse notitiam, magnificavit Dominus sacerdotem suum, *qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus* (*Eccli.* XLIV). Quanquam et si ille signum fecisset nullum, nihil tamen ex hoc ejus derogaretur sanctitati, vel apud Deum, vel apud homines. Signa quippe sanctitatem non efficiunt, sed ostendunt. Siquidem de Joanne Baptista, *quo inter natos mulierum, nemo major surrexit* (*Matth.* XI), Evangelium attestatur quod signum fecerit nullum. De ipso quoque Domino Salvatore scriptum est, quod non fecerit signa multa, propter incredulitatem quorumdam (*Marc.* VI). Quid ergo mirum, si sanctus iste, obstante sibi præsentium temporum incredulitate, nihil operatus fuisset virtutum, nihil sanitatum? Verum gratia divina quæ repromittit, quod ipsa glorificantes se glorificet, hunc dilectum suum, ut dilectus fieret nihilominus hominibus, et ut memoria ejus in benedictione constaret, etiam magnitudine signorum similem illum fecit in gloria sanctorum (*Eccli.* XLIV).

Mihi tamen hunc virum, vel quemlibet aliorum hujusmodi mira facientem diligentius intuenti, longe mirabilior videtur ipse qui facit, quam ea quæ facit. Etenim si in rebus insensibilibus plus admirationis habet interius consideranti causalis ratio quæ efficit, quam id quod efficitur, multo dignius atque religiosius admiranda est illa sanctitas, quæ in conspectu divinæ majestatis sic placet et acceptatur, ut ejus intuitu et interventu hominum pellantur incommoda, et optatæ tam animarum quam corporum restituantur sospitates; multo, inquam, amplius admiranda est ipsa intus, quam quæcunque miranda facit foris. Mirentur ergo alii videre cæcos, claudos ambulare; mirentur salutem paralyticorum, dæmonum fugam; ego potius admirabor tanti antistitis merita, quæ talia tam potenter operantur quam ipsa. Tu itaque prædica in laudem Dei, quæ sanctus Dei meritis suis et fide supplicum operatur in aliis. Ego semper admirabor mirabilia quæ fecit in vita sua. Mirabor humilitatem, castitatem, pietatem, charitatem, devotionem, sollicitudinem in agendis, prudentiam in disponendis, discretionem in imponendis, in tolerandis longanimitatem, et in adversis fortitudinem. Hæc mirabilia vitæ suæ ego miranda judico, maxime quod nostris temporibus hæc cernimus rariora, quam illa signa, quæ tamen credentes omnes secutura Dominus pollicetur dicens : *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient* (*Matth.* XXVIII), etc.

An adhuc forte non assentis plus mirari vitam sancti viri quam signa? quæ, occulta Dei permissione, nonnunquam faciunt etiam viri non sancti. Nosti quippe, quod quidam reprobi et reprobati dicturi sunt Domino : *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et signa multa fecimus?* (*Matth.* VII.) Sed esto, tuo te permitto judicio. Mihi tamen semper mirabilius constabit pepulisse a corde avaritiam, superbiam, luxuriam; quam ab aliorum oculis cæcitatem, a membris ægritudinem, a corpore dæmonem. Verum, quia non semper constat nobis, qui in facie videmus et non in corde, qui sit internus status sanctorum,

quæ virtus, quæ libertas? secundum magnam misericordiam suam agit Dominus, ut per exteriora miracula agnoscatur, quam admirandi intus sint, per quos ipse foris tam mira operatur.

Pensemus ergo, fratres charissimi, qua veneratione amplectendus sit hic famulus Dei, cujus merita probare, et commendare per tanta miracula dignatus est Dominus. Sit nostræ diffidentiæ, si qua tamen est (absit autem ut ulla sit) invincibile argumentum, quod ille animarum nostrarum morbos et languores promptus et potens est curare, qui tam crebro, tamque pie infirmitates corporum non tardat allevare. Nec enim dubitari debet, plus illum prodesse velle animabus quam corporibus; quoniam quidem illarum salus æterna est; illorum vero cum ipsis pariter post modicum defectura.

Hucusque ex scriptis piorum S. Altmanni gesta narravimus. Quis hominum putet illos aliquid incertum, vel, quod sacrilegum esset, aliquid falsum ad posteros transmisisse, cum optime noverint Deum nullius egere mendacio? Sed et ea, quæ quotidie sub oculis præsentium fiunt mirabilia, prioribus attestantur, priora confirmant et augent. Ad quæ describenda, priusquam accedamus, explicabimus forsan non inutiliter quæ causa, quo ordine monasterium Kotwigcense (Gotwicense), quod illum fundasse, et sacris ossibus suis illustrasse supra retulimus, a prima sua institutione canonicorum videlicet regularium in monachicam professionem, ut impræsentiarum cernere licet, demutatum sit.

Tempore venerandi antistitis venit in montem Kotwich presbyter quidam natione Scotus, professione monachus, conversatione religiosus. Congruebat ei nomen quod habebat; dicebatur enim Joannes, quod sonat, *gratia Dei*. Dilexit hanc gratiam in illo antistes Altmannus; et, ut liberius ille secum habitaret, quodam arcto habitaculo, juxta ecclesiam beatæ Mariæ pro desiderio et petitione sua eum conclusit. Videbant homines opera illius bona, et glorificabant Patrem suum, qui in cœlis est (*Matth.* v). Verba quoque illius libenter audiebant; quoniam et ipsa gratiam sapiebant et ædificationem. Post obitum vero beati Altmanni, in cujus diebus agni illius monasterii pascebantur in ordine suo, nonnulli sub specie agnorum corda gerentes lupina (*Matth.* VII), ex diversis locis pulsi et profugi illo confluxerunt. Qui post modicum vere lupi apparentes, atque in rabiem versi, et lupinis dentibus aliorum simplicitati venena suæ malitiæ infundentes, innocentiam et bonam famam, quæ inibi sanctissime floruerat, et bonum odorem suum longe lateque diffuderat, corrumpere et inficere non timuerunt. Unde factum est ut locus ipse fieret contemptui, horrori et detestationi.

Beatus igitur Altmannus, cujus oculos credimus esse super locum ipsum die ac nocte, per visum prædicto apparuit Joanni commonens, ut de cœno montem ipsum purgaret, et fetorem stercoris abstergeret. Intellexit vir Dei visionem, eamque præposito fratrum referens, consuluit: turpes quosque exinde projici, et seductos ab eis pœnitentia emundari. Quod tamen, cum infamiam cujus fetor longius processerat minus reprimeret, prolixiori tædio victi, loco cedere omnes decreverunt.

Rursus ergo ante fatus Joannes divino inspiratus consilio consulit, ut professionem pariter mutarent et habitum, asserens et promittens, si mutarent et augerent votum, quod tunc prioris infamiæ totum exuerent opprobrium. Placet consilium; placet etiam ut eligatur religio monachorum. Proinde consultum videtur ut res ipsa ad domnum papam referatur. Placet et illi mutatio dexteræ excelsi (*Psal.* LXXVI). Igitur Chuonradus præpositus, qui Outoni secundus successerat, et se hujus mutationis pium fautorem et auctorem præbuerat, consensum Romani pontificis Oudalrico Pataviensi episcopo, qui beato Altmanno successerat, citius indicat, et in hoc tanto negotio, suæ quoque auctoritatis et discretionis postulat consilium. Itaque Oudalrico episcopo consulente et adnitente, Hartmannus, qui prioris officio fungebatur in monasterio S. Blasii, abbas eligitur. Et merito. Erat enim vir religiosus, in sacris litteris optime instructus, suavis sermone, et ad cunctorum hominum qualitatem informandam, seu fovendam, convenienter dispositus. Huic, ut ipse post fratribus narravit, S. Altmannus in somnis apparuit, cum adhuc in prædicto monasterio Sancti Blasii foret constitutus, virgamque pastoralem ei tradidit, et cœnobium Kotwigcense regendum commendavit.

Assumptis ergo viris religiosis electus abbas, cunctis flentibus, qui ejus pridem lætificabantur contubernio, proficiscitur, atque ad oves a Deo sibi commendatas perveniens, favorabiliter excipitur, et communibus omnium votis ab episcopo Pataviensi debita cum benedictione confirmatur. Exhinc inhabitantes ibi, sine mora et refragatione priorum mutant habitum, mutant et animum, mutant et studium. Exsultabat super hoc terra, magis autem cœlum; ubi gaudium celebratur super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV), quanto amplius super tantorum salute et correctione? Ex tunc multi nobiles de sæculo ad Deum converti, et tanti viri se disciplinæ tradere, suaque omnia in usum monasterii conferre cœperunt. Crevit per eum abinde fama et reverentia loci; surrexerunt ædificia, librorum copia crevit, et omnis ornatus mysteriorum divinorum.

At nihil hoc fuerat, si scilicet profecissent parietes, et sub ruina mores mansissent. His potius instruendis vir sagax invigilavit; sciens quod non in manufactis habitat Deus (*Act.* XVII), sed in rationabilibus sanctarum animarum templis, quæ piis votis eriguntur, proficiunt religione, et consummantur perseverantia. Et quia gloria, ut quidam sapiens ait, etiam invitum sequitur, cœpit vir iste magnus haberi ab his quibus erat nomen magnum, juxta

nomen magnorum, qui sunt in terra : et ideo passim offerebantur ei dignitatum insulæ et multorum regimen monasteriorum. Factumque est ut rex Heinricus V cum Campedonensi præficeret abbatiæ, nec minus episcopus civitatis Augustæ eum monasterio S. Oudalrici præponeret; duxque Carinthiæ cœnobium S. Lamberti ei gubernandum commendaret.

Hujus diebus, quoniam gratus et acceptus erat curiæ Romanæ, privilegia impetrata sunt quibus locus ipse munitus et corroboratus est. Eo autem de hac luce submoto, successerunt ei viri prudentes, et religionis amatores; quorum industria et vigilantia monasterium eo usque profecit ut cunctis viventibus, indubitanter liqueat *quod vere Dominus est in loco illo; nec est ibi aliud nisi domus Dei et porta cœli* (*Gen.* XXVIII). Benedictus in omnibus, *qui omnia quæcunque voluerit facit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.*CXXXVI) : ipsi honor, laus et gloria, et gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

His ita explicitis, redeundum arbitror ad ea miracula memoriæ hominum commendanda, quibus usque in hodiernum diem sub oculis nostris merita famuli sui Dominus attestatur, atque ad ejus conversationem imitandam præsules nostrorum dierum suscitat et invitat. Nam si fallax hujus mundi gloria ipsos delectat, longe plus illa eis petenda foret quam Dominus gloriæ eorum aviditati communicaret, non cum umbra hujus mortalis vitæ finiendam, sed, tam hic quam futuræ beatitudinis in regno sine fine beata et inconcussa soliditate permansuram.

Quodam tempore, in festo dedicationis ecclesiæ puella quædam, sævissimo correpta dæmone, in conspectu fratrum divinas laudes psallentium ad tumbam S. Altmanni astans, miserabiliter torquebatur. Et ecce repente horrendis vocibus exclamans ut adjuvaretur postulabat. Sed quis hominum tanto horrori accedere præsumeret? Affuit tamen invisibiliter beatus antistes, et miseram illam in præsentia cunctorum a tormento salvam fecit atque dæmonio. Illa, in se reversa, sacram Dominici corporis communionem sibi dari petiit, per quam a maligno spiritu ultra se tutandam non dubitavit.

Unus ex famulis monasterii multo tempore lumine orbatus oculorum, cum loca sancta peragrasset, ubi meritis sanctorum sanitatis gratiam sperabat, nec invenisset, ad monasterium rediit, et in suis tenebris, ut prius, tristis mansit. Incidit aliquando menti ejus ut suum potissimum patronum prece indefessa pro restituendo sibi lumine imploraret. Cumque crebrius atque devotius oraret die quadam, cum ad valvas basilicæ, puero regente gressus ejus, egressurus pervenisset, subito ait puero : Sine me, quatenus per me gradiar; video quippe. Et ab ea hora exivit ad opus suum, videns et gaudens, et laudans Deum.

Puer quidam, cujus pes enormiter intumuerat adeo ut vix discerneretur an membrum illud pes fuerit, ad sepulcrum beati viri adductus cum paren-

A tes ejus pro eo fideliter oravissent, domi relatus, et illico noxio humore erumpente, sanitati restitutus est.

Erat quidam de conventu fratrum ejusdem monasterii, qui diu gravissima infirmitate depressus, desperatione recuperandæ incolumitatis non parum mœstificabatur. Revelatur cuidam sorori ejusdem loci, eum pristinæ sanitati restituendum, si ad memoriam beati Altmanni oblationes pro illo offerantur, et missa una pro fidelibus defunctis illic, ægroto præsente, celebretur. Advehitur ille in gestatorio quatuor portantibus, duobus aliis hinc inde nutabundum sustentantibus. Inter sacra mysteria viribus sensim accrescentibus, alieno sustentaculo se non egere astruebat. Missa vero completa ad domum

B infirmorum regreditur, suis jam utens pedibus uno tantum fratre eum adjuvante. Integra vero sanitate post paucos dies recepta, impiger ad officia sua surgebat, egrediens et regrediens ad imperium abbatis sui.

Puella quædam de vicina villa, quæ Murlingen appellatur, filia cujusdam honesti et noti militis, cui nomen erat Wolckerus, repentina paralysi a media parte corporis correpta est. Vocabatur autem illa, Pertha. Affuit illi medicorum ars, profuit vero nihil. Consulit medicus ipse, per merita S. Altmanni divinum potius implorandum auxilium. Adducitur illa ad sepulchrum viri Dei. Oravit. Oraverunt et parentes ejus; exauditaque est oratio fideliter supplicantium, et sanitas restituta exauditionis facta est

C signum. Mansit tamen, ad excitandam majorem sanatæ devotionem, et evidentiorem divinæ gratiæ manifestationem aliquid infirmitatis in manu puellæ. At illa in anniversaria depositionis die S. antistitis, ad pium et expertum recurrit medicum et inter orandum, quod petebat optatum accepit remedium.

Mulier quædam de villa, quæ Hunteheim dicitur, diuturna et gravi ægritudine ad mortem usque fere adducta, et viribus omnibus destituta, gravi portantium labore ad tumulum famuli Dei adducta, pristinæ sanitati est restituta.

Item puella parvula, de villa, cui vocabulum est Panse, diu lumine privata, inibi est illuminata.

D Puer etiam quidam de villa alia dicta Marquartesdorff, utroque debilis et claudus pede, vespere illo advectus, et ab innumeris quid mali pateretur visus, cum pervigilem cum eo qui eum adduxerat duxisset noctem, primo mane reddita sibi incolumitate, curatus est.

Ex eadem villa mulier quædam cæca visum recepit.

Matrona quædam nobilis atque devota, de castro suo, quod Hosstein appellatur, adveniens, et puellam quamdam cæcam secum afferens, cum ad sepulcrum sancti viri instantius orarent, quo diu caruerat, recuperato lumine, puella illa gavisa est. Ob cujus signi tripudium et testimonium, eadem matrona, prædictam puellam, ac filiam propriam

assumpsit, et jugiter secum retinuit. Erat autem nomen puellæ Truta.

Eodem tempore alia mulier quædam, de villa, quæ dicta est Beheimkirchen, cum fuisset cæca, interveniente S. Altmanno vidit, et gavisa est.

Altera item mulier de villa vocabulo Indernich, nomen habens Heilka, cum novem hebdomadibus, sicut juramento confirmabat, non vidisset lumen, ad tumulum S. viri Dei lumini restituta est.

Heinricus quidam nomine, et ipse civis forensis villæ quæ dicitur Heinvelde, homo maturus et qui veritatis ab omnibus habet testimonium, cum oculum ramusculo quodam percussum irremediabiliter doleret ejusque visu penitus careret, cum ad sacra ossa hujus antistitis fideliter, et supplex oraret, pulso dolore, sanitatem et visum recepit.

Quædam mulier paupercula de partibus Bavariæ, cum prole nuper genita venerat, et necessariorum causa in servitium cujusdam matronæ in Chremesensi civitate se contulerat. In cujus servitio per aliquod tempus morata, dolore oculorum accedente, defectum visus passa fuit. Et heu quantis accidentibus misera subjacet! Jam quo putas dolore non cruciabatur, quam et cæcitas urgebat, et grave onus paupertatis premebat! Nec enim sibimet, nec proli nuper genitæ, pro qua magis sollicitabatur, prodesse poterat. Cumque a servitio prædictæ matronæ defectus visus illam cessare cogeret, et matrona ab administratione victualium cessavit. Hæc nocte quadam, pro tanto suo defectu in lacrymas resoluta, divini luminis gratiam per merita B. præsulis medullitus implorabat. Et, qui desiderium pauperum exaudit, et hujus orationes audivit, et lacrymas vidit. Nam cum mane surrexisset ad omnium membrorum officia, visu regente, expedita fuit. Sed omnes singillatim eventus eorum, qui ad memoriam S. antistitis beneficia luminis meruerunt, propter fastidium lectoris describere omitto. Nam præter eos qui infausta pertulerunt, rarus fuit oculos dolens qui remedium non consequeretur.

Erat mulier quædam dæmonium habens tantæ importunitatis et tanti furoris ut vix aliquis quiret habitare cum illa. Clamor et furor, ubicunque fuisset. Omnia enim membra spiritu furoris agitabantur. Interdum etiam idem dæmon, quia *sciens* interpretatur, organum hominis obsessi ad proferendam litteraturam vovebat; quasi eadem mulier litteraturæ scientiam, et modum urbanæ pronuntiationis ab ipsis studiis consecuta fuisset. Et certe, quod quibusdam mirum videbatur, Symbolum per omnia ut fides catholica habet, pronuntiabat. Neque tamen id mirum, cum auctoritas [Scripturæ] dicat dæmones habere fidem, sed non opera. Hæc, cum solemni processione plebis plebesanæ parochiæ, quæ Tuln vocatur, ad memoriam beati viri ducta venisset, meritis sancti præsulis invasorem pessimum propellentibus, liberata fuit. Et videntes turbæ manifesta ejus liberationis signa, eo magis Deum et præconia dilecti sui Altmanni glorificaverunt, quia ipsam ad diversa sanctorum limina, sine effectu ullius virtutis adduxerant.

Sed quia alternis uti est delectabile, aliud miraculum testimonio astantis Ecclesiæ solemniter celebratum accipias; ut, quanta sit hujus sancti præsulis meritorum prærogativa plenius agnoscas. Quidam debilis eam corporis pertulit molestiam ut attenuato vitali sanguine venarum contractu erectus ire nequiret; sed, pro officio pedum, manibus reptando, se traheret. Is in longinquo positus in villa quæ Lo dicitur, cum hujus gratiæ mira opera comperisset, spe sanitatis tumbam salutarem beati viri oraculo quodam divino elegit expetendam. Ubi cum votis et precibus pro defectu corporis et molestia, ut puta potioribus medullitus insisteret; ecce, mirum dictu, nervi diu contracti, cum fragore se cœperunt extendere, et aridi meatus venarum vitali sanguine infundi. Itaque, accepto robore, contractus ille super pedes constitit, et curatori suo magnis vocibus benedixit. Gloria tibi Christe, qui per merita sanctorum tuorum usque modo operaris, et sic elisos erigis ut eorum qui tibi placuerunt mortalibus claritatem innotescas.

Finis Vitæ S. Altmanni episcopi Pataviensis.

VITA BEATI TIEMONIS

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS.

Qui aschismaticis sub Gregorio VII et Urbano II romanis pontificibus plurima perpessus, et tandem martyrii corona redimitus est.

Nunc ex antiquis membranis in publicum deprompta.

LECTORI.

Vitam Tiemonis evulgavit tomo quarto antiquæ Lectionis D. HENRICUS CANISIUS. Verum quia in alio quodam membranaceo, eoque pervetusto codice, paulo aliter conscriptam reperimus, eam huic volumini inserere operæ pretium duximus; nam Gebhardus, Altmannus et Tiemo conjunctissimi, et tam in pro-

speris quam in adversis individui comites, et pontificum Romanorum adversus schismaticorum factiones invicti propugnatores fuere. Eosdem ergo jungat charta, quos olim arctissime copulavit charitas et concordia sancta. De Tiemone Bertholdus in Chronico anno 1091 : « In Bojoariam venit Salzburgensis episcopus Dimo, qui Pataviensi Ecclesiæ jam dudum viduatæ, ordinavit episcopum nomine Udalricum, » etc.

Nodos quodam circa hanc historiam occurrentes, illum præsertim de idolis et idololatris dissolvit D. Henricus Canisius in præambulis ad Vitam et martyrium Tiemonis tom. I Antiq. Lect.

INCIPIT PASSIO S. TIEMONIS EPISCOPI.

Insignem egregii pontificis ac præclari martyris Tiemonis triumphum, ejus meritis suffragantibus, litterarum memoriæ tradimus, ut incompertum antea passionis modum noverit omnis successio Catholicorum; sciatque singularem hujus athletæ præcipui victoriam, si condigne recolatur, apud Deum uberiorem præstare posse gratiam. Revera magnum, perspicuumque lumen in novissimis diebus accendit in illo misericordia Domini periculosæ temporum (*II Tim.* III) caligini : de quo, tanquam ex viva et perlucida sui imagine, lux vera clarius queat enitescere. Ne ergo tanti lucerna fulgoris sub modio (*Luc.* XI) tegatur oblivionis, cudatur ei, licet vilis et æneì candelabrum eloquii; quatenus, in domo Domini valeat publice visenda proponi. Cernatur ejus in lumine formosa, tametsi nigra (*Cant.* I), facies Ecclesiæ; qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, podere vestitus, circa mamillas zona aurea præcinctus videatur (*Apoc.* I) : atque, sicut est pollicitus, cum suis Christus, eorumque rectoribus, innocentia candidis, sapientia splendidis, usque in finem sæculi manere sentiatur.

Complevit, et in æternum complere non desinit huic beatus Redemptor noster jucundæ illius sponsionis elogium : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo* (*Apoc.* III). Vicit enim serpentis antiqui suggestiones in se ipso : et ideo fortis columna effectus est in periclitante Dei domus ædificio. Vicit terrores, et persecutorum impetus, ac proinde spectaculum condidit omnibus exemplum magnanimitatis et perseverantiæ decus. Ferculum veri pacifici tanquam argentea columna suffulsit veritatis sonora confessione, et constantiæ robore immobili, reclinatorium aureum in se fidenter innitenti fuit Ecclesiæ. Cui purpureum deinde præbuit ascensum, proprio sanguine rubricatam sternens viam ad cœlum. Memoriam possedit æternam in compositione odoris optimi factam cœlestis opere pigmentarii (*Eccli.* XLIX). Nam gubernavit cor suum ad Deum, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

Hic itaque electione Dei dignissimus, alto genere Bavariorum exstitit oriundus. Qui a primæva ætate in monasterio, quod dicitur Altaha monasticæ vitæ diligens jucunditatem, ibique diatim (*dietim*) proficiens ascendit de virtute in virtutem. In Juvavensi ergo episcopatu cujusdam monasterii Pater adeo invalidus exstitit, ut nequaquam juxta Apostoli ver-

A ba, ad arguendum, obsecrandum, increpandum cum patientia et doctrina (*II Tim.* IV), esset idoneus. Qui audiens episcopum inibi ordinatum, scilicet venerabilem virum sanctæ recordationis Gebhardum, suæ imbecillitatis pandens modum, ut absolveretur ab hujusmodi pondere, cœpit obnixe obnixiusque deprecari. Quod et promeruit. Nam ut est canonice ac misericorditer absolutus, in ejus locum electus est venerabilis Tiemo jam dicti monasterii alumnus, moribus durus, vita austerus, omni tamen monastica disciplina instructus. Qui statim digna emendatione corrigebat cum omni imperio, delinquentes arguebat, mites vero et obedientes, ut in melius proficerent, obsecrando pie admonèbat, vineam Domini inibi ditissima fertilitate satio-
B nis evangelicæ affatim excolere non cessabat.

Ea igitur tempestate, cœpit undecunque navis Ecclesiæ mediis persecutionum fluctibus aliquandiu fatigari. Ac fidelissimus, præpotens archiater Dominici gregis provisor Gebehardus a fautoribus Heinrici jam non semel ab apostolico excommunicati, expellitur (468), aliusque vere Simonis discipulus rege jam dicto intromittitur, ordinatur, consecratur, imo exsecratur, et quantocius inthronizatur. Tunc venerabilis abbas Tiemo novum invasorem atque hæreticum fugiens, vere illud apostolicum sequi cupiens : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita; quia, qui ejusmodi est, subversus est, et proprio judicio condemnatus;* adiit spiritualia gymnasia monachorum Schafhu-
C sensium ac Hirsaugiensium : quorum utrumque tunc temporis perfectis pollebat cœnobitis, quasi pratum odoriferum, plenum undique areolis aromatum : ac cuncti advenientes theoreticam vitam diligentes jugum Domini suave, et onus ejus leve (*Luc.* XI) portare cupientes, utroque loco invenerunt inexpugnabile asylum.

Tunc evangelicis documentis instructus omnia relinquens, in Hirsaugiensi claustro optimam partem eligens, ad pedes Domini cum Maria sedens verbum illius audiens (*Luc.* X), ad amplexus Rachel quandoque pervenire cupiens (*Gen.* XXIX), cum illis, quibus erat cor unum, et anima una (*Act.* III); qui nihil habebant, et omnia possidebant, communem vitam aliquot annos transegit : sicque demum in
D spirituali disciplina adauctus, honorifice repatriavit. Quem invasor Ecclesiæ Juvavensis suscepit

(468) Bertoldus. Vide metropolim Hundii in catalogo episc. Salisburg. tit. 3.

benignissime, sperans eum abbatiam suam velle recipere, ac suum errorem in omnibus adjuvare. Sed vir Dei non immemor consilii Petri apostoli: *Melius esse viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti* (*II Petr.* II); sciens etiam cum hujusmodi nec cibum sumere, noluit jugum ducere cum hæreticis; sed maluit abjectus esse in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII); et secessit ad servos Dei, pauperes Christi, vicinam in eremum. Ubi susceptus est inibi a fratribus degentibus cum omni charitate. Et cum Joanne apostolo cœperunt singuli hæc verba dicere: *Nos debemus hujusmodi suscipere* (*Joan.* III), ut cooperatores simus Domini nostri Jesu Christi. Ipse vero sæpissime cœpit Christo psallere Psalmographi voce: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV).

Non multo post tempore venerabilis archiater Gebehardus, Pater Christi ovium dignissimus, huic vitæ finem dedit, et in gaudium Domini sui, talento bene duplicato (*Matth.* XXV), XVII Kalendas Julii, ut credimus, honorifice intravit, oves suas non pastori, sed mercenario superposito, heu! dimisit lacerandas. Quod Catholici videntes, non mediocriter doluere mortem pii doctoris et magistri. Consilio autem inito, satagebant dignum doctorem, dignum pastorem Christi sponsæ associare, ne lupus gregem Domini tam potestative et tam luctuose ulterius posset dispergere vel pertubare. Convenientes vero boni et justi non in dubium, sed in unum, alii autem non in unum, sed in dubium. Spiritales spiritalia sectantes, elegerunt spiritalem virum, videlicet dominum Tiemonem; cui merito tunc in tempore erat comparandum illud oraculum quod priscis temporibus Deus solebat loqui ad quemdam suum amicum: *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII). Sæculares, quæ sunt hujus mundi tractantes, laudaverunt quemdam non spiritualem, sed genere et sæculi dignitate admodum clarum et potentem; cui merito illud Psalmistæ coaptatur quod de reprobis dicitur: *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). Quorum pactioni, quasi majori potestati assensum præbebant cuncti non corde, sed voce.

Cæterum dispositor cunctorum Deus ostendit cunctis inspicientibus talem electionem suis non placere conspectibus. Cum igitur ad colloquii locum Pataviensis episcopus Altmannus apostolicæ sedis legatus, clerus, dux Welfo, comites, utriusque sexus multus convenisset populus, illo naviculæ ductu, alveum transire cupiente, qui non Domini, non spiritalium personarum, sed paucorum sæculari dignitate pollentium, electus erat judicio, partium utrarumque suspensa fuit exspectatio. Quid plura? Cognitor occultorum provisorque futurorum Deus, qui alienum ignem offerentes non mirabili, sed miserabili morte interire voluit (*Num.* III), hanc infructuosam arborem (*Jud.*, XII), palmitem non ferentem fructum abscidit (*Joan.* XV); ac cunctis inspicientibus cunctisque admirantibus, medio amne cum Pharaone immergit; talique Dei judicio illorum electio finem sortitur. Quod videntes universi, concitati sunt in laudem veri pastoris Christi, dicendo illud Psalmographi: *Deus judex justus* (*Psal.* VII); et illud Apostoli: *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus* (*Rom.* XI). Statimque Dei, ut cunctis claruit, electus, ad cathedram episcopalem non solum est evectus, sed etiam maximo cum honore a Catholicis est susceptus. Ab omnibus laudatur et honoratur. Postea vero opportuno tempore Dei sacerdos secundum ordinem Melchisedech electus (*Psal.* CIX), unguento, quod descendit in barbam, barbam Aaron (*Psal.* CXXXII), et oleo lætitiæ unctus (*Psal.* XLIV) consecratur, ad archisterium hymnidicis odis inthronizatur.

Exin verus Christi miles ex sexaginta fortissimis Israelitis lectum veri Salomonis ambientibus (*Cant.* III), electum gladium tenens sancti Spiritus, die noctuque pace belloque armatus, justitiæ indutus lorica, fidei galea, salutis armatura, nequissimi tela ignea (*Ephes.* VI) in corpore exstinxit; gregemque sibi commissum de inimici faucibus quotidianis documentis eripere studuit. Sed antiquus hostis, qui genus humanum de paradisi amœnitate per semetipsum expulerat in primo parente; hunc Dei symmysten per membra sua de sede episcopali, imo de finibus illis nititur proturbare. At vero vir Dei edoctus evangelicis dictis: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* X); inde declinare tentans, venit in Alamanniam, ibique cum venerabili viro Gebehardo Constantiensi episcopo aliquandiu degebat, et circa venerabilia loca humillime et charitative visitabat.

Illo igitur in tempore multi sunt conati Hierosolymam pergere, sancta loca a gentium dominio cum Dei adminiculo eruere. Et sicut olim per regiam viam Israeliticus populus bellicose ad terram repromissionis ingressus est (*Num.* XXI), ita et isti, illius exemplo confortati, bellum pro pace elegerunt. Ac multi in sanguine Agni rubricati, animas pro Christo perdiderunt, ut in æterna vita custodirent illas, et ethnico bello occubuerunt. Pauci tandem liberati, ad desiderata loca pervenerunt. Venerabilis vero, de quo nobis sermo est, Metropolitanæ Juvavensis hierarcha, cupiens evangelicam sequi perfectionem, volens dicere cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* (*Matth.* XVI); jam dudum expulsus, cum Velfone duce iter ingressus est peregrinationis Hierosolymitanæ. Sed *omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patiuntur* (*II Tim.* III). Persecutiones etenim nonnullas vir Dei fortiter ac patienter sustinuit; et voce Psalmographi jucundanter in die illa cecinit: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me. Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV). Et illud apostolicum: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an fames, an nuditas, an periculum*, et cætera usque *qui dilexit nos* (*Rom.* VIII).

In civitate etenim Corozain, a Domino maledicta, ubi sedes est Satanæ, quæ illis in partibus est gentium famosissima, habitabant tres potentissimi germani. Qui contra peregrinos Christianos, collecta multitudine innumerabili, partim occisos, partim vulneratos obtriverunt. Et sicut olim Israeliticus populus in Babyloniam ductus est captivus, ita et Christianus iste populus maxima ex parte captivus ductus est ab his regibus. Israeliticus autem populus in Babylonica captivitate super flumina Babylonis, dum recordatus est Sion, sedebat et flebat dicens : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI); hic vero, psallebat corde et ore dignum canticum Domino in hæc verba : *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddatur votum in Hierusalem* (*Psal.* LXIV). Et alibi : *Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos, quoniam propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* XLIII; *Rom.* VIII). Igitur electus de tanta multitudine, quem Deus noverat ex nomine, scilicet venerandus heros, cui stylus noster famulatur, capitur, trahitur, ac Deo tandem per martyrium singulariter sibi reservatum digna hostia efficitur.

Cum ergo inter se dividerent spolia rerum et hominum, venerabilem archipræsulem suæ parti potentissimus trium regum susceperat adunatum. Quem, victimarum more ad vendendum cum aliis, quasi servum tradidit emptitium; cupiens de pretio illo adaugere suum ærarium. Cumque omnes damnati Christiani, illum, ut Patrem, specialiter, præ cunctis, pio affectu venerarentur, unde esset, vel quis in terra sua fuisset ab ethnicis studiose perquiritur. Qui comperientes eum episcopum fuisse, regi suo non differunt nuntiare. Rex autem celeriter beatum virum suis obtutibus fecit astare. Qui interrogatus quis esset, vel, quam artem sciret, illud poeticum animo tractans vir Dei :

Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque :
Si recte facies, hic murus aheneus esto ;
(HOR., *epist.* I.)

tali affamine dedit responsum. Scio quidem diversas artes, sed præcipue, ut sapiens architectus fundamentum scio ponere firmum. Super hoc, si quis ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos (*I Cor.* III), non tempestas, non ventus, nec ullus hominum destruere poterit, quia illud pono supra firmam petram, quæ est Christus.

Non interrogo te, inquit rex, de structura talis fundamentii, sed a te quæro artem aurariam, vel aliam nostræ utilitati necessariam. Præsul venerandus ad hæc : Si artificem me, inquit, cupis scire, optime vetusta scio renovare. Iratus autem rex non intelligens verba Dei paranymphi, usus est talibus verbis Horatii :

Omne supervacuum pleno de pectore manat.
(HOR., *in Arte poet.*)

Sanctus episcopus dixit : Vere, ut dixi, vetusta scio renovare, quia legem veterem in novam, Christo Domino meo auctore scio transferre, et insuper materiales artes, ut desideras, videlicet aurariam, sive pictoriam scio plenarie. Tunc rex lætus cum gaudio magno dixit : Gratias ago Deo meo, quia servum tradidit nobis talibus imbutum artificiis. Noli, bone artifex, noli diutius tardare, Deum meum detruncatum manibus renovare, vel, si poteris, ipsas loco suo restituere, ut propitietur nobis omnibus diebus vitæ nostræ. Adducite illum, inquit, ad me. Et ecce deducitur monstrum diaboli, ut dictum est, detruncatum manibus; quod cunctus populus paganorum venerabatur ut Deum maximum. Allatus est magnus, ut jusserat, malleus. Quem tenens manu aggressus est fanum, in quo latitabat diabolus, scilicet universæ terræ gravis malleus. Adjuro te, inquit, diabole, serpens venenose, et antique seductor animarum, qui in isto fano ad decipiendas hominum animas lates, adjuro te per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut des mihi ad omnia quæcunque interrogavero responsum. Qui statim interroganti dedit responsum. Cumque diu fabularentur pariter, dæmon nequissimus blasphemiam quamdam in Christum protulit; contra quam zelus domus Domini fortiter episcopum comedit (*Psal.* LXVIII; *Joan.* II), statimque illud fanum solo pedibus prostravit, et malleo, quem manu tenebat, particulatim, quasi vas fictile, quia fortis erat viribus, cunctis coram positis ac cernentibus, velut in momento, dissolvit atque confregit. Pagani concurrentes, virum Dei, ut sacrilegum, conati sunt interficere, volentes Deum suum vindicare in illius sanguine.

Tum rex furibundus advenit, plenus ira et amaritudine, juxta illud poeticum :

Vultum verba decent iratum plena minarum.
(HOR., *in Arte poet.*)

Nolo ait, nolo eum tali, et tam levi morte finiri; sed flagellatum, vinctum catenis, interim studiosissime custodite. Athleta vero Dei deductus ad carcerem, psallebat Davidicum illud dicens : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. De viris sanguinum salva me, quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes* (*Psal.* LVIII). Rex autem, ut vidit Deum suum omnino jam dissolutum, ad aliud vicinum misit idolum; super hac re quærens consilium, quid sibi esset faciendum. Sed ut Scriptura dicit : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI).

Quomodo, vel quali martyrio summus arbiter electum suum civibus ætheriis voluisset adunare, non poterat etiam spiritus malus silentio tegere : imo, ut credimus, jussu divino, malus angelus malis hominibus ad perficiendum Deo placitum hujus rei exitum incitandis, sua debuit responsa ministrare. Dæmon etenim ex illo fano, cum magno tremore dedit responsa ministris regis : Heu me! quid agam? collegam perdidi, timore perterritus vix vires

recepi loquendi. Ite citius, domino vestro verba mea renuntiate et absque mora consilium meum opere studeat implere. Destructorem dei vestri in magnum campum deducite, spectaculum Christianis, incolis et peregrinis facite, ac ibidem cunctis inspicientibus, diversis et atrocissimis pœnis illum interficite, si nolit deos vestros maximos adorare. Ad hoc ergo spectaculum omnes Christianos, sive captivos, sive incolas adducite, ut aperte discant deos immortales honorare, dominis suis in omnibus obedire. Rex vero de consilio, imo de præcepto diaboli, efficitur lætus; ac cuncta per ordinem complevit, ut subsequens relatio probat.

Adducitur venerabilis episcopus in medium campum ferro ligatus; talique affamine Deus suum est allocutus : O Christe, Deus de Deo, lumen de lumine, Rex regum, et Dominus dominantium ; qui pro totius mundi salute es passus et crucifixus; te laudo, te adoro teque glorifico; qui peccatum non fecisti, nec inventus est dolus in ore tuo (*I Petr.* II), conforta me tua protectione, ut te libera voce possim laudare, sequendo vestigia tua, offerens tibi peccata mea. Cumque ad locum certaminis Christi agonotheta pervenisset, nefandissimus ac Deo abominabilis rex jussit omnes Christianos captivos vinctos huic spectaculo interesse, quos in modum circuli virum Dei fecit circumstare, ut perfectius potuissent illum crudeliter cruciandum inspicere, ut visu et auditu didicissent deos honorare, dominis suis obedire et servire, sin autem, simili se scirent pœna finiendos fore.

Paratur regi tribunal in medio totius multitudinis, quæ convenerat ad spectaculum de civitate illa, et de proximis castellis. Et sedens pro tribunali, jussit Dei famulum ante conspectum suum adduci. Ut vidit verum Christi militem audacter et sine ullo tremore accedentem : Tune es, inquit ille profanus qui deum meum confregisti, qui nec deos immortales adorare, nec regis custodire decreta voluisti? Respondit episcopus : Quomodo potest Deus dici qui nec subvenire potuit sibi ipsi? Decreta autem regis mei custodire, ipso adjuvante, cupio. Et ideo veridicum illud Psalmographi quotidie decantabo : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus* (*Psal.* CXVIII). Iniquissimus rex dixit : Unde tibi audacia ista maxima? Invitus Christi miles respondit : De conscientia bona et fide non ficta (*I Tim.* I). Audacia opus est. Audacia enim pro muro habetur. Nam his in prælio est maximum periculum, qui maxime timent. *Nolite,* inquit Dominus, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Nefandissimus rex dixit : Depone jam audaciam tuam, et adora deos potentissimos deumque meum quem confregisti restaura; quia Dominus tuus, quem colis, non valet te liberare de tormentis, quæ tibi sunt præparata. Christi vero martyr non dedit ei responsum, revolvens secum illud evangelicum : *Nolite margaritas vestras ante porcos projicere* (*Matth.* VII).

Tunc rex jussit militibus : Abscidite, inquiens, illi membratim summitates digitorum utriusque manus; qui statim jussa implentes absciderunt illi singulorum digitorum summitates. Iniquus autem rex ad Christi militem sic locutus est :

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.
(HORAT., *ep.* 1.)

Tantummodo sacrifica diis, qui nobis semper ostendunt suam divinitatem. At ille : Unusquisque, ait,

Commissise cavet quod permutare laboret.
(HORAT., *de arte poet.*)

Tunc rex ad milites : Iterum sigillatim sequentia digitorum membra illi abscidite. Volo enim longo eum cruciatu laborare. Quo dicto, singula illi membra absciderunt, manus, brachia. Et ita detruncatum ante regem statuerunt. Tunc omnes Christiani, quid ad spectaculum sunt adducti, flendo et ejulando potuerunt dicere lamentationes Jeremiæ : *Defecerunt præ lacrymis oculi* nostri; *conturbata sunt viscera nostra* (*Thren.* II). Convertens se martyr invictus ad eos, patria voce sic locutus est : Nolite, filii mei, nolite me flere, nolite tristes esse, sed potius gaudete, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum; qui transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (*Col.* I). Gaudete, inquam, et gratias agite Deo, quod in vestro tempore talem sibi hostiam dignatus est eligere, et orate divinam pietatem, ut opus in me initiatum dignetur perficere. Ipse enim ait : *State in fide, viriliter agite* (*I Cor.* XVI); *omnia vestra in charitate fiant* (*I Cor.* XIV), quæ est Christus Jesus. Cum vos considero Christi milites, et cum facta vestra æstimo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra me cohortantur.

Hæc ubi dixit, rex iniquus membratim pedes et crura, ut prius manus et brachia, fecit abscindi. Quis furor, o cives, quæ tanta unquam dementia ferri potuit? Quis potuit claris luminibus in homine tam maximum facinus inspicere? quid dirum relatu ? quid horribile auditu ? quis siccis oculis intueri potuit, audire potuerit tam funestum opus, tam crudele scelus? Sed Christi miles imperterritus adhuc majora, ac sibi soli prædestinata, et a Domino reservata exspectabat tormenta, quæ iste nequissimus excogitabat post omnes Romanorum cæterarumque provinciarum persecutores. Jussit enim detruncato martyri umbilicum incidi, et intestina paulatim detracta circa lignum ad hoc factum congregari. Quæ, cum diu extraherentur, verus Christi miles oculos ad cœlum erexit, Deo gratias egit, eique Spiritum suum, ultimumque flatum his verbis commendavit : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII).

Post hæc verba mox de ergastulo carnis solutus,

inter angelorum manus visibiliter, ut testati sunt A qui aderant, exceptus, condignis laudibus a sanctis martyribus in cœlo est susceptus. Igitur invictus Christi martyr, aliquantulum mutata facie, IV Kalend. Octob. debitum solvit mortis amaræ, victurus in æternum *hæres quidem Dei, cohæres autem Christi* (*Rom.* VIII), talentum sibi creditum cum lucro passionis digne reportavit. Igitur dignus hac melliflua, et jucundula veridicaque vocatione fuit, quia in te complacuit animæ meæ, ingredere locum exsultationis et lætitiæ, ut videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ (*Psal.* CXXVII). Quis unquam valeat digne prosequi stylo tam mirificum opus martyrii, in tali martyre Christi? Revera paradisi gaudia jucundanter absque publico intrasset martyrio, quia implere studuit in se ipso, quæ au- B divit ab Apostolo : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam*, etc. (*Ephes.* V.) Nam evangelicum consilium contemnendi sæculum, illi acceptabile erat et jucundum, quia non solum, quæ habuit, sed etiam, quod maximum et charissimum Deo fuit, semetipsum Deo obtulit, et fortissima arma obedientiæ arripuit; quibus in monasterio diu perfecte et honorifice militavit. Fuit quippe sanctus iste pontifex, ut Joiada; qui in vita sua corroboravit templum, et quasi flos in diebus vernis demonstratus, rubore passionis in fine perornatur (*Eccli.* L). Cujus labia custodiebant scientiam et multi requirebant legem ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum erat (*Mal.* II), annun- C tians verbum vitæ, per angustam portam studens oves sibi creditas quotidianis documentis introducere. Fuit etiam animal ante et retro oculatum (*Ezech.* I), circumquaque prospiciens insidias nequissimi hostis, ethicam virtutibus omnibus plenam capere nitens, aratrum Dominicum fortiter tenens, non tortuosum sulcum faciebat; sed caste vivendo exemplum bonum subditis præbendo, scalam Jacob (*Gen.* XXVIII) de diversis profectuum gradibus consertam tripudianter ascendebat.

Quid ultra moramur? Conditor orbis, cui digne militavit iste beatus, aperte monstravit suis, scilicet Christianis, nec non et inimicis reprobis paganis, qua gloria, qua laude spiritus ejus martyribus sanctis adjunctus, in cœlesti sede sit D collocatus. Nam membra Christi martyris detruncata gentiles disposuerunt sordidissimo loco, equorum inculcari pedibus, juxta illud : *Memoria illius pereat de terra* (*Job* XVIII); ne Christiani eum sibi martyrem possint habere. Sed, Dominus omnium, cui nihil est impossibile, subjecit illi omnes hostes, ut conderet ecclesiam in ejus nomine; in qua fieret ipse hostia viva in sacrificium laudis perpetuæ.

Ut autem conati sunt sancti martyris membra levare de terra, Deus ponderavit illa quasi maxima montium fundamenta; et nec minimum digitorum membrum ullo poterat artificio levare gentilis turma. Nec mirum, si Deus adhuc viventem per manus illorum diversis cruciatibus permisit purgari, corpus occidi, post mortem vero in animo et corpore ipse Dominus dominantium voluit dominari. Dicit enim ipse in Evangelio : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, post hæc non habent amplius quid faciant* (*Matth.* X, *Luc.* XII). Et alibi promisit suis fidelibus : *Et capillus de capite vestro non peribit* (*Luc.* XXI.)

Ut autem rex audivit hoc factum miraculum, perterritus est cum suis quod tam inauditum perpetrasset homicidium. Et concilio inito, misit iterum ad suum consiliarium, nefandissimum idolum, Machmit nominatum. Quæ gesta sunt, nuntiavit; quæ adhuc facienda essent, inquisivit. Cui statim idolum tale fertur dedisse responsum : Magnus et potens est Deus Christianorum. Nam suis testibus post mortem dat vivere in regno cœlorum. Ecce manifestum est, quem occidistis, suum esse familiarissimum, et ideo potestatem habere non potestis in illis membris. Ergo, quia vos non potestis, date licentiam Christianis, quatenus illum honorifice, ut maximum Patrem, studeant sepelire, et quem episcopum meruere viventem, post mortem, dignum patronum se habere gaudeant. Et reversi nuntii quæ audierant regi suo detulere responsa.

Qui statim sub celeritate fecit Christianos in unum convenire locum, ut digna præpararent obsequia, cum summa veneratione, suo archimandritæ. Quale gaudium? qualis lætitia Christianorum tunc possederat corda? Quis stylo posset exarare? quis hominum valeret proferre lingua? Insonuit terra horum gaudio; alta cœlorum responsa potuerunt dare horum tripudio. Quantæ lacrymæ lætitia plenæ genas suffuderunt Christianorum? quæ copia posset enarrare verborum? Post mare Rubrum siccis pedibus transvadatum, post immersionem inimicorum. Hebræorum populus canebat Domino laudes cum magna lætitia, eorumque filii post captivitatem Babylonicam, visa Hierusalem, magno exsultantes tripudio. Sed vix æquiparari potest horum gaudio canentium et psallentium Domino, in sancti martyris Christi patronique sui obsequio. Quæ laus, vel quæ jubilatio potuit antiquo populo major esse quam moderno huic fuit in tali martyre? Forte videres alterum Jacob a filiis sepeliri, conditum aromatibus (*Gen.* L), pariter ab omnibus, quasi ipsum Christum a Joseph et Nicodemo tumulari (*Joan.* XIX).

Igitur cum convenisset populus Christianus, cum maxima veneratione levantes membra martyris Christi Tiemonis, portantes in ecclesiam, tribus diebus et tribus noctibus vigilias celebrantes, ac demum digno honore sepelierunt cum hymnis et laudibus. Ipso depositionis die et deinceps ad sepulcrum illius fiebant crebra miracula non solum in Christianis, sed etiam in paganis ipsis, qui eum ex tunc venerantur quotidie (469). Passus est autem

(469) Iniit Tiemo peregrinationem anno 1100, teste Othone Frising., lib. VII. Anno sequenti captum

beatus martyr Christi Tiemo IV Kal. Octob., regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Finis Vitæ B. Tiemonis.

VITA SANCTI ANSELMI,

EPISCOPI LUCENSIS,

Qui Gregorii VII pontificis maximi familiaris, discipulus et strenuus propugnator fuit,

Nunc primum in lucem prolata.

Habet in hac Historia lector insigne sanctitatis Gregorianæ adversus calumniatorum maledica ora testimonium.

D. CONSTANTINI CAJETANI

ANIMADVERSIO

IN VITAM S. ANSELMI LUCENSIS.

Hujus scriptor Historiæ, S. Anselmi rerum gestarum spectator et testis fuit, doctrina et pietate non modica refertus exstitit, ut sæpe fatetur, S. Anselmi presbyter in pœnitentia, et filius, ac ab eodem Dei viro multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus. Ejus vero nomen a littera B incipere, notum habemus ex ms. Pergameno antiquo codice nostri Musæi, et ex altero cœnobii S. Benedicti de Padelirone, ut refert dominus Arnoldus monachus Cassinas, Ligni Vitæ lib. III. Quod nomen autem littera B exprimat, vel *Benedicti,* vel *Bernardi,* vel *Bartholomæi*, vel cujuslibet alterius, necdum scire potuimus.

Præfatus auctor, præter Vitæ historiam, novem et viginti miracula de sancto viro notavit. Sequentia vero triginta diversi, sicut ipsi viderunt, vel audiverunt, descripsere. Sic habet codex Benedictinus. At noster, præter hæc, quamplura ipsius sancti pontificis habet miracula, licet in fine alia nonnulla desiderari videantur; quem defectum nec Ecclesia Mantuana, sive Lucensis corrigere valuit.

Hæc adnotatio doctissim et de antiquitate merendi bene cupidissimi D. Constantini Cajetani habebatur ad finem apographi, quod Roma ad Jacobum Gretserum venit beneficio admodum reverendi in Christo Patris ac domini, dn. Petri Consolini, congregationis Oratorii præpositi dignissimi. Ex hac Vita non pauca descripsit Annali undecimo illustrissimus cardinalis Baronius : quam nunc evulgamus, ut dispiciant, qui Gregorium VII tot calumniis onerant, et maledictis incessunt, num quem pro schismaticis proferre queant, qui Anselmo, Altmanno, Gebhardo, et id genus aliis vitæ sanctimonia, et miraculorum effectione similis fuerit. Cæterum Anselmo hoc ære perennius encomium posuit Bertholdus Constantiensis in suo Chronico anno 1086 :

« Beatus Anselmus, quondam Lucensis episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno, innumerabilibus cœpit miraculis coruscare, qui, post obitum venerabilis papæ Gregorii VII, fideles S. Petri contra tyrannidem Heinrici, adhuc in carne vivens, multum incitavit, sed multo plus, post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eumdem persistere confortavit : unde et pars Heinrici de die in diem cœpit deficere; Catholici autem in fidelitate S. Petri non cessaverunt proficere.

Vide D. Henricum Canisium tom. VI antiquæ Lectionis, in præfatiuncula ad duos libros S. Anselmi contra Guibertum antipapam, quos ipse prædicto tomo suo sexto antea ineditos inseruit.

Scripsit quoque vitam et miracula S. Anselmi Lucensis, sed oratione ligata, Rangerius, tertius a S. Anselmo Lucensis episcopus, ut testatur Domnizo lib. II de Vita Mathildis comitissæ cap. 3, his rhythmis :

Tertius existens ab eo Lucensis, et ille
Rangerius rector dictavit eam (470) *sibi* (471) *metro.*

Addit Domnizo, eumdem Rangerium egregium librum scripsisse de controversia investiturarum :

Dictavit pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi litem definit.

Sed hæc monumenta aut perierunt, aut alicubi cum pulvere ac situ blattisque et tineis adhuc luctantur. Principium libri primi inseruit operi suo Domnizo.

et occisum esse, testatur Chronicon Reicherspergense nuper a C. V. *D. Christophoro Gewoldo*, consiliario Bavarico publicatum.

(470) Vitam Anselmi.

(471) Mathildæ comitissæ.

VITA B. ANSELMI

LUCENSIS EPISCOPI,

AB. (*sic enim se vocat*) presbytero, ejusdemque S. Pastoris in spiritualibus filio graviter conscripta. Cui quamplura alia ejusdem S. viri miracula adnectuntur.

Devotis quorumdam precibus instanter cogimur, A ut Vitam sanctissimi Patris nostri Lucensis episcopi, domini Anselmi, quam præsentes vidimus et a pariter commorantibus fideliter accepimus, compendioso explicemus labore; quæ tot certe ac tantis præclara fulsit virtutibus, ut minime nos ad injunctum tale negotium sufficiamus. Atqui, dum venerabile desiderium illorum perpendimus, tametsi non sufficimus, utcunque tamen, quod expetunt, incipimus. Quoniam fidelibus cunctis fidei præstat firmamentum et cornu salutis; excommunicatis autem confusionem, verecundiam, detrimentum et perniciem.

A pueritia qualiter vixerit, tum quia pleniter non novimus, tum quia reticere impræsentiarum satius æstimamus, prætermittimus. Studiosum tamen jam tunc in scholasticis etiam legendis libris fuisse, ipso sæpius referente, cognovimus; quod et rei evidenter, probavit effectus; quia in arte grammatica et dialectica exstitit peritus (472). Dum autem videretur jam idoneus, nempe meritis, moribus ac scientia, dignus ut in honorem sublimaretur episcopatus, mittitur a reverendissimo papa Alexandro (473) ad regem, dato sibi comite, religioso episcopo S. Ruffinæ, nomine Meginardo. Sed quia jam perfecte cœperat odisse, ut sacri ordines ecclesiastici a sæcularibus darentur potestatibus, quacunque vel occasione vel ratione potuit, absque dignitatis investitura discessit; quanquam ea intentione domnus papa illum direxerit. Nec mirum. Qui enim operatus est postea per eum multa Deus, catholicæ illum electioni reservavit. Rex autem quasi despectum se doluit, et regalis imperii tanquam magnum detrimentum deploravit.

Defuncto itaque prædicto papa Alexandro (474), dum sanctissimus Gregorius VII in Romanum pontificem Spiritus sancti instigatione, ac voto communi clericorum et laicorum, diu renitens, esset electus, ut sequeretur eum iste in omnibus, in Lucanam Ecclesiam est et ipse electus episcopus, atque ab illo postmodum religiose consecratus. Igitur, dum aliquanto tempore, non semel aut bis, sed sæpius cum eodem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam ejus consideravit ineffabiliter mirabilem, ac mirabiliter ineffabilem. Quia, cum de omnibus et singulis finibus sæculi fieret ad eum concursus, rite omnibus satisfecit. Veritas vero et justitia nunquam ori ejus defuit : imo, quod magis est mirandum, in ipsis sæcularibus negotiis sæpius excessit mente, exhilarato spiritu suo cœlesti contemplatione; qui, si privatus interdum exstiterit, revelationibus etiam divinis jucundatus est et confortatus. Hujus, inquam, vestigia dum exsequi ferventer desiderat, incipit oblivisci mundum, ac totis viribus mentis et corporis, die ac nocte suspirare in Deum, committens B se non solum assiduæ lectioni, verum etiam continuæ afflictioni (475).

Et perscrutatis diversarum auctoritatum libris, incipit vitam suam perditissimæ damnationis æstimare, atque accepti ministerii dignitatem, grave oneris periculum, non honoris gaudium cogitare. Illud vero ante omnia metuens, quod post catholicam electionem de manu regis annulum suscepit, et pastoralem baculum. Nam irritum prorsus æstimavit quidquid operatus est, quasi auctoritate illius abominabilis investituræ; sed et domnus papa id solum aliquando vituperavit in illo.

Disposuit ergo orationis causa, sanctorum aliqua visitare limina, et nescientibus qui cum ipso erant parentibus ac fidelibus, fit subito monachus regulæ C S. Benedicti (476) subjectus. Qui non post multa, a beatissimo papa Gregorio invitus revocatur : in cujus etiam manum, quidquid a rege acceperat, reddit et refutat, omnisque datio regalis in illo evacuatur. Ipse vero in plenitudinem dignitatis, vix relicto sibi habitu (477) monastico, restauratur. Nam et illum subtrahere sibi domnus papa minabatur. Quantæ igitur abinceps religionis fuerit, nec lingua potest referre, nec manus scribendo valet exprimere. Monachi pariter et canonici vitam et ordinem cona-

(472) Recitat hæc Baron. tom. XI, anno 1073, n. 2.

(473) Alexander II, pontif., qui et ipse antea episcopus Lucensis fuerat, et Anselmi nomen habuerat.

(474) Recitat hæc Bar., tom. X, anno 1073, num. 60, 61.

(475) Post hæc sequuntur ista apud Baron. « Nam sæculi blandimenta et corporis delicias, quibus gaudebant homines, ipse sibi jam tunc convertit in tormentum, abominando quæque tanquam venena mortis amarissima. Cibos quoque delicatissimos quoniam habebat exosos, dum a circumsedendentibus sumere cogeretur, infirmitatem, aut votum, aut aliam quamlibet occasionem honeste finxit, ut desideratam observaret castimoniam, et convivantibus non afferret tristitiam. » Hæc tamen omnia D in apographo nostro infra comparent.

(476) Bar., et *Cluniacensium consuetudini subjectus.*

(477) Bar. *mutato tantum habitu;* sed rectius exemplar nostrum.

batur explere. Conatur etiam modis omnibus, ut sit servus prudens et fidelis (*Matth.* XXV), ut in messe Domini non inveniatur otiosus, nec abscondat pecuniam Domini sui; verum, ut possit revertenti Domino fiducialiter occurrere, dicens : *Domine, ecce mna tua decem mnas acquisivit* (*Luc.* XIX).

Fit ergo verbi Dei prædicator egregius, instructor religionis præcipuus; amat clerum reverenter, docetque sapienter, cunctumque populum instruit decenter. Utque breviter concludam, *omnibus omnia factus* est, ut omnes lucrifaceret (*I Cor.* IX). Diœcesim suam diligenter circuit, vitam omnium, præsertim clericorum dignoscere gliscit; et, ut omnis clericus sui nominis compos existat, paterne monet, multumque desiderat. Sic enim eruditissimus doctor Hieronymus vitam describens clericorum, ait, quod a sorte Dei clericus dicitur : scilicet ut, abjecto mundi hujus impedimento, nihil præter Deum sortiatur.

Primo igitur canonicos ecclesiæ majoris in civitate Lucana, quæ est in honore sanctissimi episcopi et confessoris Martini dedicata, mitissime aggreditur, monet, blanditur et suadet ut opere exerceant, quod nomine dicuntur. Canonicus enim quasi *regularis* dicitur : utque regularem agant vitam, studiose prædicat et precatur. Cumque diutius illis instaret, idemque frequenter instigaret, indignati tandem sunt, ac temere nimis responderunt. At ille, sicut Pater pius et mansuetus, benigne omnia suscipit, nec tamen vinci a malo vellet, sed in bono vincere malum studet (*Rom.* XII). Promittit denique, tanquam alter factus religiosissimus episcopus Augustinus, ut vitam cum illis peragat communem. Nihil præter illos proprium, verum omnia simul vult cum ipsis habere communia; vult effici pauper, ut divites illos faciat in Christo (*I Cor.* I), omni omnino conamine, tum spiritualiter, tum sæculariter nititur eos allicere.

Invitat tandem sui studii adjutricem marchionissam D. Mathildam moribus ac genere nobilissimam, quæ spiritualis et religiosissima in occulto sæcularem aut, ut verius dicam, militarem agebat vitam in manifesto; sic tamen spiritualem habebat ac sæcularem, ut et illam in Christo, et istam faceret pro Christo. Quæ vero sæcularis, hæc majoris illi fuit angustiæ ac laboris; sed et multo pluris, spero, retributionis. Illa etenim voluntatis fuit propriæ; ista quidem obedientiæ. Si quid ergo habet ipsa ingenii, si quid sapientiæ vel consilii, id effudit hoc in negotio hilariter. Igitur prædictos alloquitur canonicos, tum communiter, tum singulariter; incitat, instigat eos, confortat atque spondet Ecclesiæ augmentum et honorem; ipsis quoque commodum, tam in futuro quam impræsentiarum. Promittit etiam parentibus ipsorum divitias et honores; quatenus vel sic attrahere possit voluntates illorum. At illi sæculo nequam excæcati, respuunt omnia : eligunt magis aquam angustiæ in damnationem, quam vinum lætitiæ in salvationem. Optant pauperes potius esse diaboli quam divites Christi.

Prædictus autem præsul et pastor diligentissimus, nolens oves sibi commissas perire, tum minis, tum blandimentis eos aggreditur. Cui dum resisterent illi, et, quantum potuerunt, contradicerent, jam tunc, credo, nimium sed inaniter fatigatus cessasset, nisi quod beatus papa Leo IX, sub decreto anathematis statuerat ut ejusdem ecclesiæ canonici vitam agerent communem, et viverent regulariter. Cujus decreti quoties vidit aut recordatus est præceptum, expavit, nec tacere ausus fuit.

Accidit igitur (478) ut eamdem ad civitatem sanctissimus papa Gregorius VII veniret, perlatumque est ad ipsum idem illud negotium : qui mox incipit paterno illos primum affectu admonere, ac dicere : Quoniam Romani pontificis decreta præterire non licet, rogat eos et suadet benigne, quatenus saluberrimis obediant decretis, et reverendissimi Patris exsequantur voluntatem; nec semel aut bis, sed sæpe ac multum, aliquando cum eodem sancto episcopo, interdum sine ipso alloquitur illos, tum dure, tum blande, proferens eis Scripturas sanctas, et auctoritates authenticas; illi vero, etsi humiliter se beata quandoque monita finxerunt audire, omnia tamen absentes depravarunt.

Vocantur denique ad sedem apostolicam, ibique conspiratores in proprium episcopum et insidiatores detecti sunt. Prolatis ergo canonibus, et lecto capitulo sancti martyris et episcopi Fabiani, qui conspiratores et insidiatores suorum episcoporum curiæ tradendos instituit, judicio totius sanctæ synodi etiam ipsi curiæ traduntur. Tunc fidelis et prudens marchionissa Mathilda servos illos appellans, in servitutem curiæ vocavit eos. Quam ob causam tristes, præterquam credi potest, etiam adversus ipsam, quotquot potuerunt, conspirare fecerunt (479). Convenerunt ergo quamplures iterum episcopi apud S. Genesium, quod (*Bar.*, Castrum) a civitate Lucano non multum distat; inter quos reverendissimus Albanensis episcopus, nomine Petrus (Igneus *cognomento*), vicem D. papæ agebat. Qui cum eodem Lucensi episcopo S. Anselmo, et cum reliquis omnibus conspiratores illos excommunicavit. Unde, insolabiliter illi dolentes et indignati, totam civitatem malitiose commoverunt, freti auxilio perditissimi hominis quondam dicti regis Henrici, religiosissimum episcopum a civitate repulerunt, sed et prædictæ dominæ rebelles penitus facti sunt. Hujus utique conspirationis præfatæ caput et princeps fuit quidam nomine Petrus, falsa professione canonicus, ordine damnationis suæ subdiaconus, mente superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum et fomes omnium spurcitiarum. Qui propter immensitatem malitiæ suæ factus est subito contumax præco

(478) Recitat hæc Bar., anno 1074, num. 46, 47.

(479) Recitat hæc Baron., loc. cit., num. 48.

Heinricianæ tyrannidis. Et post aliqua fit etiam familiaris curiæ iniquitatis : quam justa quidem interpretatione a cruore dico *curiam*, vel potius universæ turpitudinis sentinam.

Hic denique post tempora non plurima, veniente in Tusciam Heinrico cum hæresiarcha Wiberto, de quo latius postmodum tractabimus, quoniam instanti videbatur opportunus insanire, eo quod nec in Deum timorem nec reverentiam habebat in hominem, imponitur episcopus erroris ejusdem Lucanæ civitatis; qui, adjunctis sibi totius terræ nequissimis, videlicet perjuris, latronibus, fornicariis et adulteris, terram Ecclesiæ invadit, castella et homines, vi aut fraude, vel pretio sibi asciscit. Unum solummodo castrum venerabili remansit episcopo, quod etiam tyrannus ille, eo quod civitati erat proximum, quasi quotidie incurrens, devastavit prædis, incendiis atque homicidiis. Ille autem mansuetissimus omnium omnia gaudens sustinuit, paupertatem pro Christo optavit; qui et duobus capellanis contentus, ac paucis servientibus, cum reverendissima, quam prædiximus, matrona, humilis permansit.

Atqui, ut universæ maledictionis tunicam adversarius ille indueret, demum ab hæresiarcha Wiberto, non dico consecratur, sed exsecratur; quatenus similis similem in omnibus imitaretur. Nam sicut ille Romanam invadendo Ecclesiam commaculavit, superstite adhuc sanctissimo papa Gregorio VII; ita iste Lucanam, vivente religiosissimo suo episcopo. Itaque, ut beatissimi martyris Cypriani verbis utar : *Nullus vel iste, vel ille ; quia nec successor, nec antecessor cujusquam aut ille, aut iste : ambo parricidæ, ambo sceleratissimi violatores suæ matris Ecclesiæ.*

(480) Dum ergo expulsus ille, cum Maria securus desideraret sedere, facti sunt episcopi et principes pene omnes non solum, dico, inobedientes, verum omnino rebelles sanctæ sedi Romanæ; et inventa est sola atque unica, dux et marchionissa Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, domino papæ Gregorio obediens, quia, ut sanctissimam ejus vitam et religionis cognovit ardorem, totam se suæ tradidit dispositioni, sperans ab oneribus mundi hujus tali obedientia explicari; cui econtrario in remissionem datur, ut, quasi altera Debbora (*Jud.* IV), populum judicet, militiam peragat, hæreticis ac schismaticis resistat. Atque ne tanquam sola deficiat, custodienda commendatur præscripto Lucensi episcopo S. Anselmo; commendatur, inquam, omni diligentia, et affectu charitatis commendatur a beatissimo magistro fidelissimo discipulo, sicut in cruce Christus matrem Virginem virgini discipulo commendavit, *Mater*, inquiens, *Ecce filius tuus;* ad discipulum autem, *ecce mater tua* (*Joan.* XIX). Ita ergo, dum uterque mundi voragines evadere, et contemplationi vacare conatur, majoribus mundi negotiis implicatur.

Sanctissimus igitur talis ille discipulus custodiæ illius [BAR., Sanctissimus itaque dominus noster et Pater Anselmus custodiæ illius] et studet satagere et omni studio sanctitatis magis ac magis de die in diem exardescere. Possumus certissime de illo affirmare quod replevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus (*Eccli.* XV). Et erat magni consilii angelus. Nam cum multa haberet sæcularia judicia suprascripta D. Mathilda, devota D. Petri ancilla [BAR., domina Mathildis, unica B. Petri filia], ipse suis eam consiliis ita peragere fecit omnia, ut et evangelica præcepta, et canonum instituta, legumque jura servaret; quod in humanis mentibus et ingeniis raro, vel nunquam invenitur. Verum ipse suo a magistro beatissimo papa Gregorio sic didicerat; Spiritus vero sanctus utrumque repleverat.

Tunc ergo incredibili jam modo Romanus orbis in se ipsum fremuit et insanivit. Nam Heinricus, filius imperatoris Heinrici tertii, magnas in omnes Catholicos inimicitias exercebat; qui dum ab ipsa infantia, defuncto jam patre, suscepisset regni gubernacula, impletum est quod per Salomonem dictum est : *Væ terræ, cujus rex puer est* (*Eccle.* X). Nam puerilibus se consiliis committens, omnium genera spurcitiarum edoctus, cunctam mox religionem et jura omnia confundere non erubuit, a suæ libidini in omnibus turpitudinibus instudui [*Sic quidem ms., forte* studuit *leg.*]. Illo siquidem i tempore non quisquam episcopus, aut abbas, siv præpositus esse potuit, nisi qui majorem pecuniar habuit, vel ipsius spurcitiarum compos exstitit fautor assensit. De nullius certe vita vel conversatione agebatur bona, imo abominabilis religio on nis, et veritas atque justitia habebatur. Ille sacei dos laudabilior, cujus vestis comptior, cujus mens copiosior, cujus concubina splendidior. Nec mil dicebatur gloriosus, nisi ter fuerit aut quater pe jurus; quod dum beatissimus papa Gregorius d lens ac tristis consideraret, cupiens sanctam Eccl siam usui ecclesiastico et legibus restituere canon cis, misit ad eum frequenter benignas legatione tum paterne admonens, tum asperius etiam reda guens.

Atqui dum hoc quoque modo minime se percej proficere, tandem direxit ad eum matrem ipsius r ligiosissimam imperatricem Agnetem, et cum ea r verendissimos duos episcopos, Prænestinum et C manum, quibus utique præsentibus, audito dilige ter eorum consilio, pœnitentiam simulavit, obedie tiam devovit, emendationem de omnibus promisi Redeuntibus autem illis, in seipsum est ille reve sus, deterior quam olim effectus. Nam inaud deinde audacia et admirabili superbia sui facino compotes, nec dicendos collegit episcopos in civit tem Wormatiam, habitoque conciliabulo proscrip

(480) Recitat hæc Baron., tom. II, anno 1074, n. 14, qui legit, *cum enim penitus.*

runt primæ sedis episcopum, quod a sæculis non est auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præsumptionem per schismaticos sibi complices episcopos. Hujus legationis lator fuit quidam (481) Eberhardus nomine, Teutonicus natione, filius sæculi, hamus daboli, inventor omnis fere mendacii. Hic circuivit et perambulavit terram, ut schismatica omnes interficeret [inficeret] contagione; multos certe, qui propter interdictum domini papæ, divino ab officio cessaverant, ipse interdictus et vinculo perditionis ligatus, inaudita temeritate ac superbia reconciliavit, et ex parte domini sui regis ut officium more priori celebrarent, indixit.

Cum igitur dissimulare amplius tanti facinoris malitiam non posset apostolicus, excommunicavit tam ipsum quam omnes ipsius fautores, atque omnem sibi regiam dignitatem interdixit, et obligatos sibi sacramentis ab omni debito fidelitatis absolvit, quia, quod verecundum etiam est dicere, præter hæreticam quam prælibavimus culpam, aderant in sancto concilio nuntii illius sic audentes latrare : *Præcipit Dominus noster rex ut sedem apostolicam, papatum, utpote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum ultra impedias.* Proh nefas! et o exsecrabilem infelicissimi hominis temeritatem! en ecce *suum* esse dicit, quod soli apostolorum principi Petro Christus Dominus commisit. Nec subito quidem commisit, verum tertio, antequam committeret, interrogavit : *Simon*, inquiens, *amas me?* (*Joan.* XXI.) Non tanquam ipse ignoraret, sed ut futuris temporibus providentiam præsignaret, ne cito et præcipitanter cuilibet cura committeretur animarum. Illi ergo post tertiam tandem sui amoris certam sponsionem, *Pasce*, inquit, *oves meas* (*Ibid.*). Non regem, non imperatorem, aut aliquam Christianæ professionis conditionem excepit, præter eum qui suam, se, ovem abnegaverit. Igitur quem sui solius judicio Dominus reservavit, hic non solum judicare, verum etiam *suum* dicere et, quantum in ipso est, audet damnare. Quam ob causam omnis illa sancta synodus, jure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat.

Igitur non post multa, idem reverendissimus papa, per quem restaurari cœperunt omnia jura canonica, usque ad ipsum prorsus pene abolita, rogatur a quampluribus regni principibus, præsertim a comitissa Mathilda confortatus, quæ tunc maximam partem regebat Italiæ, quatenus in partes Teutonicas, ob communem matris Ecclesiæ necessitatem, descendere dignaretur. Illi etenim propter insolentiam suam et anathema, Heinricum regem et dominum abrogaverunt; qui etiam pariter convenientes coegerunt eum, ut, repudiatis consiliariis iniquitatis, privatim ipse quodam in castello maneret, ne multos lepra sui anathematis contaminaret. Decreverant enim apud se ut, accersito humiliter sancto papa Gregorio in civitatem Augustam, etiam ipsum in commune totius regni consilium ante judicem universæ christianitatis adorarent; desiderantes, ut auctoritate apostolica, aut emendatum eumdem et absolutum recuperarent, aut, ipso juste reprobato, alium in Christo eligerent. At ille, accusante se conscientia sua, sanctum conventum non exspectavit; sed venit obviam domno papæ in oppido Canusio, humiliatus usque ad pedes ejus, et facta securitate domno papæ per sacramenta, prout ipse dignatus est præcipere, præsentibus episcopis et abbatibus, atque comitissa Mathilda, et Adeletia [Adelaia, seu Adelheida, quæ comitissa erat], aliisque pluribus; tertia demum die est absolutus; verumtamen in regnum non est restitutus.

Itaque ad priora iterum regreditur consilia, ad excommunicatorum perversa conventicula, et quod jurejurando promiserat, brevi tempore observabat. Nam infra quindecim, ut opinor, dies, cum B. episcopus Anselmus legationem domini papæ una cum religiosissimo Hostiensi episcopo Gerardo Mediolanum deferret, impediti sunt a militibus illius, et captus est Hostiensis episcopus; sanctum vero Anselmum nequaquam ausi sunt tangere, quoniam indigena fuit, et nobilis prosapiæ. Ipse autem ultro se capiendum ingerebat, dicens quod a socio legationis non discederet, aut illum, inquiens, dimitterent, aut se captum cum ipso tenerent. At illis hoc non præsumentibus, tristis abscessit, volens, si posset, pro fratre suam ipsius animam ponere. Hæc est enim perfectio charitatis, hæc summa dilectionis ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV); solent alii, tanta in necessitate, simulare multa ac dissimulare; mentiri quidam, et perjurare plurimi : hic autem nec uno verbo simulationis quemquam [quidquam] simulare voluit; quod bene quidem potuit, sicut ab ipsis, qui capti sunt, postmodum audivimus. His utique ac similibus multis irrita facta sunt dicti olim regis Heinrici sacramenta.

Eligitur interim in partibus Teutonicis dux Rodulphus in regem ad defendendam catholicæ Ecclesiæ unitatem; propter quod magis magisque indignatus Heinricus, spreto consilio et auxilio domni papæ, in omnes Catholicos debacchatur inique. Mortuo autem in fide catholica rege Rodulpho, audet ille, quod potentissimi olim imperatores, sive illi hæretici, aut apostatæ, vel etiam pagani essent, nunquam præsumpserunt; audet, inquam, convocatis aliquot hæreticis episcopis, vivente papa Gregorio, cui obediens factus est etiam jurejurando, nullo habito universali concilio, absque judicio, audet certe in papam eligere Wibertum, Ravennatem quondam episcopum, tunc autem multis jam annis excommunicatum, cujus superius aliquam, sed breviter, commemorationem fecimus.

Sed quis ad hæc tam idoneus quam hic, qui, ab ipsis cunabulis spiritu superbiæ repletus, nihil me-

(481) Comes, de quo Baron., anno 1076, num. 16.

ditabatur præter elationem et superbiam. Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam et subjectionem domno nostro papæ Gregorio exhibuit; sed et ipse cum honore illum ac dilectione in sacro Lateranensi palatio recepit hospitio, et proximum illum a dexteris suis in sancto habuit concilio, et primum in omnibus, quibus digne oportuit; sperans verum esse quod perditissimus simulavit. Ille autem non post multa per superbiam incidit in inobedientiam, factus pariter perjurus, sed et parricida tandem iniquus, quia Patrem sanctum ad mortem usque est persecutus. Talem, inquam, tam justum, tam sanctum, cum suis fautoribus in papam elevat Heinricus. Roma non quæritur, nec Romanus aut clerus aut populus. Unus quidem affuit, Hugo nomine, Candidus nomine, nigerrimus mente, cardinalis olim, sed dudum jam pro suis sceleribus juste excommunicatus et abjectus. Hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam. In loco siquidem horrido et asperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames assidua et frigus pene semper continuum; locus ipse vicus est, pro civitate, qui Brixanerium vocatur, altissimis circumdatus scopulis, ubi etiam vix nomen obtinetur christianitatis. Hic, principalis ecclesiæ privilegia; hic, summi sacerdotis jura; hic, sanctorum Patrum instituta; hic, omnia evacuantur canonica decreta, nimirum, si qui rogarent ut alium cœlis imponeret Deum, quantum in ipso erat, æstimo, faceret atque confirmaret. Nam nec omnino novum est aucupium, quod agit; a pueritia quippe sua sic didicit.

Enimvero dum venerabilis papa Alexander canonice fuisset olim electus, ipse Cadolum [Cadaloum] Parmensem episcopum in Teutonicis partibus suum papam elegit, Romamque direxit; qui diuturnam discordiam, bellaque multa commisit. Huic nefariæ præsumptioni mater ipsius Agnes imperatrix interfuit; quæ, sancti Spiritus illustratione compuncta, apud ipsum papam Alexandrum confessionem postmodum fecit, pœnitentiam accepit. Cui id præ cæteris injunctum est, quatenus Romæ moraretur, ibique sancto Petro vigiliis, orationibus et jejuniis satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ consiliis et auxiliis, prout valeret. Ille autem in sua permanens detestabili pertinacia, Wiberticum adorans dæmonium, admonetur rursus ab apostolico affectu paterno missis ad eum episcopis Albanensi et Paduano. Atqui, dum non emendatur, rursum periculosissime excommunicatur.

Ille ergo quasi novo tyrannidis aucupio, tunc incepit universarum ecclesiarum tam prædia quam omnes pene thesauros earum militibus dispertiri; quos, et omnes parti suæ agglutinat, præter admodum paucos, quos reservavit sibi Dominus, ut non curvarent genua coram Baal.

Collecto igitur exercitu Romam tendit, atque primo mox ingressu omnem furorem suum in supradictam dominam Mathildam convertit; villas incendit, castella diruit: quæ tamen, divina se protegente misericordia, non nimium detrimenti sustinuit. Tunc, inquam, hominis ingenium et sapientiam, utpote sancti episcopi Anselmi laudare posses. Nam etsi navis fortis et bene composita est, nautæque prudentes, facile tamen periclitatur, nisi sapiens et validus fuerit gubernator. Illa pro pietate matris sollicitabatur; ille gubernandi artem meditabatur. Illa potestatem exercebat; ille regebat. Illa, præceptum; et ille dedit consilium. Excellebat tamen ille in omnibus; quia obedierunt sanctitati suæ tam ipsa, quam sui omnes; plus tamen ipsa. Nec mirum. Adeo enim singulis per singula provide ac sapienter consiliatus est, ut et dicto quondam regi, cunctisque majoribus ac minoribus, pene totius Italiæ sola domus illa resisteret, injuriam Dei suamque vindicaret, honorem obtineret, et gratiam Dei non amitteret. Nimirum suis id meritis impetratum est, ut laudabilis illa et gloriosa per exteras etiam terras prædicaretur. Quidni? Illa enim nobiliter et magnifice, insolito mulierum more, plus dico, quam viriliter agebat; nullum fere periculum metuebat. Quisnam potentum unquam suum, ut illa, deduxit exercitum? Recesserunt tamen ab illa plurimi suorum, et abierunt retrorsum. Separati sunt, inquam, a nobis; quia non erant ex nobis. Nam et angeli quidam de cœlo deciderunt, aliis sic corroboratis, ut cadere amplius non valerent. Corroborati sunt et hi, qui permanserunt, tum ex dulcedine pastoralis sapientiæ, tum ex benevolentia et hilaritate tam desiderabilis matronæ.

Nam egregius ille pastor et doctor die noctuque adfuit illis, spiritualibus doctrinis et admonitionibus; illud maxime inter cætera replicans, ut ab excommunicatis se observarent, quoniam si quis cum excommunicatis participasset, nisi, accepta pœnitentia, primum absolveretur, nullam cum reliquis communionem habere potuit. Perfecto ubique odio oderat excommunicatos,; unde et sollicitos multos sua doctrina reddidit; plurimos a tyrannide tanta prohibuit, quosdam etiam penitus convertit. Ipsi denique quondam dicto regi commonitorium dictavit; et hæresiarcham ipsum, sanctæ sedis Romanæ invasorem Wibertum scriptis salutaribus commonuit.

Quid tandem? Romam sicut incœpit, tyrannus ille invadit, tribus illam annis impugnat: quamvis demum perjurus, et pecunia plus quam viribus aut sapientia expugnat. Fitque beati Petri sancta Ecclesia impiorum latronum spelunca (*Matth.* XXI). Sed necdum totam quidem Romam devicit. Quoniam in castello, quod *Crescentii* dicitur, reverendissimus papa Gregorius permansit. Permanserunt quoque nec corrupti nec decepti, aut devicti nobiliores quidam Romani, magis obedire Deo quam hominibus (*Act.* V) cupientes hæretico.

Igitur accrescente tam impia hæreticorum persecutione, invitatus ab apostolico viro dux Apuliæ et Calabriæ Robertus, Romam festinavit; ante cujus adventum Heinricus, Urbe relicta, fugit; quam uno die manu armata dux fidenter expugnavit, dominum

que papam de angustia turris in latitudinem sacri palatii Lateranensis cum magno triumpho et gloria reduxit. Itaque, peractis ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt, ubi et sanctissimus papa emigravit ad Christum. Nam miracula, quæ per eum operatus est Dominus, alia quidem vidimus, alia ab idoneis testibus audivimus, quorum non est modo dicendi locus. Fugato ergo ab Urbe Heinrico in Teutonicas partes statim ipse revertit, concitatis primum omnibus pene Longobardis adversum præfatam dominam, et adversus sanctum provisorem ejus, sed et adversus omnem catholicam unitatem.

Nec, multo post ecce coadunati sunt episcopi et marchiones cum aliis multis, qui magno impetu et furore subito terram invaserunt ejusdem comitissæ, putantes totam illico suæ ditioni subjugare. Tunc ergo congregati sunt et nostri siquidem pauci, quoniam una vix die præscii facti sunt; verumtamen nimis confortati sunt, quia dominus noster sanctus Anselmus episcopus suam eis benedictionem per nostram direxit parvitatem : hoc in mandatis præcipue commendans nobis ut si qui cum excommunicatis communicassent, primitus illos absolveremus, et tunc pariter omnes auctoritate apostolica et sua benediceremus, instruentes eos quo pacto quave intentione deberent pugnare, sicque in remissionem omnium peccatorum eorum instantis belli committeremus periculum.

Facto itaque congressu citissime dorsa hostes dederunt; et captus est mox Parmensis episcopus, et nobiles multi, minores vero absque numero; sed et mortuorum non est inventus numerus. De nostris autem tres mortui sunt, et vulnerati pauci; qua in re gloriam Dei, et virtutem benedictionis reverendissimi præsulis fideles omnes agnoscere potestis. Abhinc enim confusa sunt hæreticorum conciliabula, et declinata est nimis elata eorum insolentia. Gavisi autem et confortati sunt omnes Catholici, præsertim domus illa, quam S. Pater noster Anselmus episcopus inexsuperatam postea custodivit, ac in fide catholica permanentem reservavit. Et factus est ille unius olim civitatis episcopus, innocenter quidem expulsus, multarum civitatum præsul magnificus. Nam potestatem ei et vicem suam domnus papa commisit per omnem Longobardiam, ubi Catholici non haberentur episcopi, qui tunc inveniebantur, certe rarissimi.

Concurrunt itaque ad ipsum ab omnibus partibus Longobardiæ quotquot zelum habent fidei catholicæ. Ibi benedictionem Catholici, absolutionem excommunicati, sed conversi, accipiunt : ibi chrisma, ibi sacros ordines exquirunt; illic desolati solatium, inconsulti consilium, consulti gaudium inveniunt. Apud ipsum quidquid usquam dubii est, sapienter diffinitur. Ejusdem semper gravitatis et reverentiæ reperitur, nec pretio aut precibus corrumpitur. Multi sæpe ad illum modo nobiles, modo ignobiles, pauperes venerunt ac divites; qui, dum a prædicta comitissa vellent aliquid aut acquirere, aut acquisitum securius obtinere, munera sibi interdum grandia, interdum promiserunt alii majora ; quibus ille, quamvis pauper ipse, atque egentes sui essent omnes, iratus respondit, dona respuit, adjutorium contradixit quod, si gratis postulassent, citius certe impetrassent. Ait enim : « Si est injustum quod expetunt, ero particeps, imo auctor eorum injustitiæ; sin autem justum est, reus ero, si justitiam vendidero. » Quod si mente aliqui perversa divinitus forsan excæcati, aut avaritia sæculi perniciose implicati, catholicæ et apostolicæ restiterunt sententiæ, dum secum ratiocinari cœperunt, subito satis obmutuerunt, quia sapientiæ illius resistere non potuerunt, imo eloquentiam hominis tantam tamque rationabilem mirati sunt. Omnem enim sacram Scripturam fere memoriter novit (ita ut) quid singuli ,quid omnes de quavis causa sancti expositores sentirent, mox, ut interrogares, responderet. Multa sibi sacris ex Scripturis divinitus exposita cognovimus, quorum aliqua ab ipso habemus scripta, aliqua retinemus in memoria. Multos libellos propriis manibus conscripsit. (482) Apologeticum unum diversis ex sanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus domni papæ sententiam, et universa ejus facta atque præcepta canonicis defenderet rationibus et approbaret orthodoxis auctoritatibus. In Lamentationes Jeremiæ dilucidissimam fecit expositionem; Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Dei ancillæ Mathildæ exposuit luculentissime, breviter quidem, sed utiliter usque illum in locum, ubi ait : *Benediximus vobis in nomine Domini* (*Psal.* CXXVII). Ibi siquidem vitam et expositionem finivit, nobisque omnibus alter patriarcha Jacob benedixit; cujus, ut omnibus notum est, universam in Italiam benedictio descendit. In ipsum etenim et per ipsum hæretici ac schismatici alii convertuntur, alii confunduntur, quorum mox dentes confringuntur ipsorum, dum ipsius Domini verbis respondetur eis : *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, muti loquuntur* (*Matth.* XI).

De abstinentia vero illius quid dicam? Omnes fere cibos habuit tanquam exosos, etiam delicatissimos : quæ prædicta ipsius in Christo filia sæpe sibi exquisivit, non dico, non manducavit, sed vix gustavit. Cuncta sæculi blandimenta et corporis delicias, quibus gaudent homines, ipse sibi convertit in tormentum, abominando singula, tanquam quælibet venena. Cibos quoque appositos, dum a circumsedentibus interdum sumere cogeretur, infirmitatem, aut votum, vel quamlibet ocasionem honeste finxit; ut, et desideratam observaret castimoniam, et convivantibus non inferret tristitiam. Vinum, sicut beatus ait Hieronymus, fere ut venenum fugit. Vidi, inquam, quod et tacitus notavi, ut in ore sumptam buccellam, nollet dentibus, sicut est com-

(482) Edidit hunc librum apologeticum D. Henricus Canisius tom. VI Antiq. Lect.

munis hominum consuetudo, masticare, ne aliquam dulcedinem caperet, sed molliter tactam et breviter involutam consumpsit.

Per totam sæpe mensam non bibit; verum, si ardentius quandoque sitis incubuit, circa vesperas fortasse modicum aquæ, privatim hausit. Nam et in ipsa aqua, prout mecum sæpe locutus est, gulæ gastrimargiam æstimavit, laqueum timuit, ideoque parcius delibavit. Quod si naturæ necessitas non cogeret, insomnis, ut opinor, omni tempore permaneret. Nocte tota aut legit, aut scripsit, aut oravit; et, si fortius insisteret somnus, stans domitavit; quod si delicatius interdum, in genua usque provolutus dormivit. In lecto quidem rarissime, nisi summa cogente verecundia vel necessitate; nec idem horis productis, sed quasi momentis. Paulominus jam ipsam devicerat naturam ut non jam videretur corpus, sed quasi spiritus totus. Vere potuimus in illo Evangelium hoc, ac [*pro* velut] si corporaliter agnoscere, quia *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Matth.* IV). Nam, dum omnem sibi fere victum subtraheret, plus tamen omnibus laboravit. Venias de nocte, aut si privatim posuit, in die fecit permultas. Ad tertiam usque stabat frequentissime. In consecrandis vero ecclesiis vel altariis, quasi plenus spiritu, infremuit totus: quia ferventi semper devotionis amore, quidquid erat ecclesiasticum peregit. Mirabamur omnes subtilitatis ejus inexsuperabiles vires, quia nobis penitus penitusque lassis, solus laborabat.

Ut autem missarum ad solemnia ventum est, confestim totus lacrymis manabat. Librum ubivis [ubicunque] reperit, statim perscrutari diligentissime studuit; ut quidquid diebus tanquam percurrendo carperet, id noctibus pleniter ruminaret. Si quando in expeditione, sicut sæpius, aut in itinere fuit, licet multum fatigatus, non tamen aut cibum idcirco lautius sumpsit, aut in lecto quievit. Summæ ejus deliciæ, aut fructus fuerunt aut herbæ. Omnem vitam et conversationem suam, quantum potuit, abscondit; sive fuit cum hoste in campo, sive privatim in domo, lectum suum modica circumdabat cortina, ibique [ut ibi] solus vel legeret, vel scriberet. A media semper nocte, sicut ait Propheta (*Psal.* CXVIII), ad officium surgebat matutinale, nisi raro parceret debilitati filiæ sibi commissæ, scilicet gloriosæ dominæ Mathildæ; nam mater omnium virtutum discretio regnabat in ipso. O felicem illam, cui talis, tam providus semper assidebat pædagogus, non tanquam homo providus, sed ut providi consilii angelus! Nunquam, ut arbitror, astante illo, aut defraudata est aut decepta.

Mire mirandum, dum totam quandoque staret diem cum sæcularibus in consiliis plurimis et diversis, non est mente abalienatus, sed divinum semper aliquid intus agitabat et contemplabatur cœlestia. Milites domus illius, tametsi nimium sæculares, in illum tamen respexerunt omnes; plus ipsum quam naturalem dominam metuentes. In expeditionibus

A et in cameris, inter quæque colloquia vel consilia, aut prædicavit aut quælibet bona verba protulit. Quod suum fideliter secuti sunt consilium, sicut eis prædixit, sic et sæpius illis evenit. Si non omnes prorsus convertit, fideliores tamen plures Deo ac dominæ ipsorum reservavit. Omnes vero a multis sæpe sceleribus coercuit, contra hæreticos stare fecit, præter filios tenebrarum perpaucos.

Religiosos omnes venerabatur ut Patres, increpavit delinquentes; et hæreticum hominem secundo aut tertio correptum, sed non correctum, devitavit. Per singulas Ecclesias in omni supra dictæ sæpius dominæ terra regularem clericorum vel monachorum composuit vitam; qui et malle se inquit ut in Ecclesia nullus esset vel clericus vel monachus,
B quam irregularis, ut ita dicam, et irreligiosus. In divinis siquidem officiis quo affectu quave contritione fuerit, non sufficio deponere [exponere].

Nihil in ecclesia legere permisit, præter orthodoxorum Patrum scripturas, sicut sancta præcipit auctoritas. Ordinem et concordiam, tam in cantu quam in lectionibus, prout sancti Patres statuere, conatus est observare. Apocrypha omnia sicut beatissimus papa Leo constituit, in Ecclesiæ non recepit officio; pro lectione tamen privatim in mensa vel collatione non respuit omnino.

Psalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus præcepit, alioquin aspere increpavit. Novit Deus quoniam videbar mihimet aliquando tanquam
C plenus spiritu ex ipsius aspectu, et, quasi mei oblitus, videbatur ille mihi velut angelus. Inter divina mysteria nunquam vel raro sedebat. Missarum solemnia nunquam, prout percipere potuimus, sine lacrymis explevit. Ante omnia vero id studii semper habuit quatenus primum magistrum suum papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Illius semper meritis attribuit quidquid in ipso fuit.

Dum vitam rememoravit monasticam et solitariam, quam se crebro deflevit amisisse, consolatus in eodem magistro est quia obediens sibi usque ad id factus est. Ille fons erat; hic quasi rivus bonus ab illo fluebat, et aridam irrigabat. Ille caput, totum
D corpus gubernabat; iste, quasi manus studiosa, quod injunctum est, peragebat. Ille sicut sol illuminavit omnia; iste velut splendor declaravit singula. Ille moriens mitram capitis sui transmisit isti tanquam potestatem suam ligandi et solvendi, sed et miracula, credo, faciendi.

Nam non multo post, cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius consilium et fidem magnam præclara quædam fecit Deus per eamdem mitram mirabilia. Inter alia enim reverendissimus dominus Ubaldus, Mantuanus scilicet episcopus, multis jam annis gravissime spleneticus, toto corpore ulceratus, præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere vel sedere, qui et multa in medicos erogaverat nihilque profecerat apposita

eadem mitra, ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.

Beatissimus itaque talis ac tantus magister miracula fecit multa vivus et mortuus. Fecit siquidem et bonus discipulus. Magister, inquam, in Deo; discipulus in Deo; et in beatissimo magistro facit, ut dicitur, plura discipulus. Nec mirum. Plura enim Petrus fecit, quam Christus; non equidem propria virtute, sed quia abnegans semetipsum secutus est Christum, sicut et hic Pater noster venerabilis; quia pium imitatus est in omnibus magistrum, multas operatur virtutes. Multi enim sunt quorum vitam novimus sanctissimam; qui et requiem vere obtinent sempiternam, sed miraculorum non ostenderunt virtutem. Hic autem non tantum quia vitam fecit religiosam, imo quia fidelem peregit obedientiam, perfecto quoque odio partem odiens excommunicatorum et unitatem diligens atque defendens Catholicorum, miraculis approbat quod sermone docebat. Omnes ergo qui in unitate catholica præceptis domni papæ Gregorii hactenus obedistis, gaudete et exsultate, atque his, qui retrorsum abierunt et vestigia veritatis dereliquerunt, ut factis modo credant dicite, quod verbis olim noluere.

I. Vidimus præsentes in vita ipsius subdiaconum ejus, nomine Teutonem, qui infirmos semper habebat oculos; qui, et si præter solitum quid vigilavit interdum, aut bibit forte vinum, diu postridie vix quidquam potuit videre, legere vero prorsus aliquandiu non potuit. Aquam itaque, qua manus suas domnus episcopus post sacrificium abluit, accepit, oculos lavit et sanos abinceps habuit. Vigilare ac legere non minus nobis aliis potuit.

II. Similiter et presbyter ejus Wido, febres patiens, aquam ablutionis manuum ejus accepit, bibit et evasit.

III. Item Joannes diaconus suus, dum apud Mediolanum infirmaretur, festinavit sibi mandare, hoc addens in legatione quod mox audita ipsius passione, vellet in se virtutem benedictionis suæ sentire; factumque est, ut credidit, statim enim sensit; pauloque post pleniter evasit, quem et presbyterum postea idem dominus episcopus ordinavit.

IV. Supra dictam quoque sibi commissam filiam, scilicet nobilissimam dominam Mathildam, diversis sæpe ab infirmitatibus sanavit sola benedictione, et, ut ipsa nobis consueverat referre, virtutem frequenter ab illo sensit exire, ita ut ad tactum illius fugeret omnis tunc incumbens morbus.

V. Cogitationes hominum evidenter cognovit interdum, ipsisque cogitantibus: « Sic et sic, inquit, tali hora, talique in loco cogitastis. »

VI. Testis mihi Deus est quod non mentior, quia, dum semel cum illo de meis peccatis, sicut sæpe solitus eram, conferrem, quamdam tentationem, qua tunc ferventius me spiritus nequam conabatur impugnare, confessus dixi; et ipse: « Verum, inquit, dicis, quia in ipso etiam ministerio altaris interdum occurrit tibi. » Quod ut audivi, mox expavi, et ab omni deinceps prava cogitatione, præsertim ille præsente, studebam me coercere. Inter missarum quidem sanctas celebrationes, talia maxime consuevit videre; qui etiam id semper studii habuit ut quotidie missas celebraret. At, si die aliqua non celebravit, quod rarissime tamen aliquo accidit impedimento, tota die illa tristior erat et quasi gravis pernimium; sicut et illam quoque noctem, dum nimiis ex vigiliis coactus dormivit aliquantulum, gravem et inquietam deploravit.

VII. Revelationes quoque digne memorandas vidit sæpissime; quarum aliquas libet breviter perstringere. Quodam enim tempore, dum in ecclesia S. Pauli in territorio Mantuano, juxta episcopum, consecraret quoddam altare ad honorem S. Mariæ, vidit ipsam corporeis oculis in eodem altari inter ipsa solemnia consecrationis.

VIII. Alio quoque tempore in Purificatione ejusdem gloriosæ Virginis Mariæ, dum tardior ad ecclesiam veniret, cantantibus jam clericis invitatorium, ubi ait, *occurrens Deo suo*, vidit intranti sibi Christum venire in occursum.

IX. Altera vero vice quadam, dum in magna compunctione cordis et lacrymarum decantaret psalmum LXXXI, utpote, *Inclina, Domine, aurem tuam*, sensit Dominum ad se inclinatum, et tanquam aurem adhibere ad auscultandum. Multa quippe et alia fecit atque vidit, quibus festinantes modo supersedemus.

Postremo, quam felicem fecerit finem, multi episcopi, et clerici nobilioresque laici præsentes viderunt. Testamentum non fecit, quia, unde faceret, non habuit, imitatus etiam in hoc magistrum, quem pauperem et in exsilio novimus defunctum. Qui etiam in extremis suis, sicut ab ipsius capellanis didicimus, religionis [religiosis] *Post omnia*, inquit, *dilexi justitiam et odio habui iniquitatem, idcirco morior in exsilio*. Equidem, quod in vita sua magister ac discipulus docuerunt, hoc et in more quasi testamento confirmaverunt. Ille, quos obedientes sibi vivens adhuc benedixit, moriens quoque Domino precibus commendavit; Heinricianos vero penitus penitusque, nisi post magnam demum conversionem et pœnitentiam, reprobavit. Hic præsentibus nobis in verbo Domini præcepit ut in fide ac doctrina beatissimi papæ Gregorii permaneamus. Quod et cum benedictione nobis indidit et in remissionem peccatorum nostrorum commendavit.

X. Adfuit huic benedictioni quædam matrona nomine Berta, nobilis genere, nobilior mentis indole, animique devotione, uxor clarissimi comitis Bernardi, quæ insolitam in capite patiebatur infirmitatem. Nam tanta in vertice capitis fatigabatur frigiditate, ut quasi glaciem superpositam æstimare interdum posset; quam calefactis ad ignem pellibus aut pulvinaribus sæpe conabatur depellere; sed et medicis exquisitis plurimis, nullam consecuta est sanitatem. Quod si frigus eam aut ventus ibidem

aliquando tetigit, dum fortasse improvida dormivit, non cooperto diligenter capite vehementi vexabatur dolore, ut quasi vertentes vel exsilientes oculos timeret, et tanquam contractis colli nervis caput flectere non posset. Hæc, inquam, venerat illo quadragesimali tempore ad civitatem Mantuam ad comitissam Mathildam, ut tam venerabilis episcopi sanctum et quotidianum audiret officium. Unde accidit ut in extremis ejus ad benedictionem, quam prædiximus, citius multis aliis occurreret. Quæ, dum benedictionem ab ipso devotissima expeteret, manum ille capiti ejus imposuit, et expulso mox insanabili frigore, calorem illa saluberrimum recepit, et exeunte sudore atque aliquantula sanie per auriculas ejus, usque ad octavas Paschæ sublata est omnis occasio infirmitatis. Quanta deinceps signa clarissima Deus per ipsum sit operatus, quid mea refert dicere, dum constet perplurimos præsentialiter omnia vidisse?

XI. Rogavit itaque, quoad vixit, quatenus in capitulo monasterii S. Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani, sub obedientia sacri Cluniacensis cœnobii, unde frater ipse ac monachus fuit, sepulturæ commendaretur (483); et cum, concedentibus episcopo atque comitissa cæterisque omnibus, jam deferretur ad monasterium corpus, adfuit subito Sutriensis episcopus nomine Bonizo [Bar., Sabinensis episcopus dominus Domnizo], quem et Spiritus sanctus suscitavit, ut clamaret dignum esse, ut in episcopio episcopus sepeliretur. « Tanta, inquit, lucerna, non decet, ut abscondatur. Ipse adhuc vivens tanquam indignum se humiliavit, nos autem, ut vere dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum. » Acclamatum est idem statim ab universis, rapiturque a monachorum obsequiis; in episcopium defertur, ibique venerabiliter sepelitur. Mirabamur hoc quasi magnum primo miraculum, nescientibus, quod abinceps satis mirabilius erat futurum.

Nam et id quoque tunc notavimus, quod et multi episcopi et cardinales, magna etiam multitudo militum, die obitus sui eamdem in civitatem venerant. Aderat siquidem Magalonensis episcopus, nomine Godefridus, et Benedictus Mutinensis episcopus, atque Aribertus Regiensis episcopus, et ejusdem civitatis episcopus, scilicet Mantuanus, Ubaldus vocitatus; sed et Damianus, cardinalis Romanæ Ecclesiæ, qui et abbas Nonantulensis cœnobii.

Hi omnes ad audiendam ejus sapientiam, ad capiendum ipsius consilium, sicut sæpe ipsi ac cæteri Catholici consueverant, advenerunt. Sutriensis quoque pridie tantum recesserat; sed mox post transmigrationem ipsius, eodem die adfuit opportunus. Isti, inquam, et alii perplurimi, majores ac minores interfuere, qui et ipsius transitum viderunt, et clara miracula post obitum ejus præsentes cognoverunt.

(484) Igitur anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1086, episcopatus vero sui anno XIII, indictione nona, finitis jam annis septem excommunicationis Heinrici quondam regis; post transitum autem felicissimi papæ Gregorii VII, menses novem, dies viginti tres, obdormivit in Domino venerabilis dominus et Pater noster Anselmus, Lucensis episcopus, XI Kalend. Aprilis, in civitate Mantua, præsidente reverendissimo episcopo Ubaldo, atque dominante ibidem nobilissima duce ac marchionissa Mathilda.

XII. Tertia itaque nocte post sanctissimi Patris venerandam dormitionem, quædam contracta quæ una semper manu, et posterioribus per terram serpebat potius quam gradiebatur (485); quæ etiam in domo nepotis episcopi annum unum et duos menses, ac dimidium manserat apud prædicti Patris tumbam, meritis ipsius sana erecta est in prima noctis vigilia.

XIII. Sequenti vero die, circa tertiam, ut visum est, horam, fertur quod quædam a nativitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis comitatus incolam tunc audivimus.

XIV. Eodem quippe die quasi hora sexta, pauper quidam in hospitio pauperum prædicti præsulis Mantuani, aliquanto tempore eleemosynis sustentatus, a renibus usque curvus, ad ejusdem sancti Patris sepulcrum orans, subito se sanum erexit.

XV. Divulgatis itaque longe lateque talibus miraculis, ecce mulier quædam de castello, quod Capitellum dicitur, quæ visum penitus amiserat, cœpit virum suum flagitare ut ad sancti viri corpus eam perduceret. Illo vero negante, frater ejus misericordia motus, junctisque bobus plaustro, cœpit eam deferre. Dum autem duobus milliariis perrexisset, incœpit arbores et plaustrum, et boves cæteraque jam omnia videre; quæ gratias Deo, ejusque sancto confessori agens, votum de paupertate sua faciens, domum reversa est.

XVI. Die nona erat in eodem castro alia quædam cruribus ac renibus contracta, quæ nulla ex necessitate, lectum suum per se potuit exire. Hæc apud civem quemdam Mantuanum, qui venerat illo, precibus impetravit, quod impositam plaustro suo ad urbem detulit, et ad tumulum sancti præsulis humeris suis portavit : quæ, facta aliquanta oratione, paulo post sana surrexit.

XVII. Die undecima, quædam etiam de castello, quod Goudium dicitur, mensibus tunc viginti privata luminibus, biduo jejuna juxta corpus sanctum demorans, pristinam luminum claritatem recepit.

XVIII. Die quinta decima, altera quædam de castello, ut dicitur, Lazese, manu et pede contracta ore contorto, morbo caduco gravissime vexata, ibidem aliquandiu patiens, plenam recuperavit sanitatem.

XIX. Die sexta decima deinde astantibus nobis

(483) Sequentia recitat Bar., anno 1086, n. 10.
(484) Recitat hæc Bar., anno 1086, n. 9.
(485) Recitat hæc Bar., anno 1086, n. 11.

pariter cum gloriosissima domina Mathilda, et psallentibus in die sancto Parasceve, adveniens quædam de loco, qui Coloniole, quæ visum perdiderat, flens et ejulans, devotissime faciens venias, et post aliqua surgens, oculos ad tapetum sepulcri tersit, visumque recepit.

XX. Die decima octava, mulier etiam una ejusdem civitatis non ignota, dentium dolore ac viscerum torquebatur : quæ confugiens ad prædicti confessoris sepulcrum, sana mox facta est.

XXI. Altera quævis de oppido, quod Castellucule appellatur, adeo infirmata est ut a lecto surgere non posset ullo modo. Hæc, auditis tot miraculis, votum fecit, pauloque post evasit, atque octava die pedibus suis ad sancti viri tumbam veniens, votum ipsamet persolvit.

XXII. Die vigesima prima, erat insuper civis Mantuanus, qui, superveniente albugine, unius oculi visum amiserat. Multa itaque in medicos expendens nihilque proficiens, ad verum medicum salutis, per merita supradicti præsulis sanctissimi confugit, visumque recuperavit.

XXIII. Die vigesima tertia, post hæc puer unus de villa Vadumferratum appellata, quem arthetica [artritica, *opinor*] officio brachiorum privaverat, ad idem oratorium delatus, sanitatem recepit.

XXIV. Die vigesima quarta, alius etiam puer de Burbassic, lumine privatus oculorum, et quasi hydropisim perpessus, admonitus sæpe in somnis tandem ad sanctissimi Patris patrocinia confugit et evasit.

XXV. Die trigesima prima, fuit presbyter de episcopatu Brixiensi de castro nomine Gorelengo, cui malum id, quod per antiphrasin homines *bonum* appellant, unius oculi lumen abstulerat, qui, audita tantorum signorum fama, ad sanctum sepulcrum properavit, facta vero ibidem oratione reversus est, et quavis prurigine, dum erat in via incitatus, oculum digito fricavit, apertisque mox palpebris clare vidit. Regressus ergo ad civitatem, gratias coram omnibus tam pio retulit patrocinio.

XXVI. Nocte sequenti trigesimum primum diem, quædam autem de castello nomine Maratica, juxta portum Lignacum in comitatu Veronensi, habens sinistram manum clausam, sed et totam partem illam gutta paralytica perditam. Hæc, trigesimo die obitus ejusdem S. præsulis, ipsius ad tumbam orans, sana surrexit.

XXVII. De comitatu quoque Mediolanensi, de plebe Rosade quidam claudus advenerat, qui et multa jam sanctorum limina sic contractus sanitatem expetens circuibat. Hic ad sanctum tumulum proruens, orationem faciens, sanus continuo factus est.

XXVIII. Die trigesimo nono, accidit deinde quod in multorum oculis jucundum fuit et mirabile. Nam in litaniis, quæ Gregorianæ appellantur, dum innumerabilis hominum multitudo ad supra dictam civitatem Mantuam concurreret, quidam de villa nomine Fornicata, et alia, quæ Blittolo dicitur, cum vexillis et sanctuariis reliquiis], sicut est consuetudo, venientes, et secus viam conspicientes cervam unam magnam, admoniti a quodam ipsorum presbytero, cœperunt omnipotentiam Dei invocare, quatenus meritis sanctissimi sui sacerdotis, ad quem devote pergebant, illæsamque eis ipsam concederet, quod et sic factum est. Nam, quasi fixa loco, stetit quieta. At illi, misso in collum ejus quodam funiculo, ad usque sepulcrum venerandi confessoris mansuetissime perduxerunt. Factus est itaque inæstimabilis turbæ concursus. Alii pilos ipsius, tanquam veritatis indicium, rapuerunt. Alii tantum videre cupierunt; omnes autem æquanimiter mirati sunt. Sed, quia erat gravida, tantam sustinere pressuram non potuit, ad sepulcrum tamen pervenit, ibique succubuit; et paulo post, dum vivere non posset, occisa est; cujus caro in benedictionem diversas per partes divisa est, quæ multis certe infirmis pristinam reddidit sanitatem. Sed non minus laudabile ac gloriosum est, quod sequitur :

Revertentibus enim eisdem post completam orationem, quamdam ad aquam venerunt, quam, nisi navigio, transire non potuerunt. Ut autem manifestarentur opera Dei, navis alteram in partem traducta est. Diu ergo exspectantes et aliquantulum tristes, eo quod jejuni erant ac fatigati, recordantes prioris miraculi, iterum invocaverunt Deum ut per merita sui sancti confessoris Anselmi transeundi daret consilium. Vix precibus completis et ecce navis dissoluta absque omni remige venit ad eos. Gratias itaque referentes Deo ejusque confessori sanctissimo, omnes transierunt incolumes, cujus ex navis ligno diversis de doloribus perplurimi sanati sunt.

XXIX. Nosse etiam volumus sanctum desiderium vestrum, quod non aliunde didicimus, verum ipsi vidimus et fecimus. Erat in obsidione cujusdam castelli veneranda, quam prædiximus, comitissa, ubi Teutonicus quidam ictu petræ vulneratus est in capite; qui triduo post deductus est nostrum in hospitium, quatenus ibi meliorem quam apud laicos haberet tranquillitatem. Hunc deinde gutta, quam paralysin medici vocant, tam crudeliter invasit quod amens penitus factus est, adeo ut nihil sane sentiret, neminem cognosceret. Vocati sumus denique et nos, quatenus injuncta ei pœnitentia communionem daremus. Sed neque pœnitentia quid esset potuimus ei innotescere. Postremo, nec quid Deus esset potuimus eum facere agnoscere, aut Deum vel aliquem sanctorum invocare. Æstimabamus certissime dæmonium illum habere. Vociferabatur enim, ut assolent insani, clamore valido inconvenientia multa; et nisi teneretur violenter, non solum vestimenta, verum etiam discerpsisset membra. Auditur undique clamor, accurrunt plurimi, alii plangentes, alii admirantes. Audivimus quoque nos in camera ipsius

dominæ, lamentabilem illius vocem, quæ divino compuncta instinctu, ait ad me ut annulum, qui S. Anselmi fuerat, quem etiam beatus papa Gregorius aliquandiu habebat, in aqua lavarem, quam bibendam, sibi [ægro nimirum] porrigerem, sperans quod meritis ipsorum liberaretur. Surgens ergo, et accepto annulo, perrexi ad eum, quem inveni miro modo vociferantem, ac seipsum discerpentem.

Nam licet eum quinque viri fortes tenerent, duo per crura, duoque per brachia, et unus in capite, luctabatur tamen pectore ac ventre magis quam crederem, nisi præsens vidissem. Accepta itaque aqua, annulum intus in nomine Domini posuimus, et aperto ejus ore in magna violentia cum cocleario parumper eum vix primo potavimus; qui non multo post vocavit me ex nomine, atque incœpit vocem meam agnoscere, et admonitus continuo invocavit S. Anselmum; et, ut breviter dicam, post unam, ut æstimo, horam meritis sanctorum confessorum qui eodem annulo in divino utebantur officio, requievit mansuetissime et loquebatur recte. Huic nempe miraculo multi intererant, qui præsentes viderunt et audierunt, atque misericordiam Dei in suis sanctis confessoribus glorificaverunt.

Hæc de beatissimo Patre ac patrono nostro sancto Anselmo Lucensi episcopo perpauca quidem, quantum ad ipsius merita, sed vestris, spero, piis desideriis proficientia, ego B. peccator presbyter suus in pœnitentia, non dico filius, sed servus, ab ipso multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus, venerabiliter vobis expetentibus explicavi devotus. Precor vos, orate pro me.

Quæ sequuntur a recentioribus conscripta sunt, sicut ipsi aut viderunt, aut a fidelibus intellexerunt.

XXX. Quadragesimo nono die a sancti viri transitu, sole jam occidente, per famulum suum dignatus est Dominus ostendere et hoc miraculum. Venit ad tumulum sanctissimi Patris nostri quædam de episcopatu Cremonensi, de ora illa quæ dicitur Cancer, cui albulum unius oculi lumen penitus abstulerat; alteri vero vix in die videndi facultas erat. Quæ orationibus aliquandiu insistens, meritis sancti præsulis cæcati oculi claritatem recepit. Alteri autem, cui meridies ad videndum antea vix suffecit, nunc crepusculum noctis obedit.

XXXI. Convenerat ad urbem Mantuanam pro veneratione sancti viri multitudo magna, de civitate et episcopatu Brixiæ. Inter quos erant quidam sub obtentu religionis, imo causa simulationis. Ad quorum incredulitatem confutandam, et ad credentium qui ibi aderant fidem corroborandam, Dominus omnipotens suam ostendit misericordiam; quidam enim senex de familia Manifredi, de loco qui dicitur Pigognata, ob incisionem unius genu, accedente quoque alteri gutta [apoplexia], occasione hujus incisionis, officio pedum tribus mensibus caruerat; qui meritis beatissimi Anselmi pristinæ restitutus est sanitati die quinquagesimo ipsius obitus.

XXXII. Dominæ Mathildæ, Ubaldus Mantuanus episcopus, gaudium et lætitiam (486).

Immenso desiderio vestro desideratam scribimus lætitiam. Fuit quædam de Capriana, quæ, velut animal, manibus et pedibus incedebat, quam Deus omnipotens per merita sanctissimi Patris nostri erexit, et ad iter tantum officio pedum, sicut hominis natura expetit, frui concessit.

XXXIII. Simile etiam remedium cuidam de insula Parmensi, quæ est juxta caput Parmulæ, similiter incurvato conferre dignatus est.

XXXIV. Præterea puer quidam de Monte Claro manum et pedem contractum habebat, cui Deus utrumque precibus beatissimi præsulis ad certum usum restituit.

XXXV. Nec non muneri cuidam de loco, qui dicitur Insula Ogeru [Bar., Egeni], quæ manum aridam habebat, per ejusdem patroni nostri intercessionem optata salus advenit.

XXXVI. Cuidam quoque puero de Ripalta [Bar., Rivalta] visum reddidit.

XXXVII. Quædam similiter de episcopatu Veronensi, cum jam civitati nostræ appropinquaret, oculorum claritatem recepit.

XXXVIII. Quidam etiam de Plevazano [Bar., Plovizano], cujus calcanei natibus indissolubiliter adhærebant, pristinæ restitutus est sanitati, quem domino et religioso viro Lugdunensi archiepiscopo ostendimus, et locum denotavimus ubi calcanei juncti fuerant. Quæ multi ex episcopatu Brixiæ et Veronæ, diversisque aliis partibus, qui convenerant pro veneratione viri in vigilia Ascensionis Domini videntes fieri, conversi sunt ad Dominum, abrenuntiantes diabolo et sequacibus, et promittentes se prius ad effusionem sanguinis perventuros, si ad id periculi devenirent quam ab hac fide deficerent. Hæc omnia in vigilia Ascensionis Domini, et in sequenti nocte facta sunt; et multa alia, quæ præ multitudine invenire non potuimus; quæ, si invenerimus, vobis scribemus (487)

XXXIX. Erat præterea quædam de castello, cui nomen est Gudiciole, quæ pede ex contractione genu terram attingere non valens, incedendo curva vix duobus baculis infirmos sustentabat artus. Hæc aliquot diebus sancti pontificis postulans misericordiam, consecuta est suæ infirmitatis salubrem medelam.

XL. Fuit pariter vir quidam nobilis genere, Adecherius nomine, cui biduo sanguine e naribus erumpente, velut de vena ferro percussa, de sola mortis exspectatione jam cogitabat. Sed cum jam nulla medicorum adhibita cura perrumpentem sanguinem valebat restringere, interpellans sanctum pontificem, atque ad ipsius corpus se venturum devotans,

(486) Recitat hanc epist. Bar., anno 1086, num. 12.

(487) Hucusque epistola Ubaldi.

instantis mortis evasit periculum meritis et precibus sanctissimi viri.

XLI. (488) Miraculorum quædam vel oblivioni tradita vel antea incognita, nunc vero comperta, notitiæ vestræ præsentare cupio. Remeantes cum gaudio Brixienses, de quibus nuper scripsi vobis, cum jam perventum esset ad vadum quod paululum est supra Godium, non reperta ulla navi, nullam in corde suo tulerunt molestiam, omnem in Deo et S. Anselmo ponentes fiduciam. Moram itaque facientibus, quodam equo ex alia parte fluminis viso qui moriens et exhalans absque cibo et potu per triduum ibi jacuerat, quidam ex eis indubitanter rogavit Deum et S. Anselmum ut surgeret et omnes transveheret. Qui mox surrexit, et ad transferendum eos se obtulit.

Ecce, quam magnifica Patris nostri merita! Ecce, quam imperiosa potentia! Mortis lex frangitur, sua jura mutari queritur, obnoxius morti eripitur, vitæ conceditur, vitæ reparatur, ut servis Dei obsequatur; et qui se ferre non poterat, ad ferendum onus præparavit, et tam famulanter ad parendum se offert quasi ratione non careret. Velle dicere videtur : Si natura pateretur, cur me non ascenditis? Cur me ad servitium vestrum non exercetis? Non sum ob aliud vitæ concessus mortisque faucibus ereptus. Interea quidam nautæ videntes illos apud ripam manentes, navigio ad transvehendum illos advenere, sperantes se ab eis pretium habere posse. Quam navem intraverunt, et feliciter transierunt. Ecce quantum equus laborabat, ut se obedientem exhibeat, et quantum nititur, ut obsequendi voluntas manifestetur! Sed quod ore non loquitur, hoc gestu corporis profitetur. Transgrediente quippe navi transgreditur, revertente quoque illa, revertitur. Postremum transvectis omnibus, ad locum unde venerat perrexit, ibique paulo post vitam finivit.

XLII. Fuit per quidam Cremonensis a compluribus vicinis suis ad tumbam sancti viri allatus, qui manum aridam habebat. Ejus salutem reverenter et confidenter et præ magna confidentia, quasi minitanter, postulabant, dicentes : « Piissime præsul, sancte Anselme, confessor Dei, exaudi nos pro famulo tuo orantes; si quid in vita a te meruimus, si prædicationem tuam fideliter accepimus, si fidem incorruptam servavimus, si contradicentibus tibi constanter restitimus, exaudi nos, adjuva eum et libera; multos sanasti infidelibus, unum saltem concede fidelibus, ne forte insultent nobis inimici objicientes : Nunc apparet, quam grati, quam fidi ei in vita exstitistis. Si vos in vita dilexisset, in morte quoque vos honorificasset; sed quam vos indignos, abominabiles, contemptibiles esse judicavit, a tanta gratia alienos vos fecit. Repelle a nobis, piissime Pater, hoc opprobrium, et cito profer nostrum gaudium. Monstra te nobis propitium, in quem semper respeximus unicum, quem nobis inspiciendum proponimus speculum, a quo postulamus auxilium. » Illis ergo tam devote orantibus, quam rogabant salutem eorum precibus est consecutus. Quam quidam Hermannus de Scorzariolo, qui manum similiter contractam habebat, est adeptus.

(489) Præterea mulier quædam, quæ humum cernua semper spectabat, quæ nisi fuste sustentata ire non valebat, apud tumulum memorati Patris, multis videntibus est erecta. Cujus locum non notavi, quia præ multitudine inveniri non potuit.

Tertia vero die Ascensionem Domini antecedente, duo facta sunt mirabilia. Quædam enim de episcopatu Cremonæ, de loco qui dicitur Casa Anserii, quod per octo annos amiserat, intercedente sanctissimo patrono, lumen recepit.

Ipsa quoque die, mulier quædam de abbatia Leonensi, dexteram habens aridam, quam contractis nervis brachii, fere juxta humerum semper tenebat, contractoque genu ejusdem lateris humum digitis pedis summo tenus vix tangebat, apud tumulum sancti Patris nostri utriusque mali sospitatem invenit.

Inter illa quæ in ascensione Filii sui Deus per famulum suum magnifice operatus est, mirabiliter admirandam ejus virtutem postea mihi declaratam ab eodem cui salutis nostræ Auctor suam contulit medicinam desiderio vestro desideranter notifico. Quidam enim fuit de villa vestra quæ est prope Rosinam, nomine Ciliano, qui non tam renum [genuum] rectitudinem dolebat sibi fuisse negatam quam manuum virtutem omnino ereptam. Adeo enim, gutta immaniter perurgente, tremebant, quod nihil agere nihilque tenere valebat. Huic itaque per visionem Dominus revelavit quod si ad tumulum sanctissimi Anselmi se venturum reverenter voveret, utriusque infirmitatis salutem illico se adeptum gauderet. Hic ergo evigilans, visionem secum cogitans, nescius quid ageret, ambiguus quid crederet, revelationis incredulus, salutis tamen cupidus, quosdam bonos homines suæ viciniæ ad se acciri fecit, narrataque visione, vovendi se ab eis consilium recepit, factoque voto, statim convaluit.

Item mulier quædam de Fossa Capraria, renibus [genibus] incurvata, pedum servitio privata, eorumque loco fustium auxilio diu potita, cum jam accessisset ad tumulum Patris nostri, sole jam decedente, tam gravis et variæ infirmitatis subito sospitatem recepit.

Quod mihi quædam matrona mulier honesta, mater Joannis de Persico, retulit, vobis quoque referendum putavi. Hæc fide plena, Dei amore perfecta, sanctissimi Anselmi disciplinis instituta, suorum presbyterorum officium propter excommunicationem spernens, quadam die dum a circumstantibus quæreret unde aliquem dignum et ad celebrandam missam idoneum habere posset, quidam de Casalo Majore astans dixit : « Cur vestrorum presbyterorum

(488) Epistola altera, Ubaldi episcopi Mantuani, ad eamdem illustriss. dominam Mathildam.

(489) Post hæc nulli amplius numeri in apographo nostro signantur.

ministerium contemnitis? — Propter amorem, inquit, et prædicationem S. Anselmi, pro cujus meritis Dominus omnipotens quotidie facit mirabilia. « Qui dixit : « Nunc vos deprecor, in toto corde rogetis eum ut, si aliquem erexit, sicut creditis, me contrahat; aut, si quem illuminavit, mihi lumen auferat. » Vix finita prece, ultionem Dei sensit adesse, et continuo flectens se in latus, multum claudicare cœpit. Hæc autem videns hoc, cœpit intentius rogare Deum, ut adhuc augeret supplicium super incredulitatis filium, et confestim dolor tantum crevit quod vix ad hospitium perrexit, et quasi mortuus est relictus. Huic ergo matronæ venienti, ut gratias Deo et S. Anselmo referret, quidam de monticulis Guiberti, bene notus, ei obvians, jam ab urbe regrediens, magnum sibi quod contigerat narravit miraculum. Quadam nocte cum ivisset ad flumen Oleum, ut hauriret aquam, porrecto uncino, quoniam ripa fuerat alta, decursus aquæ sibi situlam abstulit, ablataque face, quoniam nox obscura erat, cum videret a fluminis vertigine abduci, rogavit S. Anselmum ut eam sibi redderet. Facta autem prece, cum deposuisset uncinum, et vix duo brachia appropinquaret aquæ, continuo ansa situlæ se elevavit et uncino se applicavit.

Per merita ejusdem sanctissimi Patris nostri quædam monacha de ultramontanis partibus de villa, quæ dicitur Gamudium, juxta castrum Cisne sita, unius oculi lumen recepit, et de altero, gratia Dei, nunc clarius videt, unde paululum videbat.

Quædam igitur mulier de episcopatu Cremonensi, de castro, nomine Benengo, quod est situm juxta Jovisaltam, habebat puerum duodecim annorum qui nondum a diebus nativitatis suæ, nervis contractis, noverat gressum. Hujus ergo salutis mater cupida, devotione plena, fide perfecta, eum se laturam ad venerandum vovit, deferensque, jam fessa propter onus, cum accederet ad marcham regiam, deposuit; cujus fide et devotione, qua semper caruerat, salutem mox invenit.

Præterea quædam mulier de Wartalda in somnis præmonita, revelationi credula, venit ad implorandum S. Patris nostri salutare suffragium. Hæc adeo hydropico morbo laborabat quod se ferre non valebat. Ejus namque corpus tantum intumuerat quod se, quin creparet, vix continere poterat. Nec jam dicendum corpus, sed potius truncus; nec ulla hominis in ea videbatur species, sed tota deformis, et quædam mortis facies. Articuli enim manuum et pedum in solidum abierant. Nam si forma et oculorum orbitas perierant, mors potius quam vita instabat, et de salute non desperabat. Dignum ergo fuit ut sanctissimus Anselmus huic salutis tribueret gratiam, a quo tantam exspectabat medelam, quam sequente nocte lætatur se esse adeptam.

Sicut a comite Guifredo et a Sigefredo de Beredo ejus milite modo didici vobis scribo. Vobis et abbatissa S. Pauli de Parma Mantuæ manentibus, ejus milites, auditis multis signis de S. viro, ad cujus venerandum tumulum ire volentes orationis causa, rogaverunt quemdam, nomine Albericum, filium Alberici de Palmia, ut secum iret pro delictorum suorum petenda venia : « Sicut, inquit ore stulto et livore pleno, irem ad asinum, ita vadam ad eum, nisi fortasse derisionis causa, ad ejus impetrandum auxilium. » At illi redarguentes et contumeliam inferentes, tandem ut secum veniret eum compulerunt. Extremo autem die, quidam contractus fuerat, quem ad tumbam prostratum videre cupientes, accesserunt, et reverenter orantes tumulique lapidem osculati, lætantes redierunt. Ille autem, ut videret (eum) qui liberatus fuerat, pariter volens accedere, a sepulcro, tanquam indignus et blasphemus, duobus fere passibus prohibetur, pedibus graviter et pigriter hærentibus. Hic vero, credens crura sua fasciolis stricta, exivit; et comperiens id sibi non obfuisse, iterum intravit, ultra eumdem terminum non valens pergere. Ipse autem, dolens sese toties esse repulsum, egressus est cum pudore, admirans et stupens quamobrem id sibi contigerit. Interea cæcus quidam illuminatus est. Cognovit ergo suam stultitiam, et maledicti pœnitens flevit amare. Denique cum canonicis pro ferendis laudibus a S. Andrea rediens, multis ante januam S. Petri profusis lacrymis, ad tumulum Patris nostri, sicut cæteri, meruit accedere. Quod ne socii ad contumeliam sibi objicerent, tacuit; sed nunc, ad gloriam Dei et ad sanctissimi Anselmi, ubique prædicat quod sibi contigit.

Cum venissent aliquot Brixienses ad venerandum tumulum Patris nostri, obviaverunt cuidam pauperi similiter venienti pro salute petenda de episcopatu Cumano, de Valtelina, qui cernuus, nisi fustibus sustentatus, incedere non valebat; quem secum duxerunt et pro charitate sanctissimi Anselmi commeatum ei dederunt. Ad quorum fidem confirmandam et devotionem augendam, Dominus per intercessionem prædicti Patris, x Kal. Junii, nocte jam appropinquante, hunc erexit, et absque baculorum sustentatione ire concessit.

Præterea cuidam puero a diebus nativitatis suæ surdo et muto, paulo post migrationem sanctissimi Anselmi ejus meritis, nobis nescientibus, reddidit auditum. Huic vero secundo die intrantis mensis Junii, circa nonam, ejus lingulæ solvit vinculum, juxta illud quod in Evangelio legitur : *Bene omnia fecit; surdos fecit audire et mutos loqui* (*Marc.* VII).

(490) Aliud quoque miraculum, quod confratre Vitali Brixiensis Ecclesiæ presbytero, religiosæ vitæ viro, aliisque pluribus referentibus didici, paternitati vestræ, venerande Pater, Mantuane pontifex,

(490) Ex epist. cujusdam Ugonis ad Mantuanum episcopum.

me Ugonem scribere, ut jussisti, non piguit. In A Villa, cui nomen est Murana, quæ a civitate Brixiæ septem milliariis distat, mulier erat quædam, filiam habens, linguæ officio et pedum ita privatam quod, nisi alio deferente, aliquo modo nullatenus surgere valebat; quæ, cum ex more portaret extra domum contractam filiam, tædio quotidiani laboris suspirans, inquit : « Piissime Deus, per merita sanctissimi confessoris tui Anselmi, misertus meæ tribulationis, aut miseram hanc præmortuam sanitati restitue, aut eam de præsenti vita auferendo me a tanto labore erue, alioquin hic eam tibi relinquo. Fac quod placet, quia nullum pro ea laborem patiar abinceps. » Quo dicto, mox abiit, filia destituta, ut dixit. Modico autem facto temporis intervallo, domum remeans, quam sanctissimo Anselmo reliquerat invenit sanam. Et eam quæ paulo ante linguæ ligatæ fuerat audivit expedite exprimere verba; quod factum mulier admirans et gaudens, Domino sanctoque præsuli reddidit laudes pro filiæ recepta sanitate.

Presbytero quoque Ottone laudabilis vitæ viro narrante, quibus et Cremonensibus civibus contestantibus, aliud cognovi miraculum quod silentio minime est prætereundum. Quadam die equitantibus extra civitatem aliquot Cremonensium, cœperunt vario sermone inter se referre quædam miraculorum quæ Dominus operatur meritis sanctissimi confessoris Anselmi. Cumque ad invicem hæc revolverent, quidam eorum, ut mentis erat perfidæ, exprobrando eis interrogabat an hujusmodi vanitates crederent, vel quod Deus per eum miracula ostenderet; quibus respondentibus procul dubio hunc famulum Dei esse sanctum et multis miraculorum signis clarificatum, inquit ille perfidus : « Si est, ut dicitis, sanctus vel si alicui reddidit gressum, nunc contrahat in quo sedeo equum. » Sicque factum est. Nam paululum progressus, mox contractus stetit cui insidebat equus, atque prædictus homo infirmitate præventus diu laboravit, donec ad sanctum corpus suppliciter ire destinavit.

Quod etiam matre mea de se narrante cognovi non est tradendum oblivioni. Die quadam subito superveniens gutta, ita unius oculi lumen sanguine cooperuit quod recto visu terram etiam spectare non valuit. Urgente itaque eam oculi dolore, confugit ad S. confessoris tumulum, suppliciter his verbis postulans suo dolori subsidium : « Sanctissime confessor, salubrem mihi confer medicinam. Nam nullum, nisi te, quæram medicum. Tu enim meæ infirmitati salubre vales conferre subsidium. » Confricato itaque oculo ad lapidem, quo tegitur sancti corporis arca, cum remearet domum, huic ego sum testis, mox noxia gutta recessit.

Relatione confratris Vitalis Laudensis Ecclesiæ presbyteri, in multorum audientia sicut et cætera, rem dignam memoria cognovi, qui huic facto præsens interfuit. Hujus fides et vita, jamdudum in Dei rebus probata, fidem ejus testimonio adhibendam indubitanter demonstrat.

Arialdus sanctissimi confessoris Anselmi frater quamdam habebat quinque annorum filiam, quam febrium vis fatigabat; et insuper ex ipsius auriculæ foramine gutta, quam dicunt, fistulam generante, putredo quædam assidue guttatim stillabat; quæ etiam approximantibus sibi fastidium generabat. Prædictæ puellæ parentes particula quam habebant de ligno navis lota (cujus miraculum superius est prænotatum), aquam ablutionis suæ filiæ dederunt bibere, invocantes sanctissimum confessorem nepti suæ subvenire, qua hausta, præfata puella utraque infirmitate mox est liberata.

Rem, quam impræsentiarum enarro, sub D. Ma- B thildæ comitissæ narratione didici et testimonio. Cujus attestationi indubitanter credendum cognovimus ex ipsius probata fide et religiosis moribus; quod etiam mihi pariter innotuit, asserente eadem puella cui hoc contigit : Nocte quadam repente dolor, ut sæpe, puellam, Athelasiam nomine, Azonis marchionis filiam existentem in prædictæ dominæ camera, in parte ventris acriter torquens magnos cogebat dare clamores. Interrogante autem prædicta domina quid ageret, responsum est eam S. Anselmum frequenter sibi in auxilium invocare. Cumque, ex præcepto ipsius dominæ, pulvinar in quo S. præsul vivus solitus erat sedere illi parti corporis, in qua dolor imminebat, fuisset impositum, mox clamavit puella omni dolore se liberatam.

C Viro quodam, Constantio nomine, asserente, rem cognovi præterea memoriæ commendandam. Superveniens infirmitas uni puero cujusdam militis scutario in tantum vocem suffocaverat quod ab aliquantulum a se remotis vix audiri poterat : et quia dominum suum clamore interclusæ vocis vocare non poterat, habebat cornu, cujus sonitu, in quo esset loco, sibi innuebat. Hic itaque cum prænominato Constantio ad S. confessoris tumulum, suffocatæ vocis devote poscens remedium, ita sospitatem adeptus est vocis quod nunc valet audiri a multum etiam remotis. Prædictus Constantius, completa devote oratione, pulverem de lapide sepulcri sancti confessoris cum devotionis reverentia rasum, et a D custode reverenter susceptum secum detulit, quem aquæ mistum cuidam mulieri vi febrium nimium laboranti, invocato auxilio sanctissimi præsulis, ad potandum tribuit. Ut autem mulier aquæ potum hausit, fugata omni passione febris mox evasit.

Vir quidam Mantuanæ civitatis civis, Oddo Martini Canevarii dictus, tanti doloris cogebatur angustia, quod frequenter præ dolore totum corpus cooperiebatur sudoris aqua. Et quia nimii doloris torquebatur instantia, dicebat se hac sola posse sanar medicina, si vestibus conscissis permitteretur cultro findere et pectus. Cum autem jam de sola mortis exspectatione cogitaret, allatum est pulvinar in quo sanctus præsul in carne manens sedebat. Quod ubi

ipsius pectori fuit superpositum, sancti præsulis invocato nomine, statim discessit omnis dolor.

Relatione Guidonis et Vitalis Lucensis episcopatus honestæ vitæ presbyteri atque pariter sub testimonio Allucionis Lucanæ civitatis nobilis viri, rem, quam narro, cognovi, qui præsentes interfuerunt huic miraculo. Vir quidam manum juxta brachium contractam habebat, cui prædicti Allucionis frater ex pietate in domo sua necessaria longo tempore ministravit. Præfati vero presbyteri, atque pariter jam nominatus Allucio confidentes maxime de misericordia sanctissimi præsulis, hominem manu contractum, ad quamdam deduxerunt ecclesiam, in qua prædictus Guido presbyter quædam sancti præsulis pro reverentia ac honore condiderat vestimenta. Orantibus itaque illis unanimiter atque postulantibus devotione multa, ut Deus ad confutandam et superandam Petri hæretici et invasoris Lucanæ Ecclesiæ nequitiam, in hoc homine declararet sanctissimi pontificis admirabilem gloriam, sanatus est homo cujus manus erat contracta. Prædicti itaque sacerdotes spectantes tam præclari facti lætitiam, ne Domini occultarentur magnalia, ex præcepto obedientiæ sanato homini jusserunt elevata cruce properare in Lucanam civitatem, ut populorum turbæ, spectantes hunc Domini misericordia mirabiliter sanum, quem paulo ante noverant contractum, vel sic pœniterent quia sanctum præsulem sanctitatis vitam prædicantem sine causa sede propria expulerunt, ut, qui verbis ipsius noluerunt credere, vel tam evidentibus operibus crederent. Sed Petrus hæreticus, qui etiam mittens manum in Christum Domini, non timuit præsumere sanctum pontificem de propria expellere sede, et sibi eam nefande eripere, indurato corde visis signis et prodigiis, adhuc perseverat in incredulitate suæ nequitiæ. Considerans denique ille nefandus hoc ad confusionem et detrimentum sui evenisse, tentavit sanatum hominem in custodia retrudere, volens hujus rei signum tali perfidia occultare. Sed, quia *verbum Dei* nunquam *est alligatum* (*II Tim.* II), timens populum in se hac de causa concitatum, confusus permisit abire quem habebat reclusum.

Sub testimonio eorumdem virorum pariter, et aliud cognovi miraculum mirifice mirandum. Hominibus loci, cui nomen est Castellonium, diu alteque puteum fodientibus, venam aquæ nulla arte, nullo ingenio reperire poterant. Cumque jam longo labore fatigati, de aquæ inventione desperantes, inani opere vellent deficere, cœperunt se adhortari dicentes ad invicem : « Instantia orationum et eleemosynarum largitione deprecemur unanimiter Dominum, ut meritis sanctissimi præsulis Anselmi nobis concedat aquam reperire, pro qua invenienda diu frustra insudavimus. » Facientibus itaque illis eleemosynarum charitatem pauperibus, subito advenit puer nuntians in puteo abundantiam aquæ repertam.

In litteris archidiaconi Tarvisinæ Ecclesiæ D. Mathildæ directis, et nuntii relatione qui eas detulit, hæc res mihi pariter et multis aliis innotuit. Erat vir quidam, Lanzo Judex nomine, Mediolanensis genere, Tarvisinus habitatione, quem [qui] ficus ægritudine vehementer virente et guttæ morbo gravite eum in pedibus ferente, et gressu fuerat privatus, et requies somni penitus sibi nulla dabatur. Et quia, viribus jam deficientibus, in lecto vix se resolvere valebat, funiculus supra lectum fuerat ligatus, cujus adjutorio se mutabat in quodlibet latus. Die igitur quadam, tractis suspiriis et profusis lacrymis, cœpit orare his verbis: « Deus, meritis S. Anselmi, cujus audio admirabilem gloriam, ostende in me etiam tuæ virtutis clementiam. Sancte confessor, memento familiaritatis quæ nos in scholis socios junxerat; prosint mihi, piissime præsul, quæ persæpe miscui tecum amicitiæ verba; ad venerandum tuum tumulum veniam, si præstas sanitatis lætitiam. » Tota itaque proxima nocte, sopore sommi arreptus, quievit usque in crastinum. Facto autem mane, sentiens se jam convalescere, mox incœpit confidenter ire, sicque sancti præsulis misericordia liberatus, nunc gaudet se optime sospitatum.

Præterea adolescens quidam auditus et linguæ officio a nativitate privatus fuerat, qui plus mensibus duobus nobiscum demorans suæ infirmitatis certam nobis et multis aliis dederat notitiam. Hic quater in somnis vidit sibi roganti sanctum pontificem, et aures juxta sanctum tumulum sibi aperiri, et vinculum linguæ pariter dissolvi. Veniens igitur, ut fuerat præmonitus, ad sanctum corpus, mugiens et pectus tundens, pro viribus, sanctissimi præsulis devote poscebat præsidium. Aliquot itaque diebus insistens orationibus, et auditus consecutus est lætitiam et distincte loquendi plenam efficaciam; quod præsentes vidimus et fere cunctus populus nostræ urbis.

Præterea mulier quædam fuit longo tempore luce privata, quam, accedente gutta, ad tempus tantus dolor capitis vexabat, ut furiosa præ angustia propria roderet membra. Hæc utique hortatu et adjutorio Opizonis de Gonzaga ad sancti confessoris deducta tumulum, et guttæ liberatur angustia, et lucis pariter consecuta est lætitiam. Cujus præteritæ infirmitatis prædictus Opizo adest testis, qui corporis alimenta ex pietate diu sibi præbuit in domo sua.

In prædio Canonicorum beati Petri in loco, cui nomen est villa Sancti Laurentii, mulier fuerat quædam, cui nasus horribiliter intumuerat, et calor intrinsecus urens saniem emittebat. Hæc devote sanctum deposcens præsulem, consecuta est desideratam salutem.

Item, quidam puer de Sacciula gaudio lucis privatus fuerat, qui rediens a Cremona ad sancti præsulis festinabat tumbam, a qua paucis diebus discesserat. Properans itaque sitienter ad sancti remeare corpus, ad lapillos sæpissime allidebat pedes, utpote homo, qui sibi adversa nullatenus prospicere valebat. Dolens ergo et gemens sanctum confessorem poscebat

suppliciter ut calamitatem tantam dignaretur aspicere. Taliter igitur oranti in via, dum veniebat, occurrit desideratæ lucis medela.

Pariter quidam de episcopatu Tarvisino, lumina ad proprium usum laxare nequibat. Hic quoque veniens ad venerandum tumulum, recepit optatæ lucis gaudium.

Puella quædam pariter fuerat in villa, cui vulgaris usus indidit nomen Mairana, a civitate Brixia non multum remota. Huic et linguæ usus interclusus fuerat, et aliquot membrorum, præter manum dextram, suo officio fungi nequibat. Hanc miserabilis mater, seminecem spectans, devota devovit se eam delaturam ad sanctissimi confessoris misericordiam, quasi altera Chananæa (*Matth.* XV) pro filia rogatura. Juxta igitur sui voti promissionem, parentibus eam deferentibus, puella in via et linguæ recepit officium, et omnium membrorum usum; quam juxta sanctum sepulcrum gratias referre Deo vidimus, et ipsius patrem hujus rei dantem testimonium.

Convenientibus multis ad sanctum corpus pro impetranda suæ infirmitatis medela, quidam quoque de loco Carpum nomine, ultra Athesim posito, portui de Lignano proximo adveniebat. Qui, manum habens contractam et brachium ariditate invalidum, in ipso itinere recepit salutis beneficium.

Item cognovimus rem memoria dignam, narrante de se ipsa D. Mathilda venerabili comitissa, cujus testimonio fidem facit et fides ejus probatissima, et vita pariter religione plena. Præscripta domina multis diebus febribus pernimium laboraverat, et capitis dolor vehemens ipsam fatigaverat. Cum vero die quadam ex more missarum solemniis adesset, enitens, dum legebatur Evangelium, erecta esse in pedibus, fatigata infirmitate, mox decidit. Aderat vero, juxta se, ob reverentiam in capella episcopi lignea tabula posita, in qua, exhalato spiritu sanctum corpus ad funeris exsequias lotum fuerat. Suppliciter igitur deposcens sancti viri præsidium, ac per tabulam prædictam deducens frontem, illico liberata est capitis dolore.

Non multis post diebus transactis, non modicæ scabiei fracturæ ipsius dominæ manus et corpus totum fere immaniter repleverant. Cum autem præ manibus haberet episcopalem annulum, quo Dei pontifex utebatur in missarum celebrationibus, cœpit secum conferre quod merita tanti præsulis possent sibi subvenire, ad tactum etiam annuli cum quo ipse quamplura sacrificia Deo obtulit, sicque ipsum annulum fracturis superponens, ab ea die sanata est ipsa in valetudine.

Paucis post diebus præteritis præfatæ Christianissimæ dominæ acies visus adeo interturbata fuerat, quod de nocte lectioni ex more operam dare formidabat. Inter missarum vero solemnia, tenente ea præ manibus unam orationem quam sanctus pontifex eidem dominæ propria manu scripserat, in usu orationis sibi habendam chartam, qua continetur A prædicta oratio scripta, oculis superposuit et abstersit; et deinceps recepta lucis claritate, ut prius, nocte et die non expavit lectioni insistere. Everardus quidam, Francigena genere, ordine presbyter, nobiscum superaderat : cui ambos minores digitos unius manus gutta subito superveniens rigidos reddiderat, et partem palmi pariter, et juncturam qua manus brachio nodatur adeo arripuerat quod ad nullius officii usum eam inflectere valebat. Et quia totius brachii vires etiam defecerant, corrigia in collo ligata suspensum brachium sustentabat. Prandente eo cum ipsius consociis, advenit quædam paupercula, ex charitate S. Anselmi petens sibi dari eleemosynam : qui fractum panem manu sua porrigens mox sanatus est a prædicta infirmitate.

B Quod impræsentiarum narrare contendo, nullus perversa mente fictitium vel fabulosum contendere præsumat. Testis adest hujus rei idem ipse, qui, confractis non modicis catenis, præsidio sanctissimi confessoris Anselmi mirabiliter est liberatus de angustia carceris. Contestantur pariter catenæ confractæ præsentibus episcopis; audientibus populis prædicavit et prædicat suæ captionis miserabilem ærumnam et liberationis prædicandam lætitiam.

Crescente, sicut ubique terrarum notum est, validæ persecutionis tempestate adversus sanctum Gregorium VII, dignum Romanæ Ecclesiæ apostolicum, pro veritatis et justitiæ prædicatione, atque pariter contra totius Romani imperii catholicos Christianissima comitissa domina Mathilda pro Ecclesiæ C defensione totis insudavit viribus. Ubertus Arditionis filius, et prædictæ dominæ capitaneus unus, ut in hac perturbatione de ejus fidelitate et servitio indubitanter ipsa domina confideret, inter multas alias fidelitatis promissiones, omnes, quibus suarum arcium custodiam commiserat, jurare compulit fortitudines arcium, quas custodiebant, supra nominatæ dominæ potestati liberæ tradituros, ac deinceps in ejusdem fidelitate permansuros, si idem Ubertus aliquid infideliter adversus eam dominam faceret, vel quidpiam malitiose tractaret.

Post, capto Uberto ob suæ infidelitatis nequitiam, homines illius contra juramenti sponsiones non timuerunt quidquid injuriose poterant agere adversus D eamdem dominam.

Ex quorum numero quidam Lanfrancus, de Piola nomine, officio miles, quia ipsorum perversitatibus inhærere renuebat, insidiis et traditionibus ab eisdem captus, et a tempore Augusti usque ad octav. Kal. April. duro carcere est affectus et non modicis catenis astrictus. Iidem quoque malitiosi cogitabant quomodo possent ei vitam eripere, nec tamen volebant cognosci eorum ingenio hoc factum fuisse. Cumque tot angustiis astrictus solam mortem exspectaret, in vigilia sancti pontificis Anselmi arrepto somno visum sibi est sanctissimum præsulem ante se deambulare habitu quo adhuc in carne solebat incedere.

Ad quem mox exclamans inquit : Sancte An-

selme, quam apte, quam utiliter servivi multoties, servitium meum te bene remuneraturum promisisti mihi persæpe. Ecce ærumnas meas respice, et, quia vales, subsidium affer. Et quoniam nequaquam deceptus es, promissiones tuas nunc adimple. Nunquam convenientius mihi quam nunc potuisti rependere mei servitii munus; saltem ecclesiæ me restitue, quam intrare me prohibent. Ad quem piissimus Dei pontifex, inquit : Ne timeas; ecclesiæ te ego restituam. Mox visum est sibi in ecclesiam quamdam se ab eo deduci, et signari et benedici. Cui mox : Ecce ecclesiæ restitutus es, dixit. Ad quem homo ille : Me redditum, inquit, ecclesiæ satis gaudeo; sed adhuc auxilium tuum, domine, imploro. Quem sanctus pontifex pie consolans, ait : Ab hodie octavo die et cultrum meum tibi mittam et necessarium auxilium impendam. Itaque die octavo occurrente, venit ad eum quidam Reginæ civitatis ante incognitus, acutissimam limam deferens secum. Qua data, videntibus cunctis nec contradicentibus qui aderant custodibus, compedes et catenas rescidit velociter. Dubitante vero eo pro custodibus exire, subito sanctissimus confessor advenit, atque visa est D. Mathilda advenisse, multitudine hominum subsequente; cui cum diceret : Quid exspectas exire? ne differas; surge confidenter; surrexit, videntibus custodibus, et exivit illæsus.

Præsentis narrationis miraculum est nobis notificatum sub multorum audientia, narrante et contestante eadem cui hoc contigit femina. Æstatis tempore nuper præteritæ, quædam femina de Ripalta ad laborem mendicarum in campos ex more exierat, suam secum ducens filiolam; eo vero tempore luporum pestis adeo increverat quod etiam a conspectu parentum pueros rapere non formidabant. Cumque, ut dixi, in campis existeret, lupus repente filiam sibi subripuit. Ut autem misera mater dilaniatam a fera deportari vidit filiam, quibus valebat vocibus sanctissimum interpellabat Anselmum, ut sibi et miseræ filiæ ferret subsidium; mox, piissimi præsulis invocato nomine, rabida illa fera ab ore projecit puellam, non audens tangere et a longe prospiciens eam. Mater vero anxia, confisa tamen de sanctissimi confessoris subsidio, festinavit ad adjuvandam filiam. Quam cum deduceret, lupus sequebatur utramque. Sancti itaque præsulis clamitans sæpe subsidium, tandem feræ illius fames est refrenata, et utraque femina ab illius morsibus liberata.

Quod præsentes vidimus, nequaquam silentio prætereundum duximus. Mulier quædam cruribus sub se retortis contracta, manibus et natibus totum corpus gestabat. Hæc diu sancti pontificis postulans præsidium, erecta est ad venerandum tumulum; quam ante eleemosynis sustentatam novimus, et complures ex nostris civibus.

Præsens adhuc est nobiscum filius archipresbyter, de Colurnio Ubaldus nomine, qui retulit, et sæpe interrogatus itidem refert hujus rei narrationem. Hic cum in nostra civitate artis grammaticæ vacabat studio, nullam devotionem, nullam reverentiam sancto confessori exhibens, illius sanctis detrahebat virtutibus. Die vero quadam vehementi capitis dolore arreptus, ac credens se pro dolore jam morti proximum, invocabat sancti pontificis auxilium, promittens se liberatum deinde fore credulum et ejus virtutum prædicaturum gloriam, sicut de eo ante perverse locutus fuerat. Fatigatus itaque nocte tota, circa matutini temporis horas, leni sopore correptus, in somnis vidit sanctum Dei famulum capiti manum imponere, et se benedicere sanctæ crucis signaculo. Qua visione præterita; evigilans cognovit se liberatum illius doloris molestia.

In die Ascensionis nuper præteritæ quædam femina, de Godi Richilda nomine, compluribus nota, per integrum annum et eo amplius, quantum est ab Epiphania.... *cætera in ms. codice desiderantur.*

Finis Vitæ S. Anselmi episcopi Lucensis.

VITA COMITISSÆ MATHILDIS

DUOBUS LIBRIS A DOMNIZONE PRESBYTERO CONSCRIPTA.

Eximium sane antiquitatis monumentum :

In quo de Gregorii VII pontificis maximi insigni sanctitate et morum innocentia, deque Urbano II et Paschali II lector non pauca reperiet.

Nunc primum bono orthodoxæ Ecclesiæ ex tenebris in lucem profertur.

LECTORI.

Illustrissimus cardinalis Baronius tom. XI et XII Annalium suorum sæpe citat et recitat versus Domnizonis presbyteri ex Vita Mathildis comitissæ. Cujus auctoris desiderio nanciscendi et publicandi flagrans Jacobus Gretserus Romam scripsit ad R. P. Ferdinandum Alberum societatis Jesu assistentem, qui pro sua singulari humanitate, et de ecclesiastica historia bene merendi prompta voluntate, mox ex codice Vaticano exemplum describendum, et ad Gretserum in Germaniam perferendum curavit. Quo nomine omnes catholicæ unitatis amatores et schismatum osores multas gratias optimo Patri debent.

Quod si cui versus Domnizonis horridiores ac incultiores videntur, is meminerit hic non verba, sed rem seu materiam quæri. Illud etiam in mentem revocet, ne uno quidem pilo elegantiores esse versus anonymi auctoris De vita Caroli Magni, quem Reineccius evulgavit, neque versus Roswitæ De gestis Oddonum, neque versus innominati versificatoris De bello Henrici IV contra Saxones; quos tamen Justus Reuberus indignos non censuit quibus inter historicos abs se editos stationem assignaret. Quin et Calvinistæ Guldinasto posterior esse satis politus visus est, quem cum cæteris schismaticis auctoribus in sua Farragine Gregorio VII ejusque propugnatoribus objiceret. Prætereo alios ab ipsis novatoribus in lucem extractos, in quorum conspectu non est quod erubescat noster Domnizo, ut taceam libros Abbonis De obsidione urbis Parisiensis, et libros Philippidos a Guillermo de Nangis conscriptos, quos clarissimus Petrus Pithœus ex bibliothecarum latebris eruit : quos sectarii legunt sine fastidio. Ad Domnizonem statim nauseabunt, non ob indolata carmina, sed quia pro Gregorio VII, Urbano II et Paschali II pontificibus maximis adversus schismaticos stetit; quorum dolos, imposturas et improbitatem vivis sane coloribus in hoc suo opere depingit, ut proinde mirum non sit si hæretico et schismatico palato displiceat. Verum nunc reddamus fideliter omnia quæ in apographo Romano reperimus.

(*Muratorium* [Script. Ital., V], *ut jam monuimus, sequimur*. EDITOR PATROLOGIÆ.)

IN DONIZONIS POEMA DE VITA COMITISSÆ MATHILDIS

PRÆFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Anno Christo 1046, ex Bonifacio duce et marchione Tusciæ, atque ex Beatrice Lotharingica, nata est inclyta princeps comitissa Mathildis; anno autem 1115 e vivis sublata; femina cum animi virtutibus, tum rebus gestis ac amplitudine ditionum celeberrima, atque Italiæ ac ævi sui nobilissimum decus. Ejus vitam ex professo litteris consignarunt Benedictus Luchinus, Dominicus Mellinus, Felix Contelorius, et Julius de Puteo. At præcipue hanc historiæ partem exornarunt viri duo, non minus eruditione quam judicio subacto clarissimi, nempe Franciscus Maria Florentinius, in Monumentis comitissæ Mathildis italice scriptis, et Benedictus Bacchinius Sancti Petri Mutinensis abbas ordinis Cassinensis, in Historia Italica monasterii Padolironensis. Singulis tamen hisce scriptoribus facem prætulit, imo pleraque ex gestis comitissæ Mathildis suppeditavit unus Donizo, qui et præsens vidit, et versibus expressit præclara fortissimæ illius mulieris acta. Certe nisi tempus, uti tot alios, hunc etiam nobis scriptorem eripuisset, mutilam minus ac non levibus tenebris obsitam haberemus Mathildis, ejusque progenitorum Historiam; progenitorum, inquam, nam et ab his suam ille narrationem exorditur, et de iis multa habet, quæ alibi frustra conquirerentur. Rudi sane atque incomposito stylo, et poesi omni poetico colore destituta rem ille suam peregit, ut procul dubio barbarum scriptorem ac ferreum continuo clames. Verum quod illi inelegantia styli defuit, veritatis amor et quædam sinceritatis imago satis supplevit. Accedit quod eorum quæ refert Mathildis ætate peracta, et testis ipse fuit. Nam, ut mittam vulgo credi ipsum capellani munere apud eamdem comitissam functum (quod quibus tabulis affirmetur, non video, imo etiam falsum arbitror), certe is ipsa vi-

A vente hæc scripsit, et rerum gnarus esse potuit, quippe proximus et charus Mathildi. Canusium vero, sive Canosam, nempe fortissimum ac celeberrimum illud Regiensis agri castrum, quod charum præ reliquis cum ipsa comitissa tum illius majores habuerunt, Donizo noster ubique memorat, ubique laudat, imo et loquens nobis exhibet; ibi enim Donizo jam *per quinque lustra* habitarat, cum hæc contexenda sumpsit.

Poema autem suum, vivente ipsa Mathilde, contexuerat Donizo, eique dicare statuerat; cum ecce mors piissimam principem e vivis aufert. Hinc additum a poeta postremum caput Operi suo *de insigni obitu memorandæ comitissæ Mathildis*, postqua librum ipsum concluserat capite præcedenti, cujus

B est titulus : *Quod erga Dei cultum*, etc. In hoc igitur penultimo capite (quod pauci fortasse huc usque animadverterunt) expressit Donizo per acrostichum, hoc est litteris initialibus versuum nomen ac officium suum, his etiam verbis lectorem de hoc ipso monens :

Officium dictant nostrum metra nomen et ista.

Ita se habet acrostichus ille :

Presbyter hunc librum fincit, monachusque Donizo.

Ubi *fincit* idem est ac *finxit*, cum nomen *Christi* per abbreviationem *XPI* scripsisset. Simul autem ex his intelligas quare *Donizonem* ego appellare malim, quam *Domnizonem*, ut reliqui faciunt. Alterum

C quoque acrostichum nobis reliquit hic scriptor in prologo, ex cujus initialibus litteris conficiuntur hi duo versus :

Filia Mathildis Bonefacii, Beatricis
Nunc ancilla Dei filia digna Petri.

Et postremo versu de hoc lusu monitos nos voluit scribens.

Ipsius hi versus dant nomen, dantque parentum.

Sed ut redeam ad acrostichum priorem, per ipsum edocemur Donizonem non solum sacerdotem, fuisse sed et monachum. In Canusino monasterio procul dubio is vixit, quod ex ejus epistola dedicatoria satis elucet. Et quidem eo teste lib. I, cap. 17 novimus *Fraxinorense monasterium* in montibus Mutinensibus ab ipsa Mathilde ejusque matre Beatrice fuisse ædificatum, ac præterea *Canusinum*, data nempe monachis ecclesia, quam antea unus præpositus cum XII clericis sive canonicis administrabat:

Canusinæ quoque sanctæ
Ecclesiæ nomen mutaverunt, et honorem.
In melius, dudum cui præpositus unus,
Usus cum cleris non nisi tantum duodenis
Deservire quidem. Nunc abbas servit ibidem
Cum monachis Christo multis famulantibus illo.

Itaque in illo ipso monasterio, sub sancti Benedicti regula, militasse Donizonem statuendum omnino est. Id quod clarissimus Mabillonius, in Annalibus Benedictinis, ad ann. 1115, minime advertit; imo *ecclesiam Sancti Cæsarii* in agro Mutinensi sitam, et Mathildis tempore a canonicis regularibus administratam, confudit cum *Canusino* Benedictinorum monasterio in Regiensi sito, scribens, multa beneficia a Mathilde Bondeni ægrotante postremis vitæ suæ diebus *ecclesiæ Sancti Cæsarii canonicorum regularium apud Canosam* fuisse collata.

Donizonis liber primum editus fuit a Sebastiano Tengnagelio bibliothecario Cæsareo, sive a Jacobo Gretsero, soc. Jesu, Ingolstadii, ann. Christi 1612, inter *Vetera monumenta contra schismaticos* ab ipso collecta. Ad eam editionem usus est Tengnagelius apographo ad se Roma misso. Tum clarissimus vir Godefridus Guilielmus Leibnitius in insigni Opere *Scriptor. Brunsvic. illustrant.*, tom. I, pag. 629, alteram ejusdem poematis editionem, anno 1707, nobis dedit, præcedenti sane accuratiorem; nam et antiquissimus codex Romanus olim Sirleti cardinalis cum edito collatus subsidium eidem tulit, et Vaticanæ bibliothecæ custos Zaccagnius nova collatione ipsum juvit. Prodibit nunc iterum, opera quoque mea, illud idem Donizonis poema; atque, ut elimatius et comptius prodeat, ego etiam curam omnem attuli; nec inutili fortasse studio atque labore. Nam et doctissimus P. Bacchinius, magna litterarum jactura, anno 1721, nobis a morte ereptus, Donizonis apographum e Padolironensis bibliothecæ antiquo codice ms. desumptum mihi commodavit; et, quod plus est, alterum pervetustum codicem ms. summa comitate mihi utendum dedit marchio Cajetanus de Canosa, vir nobilitate generis in civitate Regiensi inter primos conspicuus, utpote cujus majores Canosam ipsam ab imperatoribus, paucis post comitissæ Malthildis mortem annis, in feudum recepe- runt, et per aliquot sæcula retinuerunt, ut certa adhuc monumenta testantur. Utrumque codicem cum editis contuli; et nunc quid in Regiensi potissimum observatione dignum compererim, monendi sunt lectores.

Ex characterum forma mihi visus est codex ille scriptus ante quadringentos annos. Occurrebant primo figuræ Mathildis et Donizonis, eidem offerentis librum cum hoc versu:

Mathildis lucens, precor, hoc cape chara volumen.

Similem effigiem, minio pictam, et ex Donizonis Opere ms. expressam, in æs incidi fecit Dominicus Mellinus, et rursus Mabillonius in Annal. Benedictin., ad ann. 1115. Verum, si quid sapio, hæc nihili facienda sunt, quippe unico amanuensium aut pictorum ingenio serius excogitata, et nihil exprimentia germanam Mathildis imaginem. Quam etiam opinionem mihi altius persuasit Donizonis ipsius effigies, quæ laicum fortasse, certe nunquam monachum exhibet, qualis ipse fuit. In Regiensi codice, cap. 2, conspiciuntur figuræ regis stantis, ac porrigentis unam capsulam presbytero, in qua scriptum est: *Corpus sanctæ Coronæ*; duo clerici tenent alteram capsulam, ubi scriptum legitur: *Corpus sancti Victoris*. Astat regi Atto militis habitu cum ense et caputio. Supra legitur:

Corpora sanctorum rex Attoni dedit horum.

Sequuntur aliæ figuræ cum hoc versu:

Membra secat sancti Godefridus, dans ea patri.

Ante cap. 8, occurrit effigies Bonifacii hoc sociata versiculo:

Te redimat Sother Bonifaci marchio duxque.

Ante cap. 10, Beatricis effigies habetur, supposito hoc versu:

Det Deus in claris cameris te stare, Beatrix.

Præponuntur capiti 1, lib. II, effigies Mathildis, Hugonis abbatis Cluniacensis, et Henrici regis in genua procumbentis ante ipsam Mathildem, cum hac epigraphe:

Rex rogat abbatem, Mathildim supplicat atque.

Tandem ad calcem libri hæc ab amanuensi adjecta leguntur:

Lector, amore Dei sæpe memento mei.
Finito libro, referatur gratia Christo.
Scriptori libri donetur gratia Christi,
Nomine qui dicitur Zanelinus atque vocatur
A notis cunctis, parentibus, ejus amicis,
Quos diligit vere cupiens omnibusque parere
Juxta posse suum diligit ardenter amicum.
Quem sibi fidelem noscit ac esse patentem.

Igitur ex hisce codicibus intellexi non paucos Donizonis versus desiderari in editis libris, ac potissimum lib. I, in fine cap. 7, et initio 8, ubi habetur *Urbana altercatio inter Canosam, et Mantuam, de corpore ducis et marchionis Bonifacii.* In hac igitur editione restituti sunt LXVIII versus, qui typis editi

nondum fuerant. Ad hæc nonnullas variantes lectiones inde excerpsi, quæ lucem aliquam subobscuro scriptori afferent.

Editioni autem suæ Leibnitius subdidit ex Lucensi codice olim clarissimi viri Francisci Mariæ Florentinii alteram *Mathildis Vitam prosa contextam*, quam et mihi retinere placuit in hac nostra, quippe quæ non inutilis visa est ad facilius capiendam aliquo in loco Donizonis mentem. Neque enim aliud hæc Vita est, quam ipsum Donizonis poema compendiose prosa oratione expressum. Non dissimilem *Vitam*, ab alio tamen scriptore, diversisque verbis, ejusdem Donizonis poemate similiter breviato, compositam, habet laudatus codex Regiensis. Hanc mihi descripsi, sed in publicum efferre animus non fuit, ne superflua merce chartam onerarem, atque lectores. Cæterum Vita hæc ms. me docuit, *altercationem inter Canosam et Mantuam*, quam nunc pluribus versibus auctam, ut supra innui, typis dabo, non esse collocandam lib. I, cap. 7 aut 8, ut in editis, sed quidem ante cap. 17 ejusdem libri; quod et ipsa rerum series indicabat, cum ibi de Bonifacio duce jam mortuo agatur. Et fortasse excidit eo in loco aliquis Donizonis versus e mss., quippe in eadem Vita hæc leguntur : « Qui (Bonifacius) dum ire vellet ultra mare, et parasset naves juxta præceptum dicti domni abbatis, mortuus, et sepultus fuit in civitate Mantuæ inter Sanctum Petrum, et Paulum, et ecclesia ibi ædificata fuit in honorem ejusdem, ut sacra mysteria pro eo fierent. Et maxima altercatio inter Mantuam et Canosam orta est. Nam Canosa dicebat quod debebat habere corpus dicti Bonifacii, cum haberet majores; Mantua vero se defendebat, quia major erat. » In Donizonis poemate nihil nunc de ecclesia illa, ubi sepultus fuit Mathildis pater dux Bonifacius. *Altercationem* ergo illam suo loco in præsenti editione restituam.

In fine vero hujus Vitæ habetur narratio mortis Bonifacii ejusdem, cujus initium est : « Ad veram autem Historiam dicitur de morte Bonifacii patris comitissæ, quod dum ipse offendisset quemdam de Campitello, nomine Scarpetam de Canevariis, ipse Scarpeta accepit arcum et sagittas toxicatas, et dum ipse marchio Bonifacius ivisset venatum in quodam nemore ultra Olium in partibus Sancti Martini de Arzino, episcopatus Cremonæ, a dicto Scarpeta post quamdam quercum, sive roborem, quæ adhuc dicitur ibi tunc fuisse, cum ipse quasi per quemdam monticulum ascenderet, cum sagitta et arcu post dictam quercum percussit dominum marchionem, stans cum uno genu flexo in terra, et faciens plures passus; et ibidem adhuc apparent vestigia et pedicæ in loco prædicto, ab eo quod dicitur quod nunquam ibi nascatur herba; et, si destruantur dictæ pedicæ sive vestigia, dicitur quod altera die adhuc apparent sicut prius apparebant. Nec in prædicto loco ex postea aliquod cultum fuit; sed adhuc ista quercus stat, et postea stetit. » Monumentum hoc causam Pignæ et Sigonio dedit scribendi principem illum, dum venationi operam daret *in partibus Sancti Martini de Arzino episcopatus Cremonæ*, a quodam Scarpeta de Canevariis proditorie occisum fuisse. Ejusmodi narrationem tanquam fabellam explodit clarissimus Bacchinius in Hist. monast. Padoliron., pag. 48. Ego vero, Hermanni Contracti et Arnulphi Mediolanensis testimonio fretus, non omnino negandam fidem ejusmodi narrationi reor; constat enim Bonifacium ex insidiis a proditoribus in silva interemptum. Alterum quoque monumentum, de fundatione ecclesiæ et monasterii Sancti Andreæ in civitate Mantuana, subditur in eadem Vita ms., quod uti minime contemnendum huc inferre statui, lectorumque judicio dimittere. Ita vero se habet : « De Beatrice ad veram historiam dicitur quod habuit Damicellum, nomine Adelbertum; qui Damicellus, sicut Domino placuit, factus est cæcus, et amisit visum, et vitam condignam faciebat jejunando, et vigilando, et pœnitentiam magnam faciendo. Et ubi est modo ecclesia S. Andreæ in civitate Mantuæ, erat hospitale novum et parvum, ad nomen B. Andreæ apostoli factum. Cui Adelberto tempore dictæ Beatricis apparuit de nocte in somnis S. Andreas, dicens : O Adelberte, vade ad comitissam, et dic ei quod ego dixi tibi ut faceret fodi in tali loco, qui erat prope ecclesiam, ubi erat corpus B. Longini martyris, qui lancea percusserat latus Domini, et inde exhauserat sanguinem et aquam, et ibi in duobus vasis recondita sunt prædicta, scilicet sanguis et aqua quæ fluxerunt de corpore Jesu Christi; quod et fecit. Dicta vero ducatrix sive comitissa dixit : Adelberte, si hoc verum non erit, faciam te flagellis cædi; et flagellatus fuit dictus Adelbertus. Iterum secundo apparuit B. Andreas dicto Adelberto, dicens ei ut prædixerat. Qui Adelbertus dixit hoc comitissæ, et non inventum est, et flagellatus est. Iterum tertio apparuit beatus Andreas, confortans eum quod adhuc suaderet comitissæ quod fodi faceret, quod et fecit conditione prædicta. Tandem præsentibus pluribus episcopis inventus fuit sanguis et aqua quæ fluxerant de corpore Christi, et corpus B. Longini, quod corpus reconditum fuit in arca pulchra in dicta ecclesia. Sanguis vero et aqua cum vasculis recondita fuerunt in confessione dictæ ecclesiæ, et adhuc sunt. Propter quod dicta ecclesia, quæ prius fuerat hospitale parvum, facta est monasterium magnum et nobile, et ibidem abbas cum monachis cantantes divinas nocturnasque laudes stant; et dicta ecclesia facta fuit, sicut modo est, magna, et pulchra, et lata, et dotata fuit per dictam Beatricem, et per Mathildim ejus filiam, quasi de omnibus quæ habet inter Padum et Lacum, et de tota curia Fornicatæ. Ob quorum reverentiam infinitæ nationes, tam Ultramontanorum quam Alamannorum, etiam Lombardorum et Tuscorum, et diversarum nationum solebant venire propter dictam devotionem ad civitatem Mantuæ, tempore Ascensionis Domini, et ibi multa donaria faciebant; et in civitate Mantuæ jejunabatur dicta hebdomada

usque ad diem Jovis, licet per Romanam Ecclesiam nulla vigilia sive jejunium fiat inter utrumque Pascha.

« Hæc est recordatio marchionis Theodaldi; quando obiit, currebat 1017, indict. v.

« Item Bonifacius marchio vixit post mortem Theodaldi patris ejus 45 annis; et quando obiit, currebat 1052, indict. v.

« Item comitissa Mathildis vixit post mortem Bonifacii marchionis patris ejus 63 annis. Quando obiit, currebat 1115, indict. XIII. »

Præter hæc in duobus codicibus ms. bibliothecæ Estensis duæ aliæ Mathildis Vitæ habentur, eæque itidem ex Donizone breviato deductæ. Prima inscribitur : *Historia omnium nobilium et antecessorum, de quorum prosapia fuit comitissa Mathildis*, etc. Capitis primi tale est exordium : *Comes Sigefredus venit de comitatu Lucensium in episcopatu Regino cum tribus filiis*, etc. In altero codice legitur : *Incipit Historia sanctæ memoriæ ducatricis et comitissæ Mathildis, et omnium suorum prædecessorum.* Tum minio conscripta hæc nota habetur : *Nota quod istam legendam scripsit quidam monachus de Canosa metrice; unde consideraviversus, et seriem ejus Historiæ accepi breviter, resecatis multis superfluis. In prologo suo sic procedit. Primo dicit, quod acta, et gesta Indianorum*, etc. Ibi vero in fine leguntur duæ orationes, quas composuit *venerabilis antistes sanctus Anselmus ad consolationem dominæ comitissæ Mathildis.* Neque prætereundum videtur, jam ante duo sæcula Historiam *de rebus gestis comitissæ Mathildis ejusque majorum* Latino stylo, eoque eleganti, contextam fuisse a *Baptista Panetio* Ferrariensi carmelita, qui circiter annum Christi 1490 floruit, et Ferrariensem quoque Historiam posteris pollicebatur. E ms. codice, quem Patres soc. Jesu collegii Mutinensis servant, Vitam hanc descripseram ego, atque edere meditabar. Abstinui tamen, timore ductus, ne post Mathildis Historiam a recentioribus accuratiori sane studio elucubratam, hæc aut superflua aut manca videretur. Cæterum Panetius, qui in fronte libri *elimatissimus historicus, et scriptor luculentus* appellatur, sub oculis habuit et ipse Donizonis poema, illudque integrum in suum librum derivavit, sed tacito nomine scriptoris, per quem tantum profecerat. Quod silentium nemo, ut arbitror, laudabit aut feret, uti neque illorum qui, vetusti alicujus scriptoris scriniis expilatis, sperarunt, eo deperdito, imo et per summam improbitatem e medio sublato, sua in posterum unice legenda et conquirenda.

Et hæc quidem habui quæ de Donizone ejusque poemate commentarer. An alia ille nobis ex ingenio suo reliquerit, percontabitur lector. Ego unum indicabo. In laudato codice ms. Regiensi habetur etiam *Enarratio Genesis* hexametris et pentametris versibus ab ipso Donizone composita, cujus rei testis est versus iste in fronte positus :

Hæc Genesis fictio (lego *finxit*) *gratanter metra* [*Donizo.*

Ita vero exorditur :

Principium rerum struxit Sapientia cœlum.
Primitus omne solum condidit atque polum.
Senos perque dies hæc ornat maxime, dicens :
Astra micent plura, luna sit astra fugans, etc.

Completur totum Opus versibus 368, quos describere animus non fuit, nihil enim exhibebant, quod oculos lectorum allicere unquam possit. In calce *Enarrationis* leguntur hi versus :

Hæc pinxit certus Lucensis pictor Ubertus.
Ecce Dei magnus miseros qui protegit agnos;
Sacra Dei dextra benedic nos intus et extra.
Pando Petrus portas, etc.
Scriptori libri tribuantur gratiæ Christi.

In margine autem codicis, ubi narratur mors Beatricis ducissæ, hæc adnotantur de ejus sepulcro :

Versus tumuli apud Pisas.
Quamvis peccatrix sum domna vocata Beatrix.
In tumulo missa, quanquam fuerim comitissa.
Quilibet ergo pater noster det pro mea anima ter.

Tu vide Florentinium, lib. II, pag. 161 Vitæ Mathildis.

Ex subjectis Leibnitii notulis, quas retinui, facem interdum accipiet lector inter tenebras a poeta offusas. In eum finem meas et ego addidi breves notas Qui vero plura optet, memoratas Mathildis Vitas, atque ecclesiasticam Historiam consulat, ubi multa fusius enarrata inveniet, quæ hic minime repetenda censui.

LEIBNITII MONITUM.

Mathildis, filia Bonifacii ducis et marchionis Tusciæ, et Beatricis Friderico Lotheringiæ Mossellanicæ duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre pontifici Romano Gregorio VII contra imperatorem Henricum IV favit. Et quoniam Guelfus noster, Azonis filius Bavariæ dux, ab imperatore recesserat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito Guelfo nupsit; a quo tamen postremo rursus divertit. In tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex scripta erat ut, si superstes maritus esset, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite postea Guelfi ducis posteri, Henricus et Guelfus, sub Lothario Saxone Augusto, vindicavere sibi, et auctoritate Cæsaris crevere hæreditatem; quam antea Henricus V Lotharii antecessor sibi usurparat. Guelfus, qui se ducem Spoleti ac Tusciæ, ac dominum domus Mathildis appellabat in diplomatibus, has regiones in senectutem usque tenuit, et tandem, neglecto Henrico Leone fratris filio, imperatori Friderico I ejus hosti, accepta pecunia, cessit, qui Philippo filio, duci Sueviæ, postea regi Romanorum dedit. Hoc occiso, cum pontifex Innocentius III Ottonem IV coronasset, terras Mathildis ex ejus testamento Romanæ Ecclesiæ vindicabat; Otto et imperii et majorum jura opponebat, negabatque Mathildem testamento suo auferre his quidquam potuisse. Inde pontificem hostem

magno suo malo sensit, qui æmulum ipsi opposuit Fridericum II, Neapolis et Siciliæ regem, Henrici IV imperatoris filium adolescentem. Ex eo Mathildis hæreditas pro bona parte in Romanæ Ecclesiæ testate fuit.

Ipsa magnis in ecclesias largitionibus, non minus quam rebus viriliter gestis famam et scriptores, promeruit. Domnizo, vel Donizo ejus capellanus, arcis Canusinæ ecclesiastes, vitam adhuc viventis carmine scripsit quale tempora ferebant, et constituerat dicare principi suæ. Itaque in antiquo Vaticano codice pinguntur, ipse habitu offerentis, Mathilda in throno specie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta princeps. Ex recentioribus Vitam ejus scripsit dominus Mellinus, mox curatius quædam notavit Felix Contelorius, Romæ sub Urbano Octavo scriniis præfectus. Sed omnium diligentiam, et studium vicit vir egregius Franciscus Maria Florentinius, apud Lucenses medicus, qui patriæ suæ asserens hujus principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum, auctorumque temporibus vicinorum. Hunc secutus non spernendus ingenio et eloquentia, sed inferior historicæ narrationis firmitate, Julius de Puteo. Novissime vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina familia Benedictus Bacchinus, in libro de celeberrimo monasterio Sancti Benedicti ad Padolironem, quod a majoribus Mathildis fundatum, ab ipsa ditatum est, res Mathildis novis auxiliis ex tabulis illustravit. Cum in eo monasterio ipsa sepulta fuisset, multis post seculis corpus Urbani VIII jussu clam sublatum Romamque translatum est, ubi insigne tumuli monumentum in basilica Vaticana accepit, duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

Porro Domnizonis presbyteri Vitam Mathildæ ex apographo Roma misso primus edidit Sebastianus Tengnagelius, bibliothecarius Cæsareus, vel qui succenturiatam huic in ea re operam navavit Jacobus Gretserus, Ingolstadii 1612, in Opere quod inscriptum est : *Vetera monumenta contra schismaticos, jam olim pro Gregorio VII, aliisque nonnullis pontificibus Romanis conscripta;* quod Goldasto potissimum oppositum erat. Sed cum postea Romæ inquisiissem, deprehendi apographum illum sumptum ex recentiore codice, non ex antiquissimo, qui tunc nondum erat in Vaticana, sed cardinalis Sirleti bibliotheca. Hunc ergo contuli cum edito, ejusque ope multa restitui. Nova etiam collatione me nuper juvit vir clarissimus Laurentius de Zaccagnis, bibliothecæ Vaticanæ custos primus. Nonnulla ex rebus ipsis emendavi, ut jam vix amplius quidquam in semibarbaro et impeditissimo scriptore fugiat legentem, cum antea multa nullum sensum haberent. Figuras ex eodem codice a pictore ad normam prototypi reddi curavi. Sed hic non adjeci; quæ alio loco non intempestive exhibebuntur. Notulas subinde aspersi sensus declarandi causa. Adjeci et chartulam comitissæ Mathildis super concessione bonorum suorum, facta Romanæ Ecclesiæ, quæ in eodem codice ascripta reperitur, neque scio an ejus authenticum exemplar alibi habeatur, etc. Cæterum, ut, quod Guilielmo Apulo dedimus, etiam Domnizoni præstaremus, id est ut argumentum operis exhiberemus, eo minus opus fuit quod vicem ejus præstabit subjecta eidem *Vita Mathildis prosa scripta* ab auctore anonymo, non recentissimo tamen; quem, a Francisco Maria Florentinio aliquoties ex manuscripto laudatum, suppeditavit nobis filius ejus Maria Florentinius, vir doctissimus et officiosissimus, paternarumque laudum hæres; nam hæc Vita fere ex Donnizone desumpta est.

VITA MATHILDIS

CELEBERRIMÆ PRINCIPIS ITALIÆ,

CARMINE SCRIPTA

A DONIZONE PRESBYTERO

QUI IN ARCE CANUSINA APUD IPSAM VIXIT.

Accessit chartula comitissæ Mathildis super concessione bonorum suorum facta Romanæ Ecclesiæ; item Relatio de thesauro Canusinæ ecclesiæ Romam transmisso et reompensatione facta.

INCIPIT EPISTOLA.

Munificentissimæ atque Dei gratia invictissimæ inter orthodoxarum (491) choro associandæ Mathildi, infimus omnium presbyterorum Donizo, piis meritis quidquid valet humanitus, et quidquid est sibi divinitus.

Cum ad clarorum principum mausoleum (492) jam per quinque lustra resideret humilitas (493) nullamque ex eis videret memoriam, quod apicum commendaret perpetuitas, accidit quando nuper vestri honoris sublimitas (494) Canosam deduci arcas jussit marmoreas ad tumulandum dignius eorum corpora, ut ea, quæ ex eis a senibus et veraciori-

(491) Non legitur hæc epistola in codicibus mss., quibus sum usus. Hic restituerem *mulierum orthodoxarum*, aut quid simile. MURATORIUS.

(492) Ad Canossam scilicet, ubi in templo sancti Apollonii reposita erant corpora avorum comitissæ Mathildis. Atque hic animadverte Donizonem jam per *quinque lustra* militasse in monasterio Canusino, cum hæc scribenda suscepit, anno 1114 aut etiam antea. MUR.

(493) Scribe : *mea resideret humilitas*. MUR.

(494) Canusium. LEIBNITIUS.

bus nostris temporibus (495) viris nostra audierat parvitas, ferventi zelo, carmine heroico nostra tentaverit (496) caraxare imperitia; ne tantorum heroum laterent acta fortia et illustrissima; quo d ad effectum perduximus, Christi adminiculante benevolentia.

Et quia, largiente superno opifice, vos eis imparem in nulla esse gratia ad totius regni pervenit notitiam, quamvis rex sapiens dicat, *ne laudes quemquam in vita sua*, tamen quia nullo deteriorari inde arbitramur vestram auream dignitatem seu scientiam, reperiamusque a præcipuis poetis antiquis potestatibus exhibita carmina laude dignissima, ut poeta Horatius Octaviano Augusto scribit :

Præsenti tibi maturos largimur honores

id est, te vivente, scribimus de te carmina, et ut doctissimus poetarum eidem Augusto detulit gratissima ex ipso carmina, a quo libertate accepta ite-
A rum exsultans in laude ejusdem Cæsaris, metra protulit talia :

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Quod æque de te conjicere possumus, benignissima domina, et ut liber reginæ Esther de rege Assuero indicat, qui noctem duxit insomnem totam intente audiens scriptas de se historias, donec legentes audivit quod Mardocheus nuntiarat ei vitæ suæ insidias, quem et protinus ob id remuneravit retributione regia. Scripsimus de vobis etiam utilem venturis temporibus historiam, quæ probatissimum erit
B exemplum diligentibus Deum sanctamque ejus Ecclesiam. Vita salusque vestra, nostra est securitas et lætitia; infirmitas autem, debilitas et tristitia. Det vobis vitam salutemque continuam Salvatoris omnium misericordia. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

Expliciunt Cap. primi libri.

INCIPIUNT SECUNDI.

(495) Scribe : *nostrorum temporum.* Librarii, plerumque rudes et indocti, minime assequuntur compendia verborum in mss. codicibus. Hinc ejusmodi errores interdum in editis. Mur.

(496) *Charaxere* (a græco, χαράσσω), *exarare*, con-
C *scribere* (in antiquo cod. Vaticano est *caracare*). Leib.

(497) Cod. recentior Vaticanus *Curtiliolum*, antiquus habet *Curtiolum*, quod rectius, quia et inferius summa capitis ita habet. Leib.

PROLOGUS ISTE DOCET QUORUM FIT NOMINE CODEX.

Francorum prosa sunt edita bella sonora;
Italiæque stylus quod pingit prælia scimus;
Longobardorum venantia facta priorum;
Impia multorum, seu vilia dicta virorum
Addita sunt libris, ne possint mente recidi;

Malo sub exemplo tanto depromere metro
Ardua facta ducum nostrorum. Sim licet usus
Tantum plana sequi, nudisque referre loquelis,
Historiam fingam cum carminibus tamen istam:
Inspicimus grossis saccis subtilia condi.
Larga colonus hebes dat terræ semina sæpe,
Ditius excrescunt præbente Deo sibi tempus.
Interior campus, grossus meus undique saccus,
Semina si qua gerit, subtilia, si qua recepit.

Brachia nam nobis summi tribuere Satoris,
Optimus iste sator proprios dum seminat agros,
Non tribulos gignunt, sed præbita grana remittunt,
Est melius grano, granum verumtamen agro,
Fossor agro semen ponit, quod congruit æque.
Alter habet linguas plures, alterque Sophiam
Curat, et hic fessum (498) discretor, et alter habetur,
Ignis divinus sua dat, vult munera, sicut
Irradiat splendens doctas sapientia mentes.

Blæsa quidem recta facit ora docetque modesta;
Et res eximias monstrat dictare Sophia;
Alta poli tractat, quem pleniter hæc amat alma;
Tangere summa nequit, qui non sibi prorsus adhæsit.
Regula, sed præstat cui non datur edere celsa,
Illa tamen promat, quæ continet atque laborat,
Cumque labore calet, succedunt maxima plane;
Inde meus sensus animatus fingere versus
Spe meliorandi volo terrea scribere saltim.

Nec titulo vera (499), quæ condidit esse poeta,
Vincit cuncta labor, si permanet improbus, atrox (500).
Non cessabo quidem quæ qui (501) inscribere scire
Censuit infelix mea stulta scientia, metris

Actis perfectis nulli dare, ni sapienti
Nectareæ nostræ Mathildi scilicet, orbem
Cujus habet nomen repletum propter honorem
Illius immensus quem servat more parentum,
Latius ista viget, virtutes quatuor illæ
Largifluæ degunt omni quia tempore secum;
Alta regens justos regit hanc prudentia cunctos,

(498) Pro *ægrum* positam vocem suspicari possumus. Respicit hoc in loco poeta Apostolum *I Cor.* XII, 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii gratia sanitatum, alii genera linguarum*, etc. MUR.

(499) Corrige, prælucentibus codicibus nostris : *nec titubo vera.* Hoc est : neque dubito, quin ea, quæ condit poeta, sint vera. MUR.

(500) An potius Donizo scripsit *improbus ar dor* MUR.

(501) Cod. Vatic. antiquus (quem simpliciter sub cod. ant. nomine citamus) habet *quæ quivi*, recte, ut fere semper. LEIB. — In codice quoque Regiensi habetur *quæ quivi.* MUR.

Discrete vadit, sua temporat (502) acta ducatrix,
Exercet valde pietatem justitiamque,
Iudicis observat cœlestis jura timenda,
Fortis in adversis, minus est elata secundis,
Inque fide vera Deitatis credula sperat.
Lumine ceu fidei sic factis pollet amœnis,
Idcirco fructus centeni colliget (503) usus.
Alter terdenam, sexagenamque coronam
Dum tenet alter, habet centenam grandior alter,
Ista legit totas probitatis jure coronas,
Gymnasii mensæ sint hæc recitata decenter,
Noscat ei, grandis quod calliditas manet anguis
Aligeri plane comitatur simplicitatem.
Posteritas nostra tantam dominam, volo, noscat
Ea ego dictabo ceu quibo, postque rogabo,
Tutius, ut verbum si currerit hic inhonestum,
Respiciat, parcat veneranda Mathildis amanda.
Ipsius hi versus dant nomen, dantque parentum.

EXPLICIT PROLOGUS.

PRINCIPIUM LIBRI

DE PRINCIPIBUS CANUSINIS

Plurima scribentur metra de quibus ut memorentur.

Vivus si Plato foret hactenus, ipseque Maro,
Innumeros versus daret illis fingere tempus
Istud de nostris ducibus (504), quos totus hic orbis
Funditus esse catos (505), non solum fatur et altos,
Imo testatur de talibus, ac lacrymatur,
Egregiis unquam sibi quod plaga nulla redundat,
Temporibus priscis nullus melior fuit istis :
Nam Priami proles his non sint nobiliores,
Ulterius nemo par his nascetur in ævo.
Hi velut astra nitent de lumine quippe Sophiæ,
Ceu Phœbus terras omnes illustrat, et herbas
Confovet ac nutrit, quin maturescit, et urit;
Horum sic ultra rutilabat curia culta (506).
Aulas nempe ducum, comitum transcendit et usum;
Regia dona dedit, docuit bellare, peremit
Quos male conspexit patrare, bonisque pepercit,
A Judicio justa, locuples habilisque, venusta.
Jurgia si qua sonant, hæc finit curia sola.
Hostibus hi nunquam sua norant volvere dorsa,
Regnum (507) signiferi vincebant bella periti;
Ipsorum frameæ resecabant noxia sæpe;
Justitiæ palmam gestabant semper et arma.
Ut vehemens grando segetes devastat in agro
Damnant fellones (508), cruciant furcisque latrones;
Temporibus quorum viguit pax ordoque morum,
Catholici fortes genuerunt catholicosque.
Clavigeri Petri normam sancti quoque cleri
Semper amaverunt, coluerunt, et timuerunt.
Ex propriis rebus sanctis hi multa dederunt,
Escas, et vestes miseris tribuere libenter;
Cultores Christi tumulati sunt simul isti
B Præsidiis firmis cunctis nunc charior illis,

(502) Scribendum *temperat*. Leib. — Ita quoque mss. codices nostri. Mur.

(503) Cod. Padolir., *colligit*. Mur.

(504) Tusciæ quidem, ac fortassis etiam Spoleti, duces fuere Bonifacius ac ejus filia Mathildis. Sed qua quæso ratione Donizo, Canusini monasterii in Regiensi agro siti monachus, eos *duces nostros* appellat? Ad Tusciæ ducatum minime novimus spectasse Regiensem agrum, et arcem Canusinam, quam Donizo incolebat. Aut ergo opinari placeat, Donizonem e Tusca provincia originem traxisse, aut *ducali* quoque titulo in Langobardicis civitatibus dominatam fuisse Mathildim. In antiquis Mutinensium Annalibus mss., suo loco edendis, Mathildis ipsa appellatur *dux Thusciæ, et Longobardiæ, et Marchiæ, et Spoleti, et marchiæ Camerinæ*. Petrus quoque Diaconus in Chron. Casin., lib. II, cap. 48, eam *dominam Tusciæ et Liguriæ* dicit; Ptolemæus C vero Lucensis *dominam Tusciæ et Lombardiæ*. Uti Mediolanenses olim *regem* suum appellabant, qui illis solo *ducis* titulo imperabat, ita et Donizo fecerit, potiori titulo usus. Mur.

(505) Gratulor Donizoni, solito *tantum plana sequi*, et perquam rudi ac plebeio sermone utenti, quod verbum exaret, unis prope penitioris Latinitatis auctoribus adhibitum. *Catus* autem, unde *Catonibus* nomen, Ennio, Plauto ac aliis Latinis, hominem *sapientem, prudentem*, sive *acuti ingenii*, significavit. Mur.

(506) Præcipue post annum a Christo nato millesimum apud scriptores in usu fuit regum ac principum palatium, sive familiam atque ministros appellare *curiam*, unde Gallis *la cour*, nobis autem *la corte*, et *curiales* propterea vocati qui nunc vulgari sermone *cortigiani* dicuntur. Exemplis parco. Hinc Donizo ait, supra *aulas ducum* rutilasse *curiam* Mathildis, ejusque parentum. Mur.

(507) Forte *regum*. Signiferi erant, velut magistri equitum, qui proximam ab ipso principe potestatem in exercitu habebant. Talis Conradus (postea rex) sub Lothario Saxone *regni vexilla tenebat*. Godefrid., Viterb. Leib.

(508) Vox Italis et Gallis nota, et a Germanico verbo efformata, pro *perfido*, qui fidem datam

Alba Canosa (509) fleat, referat quoque nomina [vera,
Nomina rite canat, ne fiant hæc metra vana.

CAPUT PRIMUM.

Narrat Canossa qui fuerint qui eam ædificaverint, et a quibus regibus obsessa fuerit, et qualiter cum grandi victoria evaserit.

Atto fuit primus princeps astutus ut hydrus,
Nobiliter vero fuit ortus de Sigefredo
Principe præclaro (510) Lucensi de comitatu,
Quique duos natos alios genuit bene claros.
Est primus dictus Sigefredus, et Atto secundus,
Filius et parvus vocitatur quippe Gerardus.
Amplificare volens proprium Sigefredus honorem,
Longobardiam (511) cum natis venit in istam,
Se sicut late vitis distendit et alte,
Hic prope sic valde distendit se procul atque.
Nam sub se terras (512) et gentes rite gubernat,
Ac sub tutela propria multos retinebat.
Illius error (513) natorum maxime ferro
Gentes diversas prostraverat atque catervas :
Cum major nimium Sigefredus hic esset opimus,
Istud more patrum seculum dimisit amarum,
Ipsius nati locupletati, phalerati,
Divisi prorsus cœperunt stare seorsum.
Fiunt Parmenses duo fratres ambo potentes,
Dat Guibertinam (514) minimus, primus Baratinam :
Progenies ambo (515) grandes, et honore micantes.
Alpibus in magnis abies ceu robora transit,
Atto sic longe fratres transcenderat omnes,
Crescens, exsultans, et multis rebus abundans :
Prospiciens nudam silicem me stare Canossam
In proprium castrum me suscepit comes Atto ;
Has strinxit (516) turres, munivit me super urbes,
Ne timeam reges magis at me quique potentes.
Rexque Latinorum (517) sapit hoc, et Teutoni- [corum ;
Rex Berengerius probat hoc, et filius ejus.
Hi Longobardi fortes noscuntur in armis
Esse ; sed exstincti per me sunt, ac peregrini (518)
A regno facti : credebant me quia Franci (519)
Hi reges ambo, dum princeps viveret Atto,
Me circumdare (520), quod opus sibi fecit amarum.
Res ut sunt gestæ recitentur, frivola cessent.
Ex populo bruto (521) rex optimus exstitit Hugo ;

præstitumque jusjurandum violat, quales vassalli adversus dominum suum aliquid molientes, aut arma arripientes. Hic latiori significatione sumitur pro iniquis et scelestis. MUR.

(509) Nempe sita Canossa super eminentem ac arduam rupem, cujus latera ex saxo nudo, sive, ut ipse Donizo ait, ex *nuda silice* candorem quempiam præferunt. Mihi e fenestris bibliothecæ Estensis interdum prospectanti, et potissimum ope telescopii, talis visa est. Sita autem est in Regii Lepidi montibus versus Meridiem et Occidentem, ultra passuum millia XIII ab Urbe distans. MUR.

(510) *Atto princeps*, nempe comes, nam illis temporibus, et multo adhuc post, etiam comites sub *principum* nomine comprehendebantur ; natus ex Sigefredo principe, id est dynasta potente, qui allodium, seu territorium proprium habebat, etsi nullum forte feudum regale teneret, aut certæ dignitatis nomen gereret, quod nonnulli etiam tanquam nobilitati sive libertati derogans dedignabantur, ut ex Guelforum historia patet. LEIB.

Comitibus quidem olim inter principes locus fuit ; eoque titulo spectatum fuisse Attonem sive Azzonem, Sigefredi filium, constat. Sigefredus autem cur et ipse *princeps* appelletur non facile ostendas ; neque enim allodiorum copia iis temporibus, uti neque nostris, principem constituere solebant. Mihi oborta dubitatio num forte verbis illis *Lucensi de comitatu* significare voluerit Donizo, Sigefredum Lucensis urbis *comitem* fuisse. At de hoc erit mihi sermo alio in loco. Interea si *princeps* hic pro *potente* duntaxat sumendus est, minus proprie hac voce usus fuerit Donizo. MUR.

(511) Erat et *Tuscia Langobardorum*, cujus olim caput Luca. At Langobardia non nostris tantum temporibus, sed etiam Donizonis, strictiori significatione appellata est, quæ cis Apenninum Insubres et Æmiliæ partem ad amnem usque Scultennam complectitur. Atque hinc vides *Regiensem* comitatum, in quo sita est Canossa, Langobardiæ attribui. MUR.

(512) Hoc est castella varia sive in allodium, sive in feudum ab Italiæ regibus aut ab episcopis acquisivit, quorum habitatores regebat. *Ac sub tutela sua multos retinebat*, hoc est Ecclesiarum multarum advocatus fuit, aut etiam vassallis abundavit, quos tutari ad *seniores* spectabat. MUR.

(513) *Terror*. cod. ant. Vat. LEIB.

(514) Ex hac linea processisse Guibertum Parmensem, Ravennatem archiepiscopum, ac deinde pseudopapam famosum Gregorii VII papæ temporibus, simulque familiam principum Corrigiensium quæ paucos ante annos, feminis tantum superstitibus omnino desiit : sunt qui scribunt, eorumque sententiæ facile me adjungerem. MUR.

(515) Mss. cod. Regien. habet, *ambæ*, et sensus exigit. MUR.

(516) Idem Regien. cod. : *Has struxit*. In subsequente versu pro *at me* legerem *ac me*. MUR.

(517) Non ausim *Latinorum regem* appellare *Berengarium II* (*Berengherius* legitur in ms. Regiense), is enim nunquam augustali titulo donatus, nunquam Romanis imperavit. Ergo hic unus Henricus IV intelligendus videtur, qui simul fuit, sive a suis est habitus, Romanorum imperator et rex Germaniæ. MUR.

(518) *Peregrini a regno facti*, id est extorres. Totius loci sensus ita habet : Quam munita ego sim (Canossa loquitur) sensit Latinorum rex Berengarius, et Teutonicorum Henricus IV. Nempe Beringarius hoc probat, et filius ejus Adelbertus, *qui fortes quidem in armis Langobardi* fuisse noscuntur, sed *per me* (dum me evertere conantur) eversi sunt, et regno pulsi ab Othone Magno, quia hi reges ambo Franci, Berengarius et Adelbertus (collegæ in regno, ut diplomata ostendunt) originem ex Francis trahentes, vel Francorum regnum in Italia tenentes, *credebant me circumdare*, vel obsidendo pugnare, *quod opus sibi* (id est ipsis) *fecit amarum*, id est quod ipsis male cessit, *dum princeps viveret Atto*, id est Atto comes. LEIB.

(519) In Regien. codice habetur, *me quia frangi*, id est quia putabant me dirutum ac dejectum iri. *Langobardis* nuper accensuit Donizo Berengarium II, ac ejus filium Adelbertum : non ergo *Francos* appellaturus erat ; et nullus certe sensus legendo *Franci*. MUR.

(520) Cod. ant., circumdar, id est *circumdarunt*. LEIB.

In cod. Padoliron. : *Me circumdarunt, quod opus sibi venit amarum*. Hoc est : quæ obsidio in magnam eorum perniciem conversa est ; quippe deturbati e solio nunquam amplius illud recuperarunt. MUR.

(521) *Brutale*, *bestiale* Italica lingua appellaret.

Ex Allobrogibus patribus fuit ipse creatus,
Quem fecit regem gens Longobarda decenter,
Atque pie, juste regnum regit italicumque :
Colloquium publicum vetuit fieri sine jussu
Imperioque suo rex cunctis inclytus Hugo
Ausus erat nullus minimus (522) vi tollere sumptus.
Mortem post ejus regnavit filius ejus
Lotharius prudens, sapiens, Attonis herusque.
Huic erat et conjux Adeleita splendida prorsus.
Ex hac subtractus vita Lotharius altus
Absque suæ nutu laudatur conjugis unus
Rex Longobardus, Berengerius, vir amarus (523)
Cepit reginam præfatam (524) victus ab ira :
Hunc fieri regem nunquam placuit sibi nempe.
Propterea capta, super arcem denique Gardam (525)
Misit eam, famulam sibi tantum præbuit unam
Presbyterumque bonum Martinum nomine solum.
In turris fundo jacuerunt tempore multo,
Clam senior murum ferro confregit, in unum
Quippe locum tandem dominam pariter famulamque
Extraxit fugiens, tribuit vestesque viriles,
Illis ne visæ caperentur denuo binæ;
Usque lacum veniunt, quem servat Mantua vivum :
Inveniunt navem, piscatoremque suavem.
Presbyter invitat quem, se pariter quoque binas
Naviget ut socias; cui quid possit dare, dicat,
Piscator dicens (526) : Si scires, presbyter, inquit,
Qui nos essemus, tu statim maxime lætus
Transires gaudens citius pretio sine nos tres.
Dicite qui sitis, si transire velitis.
Nobis si jures, quod celes nos tibi pure
Pandimus arcanum, valde quod erit tibi charum.
Non aderat codex (527), baculos crucis illico more
Rusticus in terra binos posuit, nihil errans
In baculis jurat, velut esset crux ibi pulchra.
Tunc domnus dixit Martinus presbyter illi :
Dicere, chare, modo tibi tutius omnia cogor;
Hæc est regina, quam dudum cœpit ob iram
Rex Berengerius, fugimus, sis fidus amicus.

A Laudans ille Deum transivit eos cito secum,
Obtulit et piscem non parvum rusticus ille,
Atque memento mei, reginæ dixit, habebis,
Si tibi forte potens Dominus Deus addet honorem.
Navita reginam tunc deposuit prope silvam
Contiguam lacui præfato; quæ stetit illic
Hebdomada tota Christum fidenter adorans;
Presbyter absconsæ panem quærebat ut hospes.
Tandem suspirans dixit regina perita :
Me captam semper reor; hic mihi quid juvat esse?
Præsul Reginus solet esse fidelis amicus
Noster Adalardus (528); cui si referas mihi quantus
Sit fletus, forsan trahet hinc nos, domne Geronta (529).
Mox, quamvis fessus, tamen ivit presbyter exsul.
B Præsul ut agnovit, de regina rogat : O quid
Est factum? quæso, mihi narra, discere spero.
Presbyter infit hero defunctam carcere tetro.
Plausibus emissis deflebat præsul in istis
Verbis, discrimen magnum (530), constat quoque crimen.
Presbyter agnoscens ex hoc quod præsul abhorret
Reginæ lethum, de vita sat fore lætum,
Ipsi privatim patefecit vivere statim
Reginam, vellet quæ præsidium sibi ferret.
Gaudeo quod vivit, vehementer, episcopus, inquit;
Arcem securam sub me vero scio nullam;
Atto meus miles (531) habet unam, si velit idem,
In qua regina persistere regis ad iram,
Tempora per longa poterit, sic dicta : Canosa (532).
C Accipere cras nostros equulos, equita, velut hortor,
Attonem forsan rogitabis, habebis, ut optas.
Luxit cumque dies, equitavit presbyter idem;
Verbo quem largo princeps interrogat Atto,
Quid de regina factum sit, quo sibi dicat.
Intimat hanc senior defunctam carcere diro.
Atto dolens valde lacrymas fundebat amare,
Cumque palam vidit quod fleret, clam sibi dicit :
Vivit, et erepta per te cupit esse recepta.
Quærit equos princeps, mox cursim pergit ibique;
Tertia tunc terris clarebat et hora diei,

Sed cur provinciæ populum *brutum* Donizo vocat? Vide Luitprandum in Hist., lib. III, cap. 12, tom. II, pag. 450 rer. Italic., ubi provinciales, quos *Burgundiones* ac *Allobroges* appellat, superbiæ ac voracitatis incusantur. MUR.

(522) Cod. ant., *minimis*, id est nemo, ipso vivente, plebem spoliare ausus est. Ita etiam cod. ex antiq. LEIB.

(523) *Vir amarus* dicitur hic *rex laudatus*, seu electus, defuncto Lothario, absque consensu, seu *nutu* Adelheidis. Sane etsi vivo jam Lothario, imo Hugone quoque, rerum potens fuerit, tamen, non nisi a morte Lotharii, annos regni computavit, ut diplomata ostendunt. LEIB.

(524) Cod. Padolir., *prædictam*. Neque mirum quod Berengarium aversaretur Adelais, cum is Lotharium regem ejus conjugem suis artibus auctoritate, et fortassis etiam vita spoliarit. MUR.

(525) Nempe in ora Benaci lacus. Non ergo in Novocomensi agro, ut habet inscriptio Adelaidi Augustæ posita, quam affert Brover., lib. IX, Annal. Trevir. MUR.

(526) Cod. Regien. : *Piscator dicit*. MUR.

(527) Id est Evangeliorum, super quo fidem suam obligare, præstito jurejurando, Christiani solebant. MUR.

(528) Regiensis episcopus. Eum anno 945 ad cathedram evectum docet Ughellius tom. II Ital. Sac., pag. 301. Sed antea id contigit. Servatur enim in
D Archivo capitulari canonicorum Regiensium ejus diploma, in quo inscribitur : *Servus servorum Dei, datum civitate Regii anno domni Hugoni serenissimi regis* XVIII; *Lotharii vero filii ejus similiter rex* XIV, *Kal. Januarii, indictione secunda*; scilicet anno 943. Atque hinc etiam habes lucem ad Hugonis et Lotharii regum chronologiam statuendam. Supine errarunt, qui Adelardum hunc inter Veronæ episcopos recensuerunt. MUR.

(529) Id est : mi chare *domine* presbyter, seu *senior* Martine. LEIB.

(530) Locus emendationem poscit. Aut ergo scribe : *Dii crimen magnum!* aut *dic crimen magnum*. MUR.

(531) *Miles*, id est vassalus. LEIB.

(532) Cod. Padolir., *fit dicta Canossa*. Et quidem *Canossa* ejus antiquum nomen, quod et adhuc per-

Æstus erat quippe, sed non stetit impiger iste;
Alterius venit dum denique sexta diei,
Reginam claram, sumptam simul ejus et Abram (533)
Alta Canossa tenet, vel eas se laudat habere.
Hæc nova clam Romam, mox papæ dirigit, orans
Atque petens ipsum quo consilium sibi dignum
Ex hac re præstet, dare reginam quia vellet
Ottoni regi, cui gens Alemannica (534) servit;
Scripsit ei magnæ probitatis papa Joannes (535),
Quæ gessit laudans, agat hoc, ut vult et adoptat.
Nuntius Attonis post hæc conduxit in oris
Veronæ regem, cum parva denique gente.
Ad quod rex Otto venit, sibi cum tulit (536) Atto,
Reginam duxit quæ regi tunc quoque nupsit :
Conjuge suscepta redit ad propriam cito terram,
Attoni spondens quod de se maxima posset.
Rex Longobardus nondum cognoverat actus
Istos reginæ, neque quo confugerat idem
Reppererat, donec quod rex fuit Otto Veronæ
Audivit, tandem, quod et Atto fecerat hanc rem :
Iratus, frendens, coadunans illico gentes;
Venit Canossam, putat illam frangere cunctam :
Sum petra, non lignum, manet Atto desuper intus,
Secum prudentes homines sunt, et sapientes;
Rex Berengeri, quantum vis, percute telis.
Ante perire potes, quam nostram rumpere molem,
Non aries, vulpis (537), neque machina prævalet ullis
Ictibus excelsis nostris pertingere tectis.
Confortans hostes rex me circumdat in orbem,
Sæpe petens bello, qui rex stetit in Lavadello (538),
Donec me teneat non inde recedere sperans.
Hinc prope gignita quam mons Branciana vocata;
Turris de summo descendere sæpe deorsum
Cœperat Atto loquens his, qui fuerant meliores.
Hoc ubi cognovit rex illum pendere ponit;
Quidam de notis hoc eminus nuntiat ori
Attonis, clamans ut ei de turre per arctam
Ipse fenestrellam loqueretur; protinus extra
Atto caput jactans audivit verba beanda.
Ventre famem gestans ursus suspensus ad escas,
Quod languore dolet, cervi componit amore (539),
Visitet infirmum cervus, mandavit, ut ipsum.
Ivit cervus, ei, dum loqueretur (540), adhæsit
Auriculæ cervi, discerpens unguibus, et sic
Dimittens ipsum, direxit denuo missum,
Ut veniat mandans, dabo, si veneris tibi magna.
Cervus oblitus erat, quæ fecit bestia sæva
Accessit juxta, trahit unguem bellua cruda
Abstrahit auriculam, quam cervo liquerat unam;
Qui deturpatus rediit miser infatuatus.
Ursus amans cervum, mittit sibi denuo verbum,
Ut tute currat, quia vult sibi pandere multa :
Amens et stultus perrexit cervus ad ursum,
Aspicit, arridet venienti, fatur eique
Dente repente furens captivum dissecat ungue :
Vita privatus, vulpi datur igne cremandus,
Vulpis eum torrens, post urso detulit omnem;
Cor retinens tantum, sciat ursus illius (541) astum;
Ursus habens carnem, cor cervi quæritat ante;
Respondit vulpis, cor non habuit, neque sumpsi :
Dixit ei rursum : Cor mox volo. Vulpis ad ursum :
Dum quæsitus adest ter, corde carere probatur.
Hæc tibi sit chara, meus Atto, fabula plana.
Atto recognoscens cur hoc referebat, ob hoc se
Constrinxit sursum, non amplius ipse deorsum
Descendit, donec rex mansit ad obsidionem.
Rex firmans gressus, nec non exercitus ejus,
Pergere non usquam, capiar (542) nisi, cogitat unquam.
Circa me factis semis simul et tribus annis (543),
Attonem tædet tam longam ferre quietem;
Stabat enim sursum, faciebat nil nisi ludum,
Nocte foris missum pepulit, mandans breve scriptum
Ottoni regi, rogitans ut non pedetentim
De prope, fidenter sibi sed succurrere tentet;
Commemorans illi, quod dudum sponderat ipsi.
Otto videns missum lætatur sat super ipsum;

durat, et familiæ nobili *de Canossa* cognomen dedit, quæ ibi post comitissam Mathildem dominata fuit. Mur.

(533) *Abra* Græcis ancilla, pedissequa. Leib.

(534) Jam tum ergo (licet rarius) *Alemanni* pro Germanis, ut etiam apud Guilielmum Appulum. Leib.

(535) Joan. XII. Sed tunc sedebat Agapetus II, qui post nuptias Ottonis et Adelheidis adhuc vixit, successoremque habuit Joannem XIII. Leib.

(536) Fabulosum et Romanisca historia dignum. Ottonem M. clam ad Adelheidem liberandam venisse. Leib.

In cod. Padolir., *contulit*. Agit hic Donizo de nuptiis Adelaidis cum Ottone Magno Germaniæ rege peractis, inscio Berengario II, Italiæ rege; iisque peractis, subdit recessisse Ottonem *ad propriam terram*. At chronographus Saxo a Leibnitio editus, continuator Reginonis, aliique egregii historici tradunt anno 952 ab Ottone dejectum Berengarium, captamque ab eo regiam urbem Ticinum, ubi etiam *nuptiæ regali munificentia celebratæ*. Hic ergo discedendum a Donizone, qui rei quidem substantiam tradit, sed aliquot circumstantias ignoravit. Unus tantum Ditmarus lib. II Chron. aliquid habet quod ab hac narratione non multum abludit. Mur.

(537) *Vulpis*, machina, sub qua tecti milites, ut, sic dicam, caute. Leib.

(538) Cod. ant. Lavaclello. Leib.

(539) Cervi habendi amore fingit se languere. Leib.

(540) Cod. Padolir., *sed dum loqueretur*. Mur.

(541) Cod. Regien., *ursus ut illius*. Mur.

(542) *Capiat nisi*. Leib.

(543) Cum Lotharius rex Adelheidæ maritus anno 950, Novembri mense obierit, et Otto M. ann. 951, vel 952 in Italiam cum exercitu veniens Adelheidem in Canusiana arce obsessam liberaverit, ejusque conjugio sit petitus, tribus annis cum dimidio obsidio Canusina durare non potuit. Etsi Chronicon quoque Novaliciense reginam tribus pene annis in castro fuisse scribat. Leib.

Utut Leo Ostiensis et auctor chronici Novaliciensis scribant Adelaidem reginam, mox Augustam ac mulierem sanctam, tribus annis Canossæ obsessam fuisse, non id certe tradit Donizo. Sed post liberationem et nuptias Adelaidis refert obsidionem

Fortes armatos collectos, venit ad agros
Veronæ, pensans Berengerio dare bella,
Transivitque Padum cupiens reperire relatum (544)
Regem Canossæ, secumque suos simul omnes.
Ad Ligurem regem pervenit fama repente
Ottonis, quem propter ab obsidione recessit
Armis ac turbis circumdatus undique multis
Obviat in prato Fontanæ rex sibi; clamor
Fit subito grandis, frameis lacerantur et hastis,
Ensibus incidunt se, longe personat ictus,
Gens Alemanna capit Berengerium, superatis
Tunc Longobardis; campum legit Otto, retraxit
Illico frena retro, gaudens de rege retento,
Quam citius quivit fines proprios repetivit,
Compedibus regem gravibus stringebat inermem :
Donec enim vixit Berengerius stetit illic (545).
Posthac Albertus laudatur filius ejus
Et Longobardis rex : fortis hic exstitit armis.
Stans in equo, dextra si percussit sua quemquam,
Mox cecidit longe, concisso (546) sæpius osse.
Attonis pacem penitus contempsit amare;
Sumptibus Atto sagax arcem propriam satis armat.
Rex equitans acer circumdedit illius arcem
Tempora per bina ternos mensesque per iram.
Incassum certas, pater, o rex, ut tuus erras,
Non capiar quippe, nisi, donec vixeris, hic stes.
Atto videns usquam regem discedere nunquam
Ottonis rursum petit auxilium, cito cursu
Si nequit ipse suus veniat vel filius unus,
Nomine Litulphus, mittatur; et absque tumultu
Mille viros promptos cum nato dirigit Otto (547)
Italiam notam, caute venitque Veronam.
Canossæ degens rex audiit hunc ut adesse,
Dante sonum cornu perrexit Bagisium. Mox
Linquens Veronam Litulphus venit ad horam
Vespertinalem pratum Bottonis, et ante
Quam nox tetra foret, fuit Atto locutus ad aurem
Regis Litulphi (548) : Salveris, ait, sibi; jungit:
Stat male cum gatto mus in sacco simul arcto.

A Hoc ænigma peto, mihi narra, rex ait, ergo.
Reges Atto duos comitatu dixit in uno
Non decet esse simul : tunc consilium cape primum (549).
Quid faciam pro me, quidquid tu dixeris, hoc me
Spondeo facturum. Respondit eique Litulphus :
Atto bellator comedamus in hoc, ait, agro,
Nocte quiescamus modicum, post hæc gradiamur.
Nuntius, ut videat, de nostris illico pergat,
Qualiter Albertus manet, ac exercitus ejus.
Regi cuncta libent, quæ dixerat Atto, facitque;
Principio lucis fuit in pratove Paludis (550)
Missus ab Alberto rediens, Attone reperto,
Dixit ei : Certe pecudes (551) hi, si simul essent,
In subito possent per eos comedi, puto, domne,
B Tanti sunt. Istis, dicat, jubet Atto, sibi nil.
Atto loquens regi mutavit verba ferentis :
O si rex essent inimici forte bidentes
Assati, sane possemus rodere carnes;
Indue loricam, capiti galeam quoque firma,
Et clypeum jacta collo, manibus refer hastam,
Irrue confestim super ipsum, nunc stat inermis.
Thoracam, parmam, galeam, rex sumpsit et hastam.
Teutonici fortes sumpserunt arma vel omnes,
Ibant privatim, quantum poterant, glomerati.
Sensit eosque phalanx Alberti sparsa per ampla
Plures (552) currerunt, et hoc regi retulerunt.
Ad matutinum rex jam surrexerat hymnum;
Nil stupefactus, ait, volo, quot sunt, ut videatis,
C Nostros atque vocet tuba spargens undique vocem.
Interea cantet, volo, missam presbyter ante.
Officium sacrum dum psallitur, hi remeare (553),
Jam prope, dicentes, sunt mille, videntur et esse.
Rex vix armatus cum paucis et galeatus
Exiit ad bellum, Litulphus rex sibi ferrum
Porrigit extemplo, rex Longobardus in ipsum
Extendens hastam, thoracam membraque damnat
Litulphi, vitam qui statim perdidit ipsam (554).

Canosæ, quam nihil impedit quo minus credamus protractam ultra annos tres. Mur.

(544) Dictum regem. Leib.

(545) Poeta confundit primam Ottonis expeditionem, qua Berengarium in fidem suscepit regina Adheleide contentus, cum secunda, qua captum regno privavit, et in Germaniam transtulit. Leib.

(546) Cod. ant.; *conciso*. Leib.

(547) Ludolphus in Italiam contra Berengarium expeditionem suscepit anno 957, ibique obiit antequam Berengarius ab Ottone caperetur, quod factum demum anno 964. Capto autem patre tantum virium Adalberto non fuit ut Canossam obsideri posset, nec post patrem, sed cum patre regnavit. Male igitur noster post hac (id est capto patre) *laudatum a Longobardis* regem scripsit. Leib.

(548) Non rex, sed regis filius fuit Ludolphus, et dux Alamanniæ constitutus ab Ottone Patre anno 950. Mur.

(549) Cod. Regien. : *Cape primus*. Mur.

(550) In ms. codice Estensi membranaceo et perantiquo, unde hausi historiam Regiensem in hoc opere edendam, legitur historia *De Gestis comitissæ Mathildis*. Est autem Epitome historiæ metricæ a Donizone compositæ, prosa oratione confecta, atque hæc ibi leguntur : *Et venit prædictus Litulfus cum prædictis militibus quadam die mensis Madii ejusdem anni a civitate Veronæ usque ad arcem Canusinam per unum diem. Et alia die sequenti ivit Parmam, et accepit coronam Langobardiæ.* Altum de hujusmodi coronatione silentium apud reliquos scriptores; silet et ipse Donizo, si tamen illius versus D habemus. Pergit idem scriptor : *Et rediit cum dictis militibus, et cum comite Attone; et manu armata eodem die in prato Antognano ivit contra regem Albertum filium quondam regis Bellengarii. Et prælium ibi factum fuit inter utramque partem in dicto prato Antognano apud Carpinetum infertur*, etc. Infra Donizo auctor est, tumulatum fuisse Litulfum ad locum *Antonianum*. Mur.

(551) Hæc emendanda puto ex Epitome Donizonis, quæ est in ms. cod. Regiensi, ubi hæc ita efferuntur : *Rediens dixit, quod si isti, qui erant ex parte Attonis et Litulfi, essent pecudes, et coctæ, quod illi eos comedere possent tantæ quantitatis erant.* Lego igitur *coctæ pecudes*. Mur.

(552) Cod. ant., *currer.*, id est *currerunt*. Leib.

(553) Cod. Padolir., *remearunt*. Mur.

(554) Fabula. Ludolphus morbo obiit. Hepidanus ait febre correptum anno 957 præ dolore, id

Gens Alemanna dolens tremuit, nimioque timore
Atto levat vocem, confortat Teutonicosque :
Ad cujus vocem totum sprevere timorem.
Partes tunc ambæ grave damnum sustinuere.
Quamvis cum damno, campum tenuit tamen Atto :
Rex procul Albertus studuit discedere, certus
Quod non in regnum requiesceret amplius, exsul
A regno (555) factus, pertransivit mare magnum.
Partibus in nostris non ultra venit hic hostis;
Si dilexisset me, sic male non hic abisset (556).
Ex propria gente (557), non ulterius sibi regem
Longobarda petit gens, constituit, neque quærit.
Tunc etiam mensis Madius florebat in herbis
Anni nongenti quindeni (558) tunc quoque Verbi.
Atto cadaver habens Litulphi, viscera plane
Illius extraxit de corpore, quem sua planxit
Gens, ea tunc tumulo posuit condigniter uno.
Dicitur ecclesia (559) Prosper sanctissimus illa,
In qua conduntur nec non locus Antonianum;
Corpus, aromatibus conditum quippe deintus,
Patri confortans ipsum direxit, et hortans :
Ne nimium plangas, poteris quia vincere magna,
Si veneris statim, Longobardos superabis,
Illorum fugit quoniam rex; si modo curris,
Longobardorum regnum dominaberis horum
Otto de nato nimium doluit, tumulato
Ipso, confestim multos rex ipse revexit
Italiam secum, quem pacifice petierunt
Cuncti Lombardi, sibi dantes oppida gratis,
Cum quibus et Romam petiit regnique coronam
A papa cepit feliciter indeque crevit.
Muneribus magnis Attonem ditat et altis,
Cui nonnullo (560) comitatus contulit ultro,
Per quem regnabat, nil mirum si peramabat

A

CAPUT II.

Refert Canossa amorem Attonis erga se, et quomodo acquisivit cōrpora martyrum Victoris et Coronæ, et S. Apollonium episcopum et confessorem.

Ditescens Atto mea mœnia duxit in altum,
Per me dives erat, sua per me cuncta tenebat,
Ac ideo cuncta, veniebant quæ sibi pulchra,
Loricas, hastas, clypeos, enses mihi mandat,
Artubus ex sacris decoravit me, velut armis
Rex quidam donat, sibi Victoremque (561) Coronam.
Pœnam cervicis, nam pro diademate cœli
Sustinuit miles Victor sanctissimus iste,
Sancta fuit lota secumque cruore Corona.
Duxit hic hos Atto, multos alios quoque sanctos,
B Relliquias alias dedit illi Brixia magna;
Nam caput, ac humerum dextrum pariterque lacertum
Hujus Apollonii (562) vehementer honorificandi
Offert gratis ei. Gotefredus episcopus egit
Hoc, quia de lumbis erat ortus principis hujus;
Hic præsul sacram reseravit corporis arcam,
Ac secuit membra, cruor et mox prodiit extra.
Unde bonus princeps valde miratus, eidem
Continuo terræ propriæ, decimamque monetæ
Vovit, et hic secum sacra duxit pignora lætus.
Post hæc excelsum studuit sibi fingere templum,
Divinasque scholas (563), canerent quæ dulciter horas
Nocte die Christo, statuit vir opimus in ipso;
C Organa cantorum, fabrefecit vocibus horum,
Cum quibus in sanctis jubilarent vocibus altis.
Ornamenta bona, rutilantes atque coronas
Ex auro claro simul argentoque probato
Obtulit, hæ vero numero sunt bis duodenæ (564)

est mœrore. Ditmarus lib. II. Sigonius suspicionem acceleratæ mortis Berengarium sustinuisse affirmat. Unus Widikindus Donnizonis narrationi favere videri possit lib. III his verbis : *Quo* (Ludolpho) *agente* (in Italia) *annum fere totum diem extremum obiit, toti Francorum imperio relinquens suo vulnere vulnus durum;* sed *vulnus* hic pro jactura, læsione, accipi potest, nisi forte legendum *suo funere*. Hermannus contractus Canusii ad hunc an. commissa pugna *Ludolphum* vicisse, cunctisque sibi cum Italiæ regno subjugatis, eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vita decessisse. LEIB.

(555) Anno 957 Ludolphus e vivis sublatus est. Neque statim Adelbertus Italiæ valedixit, sed anno tantum 962 quo Otto M. in Italiam descendit. Continuator Reginonis ad annum 963 scribit, tunc eum in Corsicam se recepisse. Illius autem pater Berengarius rex in arce sancti Leonis eodem tempore a Germanorum exercitu obsidebatur. MUR.

(556) Codices nostri : *Non hinc abiisset*. MUR.

(557) Ergo Donizo natione Langobardos putavit Berengarium et Adelbertum : quod tamen affirmare ego non ausim. MUR.

(558) Quindeni, id est quinquiesdeni; sed addendi sunt septem. LEIB.

(559) Qualis fuerit ecclesia hæc, disce a ms. Epitome Donizonis, quam supra memoravi in Estensi bibliotheca servatam. *Et comes Atto honorifice sepelivit prædictum Litulfum ad Ecclesiam Sancti Prosperi de Antognano, quæ est prope pratum Carpineti in loco ubi dicitur Zianum.* Antiqui Germanorum Annales ad annum 957 referunt Liudolfi corpus in Germaniam translatum *a venerabili archiepiscopo Vilehelmo fratre ejus, Moguntiæ apud sanctum Albanum honorifice tumulatum fuisse.* Et quidem viscera tantum in ecclesia sancti Prosperi tumulo tradita, corpus vero ad patrem ab Attone missum, testatur ipse Donizo. MUR.

(560) Cod. Regien. : *Cui nonnullos*. Qui fuerint isti comitatus *Attoni* (is etiam *Adelbertus* appellatur) ab Ottone M. Augusto contributi, indicabit nobis charta a Bacchinio evulgata in Append. ad hist. monast. Padolironens., pag. 3, ubi anno 967 nomi-
D natum legimus *Adalbertum, qui et Atto, gratia Dei comes Mutinensis*. Imo simul *Regiensis civitatis comes* fuit, teste diplomate ejusdem Ottonis apud Ughellum in Ital. Sac. tom. V, pag. 1582. Ibi enim anno 964 mentio fit *Adalberti inclyti comitis Regiensis, sive Mutinensis fidelis nostri*. Adde, Attonem ipsum in chartis Theudaldi ejus filii titulo *marchionis* donari apud eumdem Bacchinium pag. 16 laudatæ Appendicis. Cum in nullis chartis ipso vivente conscriptis aliter quam *comes* appelletur idem Atto, suspicandi locus est ipsum defunctum a notariis ampliores titulos recepisse, ut Theudaldo marchioni ejus filio major accresceret honor. MUR.

(561) Vid. Martyrol. Rom. 14 Maii. LEIB.

(562) Vide Martyrol. Rom. 7 Julii. LEIB.

(563) Collegium hominum sacris operantium. LEIB.

(564) Videatur adjecta hic relatio de thesauro Ecclesiæ Canusinæ. LEIB.

Maxima thuribula, et calices, tabulas quoque sculptas,
Pallia, planetas, pluvialia vel duodenæ
Exhibuit templo, sincero cordeque recto,
Hoc prope vestibulum proprium jubet esse sepulcrum
In quo more patrum princeps requiescit humatus.

CAPUT III.

Quæ et qualis fuit uxor Attonis, et quot filios habuit, et quod Tedaldus princeps exstitit post ipsum, et quod idem Tedaldus ædificavit monasterium illud quod est inter Padum et Larionem.

Conjugis Attonis non fiat oblivio nobis,
Ildegarda quidem fuit hujus nomen amicæ,
Docta, gubernatrix, prudens, proba, consiliatrix
Ad meliora virum suadebat sæpius ipsum,
Cum quo Birsellum (565) monachis fabricavit habendum.
Ex his sunt orti tres, quos miratur hic orbis :
Rodulphus valde juvenis pulcherrimus, atque
Mortuus ante patrem, post quem sequitur bonus alter
Antistes magnus Gotefredus (566), et ille Tedaldus,
Qui post Attonem totum servavit honorem (567),
Amplificans terras proprias, dives nimis exstans,
Regibus existit charus, notissimus illis,
Romanus papa quem sincere peramabat,
Et sibi concessit quod ei Ferrarea (568) servit;
Non genitore minus castrum coluit Canusinum.
Iste Padum juxta, Larionis propter et undam
Cœnobium dignum (569) Domino, sanctum Benedictum
Construxit, certe monachos ibi maluit esse;
Felix iste locus, nimis est quia relligiosus :
Non tamen est artus proprios ibi condere passus
Princeps Teudaldus, sed cum patre pausat humatus;
Egit bella satis, sunt maxima facta Tedaldi.

CAPUT IV.

De uxore Tedaldi, et tribus filiis ejus.

Uxor Tedaldi fit Guillia dicta ducatrix.
Hæc placuit parvis pietate, placebat et altis.
Hæc tres personas mundo genuit speciosas,
Urbis Aretinæ Tedaldi præsulis, inde
Atque ducis celsi Bonifacii sapientis
Militis, et docti Chonradi, ceu leo fortis.
O bona progenies, quam terris contulit ille
Qui super astra sedet, per quem sunt condita quæque!
Quidquid ad exemplum pulchrum valet esse repertum,
Repperit hæc proles armis seu relligione.
Nam pater ipsorum moriens benedixit eorum
Personas, post se præcepit major ut esset
Natus dilectus Bonifacius atque modestus,
Cui juravere patre tunc vivente fideles
Servi, prudentes proceres, comites, pariterque (570)
Mortem post patris; dedit illis plurima gratis.
Cervinos plenos nummis saccos duodenos
Liquerat in propria camera genitor Canusina,
Quos penitus totos dedit uno tempore dono.
Ejus ubique sonat bonitas, et facta sonora.

CAPUT V.

De episcopo Aretinæ urbis, qui fuit frater Bonifacii.

Præsul Aretinus Christi Tedaldus amicus
Relligionis erat (571), Domini gregis atque gerebat
Curam devotam, monstrans exempla decora.
Exstat castus ita, quod quodam tempore quidam
Perversi vane pro quadam debilitate
Hortabantur eum stuprum committere; secum
Quod præsul tractans jussit deducere partam
Quippe lupam quamdam, prius ignem ponere mandans
Ante suum stratum; videt ignem flammiferatum,
Appropians juxta, dum flammas sensit, abundans
In lacrymis clamat : Væ, væ mihi! si modo raram
Flammiculam vilem nequeo sufferre; perire
Si me contingat, barathri flammam, miser illam
Quomodo sufferre potero? Scelus istud ad Ethnæ
Me puteum ducet; scelus hoc, ne funditus urar
Igne sub obscuro, sperno, penitusque refuto.
Tale dat exemplum Tedaldus præsul agendum;
Cœpit hic adversum Simoniacos dare verbum,
Ipsos detestans dicebat mente modesta.
Mille libras certe pro papatu dare vellem,
Ut, quod ego glisco, Simoniacos maledictos
Ejicerem cunctos per totum denique mundum.
Musica seu cantus istum laudare Tedaldum
Non cessant semper, renovantur eo faciente,

(565) Diu floruit cœnobium sancti Genesii ab Attone fundatum Brixilli, seu Brixelli ad Padum, cujus fundationem, imo et mentionem in Annalibus Benedictinis clarissimi Mabillonii frustra quæsivi. Nunc attritum est, et ab aliquot sæculis destitutum monachis, ejusque proventus Ecclesiæ principibus commendantur. Fulvius Azzarius in Historiis Regien. mss., et Bacchinius, pag. 76, Append. hist. Padolir., exhibent comitissæ Mathildis diploma, qua multis prædiis donat *monasterium, quod parentes mei construxerunt in castro Brixillo in loco suæ proprietatis, ubi nunc domnus Thebaldus abbas præesse videtur, quod est constructum in honore sanctæ Trinitatis et sancti archangeli Michaelis, atque sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nec non et sancti Genesii.* MUR.

(566) Parmensis. LEIB.

(567) Id est, solus successit in ditiones et honores. Itaque merito *Sigebertus* rejicitur, quem Sigonius Attoni filium, Thedaldo fratrem assignat, aut *Albertus Azo*, sive *Albertatius*, quem Pigna. LEIB.

(568) Scilicet *Ferraria*, ubi diu permansit *castrum Thedaldi* ab ipso ædificatum. MUR.

(569) Cujus Historiam anno 1696 Mutinæ evulgavit celeberrimus Benedictinorum Mutinensium abbas Benedictus Bacchinius, nobis ante paucos annos a morte ereptus. MUR.

(570) Si *comites* Theudaldo suberant, ergo is *marchio* fuit. Et ejusmodi reapse titulo donatur in Chartis eorum temporum, quarum et ego nonnullas afferam, si Deus dabit. Cui autem marchiæ ille dominaretur, incertum plane. Non certe Tusciæ, uti ego prodam aliquando. Fuit autem Thedaldus *comes Regiensis*, testante id charta, quæ mihi ad manus est. MUR.

(571) Cod. ms. Regiens. *Relligiosus erat.* MUR.

Micrologum librum (572) sibi dictat Guido peritus
Musicus, et monachus, nec non heremita beandus, etc.

CAPUT VI.

Quod nonnulli marchiones Longobardiæ studuerunt separare Chonradum a Bonifacio, et quod Bonifacius duxit uxorem comitissam Richildam, et de magno bello, quod tota fere Longobardia fecit cum Bonifacio, et Chonrado in Cuviliolo, qui est prope Reginam urbem.

Ad laicos fratres redeat stylus hic modo plane
Illorum summa Canossæ cura redundat,
Ut genitor, vel avus, sic illam semper amarunt,
Pacis amatores, fortes sunt utque leones;
Ili pacem veram cum prosperitate tenebant,
Invidiam sævam, propter quos major habebat
Longobardorum comitum pars, more malorum.
Nam animum (573) curant cum sollicitudine multa
Hos inter fratres fraternam lædere pacem,
Sed dum fraternum nequeunt elidere sensum
Ex ipsis ortam Chonrado tunc dare sponsam
Promisere, nimis juvenis quod credidit illis,
Servis nonnullis privatim denique sumptis,
Majoris fratris sine nutu, pergit inanis
Ad comites illos, quos visos, respuit illos,
Germani mentem placavit, mox vehementer
Facti concordes, confusi sunt ob id hostes;
Qui cum Chonrado, servos, ierant titulato (574),
Omnino princeps doctus Bonifacius iste
Ejecit longe, dominis aliis dedit omnes.
Marchio Richildam prætaxatus comitissam,
Quæ Giselberti de sanguine principis exstat (575)
Duxit in uxorem, fuerat quia dives honore :
Hæc agapem multam miseris dabat atque tributa,
Hæc defuncta jacet sine pignoribusque Nogaræ (576).
Cumque duces isti cunctis essent inimicis
Fortes, et grandes velut essent quippe gigantes,
Tunc populus multus inimicorumque tumultus,
Ex regno toto prosperans in Cuviliolo (577)
Aggreditur certans, istos devincere tentans,
A Quos superant isti bellando duriter ipsis;
In prima fronte Bonifacius incutit hostes;
Miles eum quidam quærebat voce ferina,
Cui dux insignis caput abstulit, omnibus illis
Ingens successit formido mortis, et ensis,
Quos cædit dente (578) valido Bonifacius ense.
Cumque fatigatus nimis esset, non superatus
Vertit equum, cunctis gaudentibus undique turbis,
Deseruit bellum frendens, ad quem quasi cervus,
Chonradus cultus, quo non est fortior ullus,
Exiit ex lucis, cum quingentis fere scutis :
Cur ita frater abis prudens ait, o Bonifaci ?
Sume tuas vires, placeat mecumque redire,
Hostibus his campus non detur, sed redeamus.
Hortatu cujus Bonifacius illico fultus,
B Vexillis tensis rediit cum fratre recenti :
Pristina bella novant, inimicis væ quoque donant :
Nam perimunt, cædunt, campusque cruore repletur
Cornipedum crura fiunt ibi sanguine rubra,
Quos illi volvunt, fugiunt, tribuunt male dorsum;
Tunc strages grandis hominum fuit, eque caballis
Lancea quod longa, quasi brachia mille, sit audax,
Estve Bonifacii visum cunctis inimicis,
Chonradique spata centum cubitos quasi lata.
Qui procul ejecti vix hospitioque reversi,
Lumina vertentes post tergum sæpe timentes.
Chonradus ductor, Bonifacius inclytus ultor,
Condunt vaginis mucrones sanguine tinctos,
Dumque suum ponit Chonradus, flens fero vobis,
Candida lorica, cernit quod sanguine stillat,
C Ecce sciens vulnus fratrem confortat alumnum,
Illorumque phalanx campum collegit et arma,
Urbs quoque Regina Chonrado dat medicinam
Exstitit hic clarus miles postquam fere sanus,
Surgit ludendo, non se custodit edendo,
Unde nimis multum commotum denuo vulnus
Per plures annos fratri fletus tulit altos,
Nam juvenis pulcher de corpore migrat in urbe;

(572) Auctor ejus Guido monachus Benedictinus. Vossius, De scient. mathem., cap. 22, pag. 95 non unum errat errorem, Trithemium nempe secutus, cum eum floruisse scribat anno 1070. Præterea monachum facit cœnobii sancti Leufredi apud Ebroicenses, tum S. R. E. cardinalem, et non alium a Guitmundo, qui adversus Berengarium hæresiarcham scripsit. Vivebat autem Guido iste monachus revera, at litteris musicam artem mandabat anno 1022, D patria Aretinus, et in Pomposiano monasterio enutritus. Ejus autem liber ante quadringentos, ut mihi videbatur, annos manu exaratus, asservatur adhuc in celebri bibliotheca Ambrosiana cum hocce titulo : *Micrologus id est brevis sermo de musica.* Præcedunt hi versus :

Gliscunt corda meis hominum mollita Camœnis,
Una mihi virtus numeratos contulit ictus;
In cœli summo gratissima carmina fundo,
Dans aulæ Christi munus cum voce ministri.
Ordine me pinxi, primo qui carmina finxi.
Gymnasio musas placuit revocare solutas,
Ut pateant parvis, habitæ viis hactenus altis.
Invidiæ telum perimat dilectio mecum.
Dira quidem pestis tulit omnia commoda terris
Ordine me pinxi, primo qui carmina finxi.

Acrostichon vide in litteris initialibus horum versuum, et quidem, duplicem, nempe Guido, Guido. Incipit autem prologus libri : *Ut me et naturalis conditio, et honoris imitatio, communis utilitatis diligentem faceret, cœpi inter alia musicam pueris tradere*, etc. Alios rei musicæ scriptores complectitur idem codex. MUR.

(573) Cod. ant. : *Nam nimium*. LEIB.

In codice quoque Regiensi habetur : *Nam nimium*. MUR.

(574) Hoc est servos illos, qui cum prædicto Chonrado ierant. Ita et infra prætaxatus pro antea memoratus. MUR.

(575) Cod. ant., *ex.*, id est *exit*. LEIB.

Codex Padoliron. et ipse aperte habet, *exit*. Jam cap. 8, pag. 55 Antiquit. Esten. ostendi, *Richildam* hanc *comitissam* non Giselberti comitis Lucemburgensis, sed quidem Giselberti in Italia *comitis Palatii* filiam fuisse, et ex *natione Langobardica* originem traxisse. MUR.

(576) In oppido Veronensis agri. MUR.

(577) Ms. codex Esten. ubi Epitome Donizonis, hæc suppeditat : *Et hoc fuit in villa Cuvilioli prope Reginam civitatem per milliare et dimidium.* Nunc Coviolo. MUR.

(578) Cod. ant., *dense*. LEIB.

Ad cujus funus Trinus rogitatur et Unus,
Ut sibi peccata donet requiemque beatam.
Hujus (579) ad exsequias sunt agmina sancta petita
Quatenus in cœlum præstent, quod eis societur :
Pontificum cœtus, ex omni stemmate clerus
Adfuit ad tantum tunc athletam tumulandum.
Egregius frater sumens, fratrisque cadaver
Detulit ad tutum patrum, matrumve sepulcrum,
Scilicet ad templum Canusinum reverendum :
Innumeræ gentes secum de fratre dolentes
Concurrunt, voces de tali dantque barone.
Ast ubi conditus miles fuit iste peritus,
Spiritus a pœnis liber queat ut fore tetris,
Donat Apollonio sancto Germanus in illo
Tempore fructiferam curtem Cagnaula vocatam
Anni terdeni tunc Verbi mille sereni.

CAPUT VII.

Quot marchiones sepulti sunt apud Canossam.

Laudo Canossa Deum, mihi qui concessit amœnum
Tempus habere bonis cum principibus generosis,
Quos habui vivos dulces dominos et amicos,
Defunctos cunctos merui tumulare sepulcro;
Inde meus planctus, dolor, et lacrymæ revelantur (580)
Maxime natalem celebro dum mortis amaræ.
Pontifices ambo (581) sunt a patrum procul antro.
Mors Ildegardam rapit idus tertio Sabat (582).
Idus Attonis animam Februi tulit olim.
Idus octavo Madii (583), fleo, condo Tedaldum.
Idus tu Julii Chonradum tertio punis.
Rodulphus terras dimisit, et ante Kalendas
Augusti denis duo junctis quippe diebus.
Binos ante dies Augustus denique finem
Quam caperet, terra fuit et proba Guillia (584) tecta.
Hos saxo texi cum natis atque puellis,
Quos Deus ad caulas paradisi ducat et aulas :
Non hædis misti sinceri sint sed ovilis,
Pascua quo Christi pascant sine fine benigni. Amen

CAPUT VIII.

Cujus staturæ, et cujus qualitatis exstitit Bonifacius, et quid de ipso Sibylla prophetizavit.

Gesta Bonifacii populus precor audiat omnis :
A Clara fuisse scio gesta Bonifacii.
Quisquis amat rutilos retinere decenter honores,
Actus ejus amet, noscat eos rutilos.
Ingenio viguit sensu similis Danielis,
Dum puer ipse fuit, ingenio viguit.
Pulcher et egregius speciosus eratque decorus,
Providus ut Joseph, pulcher et egregius.
Factus ut est juvenis, meruit statuamque Saulis
Prospere cuncta regit, factus ut est juvenis.
In cuneis equitans humero Saul eminet, ipsis
Hic quoque major erat in cuneis equitans.
Viribus acer erat Goliæ velut ille peremptor,
Qui labiis, manibus, viribus acer erat.
Innumeras habuit sapientis opes Salomonis,
Nam mundi pompas innumeras habuit;
B Res sibi nulla deest terræ, pontique, polique,
Se sapienter agens, res sibi nulla deest,
Nobilis hic didicit plus cunctis dapsilis esse;
Largiri valide nobilis hic didicit.
Prisca Sibylla canit, quem, cui modo credite cuncti,
Scribo, quod ex isto prisca Sibylla canit.
Esse B principium ducis insit (585) nominis hujus,
Non ratione caret esse B principium.
Limpidus atque bonus facie Bonifacius exstat,
Artibus (586) et dictis limpidus atque bonus.
Esse prophetat eum locupletem, pacificumque,
Victorem jugiter esse prophetat eum.
Quæ mulier cecinit de te, bone dux, habuisti,
Vera fuisse reor, quæ mulier cecinit.
Multa locuta fuit de Christo, judicioque,
C Fineque de mundi multa locuta fuit;
Nobile conjugium tribuit Deus, et tibi dignum,
Magna Beatrix est nobile conjugium.
Stirpe fuit genita regali (587) pulchra Beatrix (588),
Majorem mundi stirpe fuit genita.
Splenduit ipsa Liæ procul, et Rachelis honore,
Ut sapiens Saraa splenduit ipsa procul;
Una figura Beatricem, Bonifacium dat,
Amborum nomen una figura B dat.
Sunt bonitate pares, simulantur (589) nobilitate,
Conveniunt bene, qui sunt bonitate pares.

(579) Cod. Regien. : *Cujus*. LEIB.

(580) In msto. cod. Regiensi, *relevantur*. MUR.

(581) Id est Gotefridus episcopus Brixiensis, et Thedaldus episcopus Aretinus tumulati in suis quisque ecclesiis. MUR.

(582) Pro *Sabbato* scriptum videtur. At quis hic locus Sabbato, cum mensis facienda est mentio? MUR.

(583) Maii. LEIB.

In Epitome msta legitur *:Tertio Idus Jan*. MUR.

(584) Eadem Epitome msta : *Et comitissa Guilia penultimo die* (antepenultimo scribendum erat) *die Augusti, cum pueris et puellis jacent in uno monumento*. Est adhuc in Mutinensis agri montibus castellum Guilliæ, cui fortassis illustris hæc femina nomen dedit.

In editis hucusque, atque apud ipsum Leibnitium, quanquam is Vaticani codicis ope fuerit usus, luxata hic fuerunt ossa carmini Donizonis. Nam post hunc versum consequebatur :

Præposito nunquam petit et clerus suus ullam,
Munia divina, etc...

Verum hi versus nullum cum antecedentibus sensum reddentes transferendi erant infra ad cap. 16. Tum hic deerant alii, quos nunc suppleo ex duobus D mstis Regiensi ac Padolironensi. Dialogus ergo inter *Canossam et Mantuam*, utpote non pertinens ad hunc locum, infra post narratam Bonifacii marchionis mortem legetur. MUR.

(585) Fortassis, *infit*. MUR.

(586) Mstus cod. Regien., *Actibus*. MUR.

(587) Beatricis ducissæ brevem tabulam genealogicam vide pag. 64, Antiquit. Esten. MUR.

(588) Hadwidu, filia Henrici Aucupis, soror Ottonis Magni peperit Hugonem (Capetum vulgo) regem, et Beatricem, quæ nupta Friderico Seniori duci Mosellanorum, peperit ei Theodericum ducem, patrem Friderici ducis, cujus filia fuit hæc Beatrix, ut ex antiqua genealogia sancti Arnulphi bene observavit Franc. Mar. Florentinus, qui res magnæ Mathildis, et majorum ejus præclaro volumine illustravit. LEIB.

(589) Corrige ex Regiensi msto, *similantur*. MUR.

Præbuit Italia Bonifacium generosum,
Atque Beatricem Gallia fert Italis.
Huic veluti mundo sic ambo beentur olympo
Ambo polo rutilent huc veluti mundo.

CAPUT IX.

Cum quanta gloria et honore duxit dux et marchio Bonifacius illustrem ducatricem Beatricem.

Det Deus in claris cameris tibi stare Beatrix (590).
Heroicum carmen cupio nunc ornet ovanter
Facta ducis magni Bonifacii memorandi.
Primitus hunc noscit, quantum sit, Gallia, fortis,
Cum natam rutili ducis expetiit Federici (591).
Conjuge cum propria Mathildis (592) denique [dicta.
Iste Beatricem Federicus donat habere
Huic Bonifacio; qui dux cum pergeret illo,
Ornatus magnos secum tulit, atque caballos,
Sub pedibus quorum chalybem non ponere solum
Jusserat, argentum sed ponere, sit quasi ferrum;
Esse repercussum clavum voluit quoque nullum
Ex hoc ut gentes possent reperire quis esset.
Cornipedes currunt, argentum dum resilit, tunc
Colligitur passim, passim reperitur in agris
A populo terræ testans quod dives hic esset;
Egregius princeps tunc gessit plurima digne
Quæ scribenda forent, stylus autem currit amore
Ad dominam nostram (593), quam valde carmen [adoptat;
Hanc sponsus ditat, ditatur et ipse per ipsam,
Servos, ancillas, ab ea tenet oppida (594), villas,
Gallia nobiscum per eam dominum timet istum.
Quis princeps Gallus plus isto dives et altus
Italiæ regnat? Sibi Gallia plurima præstat
Longobardiam deducens hanc comitissam.
Occurrere quidem Ligures, pariterque Quirites;
Exsultant inopes, congaudent maxime dites;
Per menses ternos fiunt convivia, vero
Non ibi pigmenta (595) tritantur, sed quasi spelta
Ad cursum lymphæ molendinantur ibidem;
Gurgite de putei potus trahiturque lyæi;
Ex alio puteo refluebat potio vero;
Situla pendebat ex argentove catena,
A Cum quibus hauritur dulcissima potio, vinum:
Obbas vel lances ad mensam fert equus, atque
Argento splendent auro quoque vascula mensæ;
Tympana cum citharis, stivisque, lyrisque sonant [hic,
Ac dedit insignis dux præmia maxima nimis.
In Marego (596) facta sunt hæc convivia magna.
Nobilis et conjux puerum peperit Federicum;
Inde Beatricem; Mathildem vero deinde,
Quæ similis matri, color illi maxime patris,
Ex aliis fari pueris dum gestio saltim,
Mox nimius crescit gemitus, dolor ac juvenescit:
Hæc monimenta patrum retinebit ut optima matrum
Patris honor, genitricis amor, decus hæc fit eorum.
Hanc Longobardis Deus istis contulit annis:
B Nunc dimittatur, tantum de patre loquamur.
Ista suo felix nam tempore carmen habebit.

CAPUT X.

Quod rex Chonradus Parmam vicerit (597) *adjutus a Bonifacio, et quod idem rex, idemque marchio juramento fœderationis* (*juncti sint*).

Præpetibus palmis redeat stylus addere chartis,
Qualiter Augusto Bonifacius inclytus ultor
Profuit, et secum pepigit memorabile fœdus.
Chrysopolis (598) dudum Græcorum dicitur usu,
Aurea sub lingua sonat hæc urbs esse Latina,
Scilicet urbs Parma, quæ grammatica manet alta,
Artes ac septem studiose sunt ibi lectæ:
Cæsaris hæc vallo Chonradi cingitur arcto:
C Ut capiatur enim, jubet ipsam pungere telis
Plebis, mox armis fit strages ex Alemannis.
Pacificus quidam necuit bis quatuor ira,
Proluit unde furor mage Cæsario, illico muro
Applicat armatos custodes, ac galeatos,
Mandat hero nostro Bonifacio bene docto
Quatenus accurrat, juvet urbem frangere stultam;
Qui subito sumptis equitum peditum quoque turmis,
Urbis ad excidium properavit regis amicus.
Quo viso cives trepidant, reputantque perire;
Absque tenore pedes adeunt mox regis, et ædes
Ac portas urbis reseraverunt sibi cuncti.

(590) In Cod. Regien., *te stare*. MUR.

(591) Ducis Lotharingiæ superioris, seu Mosellanorum. LEIB.

(592) Nempe Mathildis illa Hermanni Sueviæ ducis filia, quæ nupsit Frederico Lotharingiæ superioris duci. Atque hinc in magna comitissa Mathilde renovatum aviæ maternæ nomen pro antiquo more, qui adhuc viget. MUR.

(593) Scilicet ad magnam comitissam Mathildem, de qua præ cæteris agendum sibi statuerat Donizo. MUR.

(594) Albericus Trium Fontium monachus in Chronico edito per Leibnitium ad annum 1076 hæc habet: *Mathildis marchisa terram suam viriliter rexit, et abbatiam canonicorum sancti Petri ad montes juxta Briciam in diœcesi Metensi fundavit*. In ea ergo regione veri mihi videtur simile sita fuisse oppida quæ Beatrix in dotem attulit Bonifacio marchioni, quæque eorum filiæ Mathildi in hæreditatem cesserunt. MUR.

(595) Aromata. LEIB.

(596) Vetustus auctor Epitomes mstæ in bibliotheca Estensi hic audiendus: *Et eam*, inquit, scilicet Beatricem, *cum magno honore in episcopatum* D *Mantuæ duxit, et ibi fecit nuptias in loco, ubi dicitur Marago juxta flumen Mencii*. MUR.

(597) Cod. Regien., *vicit*. Infra pro *fœderationis juncti siut*, idem codex habet *fœderati sunt*. MUR.

(598) Cum Hieronymus Albertutius in libro. De urbibus Italiæ, vetustam inscriptionem sibi visam dixisset, in qua Parma dici videretur: *Julia civitas Chrysopolis*, Leander Albertus negavit apud veteres nomen *Juliæ*, aut *Chrysopoleos* de Parma reperiri; inscriptionem autem supposititiam esse. Si Domnizonem nostrum legisset, æquius judicasset. Et rem hodie extra controversiam collocat anonymus Ravennas geographus nuper editus, apud quem, lib. IV, habetur: *Julia Chrysopolis, quæ est Parma*; quod probe notavit Porcheronus editor. Anonymum illum adjuvat Donizo, et ab eo adjuvatur. LEIB.

Gruterus, pag. 492, num V., inscriptionem affert, ubi legitur: *Colonia Julia Augusta Parmensis*. At

Tunc aderant vincti bini cum rege maligni (599), A
Pingues et fortes homines nimium super omnes,
Avulsis vinclis a dextris, atque sinistris.
Cedunt præcipites, lacerant, perimunt quoque cives;
Quos juvenes urbis cupientes cædere cultris,
Propter eos sistunt, frameis humeros sibi scindunt.
Taliter occisis rex flevit, et ejus amici,
Protinus atque locum fecit comburere totum.
Qualiter Augustus cum nostro principe junctus
Sit sacramento, referatur carmine certo.
Imperium servans Chonradus, eumque gubernans
Cognoscit vere plus cunctis posse valere
Mirificum, clarum, generosum, sæpe relatum
Athletam magnum Bonifacium venerandum,
Ut juraret ei, rogat ipsum, more fidelis;
Ac ideo dixit quod marchia (600) serviet ipsi,
Redderet atque vicem jurandi rex sibi, quippe
Annuit hoc regi Bonifacius, atque peregit,
Voceque mox viva juravit rex (601) sibi vitam
Atque suos artus, et honorem principis aptum,
Absque dolo recto servare per omnia semper,
Donec eis vita substiteret, hoc ita firmant.
Nullus dux unquam meruit tam fœdera culta;
In Charta scriptum jusjurandum fuit istud.

CAPUT XI.

Quid egit Bonifacius in Burgundiam eundo, et redeundo

Rex ubi Chonradus moritur, natusque levatur
Ejus Heinricus, rex prudens atque peritus,
Qui tenuit pacem cum nostro principe sane;
Accidit, ut vallo circumdaret hic Miroaltum (602)
Quod nullis bellis nec missilibus quoque cessit.
Circa quod fessus rex ac exercitus ejus,
Misit ad instructum, quam maxima talibus usum,
Scilicet ad cautum Bonifacium sat et ausum (603),
Ne sibi desistat succurrere, nonve relinquat;
Cæsaris assensum precibus qui præbuit, et tunc
Militiam doctam secum deduxit, adhortans
B Ut sapienter agant, prudenter et insimul arma
Arripiant prompte, poterunt quia vincere fortes.
(604) Cum multo pergens sumptuque potenter,
Proximat ad castrum, legatum dirigit aptum
Regi, quo fessum non tunderet ipse relectum (605),
Inde sed abscedat, quoniam vult, ut sibi cedat (606);
Hora, qua castrum fuerit per se quoque captum,
Ad patrios fines malit mox ipse redire.
Rex (607) abiit longe, famulique sui simul omnes
Ante diem ternum quam figat dux ibi gressus;

nullum ibi *Chrysopolis* nomen. Vide tamen, quæ Leibnitius adnotat. In Actis quoque pervetustis sancti Domnini martyris apud Surium ad diem 9 Octobris, *cum venisset beatus Domninus quinto decimo milliario a Julia Chrysopoli civitate*, id est *Parma*, a qua burgum Sancti Domnini XV millia passuum distat. Fortasse loco nomen hoc inditum, cum Græci Augusti universæ dominarentur Italiæ. Supra memoratus epitomator mstus ideo *Auream* nuncupatam ait, *quia ibi lectæ septem Artes studiose fuerunt.* Ergo pro *quæ grammatica* legisse ille videtur, *quia grammatica*. MUR.

(599) Num hæc a præcedentibus distinguenda, ut sensus sit, cives adversus regem malignos impetum fecisse in duos Teutonicos, quos apud se captivos habebant? Nam cur flevit iis occisis Chonradus? Certe hic amphibologiæ sunt, et divinatoribus opus. Cæterum hæc peracta sunt anno 1037, sacro die natali Redemptoris nostri, teste Wippone in Vita ejusdem Chonradi, cap. *De seditione, quæ facta est in Parma.* In necrologio Fuldensi, apud Leibnitium, tom. III, pag. 767, scriptor. Brunsvic. ad eumdem annum legitur : *Diethelmus, Cuono, Sviggerus, et Hartwinus aliique quamplures occisi sunt apud Parmam.* MUR.

(600) Marchiam igitur rex Bonifacio dedit feudi jure. LEIB.

Sed quænam hæc? Profecto non Tuscia, ut in tomo diplomatico, Deo dante, ostendam. Ergo alia marchia Bonifacio, ejusque patri subjecta. Fortassis hanc constituebant Mantua, Parma, Regium, Mutina aliaque oppida in hisce regionibus. Sed facile cæcutimus, ubi veterum monumenta nos deficiunt. MUR.

(601) Regem vicissim Bonifacio jurasse parum credibile, neque ex illorum temporum usu. LEIB.

Id quidem minime credibile visum est Leibnitio. Non ita mihi; nam ea reapse de causa hoc Donizo refert tanquam rem mirabilem, quia in usu non erat ut suis vassallis jurarent Augusti. Sed hinc æstimanda est Bonifacii marchionis potentia. *In charta scriptum* fuisse jusjurandum illud, auctor est ipse Donizo; imo ipsi fuisse compertam ac visam ejusmodi chartam, non injuria conjicere possumus. Denique nihil Chonradus jurasse dicitur, quod ejus C dignitatem dedeceret. Vide pag. 275 Antiquit. Esten. Fulconem marchionem Estensem anno 1097. Privilegio donatum, *ut nullus Bannum regius exactor a marchione exigat.* Majora Bonifacius longe potentior impetrare potuit, et potissimum quod circiter annum 1037 marchia Tusciæ auctus fuit. MUR.

(602) In Burgundia. Equidem negat clariss. Florentinus compertum sibi aliquid de expeditione Henrici in Burgundos. Sed eam tamen memorat Hermannus Contractus Canisianus ad an. 1042. Castrum *Murat* in Burgundia (narrante Wippone) jam Conradus expugnaverat; itaque, si vera refert Donizo, id denuo defecisse oportet. Situm est non procul a Novo Castro, vulgo *Neuf-Chastel.* LEIB.

Cod. Regien. habet *Muroaltam,* quod rectius convenit cum Castro *Murat.* Verum, uti jam in Antiquit. Esten., pag. 262 adnotavi, deceptus est hic Donizo. Non Henricus Germaniæ rex III, et inter Cæsares secundus, Burgundiæ regnum invasit. D Factum id sub Chonrado I Augusto ejus patre, ut Wippo in ejus Vita, ac Heppidanus in Chronico fidem faciunt. Meminit et ejusdem expeditionis Arnulphus Mediolanensis historicus, tom IV Rer. Italic., quo teste *præsul Heribertus, et egregius marchio Bonifacius, duo lumina regni*, Chonrado opem tulerunt. MUR.

(603) Audacem. LEIB.

(604) Forte : *Milite cum multo.* LEIB.

(605) Exercitum. LEIB.

(606) Vult Bonifacius, ut sibi cedat castrum, seu sese dedat. LEIB.

(607) Forte, *abeat.* Dux scilicet significat se honorem expugnationis optare, itaque velle ut rex cum suis, triduo ante ducis adventum, recedat; alioqui si nunc per eum (regem) caperetur Castrum, se nunquam postea ultra montes ipsi auxilio venturum, et statim redditurum in Italiam. LEIB.

Hoc dans præceptum, si nunc per eum caperetur
Castrum non ultra montes, ut pergeret ultra,
Expeteret plane, statimve retro remearet.
Castrum prædictum Burgundia plantat iniquum
In jus, Castrenses (608) cum rex fert inde clientes,
Se nimis exaltant, spatiendo per arva (609) relaxant.
Contigit audiri quod dux Bonifacius illuc
Cum Longobardis propriis properaret in armis,
De quibus exsultant, quia credunt tollere cunctas
Causas illorum (610) : vetat ast hoc exitus horum
Internaque (611) die princeps accessit ibidem
Disposita docte per partes quippe cohorte
Barbara gens et atrox proprios cito muniit artus,
Agmine scutato procul exiit, et galeato
Atque putat scutum bellando frangere durum;
Funditus ulla phalanx parmam Bonifacianam
Prævaluit nunquam dirumpere, nec valet unquam,
Exorto bello, gens effera cædere ferro :
Acriter incœpit; dux acrius undique cædit,
Hortaturque suos persistere pectore duro,
Cornibus atque tubis reboare per ardua multis,
Donec terga darent hostes; intus repedarent.
Hæc ubi dicta dedit gentem terrore replevit
Gens Longobarda, tenuitque viriliter arma,
Et sonuere tubas, et grandia cornua plura.
Gens timens (612) tetra rediit graviter retrocessa,
Ac petiit castrum cupiens se claudere tantum;
Hoc non permisit velox Bonifacius illi,
Sed simul intravit, jaculis transfodit amaris :
Continuo regi castrum mandavit, inermis
Ut veniens tollat, patriam quia gliscit et opta
Ipse suique suam, nullamve moram dare curant.
Hæc nova noscentes rex atque duces comitesque
Laudant, mirantur, quod castrum sit cito captum,
Ad quod tollendum direxit rex et habendum,
Athletas claros, illis duce dante relato (613).
Tunc Longobardi cum principe magnificati,
Ad proprii tecti requiem rediere, refecti
Ex opibus magnis sumptis virtute vel armis,
Cumque redit princeps (614), victor mirabilis idem,
Contigit in castris (615) cujusdam castra (616) re- [pasci,
Campis desertis, et, ut est mos pergere servis,
Ex pueris multi cœperunt currere furtim

A Ad segetes flavas, et equis has ducere flagrant,
Inde virique loci graviter nimium quoque moti,
Arreptis armis, mox armigerisque caballis
Cervices (617) tundunt, et equos sibi tollunt :
Burgundi bruti fecerunt hoc quasi stulti;
Nam dux iratus vehementer, ut assolet altus,
Terdenas hastas (618) ad castrum tendere mandat,
Quæ populum cunctum facerent consurgere rursum,
Ad campi pugnam fugerent procul atque recurrant,
Cum fuerint juxta latitantem denique turbam (619),
Noveritis jussum ducis istius esse secundum;
Nam procul a Castri sunt præsidio simul acti
Insidiosa phalanx e multis partibus alans (620),
Allobroges cunctos manibus tenuere reclusos
Marchio terribilis cunctis abscindere dixit
B Auriculas, nasos, ut stent cum lumine plano.
Quædam matrona pro nato nobilis orat
Parcere dignetur sibi, quatenus ipsaque demum
Appensum trutinæ juvenem præberet eidem
Argentum tantum, quantum pensaverit, album.
Absit bis fatur, barbam quatiendo minatur,
Posteritas vestra volo, quo sciat hæc ita gesta,
Donec mundus erit, Bonifacius hic quod adhæsit,
Dicatur, prorsus me non licet esse retrorsum (621).
Incisæ nares, ac aures quippe secatæ
Illis, tres clypei sunt ex his undique pleni,
Cum sano cuncto cœtu magnove triumpho
Ad proprium tectum sic est dux iste regressus.

CAPUT XII

C *De aceto quod marchio Bonifacius transmisit Heinrico regi secundo, et de grandi dono quod quidam servus ejus dedit eidem regi.*

Magnifici vultus rex Italiamque secundus (622)
Venit Henricus (623), sapiens, jucundus, opimus,
Mandavitque (624) sua Bonifacio nova plura;
Et quoniam secum laudatum vellet acetum,
Arx quod gestabat, quæ fit Canossa vocata,
Imperat argenti vegetem subito fabricari,
Binos atque boves dux carpentumque jugumve
Cum bobus vivis hæc regi marchio misit.
Charum rex donum tenuit magnumque decorum.
Regis tunc hospes erat urbs Placentia forte,
Prudens mirari nullus de munere tali
Debet enim, quando scierit ducis istius amplo

(608) Quando rex cum suis militibus sive vassallis recedit. Leib.

Ex cod. Regiensi hæc ita corrige : *Hujus castrenses.* Qui in hoc versu *clientes* appellantur, sunt *armigeri,* sive *milites,* eoque vocabulo præ cæteris usi sunt antiqui Annalium Genuensium auctores in hoc opere evulgandi. Mur.

(609) Prædas per agros agunt. Leib.

(610) *Causas,* id est res eorum deprædari; *cosa,* res Italis. Leib.

(611) *In ternaque.* Leib.

(612) In utroque ms., quo sum usus, habetur : *Gensque timet tetra, rediit graviter retro cæsa.* Mur.

(613) Duce *relato,* id est supradicto; id illis dante, seu tradente. Leib.

(614) In reditu Bonifacii. Leib.

(615) Cod. Regien., *in castri.* Mur.

(616) Codex antiq. in *castri cujusdam campis ca-* D *stra,* id est copias Bonifacii victum, et pabulum comparare. Leib.

(617) Forte : *Cervices pueris tundunt, et equos sibi* (id est illis) *tollunt.* Leib.

(618) Triginta hastatos. Leib.

(619) Collocat populum cunctum, seu omnem militem suum in insidiis. Triginta illos ex pugna in campo fugere jubet usque ad locum insidiarum. Leib.

(620) *Alans;* spirans. Leib.

(621) Non licet me retrorsum ire, et dicta mutare. Leib.

(622) Tertius Germaniæ, secundus Italiæ. Leib.

(623) Acta sunt hæc anno 1046, quo Henricus III postea inter imperatores secundus Italiam est ingressus. Mur.

(624) Suo. Leib.

Dono fulsisse servum regisque dedisse,
Mantua cum regem, pariterque ducem retineret.
Tunc comes (625) Albertus vice dives, maxime servus.
Prædictique ducis, habitator et ipsius urbis,
Cornipedes centum (626) tilios qui jure nitescunt,
Cum rudibus sellis, rudibus frenis vel habenis
Mutatos (627) centum, non mutatos quoque centum
Astures pulchros regi simul obtulit ultro.
Quis vir hic esse sonat, qui vobis (628) talia donat?
Clamat regina. Cui dixit rex quasi mirans:
Qui vir (629) habet servos quales Bonifacius, ergo
In toto regno similem sibi non ego specto.
Servulus iste suus referat mihi, quod sibi nunc vult.
Nil aliud quæro, volo, nec cupio, neque spero
A te, ni tantum meus ut dominus sit amatus;
Hoc ait Albertus regi, quem rex rogitavit
Ad propriam mensam secum prandere refertam;
Hoc timuit verbum, Bonifacii quia servus.
Mandere non unquam secum fuit ausus ad unam
Mensam cum rege, qui manducare repente
Debebat forte, quem rex stat postulat ob rem
Prædictam, tandem dux rem concessit eamdem
Cum duce rege simul vir jam scriptus fere vivus (630)
Intrans ad mensam, sed parvam suscipit escam.
Rex sibi mastrucas (631) post escam maxime pulchras
Donavit, florent pariter quoques pelliciones,
Hoc regis munus ducis ad cameram tulit; unum
Et corium cervi, quod nummis ipse replevit;
Principis ante pedes cecidit, sibi parcere quærens,
Mensæ regali quod secum participarit.
Ille potestatem noscens retinere, beate
Indulsit servo, facinus tamen hoc prohibendo.

CAPUT XIII.

Quod aliquando in consilio suo, aliquando occasione vigiliæ noctis Henricus rex tentavit capere Bonifacium.

Quotidie princeps crescens Bonifacius iste
Alma fides ipsum servabat jure benignum.
Invidia tactus nimia rex jam memoratus
Ingenio crudo meditatur prendere furto
Illum, sub cœlo potuit quem prendere nemo.
Stans in conclavi cupiens rex consiliari
A Ad se festine dux ut catus iste veniret,
Jussit, ut hoc astu quiret retinere coactum:
Ut teneant valvas, jubet æedituo, bene clausas,
Haud nisi se quinto (632) Bonifacius intret et intro
Ad quod rex mandat, mox se dux ire remandat,
Adversus dictum (633) nil doctum posse recordor,
Nam dux privatos (634) proprios cito conglomeratos,
Ac alios multos gladios sub veste retrusos
Portantes post se præcepit pergere prompte,
Nobilibus septus properavit marchio celsus,
Cui regiam primam reserare (635) æditui, quam
Claudere festinant, sed fit contracta per iram,
Progrediens ultra dirumpitur atque secunda,
Tertia restabat, sub qua tunc rex habitabat,
B Frangitur ac ipsa, cum dux (636) circumdatus intrat.
Unde nimis motus rex callidus atque dolosus;
Quid video? Quid? ait: miror de te, Bonifaci.
Hunc habuit morem jugiter mea nam domus, o rex,
Esse mei mecum soliti semper que fuerunt.
Hoc dux respondit: pacem rex illico prompsit.
Hac vice rex vidit quod eum retinere nequivit;
Idcirco planis pacem verbis simulavit.
Denuo pertractans, et eumdem prendere captans,
Hoc cæco Marte faciendum cogitat apte.
Tempore nocturno super ipsum postulat ultra (637)
Ut dux ipse parum vigilet; foret hoc sibi gratum;
Getuli morem scit prudens vulpis in ore.
Obsequium regis nequaquam marchio sprevit,
C Cereolos multos fecit componere pulchros
Libram candelam ceræ simul omnis habebat,
Atque suis cunctis accensas has dare jussit,
Et tentas (638) hastas super ipsas figere mandat,
Ante suam multam faciem jubet ire columnam
Ceræ splendentem grandi de lumine, nempe
Militibus densus, et miro lumine septus
Regis ad hospitium properabat; longius ipsum
Aspiciunt servi venientem denique regis,
Una velut silva flagraret terra vel ipsa,
Sic apparebat. Rex hoc quoque prospiciebat,
Contra quem noscens idem rex nil modo posse,
Retro redire sibi grates magnasque remisit.

CAPUT XIV.

Quod Bonifacius studiosus fuit in divinis rebus.

D Actibus ut mundi (639) Bonifacius iste refulsit,

(625) *Comes* Albertus *vice* id est vicecomes. LEIB.

(626) An *balios*, vel *badios?* Color est qui Gallis *bay*. LEIB.

(627) Mutatos, id est varios, colorum varietatem *nuance* vocant Galli. LEIB.

(628) In cod. Estensi, ubi supra laudata Epitome msta habetur, *nobis*. MUR.

(629) In codicib. Esten. et Regien.: *Quis vir*, nempe interrogando. MUR.

(630) Hoc est, præ timore vix vivus, semimortuus. MUR.

(631) Vestis genus ex pellibus ferarum, quo septentrionales utuntur, et olim Sardi utebantur, teste Tullio, Prudentio, Isidoro. *Bursas* epitomator mstus Donizonis est arbitratus. *Pelliciones* infra memorati fortasse fuerunt augustius earumdem vestium genus: quæ vox apud Italos et Francos adhuc viget. MUR.

(632) Quintusmet: selb funfte, lui cinquième. LEIB.

(633) Cod. Regien.: *Adversus doctum*. Fortassis hic sensus: adversus hominem astutum, ac prudentem nil calliditas potest. MUR.

(634) Familiares, sive famulos suos. MUR.

(635) Ex cod. antiq. legitur: *Reserarunt æditui quam* id est janitores postquam primam portam reserarant, statim intromisso Bonifacio claudunt. Sed ab ejus asseclis rursus effringitur. LEIB.

Msti quoque, quibus utor, habent *reserarunt*. MUR.

(636) Fortasse, *quam dux*. MUR.

(637) In Regien. cod., *postulat ultro*. MUR.

(638) Habet cod. Padoliron.: *Et tensas*. MUR.

(639) Post hæc in antiqua epitome msta codicis

Sic eluit in factis divinis ac venerandis :
Pontifices sacros habuit quam maxime charos,
Ipsis donabat, quæ censuit his fore grata;
Psallebant semper capellani reverenter
Horas nocturnas sibi quotidieque diurnas;
Nemo capellam super ipsum (640) præsul habebat.
Dilexit clerum, sed eo monachum opage verum :
Propria peccata generosus hic atque piacla
Cum studio magno pandebat fratribus anno
Omni, pomposæ Christo famulantibus, ore
Cum proprio, plangens cum corde, petens veniam-
Fratres ac abbas ejus delicta lavabant ; [que ;
Ecclesiæ quorum solito dabat optima dona,
Rex etenim nunquam dedit ullus ibi meliora.
Contigit ire semel illuc, moremque tenere
Illum, quem dudum retinere solebat in usu,
Scilicet assistens ad opus divum bonus ipse,
Stabat in excelso solio, non corde superbo;
Aspiciensque chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, psallentes dulciter horas,
De quibus admirans, ita cur stant, seque regirant.
A monachis didicit, semper quod stant, ita fixi;
Hoc non oblitus jucundus dux et opimus,
Ire super tectum clam templi fecit honestum
Quemdam quippe virum cum nummis, vult quia [mirum
Ipse videre, decem libras vir jactat ab æde
In medioque choro strepitus sonat, et puerorum,
Quorum palpebræ penitus nec sic patuere,
Aspexit nummum, tetigit non ullus et unum.
Unde magis gaudens præclarus dux, ait autem
In modicis annis sunt hi pueri velut alni,
Talis laudetur jocus, ac recitetur ametur.

CAPUT XV.

Quod a regibus Theutonicis venit mos venundandi ecclesias, et quod Bonifacius accepit inde pænitentiam a Guidone (641) *abbate.*

Theutonici reges perversum dogma sequentes,
Templa dabant summi Domini sæpissime nummis
Præsulibus cunctis, sed et omnis episcopus urbis
Plebes vendebat, quas sub se quisque regebat.
A Exemplo quorum manibus nec non laicorum
Ecclesiæ Christi vendebantur maledictis
Presbyteris, cleris, quod erat confusio plebis,
Qua de re Guido sacer abbas arguit, imo
Nunc Bonifacius (642) ne venderet amplius, ipsum
Ante Dei matris altare flagellat amare (643)
Verberibus nudum, qui deliciis erat usus,
Pomposæ vovit tunc abbatique Guidoni,
Ecclesiam nullam quod ipse (644) venderet unquam :
Hoc pro peccato, multis aliisque patrato
Vovit adhuc votum nonnullis denique notum,
Scilicet ad cultum Christi, sanctumque sepulcrum
De prope debebat quod pergere, si sibi cedat
Vita, salus, tantum vel ad unum pleniter annum;
Atque novam puppim fieri dux illico jussit,
B Sumptus atque locat quo compleat hæc sua vota.
Sed complere nequit, quia mors non hoc sibi cedit.
Ipse die sexta (645) Maii post quippe Kalendas
Deseruit terram, quem Christus ducat ad [æthram (646).
Quando defunctus, terræ datus, estque sepultus,
Tunc quinquaginta duo tempora mille Dei stant;
Mantua corpus habes, honor ingens est tibi, grates
Inde referre Deo debes sæpissime; vero
Ejus ut a pœnis animam caveat Deus avi (647)
Corde Deum recto jugiter pulsare memento;
Propter quem Christum roget omnis homo crucifi-
Tartarei pœnas Deus aufer eique catenas, [xum :
Cum veneris judex cum sanctis, da sibi lucem;
C Virgo Maria caput, dextram Michaelque beatus,
Petrus et Andreas, Apollonius quoque lævam
Illius extollant, et eum super astra recondant. Amen.

CAPUT XVI.

Urbana altercatio inter Canossam et Mantuam de corpore ducis et marchionis Bonifacii (648).

CANOSSA DICIT.

In tumulo patrum dominus meus esse locatum
Optavit corpus proprium Bonifacius. Hoc tu
Verum præsumens rapuisti, Mantua. Cur me
Corpore de tanto turbasti, me spoliando ?

MANTUA RESPONDET.

Urbs ego sum dicta : tu diceris arx Canusina.

Estensis ista adduntur : *Dux et marchio Bonifacius fuit sapiens, benignus, et prudens, et largus, et pauperum amator, et misericors, et omnibus amabilis, et in consiliis providus, et discretus, facundus in loquela et constans animo, Ecclesiarum defensor, et in divinis officiis libenter audiebat, et donabat Ecclesiis*, etc. Hæc procul dubio e Donizonis carmine deducta, cum tamen nihil horum in editis occurrat. Aut ergo intercidisse putandus est aliquis versus, aut Epitomes auctor reddidit his verbis caput 8 hujus libri II, ubi sunt laudes Bonifacii. MUR.

(640) Ipsius capella ornatiorem. LEIB.

(641) Ita quoque in Regiensi codice. In Padoliron. additur *a sancto Guidone.* Hoc est abbate Pomposiani cœnobii in Ferrariensi agro versus Adriaticum siti. Probatæ sanctitatis famam adeptus, ad cœlum evocatus est anno 1046, Hermanno Contracto teste, ejusque Vitam Bollandus edidit. MUR.

(642) Msti codices, *nunc Bonifacium.* MUR.

(643) Cod. Padoliron., *amaris.* MUR.

(644) Idem codex, *quod per se.* MUR.

(645) Est mihi charta concordiæ inter Bonifacium nostrum atque Ottam abbatissam Parthenonis Bri- D xiensis Sanctæ Juliæ, scripta paucis ante diebus, videlicet, *anno millesimo quinquagesimo secundo Henricus gratia Dei, imp. Aug., anno imperii ejus sexto, quarto Kalendas Aprilis, ind. quinta. Actum in civitate Mantuæ in Palatio eidem marchionis Bonifacii.* Quare vides, recte hæc congruere cum iis, quæ habet Donizo. Arnulphus Mediolanensis in Historia sua Bonifacium perquam senem nobis exhibet. Et revera cum circiter annum 1004 marchionem agere cœperit, anno 1052, senex fuerit oportet. MUR.

(646) Ex insidiis recisum narrat Hermannus Contractus 1052, quod poeta dissimulat. LEIB.

(647) Forte, *Deus ævi;* Dominus sæculorum. LEIB. In codicibus mstis quibus utor, *Deus ævi.* Neque codicibus opus erat. MUR.

(648) In hactenus editis subsequebatur cap. 17 ita inscriptum : *Quot annis vixit Beatrix*, etc. Verum hic interserenda est *urbana altercatio inter*

Sunt homines mecum, referas quod prospice me- [cum (649).
Divitias multas habeo, o paupercula stulta.
Flumine sum cincta, de navibus undique firma.
Non alibi juste decet hoc nisi corpus in urbe.

CANOSSA DICIT.

Urbis habes nomen, sed non es grandis honore.
Si populos multos habeas, tamen absque triumpho
Vivere te scimus, nisi te juvet alter amicus.
Contra te bella si surgant, quidve, misella,
Tu facies? Dura non es circumdata muro;
Percuteris per aquas, per terras, quando rebellas.
Spes tua post sepem; clypeum vult stipes (650) et ensem
Omnis, enim tu sic evadere vixque valebis,
Prælia si saltem per tempora te tria calcent.
Divitiæ sumptæ quin deficient tibi cunctæ.
Putrida (651) lympharum, febriumque moratus ea- [rum,
Algorem mittit, sed et æstum qui nimis urit
Incolumis quippe vivo per tempora mille.
Porro cœnosa procul a me scrobs et aquosa.
Si venerit bellum mihi, quod sit forte duellum (652),
Militibus paucis mea vinco prælia fortis.
Contingat non (653) si quando (quod neque credo)
Obsidio durans circa me vel duo lustra,
Nullatenus bello superabor, nec comedendo,
Cum lapis existam, murus quoque desuper instat,
Mœnia celsa mea super omnia castra repleta
Sunt ex frumento, vel carne, simulque Lyæo.
Cum paucis dego, ludendo tuta sedebo.
Machina nulla mihi, non ulla sagitta remitti
Officit, in nihilum capio seu computo pilum.
Nil paveo regem; sed tu quemcunque rebellem.
Præfati noscas domini quod me decet ossa.

A MANTUA RESPONDET.

Vere tu firma, tecumque superbia dira.
Nil tamen est mirum; nullum sapis ipsa periclum.
Crebro fui sub aquis, ac sæpe fatigor in armis.
Quamvis longævo sis proxima denique cœlo,
Unde superba manes, tamen alvum (654) quæris [amœne.
En habeo divum mirabile prorsus asylum,
Per quod te vinco. Sed si vis, verba relinquo.

CANOSSA DICIT.

Quod potes, et nosti, mox auribus ingere nostris

MANTUA RESPONDET.

Ecclesia præsto ditata præsule recto;
Ac resonant plane cantus ibi presbyterales.
Relliquiæ multæ venerantur ibi bene cultæ.

B CANOSSA COMMOTA DICIT.

Subjaceo tibi nil, quia nobilius mea sistit.
Nam mea sub papa, tua vero sub patriarcha (655).
Est mea Romana; tua constat Aquilegiana.
Præsul nempe tuus synodum placitatur ad hujus,
Nolens aut malens facis imperium patriarchæ
Si renovas ipsum, pater archos (656) consecrat illum;
Omnis enim clerus tuus exstat servus in ævum.
Libera per papam mea lyrica (657) permanet alma.
Hæc domini prisci, generosi scilicet illi,
Qui me struxerunt, quondam fieri voluerunt.
Misit ob hoc factum Romam pater Atto Tedaldum,
Qui precibus justis Benedictum (658) postulat urbis
Romæ pontificem, qui gratis præstat eidem,
C Solutam reddens, ne pontifices ibi legem
Constituant ullam, nec eis subjecta sit unquam,
Romanæ sedi sed sit subjecta fidelis.
Non aliquam synodum permittit quærere nostro
Præposito, nunquam petit et clerus suus ullam.
Munia divina cupiunt acquirere si qua,

Mantuam et Canossam, extra suum locum hactenus posita. Nempe hæc de Mantua conqueritur: quod sibi corpus inclyti ducis Bonifacii usurparit, quando reliqui ejus majores Canossæ fuerant tumulati. Quod præterea novæ huic nostræ editioni gratulandum est, ex codicibus mstis. Regiensi, et Padolironensi ego hausi, et hic proferam quamplures versus in præcedentibus editionibus desideratos, et omnes nunc suo loco restitutos. MUR.

(649) Fortasse legendum, *quot prospice*, seu *perspice tecum*. Id est ego plurimus abundo civibus; tu perspice, quot referas tecum: nempe paucissimos. Aut refer, quod tu perspicias tecum. MUR.

(650) Si quid intelligo, mœnibus tunc nondum exstructis, solis palis circumpositis atque humi defixis (nunc *pallizzata*) Mantua civitas eo tempore se tutabatur. Multos homines ad sui tutelam ejusmodi murus poscit. Contra paucis indigebat Canossa, ut se ab hostium impetu defenderet. Sensus ergo mihi videtur: singuli pali exigunt armatum hominem, et eo etiam pacto vix impedias hostem quominus te vincat. MUR.

(651) En ut ante sexcentos annos se Mantua haberet, scilicet iisdem quibus ævo nostro, obnoxia incommodis ex *stagno* circumfuso, cujus vel meminit Livius. *Putidam paludem* appellavit etiam Catullus, in contermino agro natus. MUR.

(652) A. *duellum*. Etymologiarum scriptores contendunt efformatum *bellum*, atque idem reapse antiquis significabat. Hic fortasse sensus: Si quando bellum occurrat, in quo acriter sit pugnandum. MUR.

(653) Lubenter scriberem: *Contingat nam*. MUR.

(654) In fine hujus confictæ concertationis eadem voce rursus utitur Donizo, inquiens: *Ut teneas alvum nostri Domini volo*: Quare *alvum* pro *corpore*, sed parum eleganti licentia adhibitum puto. MUR.

(655) Auctor est Ughellus sub Leone III, Romano pontifice anno 804 institutum primo fuisse Mantuanum episcopatum, et Aquileiensi patriarchæ suppositum. Anno vero 1453 uni apostolicæ sedi D immediate, ut aiunt, parere cœpit. Hinc Donizoni ansa ad extollendam Canusinam Ecclesiam, jam tunc ab uno Romano pontifice pendentem. MUR.

(656) Quanquam superfluum sit meminisse, pro *patriarcha* usus est poeta. MUR.

(657) Msti codices *mea lirrica*. Scripsi ego *lyrica*. Sed quid sibi vult insolens hoc in loco vocabulum istud? Siquidem ita Donizo scripsit, intoleranda licentia significavit chorum clericorum Canusinæ Ecclesiæ. MUR.

(658) Nempe septimum hujus nominis. Obtulit mihi Estense archivum pervetustam pergamenam, ubi fragmentum ejusdem Benedictinæ bullæ, quæ scripta est *per manum Stephani notarii sacri scrinei sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ind.* IV; data vero IV *Kal. Januarii per manus Guidonis episcopi, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ* (quem Ciampinius ignoravit in suo catalogo bibliothecariorum S. R. Ecclesiæ) *anno pontificatus domni Benedicti san-*

Ad quemcumque locum placet illis, pergere possunt,
Catholicus tantum caveant sit episcopus, almum
Officium rite sancteque det ac reverenter.
Pulvere sanctorum, seu cantu presbyterorum
Esse redimitum, sape, vestibulum Canusinum.

MANTUA RESPONDET.

Hæc ignorabam de te, mihi crede, beata,
Sed sub Regino te præsule non fore (659) miror.

CANOSSA DICIT.

Si ego (660) Reginum timeo mos est ut amicum,
Lex mea privata (661), Benedictus quam mihi papa
Præbuit in charta carecti (662), formiter ampla,
Separat a Christo, si quid mihi demerit ipsum,
Illius a cura procul omnia sunt mea jura;
Pontifices omnes pœna simili quoque torret.

MANTUA RESPONDET.

Parce mihi, quæso, video te tangere cœlum.

CANOSSA DICIT.

Parco tibi valde, mecum cane carmina saltem
Ex domino nostro Bonifacio velut opto.

MANTUA RESPONDET.

Quid proba dixisti? metra plurima te sine finxi;
Immemores forsan metrorum me fore (663) portam?
Dulcis amica mea, generavi namque poetam
Virgilium (664), certum super omnes edere versus.

CANOSSA DICIT.

Ore tuo damnas temet nimium mea fallax;
Nunquid nos nosco quantum tibi pertinet auctor
Virgilius? quippe genitus de te fuit ipse,
Sed suffere tuum nequit opprobrium sibi durum,

A Olim quod vilis per regem sustinuisti,
Cantat nempe metrum de te, quod scis bene mecum:
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.
Ut te cognoscas, statim recolam tibi causas.
Antonius quidam commovit Cæsaris iram,
Propter eum rura sua perdidit alta Cremona,
Cæsare dante quidem tua militibus, dedit idem
Te conculcatam dimittens Tityrus, auras
Nostras, et silvas (665), montes, petiit quoque villas;
Castaneasque bonas, comedebat mitia poma,
Hæc tibi sint nota, *Maronis dicitur aula*
Hactenus et silva per quam pascebat ovillas.
Astet Balista (666) mons, nascitur hanc prope silvam;
In quo Virgilius titulum facit hoc modo scriptum:
B *Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:*
Nocte, die, tutum carpe, viator, iter.
Hic Balista latro fuit ingens, hic quoque (667) Maro
Propterea scripsit, qui (668) amor tuus exstitit illic,
Ex hoc quod scimus potes et tu discere visu,
Si quid habes dubii, primi lege carmina libri
Ipsius et statim tu non mea dicta negabis.
Quando te fugit (669) miseram prope me (670) cu-
[currit
Quæ meditans finxit, mihi primitus, haud tibi dixit.
Ergo qua fronte potes illum quærere? nonne
Perrexit Romam regni rogitare coronam (671),
Liber ut esse queat? sibi quam dedit illico Cæsar,
Cognovit postquam sapientis carmina docta.
Hoc tu nolo neges, recolo tibi metra repente;
C *Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,*

ctissimi VII papæ secundo, imperii vero domni Ottonis tertio. Hoc est anno 976, aut potius 975. hunc enim nodum tentare hic non vacat. Ibi autem legitur: *Qualiter Teudaldus comes filius Adelberti jam comitis limina apostolorum digna devotione visitans, ex parte sui patris hujusmodi a nostra apostolica auctoritate petiit ut ecclesiam in honore sanctorum confessorum Dei, Apollonii videlicet, Ursicini atque Rusticiani, martyrum quoque Mauricii, Alexandri et Victoris consecratam, quam ipse Adelbertus in suis propriis rebus, videlicet in rupe, quæ Canusia vocatur, ab imis fundamentis construxerat.* Tum addit, decimam ab ea collatam *ad usum fruendi* 12 *canonicorum*, etc. Auctor est Donizo, Romam missum *ob hoc factum* ab Attone patre Tedaldum. Hoc idem ex iis bullæ verbis eruitur *ex parte sui patris.* Quid ergo sibi volunt altera illa bullæ D verba: *Adelberti* jam *comitis?* Hominem jam fato functum hæc indicare videntur. Aut ergo in itinere Tedaldi ad plures abiit Atto, qui et Adelbertus ejus pater: aut in senectam declinans jam populorum regimine ille se abdicarat, suumque filium publicis rebus præfecerat: quod et ex assumpto per filium *comitis* titulo suaderi potest. Erit huic monumento suus alibi locus. MUR.

(659) *Non fore,* id est non esse. LEIB.

(660) Codex antiq. *Sic ego.* LEIB.

In cod. quoque Regien: *Sic ego.* MUR.

(661) Privilegium Benedicti papæ VI vel VII. LEIB.

(662) Codex antiquus, *fortiter.* Charti carecti puto est quæ ex papyro est, seu arundine. LEIB.

Ab antiquis appellabantur *carices* herbæ quædam *acutæ, densæ, et sparto similes,* Isidoro teste. *Carecta* vero loca caricibus obsita. Propterea vox mihi hic suspecta, quanquam ad ea usque tempora in usu fuisse Ægyptiacam papyrum diffiteri nolim. Num Donizoni scriptum *characti formiter ampla,* hoc est ampla forma characterum? Num *carecta,* seu *characta* pro *exarata* a *charaxo* quod est scribo? MUR.

(663) Esse. LEIB.

(664) Cod. Regien. *Virgilium certe.* MUR.

(665) Si Donizoni fides habenda, in Regiensem agrum, a patriæ tumultu compulsus secessit Virgilius, ibique bucolica sua carmina concinnavit. At ubinam ejusmodi rei Donizoni nostro certæ tabulæ? MUR.

(666) Legendum *Ast et Balista.* Sequitur Cod. Regien., *nascitur et prope silvam.* Nunc appellatur *Monte di Valestra,* situm cujus quicunque spectat, delectationem capit. In cacumine plateam natura velut artis æmulatrix fecit. Subtus in saxo varii specus; ibique delitescere thesauros quorum cacodæmon custos, credulum vulgus refert. Desumpsit autem Donizo hos versus ex antiqua Virgilii Vita, quæ Donato grammatico tribuitur. Sed longe ante Virgilium Balistæ monti nomen fuit. MUR.

(667) Codices nostri *hunc quoque.* MUR.

(668) Codex antiq. *quia.* LEIB.

Vide, quot nobis errores oculus incautus creet! Nihil aliud hic est, nisi *quia mortuus exstitit illic.* Ita msti codices nostri. MUR.

(669) Vereor, ut Donizo ex iis, quæ supersunt, Virgilii carminibus persuadere nobis possit, poetam ex afflicto agro Mantuano se in Regienses colles recepisse. MUR.

(670) Codex antiq., *meque.* LEIB.

(671) Regem significat, hoc est Augustum Cæsarem. MUR.

Divisum imperium cum Jove Cæsar habes (672).
Nec Maro parva metra (673) jecit regis in aula;
Cumque reperta forent, rex cuidam fecit honorem,
Qui se laudabat, quod fecerat hæc metra chara
Tityrus inde dolens iterum conscripsit eosdem
Versus sic pulchre de facta fraude refundens:
Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem,
Sic vos non vobis vellera fertis oves (674),
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Hos partim jactans (675) in eadem Cæsaris aula,
Non latuit regem, quis carmina tanta referret.
Imperat ante suum Maronem ducere vultum,
Præstat quæque; rogat libertatem, sibi donat.
Ad te qui jussu remeavit Cæsaris hujus,
Sed non quod possit, quisti dare tu sibi, nostri [(676)
Nam repetens agros, ceu jusserat induperator,
Arius (677) est quidam centurio motus in ira,
Ejus habens agros, occidere quærit ut atrox
Virgilium, fluvius sed Mincius abdidit illum,
Se jactans mortem vitavit ibi, sed et hostem.
Cæsaris ad vultum (678) replecavit qui cito cursum;
Rexque voris claros tres secum misit, ut agros
Restituant ipsi, fecere quod insimul ipsi.
Tu sibi nec vitam servasti, rura nec ipsa;
Desine jactari jam te, jam Mantua vanis
Laudibus ex istis, vacuæ sunt ceu tibi dixi.
Pone supercilia, mecum contendere vita.

A MANTUA RESPONDET.

Præcipe quæque placent mihi, pœnitet nimis (679) [acre.

CANOSSA DICIT (680).

Ut teneas alium (681) nostri domini volo tantum
Ac jubeo; metrum sed nullum psallere tecum
Ulterius glisco, didici melius quia dicto (682)
Sola manens, metrum præstet decedere (683) verum,
Quod placeat cuncto recitatum maxime mundo.

CAPUT XVII.

Quot annis vixit Beatrix post Bonifacium, et quam prudenter omnia regit.

Qui narrare potest quantum prudenter honores,
Ejus post finem, tenuit conjux sua vivens
Bis denis annis post ipsum quinque peractis;
B Oppida, castella, marcham (684) propriam quoque [terram
Rite gubernavit, tenuit comitissa Beatrix (685);
Moribus in pulchris natam nutrivit ab ulnis,
Scilicet excelsam Mathildem mente modestam,
Bina monasteria cum qua simul edidit ipsa;
Ut tueatur eas qui cœli ducit habenas,
Faxinorense (686) monasterium primum fuit illud;
Prædia multa satis dedit illis (687) magna Beatrix;
Esse quia monachos plus quam clericos venerandos
Credebant ambæ (688); Canusinæ quoque sanctæ
Ecclesiæ nomen (689) mutaverunt et honorem
In melius, dudum cui præpositus fuit unus,

(672) Legerem lubentius *habet*. Ita in Virgilii Vita a Tib. Claudio Donato antiquitus scripta, quam expilavit Donizo noster, ut hic de Virgilio cum Mantua contenderet, eumque in Canossæ, seu regii Lepidi montibus consedisse ostendat. MUR.

(673) Forte, *projecit*. LEIB.

Cod. Padoliron., *pauca metra*. MUR.

(674) In ambobus codicibus nostris mstis duo versus adduntur, nempe:

Sic vos non nobis fertis aratra boves.
Sic vos non nobis nidificatis aves:

Et quidem addenda. Ea enim exhibentur etiam in nuper laudata Virgilii Vita.

(675) In Regien. Cod. rectius haberentur: *Hos pariter jactans*. MUR.

(676) Id est *nostros*. LEIB.

Fortasse, *nosti*. Donizo censuit, Virgilium revera *servilem* olim egisse vitam, eumque ab Augusto *libertate* donatum. Sed ex ecloga ejus prima, quam hic ante oculos Donizo habuit, hoc minime excalpas. Imo et obstant veterum testimonia. MUR.

(677) In Virgilii Vita *Atius* appellatur. MUR.

(678) Forte, *repedavit*. LEIB.

Et quidem in Regien. cod. legitur, *repedavit*. Fortassis etiam, *replicavit*. MUR.

(679) In cod. Regien., *pœniteo nimis actæ*. MUR.

(680) Hæc in codicibus nostris non leguntur, quasi Mantua loqui pergat. Verum sequentia Canossam potius loquentem exhibent. MUR.

(681) Codex antiq., *alvum*. LEIB.

(682) Hoc est, siquidem conjicio, didici me solam manentem dictare meliora. MUR.

(683) Coq. antiq., *desedere*, id est *discedere*. LEIB.

Codices nostros præfero, ubi *Deus edere*. Lectionem codicis Vaticani, nempe *desedere*, si attentius perspexisset amanuensis, intellexisset non *discedere*, sed *Deus edere* illic legi. MUR.

(684) Scilicet Tusciæ. In actis eorum temporum Beatrix ista *ducatrix* appellatur, nam Tusciæ marchiones ducali quoque titulo fruebantur. MURATORI.

C (685) Dissimulat poeta secundum ejus matrimonium cum Godefrido duce, et captivitatem, in qua eam habuit Henricus imp., quod hosti ipsius nupsisset. Obiit Godefridus anno 1069, quo etiam credit Florentinus filiam Beatricis Mathildem filio Godefridi Godefrido desponsatam. LEIB.

(686) Codex ant., *Fraxinorense monasterium fuit illud*. LEIB.

Scribendum *Fraxinorense*, nunc *Frassinoro*, qui pagus super montes agri Mutinensis euntibus Saxolo ad Carphinianam ac Tusciam invisendum se præbet. Vide in bullar. Casin. constitutionem CVII, ubi donatio a Beatrice facta eidem cœnobio. Habeo diploma Frederici I datum anno 1164, quo *monasterium Sancti Claudii de Fraxinorio, et venerabilem ejus abbatem Willelmum* sub protectione sua recipit, ejusque jura confirmat. Inquirenti mihi olim vestigia veteris cœnobii, si templum excipias ex vetustate commendandum, vix aliud quidquam visu D dignum occurrit. Loci autem reditus, qui olim complures erant, Romano Maronitarum collegio attributi fuere. MUR.

(687) Ms. cod. Regien., *dedit illic*. Neque solum abundavit Fraxinorense monasterium ingenti prædiorum cumulo, quæ canonem nunc emphyteuticum reddunt, sed etiam diversis castellis olim imperavit. quæ a pluribus sæculis in jus reipublicæ Mutinensis concesserunt. MUR.

(688) Itaque auctor ipse erat monachus. LEIB.

(689) Canonicorum collegium, nempe 12 canonicos sub præposito, in Canossino sancti Apollonii templo, Atto comes Bonifacii marchionis avus erexerat. Beatrice autem ac ejus filia Mathilde comitissa curantibus, inde amoto canonicorum cœtu, monachis Benedictinis data fuit cum claustris ecclesia. In eodem autem cœnobio Deo militabat ipse Donizo hujus carminis auctor. MUR.

Usus cum cleris (690) non in tantum duodennis
Deservire quidem, nunc abbas servit ibidem
Cum monachis Christo multis famulantibus illo.

CAPUT XVIII.

Quod secundus Henricus tempore Beatricis mortuus est, et quod tertius Henricus cum papa Alexandro II nimie discordatus est.

Cæsar Henricus comitissæ tempore vivus
Exstiterat, scimus quod herus (691) fuit atque pro-
Ipse Beatricis magnæ, natæque Mathildis. [pinquus
Mortuus Augustus fuit in pace sepultus.
Postquam (692) surrexit, qui de lumbis puer exit
Illius, in regnum, fiet per quem male rectum,
Scilicet Henricus crudelis tertius hydrus;
Cujus erat mater regina videlicet Agnes,
Hunc in ventre gerens, vidit quod sit draco vere
In somnis infans; hoc multis retulit ipsa;
Hunc Victor (693) regem laudavit papa recenter,
Hic nimis exercens crudelia rex adolescens,
Ut sonipes mulus, sensus non est quibus ullus,
A papis sanctis verbis sæpissime blandis
Admonitus, sentes genuit mens illius ex se;
Nicolaum papam (694) contempsit mens sua prava,
Sprevit Alexandrum papam vere venerandum,
Tollere Romanum cui tentat pontificatum,
Quemdam Parmensem Cadalum papam jubet esse :
Præsul erat Parmæ Cadalus ditissimus, atque
Præparat absque mora se contra pergere Romam
Filius iste mali, quem sprevit docta Beatrix.
Nam foveam parvam, deridendi sibi causa,
In strata fieri tunc præcepit Motinensi (695),
In noctis tenebris. Cadalus tenebrosus at ivit
Multos conducens, caput orbis venit ad urbem,
Quem pars perversa pretiosius (696) cepit, aberrans,
A dictis Cephæ, sed pars sibi dextra repente
Obviat ad pugnam, Cadaloa cohorsque repugnans
Exsuperat dextram partem, Tiberimve cruentat.
Obtinuit præsul cathedram ter sanguine (697) plenus
Ob terræ febres Parmenses mox rediere.
Pontificem solum linquunt proprium Cadaloum,
Pars ab eis fessa capit ipsum denique dextra,
Et super excelsam turrim Crescentis (698) apertam
Evehitur, vinclis constringitur undique firmis.
Præsul Alexander cathedram recipit veneranter,
Ille, fuga lapsus, Parmam redit undique lassus,
Nomen habet papæ, quod nomen sumpsit inane,
Derisus valde moritur cum crimine Parmæ.
Pastor Alexander regnavit ovanter, ut ante,
Errantem regem studuit revocare paterne;
Dicta Patris sancti despexit perfidus, ast hic
Credere perversis tantum vult atque protervis,
Vendebatque vagus super hæc mala pontificatus ;
Qui propter papam non deseruit mala tanta,
Tristes inde satis Mathildis erantque Beatrix
Quæ sub Alexandro papa stabant venerando
His ita digestis præfatus papa recessit

(690) Non nisi. LEIB.

(691) Herus ex Græco, nexu (nempe sanguinis) ligatus; ἕρσις, vel ἔρσις est *nexus*. Florentinus pro *quod herus* leg. *quam hænus*, sed non explicat. Non satis explorata est ratio consanguinitatis inter imp. Henricum III (quem poeta secundum vocat, in Italia scilicet) et Beatricem. Sane Henricus IV *amitam* vocat in epist. Regesto Gregorii VII inserta. Uspergensis (1054) *neptem* Henrici III Domnizo Mathildam (filiam Beatricis) *consobrinam Henrici IV*), infra lib. II, cap. 1. Et sane Henricus V jure propinquitatis etiam hæreditatem Mathildis filiæ Beatricis sibi vindicavit. Sed cum ignoretur ex qua stirpe fuerit mater Beatricis, cui et ipsi nomen Mathildi, mirum non est gradum cognationis ignorari, nam *amitæ* et *neptis* vocabula late apud hujusmodi scriptores sumi constat. Quid si Giselæ Conrado imperatori nuptæ soror fuerit? ita et verborum proprietati, et rerum circumstantiis satisfiet. LEIB.

(692) Lego : *Post quem*. MUR.

(693) Scilicet Victor II papa, anno 1056, quo e vivis sublato Henrico inter Augustos secundo, ejus filius Henricus puer regni Germanici ac Italici frenum suscepit. Id factum *permittente Romano pontifice Victore*, scribit Paulus Bernriendensis in Vita Gregorii VII, tom. III, Rerum Italicarum. Apud poetam nostrum *Victor regem laudavit*. Consensus autem papæ ideo commemoratus, quia non sine ejus auctoritate rex decernebatur, qui ex regno jus accipiebat ad Romanum imperium. MUR.

(694) Scilicet secundum. Sed parcat Donizo. Henricus inter Germaniæ reges IV, si fides auctori Annalium Hildeshemensium, in lucem prodiit anno 1048. Si Hermanno Contracto, ejus nativitas in annum 1050 cadit; si denique Lamberto Scafnaburgensi, cum peperit anno 1051 Agnes imperatrix. Atqui Nicolaus II papa electus anno 1058 vivendi finem fecit anno 1061. Qui ergo dicendus est Henricus rex puerulus, et annos tantum decem aut undecim natus, contempsisse Nicolaum II? Non desunt certa alia istius principis vitia ac flagitia, quæ jure vituperes. MUR.

(695) Et quidem rudibus sæculis in more fuit *Motinensem*, potius quam *Mutinensem* appellare hanc civitatem *Strata* vero *Mutinensis* eadem est ac via Æmilia per Mutinam deducta, quam tamen nos *Claudiam* dicimus, neque recenti appellatione, sed perquam vetusta, ut antiquæ chartæ Urbis ostendunt. In Actis etiam sancti Domnini martyris apud Surium ad diem 9 Octobris, hæc habentur : *Beatus vero Dominus perrexit via Claudia; Christiani alii per Flamineam, alii per Aureliam, alii item per Claudiam fugiunt*. Usuardus quoque in Martyrologio suo, et Romanum Martyrologium ad diem 9 Octobris *Claudiam* appellant. Id animadvertant eruditi velim ; hinc enim elucere videtur, a Claudio quodam restauratam fuisse viam Æmiliam, ideoque antiquum perdidisse nomen. Tib. Claudius imperator apud Reines., class. 3, cum. 80 inscript. viam Valeriam a se restitutam *Claudiam* appellandam curavit. Quidni hoc idem Æmiliæ viæ contigerit? MUR.

(696) Cod. ant., *pretio suscepit*, id est Simoniace. LEIB.

(697) Ms. Padolir., habet *tunc sanguine*. Acta sunt hæc anno 1062. Auctor est Donizo, victoriam primo cessisse Cadaloi militibus. Et revera male primo contigit Romanis pro Alexandro vero papa præliantibus. MUR.

(698) Molem Adriani significat, quam nunc arcem, seu castrum Sancti Angeli dicimus. Turris autem *Crescentii* potius quem *Crescentis* appellata fuit ab aliis scriptoribus. In Vita Alexandri II, tom. III Rer. Italic. Cadalous dicitur receptus *in castellum Sancti Angeli* a Cencio præfecti filio, ibique *per duos annos obsessus*. Quæ huic habet Donizo *de vinclis firmis*, quibus ille constrinctus fuit, liberaliter explicanda sunt de obsidione illa. MUR.

Ante novem soles* (699) Madius quam ferret odores (700)
Ex isto cosmo, supero requiescat in horto.
Anni mille Dei, tres, tunc quoque septuageni.

CAPUT XIX.

Quod post Alexandrum Gregorius septimus papa sacratus est, cum quo prælibatus rex tandiu discordatus est, quod ab eo damnatus est.

Post Alexandrum fuit Ildeprandus amandus
Antistes factus, prius archidiaconus almus
Exstitit ejusdem reverendæ sedis in urbe;
Dum consecratur, Gregorius ipse vocatur,
Jure Deus nomen sibi tale dedit vel honorem,
Ne lupus irrumpat, vigilat caulas ovium sat;
Noverat esse pius miseris, altis quoque dirus (701),
Diversisque modis culmen retinebat honoris;
Plenus erat mira super omnes quippe sophia,
Septimus antistes Gregorius exstitit iste;
Lucra gregis quærens studuit regemque monere
Dulciter, a tantis resipisceret ut malefactis (702),
Ecclesias scripsit pretio ne venderet ipsi.
Cujus scripta rescripsit rex bona dicta;
Ad cujus papa legens apices, gaudens ait esse
In cœlo cunctis de tali gaudia justis.
Rex ultra montes degebat, pastor in Urbe.
Legatus velox referebat eis nova crebero;
Inter utrosque manens Mathildis cognita mater,
Ut pax in regno toto fieret sine bello,
Pontificis pacem regem suadebat amare,
Atque pium papam de regis amore rogabat.
(703) Regis erat mater tunc Romæ subdita papæ,
Quam vir amans pacem pro nati mittere pace
Ordinat, et secum Prænestinæ quoque verum
Pontificem Christi, cui jungit et hostia tristis (704)
Pontificem magnum, quem nomine clamo Giraldum;
Hos ultra montes direxit papa, duosque,
Quos rex dignanter cum matre recolligit Agne (705),
In manibus quorum promisit jussa piorum
Se pro posse sequi papæ, sancti quoque Petri
Ecclesiam (706) summi Domini non vendere nummis;
Lætificat valde nati responsio matrem;
Romam regressa papæ retulit nova gesta;
Papa Deo laudem tulit immensam super hanc rem.
A Ad scelera rursum rediit rex post modicum tunc,
Ad quem mendacem direxit denuo matrem;
De prope post ipsam sibi transmisit sua scripta;
Qui doluit tandem, matrique spopondit ut ante
Credidit hoc statim genitrix, quod rex simulavit,
Quæ rediit Romam, papam reverenter honorans,
Post hæc ad regem bis scripsit papa decenter;
Quos apices sacros tenuit rex maxime charos,
Quem tunc Saxones regem sprevere feroces,
Prælia qui secum statuunt committere demum:
(707) Quod rex absque mora papæ mandavit, adorans
Atque petens ipsum, pro se roget ut crucifixum.
Pastor confestim Saxonum mittere genti
Curavit plane pacem cupiens revocare,
Inde suus missus donec redeat, jubet ipsum
B Regem nullo modo super ipsos pergere; quod non
Rex exspectavit, galeatus quin equitavit,
Contra Saxones, qui fortes sunt et atroces.
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis;
Commisso bello, victor rex exstitit ergo,
Unde superbus adest, papam despexit, ut amens,
Omnia quæ papæ matrique spoponderat ante,
Fregit et invasit, Simoniacos revocavit.
Afficitur valde vir apostolicus super hanc rem;
Accitis missis multis hoc illico scripsit,
Atque Beatrici dominæ, prolique Mathildi,
Quæ dominum papam flagrantem (708) semper [amabant,
Perfidiam regis detestavere tumentis.
(709) Acrius ad regem scripsit pastor sacer, et se
C Ulterius clamat non posse pati mala tanta.
Rex mox hac illac discurrere cœpit, ad ista
Plures perversos coadunans tempore certo,
Cum quibus adversum patrem loquitur reverendum.
Moguntinus ibi fuit archiepiscopus, ipsi
Judicium totum tribuit rex flagitiosus.
Huc Ugo tunc falsus venit, qui dicitur albus,
(710) Officit hic multis; Romanæ presbyter (711) urbis
Ter damnatus erat, pretio quia restituebat
Emptores Christi templorum, junctus et ipsis
Adversus papam fingens mala, lætificabat
Corda malignorum, regis simul, et sociorum.

(699) Asteriscum hic posuit Leibnitius, quasi aliquid desideretur. Verum sensus bene constat, et nihil aliud poscit. Est autem ejusmodi: Præfatus papa *recessit*, hoc est postremo fato sublatus est, *novem soles ante quam Madius ferret odores*, id est dies novem ante Kalendas Maii mensis, florum atque odorum parentis. Et quidem x Kal. Maii Alexander II obiit anno 1073. MUR.

(700) Id est mense Aprili anni 1073. LEIB.

(701) Rectius in codicibus nostris *quoque durus*. MUR.

(702) In cod. Padolir., *maledictis*. MUR.

(703) Sequentes 19 versus citat Baron., tom. XI, 1074. LEIB.

Agnes Augusta, quæ anno 1074 pro Gregorio VII stabat, et vulnera Ecclesiæ illata a filio sanare nitebantur. MUR.

(704) *Ostia*. LEIB.

(705) Ad ipsum cum matre venientes. Lambertus ait, cum imperatrice legatos venisse episcopos Ostiensem, Prænestinum, Curiensem, Cumensem
D 1074. LEIB.

(706) Cod. Regien., et quidem rectius, *ecclesias*. MUR.

(707) Sequentes 13 versus recitat Bar., 1075, num. 25. LEIB.

(708) Cod. ant., *flagranter*. LEIB.

In nostris quoque codicibus legitur *flagranter*. MUR.

(709) Seqq. versus 28, recitat Baron., 1076, num. 15. LEIB.

(710) Cod. ant., *offuit*, id est obfuit. LEIB.

Habent et nostri codices *offuit*. De Hugone *candido*, sive *albo*, aut *blanco*, quem Italice appellatum puto *Ugo Bianco*, multa habet historia illorum temporum. Vide potissimum tomo III Rer. Ital. Vitam Gregorii VII. MUR.

(711) Presbyter cardinalis, quem ait Lambertus propter ineptiam et mores inconditos fuisse depositum. MUR.

Audax antistes Moguntinus nimis ille,
Non Christum timuit, papam quando maledixit,
Cuncti subscribunt, magis ipsi se maledicunt.
O blasphemia non hic, neque post abolenda!
Hoc anathema quidem mandavit (712) mox procul idem
Ad (713) Longobardos Simoniacos nimis altos,
Qui læti facti, in papam (714) denique raptim
Omnes concurrunt, regis faciunt quoque jussum,
Jurant, subscribunt, contra dominumque magistrum
Mittendos apices Romam, rex edidit ipse;
Qui de sede sacra dicebant surgere papam,
Injuste stantem papatum depopulantem,
Quos synodo coram statuerunt mittere Romam.
Quidam Rolandus Darmensis, clericus, aptus
Eligitur, quarum gerulus tunc litterularum.
Incipiens (715) synodum pastor Gregorius, ovum (716)
Gallinæ sculptum gestans in cortice scutum,
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput (ictu
Quippe repercussus quodam) pertingere sursum
Non poterat, clinum sed ventre tenus caput ipsum
Torserat et caudam triplicando dabat sinuatam;
Non erat hæc plana, sed erat sculptura levata.
Ad synodum fertur, nunquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus et ecce Rolandus
In medium venit, papæ mox dicere cœpit:
Rex jussit terræ, jusserunt pontificesque,
Ut linquas sedem quam non es dignus habere.
Romanis cleris mox idem portitor inquit (717)
Costes in pente Romam testor veniet rex
Missurus papam, lupus hic non est quia papa.
Sic dum blasphemat, præfectus eum cupiebat
Privari vita gladio, commotus in ira (718).
Quod fecisset enim, sed ei Pater almus adhæsit;
Vixque tacens cœtus cœlesti flamine plenus,
Papa beatus ait: Turbari linquite, nati,
Ecclesiæ sanctæ, veniunt quia tempora valde
Plena dolis nimis (719), magnisque repleta periclis:
Expedit, existant, quæ sunt ut scandala scripta;
Væ sed ei pravo, per quem sunt scandala, clamo;
Nostrum nempe modum, Deus infit, mitto luporum
A In medio, vos sic, velut agnos, dicoque vobis.
Vos, quasi serpentes, prudentes convenit esse;
Vivere simpliciter veluti vivuntque colombæ.
Has gestare decet virtutes non modo (720) vere,
Atque crucem Christi studeamus ferre metipsi;
Non nos a Christo tribulatio separet isto
Tempore, sed colla subdamus membraque nostra
Martyrio; verbo fidei feriatur hic ergo
Ostensus serpens, qui scutum gestat et ensem,
Adversus matrem Romanam catholicamque
Ecclesiam, Christi de sanguine rubra benigni.
Plura loquens papa, dixit synodus sibi sancta:
Tu Pater es Patrum, blasphemum contere pravum;
Est nostrum quippe jussis parere tuisque;
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes,
B Judicium confer, gladium trahe, percute fortem
Omnibus excelse dignum clamantibus esse
Privari regno regem, maledicere nec non.
Papa dolens, vinclis anathematis illico strinxit
Regem prædictum, cui regnum devetat ipsum.
In Quadragesima synodus celebrata fit ista (721).
Qui Petrum sanctum, qui papam diligit almum
Hoc anathema probat, quod regem sic inhonorat.
A Petro quisquis seu papa discrepet (722) istis
Temporibus, firmæ permansere comitissæ
Magnæ, petra quasi Mathildis, et alta Beatrix,
Hæ mediatrices inerant et regis amicæ;
Cumque vident regem per devia tendere semper,
Proximus illarum fuerat quia rex et earum,
Ex ipso mœstæ pandebant se satis esse.
C Sed tamen a papa se non discedere clamant:

CAPUT XX.

De obitu dominæ Beatricis, et quomodo Canossa dicit ex ea et de corpore ejus.

Plena bonis factis dictisque referta Beatrix,
Cunctis chara nimis, magnis parvis quoque Pisis
Ægra manens, vita de præsenti bene migrat,
Octo decemque dies (723) Aprilis dum sinit ire
Christi post ortum vera de virgine, corpus
Anno milleno bis terno septuageno
Conditur Pisis, lucem videat paradisi
Hanc patres justi ducant super æthera cuncti.

(712) Cod. Regien., *mandarunt*. Scilicet hoc idem anathema miserunt schismatici episcopi e conciliabulo Wormatiensi anno 1076. MUR.

(713) Bar., *Allobroges*. Sed cod. ant. habet ut excusum est. LEIB.

(714) Cod. ant., *Papiam*, ubi synodus scilicet habita contra Gregorium. LEIB.

Codices quoque nostri habent, *Papiam*. MUR.

(715) Seqq. versus 15, recitat Bar. 1076, num. 17. LEIB.

(716) Narrat poeta pro monstro fuisse illatum in synodum ovum gallinæ, in quo (natura an arte) sculptus coluber, qui percussus caput frustra erigere tentabat; id visum symbolum rei quæ tunc agebatur, et Simoniacam (opinor) hæresim designare. LEIB.

(717) Excidit hic versus in hactenus editis. Addo ex fide mstorum codicum, quibus utor. Sequitur ergo post hunc versum:
Romanis cleris mox idem portitor inquit:
Costes in pente, etc. Hoc est in Pentecoste. MUR.

(718) Legatos suos in carcerem conjectos, et indignis modis habitos queritur rex in epistola apud
D Reubertum 195. Addatur Bertholdus ad ann. 1076. LEIB.

(719) Scriberem *nimiis*. MUR.

(720) Cod. Regien., *nos modo*. MUR.

(721) Ann. 1076. LEIB.

(722) Lego *discrepat*. Hoc est a Gregorio VII se averterunt quamplurimi; Beatrix vero et Mathildis firmæ in ejus obedientia, ac patrocinio *permanserunt*. Ita habet cod. Padoliron., non vero *permansere*. MUR.

(723) In Chronicis Pisanis, quæ Ughellus edidit tom. III Ital. Sac., et ego in nonnullis correcta ac ampliora iterum dabo, legitur: *Anno* 1077 (more Pisanorum, hoc est 1076), *comitissa Beatrix obiit* IV *Kalendas Maii, et in magnifica tumba apud majorem ecclesiam Pisis sepulta est, ob cujus reverentiam comitissa Mathildis ejus filia, quæ obiit anno* 1116 (hoc est secundum epocham nostram 1115). *Ecclesiam Pisanam in Tuscia et Lombardia dotavit*

Æstimo quod vilem nimis ex hac me modo Pisi
Esse putent sane, nisi plangam, conquerar alte.
Perspicuam dominam cupiebam vivere vita
Longa, quo lætum potuissem ducere sæclum :
Defunctum corpus sperabam reddere prorsus
Dignæ telluri, dolor hic me funditus urit,
Cum tenet urbs illam, quæ non est tam bene digna.
Qui pergit Pisas, videt illic monstra marina;
Hæc urbs paganis, Turcis, Lybicis quoque Parthis
Sordida, Chaldæi sua lustrant littora tetri;
Sordibus a cunctis sum munda Canossa, sepulcri
Atque locus pulcher mecum; non expedit urbes
A Quærere perjuras, patrantes crimina plura (724).
Talibus in vicis contempserunt sepeliri
Præcipui magni nostri domini memorandi;
Sed se post mortem condi voluere Canossæ :
Artus jam dictæ dominæ teneant modo Pisæ,
Possideant, caute nec non veneranter honorent;
Ast animo mœsto jugiter maneo nimis ex hoc,
Spero tamen per eum, qui consolatur egenum
Me fieri lætam, mihi conservando severam
Mathildim, claram dominam probitate notatam
Omni, cujus ego vitam per sæcula quæro.

Explicit liber primus.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Materiam parvam facit esse comarcus (725) ut altam,
Dilatare quidem sua verba scit ipse perite,
Materiam grandem sciolus describat ovanter,
Ut, quod ei prohibet peracuta peritia scire,
Scilicet in lætum (726) sermonem tendere parvum
Patret cum nota vel materia numerosa
Valde prolixam, pauperculus (727) en ego scribam
B Materiam, cuncto divulgatam fere mundo.
Quamvis florescant, quæ scripsimus, ac renitescant
De ducibus claris, codex quos primus amavit,
Multo florebit vehementius, ac retinebunt (728)
Facta ducatricis quæ sunt scribenda Mathildis.
Historiam longam metris describe Canossa.

Explicit prologus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Quidquid ego possum de tanta dicere prorsus,
Scit populus mecum, minus est, plus ipsa meretur,
Tantum mirari consultius esse sciatis.
Hæc est tam clara, ceu fulgida stella Dianæ (729),
Hæc radiata fide, stat spe circumdata mire.
Huic sincera manet major dilectio sane;
Hæc peramat celsum, per quem sunt omnia, Verbum.
Illius et servos, quos invenit esse modestos,
Diligit et laudat, reverenter obedit, honorat;
Hæc odit vitia, virtutes comprobat ipsa (730);
Elatis alta, mitis sed mitibus astat;
Scit mulcere pios, terrere sed hæc sit iniquos.
Prospera non mutant, seu non hanc tristia turbant;
Omnibus in rebus graditur discretio secum.
Omnibus in regnis sua currit fama perennis,
Evehitur lintri trans Pontum fama Mathildis,
Nomine de cujus Turcorum castra loquuntur;
Notitia multa cum qua rex Græcus abundat;
Pallia cum gemmis rex dat sibi Græcus (731) Alexi.
Hanc multis horis Alemannus rex amat, odit;
Gens Alemanna quidem sibi gratis servit ubique.
Russi, Saxones, Guascones atque Frisones,
C Arverni, Franci, Lotheringi, quinve Britanni,
Hanc tantum noscunt, quod ei sua plurima poscunt
Post ipsam gentes hæ mittunt sæpius enses :
Omnibus ex istis equites habet alta Mathildis.
Responsum cunctis hæc dat sine murmure turbis;
Hæc hilaris semper facie, placida quoque mente.
Hæc apices dictat, scit Teutonicam bene linguam;
Hæc loquitur lætam quin Francigenamque loquelam.
Hæc Longobardos nutrit, regit et facit altos.
Qui numeras stellas, vitam sibi supplico serva,
Si quod non glisco, mundo decesserit isto;
Porrige, quod sitio, corpus tumulare requiro,
Cum patribus justum vere fit habere sepulcrum
Antiquos patres Isaac, Abraham, Jacob atque
Uxores sanctas simul una recondidit arca,
D Annos post multos in eodem vero sepulcro
Corpus conditum magni Joseph reperitur.
Hujus amo patres, sed eam plus diligo valde;
Hæc exaltavit nimium me quin et amavit,
Martyris ista mihi sancti dedit ossa Quirini,
Me renovat semper turres fabricando recentes
Atque meum nomen crebro fecit crescere Romæ.

possessionibus plurimis et honoribus regalibus satis plene. Sed ex Donizone corrigendus hic dies emortualis ducissæ Beatricis, nempe scribendum non IV, sed XIV *Kal. Maii*, hoc est die 18 Aprilis. MUR.

(724) Cod. Padolir., *crimina multa.* Graviter hic in Pisanos invehitur Donizo, eos et perjurii et multorum criminum reos traducens. Quæ hæc forent historia silet; imo eorum fortia gesta in Saracenos Christianorum hostes narrat. Verum Donizonem urebat quod ipsis Saracenis liberum in suos portus, ac urbem aditum, et commercium Pisani concederent, et fortasse quod piraticam, pro more temporum illorum, excercerent. MUR.

(725) An a κομέω, *orno*, quasi ornandi magister. LEIB.

(726) Cod. antiq., *latum.* LEIB.

(727) Typographi sphalma; codices nostri, *pauperculus.* MUR.

(728) Cod. antiq., *Multo florebunt vehementius, ac renitebunt.* LEIB.

Audi codices nostros mstos, *florebunt vehementius, ac renitebunt.* MUR.

(729) In cod. Regien., *stella Diana.* MUR.

(730) In eodem cod., *comprobat ista.* MUR.

(731) Cod. antiq., *Alexis.* LEIB.

CAPUT PRIMUM.

De primo adventu tertii Henrici regis, et papæ Gregorii VII in Longobardiam, et qualiter a ducatrice Mathildi apud Canossam suscepti sunt et quod eumdem regem subvertit Guibertus archiepiscopus, et alia vice ivit cum eo Romam contra papam.

Rex rogat (732) abbatem, Mathildim supplicat atque,
Post matris mortem fama currente per orbem,
Regem damnatum per papam commemoratum;
Turbati certe fortes sunt atque potentes,
Per totum regnum, dicentes, esse superbum,
Non parere pie, sinceriter atque benigne
Romanæ sedi, quæ claves continet ævi;
Quo circa regem statuunt contemnere recte,
Ni redeat; papæ pacem studeat revocare.
Non aliter se rex noscens regnare valere,
(733) Ad consobrinam Mathildim misit, ut ipsa
Consilium caperet, quo papa veniret ab Urbe
Longobardiam, peteret veniam sibi dignam,
Ipse suum jussum faceret dubio procul ultro.
Papa precesque videns dominæ Mathildis, eidem
Quod quærit donat, dimisit denique Romam,
Opilio dignus Canossam venit et intus,
Quem sancti Petri vice digniter ille recepit:
Salvificum rorem quæ papæ sumpsit ab ore.
Regis Henrici, domina comitante Mathildi,
Adfuit et juxta præsentia, turbaque multa;
Ex me fitque nova, dum fiunt talia, Roma.
Urbs honor ecce tuus, mecum rex papa simul sit,
Ac Itali proceres, nec non Galli proceresque
Ultramontani, Romani, pontificali
Stemmate fulgentes, adsunt plures sapientes,
Inter quos abbas Hugo Cluniacensis hic astat,
Qui Pater (734) in lavacro regis fuerat sacrosancto.
Pacis sermones tractabant hi seniores;
(735) Cumque dies starent per tres pro pace loquentes,
Et pax non esset, rex atque recedere vellet;
Capellam sancti petit idem rex Nicolai,
In qua pastorem lacrymans oravit Hugonem,
Ut pro pace sua fidejussor sibi fiat.
Non licet hoc, abbas regi respondit, et astans
Illic Mathildis rogitavit eum, sed et ipsi;
A Hoc faciet nemo, respondit, tu nisi, credo.
Poplitibus flexis dixit rex atque Mathildi:
Tu nisi me multum juveris modo, non ego scutum
Ulterius frangam, multavit me quia papa.
Consobrina valens fac me benedicere, vade;
Ipsaque surrexit, regique spopondit, et exit
Ascendens sursum, stetit ac rex ipse deorsum;
Alloquitur papam de regis fine reclamans,
Sinceris dictis dominæ venerabilis istis
Credidit Antistes, ut juret sic tamen ipse
Rex illi, sedi Romanæ sitque fidelis;
Præsul quæque velit Gregorius, hoc sibi, fecit (736)
Rex retro scriptus; (737) solitoque munere mage frigus
Pernimium magnum Janus dabat hoc et in anno;
B (738) Ante dies septem, quam finem Janus haberet,
Ante suam faciem concessit papa venire
Regem, cum plantis nudis, a frigore captis;
In cruce (739) se jactans papæ, sæpissime clamans:
Parce, beate Pater, pie parce mihi peto plane.
Papa videns flentem, miseratus ei satis est, est;
Nam benedixit eum, pacem tribuit sibi, demum
Missam cantavit, corpus dedit et Deitatis (740):
Secum convivans, super arcem qui (741) Canusinam,
Ipsum dimisit, postquam juravit, et ivit
Urbem Reginam, qua stabat turba maligna
Pontificum, valde metuentes hanc fore pacem.
Major (742) erat cunctis Guibertus, episcopus urbis
Ravennæ, doctus, sapiens et nobilis ortus,
C Exstiterat Parmæ civis, seu clericus ante,
Dum fuit electus Gregorius iste, Guibertus
Ipsi juravit, contra quem nunc male sancit (743):
Regis enim mentem contra papam docet esse,
Rexque die sexto remeavit Bibianellum (744);
Corde dolo pleno, cum plena mente veneno.
Pastor felle carens ad eum descendit ab arce
Crebro scripta supra, mox est comitissa secuta.
Callidus at multa rex papæ dixit, et ultra
Eridanum fluvium, commune cupit fieri tunc
Colloquium; laudat quod papa, Mathildis et optat.
Cur hoc rex malit, ignorant hi duo clari;
Mantua revera placito subdique timebat:

(732) Versum hunc in textum Donizonis intulit Leibnitius; verum, uti in præfatione monui, suppositus is erat figuræ Henrici regis in genua procumbentis ante Mathildim, qua cum pictus etiam cernebatur Hugo Cluniacensis abbas. Quare caput hoc exordium sumit a *Post matris*, etc. MUR.

(733) Sequentes 8 versus recitat Bar., 1077, num. 21. LEIB.

(734) Susceptum ad sacros fontes ab Hugone Cluniacensi Henricum regem infantem anno 1051, tradit etiam Hildebertus Cenomanensis episcopus in Vita ejusdem sancti Hugonis. His proceribus addendi quoque sunt *Azzo, marchio Estensis*, atque *Adhelheis marchionissa Susæ*, ejusdem Henrici socrus, una cum *Amadeo comite filio*, qui simul cum comitissa Mathilde pacis celeberrimæ sequestres fuerunt, ut monui in antiquit. Esten. MUR.

(735) Seq. 10 vers. Baron., loc. cit. LEIB.

(736) Juramentum. LEIB.

(737) Cod. antiq.: *Solitoque nivem mage frigus*,
D id est Januarius nivem et frigus ultra solitum dederat. LEIB.

(738) Hos. 5 versus recitat. Baron., 1077, 20. LEIB.

(739) In pœnitentia. LEIB.

(740) Lambertus narrat absoluto rege papam missarum solemnia celebrasse, et ut se purgaret ab objecto Simoniæ crimine, partem corporis Dominici accecpisse, aliamque regi obtulisse, testandæ innocentiæ gratia; sed hoc deprecatum esse regem. LEIB.

(741) Cod. antiq., *quin*. LEIB.

(742) Seq. 33 versus recitat Bar., 1077, n. 36, 37. LEIB.

(743) Cod. Regien., *nunc mala sancit*. MUR.

(744) Nunc, *Bianello*, unum ex quatuor castellis non longe a Canossa. MUR.

Rex equidem frustra transivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere papam.
Nec non, si quiret, comitissam traderet idem,
Hoc scelus infandum complere putat placitando.
Cuncta videns Christus fieri vetuit scelus istud;
Eridanum præsul, Mathildis et optima secum
Transivit, sperans pacem componere veram,
Ad dominam Claram multis oculis oculatam
Nuntius advenit, qui secretum patefecit
Regis Henrici, qui papam tradere dicit;
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox cito movit
Seque suos, fortes petiit cum præsule montes;
Insidiæ fractæ regis sunt et patefactæ.
Papam, Mathildim, rex ulterius neque vidit,
Pontifices falsi sunt ex hoc lætificati.
Maxime præscriptus Guibertus, qui dedit istud
Consilium regi, quia vult invadere Petri
Sedem condignam, Zabuli (745) quod fecit ad instar,
Æthercam sedem cupiit qui tollere teter.
Lubricus et mendax erat iste Guibertus aberrans,
Conscius et concors homicidarum quoque fautor;
Pompam mundanam plus ipso nullus amabat,
Relligione caret, sic quod nec eam scit amare.
Hunc rex pro papa laudans hoc magnificabat (746),
Ultra qui montes rediit, faciens mala prompte,
Quæque nefanda libent, tute faciebat, inique :
Nam suus exactor, judex, falsus quoque pastor
Non reprehendebat crudelia, quæ faciebat.
Ecclesias nummis vendebat sedulo multis,
Sæpe duos falsos urbs una tenebat in anno
Pontifices, dando certatim præmia stando :
Plebes, capellas pretio clericis tribuebant;
Cuncti perversi vivebant lege Guiberti.
(747) Ast hera Mathildis despexit facta maligni,
Corde fidem veram peramabat munere plenam;
Post posuit regem; per tres tenuit pia menses
Gregorium papam, cui servit ut altera Martha;
Auribus intentis capiebat sedula mentis
Cuncta Patris dicta ceu Christi verba Maria;
Propria clavigero (748) sua subdidit omnia Petro,
Janitor est cœli suus hæres, ipsaque Petri.
Accipiens scriptum de cunctis papa benignus
Tunc libertati Canosinam sanctificavit
Ecclesiam, chartam libertatis sibi largam
Dictans, et mandans violenter ne sua tangat
Ullus homo prorsus sit ob hoc anathemate tortus :

A Hortatu magnæ comitissæ papa dat hanc rem.
Tempora mille Dei tunc septem septuaginta.
Tempus cognoscens crudele venire per orbem
Papa, ducatricem verbis corroborat idem,
Ut sit in adversis acerrima, non sit inermis,
Christicolas cunctos, ut prævalet, adjuvet ultro;
Blasphematores, qui sunt Satanæ quoque proles,
Conterat, exstirpet, revocet quandoque benigne.
Jussa pii domini sapiens comitissa recondit,
Ut regina Saba Salomonis verba beata;
(749) Cumque valedixit comitissæ papa Mathildi
Urbem Romanam Madio florente per arva
Visitat, adventum cujus plebs ipsa repertum
Obviat, exsultat, pastorem suscipit una,
Ipseque commendat, quod nobilis egerat erga
B Se, sanctumque Petrum Mathildis; vivat in ævum,
Clamavit cunctus clerus, totus quoque vulgus;
Cum quibus et regem maledixit denuo recte,
Absolvitque viros, qui jurarant sibi, micros (750)
Ac proceres grandes, illum si linquere mallent
Quod rex agnoscens, coadunans denuo fortes
(751) Italiam rursum spatium post temporis unum
Ingreditur, terram totam maculabat aberrans.
Sola resistit ei Mathildis, filia Petri,
Rex exardescens contra quam concitat enses,
Prælia, terrores, et castris obsidiones,
Ad nihilum pugnat, non hæc superabitur unquam;
Insuperabilia loca sunt sibi plurima fixa.
Diligitur valde, villas defendit et arces,
C Hanc videt incassum rixam rex crescere tantum,
Cogitat ut turbet solum caput, ivit ad urbem
Romuleam, secum Guibertus abisse videtur.
Mos fuit adventum regis populo (752) fore festum,
Istius est fletus, sua turbant crimina cœlum.
Urbs propter papam non illi fit reserata;
Circa quam bellans dirupit mœnia celsa,
Depopulans Urbem, papam statuens ibi turpem,
(753) In cathedra locat hunc falso Clemens vocitatur :
Hic est Guibertus fallax, vastator apertus
Ecclesiæ Christi, merito quem signat abyssi
Bestia, quam vidit dilectus in Apocalypsi.
Regis et illa phalanx Romam totam maculabat,
(754-755) Pervigil et Rector Gregorius ex grege fesso,
D Pollutæ cathedræ multum quoque condolet æque,
Sperans in Petrum rogitat pugnare Robertum

(745) Ita diabolum corrupto vocabulo appellarunt olim non solum vulgus, sed et Christiani scriptores. Memini me videre inscriptionem vetustam positam *Diacono* Christiano, in quia is vocatur *Zaconus*. MUR.

(746) Num potius, *hunc magnificabat?* MUR.

(747) Seqq. 7 versus Baron., Ann., 1077, n. 23. LEIB.

(748) Invaluit eo sæculo, ac potissimum Gregorii VII papæ temporibus, mos offerendi non castra solum, sed et integra regna apostolicæ sedi, eaque rursus ab illa accipiendi in feudum. Id præstitit Demetrius *Russorum rex* duobus ante pacem Canusinam annis, nempe anno 1075, tum alter Demetrius *Croatiæ et Dalmatiæ dux*, sive rex. Bertrannus quoque *Provinciæ comes* omnia sua eidem obtulit anno 1081, ut alia exempla prætercam. Imo idem Gregorius VII, insinuasse videtur epist. III, lib. IX, ut id ab aliis potentibus viris fieret *amore beati Petri, pro suorum peccatorum absolutione*. MUR.

(749) Seq. 6 versus recitat Bar., 1077, num. 43. LEIB.

(750) Id est parvos, sive plebem : quod et ergo in gratiam plebis indoctæ adnotare volui, quando bonus Donizo Græculum hic agere instituit. MUR.

(751) Hos 8 vers. Baron., 1081, num. 25. LEIB.

(752) Fore, id est esse debere. LEIB.

(753) Hos 4 vers. Bar., 1083, num. 2. LEIB.

(754-755) Hos 6 vers. Bar. cit., 1084, num. 6.

Hermannum (756) quemdam, qui regem depulit [extra
Urbem, qui veluti per stratam (757) damnula fugit
Francigenam, montes ultra rediens malus hospes :
Papa suus Clemens Romanis præmia præbens,
Raptor terrenam Petri rapit ipse cathedram,
Quanquam se monstret, quod sit quasi pastor in [Urbe,
Ipsi nulla tamen pars in cœli manet arce;
Hic heresis limes mundum seduxit inique,
Jussa Dei spernit, sanctorum verba neglexit,
Prævaricat leges, divinas destruit ædes :
Persequitur dignum dominum papamque magi- [strum,
Qui monitis sacris plenus manet in Lateranis,
Illic consistens (758) spermologus optimus iste,
(759) Actibus et verbis exprobrat schisma Guiberti
Perpetuo damnans anathemate schismata tanta.
Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio justis,
Mucronem regis pia pars quammaxime sentit.
Sedibus expulsi sunt pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere stricti.
Rex et Guibertus faciunt juvenescere tempus
Neronis prisci, qui præcepit crucifigi
Petrum, cervicem Pauli gladio ferit idem,
Et propriæ ventrem præscindere matris ab ense
Fecit ut inspiceret, requievit ubi malus ipse :
Sic propriæ matris palmas calcaribus acris
Transfodit, missus Satanæ, Guibertus iniquus.
Nullum quippe virum timuit nisi Nero magistrum;
Venis incisis in aqua vitam tulit ipsi.
Hi duo præscripti fidei fere nomen obliti,
Perdere nituntur doctorem denique summum.
Simon eis doctor Magus exstat et hispidus auctor,
Ignorant forsan quod, dum fortuna reportat,
Injustos sursum ruituros esse deorsum,
Quandoque plus ipsos (760) ideo patitur Deus illos.

CAPUT II.

Qualiter circa regem (761) et Guibertum exarserit domina Mathildis, et quod cunctis Catholicis subvenerit.

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adversus binos Domini crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, instigat, prælia gessit.
Singula si fingam quæ fecit nobilis ista,
Carmina sic crescent, sunt ut numero sine stellæ,
Plura sed omittam, de paucis discite mira.
Ex hac parte freti per climata quatuor ævi,
Lepra Guibertina succreverat horrida; nigra
Hac lepra mundus fore non locus exstitit ullus,
Munda domus sola Mathildis erat spaciosa (762),
(763) Catholicis prorsus fuit hæc tutus quasi portus;
Nam quos damnabat rex, pellebat, spoliabat
B Pontifices, monachos, clericos, Italos quoque, Gal- [los;
Ad vivum fontem currebant funditus omnes :
Scilicet ad dictam dominam jam mente benignam,
Quæque requirebant apud ipsam repperiebant,
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mœstus, si quis vir venit honestus,
Unquam præteriit, sed consolatus abivit,
Vestibus e sacris multos hæc nota ducatrix
Patres catholicos vestisse quidem reminiscor.
(764) Inter quos fulxit reverendus episcopus urbis
Lucensis, lucens Anselmus (765) maxime prudens,
Lege Dei doctus, monachus bene relligiosus;
Gregorius præsul Romanus, ut egit Jesus,
C In cruce qui moriens dat discipulo Genitricem,
Commisit dominam sic Anselmo comitissam;
Quam docuit dictis, regit exemplisque benignis,
Perversæ sectæ monuitque resistere semper.
Consilii magni vir hic angelus his fuit annis,
Consilium cujus sequitur comitissa venustum.
(766) Nam quos ipsa valet pravos convertere mater,
Quantiscumque modis quit, agit in omnibus horis;
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures, castellaque sæpius urens,

(756) Cod. ant., *Normannum*. Leib.
Nostri quoque codices *Normannum* habent. Error in omnium oculos incurrebat. Sed heus bone Donizo! *quemdam Robertum Normannum* memoras, quasi triobolarem procerem, tibique ignotum? Mur.

(757) Cod. ant. *dammula*. Leib.

(758) In Græciam nos iterum Donizo trahit; sed hic navigatione dubia. Nam utut *spermologus colligentem semina* significet, attamen vocem hanc Græci in deteriorem sensum accipere consueverunt. Apostolus ipse Athenis irrisionis gratia appellatus est σπερμολόγος, uti habemus *Actor.* XVII, 18, scilicet *homuncio*, *blatero*, aut *seminiverbius*, uti vulgatus interpres habet. Quos auctores secutus hic fuerit Donizo, videat ipse, si tamen mendo omni caret hic locus. Mur.

(759) Seq. vers. Bar. 1081, num. 1. Leib.

(760) Interpunge ita : *ruituros esse deorsum quandoque plus ipsos, ideo patitur Deus illos*. Leib.

(761) Codices nostri præferunt, et rectius, *contra regem*. Mur.

(762) Cod. Padolir., *speciosa*. Attamen non una Mathildis domus ab hac infectione immunis erat dicenda. Neque enim reliquæ Christiani orbis partes, imo neque ipsa Italia carebat viris piis Gregorii VII zelum probantibus, et Henricum ejusque sequaces, ac vitia perosis. Nihil attinet exempla proferre. Quod potius credendum, nulla principum Italicorum familia præter Mathildis, studio constanti favit, ac opem tulit in ea rerum perturbatione vero Romano pon-
D tifici. Hugo Flaviniacen. in Chron. Virdun. : *Sola tunc temporis inventa est Mathildis comitissa inter feminas, quæ regis potentiam aspernata sit, quæ calliditatibus ejus et potentiæ etiam bellico certamine obviaverit, ut merito nominetur virago, quæ virtute animi etiam viros præibat*. Adde auctorem synchronum Vitæ sancti Anselmi Lucensis episcopi : *Inventa est sola, atque unica dux, et marchionissa Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, domno papæ Gregorio obediens*. Mur.

(763) Hos 13 Baron. vers. 1081, num. 25. Leib.

(764) Baron. 1074, num. 17. Leib.

(765) Sancti Anselmi Lucensis episcopi Vitam habes apud Bollandum in Act. sanctor., tom. II Martii, pag. 649, a capellano, sive pœnitentiario ejusdem Anselmi, scriptam. Mur.

(766) Baron. 1081, num. 26. Leib.

Regis ab obsequio jugiter disjungit iniquo,
Ultramontanis ac principibus sibi charis
Errores regis scribit vitare rebellis.
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio papæ proceres servire suadens,
Mittere cui gratis crebro solet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canusina
Tunc misit papæ, quam debet papa beare.

CAPUT III.

De obitu papæ Gregorii, et de electione Desiderii et Urbani papæ, et quod domina Mathildis pro Romana Ecclesia pugnavit, et de obitu S. Anselmi Lucensis episcopi.

Interea (767) planctus de præsule nascitur altus
Gregorio, gestat dominus quem Christus ad æthra,
Ante dies septem Madii quam finis adesset;
Hunc monachi deflent, monachus quia noscitur esse;
Hunc clerici flebant, valde laicique dolebant,
Pura fides quorum procul est a schismaticorum;
Quando suum sanctum reverenter corpus humatum
Anni mille Dei sex insunt octuageni.
Post hunc fit papa Desiderius probus abbas
Montis Casini, qui parvo tempore vixit,
Anno post istum pastor sacratur in ipso
Urbanus rhetor, monachus prius, et modo rector
Ecclesiæ verbi summi Patris, atque perennis;
Ut Salomon dicit, justus veluti leo fidit.
Hic damnat regis fidenter, et acta Guiberti,
Qui Petri sedem falso cupiens retinere,
Advocat Oddonem (768) prudentem de Tuliore
Adversus papam, quem bello sæpe coarctat;
Ille tamen justus, licet esset sæpe retunsus,
Immobilis durat, pacem putat esse futuram
Filiolæ Petri, Christi famulæque fideli
Exhortando pia direxit tunc sua scripta,
Gregorii normam plus præcipueque recordans,
Quatenus observet, nec eam dimittere tentet.
Hinc peccatorum veniam dat eique suorum.
Gregorii missi (769) crebro petiere Mathildim,
A Cursores currunt ad eamdem crebrius hujus,
Densius haud cessat Patres hos hæc vice versa
Chartis et missis pulsare diebus in ipsis,
Pro quibus adversum se commovit fere regnum
Italicum totum, Ligurum sed maxime totum:
Ipsa Padi stratam tenet, urbibus unde fit acta (770),
Hujus dum pugnant athletæ, nonnisi culpa
Ipsorum perdunt, sed vincunt optime bellum,
Urbibus ex multis cives hoc tempore multi
Insimul armati clypeis, et equis phalerati,
Principe cum celso prudenti prorsus Oberto (771),
Ducunt Parmensem (772), Reginum pontificemque;
Romam, tam fortes aiunt se pergere posse.
Hi luctatores ibant pro regis honore,
Terras vastantes circumcirca peragrantes,
B Audaces tandem terram Mathildis amantes (773)
Intrant, credentes ipsam vastare repente.
Sustinet istorum Sorbaria (774) castra virorum,
In propriis campis illis tribuit loca standi,
Nocte quiescentes oculis somnum capientes,
Julius assumpta jam vero (775) luce secunda,
Ecce repente phalanx Mathildis adest, Petre, clamans
Auxiliare tuis. Inimicis (776) surgere tuti
Incipiunt, campi tanto strepitu stupefacti,
Multi dant dorsum, pugnant altissime (777) morsu,
Prosternuntur ibi plures, capiuntur iniqui.
Marchio prædictus quemdam transverberat ictu;
Et quasi voce loquens: Nonne, sine fugit honore
Talem grimnitum (778) portat, nec hic inimicus
Ducet quod nunquam (779) super hanc dominam, [puto turbam;
C Ebrardus præsul Parmensis captus habetur,
Pontificem sentes Reginum perque dies tres
Abscondunt nudum Gandulphum pectore durum;
Nonnulli capti proceres, alii fere lapsi.
Gaudet turba Petri, turbatur concio regis.
Inclyta Mathildis terror fuit omnibus illis;
Mensis ut advenit, qui primus in ordine cœpit
Ejus in octavo decimoque die dominator
In cœlis regnans Anselmum (780) vexit ad æthra (781).

(767) Seq. 6 vers. Baron. recitat anno 1085, num. 15. LEIB.

(768) Is est Oddo episcopus Bajocensis, Wilhelmi conquestoris Angliæ regis frater, ad papatum sacrilegis votis inhians, de quo Ordericus Vitalis lib. VII Hist. eccles. ad annum 1085. MUR.

(769) Hoc est, Gregorius VII litteras et nuntios sæpe ad Mathildam misit; crebrius autem id præstitit Urbanus II. Et illa vicissim non cessat pulsare litteris hos Patres, sive Romanos pontifices. MUR.

(770) Pellitur Mathildis urbibus ad Padum. LEIB. In Estensi codice, ubi epitome Donizonis msta, hæc leguntur: *Et ipsa domina transivit Paudi stratam, et ibat urbibus, unde fit alta.* Quare ex his alium vides emergere sensum. MUR.

(771) De hoc *Oberto marchione* aliquid ego innui in antiquit. Esten., cap. XXV, pag. 248. MUR.

(772) Scilicet *Eberhardum*, et Reginum, scilicet *Gandulphum*. MUR.

(773) Fortasse Donizoni scriptum fuit *amentes*. Pro *terra Mathildis* intelligenda sunt ejus allodia, castra, villæ, etc, MUR.

(774) Villa in agro Mutinensi ad fluvium Scultennam infra civitatem. MUR.

(775) Quid si legendum *jam venit*. MUR.

(776) Cod. ant., *inimici*. LEIB.

(777) Cod. ant., *alii sine*. LEIB. In nostris quoque codicibus, *alii sine*. MUR.

(778) Padoliron. codex ita hunc versum exhibet:

D *Talem grunitum portat nunc hic inimicus.*

Hæc autem verba indicant, non quidem cecidisse Obertum, sed fugisse tanto cum dedecore, et vulnere etiam addito (fortassis in facie) ut nunquam amplius ex sententia Donizonis ducturus crederetur copias adversus Mathildim. *Sine fugit honore.* Hæc autem acta anno potius 1085, quam 1084. Turbata tamen in his est chronologia Donizonis. Is enim electionem Urbani II primo refert, quæ accidit anno 1088. Tum Anselmi Lucensis episcopi mortem commemorat, quæ ad annum 1086 est referenda. MUR.

(779) Nempe ibi cecidit marchio Obertus 1084. LEIB.

(780) Lucensem episcopum 1086. LEIB.

(781) Bonus Donizo ad *æthram* scripsit, ut nos monent codices msti. MUR.

Huic similis credo fuit hoc in tempore nemo;
Officium duplex monachorum pontificumque
Nocte die complens; corpus macerabat ut hostem;
Catholicus, cælebs, pius, et sobrius fuit æque;
De cujus vere tristantur morte fideles,
Schismatici gaudent; erat his contrarius autem,
Quem sibi commissum (782) per Gregorium comi-
[tissa,
Ut decuit, digne sepelivit mœsta benigne.
Artus Anselmi condivit Mantua terris,
De quo, quod gliscit, monstrasti, Christe, Mathildi.
Nam virtute tua fecit miracula plura;
Servulus iste tuus de sanctis exstitit unus,
Catholicæ parti fuit indicium probitatis,
Schismaticæ parti signum quasi debilitatis.
Inde triumphando gaudet comitissa precando;
Hujus enim Patris precibus putat auxiliari,
Cumque daret tumba sancti miracula multa,
Proderet ut multis post nos per secla futuris,
Justitiæ cultrix ea partim fingere jussit
(783) Quæ simul et vitam capellani sibi dictant;
Tertius existens ab eo Lucensis et ille
Rangerius rector (784) dictavit eam sibi metro,
Dictavit pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi litem (785) diffinit, misit eique,
Principium cujus sit hic, et non hæsitet ullus
Lector, sed noscat quod cæterea sint metra docta:
(786) Filiolæ Petri, violæ post lilia (787) dentur;
Detur ei de fonte Dei ros unde rigentur.
Pugna fuit, donec potuit sævire Guibertus,
Perfidiæ dux, Ecclesiæ vastator apertus,
Sed quid ei tentare Dei firmissima castra?
Nunquid eo, regnante Deo, pervenit ad astra?
Mortuus est, et traditus est in perditionem
Quique reum defendit eum, contra rationem.
Gregorium vas egregium quicunque negavit,
Jam videat, si forte queat, quam falso putavit.
Quique duas fregit statuas (788) Urbanus, ab illo
Fonte fluit, longeque eluit (789) non segnius illo.
Quisquis eum (790) non ante Deum vel sero fatetur,
Reprobus est, et devius est, pœnamque meretur.
His ducibus mirabilibus collectio nostra
Non tacuit, donec tenuit latrantia rostra,

A Jam redeunt, qua fronte queunt, qui prosiliere,
Quos video, tangente Deo, plerumque dolere.
Sed redeant, et nos habeant, et nostra libenter;
Sed videant, ut non redeant post terga latenter.
Nunc igitur non exigitur (791) quidquid mederi
Qua (792) voluit donec voluit divisus haberi
De pretio, de flagitio, de seditione,
Et sapiunt, et nos aiunt in cognitione.
Nam pretium, nam flagitium non complacet illis;
Qui cupiunt, qui diripiunt, damnantur ab illis;
Par ratio, par traditio, pro parte videtur;
Præstet ei censura Dei quod deesse videtur.
De baculo lis est populo cum Patribus orta.
Ista fuit, quæ non caruit caligine, porta;
Ista fuit, quæ diripuit Paulumque Petrumque;
B Ista fuit, quæ par habuit regemque Deumque,
Hæc phrenesis non est hæresis, non est labyrinthus,
Per tenebras ut per latebras non est labor intus;
Hanc volumus quicumque sumus de dogmate Chri-
[sti,
Ut fugiant, et rejiciant communiter isti.
Unde volo, ne forte dolo circumveniamur,
Ut breviter, sed non leviter pensanda loquamur.
Christe, sapis, quod corda (793) rapis, succensa ca-
[lore
Fac fieri, quæ scis fieri, pro pacis amore.
Plus laicis cunctis Mathildim Rangerius scit
Intentam legi Domini, vitæque perenni;
Hoc sibi perlucens ob id edidit ipse volumen,
Jam redeat primus, (794) hic iste sit ordo relictus.

C

CAPUT IV.

De tertio adventu regis Henrici in Italiam, et de obsidione Mantuanæ urbis.

Rex ut Henricus factus gravis est inimicus
Ecclesiæ sanctæ, dominæque Mathildis amandæ,
In quocunque loco poterat sibi tollere, toto
Nixu tollebat terras ubicunque tenebat,
Præsertim villas, ac oppida, quæ comitissa
Hæc ultra montes (795) possederat a Genitrice,
Abstulit omnino, nisi castrum Brigerinum (796),
Forte quod, magnum (797), locuples erat undique,
[largum,
Hoc rex aggressus nequit intus ponere gressus.

(782) Scribitur in Padolir. codice, *sibi commissa*, hoc est ei commendata Mathildis comitissa. Mur.

(783) Baron. 1080, num. 13. Leib.

(784) Is est Rangerius, qui in Lucensi episcopatu post Gothifredum successit, ac propterea dicitur tertius *existens ab eo Lucensis*. Vita sancti Anselmi litteris ab eodem Rangerio consignata desideratur. Mur.

(785) Hoc est litem de investituris episcoporum, et abbatum, quam sibi per traditionem baculi usurpabant eorum temporum Cæsares ac reges. Mur.

(786) Versus Rangerii. Leib.

(787) Nunquid hic laudatur in Mathilda comitissa primo virginitatis, tum viduitatis status? In utroque certe piissime vixit. Mur.

(788) Scilicet, ut opinor, Henricum regem regno per sedem apostolicam privatum, et Guibertum pseudopontificem, quos *Idola* appellat, et debellatos, atque ad angustias non unas redactos. Mur.

D (789) Cod. antiq., *cluit*. Leib.

(790) Codices nostri: *Quisquis eum*. Mur.

(791) Cod. antiq., *Quicunque*. Leib. Habent et nostri codices *quicumque*. Mur.

(792) *Valuit*. Leib.

(793) Mstus cod. Padolir., *quo corda*. Mur.

(794) Audi codicem Regien., *primus sed hic*. Mur.

(795) Jam supra de Beatricis et Bonifacii nuptis agens Donizo, cap. 9, monuerat eam in dotem attulisse *oppida, villas*, eaque in *Gallia* sita fuisse. Mur

(796) Convenire nomen videtur cum *Briegio*, vel *Brigense* castro, nunc *la Brie* in Gallia posito. Verum non eo usque Henrici arma se protendere potuerunt. Quare veri videtur similius, castrum hic memoratum ad fines Germanici regni, imo inter fines computatum fuisse. Mur.

(797) Codices nostri: *Forte quod et magnum*. Mur.

Cum bis quinque quasi transirent jam simul anni
Rex quod ab Italia discesserat (798), armat equina
Dorsa viris, jurans per septem tempora, supra
Mathildis terram persistere, pace neglecta;
Castra vocat densa, descendit ad Itala regna.
Tertius et mensis foliis florebat, et herbis,
Urbs dominæ quædam prædictæ chara manebat
Tempore longævo, vocitatur Mantua vero,
Ex multis rebus dives satis ac speciebus;
Rex cupiens ipsam, fixit tentoria circa,
Quam mox athletis de sumptibus (799) atque replevit
Nobilis et fortis Mathildis, maxime doctrix (800),
Ipsa tenens montes, inimicos despicit omnes.
Regis bella phalanx dabat urbi sæpius atra;
Exsiliunt cives, simul athletæ comitissæ,
Occidunt, frangunt, cœtum pellunt Alemannum.
Urbs bene protecta, degebat rex procul extra,
Mensibus undenis obsessio civibus hæsit.
Tunc Ripalta (801) quidem menses hos traditur inter;
Traditur et turris Gubernula (802) regis alumnis.
Non famulam Petri mutant discrimina sedis (803),
Civibus at multos mandat sæpissime sumptus
Servent utque fidem rogat hoc permaxime cives,
Cui cives vere se mandant esse fideles.
Pollens Mathildis fidens in civibus illis,
Decipitur verbis ipsorum, clam quia regis
Pertractant urbem manibus (804), partemque pha-[langem
Ipsius, ante diem Paschæ dare; de prope quippe
Tunc quod erat mundo celebrandum mense secundo
Consilium firmant, Judæ peragit (805) et ad instar.
Nam qua nocte Deum, Judas mercator, Jesum
Tradidit, hac ipsa fuit hæc urbs, Mantua dicta
Tradita, sed dum rex intrat crudelis in urbem,
Evasere quidem proceres dominæ comitissæ,
Navibus extracti propriis cum rebus et armis,
Ut lapis est adamas firmus, sic firma ducatrix,
In tantis damnis venientibus his manet annis.
Fit tantum dictus lapis hædi sanguine scissus,
Non cedit damnis, fusus plicat hanc neque sanguis,
Nam supra Petram firmam fundata manebat,
Fluminibus (806) flecti nequit idcirco, neque ventis
(807) Anno milleno nonageno quoque primo
Mantua sordescis, de proditione nigrescis.

CAPUT V.

Objurgatio, ac detestatio seu digna exhortatio contra Mantuam.

Gloria quanta foret tecum quis, Mantua, noscet,
A Prudenter (808) tenuisset si modo clausas
Regi, jam nomen, decus atque tuum procul ore
Multorum volvi fere cuncto cœperat orbi:
Te fortem vere referebant, et locupletem,
Ac veluti Trojam laudabant te fore longam.
Cum juxta morem fers illius obsidionem;
Cives atque tuos forti de sanguine fusos,
Italiæ cunctæ dicebant funditus urbes;
Græca Phryges castra ceu quondam, sic Alemanna
Castra tui cives soliti sunt cædere; quippe
Annis ipsa decem circumdata Troja pateret
Argolicis nunquam, nisi tradita nocte perusta.
O mala proditio, quæ celsos mergis in imo,
Tutos corrumpis, victores comprimis urbis (809),
Perturbas reges, comites, proceresque ducesque,
B Ordinibus cunctis nimis officis improba turpis.
Si servare fidem voluisses tu comitissæ,
Mantua, jam dicta tibi supra dante Mathilda
Auxilium, denis non solum, sed duodenis
Annis te posses retinere, timens nihil hostes:
Hoc si fecisses, pax ad te magna redisset;
Rex discessisset procul a te de prope, sicque
Felix mansisses tu, chara nimis comitissæ,
A qua ditata, mirabiliterque locata,
Esses nunc florens super urbes quippe priores.
Ceu plebs Romana quires ita stare togata.
Et si te regis superassent prælia, nescis
Quod decus hoc multum foret, et non dedecus ullum?
Nam traditricem nemo tibi dicere sciret.
C Hoc utinam vere tu nunquam nomen haberes,
Infelix, tristis ex hoc tu nomine sistis.
Omne bonum nomen pro turpi traditione
Cur amisisti, tradendo temet iniquis?
Catholicis plena dudum celebrare solebas
Pascha Dei Christi cum splendiferaque Mathildi,
Curia cujus erat dapibus, donisque repleta;
Officiosa manet quasi regis curia sane.
Nunc celebras Pascha cum falsis ex Alemanna
Qui peramant Bacchum, flagrant ad luxuriandum;
Illorum linguas nescis, faciles quoque rixas
Cum sunt potati pro verbis fertur amaris,
Ensem denudant, sociorum viscera truncant.
Mordent more lupi, cum sumunt (810) pabula cuncti,
Atria sanctorum violenter frangere norunt.
D Mantua nec (811) tales tibi noscere monstro sodales,
Hos fuge, contemne, mors est cum talibus esse.
Regis amicitia procul haud durabit et ipsa,
Non faciet quippe tibi quæ promiserat ipse,

(798) Imperator ab Italia discesserat anno 1084, redit 1090. LEIB.

(799) Hoc est, *replevit eam de athletis, ac sumptibus,* id est militibus, atque annona, ac victualibus. MUR.

(800) *Ductrix*. LEIB.

(801) Est quidem hujus nominis pagus inter Canossam et Regiensem urbem, nunc *Rivalta*. Verum hic agitur de castro comitatus Mantuani, ut infra patebit cap. 19 hujus libri. MUR.

(802) Ad ostia Mincii fluentis in Padum, nunc *Governolo*. MUR.

(803) Reotius in codicibus nostris *discrimina secli*. MUR.

(804) Cod. ant., *pariterque phalangem,* seu præsidium Mathildis regis manibus dare tractant. LEIB. In iisdem quoque codicibus habetur *pariterque*. Mantua Henrico regi data est per proditionem anno 1091. MUR.

(805) Cod. ant., *peragunt*. LEIB. Habent ita et nostri codices. MUR.

(806) *Flaminibus*. LEIB.

(807) Bar., 1091, num. 3. LEIB.

(808) Cod. ant., *tenuisses*. LEIB. Codices nostri: *prudenter portas tenuisses*. MUR.

(809) Legerem *orbis*. LEIB.

(810) Regien. cod., *consumunt*. MUR.

(811) Cod. ant., *nc*, id est *nunc*. LEIB. Nostri etiam

Decipiet vere te, seu procul ipse recedet.
Ergo cave magnum ne pax sua sit tibi damnum,
Consilium dignum cape (812), luget, o scelus, istud;
Jura licet prisca corruperis, et nova scripta;
Plange tamen pure, plebs omnis plangat in urbe;
Communi vero voto revocare studeto
Cultricem Christi, vestram dominamque Mathildim;
Hinc restaurabis leges, et honore micabis,
Urbes vicinæ laudabant te sat opime,
Ac fore secura tamen haud aliter potes unquam.

CAPUT VI.

Item de eodem rege, et eadem domina Mathildi, et de bello militum comitissæ cum rege apud Tres-Comitatus.

Rex igitur capta gaudens ex urbe relata
Pontificem falsum Cononem (813) gente Lemannum
Illic esse jubet; jam præsul Ubaldus ab urbe
Fugerat ad grandem comitissam catholicamque.
Rex terras ultra tenuitque Padum fere cunctas
Platena, Nogara (814), nisi quæ sunt oppida clara,
Hæc loca nempe fidem servavere (815) comitissæ,
Regis terrorem despexeruntque furorem;
Rex ibi non hastam potuit, neque mittere plantam,
Hac et in æstate capitur Minervia (816) sane
Hancve fama (817) cepit, nonnullis denique telis,
Quam rex possedit, nec ob hoc comitissa recedit
A zelo Petri, pro quo mala tanta recepit,
Quæ per Regensem comitatum seu Motinensem,
Ibat lætanter, proprias firmabat et arces (818);
Nullatenus certe desperans vincere regem,
Mores atque vias illius sæpius ipsa
Reperiebat ita, quod semper, quo malus ibat,
Noverat, athletas et quantos ipsa (819) tenebat.
Nam postquam magna fuit arx Minervia capta,
Tempore rex hiemis Athesis trans flumen abivit
Principibus vacuus tunc, militibus neque fultus:
Hoc didicit nempe prudens comitissa, repente
Mille viros fortes numero plus jussit ad hostem
Pergere bellandum, campi certamine tantum;
Cumque Padi latices, Athesis nec non vadasissent,
Insidiis plenus rex, ipsos octo diebus
Vitavit, tardans proprias revocando phalanges.
Traditor istorum regem dicebat eorum
Nole spatis jungi, deerat quia posse, rejungit,
Talia credentes, securi stant, et inermes;
En subito splendent regis vexilla ferentes,
Qui super hos currunt, pars cæditur utraque multum,
A turba regis miles capitur, sed inermis.
Plures evadunt, fugiunt per devia saltus;
Iste quidem pagus vocitatur Tres-Comitatus (820),
Proditor emanso (821) fuit Hugo nobilis alvo,
Hanc contra morem sed fecit proditionem,
Nam proba nobilitas non turpe scelus patrat unquam.
Tandem collecti remeavere (822) retro mœsti,
De sociis captis parvis pariter quoque magnis,
Inter quos captus Manfredus erat probus, altus
Filius Alberti. Super ipsum contio regis
Maxime gaudebat, comitissæ contio flebat,
Quæ veniens fessa, propriæ dominæ manifestat
Actus adversos, duros, nimiumque molestos,
Dulcibus et planis verbis, quos ipsa ducatrix
Solans blanditur, quo non timeant inimicum.
Vincendi bellum, perdendi denique tempus
Sic variatur, ait: Virtus prout ardua sancit.

CAPUT VII.

De obsidione Montis-belli, et de vexillo regis apud Canossam capto.

Dum transiret hiems, qua bellum cum comitissæ
Militibus fecit rex, æstas tertia venit (823),
Binas rex steterat æstates Italiæ jam,
Eridani fluvii laticem cum Junius urit,
Stipatus transit Longobardis, Alemannis,
Obtinuitque loca campestria nobiliora.
Ad montes scandit Motinenses, quos nimis ambit,

codices *nunc* habent. MUR.

(812) Cod. ant., *lungeto*. LEIB. Aperte *lugeto* exhibent msti nostri. MUR.

(813) Id est Conradum. Hunc in Mantuanam sedem intrusum, me quoque docuit datum eidem diploma ab ipso Henrico, cujus exemplar exhibent msti Annales Peregrini Prisciani in Estensi bibliotheca servati, quanquam sine data. Ibi legitur: *Henricus, divino favente clementia, tertius Romanorum imperator Augustus*, etc., *Noverit universitas, quod Cono sanctæ Mantuanæ sedis episcopus nostram adiit clementiam*, etc., Fortasse datum hoc diploma anno 1091. MUR.

(814) Illustria duo oppida, quorum unum *Platina*, nunc *Pladena*, in Cremonensi agro, dedit nobis *Bartholomæum Platinam* celebrem virum, quem *Baptistam* complures appellarunt, sed perperam, decepti a littera initiali, qua sola ejus nomen interdum occurrit expressum, uti jam evicit clariss. Cremonæ litteratæ auctor Franciscus Arisius. Alterum *Nogaria*, nunc *Nogara* Veronensi civitati subest. In charta cathedralis Cremonensis, quam aliquando prodam, Bonifacius marchio anno 1022, *curtem Pladenam* episcopo Cremonensi opponit. MUR.

(815) Servaverunt. LEIB.

(816) Est oppidum Brixiensis agri, nunc *Manerbio* supra Ostianum. Est et pagus apud Leniacum in Veronensi, *Menerbe* appellatum. Ad utrum respiciat Donizo, alii videant. Ego primum præferrem. MUR.

(817) Corrige, præeuntibus nostris codicibus: *Hancve fame*. MUR.

(818) Et quidem Mutinensis ac Regiensis ager, sive comitatus, vires præcipuas ac tutelam Mathildi præstabat. Hic enim plura quam alibi Castella et arces ad ejus jura spectabant, sive titulo allodii, sive titulo feudi variis ab Ecclesiis. MUR.

(819) Ipse. LEIB. In nostris item codicibus habetur *ipse*. MUR.

(820) Nunc *Tricontai*, qui pagus in comitatu Patavino situs dicitur in Monumentis per me congestis in antiquit. Esten. MUR.

(821) Aperte codex Regien habet *e Manso*: et sic restituendum locum jam monueram in præmemoratis antiquit. Esten. cap. 27, pag. 271, ubi libere sum fassus, *Hugonem de Manso* Atestinum principem hic indicari, qui nobilitatem sanguinis oblitus Mathildi hunc ludum lusit, si tamen Donizoni hic integra fides adhibenda. Erat Hugo Azzonis marchionis Estensis filius, et patruus Welphonis ducis, quem sibi maritum effecerat Mathildis. MUR.

(822) Cod. Regien. *remeaverunt*. MUR.

(823) Anno 10 92. LEIB.

Mox mons Maurelli (824) pugna capitur sine ferri.
Ac mons Alfredi (825) capitur certamine freni,
In quo Gerardus facundus, signifer altus
Incidit in vinclis præfati regis iniqui,
Ex cujus vinclis doluit satis ipsa Mathildis.
Qui Job tentavit, Tobiam, Deus ipse probavit
Hanc dominam, solam sancti Petri pedagogam,
Cujus amore flagrans patitur densissima flagra,
Ut quandoque sibi cameram reseret paradisi.
Hac vice rex plane solito plus exstitit acer,
Obsedit castrum Montis-belli (826), superandum
Quem putat aut telis, aut obsidione teneri,
Ingressum sed ei, nec egressum tollere quivit,
Præsidium monti confert huic contio fortis,
Cuspide quæ regem stimulare solebat inertem,
Pseudo quem Clemens tunc venit papa videre.
Cum quo plura loquens firmavit et obsidionem,
Æstatem montem circa quem perdidit omnem.
Cumque diu staret cœpit pia pars trepidare,
Atque suam pacem proceres, famulique rogare
Magnificæ dominæ crebro cœpere perite.
Hoc libuit regi tantum si facta Guiberti
Ipsi laudarent, pedibusque suis quasi papæ
Se prosternarent, faceret mox hanc ita pacem;
Hoc audire quidem nolunt aures comitissæ;
Sed volo noscatis, pacem si regis amatis,
Inquit, agam secum, justum non hoc et habetur;
Mox mediatores, regem de pacis amore
Explorant, rogitant pacem ne differat istam,
Annuit hoc tandem memoratus rex simulanter.
Ductores pacis nituntur ut ipsa ducatrix
Compleat hanc pacem, quam rex se dicit amare,
Credere quæ dictis laicorum distulis istis.
Multis accitis abbatibus, ac heremitis (827),
A Præsulibusque sacris, ait illis femina pacis :
Si fieri possit pax juste dicere poscit,
Reginus præsul, speculum quasi lux, Heribertus (828)
Cum reliquis plane faciendam confore pacem
Astruit adjungens : tribulatio temporis urget;
Mens dominæ flecti quasi cœpit in his quoque verbis.
Respondit tandem dicens heremita Joannes (829) :
Absit ne fiat! quia pax hæc est inimica
Spiritui sancto, Patri, proprio quoque Nato.
Ergo sudores amittes atque labores
Tantos, pro Christi quos nomine sustinuisti.
Ne titubes, pugna, quoniam victoria multa
De prope de cœlo veniet tibi, dante sereno
Christo pro Petri precibus, qua læta frueris.
Fructificante fide fructum generant heremitæ
B Istius verba, verus fuit inde propheta.
Nam regis pactum comitissa reliquit inactum,
Atque fidem summam servare spopondit alumna
Petri, donec ei vitam dederit Deus ævi.
Turba sacerdotum firmatur catholicorum :
Ante volunt lethum quam regis denique fœdus;
Colloquium dignum Carpineti (830) fuit istud,
Rex Montem-belli non cessans tundere bellis,
Machina succensa sua fit, prope quippe Cucherlam.
Dum geritur bellum, ruit unus filius ejus (831),
De quo rex late doluit, misitque cadaver
Veronam, pulchrum fabricatur eique sepulcrum.
Esse videns castrum rex insuperabile factum,
Per campum latum dense reboare tubarum
C Voces præcepit, discedens inde quievit.
Continuo castrum Montis-belli memorandum,
Æmiliam (832) quippe tunc rex pervenit et ipse,
Atque stetit soles paucos ibi subdolus ore,
Inde movens castra, finxit se pergere Parmam.

(824) Conterminus Monti-Bello, seu Bellio, nunc *Monte Morello*. Spectabat olim ad Mutinensem comitatum, nunc ad Bononiensem in finibus Saviniani. MUR.

(825) Et hunc in agro Mutinensi tunc situm reor. Sed castro penitus sublato nunc nomen frustra inquiras. Quid sibi velit Donizo, scribens hunc Montem (id est situm ibi castrum) captum fuisse *certamine freni*, decernere non ausim. Num *frenum* pro *equitibus* posuit? At quis locus iis ad Castrum debellandum? In Regesto msto reipublicæ Mutinensis ad annum 1188, legitur : *Juramentum Cittadinantiæ*, ut olim appellabatur, factum Mutinensibus a *Lothe*-D *rio de Monte Alfredo*. MUR.

(826) Nunc Monteveglio, seu *Montevio*. Tunc in Mutinensi agro inclusum, nunc subest Bononiensibus. Celebre autem ejus nomen fecere bella inter Bononienses ac Mutinenses sequentibus sæculis gesta. MUR.

(827) Quo nomine Donizo designat *monachos*. Si tamen malis *monachos* illos hic tantum indicari, qui arctioris vitæ genus in solitudine eligebant (erant enim multi) non impedio. Sed infra *eremita Joannes* appellatur abbas cœnobii Canusini. MUR.

(828) Hunc episcopum Regiensem non satis perspectum habuit Ughellus in Italia sacra. Fuit is Romanæ sedi obediens, ac propterea Mathildi comitissæ charus, eoque ipso tempore floruit, quo Henricus Augustus, et Guibertus, sive Clemens pseudopapa, Gandulphum ac deinde Ludovicum ad Regiensem episcopatum evexerant. MUR.

(829) Monasterii Canossini abbatem fuisse suspicatur clariss. Mabillonius, in Annal. Benedictin. ad annum 1092, neque injuria, ut dicam infra. MUR.

(830) In agro nimirum Regiensi, ejusque montibus, ubi adhuc nomen retinet *in Castello delle Carpinete*. MUR.

(831) Nomen illius, ac mortem (quod mirum) reliqui silent historici. *Eum in oppugnatione Carpineti* cecidisse scripsit Sigonius. Verum ejus mors in obsidione *Montisbellii* contigit, ut aperte nos docent Donizonis verba. MUR.

(832) Hoc est Regii Lepidi urbem, quæ *Æmilia* appellabatur, iis saltem temporibus. Attamen audiatur bulla Guiberti, sive Clementis III, antipapæ, spectans ad canonicos Regienses, ac in eorum archivo servata, iisdemque temporibus data *apud Cesenam per manum Bernerii vice Petri cancellarii anno Dominicæ Incar.* 1092, *indict.* XV; *anno autem pontificatus domni Clementis III papæ* IX *Idus Junii.* Ibi confirmat Clemens *decimam in civitate, quæ vocatur Regium, et in Martia, et omnes res quæ sunt in circuitu civitatis, quæ vocatur Æmilia.* Viden *Regium* civitatem, simulque *Æmiliam* civitatem? Idemne, an duo diversa loca fuerint, contermina tamen, alii decernant. Equidem ut *Regium Lepidi* a M. Æmilio Lepido ejus restauratore, ita et *Æmiliam* ab eodem nomen accepisse reor. Sed ejusmodi appellationis nullum apud veteres vestigium invenio. Quod est ad antiquos breviatores Donizonis, Estensis ea verba *Æmiliam pervenit* hisce exponit:

Tempus erat clarum, rediit retro Cavilianum (833),
Ac memor est factus Canossæ quæ mala passus
Sit, nudis quando planctis illic stetit, algor,
Nix pariterque pedes illius coxit; habere
Nunc ulciscendi tempus se credidit ex his;
Canossam vero comitissa, cohors sua necnon
Venerat, utque sapit regem fore Caviliani,
Militiæ partem forti dimisit in arce,
Ac partem secum tulit, it mox Bibianellum,
Semet commendans Apollonio, bene sperans
Salvari posse meritis ipsius ab hoste.
Dum fuit ad montem Jumignæ (834), densius hostes
Per Lintregnanum montem veniunt pede raro:
Hi duo sunt montes vicini, sensit abhorrens
Utraque pars strepitum, dominæ pars Bibianellum
Intrat festinans, regisque phalanx Canusinam,
Vexillo large tenso, properavit ad arcem.
A domina proceres aliquanti tunc rediere
Retro, viri regis, quos quærit (835) ducere belli
Ad pugnam, bellum renuunt hi, cum cito tendunt
Ad reliquos arcis, quos hortatur simul armis
Arreptis regi fidenter bella rependi.
Cumque tubæ magnæ reboant, abbasque Joannes [(836)
Cum monachis psalmos psallebat, cordeque sanctos
Deposcens omnes, locus ut tueatur ab hoste;
Exstitit orta satis caligo maxima statim,
Abbas orabat, pugnabat plebs memorata,
Vulneribus ferri jaculatur concio regis,
Ex populo terræ jaculatur nonnisi certe
Unus, qui multas pilo pulsaverat ulnas.
Vexillum regis gestabat natus Oberti (837),
Ad se qui rectum cum vidit tendere ferrum,
Evitans ictum lorica nimis trahit ipsum,
Nam cecidit terræ, currit quidamque pedester,
Accipiens hastam, vexillum tollit ad astra;
Vix relevatus equo prædictus marchio, retro
Ad regem, sursum qui monticulum stetit unum
Cum sociis cunctis rediit, simul ac ibi juncti
Ob nebulam grandem cum nullus viderit arcem
Rex volvit frena; Bajanum (838) tendit, habebat
Cor nimium mœstum, videt erga se quia tempus
Mutatum, libras per millia quatuor istam
Nollet habere viam calcatan, scire, nec ipsam;
Perditio signi defectum signat ab hinc, quin
Nomen ei crescit, quod dicitur officiperdi (839).
Pars Mathildis ovans Christum veneranter adorans,
Ad Phanum defert Apollonii reverenter
Vexillum regis, quod adhuc ibi constat haberi.
Hæc dum fiebant October rura colebat;
Rex una mœstus Bajani nocte quiescens
Mane Padum juxta properavit, et inde secunda
Luce Padum transit, decrescens omnibus annis.
Concio Mathildis loca de prope plana petivit,
Eridani lympham post hæc transivit et ipsa;
Terras paulatim, dudum quas nota ducatrix
Perdiderat, scutis illius denique viri
Restituunt gentes ferientes quasque rebelles,
Redditur et turris dominæ Gubernula multis
Regis de rebus honorata (840) sat, et speciebus.
Reddita non longa (841) Ripalta fuit sibi post hæc,
Augmentum magnum pia pars habet hoc et in anno.

CAPUT VIII.

De separatione Praxedis reginæ ab Henrico rege (842) *et de adventu papæ Urbani in Longobardiam.*

Augurium pejus regi quoque contigit, ejus
Flagitium prorsus sua cœpit spernere conjunx,
Quod taceat metrum, nimis hinc ne degeneretur.
Ast de regina Praxede tamen metra dicant;
Sic timet ipsa virum, dentem velut agna lupinum,
Cumque timore tremit, furtim munimina quærit
Mathildis, poscens ut eam disjungat ab hoste,
Aspiciens Debora nova tempus inesse vel horam,
Hunc ut prosternat Sisaram, clam quippe catervam
Veronam mittit, regina manebat et illic;
Privatum (843) venit, defertur, læta recedit.
Regis eam servi perdunt strepitu sine belli;
Suscipitur recte, reverenter, nobiliterque
A domina sane Mathildi, quæ quasi Rachel (844)

Et venit ad civitatem Reginam, et stetit in civitate Regina aliquantis diebus. Audi et Regiensem: *Et sic ipse imperator collectis tentoriis venit Regium,* etc. En ut *Æmiliam* ii explicant. MUR.

(833) Fulvius Azzarius in Regiensi Chronico scribit nunc appellari castrum Sancti Pauli, *San Paolo,* secus Entiam fluvium. Et quidem chartæ veteres id confirmant. MUR.

(834) Scribe: Vimignæ. Ita enim codices nostri. MUR.

(835) Quærunt. LEIB.

Habent iidem codices *quærunt.* MUR.

(836) Idem videtur ac supra memoratus *eremita Joannes.* Quod si verum, jam habes *eremitam* pro *monacho* usurpatum. Eumque Canossino Sancti Apollonii cœnobio abbatem præfuisse Mabillonius suspicabatur. Nam non longe a Canossa peractum est prælium; intus vero abbas et monachi meliorem causam Deo commendabant. Ego rem certam statuo ex charta, quæ mihi est ad manus, *Bernardi cardinalis atque domni Paschalis papæ vicarii* scripta anno 1105 ubi is *ecclesiam cœnobilem Sancti Michaelis de monte in episcopio Lunensi sitam* regendam, ordinandamque committit *venerabili Joanni Canusino abbati.* MUR.

(837) Filius nempe ejusdem *marchionis Oberti,* quem supra vidimus lib. II, cap. 3, a Mathildis militibus in prælio Sorbariensi fugatum. Infra hic idem Oberti filius appellatur *marchio.* MUR.

(838) Azzarius auctor est, indicari hic *Bebianum* castrum. Certe sequentia docent jam in planitiem descendisse Henricum, quando *mane Padum juxta properavit.* MUR.

(839) Vox desumpta ex distichis Catoni vulgo attributis. Hominem significat, qui tempus et oleum perdat. MUR.

(840) Restitue *onerata.* Ita quoque codices msti. MUR.

(841) Scribendum *non longe* ex fide eorumdem codicum. MUR.

(842) Lege Baronium, ann. 1093, 1094, 1095. LEIB.

(843) Reponendum est *privatim.* Sensus poscit, et codices antiqui consentiunt. MUR.

(844) Scribe *Jahel.* Ita quoque scripsit Donizo, ut msti testantur, et historia exigit. MUR.

In Sisaræ magnum nunc fixit tempore clavum.
Crescit ob id felix Christi victoria plebi,
Ecclesiæque duci, pastori scilicet urbis;
Hanc rem reginæ missi referunt comitissæ:
Hoc quicunque scelus cognoscebat fore verum,
Spernebat regis sectam pariterque Guiberti:
Partibus in cunctis pars Petri maxime surgit;
Dux bonus Urbanus factis et nomine clarus
Esse triumphandi tempus de principe Rabin (845)
Percipiens, Romam dimittens venit ad oras
Longobardiæ cum consilio comitissæ,
Quæ suscepit eum, sanctum penitus quasi Petrum.
Pontificis dextra benedicitur ista potestas.
(846) Tunc pastor sanctus synodum (847) celebra- [vit, et annus
Christi millenus nonagenus quoque quintus,
Primus erat mensis, cum nascitur humor in herbis;
Ore sacerdotum damnantur facta malorum
Ac hæresi papæ Guiberti scilicet archæ,
Regis et Henrici domini quia sunt inimici,
Adfuit his dictis Praxedis, et ipsa Mathildis;
Catholicos plene benedixit papa fideles;
Hanc synodum sanctam Placentia continet ampla.
Expleta synodo dominæ, quam sæpe recordor,
Papa valedixit, clericis comitatus abivit
Per multas urbes, curans convertere plures;
Gallia quem patrem suscepit maxime chare.

CAPUT IX.

De obsidione Nogaræ.

Vilior effectus solito mage rex, velut exsul,
Quid faciat nescit, nec nocte dieque quiescit;
Fronte carens, tandem resilire putavit, ut ante
Civibus accitis secum Veronensibus, ivit,
Vallavit castrum Nogaræ forte vel amplum:
Hoc discunt aures Mathildis, novit ut autem
Mox accersitos Motinenses (848) corpore firmos,
Eridanum transit, quam tunc Gubernula gratis
Suscepit noctu; sed non regem latet hoc, nec
Exsanguis (849) factus, qui rex nimis et stupefactus
Se mox inde movens in eadem nocte, timore,
Quo Deus Assyrios quondam stupefecit iniquos,
Quando Samariam circumdederant fere dira
Pervalidaque fame (850), fore victam non titubarent,
Surgunt nocte tetra tremefacti, vascula, frena,
Diversas vestes, obliti sunt simul enses,
A Longe secedunt, urbs divitiisque repletur.
Ipse Deus regem fecit trepidare repente
Istum Mathildim fugiendo, nocte reliquit
In castris vasa, seu frena, capistria sana (851),
Castrum Nogaræ comitissa (852) gliscit amare:
Mane recepit eam, vehementer ut esuriebat,
Cum proprio cœtu ceu Judith ipsa beetur
Non semel hæc regem necat ut Judith Holofernem,
Crebro sed impellit, sibi muscipulas quoque tendit,
In quibus ille cadit, se quando cavere putavit.

CAPUT X.

Quid in Galliis papa Urbanus lucratus est, et de reversione sua ad Italiam.

Urbani (853) Galli papæ Petri quasi sancti
Dicta receperunt, et ei bona multa dederunt.
B Verba salutis eis dabat hic pastor vice Petri,
Nam docuit summus pater illos ire sepulcrum
Ad Domini nostri, locus ut purgetur, et hostis
Inde repellatur populus paganus amarus.
O fidei semen bona germina quot modo præbes
Cum rutili flores refluunt pastoris ab ore,
Et pariunt fructus Domini dignanter in usus!
Nam genitor charum pro Christo linquere natum
Et genitus patrem cœpit dimittere plane,
Atque vir uxorem contra dimittere morem,
Sexus uterque Deo gliscit parere sereno.
Certatim currunt Christi purgare sepulcrum,
Francigenus cunctus populus, de quo fuit ortus
Urbanus pastor, præsertim pergit ovando.
C Cumque duos annos fecisset ibi fere pastor,
Italiam rursus rediit, fuit atque locutus
Miti Mathildi, quæ domni verba magistri,
Præsulis ac summi, mentis dulcedine sumpsit,
Quam pater absolvens, benedixit eam super omnes,
Atque vale dicens sibi, Romam tentat abire,
Ut cathedram Petri purget, quam prava Guiberti
Sessio polluerat, per longum tempus habebat
Corruptam legem canonum, pariter quoque regem,
Urbanus rhetor (854) velut ambierat; prius ergo
Romanam sedem mundavit ab hoste, celebre
Illius nomen crescebat, maxime Romæ,
Plebs suscepit eum, pepulit Romana Guibertum;
Ejectus nempe foris Urbem, stare Ravenna (855)
Assidue cœpit, mortem suus Oddo (856) recepit,
D Propter papatum non liquerat hic dominatum
Ravennæ, credens quandoque linquere (857) sedem.

(845) Rasin. Leib. Utique sphalma; restituendum tamen non *Rasin*, sed *Jabim*, ut habent msti nostri, rex nempe a Josue profligatus, cap. XI Josue. Mur.

(846) Baron., ann. 1095. Leib.

(847) Scilicet Placentiæ anno 1095, cujus canones refert Labbeus, tom. X. pag. 503 Concil. Mur.

(848) Mutinæ comitissa fuisse creditur Mathildis, ut ejus quoque majores fuerant. Sunt etiam, quæ me in hanc sententiam impellant. Jure eodem aliis quoque civitatibus eamdem præfuisse censeo. Cum vero in singulis residere non possent hujusmodi multarum urbium comites, vicecomitem in iis dimittebant. Mur.

(849) Lege cum codicibus nostris: *nunc exsanguis*. Mur.

(850) Msti, *prævalidaque fame, fore victam nec titubarent*. Mur.

(851) Cod. Regien., *capistria sane*. Mur.

(852) Idem codex *comitissam*. Mur.

(853) Baron. ann. 1095, num. 49. Leib.

(854) Lubentius legerem *rector*. Acta sunt hæc anno 1096 et 1097. Mur.

(855) Scribe *Ravennæ*, ut habent msti nostri. Mur.

(856) Nempe ille idem episcopus Bajocensis, quem supra memoravit, lib. II, cap. 3. Mur.

(857) Et prosodia poscit, et msti codices nostri legunt hic *quandoque relinquere*. Ante usurpatam Petri sedem Ravennati Ecclesiæ præerat Guibertus, neque postea ullum in ea archiepiscopum statuit, ut si male sibi fortuna cederet, vacuam adhuc repeteret cathedram. Rubeus in Historia Ravennate idem tra-

CAPUT XI.

De recessu Chonradi ab Henrico patre suo, et de morte papæ Urbani.

Petre Pater, præsto precibus dictantis (858) adesto,
Ut doceas sensum nostrum componere versum (859),
Unam dictemus plagam, qua rex superetur.
Francigenas partes Urbanus dum peragraret
Longobardiæ stabat rex hactenus ille;
Cui fortuna vetat ferat ultra ne diadema,
Egypti regem, quæ perculit ultima regem,
Istum plaga ferit, primogenitus sibi cedit,
Mortuus Ægypti primogenitus fuit; isti
Non obiit, vivus sed ei gravis est inimicus
Factus, ob ejus opus, quod erat nimium scelerosum.
Chonradus (860) dictus fuichic de chrismate tinctus,
Ingenio pollens, genitorem prorsus abhorrens,
Se dominæ largis Mathildis subdidit alis.
Quæ veluti dignum valde charumque propinquum,
Mox suscepit eum laudans, ut rex vocitetur
Illius tractat patrem, sic Esther ut Aman,
Abstulit uxorem sibi primitus, et modo (861) prolem.
His motus damnis septem stans insimul annis (862)
Italiæ, regnum Gallorum visitat exsul,
Sic procul ejectus Chonradus filius ejus,
Cum domina stabat jam supra commemorata,
Consilio cujus pulcher juvenis, rubicundus,
Ac prudens vere, Siculam duxit mulierem (863)
Rogerii natam ducis, huic juveni quoque papa,
Credere si vellet sibi, regem non vetat esse.
Non erat hic rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Ut cervum serpens hæresum sic turba timet quem;
Cuncta sibi prava subduntur dogmata falsa.
Nunquam decrevit (864) libertas denique sedis
Romanæ per eum, sanctum peramat quia Petrum;
Aureus antistes color optimus exstitit iste,
Scilicet Urbanus sanctis merito sociatus,
Talem væ Romæ cum perdidit opilionem.
Mortuus est Romæ digno conditus honore,
Julius ipse dies binos cum dat prope finem
Anno milleno, nonagenoque noveno
A Nato celso de prima Virgine Verbo.

CAPUT XII.

De electione Paschalis papæ, et de prava Guiberti morte.

Post quem papa bonus laudatur religiosus
A Valde Paschalis, consecratur quoque statim,
In verbis planus, per Romam prorsus amatus,
Dans agapem grandem, nutriens inopes, tribulantes.
(865) Dogmate pro Christi certanti porro Mathildi
Signatos apices benedicentes sibi mittens,
Illos ut mores teneat, monet, anteriores,
Quos docuere Patres ipsam vehementer amantes
Simplicitate Pater sancti Jacob patriarchæ,
Paschalis regitur, secum neque subdola vivunt.
Planitiem cujus didicit Guibertus homullus,
Mox Antichristi sedem sibi tollere gliscit;
Qui Sutrium venit, cives seducere cœpit
Romanos, parvos pretioque nimis (866) simul altos;
Atque viam domini Petri (867) faciebat hic hostis
Custodire, viros spoliare jubens peregrinos.
B Hic per viginti tres annos denique Christi
Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus,
Dum potuit multos animos seducere stultos,
Destitit infelix nunquam, nec (868) corpora lædit,
Illius magnus mundus jam despicit actus.
Ecclesiæ cunctæ Petre jam præbe promoconde (869).
Iste senex ut hebes homines sinat esse fideles.
Post annos binos Urbanus erat quod ab isto
Sæclo portatus, cœlique choro sociatus:
Iste dolore gravi tactus Guibertus inanis
Mortuus est secum portans anathema per ævum;
Propterea cœli populus, pariterque fidelis,
Exsultentque boni, periit quia perditionis
Filius, ut surgat similis non det Deus unquam.
C Dictator quidam de quo metra protulit ista:
Fletibus et lacrymis esses, Guiberte, dolendus,
Fletibus et lacrymis si forte fores redimendus.
Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
Quam mors non potuit de perfidia revocare.
Non est consilium quod possit vivificare,
Ad se quem sprevit Deus in finem revocare.
Vivens et moriens nobis exempla dedisti,
Quod membrum Satanæ non sit de corpore Christi
Non Dominum, sed dæmonium, vivens habuisti;
Non Dominum, sed dæmonium, moriens habuisti.
Ergo satis claret quod qui tua facta sequentur,
Pro simili culpa simili gladio ferientur.

CAPUT XIII.

De obitu Chonradi regis et obsidione Ferrariæ.

D Scribere res gestas cum non sit res inhonesta;
Carmen adesto meum sic, ne promas nisi verum.

dit atque confirmat. Et revera in Actis ad Ravennatem sedem spectantibus ille *se Wibertum archiepiscopum* inscribebat; in pontificiis vero, *Clementem*. MUR.

(858) *Dictantis*. LEIB.

Nostri quoque codices exhibent *dictantis*. MUR.

(859) Regien. codex habet *rursum*. MUR.

(860) Anno 1093 ab Henrico patre defecit Chonradus, et rex Italiæ salutatus fuit. MUR.

(861) In cod. Reg., *ut modo*. MUR.

(862) In Italiam descenderat Henricus anno 1090, atque inde anno 1097 discedens Germaniam repetiit. MUR.

(863) Nempe Mathildam, cujus genitor fuit Rogerius, dux, sive comes, Siciliæ et Calabriæ. Has nuptias abbas etiam Uspergensis commemorat, ignorasse autem videtur doctissimus vir Rocchus Pirrus in chronologia regum Siciliæ. MUR.

(864) A *decresco* : hoc est, nullum detrimentum passa est libertas Romanæ sedis, Urbano II in eadem sedente. MUR.

(865) Baron., tom. XII, ann. 1100, num. 7. LEIB.

(866) Ms. cod. Regien., *pretioque, minis,* videlicet tum pecunia, tum minis. MUR.

(867) Idem cod., *dompni Petri,* hoc est *domni*. MUR.

(868) Cod. ant., *nunc*. LEIB.

Habent et nostri codices *nunc*; nempe quia sublatus e vivis. MUR.

(869) Id est *claviger*. LEIB.

Infra Chonradus Longobardos comitatus,
Dum staret discors a Mathildi (870) fuit ipso
Tempore, duravit modicum discordia talis :
Nam petiit partes Tuscanas rex, ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram;
Ad pacem firmam rediit bene cum comitissa.
Post istam pacem febre tactus. Julius autem
Mensis erat magnus, moritur Chonradus, et annus
Tertius, Urbanus quod transierat memoratus (871).
Ejus habet corpus Florentia florida prorsus.
Post hanc æstatem libet autumnum memorare.
Qui venit, duros in quo Ferraria muros
Obsessos sensit, fuerat quia facta rebellis
Ipsa ducatrici, nec ei servire cupivit,
Contra quam gentes numero sine duxit et enses,
Tuscos, Romanos, Longobardos galeatos,
Et Ravennates, quorum sunt maxime naves
Circumstant equidem multæ maris atque carinæ
A duce præclaro transmissæ Venetiano (872).
Considerans demum Ferraria, ne superetur,
Optavit pacem magnæ Mathildis amare,
Vincere cui vivos est semper mos inimicos.

CAPUT XIV.

Quod papa Paschalis ob piam tutelam dominæ Mathildis direxerit (873) *in Longobardiam venerabilem cardinalem Bernardum.*

Auxilio Petri jam carmina plurima feci,
Paule, doce mentem nostram, nec metra (874) referre
Quæ doceant pœnas mentes tolerare serenas.
Pascere pastor oves Domini Paschalis amore
Assiduo curans, comitissam maxime supra
Sæpe recordatam Christi memorabat ad aram;
Ad quam dilectam studuit transmittere quemdam
Præ cunctis Romæ clericis (875) laudabiliorem,
Scilicet ornatum Bernardum presbyteratu,
Ac monachum plane, simul abbatem quoque sanctæ
Ambrosiæ Vallis (876). Factis plenissima sanctis
Quem reverenter amans Mathildis, eum quasi papam
Caute suscepit, parens sibi mente fideli;
Qui vir cœlestis tantum cœlestia verbis
Et factis monstrans exempla dabat bona coram
Omnibus, et dignum fructum Domino genuit tunc,
Illius nomen ducebatur procul ore
Multorum, cujus populus de nomine fultus,
Urbis Parmensis pars major cum vehementi
A Voto devote sanctum petiit seniorem,
Pergeret ut Parmam multis erroribus atram,
Quos procul errores Pater hic depelleret ore.
Annuit his dictis, cum consilioque Mathildis,
Speque fide fulgens clericis comitatus ad urbem
Perrexit; sanctæ dormitio Virginis, atque
In medio mense, qui sextus noscitur esse,
Tunc celebrabatur, quo festo Parma beatur;
Majus ibi templum Mariæ nomine fertur,
In quo plebs tota Christum Parmensis adorat.
Virque placens Christo patiens Bernardus in ipsum
Introiit phanum, missam cantare paratus,
Verba volens regni populo narrare superni.
Missam devote pro festi cœpit honore,
Post evangelica plebi retulit sua verba,
B Quæ propter regem nonnullis displicuere.
Dum calicem sancta vir mitis ponit in ara
Supplicet ut Christum pro cuncta plebe benignum.
Hinc clamor multus, vulgi sonuitque tumultus
Nam blasphemias cœpit depromere diras,
Adversus Christum ceu Judæi crucifixum;
Plures dicebant : Moriatur pseudopropheta!
Clamabant multi : Seductor corruat urbis (877)!
Hic, aiunt, intus regis stet non inimicus!
Enses denudant, mulierum vox sonat una :
Si sinitis vivum, regem perdetis amicum,
Non vivus vadat, cupitis si vivere, clamant.
Vitrea vasa cadunt, hastis franguntur in altum
Erectis, longe Patris socii simul omnes
C Fugerunt, abbas Thebaldus (878) maximus astat
Cum Patre solus ibi; cervicem monstrat, et infit :
Cæde meum collum, mortem gratanter hic opto.
Mox frameam quidam per collum traxit ob iram
Illius, parvum sibi fecit vulnus et arctum.
Intrepidus stabat læta facie super aram
Christi Bernardus patiens, sapiens, venerandus
Cum vidit vulgus ridere suum quasi vultum,
Clamavit dicens : Speciem Zabuli gerit iste;
Tollatur statim, tundatur carcere, flagris!
Injecitque manum super ipsum, cujus (879) avarus
Et foris asportant, heu! missa relinquitur orta.
Non Dominæ magnæ dormitio Virginis almæ,
Non altare Dei, sed nec reverentia Petri
Terruit hanc gentem Pharisaica facta sequentem,
Capellam totam, quam præbuerat pretiosam

(870) Discordiæ causam veri videtur simile ab ipsa Mathilde processisse, uti jam monui in Antiquit. Esten. cap. 4. Nempe illa, quandiu Chonradum sibi utilem credidit, eum quoque coluit ac honoravit. D Ubi vero Henricus ejus pater pene dejectus fuit, nunc decrevit apud Mathildem Chonradi gratia atque auctoritas. Vide Landulphum a Sancto Paulo synchronum in Hist. Mediol., tomo IV Rer. Italic. MUR.

(871) Ann. 1101, non abfuisse veneni suspicionem Uspergensis notat. LEIB.

(872) Hoc est Vitali Michaele, cui quasdam immunitates ac privilegia in civitate Ferrariensi concessit Mathildis; ut Veneti historici tradunt. MUR.

(873) Cod. Regien., *direxit*. MUR.

(874) Lege cum codicibus nostris *nunc metra*. MUR.

(875) Fuit enim Bernardus iste S. R. E. cardinalis. Habent et nostri codices « abbas Vallis *Ambrosiæ*, » cum tamen *Umbrosæ* scribendum sit. Unus epitomator Regiensis antiquus Ms. habet; *qui fuerat abbas Vallis Umbrosæ*. MURAT.

(876) Vallis Umbrosæ. LEIB.

(877) In Regien. cod., *orbis*. MUR.

(878) Cujus cœnobii abbas fuerit incertum hactenus. Mihi pene certum videtur fuisse *Thebaldum abbatem monasterii Brixellensis Sancti Genesii*, ad quem supra innui, lib. I, cap. 18, datum diploma comitissæ Mathildis. Congruunt ætas ac vicinitas loci. *Thedaldum* appellat Bacchinius, *Thebaldum* vero Azzarius. MUR.

(879) Cod. antiq., *civis*. LEIB.

Nostri quoque codices *civis avarus*. Tum cod. Regien., *et foris asportat*. Antiquus breviator Bibliothecæ Estensis : *Unde unus de civibus avarus in-*

Huic domno digno comitissa Mathildis, in ipso
Templo confestim rapuit plebs pessima, fregit.
Nuntius e multo vicino, mane secundo,
Scilicet ad grandem comitissam venit, et hanc rem
Notificavit ei, quæ dans suspiria flevit,
Atque sui fortes athletæ jussit ut omnes
Adversus Parmam deferrent insimul arma,
Fines tunc nempe retinebant hanc Motinenses.
Ut volucer velox cito pergens hæc pia vero
Parma die terna prope sensit eam timet, ex qua
Nobilibus vasis (880) illius reddere statim
Injuste captum studuit supratitulatum,
Et dominæ cunctam capellam reddidit, ultra
Non aliquid retinens, vitare pericla requirens,
Quæ non vitasset, nisi vir patiens adamasset.
Civibus indulsit comitissa Mathildis, et urbi
Jussu Bernardi, cujus pietate remansit,
Mille Dei nati tunc centum quatuor anni.

CAPUT XV.

De obitu regis Henrici tertii (881).

Dictus jam dudum rex quo sit fine solutus,
Scilicet Henricus, volo mundi discat amicus,
Cum scierit, noscat faciendum quid sibi constat.
Rex suprafatus vivens erat illaqueatus
Actibus in pravis, semel at se dissimulavit
Converti, pleno quod fecit corde veneno,
Schismaticos semper coluit tenuitque libenter;
Hinc exardescens minor ejus filius (882), enses
Elevat adversum genitorem, tollere regnum
Quærit ei, duram secum committere pugnam
Non piguit campi, quem bellando superavit,
Mœstitia multa per totum tempus abundans,
Undique confossus, quassatus, et undique tortus;
Mortem non sperans demum, tamen ipsa catena
Mortis eum strinxit; rapuit de corpore tristi,
Augusti quarto defungitur Idus in anno
Christi milleno centeno denique seno (883)
Ad templum Spiræ dormit, quod struxerit (884) idem.

CAPUT XVI.

Congrua exhortatio Paschali papæ.

Petre (885), Paule, duces orbis, caput omnis in Urbe,
Insectatores vestri ducatus homones
A Penna corvina loca jam peragrant peregrina.
Hæc alba penna, vos papæ mittite verba :
O pastor rector Paschalis summe sacerdos,
Hæc meditans (886) tracta, prudenter duc tua facta
Ecclesiam Christi de regno mortis abyssi
Ereptam gaude, stet ut, aspice, libera caute :
Illius pacem non ulterius violare
Ullus præsumat, caveat pater hoc tua cura.
Velle tuum firmum super illum stet crucifixum.
Qui semet morti pro sponsa subdidit hosti.
Tu cui commisit Christus, sponsamque reliquit,
Prospice perfectam (887) commendatam tibi semper
Reddere festina sponso sponsam sibi dignam.
Ferto prius mortem, male quam violetur ab hoste,
Nullus eam raptor rapiat tibi, nullus amator
B Falsus seducat blande virtute nec ulla.
Scit Dominus Christus quia si steteris bene firmus,
Libertas sponsæ nunquam minuetur ab hoste;
Omnis nec Roma (888) sub te, regnique coronam,
Nemo ferre valet, tribuas nisi tu sibi plane,
Qui gestabit eam sine te (præceptor habenas
Tu regis atque tenes) vacuus poterit remanere (889),
Dum falsus quidam sponsam lacerare benignam
Non timuit, tecum plures vigilare studerent (890).
Inter quos prompte Mathildis, filia sponsæ,
Pervigil et fortis, perversos sæpe remordit;
Fervida bella nimis cum rege potenter inivit,
Nam per triginta duravit tempora firma,
Nocte die bellans regni calcando procellas.
C Finis adest guerræ, requiem rogat ut sibi præstes.
Si tibi crescet opus, nunquam deerit tibi robur
Et vis, et agnosces (891), quia Petri non amat hostes.

CAPUT XVII.

De adventu papæ Pa schalis in Longobardiam et in Gallias.

Post obitum regis prætaxatique Guiberti,
Ecclesiæ sanctæ pax cœpit crescere valde,
Errores cessant, redeunt et vera neglecta :
Adversus papam, contra sedemque beatam
Ausus nullus erat consurgere, sed reticebant;
Optabant omnes ut pergeret ipse per orbem
Corripiens, solvens, medicans contagia, sordes.

jecit manum super dictum cardinalem, et foris de dicta ecclesia eum asportavit. Mur.

(880) Corrige ex fide codicum nostrorum : *Nobilibus vassis.* Nempe vassali nobiles, quibus feudum aliquod committebatur, seniori suo, cum bellum instabat, se adjungere solebant, et pro suo munere opem ferre cogebantur; qui mos adhuc perdurat. Mur.

(881) In nostris codicibus habetur tantum *regis Henrici.* Certe regem appellans rectius appellasset *quartum quam tertium*; nam is inter Augustos duntaxat tertius est numeratus. Mur.

(882) Henricus scilicet, quintus inter Germaniæ reges, cujus facinora perquam nota. Mur.

(883) Regien. cod., *denique quinto.* Atque ita scripsisse Donizonem, suspicari possumus, cum Epitome Estensis ac Leibnitiana, Henrici IV mortem ex ipso Donizone statuant in *millesimo centesimo quinto.* Verum extra omnem dubitationem positum est, Henricum concessisse e vivis anno 1106, et in re, quæ Donizone vivente omnium aures implevit, vix ille errasse credendus. Quare *seno* retinendum atque ita ab illo litteris traditum æquius existima-
D bimus. Mur.

(884) Lege cum cod. nostris *quod struxerat.* Mur.

(885) Rectius in nostris mstis : *O Petre.* Mur.

(886) Iidem codices : *Nunc meditans.* Mur.

(887) Cod. Regien., *perfecte.* Mur.

(888) Romam. Leib.

Nostri codices, *nunc Roma.* Et nihil aliud immutandum, sensu absoluto ac aperto. Nempe : *Nunc tota Roma sub te est*, regnique coronam nemini gestare, sibive imponere licet, nisi tu tribuas. Ubi vides Romani pontificis prærogativam in electione et confirmatione Augustorum. Mur.

(889) Cod. Regien., *poterit remeare.* Mur.

(890) *Studebunt.* Leib.

Habet idem codex *studerunt.* Mur.

(891) Cod. antiq. : *Ejus et agnosces quia* (quod) *Petri non amat hostes.* Leib.

Consonant cum Vaticano codices etiam nostri, in queis lego : *Ejus, et agnosces, quod,* etc. Mur.

Tale videns tempus Paschalis papa verendus,
Exiit a Roma, quem plebs satis omnis honorat;
Longobardiam devenit ad hanc comitissam,
Cui venerare patrem jugiter mos exstitit alte.
Hæc est Mathildis, quæ gaudens obviat illi,
Lætitia multa papam suscepit abundans;
Omnibus ipsa bonis, regni decus est et honoris.
Juxta tuncque Padum tenuit (892) synodum memora-
Papa, suum missum direxit natus ad ipsum [tus
Defuncti regis, quærens ut jus sibi regni
Concedat, sedi sanctæ cupit ipse fidelis
Esse velut matri, subjici sibi vult quasi patri.
Regis legati pater almus verba beavit.
His aderat dictis cum multis alta Mathildis,
Quæ laudans regis pia missi verba petentis,
Responsum patris cum cunctis magnificavit.
Tunc veniunt cives Parmenses, Pontificisque
Summi devote quærunt reverenter amorem,
Ut tribuat Parmæ pastorem corde rogantes.
Pontificem Parma petit illum, quem spoliarat
Olim, Bernardum monachum valde venerandum,
Ecclesiam Parmæ Mariæ virginis almæ,
Urbs eadem patrem rogat hunc, ut nec (893) quoque
Lætatur papa quod filia, pessima Parma [sacret.
Dedita nonnullis erroribus, insita nugis
Ad gremium dignæ matris rogat ipsa redire.
Tunc erat et mensis qui scindit rura juvencis,
Annus millenus centenus sextus habetur (894).
Castrum Guarstallæ (895) synodi locus exstiteratque.
Inde Pius papa discedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quæque rogarant:
Nam sacravit ibi templum (896) Christi Genitricis,
Dans ibi decretum, ne subjaceat nisi Petro
Clavigero cœli, simul ipsius quoque sedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aspiciendum,
Donum tale dedit placuit quod maxime plebi.
Pontificem sacrans Bernardum tunc ibi papa,
Jussit eum papæ vice sancti degere Parmæ.
Hincque valedicens dominæ sæpissime dictæ,
Francigenos fines petiit venerabilis idem,
Fructificans multum spatium per temporis; unum
Illinc post annum rediit retro pastor amandus,
A Ejus ad obsequium Mathildis mox reperitur,
Prompta loquens: secum Romam rediit cito præsul.

CAPUT XVIII.

De legatis, et de primo adventu quarti Henrici regis in Italiam.

Rex novus exaltans, tendensque suas procul alas
Bellando terras superabat, et inclyta regna.
Quartus hic Henricus prudens est, calliditatis ami-
[cus (897),
Qui contra Petrum sanctum fore ne videretur
Mille decem centum Christi dum tempora crescunt
Pontifices magnos, comites direxit et altos [(898)
Magnificam Romam pro regni quippe corona.
Filius esse Petri si vult rex atque fidelis,
Papa, dabo Romam, respondit, eique coronam.
B Dum redeunt isti, seu perrexere, Mathildis
Ipsos suscepit, dedit illis plurima; læti
Ad juvenem regem postremum qui rediere:
Ipse manum fortem coadunans mox in eodem
Scilicet anno, cum multis galeatus in ortu
Autumni venit, Longobardosque peremit,
Ardens, devastans illorum maxima castra,
Urbes munitas ejus perterruit ira,
Urbs ipsi gestit fieri Novara rebellis,
Flammis suscendit quam, muros post quoque fregit.
Aurea vasa sibi, necnon argentea misit
Plurima, cum multis urbs omnis denique nummis.
Nobilis urbs sola Mediolanum populosa,
Non servivit ei, nummum neque contulit æris,
Italiæ nulla comitis domus, aut ducis ulla
C Reperiebatur, de qua rex prætitulatus
Multum curaret, quia quibat eas superare.
Sola Mathildis erat, quæ regem semper habebat
Exorsum (899) multum certaminibusque repulsum.
Arcibus in claris stabat tunc ipsa ducatrix,
Ultramontani proceres multi quoque clari
Ad quam venere, miraturi mulierem.
Pace laborabat pro cujus rexque flagrabat:
Usque Tari ripam venit rex pace petita.
Tunc valide docta linquens comitissa Canossam,
Forte vel excelsum pervenit Bibionellum (900).
Regis cum missis magnis ibi plurima dixit,

(892) Baron., ann. 1106. LEIB.

(893) Cod. antiq., *nunc.* LEIB.

Legitur quoque in nostris codicibus *ut nunc.* MUR.

(894) Baron., ann. 1106, num. 41. LEIB.

(895) Ut omnes norunt, nunc *Guastalla.* Ideo vero appellata *Guarstalla,* quia vox contracta ex *Guardastalla,* sive *Wardistalla,* quemadmodum antiquitus appellabatur. Azzarius in Hist. Regien. msta oppidi hujus constructionem tribuit Beatrici matri Mathildæ comitissæ. Verum longe antiquius est. Anno 865, Ludovicus II imperator inter alia *curtem Wardistallam,* tunc pertinentem ad *comitatum Regiensem,* concessit monasterio Placentino Sancti Sixti, uti ex privilegio constat apud Campium in Hist. Placent., tom. I, pag. 459. Angilberga quoque Augusta, anno 877, eidem sacro cœnobio relinquit in suo testamento *curtem, quæ vocatur Guardastalla.* In aliis quoque monumentis mentio ejusdem occurit. Est autem Langobardica vox, sive quod idem est Germanica, composita ex *Warda,* D scilicet *custodia,* et *stallum,* quod est *sedes* et *statio.* Italice diceremus *Guarda-Sito.* Nempe ibi, ut conjicio, militum erat statio, et custodia ad Padi fluminis viam tuendam. Est mihi concordia anno 1102 inita inter comitissam Mathildim, et Imeldam abbatissam monasterii Placentini Sancti Sixti pro *castro et curte Wardestallæ:* unde constat ibi dominatam fuisse Mathildim. MUR.

(896) Sacravit et Mutinæ hoc eodem anno 1106, præsente ipsa Mathilde, et ingenti solemnitate: quod memorandum quoque erat Donizoni. Acta dedicationis majoris templi Mutinensis, a synchrono scriptore litteris mandata, huic nostræ collectioni suo loco addam. MUR.

(897) Redundat. LEIB.

(898) Baronius, ann. 1110. LEIB.

(899) *Exosum.* LEIB.

(900) Scribe *Bibianellum,* nunc *Bianello.* Ita quoque msti codices. MUR.

Et de pace loquens, de regis honore suoque,
Utraque pars tandem pacem laudavit eamdem,
Sed contra Petrum non promisit fore secum.
Francigenam stratam (901) tenuit rex, pace paracta,
Transivit certe tunc incipiente Decembre.
Montem Burdonis (902) Tuscanæ fluxit (903) in oris,
Gens trepidat cuncta, nummos sibi datque tributa,
Ceu Longobardi, sic Tusci sunt tremefacti,
Cum Florentinis (904). Celebravit denique Christi
Natalem, densas plebs hæc sibi contulit escas.
Urbis Aretinæ muros ruit, ussit et igne.
Idus in quarto Februi Romæ fuit, almo
Paschali papæ mandans, quia vult venerare
Ipsius jussum, nec episcopium cupit ullum
Vendere, præbere nisi dux pius ipse juberet.
Exsultat Roma concurrens undique tota,
Papa, sacerdotes, levitæ, plebs ob amorem
Regis, majores, juvenes, pariterque minores,
Femineus sexus, monachi, monachæ quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine sumptis,
Antiquo more processio regis honore
Facta fit extensa (905) nummis eis cooperta.
Intrarunt templum sancti Petri reverendum,
Rex altare petens humilis satis, et bene clemens
Ibat per scalam pedetentim, crura plicabat.
Ad summum scalæ sua porrigit oscula papæ;
Investituram (906) super aram construit unam
Ecclesias nummis quod nunquam venderet ulli,
Non investiret, jubeat nisi papa benigne;
Hincque triumphabat plebs, clerus, maxime papa,
Cumque parat papa dare regi quæque rogarat,
Ut veniat, mandat, rex distulit, abdita tractans:
Nam Zabulus, priscus hominum seductor iniquus,
Invidia fervens de regni pace, repente
Perfidiæ semen jaciens, turbare fideles
Diligit ardenter, sunt quæque statuta decenter,
Mox elisa nimis fiunt; rex sic quoque dicit:
Priscorum morem cupio regumque decorem,
Nolo det ut solam mihi domnus papa coronam,
Anulus et fustis per me detur volo cunctis
Præsulibus nostri regni, ceu mos fuit olim.
Hoc sibi nequaquam voluit concedere papa,
Ducere quem fecit rex, hospitioque recepit.
Nox accedebat cum talia rex faciebat,
Pontifices, cives plures capiuntur ibidem,
Atque cruces sanctas rapiebat gens Alemanna.
Ebria gens ista nescit Christi pia dicta;
In lacrymas lætis (907) vertuntur gaudia pacis.
Nocte cohors cuncta simul est Romana locuta,
Surgunt mane spatis, clypeis et equis phalerati,
Concutiunt hostes Alemannos, corpore fortes
Cædunt, occidunt et eos penitus quasi vincunt.
Sed flagrant erga nimis horum quippe Tabernas (908),
Insimul ex armis et denariis onerati
Plus adamant nummum, quam bellum vincere [sumptum,
Longobardorum nimis est rex tutus hic armis,
Ipsum circumdant, Romanis viscera truncant,
Rex eques electus celeri (909), quo nemo repertus,
Astitit ipse suis, cives contrivit et Urbis,
Interitu quorum facto nimio populorum
Romani cœptum perdunt miserabile bellum.
Rex vero papam tenuit, vi pace negata.
Cum reliquis captus Parmensis erat venerandus
Bernardus præsul, Christi de dogmate plenus,
Atque bonus senior (910) Reginus episcopus, illo
Simplicior credo reperitur nemo sacerdos.
Pro quibus audacter vir facundissimus, atque
Nobilis Arduinus (911) Longobardusque peritus,
Atque fidelis vir missus dominæque Mathildis
Alloquitur regem pactum memorans comitissæ.
Continuo quos rex sinit ire Mathildis honore.
Rumor erat mundo de capto præsule summo,
Qui, propter cives, quos secum ceperat idem

(901) Scilicet *Æmiliam*, quam nos *Claudiam* appellamus. Eam vero hoc nomine donabant, quia recta in Franciam, sive Gallias, perducebat. MUR.

(902) Ita quoque msti codices. Verum antiquiores *montem Bardonis* appellare consueverunt, per quem a Berceto transitus in Tusciam habetur per Pontem Tremulum, nunc *Pontremoli*. MUR.

(903) *Oris*. LEIB.

(904) Conjunge hæc sequentibus. Breviator Estensis mstus ita legit : *Et celebravit prædictus rex in civitate Florentiæ Nativitatem Christi*. Paria habent epitomator Regiensis, et Leibnitianus, ut omittam Annales Hildeshemenses, aliasque Historias. MUR.

(905) Quid hic sibi velit tenebricosus Donizo, interrogabis. Significat, si quid video, processum populi extensum fuisse, et nummos jussu Augusti projectos super ipsum populum, ita ut veluti imbre cooperiri viderentur, teste Ottone Frisingense, Henricus V *Cives* (Romanos) *muneribus sibi conciliavit*. Constat etiam aurum de more a cæteris Augustis in eorum coronatione sparsum in populum. Exempla mitto. MUR.

(906) Quæ hic habet Donizo, conferenda sunt cum iis quæ in Vita Paschalis II, tom. III Rer. Italic., et apud Dodechinum in Append. ad Marian., et apud Baron. in Annal. referuntur ad annum 4. Neque enim hæc satis cum iis concordare videntur, ac præcipua impii illius facinoris causa tacetur. MUR.

(907) Codices nostri habent, *in lacrymis latis*. MUR.

(908) Ragien. cod. præfert *Zabernas*. Atque ita scriptum puto a Donizone. *Zaberna*, teste Papia, est *arca, vel armariolum ubi vestes ponuntur, aut quodlibet aliud*. Vide Ducangium in Glossario, et Vossium De vitiis serm., lib. II, cap. 21, ad vocem *Zabyra*, qui afferunt Hariulfum et Abdiam Babylonicum eodem vocabulo usos. Itaque *Zabernas* interpretor *casse, forzieri, coffani, baulli, bolge*, atque hujusmodi, ubi Teutonica gens pecuniam ac suppellectilia recondebat. MUR.

(909) Cod. Regien., *celeris quo nemo repertus*; pro celerior. MUR.

(910) Scribendum : *Bonus-senior Reginus episcopus*. Illud quippe nomen tunc fuit Regiensi episcopo, videlicet *Bonsignore*. In Epitome Regiensi msta Donizonis appellatur *Bonsegnorius*, de quo nonnulla habet Ughellus, tom. II Ital. Sac., et plura Fulvius Azzarius in Hist. Regien. msta. MUR.

(911) Nempe, ut recte conjici potest, *Arduinus de Palude*, filius Guidonis, a quo nobilis et antiqua *comitum de Palude* familia Regii propagata dudum splenduit, et adhuc superest; ejus siquidem frequens mentio in monumentis comitissæ Mathildis apud Florentinium et Bacchinium. MUR.

Rex, metuens mortem paterentur ne simul omnes, A
Dum festum Paschæ venit, tribuit sibi pacem,
Urbem Romuleam sibi subdens, et diadema
Ipsius capiti ponens, unguit, benedixit.
Ultima lux mensis (912) primi tunc Pascha revexit,
Numinis undecimo centum post mille sub anno.
Augustus plane dedit inclyta munera papæ;
Gaudens sed fessus, nec non exercitus ejus
Exiit a Roma, Tuscanas transiit oras
Recte frena regens, equitans non extrahit enses,
Longobardorum regnum petiit spatiosum,
Illustresque duces ipsum regem preeuntes,
Valde nutriti resalutavere Mathildim.
Pergere nec Cæsar sapiens usquam cupiebat,
Respiceret faciem nisi jam dictæ comitissæ.
Cum jam cœpissent transire dies Madii sex
Ipsemet accessit, scit eam fore Bibianelli,
Teutonica lingua refert pariter sua dicta :
Non erat interpres ullus sibi quippe necesse.
Huic promisit (913) similem se rex nunquam reperire,
Cui Liguris regni regimen dedit, in vice regis (914)
Nomine quam matris verbis claris vocitabit (915);
Tresque dies secum faciens firmum quoque fœdus
Omnino lætus, crescens jugiter quasi cedrus,
Ivit cum magnis ultra montes Alemannis.

CAPUT XIX.

Quo timore Mantuani ad fidelitatem dominæ Mathildis redierint.

Gloria, Christe, tibi cujus virtute Mathildis
Ex toto victrix manet omnibus ex inimicis,
Nam proceres plures comites superavit et urbes;
Regem (916) contempsit, cum secum prælia gessit,
Marchia (917) nolendo sibi paruit atque volendo,
Mantua crudelis sibi devetat esse fidelis,
Annos viginti per quatuor atque reliquit,
Quod sibi non servit, sed proditione superbit.
Protulit edictum quocirca maxime dirum
Rex scriptus supra, quod sprevit Mantua dura.
Qui staret quanquam cum forti gente Lemanna (918),
Cessat legatos tamen haud sibi mittere claros,
B Inclyta Mathildis cum muneribus bene dignis.
Glorificat Cæsar donis et eam vice versa.
Accidit interea tribulatio maxima quædam,
Quæ turbat terram, pravorum corda revelat,
Atque voluntates reseravit et impietates.
Disjice, Christe, vias tales, abrade ruinas,
Exaudi miseros Deus audi noster egenos,
Atque ducatrici vitam concede Mathildi :
Cum morietur enim, denudabuntur egeni,
Ecclesiæ sane fient graviter spoliatæ.
Hoc proceres credent se facturos, humiles nunc.

(912) Ita quoque msti codices, et vetusta Epitome Estensis. Clarissimus Pagius in crit. Baron. ad ann. 4, num. 3, longam disputationem habet de die coronationis Romanæ Henrici V quam contendit peractam fuisse v *Idus Aprilis Dominica in Albis*. Eam C vero sententiam ut tueretur, opus illi fuit corrigere Malmesburiensem ipsum, cujus fide nititur, aliosque scriptores. Baronius vero gesta illa tribuit *Idibus Aprilis*, quemadmodum etiam habent Annales Hildeshemenses, et chronographus Saxo a Mabillonio in Annal. Benedict. memoratus, cujus verba, quia fortasse Pagio ignota, afferre juvat. *Rex Henricus Pascha non longe ab urbe in castris suis celebravit, et per octavas Paschæ, die scilicet Idus Aprilis, in ecclesia beati Petri in imperatorem consecratur*. Mirum est, in re tanti momenti, neque nimia sæculorum intercapedine a nobis dissita, dubium illum diem adhuc restare. Quod magis etiam stuporem ingerere potest, Donizo noster rotundis litteris scribit, Henricum V coronatum, unctum, et benedictum, *dum Paschæ festum venit*, postea subdendo :

Ultima lux mensis primi tunc Pascha revexit,
Numinis undecimo centum post mille sub anno.

Ultima lux primi mensis est postrema dies Martii. D Videsis quam longe abeat ab aliorum mente Donizo, qui tamen iis ipsis diebus hæc litteris mandabat. Sed et alterum accedit stuporis argumentum. Pascha enim secundum chronologos et canones cyclorum, anno 4 incidit in diem secundam Aprilis; Donizo vero in Historiam hanc scribendam eodem tempore intentus, eam contigisse ait postremo die Martii. Nisi tam graviter hic impegisset scriptor noster, utique sententiam ejus de coronatione peracta paschali die Dominico ego reliquis præferrem, quippe is tanta temporis et loci vicinitate vix falli credendus foret. Præterea audi Rogerium de Hoveden., part. I Annal., ubi hæc de Henrico habet : *Paschalem papam cepit, et in custodiam posuit, sed postmodum ad Pontem via Salaria, ubi paschalem festivitatem in campo celebraverunt, pacem cum eo fecit*. Eodem sæculo floruit Rogerius. Adde Robertum de Monte, ab Hagio laudatum, sive, ut mihi videtur, Sigebertum Gemblacensem, in Chronico suo hæc scribentem : *Die Paschæ Henrico in imperatorem coronato*, etc. : quæ verba Labbeus et Pagius emendare coguntur, utpote opinioni suæ adversantia. Tunc vivebat scribebatque Sigebertus Chronicon suum, et non multo post postremo fato sublatus est. Is igitur aperte cum Donizone convenit, quod est ad coronationis diem. Quod autem spectat ad Paschatis diem, mihi instar monstri videtur, Donizonem in re adeo celebri cujus tempus ignorare non potuit, tam turpiter hallucinatum. Itaque rem aliis perpendendam relinquo. MUR.

(913) Cod. ant., *promsit*. LEIB.

Legitur et in nostris codicibus *promsit*, id est fassus est. Ex his autem quæ habet Donizo testis oculatus, corruunt quæ scribit Ordericus Vitalis, lib. x, pag. 763, Eccles. Hist., nempe eo tempore ab Henrico V vastatam fuisse *Mathildis potentis heræ spatiosam regionem, quæ Ticinum, Placentiam, et magnam partem Italiæ, quæ nunc Lombardia dicitur, possidebat*. Neque veritate nititur Mathildis dominatio Ticini. MUR.

(914) Ergo veluti *vice-regina* Italici regni constituta ab Henrico V fuit comitissa Mathildis. Sed et ante hæc tempora late dominata est inclyta mulier, uti præter alios historicos sat prodit Landulphus a S. Paulo synchronus, cujus Chronicon Mediolanense dedimus Rer. Italic. tom. IV. MUR.

(915) Scribe *vocitavit* cum mss. nostris. MUR.

(916) Henricum IV. MUR.

(917) Tusciæ, ut ego interpretor, atque antea Florentinius in Monum. comitissæ ejusdem. Attamen meminisse juvabit *Marchiam* quoque *Anconitanam* a nonnullis accenseri ditionibus olim ad Mathildem spectantibus. Hæc autem subsequenti saltem ævo *Marchia*, veluti antonomastice, appellata est. Verum nullis firmis tabulis adhuc didici Mathildim illic imperasse. Imo, uti adnotavit Pompeius Compagnonus in Regia Picena, iis ipsis temporibus *Warnerius dux et marchio* regioni illi dominatus fuisse videtur. MUR.

(918) Alemanna. LEIB.

Latro latroni dabit auxilium quasi proli;
Prædo prædonem, leo rodet ut ore leonem.
Visi nunc flores; quid agent quandoque latrones?
Hactenus en vivit prudens comitissa Mathildis,
Sed nimis infirmam Baruncio mons (919) tenet ipsam.
Pullulat hinc lolium, segetem suffocat iniquum,
Undique funesti concurrunt atque protervi;
Defunctam dictam supra referunt comitissam.
Hoc verbum credunt cives quos Mantua secum
Semper habere solet, mox priscam proditionem
Ut renovent tractant, exquirunt atque Ripaltam (920).
Cujus custodes perculsi quippe timore,
De propriæ valde dominæ vita dubitantes,
Seque suas proles, sed non tamen absque tenore,
Ad populi votum subdunt castrum quoque totum.
Tale fuit fœdus, si viva Mathildis habetur,
Non adversus eam castrum retinere volebant.
Sed nimis absque fide sunt usi vivere cives;
Nam sub se castrum potsquam videre redactum,
Clam male disponunt ipsum comburere totum.
Interea prudens præsul Manfredus (921) ad urbem
Venit, quod vivam dimisit, ait, comitissam.
Ad cujus dictum populus commotus in ipsum,
Esset ni clarus, de grandi stirpe creatus,
Credo manus in eum misissent, sed timuere.
Non timor hos regis cohibet, fœdus neque gentis.
Castrum, ceu dudum cupiebant, funditus urunt;
Effringunt turres, lapides portantur ad urbem.
Per mensem (922) damnum scelus hoc non fit patefactum.
Infirmæ dominæ fieret ne causa ruinæ.
Mensis erat sextus nimis in quo proficit æstus,
Vix sed sanatur sustentatrix viduarum,
Quæ degant castæ (923) comitissam vivere captent,
Rusticus atque manu sulcando ducat aratrum,
Tauros atque domet, pascat, tuteque laboret,
Carpat iter tutum, vivens hæc, atque viator.
Eridani cesset piratam nauta timere,
Præsentem vitam donec fruitur comitissa.
Quæ dum scit quantum sibi fecit Mantua damnum,
Dicit : Adest certum pereat quo Mantua tempus;
Offensas diras urbs emendabit iniqua.
Scutatas gentes disponit, et arcitenentes,
A Celsas ac puppes armatas hanc super urbem,
Dum nova fiunt hæc subito vulgata per urbem,
Urbs avibus dives (924), degit sed gens ibi triplex,
Ocius explorant quid agant, simul atque laborant,
Bellum ferre libet, pars quædam dicit inique
Noctis nos usos (925) fore sat defendere muros.
Pauperior quædam se pergere pars ait extra.
Talia jactantes dictis, ac stulta putantes,
Pars melior surgit, juvenes affatur et urbes (926) :
Vos juvat (927), o pueri, rapto ceu vivere prædis?
Sed pudeat, pueri, non obsidione teneri,
Advena vult miles nostras incidere vites,
O juvenes fortes, fugiat discordia longe!
Pars eat ad veniam nostrorum : supplicet illam,
Nos omnino decet cui lætius esse fideles.
B Hæc pars exhortans melior; fortissima corda
Mollescunt juvenum : vicit concordia demum.
Accedunt timide, poscunt veniam comitissæ :
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Non audire preces tales omnino volebat.
Missi lenibant animum sicut sibi quibant :
Nostras offensas nobis, generosa potestas,
Quæsumus, indulge, nostram tibi pandimus urbem,
Cuncta tibi juret plebs, quæ versatur in urbe.
Dictis istorum pariter procerumque suorum
Vix dedit assensum. Quin urbs affert sibi censum,
Atque sacramentum minimus populusque superbus
Fecit in urbe sibi; facti sunt ejus amici,
Atque velint nolint, soliti fuerant velut olim.
C Hoc etenim pactum Bundeni (928) noscitur actum.
Tunc erat October, prope finem curreratusque
Computus annorum Christi, texatur (929) et horum
Quatuor atque decem centum quoque mille recedunt.

CAPUT XX.

Quod erga Dei cultum domina Mathildis intentissima fuit.

Palma velut florens Mathildis pollet honore,
Ramos et frondes ceu tempus palma per omne,
Ex toto servat virides nimis intus et extra :
Sic viget hujus honor, ne deficiat, Deus, oro.
Bajulat hæc parvos, inopes sustentat et altos,
Ista sacerdotes de Christi (930) vincit amore,

(919) Nunc *monte Baranzone*, in agro, et montibus Mutinensibus ultra montem Zibinium. Supersunt adhuc nonnullæ chartæ donationum a Mathilde illic factarum apud Silingardum et Bacchinium. Mur.

(920) Vetustus auctor Epitomes ms. Estensis appellat *terram Ripaltæ de episcopatu Mantuæ*. Leibnitianus epitomator *Ripaltam comitissæ Castrum tertio ab urbe Mantuæ milliario distans*. Vide supra, cap. 4 hujus libri. Mur.

(921) Scilicet episcopus Mantuanus. Mur.

(922) In cod. Regien., *Parmensem*. Sed retinenda prior lectio. Mur.

(923) Cod. Regien., *quæ degant castæ*. Quæ sequuntur tenebris abundant, nempe *comitissam vivere captent*. Puto usurpatum *captent* pro *optent*. Sic infra occurrit *vivens hæc*, Prisciano reclamante, pro *vivente hac*. Mur.

(924) Alludit ad Virgilii versus Æneid. lib. x. quos referre opus est :

Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum,
Gens illi triplex, etc.

Appellata ergo Mantua *dives avis*, hoc est majorum gloria perquam illustris. At illico Donizonem rideas
D *avibus* pro *avis* scribentem. Verum hoc ille consulto fecit, ut subsannet Mantuam, quam non amplius *divitem avis*, sed *avibus* divitem vocat. Fortassis autem et alia illa verba *gens ibi triplex*, alio accipit sensu. Hoc est erant ibi qui bellum suadebant, qui improbabant, qui urbi se valedicturos aiebant. Mur.

(925) Codices nostri præferunt *Hostis*. Mur.

(926) Corrige *et urbis*, sensu poscente et nostris codicibus idem testantibus. Mur.

(927) Accipe quomodo hæc habeantur in cod. Regien., uno ibi addito versu :

Vos juvat, o pueri, nos obsidione teneri?
Vos juvat, o pueri, rapto seu vivere prædis?
Sed pudeat, pueri, nos obsidione teneri. Mur.

(928) De quo pago infra erit sermo, cum ibi Mathildis comitissa humanis rebus excesserit. Mur.

(929) Imo in nostris codicibus *taxatur*. Mur.

(930) Id est *devincit amore Christi*. Mur.

Tempore nocturno studiosius atque diurno
Est sacris psalmis ac officiis venerandis
Relligione pia, satis hæc intenta perita.
Hærent semper ei sapientes maxime cleri,
Vestibus et vasis pretiosis rite sacratis
Nullus ea præsul studiosior invenietur.
Copia librorum non defecit (931) huicve bonorum.
Libros ex cunctis habet artibus atque figuris.
Immemor est nunquam servare statuta secunda.
Bella Dei gessit; victrix ob id exstat inermis.
Rex (932), paradise, suas sanctis pro te dare curat,
Vota sui cordis cœli complete coloni :
Maxime tu princeps Petre, cui sua cuncta (933) reliquit.
Fluctibus impulsus ponti, saccoque reclusus,
Ille beatus vir levitaque Cæsarius (934) sit
Nullatenus tardus, sed sit promptissimus almus
Christi clementis rogitator, ut ista supernis
In domibus vivat, baratri nec sentiat iram;
Templa, sacerdotes, levitas ipsa decorat (935)
Martyris istius, cœpisse quod optime scitur.
Olim jam plene facit ecclesiam renitere :
Nam cluit ex auro, aluit argentoque decoro,
Amplas ejus (936) terras, libros, et pallia, gemmas,
Contulit, ecclesias scit jam transcendere primas.
Hujus opus musa sic est Canusina locuta :
Usquequo mundus erit, sit ut hæc hera provida quærit;
Sanctus Apollonius, Victorque, Corona, Quirinus,
Quærant ante Deum, Mathildis ut ista beetur
Vita cœlesti, pascatur pane perenni :
Erga quos rectum det amorem, more parentum
Diximus in primis nos de dictamine libri;
Ore manu si quid inhonesti scribere visi
Nos essemus, item Dominæ peteremus eidem
In libri fine patientur ut ipsa feriret.
Zelus perflagrans fecit nos promere tanta,
Officium dictant (937) nostrum metra nomen et ista,
Finis adest (938) libri, Dominum laudemus, Amici.

De insigni obitu memorandæ, comitissæ Mathildis.

Cogitat et tractat vir, sed Deus ordinat apta.
A Dictavi binos nuper cum carmine libros,
Quos ego Mathildi comitissæ mittere dixi,
Patres illius codex loquitur quia primus,
Ad laudem cujus manet editus atque secundus.
Frivola vitavi, quæ scripsi, vera probavi.
Lætitia mentis libros dum necto tabellis;
Nuntius advenit, qui me nimis obstupefecit,
Dicens exstinctam prætaxatam comitissam.
Vires diruptæ mihi sunt, subitoque medullæ,
Palpebris dulcis somni dormitio fugit,
Viscera frigescunt, simul ossa caroque liquescunt,
Quæque laborabam sunt e manibus vacuata.
Haud nocet illius mihi mors, tantum modo scitur,
Officit omnino recte viventibus imo :
Sunt ubicunque boni, fuerant sibi maxime noti.
B Nam qui trans Pontum, seu Galliciæ remorantur,
Christo jure preces ex ipsa fundere sæpe
Curabant, missos sibi mittebantque benignos.
Ejus notitia patriarcha Hierosolymita,
Ipseque Romanus, Constantinopolitanus,
Lætabantur ita, quod ei sua propria scripta
Mittere solerter studuerunt atque decenter.
Omnis honorque decus tunc Italiæ ceciderunt.
Dum defuncta cadis, Mathildis, clara ducatrix.
Vicisti reges, tibi cunctos atque rebelles;
Conciliumque (939) tuum, nec non rutilum quoque vultum
Totius terræ cupiebant noscere gentes :
Queis responsa dabas, omnes ei honorificabas.
C Stabant o quanti crudeles atque tyranni
Sub specie justa, noscentes te fore justam :
Qui dissolvuntur, jam pacis fœdera rumpunt,
Ecclesias spoliant, nunc nemo vindicat ipsas,
Si quis se forsan, tutor quod sit (940) quasi, monstrat,
Ecclesiæ partem terræ grandem prius aufert.
Morte tua purus Mathildis deficit usus.
Nam solito miles (941) domino studet altius ire.
Deviat a retro (943) gressu jam clericus, (943) ergo,
Dives edit sumptus, quos pauper habebat in usus,
Fiunt diversæ mundi per climata sectæ,
Quas o Mathildis prohibebas rite malignis.

(931) Rectius in nostris mss *defuit*. Mur.

(932) Cod. antiq., *Res*. Leib. — Et nostri habent *Res*. Quod sequitur *dare sanctis*, significat largiri ecclesiis sub nomine sanctorum Deo dicatis. Mur.

(933) Cod. antiq., *relinquet*. Nam scripsit hæc auctor ipsa adhuc viva, etsi librum absolverit ipsa exstincta. Leib.

Legitur quoque in nostris codicibus *relinquet*. Nempe usum, nam antea apostolicæ sedi sua omnia dono dederat. Mur.

(934) Acta Sancti Cæsarii habes apud Surium ad diem 1 Novembris. Hic autem invocatur, quia Mathildis comitissa ecclesiam Sancti Cæsarii in agro Mutinensi amplissime ditaverat, eamque canonicis regularibus concesserat. Lotharius III augustus in privilegio a me viso commemorat *bona quoque quæ domna comitissa Mathildis pro salute sua, suorumque parentum animæ, ipsi ecclesiæ Sancti Cæsarii donavit*. Datum est diploma *anno* 1138, *apud Vingiolum*. Pagius contendit Lotharium anno præcedenti 1137, e vivis decessisse. Si germanum est hoc diploma, ejus mors rectius a Baronio stabilita. Mur.

(935) Cod. Regien., *ipsa decoret*. Mur.

(936) Cod. ant., *cui*. Leib.

Legitur in nostris quoque codicibus, *cui*. Mur.

(937) Ut in præfatione adnotavi, per acrostichum D ex initialibus litteris versuum capitis hujus, Donizo suum nomen ac munus expressit. Mur.

(938) Scilicet, Donizo librum suum ad umbilicum perduxerat, eumque Mathildi adhuc viventi offerre meditabatur, cum ecce mors illam intercipit, et causam poetæ præbet adjiciendi subsequentes versus. Mur.

(939) Id est *curiam tuam*. Regiensis tamen codex habet *consilium*. Mur.

(940) Advocatos ecclesiarum carpit, qui sæpe non rem earum, sed suam agebant, eas expilando. Mur.

(941) Id est nobiles vassi, sive vassali, qui cum ab episcopis ac abbatibus feuda recepissent, postea coram ipsis dominis, et adversus ipsos superbiebant. Mur.

(942) Typographi error *Deviat a recto*. Ita msti codices. In quibus etiam habetur *ergo*, non *ordo*. Nempe voce illa indigebat Donizo, ut versum clauderet rhythmo. Mur.

(943) Ordo. Leib.

Causa tuæ mortis scribatur, ut audiat orbis;
Ut tua vita cluit, mors sic tua laude refulsit.
Dum bis quarta manet indictio, jungitur atque
Virginei partus, qui currere cœperat annus (914)
Millenus quintus decimus centesimus : illum
Natalem (915) Christi voluit celebrare canentis
In quodam pago, Bondeno (916) nempe vocato.
Octavoque die Roma veniens, Pater ille,
Relligione super cunctos qui maxime lucet,
Scilicet inspector Cluniaci (917) Ponzo sacerdos
A domina tanta susceptus, ut inclytus abbas
More suo sanctis surgens cantare synaxim
Nocturnam, magnus licet algor stringeret artus,
Devote gracilis surgit tamen ipsa Mathildis,
Auribus intentis capiendo verba canentis
Extensos cantus non deseruit sibi gratos
Frigore percussa, doluit nimis illico gutta.
Vixque die mansit Patris ad missam venerandi,
Cumque dies luxit, fuit in qua tinctus in undis
Christus, et in stella paganis se manifestat,
Ac liquidos vertit latices in odore Falerni,
Præscripti Patris manibus vix ducta ducatrix
Audivit missam, licet ægra remansit ad ipsam,
Languida grabato redit officio celebrato.
Abbas dumque sibi comeatum (*sic, postulante metro*) plane petivit,
Ipsa, suis fidens precibus, donavit eidem
Pallia, sacratas vestes, argentea vasa,
Atque crucem sanctam, pulchre gemmis operatam.
O cultrix Christi, quantum studiosa fuisti!
A te non ullus vacuus discessit homullus,
Si Domini certum quisti fore discere servum.
Cum venit tempus, quod jejunat quoque Jesus,
Jejunare volens hæc debilis, ejus amore,
Pontifices adsunt, prohibent jejunia, tantum
Ingentes agapes sibi præcipiunt dare large.
Pontificum dictis Mathildis paruit istis;
Queis confisa fuit (918) lacrymis sua debita puris,
A Jure stolis quorum solvi meruit Seniorum
Interea languor cum non cessaret ab alvo
Illius, inde timens dedit ecclesiis sua vivens.
Amplificare studens tunc ecclesias bene plures,
Non est oblita quin Ecclesiam Canusinam.
Semper chara sibi fuit, illius atque propinquis,
Ejus quo circa tribuit sub jure Filinam (919)
Egregiam curtem, dantem fruges sat abunde,
Innumerosque suos famulos jubet hæc hera cunctos
Ingenuos vitæ post ipsius fore finem.
Ægra jacens septem per menses hæc eademque
Ante domum lecti recubabat, ubi jugiter sic
Jussit honore Dei, Jacobique pii Zebedæi
Ecclesiam parvam fieri, fuit et cito facta.
Officii vestes, et agros ad pabula mensæ
B Obtulit huic gratis, hanc præsul quando dicavit.
More suo missam recubans audivit in ipsa.
Hujus mortales exemplum discite tale,
Quæ Christo (920) vivens moriens servivit eidem;
Sex deciesque novem vivens annos in honore,
Julius ante dies octo quam det prope finem (921);
Scilicet ante die celebrem Jacobi Zebedæi.
Corpus ei Christi, pariterque crucem crucifixi
Porrexit præsul Reginus, corde serenus,
Quique bonus Senior (922) proprio fit nomine dictus.
In manibus cujus comitissa Mathildis ab hujus
Ærumna secli, jugiter memoranda, recedit.
In cruce nam Christo sua figens oscula dixit :
Te colui semper, mea nunc rogo crimina terge.
C Accipiens Christi corpus venerabile dixit :
Semper dum vixi, Deus, hoc scis, spem tibi fixi,
Nunc in fine meo me salvans suscipe, quæso.
Sic orans migrat mox hæc sapiens comitissa,
Quanquam credamus, Deus huic quoque (923) sit miseratus.
Ipsum nemo tamen scit (924), qui non postulet alte,
Ut sibi concedat paradisi gaudia vera.

* (914) Baron., 1115. Leib.

(915) Igitur Donizoni annus 1115 incipiebat a Natali Domini. Hic autem agitur de Natali secundum nos anni 1114. Decurrebat autem Decembri mense illius anni indictio VIII a Septembri mense. Mur.

(916) In chartis, quas affert Bacchinius, appellatur *Bundenum de Ronchoris*, non illud quidem quod nunc in Ferrariensi agro situm est ad Scultennam fluvium, sed alterum monasterio Padolironensi proprius. In Lucii II papæ bulla apud Ughellum, tom. V Ital. Sac., pag. 1607, episcopo Regiensi confirmatur *Plebs de Bondeno de Roncolis.* Ideoque in diœcesi Regiensi defuncta est Mathildis, eique morienti propterea astitit Bonus-Senior illius urbis episcopus. In antiquis vero Mutinensium Annalibus mss., suo loco edendis, hæc leguntur : *Anno Domini* 1115, IX *Kal. Augusti obiit comitissa Mathilda nobilissima in comitatu Mutinensi, in loco qui vocatur Bondenum de diacono, ubi ædificavit quamdam ecclesiam, dum in infirmitate jaceret, ad honorem sancti Jacobi apostoli, juxta parietes cujus migravit de hoc sæculo.* Mur.

(917) Lege cum nostris codicibus *Cluniaci.* Pontius abbas Cluniacensis erat, atque adeo caput cœnobiorum omnium Cluniacensi congregationi subjectorum sive addictorum, inter quæ Padolironense. Verum Pontius vitiis potius quam virtutibus abundavit, usque adeo ut anathemate percussus diem suum clauserit, uti produnt Annales Benedictini clariss. Mabillonio auctore editi. Mur.

(918) Cod. ant., *Quis confessa fuit.* Leib.
Nostri quoque codices *confessa.* Mur.

D (919) Castrum in agro Regiensi inter Montes supra Bismantuam. *Felina* appellabatur olim, uti et nunc appellatur. Mur.

(920) Scribendum *Christi*, uti in mss. habetur, et sensus postulat. Sublata autem est e vivis celeberrima femina anno 1115, die 24 mensis Julii. Diem mortis ejus ita Breviator Estensis exprimit : *octavo die exeunte Julio.* Ex quo intelligis quid significet *intrante* et *exeunte mense* in veterum chartis. Vide antiquitates Estenses. Mur.

(921) Baron., an. 1115. Leib.

(922) Cod. ant., Bonus-Senior. Leib.

(923) Codices nostri, *huic quod.* Mur.

(924) Codex antiq., *sit.* Leib.
In iisdem habetur *tamen sit;* atque ita revera scribendum Mur.

* Hunc in notarum numeris saltum opusculis jam prelo paratis ex suo ad alium locum translatis tribuas.

Te, Benedicte Pater, moriens hæc curat amare,
Cœnobiumque (925) tuum ditatur corpore cujus;
Cui prece demonstra cœli cognoscere portas.
In numero major duodenario, Petre, Pastor
Cui propriæ sortem telluris subdidit omnem:
Valvas tu regni sibi prompte pande superni;
Edidit hæc ædem tibi, Jacobe, cumque jaceret,
Speremus quamvis, quod ob hoc ipsam bene sancis,
Maxime cum lætum sit passa (926) tuum prope festum:
Ut tamen accurras sibi poscimus ante tribunal.
Pastor Apolloni Mathildim spernere noli,
Sit licet injustum quod respicit (927) ipsa sepulcrum,
Quod tua fert ædes, quo patres ejus inhærent.
Ast altare tuum tamen hæc coluit quia multum,
Ante pium regem veniam sibi posce libenter.
Virgo Maria Dei genitrix, noctisque diei
Hæc audire tuum non destitit officium, nunc
Fac ut te videat, tibi serviat, et super æthra
Omnibus, in cœlis habitacula qui retinetis,
A Paruit in terris nimis hæc in corpore versans:
Vos sibi nunc omnes requiei porgite sortem.
Amen.

Explicit carmen mortis comitissæ Mathildis.

EXHORTATIO CANUSII DE ADVENTU IMPERATORIS ET REGINÆ.

Pelle timores, non et honores, candida Petra (928),
Tempora dudum prospera multum læta ferebas,
Magna Mathildis quod tibi finxit, tempore multo
Et genitores nobiliores ipsius ultro
Te peramarunt, et fabricarunt denique celse;
Progenies quæ jam requiescens, desiit esse.
Plangere cessa, gaudia specta, stabis honeste;
Cæsar honorat, teque decorat, sis sua semper.
B Plangere noli, culmen honoris tu retinebis,
Alta Mathildis mortua vivit, splendida, felix:
Quæ nova mater regna beata, teque beabit,
Est super illam commemoratam nomine talis.
Cæsaris hostes sint procul omnes, ipse beetur
Et sua conjux fulgida prorsus vivat in ævum.

CHARTULA COMITISSÆ MATHILDIS

Super concessione bonorum suorum facta Romanæ Ecclesiæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1102, quinto decimo die Kal. Decembris, indictione decima. Tempore domni Gregorii septimi papæ in Lateranensi palatio, in capella Sanctæ Crucis, in præsentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini et Alberici de Petro Leone, et Benincasa, fratris ejus Uberti de Tuscia, et aliorum plurium. Ego Mathildis, Dei gratia, comitissa, pro remedio animæ meæ et parentum meorum dedi et obtuli ecclesiæ Sancti Petri per interventum domni Gregorii papæ VII omnia bona mea, jure proprietario tam quæ tunc habueram, quam ea quæ in antea acquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quocunque jure ad me pertinent, et tam ea, quæ ex hac parte montium habebam, quam illa quæ in ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia sicut dictum est, per manum domini Gregorii VII papæ Romanæ Ecclesiæ dedi et tradidi, et chartulam inde fieri rogavi. C Sed quia chartula nusquam apparet, et timeo ne donatio et oblatio mea in dubium revocetur; ideo ego, quæ supra, comitissa Mathilda, iterum a præsenti die dono et offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi cardinalis et legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi, per manum domini Gregorii, omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quam quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum, et tam ea quæ ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum alio quocunque jure, pro mercede et remedio animæ meæ et parentum meorum. Quæ autem ista mea bona juris mei superius dicta, una cum accessionibus, seu cum superioribus et inferioribus suarum, D qualiter supra legavi (929), in integrum, ab ea die, in eadem ecclesia dono, et offero, et per præsentem chartulam offertionis ibidem habendam (930) confirmo. Insuper per cultellum, festucam noda-

(925) Scilicet Padolironense Sancti Benedicti, ubi primo tumulatum ejus corpus, tum inde sub Urbano VIII pontifice Romam translatum. Cum adhuc ad Padum ejus tumulus intactus permaneret, anno 1613, die 22 Junii, uti scriptum eo tempore invenio, dux Mantuanus curiositate ductus arcam frangi jussit. Visum ibi nobilis ac celeberrimæ viraginis corpus integrum, os apertum, dentibus candidissimis, et nullo ex eis excusso. Sudariolum faciei impositum, vix manibus contrectatum in pulverem abiit. Ornamentum vero capitis incorruptum, quale in ejus picturis cernitur, ac præcipue super Padolironense sepulcrum, et apud marchiones Canossinos Regienses patricios. MUR.

(926) Corrige ex nostris codicibus: *Cum lethum sit passa.* MUR.

(927) Cod. ant., *respuit.* Displicuit scilicet auctori quod Mathildis se non jussit in arce Canusina sepeliri. LEIB.

(928) Id est Canossa, seu Canusium, arx fundata super silicem albicantem. Hæc autem Donizo scribit, quia anno 1116 Henricus V in Italiam descendens, totam sibi attribuit hæreditatem comitissæ Mathildis, atque inter cætera ipsam Canossam. MUR.

(929) Vulgaris eorum temporum formula est *qualiter supra legitur*; atque ita hic scribendum. MUR.

(930) In ejusmodi chartis *habendum* usitata est notariorum formula. MUR.

tam, gantonem (931) et vascionem (932) terræ, atque ramum arboris (933), et me exinde foras expuli, garpivi (934), et absentem me feci, et a parte ipsius Ecclesiæ habendam (935) reliqui, faciendum (936) exinde pars ipsius Ecclesiæ dederit a præsenti die quidquid voluerit, sine omni mea et hæredum ac prohæredum meorum contradictione. Si quid vero (quod futurum esse non credo) sive ego comitissa Mathilda, quod absit! aut ullus de hæredibus ac prohæredibus meis, seu quælibet opposita persona contra hanc chartulam quandoque offertionis ire, agere tentaverimus, aut tam (937) (938) per quodvis ingenium infringere quæsierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus multam, quod est pœna auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia et quo (939) repetierimus, vindicare non valeamus; sed præsens hæc chartula offertionis omnibus temporibus firma permaneat atque persistat et pergamena cum atramentario de terra levavi paginæ Guidonis notarii (940), tradidi, et scribere rogavi. De qua subter confirmans testibus obtuli roborandam. Actum Canusiæ feliciter, Mathilda, Dei gratia, si quid est, in hac charta a me facta, etc.

✠ Ego Ardericus, judex interfui, etc.

✠ Ego Ubaldus, judex interfui, etc.

Signum manu Attonis de monte Barranzonis et Bonvicini de Canusia, rogati testes.

Ego Guido, notarius palatii, scriptor hujus chartulæ offertionis post traditam complevi, et dedi, etc.

De Thesauro Canusinæ Ecclesiæ Romam transmisso, et de compensatione Ecclesiæ Canusinæ facta.

Anno Domini 1082, comitissa Mathildis cum episcopo Anselmo, qui et vicarius erat papæ Gregorii VII in illis diebus in Longobardia, thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulavit abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ Ecclesiæ, ad dirigendum papæ pro defensione Romanæ Ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat a Guiberto hæresiarcha.

Itaque prænominatus abbas una cum congregatione fratrum, fidelem amorem et dilectionem habens in B. Petro et Romana Ecclesia, vicario ejus et comitissæ petitioni alacriter thesaurum obtulit, qui XX et IV coronæ (941) erat, et una illarum aurea cum crucicula una itidem aurea, et duæ tabulæ altarium argenteæ, et coopertura argenti arcæ altaris Sancti Apollonii, et thuribulum grande argenteum. Quod decoctum Canusii septingentæ libræ argenti fuit et novem libræ auri.

Tandem transmisso thesauro Romam per assensum et voluntatem papæ, qui chartam offertionis (942) de omnibus prædiis prædictæ comitissæ ab ea receperat, supra nominatus vicarius, qui et hunc episcopatum tunc, jussione papæ, regebat, rogante domina comitissa pro aliquantula restauratione ablati thesauri, alias duas capellas in Filma (943) et unam in casula supposuit Ecclesiæ Canusinæ. Postea episcopus Heribertus catholice Romanam diligens Ecclesiam factum episcopi Anselmi laudavit, et laudans firmavit, Ecclesiamque Canusinam consecravit; quæque habebat Ecclesia ex suo jure sua dote annuit sibi, et postulante eadem domina comitissa alias duas capellas, unam in villa Placiolæ, et aliam in Jano (944) sitam eidem supposuit Ecclesiæ, nec non et capellam in Gurgo sitam per voluntatem ac nutus (945) istius episcopi a patronis ejusdem Ecclesiæ. Canusina tunc acquisivit Ecclesia (946) anno 1090. Hujus episcopi temporibus purgavimus interius et exterius ecclesiam illam de Gurgo ex spinis et vepribus. Post hæc idem episcopus Heribertus pergere volens in Siciliam per proficuum et honorem reginæ Ecclesiæ, quia pura amicitia Canusinam diligebat Ecclesiam, mutuo accepit (947) pretiosam planetam de purpura sanguinea et pulchro aurifrisio (948) cum decenti lineo indumento, quam cum indumento dixit valere XXX libras, et cuncta quæ ex suo jure Canusina habebat Ecclesia iterum suis pontificalibus verbis valde confirmans, et spondens vera fide et certa promissione, si a Sicilia vivus reverteretur, quod de melioribus capellis sui episcopatus subjugaret Canusinæ Ecclesiæ, et si contingeret eum non reverti, aut si perderet planetam et indumentum, ipse ordinaret unum de bonis (949)

(931) Guantonem, id est chirothecam. LEIB.

(932) Gwascionem lego, gwasionem, id est cespitem. LEIB.

(933) Supple : *tradidi*, vel tale aliquid. LEIB.

(934) Guarpivi, id est ejeci. LEIB.

(935) *Habenda*. LEIB.

(936) *Ad faciendum exinde pars ipsius Ecclesiæ*, barbarum est, pro : *ut faciat exinde pars ipsius Ecclesiæ quidquid voluerit*. Vox *dederit* videtur redundare. LEIB.

(937) *Etiam*. LEIB.

(938) Scribe *aut eam;* ita enim in aliis ejusmodi chartis. MUR.

(939) *Quod*. LEIB.

(940) Paginam Guidoni notario. LEIB.

(941) Forte, *coronarum*. LEIB.

(942) Forte, *oblationis*. LEIB.

(943) Cod. Regien., *in Filina*. MUR.

(944) Idem cod., *in Fano*. MUR.

(945) Idem cod., *ac nutu*. MUR.

(946) Idem cod., *acquisivit Ecclesia*. Tum sequitur : *anno* 1090 *hujus episcopi*, etc.

(947) Idem cod., *mutuo ab ea accepit*. MUR.

(948) *Aurifrigio*. LEIB.

(949) Idem cod. Regien., *unde de bonis reginæ Ecclesiæ restaurationem haberet Canusina Ecclesia de mutuato sibi indumento. Deinde vero*, etc. MUR.

reginæ Ecclesiæ, ut restaurationem haberet Canusina Ecclesia de mutuato sibi indumento. Demum vero post concordiam papæ Paschalis cum imperatore, et post mortem comitissæ M. mandavit Canusina Ecclesia papæ censum quinque annorum, petens firmitatem Ecclesiarum (950) suarum, et illam libertatem quam a tempore primi Ottonis imperatoris Romana Ecclesia sibi conscripserat, ita videlicet ut nemo episcoporum unquam in aliquo sibi dominaretur, et ut Gregorius VII qui tam (951) proprietatem Sancti Petri a comitissa susceperat, omni anno reddendo censum xx solidorum, sic suo apostolicali privilegio eam corroboraret atque muniret. Quod et fecit sanctissimus papa, perpetuo anathemate subdens, et alienans a corpore et sanguine Christi, quicunque vi illud scienter, quod juris S. Apollonii est, abstulerit, vel qui confractor ejus privilegii inventus fuerit. Hujus autem rei testes fuerunt domnus Petrus, Vincentius, Pert. Joannes (952) et Donatus ejus monasterii clerici, etc.

VITA COMITISSÆ MATHILDIS

Oratione soluta ab auctore anonymo scripta et ex ms. Francici Mariæ Florentini a Guilielmo Godefrido Leibnitio primum edita.

HISTORIA ILLUSTRISSIMÆ COMITISSÆ MATHILDIS, ET DE GESTIS POTENTISSIMORUM PROGENITORUM SUORUM, CUJUS CORPUS REQUIESCIT IN DIGNISSIMO COENOBIO S. BENEDICTI DE PADOLIRONE, DIOECESIS ET DISTRICTUS MANTUANI. OBIIT AUTEM ANNO HUMANATÆ DIVINITATIS MILLESIMO CENTESIMO QUINTO, DECIMO NONO KALEND. AUGUSTI.

Mathildis inclyta comitissa, et militaris admodum mulier, Henrico IV imperante suis præclarissimis actibus in muliebri sexu inter viros præcellentibus virtutibus habetur insignis. Hujus historia, tam progenitorum ipsius quam suam originem et acta summatim continens, ex diversis collecta chronicis, sequitur in hunc modum.

CAPUT PRIMUM.

De obsidione castri Canossæ, ac liberatione reginæ Adeleidæ, quam Beringarius rex Italiæ detinebat.

Sigifredus, princeps quidam illustris de Tusciæ partibus comitatu Lucensi ortus, studens sui nominis gloriam ampliare, Longobardorum fines ingressus cum filiis ejus Sigifredo, Attone et Gerardo, multas civitates, gentes et oppida conquisivit, et sibi subegit. Defuncto tandem eo, filiis ejus præfatis paterna condivisa substantia : duo ex eis, scilicet Sigifredus et Gerardus Parmensem civitatem incoluerunt. Atto vero qui longe fratres viribus et rebus transcenderat, Canossam castrum sibi domicilium accepit, quod turribus munivit et mœnibus decoravit. Erat enim loci natura circumquaque munitum, inexpugnabile revera præsidium, situm in diœcesi Reginensi. Ad cujus castri obsidionem dum venisset Beringarius rex Italiæ, cum filio et Longobardorum exercitu, ut sibi Attonem cum castro subjiceret, rex et filius sunt exstincti. Longobardi vero Ugonem virum inclytum statuerunt sibi regem natione Burgundium. Post cujus mortem Lotharius ejus filius vir prudens regnavit, habens conjugem Adeleidam nomine, splendidam reginam. Ex hac subtractus luce Lotharius, quidam Berengarius Longobardus hujus nominis quartus, absque nutu Adeleidæ relictæ reginæ, eaque renitente pro viribus, rex creatur Italiæ. Qui contra eam ob hanc causam sævitia et ira pariter in tantum incanduit, ut ipsam suæ sublimationis impugnatricem super arcem Gardam retro turrim carceri incluserit, sola sibi concessa ancillula. Regina, cum diu mansisset inclusa, capellani sui tandem solertia de carcere evasit. Hic enim Martinus nomine vir fidelis et sagax, murum turris confregit occulte, et dominam cum ancillula clam inde ducens, datis sibi indumentis virilibus, usque ad Mantuæ lacum perduxit, qui piscatorem cum navicula reperientes, transvehi petierunt. Eo vero navigationis pretium exposcente, inquit ad eum capellanus reginæ : Si scires qui sumus, nos lætus et absque pretio veheres. Qui respondit : Ergo mihi aperite qui estis? Dumque sacramentum ab eo peterent quod nemini revelaret arcanum, ipse, duobus acceptis baculis in effigiem crucis in terram positis, se rem celaturum juravit. Tunc capellanus ei aperuit, indicans esse reginam. Piscator itaque lætus effectus, palmas ad cœlum tendens, statim eos in navicula assumptos ad aliam lacus ripam devexit, prope silvam usque lacui contiguam. Reginæ quoque piscem obtulit rogans ut,

(950) Idem cod., *firmitatem omnium Ecclesiarum.* MUR.

(951) Idem cod., *qui eam in proprietatem.* MUR.

(952) Idem cod., *Petrus, Joannes, et Donatus hujus*, etc.

si quando prospera sibi arrideret fortuna, reminisceretur pauperrimi piscatoris. Pervenientes igitur ad ipsam insulam una ibi hebdomada trepidi latuerunt. Capellanus enim secreto loca silvæ contiguæ circumiens victum procurabat reginæ. Transacta hebdomada suspirans et ingemiscens regina suæ miseriæ statum : Heu ! inquit capellano, captivam me semper esse conspicio, quidnam mihi hic esse prodest ? Vade, quæso, igitur ad Reginum episcopum Adalardum, qui cum mihi consueverit esse fidelis, spero quod, si sibi quantus sit meus fletus indicaveris, forsitan miserebitur nostri. Hæc dicens statim capellanus ad episcopum properavit, et secreto sibi reginæ miseriam patefaciens, ejus sibi præsidium conferri supplicavit. Condolens his episcopus, lætus tamen quod regina viveret efficitur ; capellano respondit nullum se possidere oppidum in quo secure posset regina morari. Militem tamen se habere dixit Attonem nomine, quem supra diximus, filium Sigifredi, amicissimum sibi, cujus erat castrum Canossa nomine ante dictum pro regina tutissimum revera præsidium. Confestim igitur capellanum ad Attonem direxit. Qui eum videns, et de regina interrogans, eam de industria sua respondit in carcere fore defunctam. Tunc Atto, qui reginam fideliter adamabat, nimium inde dolens lacrymas fudit amaras. Quod cernens reginæ capellanus, rem ei statim aperuit. Atto igitur equo velociter ascenso, cum capellano et famulis ad reginam perrexit, quam in silva reperiens cum ancillula, ad Canossam eam perduxit. Post hæc Romam ad papam Joannem nomine duodecimum nuntium hujus rei direxit, supplicans sibi super hac re dignum impendi consilium. Deliberavit enim Atto reginam ipsam imperatori Ottoni, tunc Alemaniæ regi, in conjugium copulare. Papa vero commendans quod gesserat Atto, mandavit ei ut quod de regina proposuerat, salubriter adimpleret. Atto igitur, pontificis cognita voluntate, reginam eidem Ottoni Veronam venienti dedit in conjugem. Otto vero rex Attoni maxima per hæc promisit beneficia.

CAPUT II.

Otto imperator in auxilium venit Attoni in Canossa obsesso, et Berengarius capitur.

Hæc ita dum se haberent, omnia prorsus latebant Berengarium regem. Cognoverat sane evasisse reginam, sed quo aufugisset, quidve egisset, erat ignarus. Audito autem Ottonis regis adventu Veronæ, et quæcunque de regina cum eo egerat Atto, iratus et frendens coadunato exercitu venit Canossam, eamque obsidione vallavit. Sed Atto prudens et strenuus, oppidum, etiam loci natura fortissimum, necessariis quibusque munierat. Suos igitur ad defensionem solum cohortabatur intrepide Cumque rex Berengarius castrum obsessum multis telis et machinis impeteret, excelsa tamen ejus mœnia contingi non poterant. Inter hæc consueverat interdum Atto de turri excelsa descendere, et

A præstantiores ibi viros alloqui. Quod rex intelligens illum comprehendere machinatus est. Quidam vero Attoni amicus, hæc præsciens, eum secreto de turri vocatum, ut, emisso per fenestellam turris capite, ejus audiret verba rogavit; quod cum fecisset Atto, hanc ei fabellam narravit : Ursus, inquit, ventre famelico, suspensus ad escas existens, se cervi cujusdam amicitia languere confinxit, misit ut se visitatum concito gressu veniret. Cervus igitur cum venisset, ursus ejus adhæsit auriculæ, eamque discerpens, ipsam etiam unguibus laniavit. Cervus tandem evasit. Post hæc rursum pro cervo mandavit, promittens ei magna munera si veniret. Cervus inscius et offensionis oblitus, iterato revertitur, qui urso propius accedens, residua eum

B privavit auricula, sicque delusus cervus rediit deturpatus. Tertio tandem urso pro cervo mandante, dicebat enim se magna cum eo loqui velle, incautus cervus advenit. Cui ursus arridens, dente eum repente et ungue discerpit vitaque privatum vulpi assandum dedit. Quem dum assum urso vulpis præsentasset, cor illius a vulpe sibi dare expetit. Cui vulpis cervum cor non habuisse respondit. Ursus vero dum prorsus cervum cor habuisse contenderet, et illud statim sibi dari vellet, vulpis ait ; Dum tuis tertio petitionibus sic annuisset improvidus, corde eum caruisse protinus comprobatur. Hac narrata fabella, et cur eam dixerat Atto intelligens, turrim, obsidione durante, amplius non descendit,

C utile sibi exemplum reservans. Dum vero tribus annis et mensibus sex apud Canossam perdurasset obsidio crudelis, Atto tædio affectus, imperatori scripsit Ottoni ut promissionis olim sibi factæ, dum illi Adeleidam copulavit reginam non immemor, ei accurrere auxilio non differret. Otto igitur collecto armatorum exercitu in agrum Veronensem advenit, Padumque transiens, cum Berengario aperto marte parat confligere. Quod audiens Berengarius statim ab obsidione decessit. Cui in Prato Fontano imperator obvius factus grandi subito exorto clamore, inter Berengarium et Ottonem initur prælium. Pugnatur acriter utrinque : multi tamen cæsi sunt, multique mortui. Berengarii exercitus terga vertit; dumque fugientes Longobardos Alemanni insequerentur, Berengarius capitur, et Ottoni præsentatur ;

D quem vinctum compedibus, quoad vixit, captivum retinuit.

CAPUT III.

De prælio inter Adalbertum, regem Italiæ, et Lithulphum, Ottonis imperatoris filium.

Post hæc Adalbertus Berengarii filius a Longobardis sublimatur in regem. Hic armis strenuus pacem cum Ottone nunquam voluit. Atto vero sagax ingenio, et animo fidens, Canossam oppidum necessariis munivit. Adalbertus quoque rex oppidum ipsum obsedit. Dumque mensibus triginta in obsidione mansisset, Atto Adalberti regis animum adversus se videns pertinacem, rursum misit Ottoni, ut ejus sperato sibi subsidio non deficiens,

ipse, vel filius Lithulphus, sibi adesset obsesso. Otto itaque filium suum Lithulphum cum mille armatis sibi misit auxilio, qui in Italiam veniens Veronam intravit. Quod audiens Adalbertus rex obsidionere licta Bafigium perrexit. Lithulphus vero Verona exiens, vespertina hora Battonis pratum advenit, ubi aderat Atto; a quo susceptus hilariter, male, inquit Atto, gatonem cum mure in arcto sacculo simul esse fertur. Ad quem Lithulphus, ut hoc sibi enuclearet enigma, respondit : Non decet, inquit Atto, duos comitatus in uno homine esse simul. Capiamus igitur, inquit Lithulphus, consilium quid sumus acturi. Atto respondit : Bonum est nocte hac in agro isto quiescere; et, corporis curæ insistentes, qui Adalberti exercitum exploret mittamus. Quod et factum est. Reversus igitur nuntius, B Attone primo invento : Tanti sunt, inquit, hostes, [ut] si nostri pecudes essent, ab eis comedi possent. Tunc Atto, silentium nuntio imponens, ad Lithulphum accedit, et retorta sententia nuntii verba mutavit. Adeo, inquit, pauci sunt hostes, ut si bidentes assati essent, eorum non sufficerent nobis carnes. Hortatur itaque Lithulphum ut armis assumptis irruat in Adalberti exercitum. Lithulphus igitur, prorumpente aurora, cum suis armatis etiam ad Adalberti exercitum propinquat. Senserunt illum excubiæ, et statim Adalberto nuntiarunt. Ipse vero propterea stupefactus jussit rimari qualia essent, suosque signo vocari. Interea, audita missa, nuntiatur ei mille numero hostes esse. Adalbertus igitur C rex cum paucis armatis exivit ad prælium; quem dum conserta pugna horribili Lithulphus ferro impeteret, Adalbertus in eum hastam vibravit, et thoracem perforans, ac per pectus educens, illum vita privavit: Alemanni suo destituti duce mœrentes tremore concussi sunt pariter et timore. Sed Atto, vir singularis magnanimitatis, statim advenit, et eos cohortans ad bellum viribus resumptis et animis, eo duce, durissime præliatur. Tandem, licet cum magna suorum cæde, Atto cum suis victor existit, et fugatum Adalbertum regno privavit. Qui regni amissi confusionem non sustinens, pertransivit Oceanum, seu mare Adriaticum, amplius minime reversurus. Ab eo quoque Longobardi, nullum sibi regem ulterius statuerunt. Hæc autem D acta sunt anno octingentesimo quinto decimo incarnati Verbi Dei. Corpus Lithulphi Atto habens, educta ex eo viscera, in ecclesia S. Prosperi sepelivit. Corpus tandem digne condiens aromatibus, patri transmisit Ottoni, eumque per solemnes internuntios hortatur ne pro nece filii, qui fortiter pugnando corruerat, mœrens, ad Italiam tardius festinaret, regnum penetraturus rege privatum. Otto quanquam nimium de filii morte turbatus, honorabiliter tamen eo sepulturæ tradito, in manu potenti Italiam venit, qui a cunctis pacifice receptus, regnoque sibi tradito cum civitatibus et cunctis

A oppidis, Romam perrexit, et a papa hujus nominis Joanne duodecimo imperii diadema suscepit; Attonem post hæc magnis ditavit muneribus, et comitatus decoravit honore. Qui tandem decedens, de proba muliere Ildegarda nomine, duos reliquit filios, Gothofredum Brixiensem episcopum, et Thedaldum.

CAPUT IV.

De Thedaldo Attonis filio, et ejus filiis, Thedaldo scilicet, Bonifacio et Conrado, et de morte Thedaldi et Conradi.

Thedaldus igitur post Attonis ejus patris mortem omnem paternum servans honorem, et virtutes imitatus, terras et oppida propria amplificans, principibus exstitit notus et charus. Cui Joannes pontifex B multa sibi dilectione conjunctus civitatem concessit feriarum (953). Canusium castrum multa diligentia custodivit. Juxta etiam Padi fluenta, longe a Mantua miliaribus decem, idem dignum construxit cœnobium quod sanctus Benedictus de Padolirone nuncupatur, in quo monachos sub Benedicti regula degentes instituit. Conjugem habuit Voiliam (954) nomine, sua omnibus pietate placentem, de qua tres procreavit filios : Thedaldum videlicet, qui fuit Aretinæ urbis episcopus, et Bonifacium militem strenuum, Conradumque prudentem virum. Moriente igitur eorum patre Thedaldo, Bonifacium instituit primatus honore gaudere : cui nummorum duodenos saccos refertos contulit, quos in sua camera conser- C vabat. Voluit etiam ut, eo præsente, filio suo Bonifacio subditi sui fidelitatis juramenta præstarent. Thedaldus autem ipsius Bonifacii frater, Aretinus episcopus, religionis sanctæ maximus cultor, commissum episcopatum sibi fideliter gubernavit; de quo fertur non omittendum exemplum. Hic enim, dum in tempore, gravi quadam laboraret ægritudine corporali, et de sanitate illius medici desperantes omnino nisi adulterium committeret, et amici ejus, ad illud patrandum scelus inducerent, pro muliere miserunt; quæ dum advenisset, statim ante lectum suum ignem jussit accendi, qui lecto appropinquans, et jam flammarum incendium sentiens, subito lacrymatus exclamavit : Væ, væ mihi! dum hanc modo tenuem flammiculam sufferre non possum, quomodo D si me perire contingat, potero barathri incendia superare? Scelus quippe istud ad illum me puteum conducet, in quo funditus sub tetro igne patiar cruciatus. Absit itaque ut, pro temporali sanitate, æterna me contingat salute privari! Tali igitur exemplo prudens antistes subditum sibi gregem monuit, et, Deo annuente, meruit sanitatem. Mirum etiam in modum detestatus est Simoniacam pravitatem. Defuncto itaque Thedaldo, Bonifacius et Conradus ejus filii inter se fraterna vixerunt concordia, quam licet plures æmuli scindere niterentur, semper nihilominus inter eos majoris dilectionis crescebat affectus, Bonifacius Richildam comitissam Gisberti principis

(953) Ferrariam.

(954) Guilliam.

filiam duxit uxorem, quæ Nogaræ sine liberis defuncta jacet. Cumque hi fratres divitiis florerent et viribus, in tantum ut hostibus metum incuterent, multi et regno vicini in Caviliolo adunati, eos aggredi et debellare contendunt. Quod audientes Bonifacius et Conradus, viriliter sumptis armis illos invadunt, et, mirabili confecta pugna, tandem hostes cæsi fugantur, et campus horribili strage cruoreque multo repletur : sicque fratres ipsi victores permanserunt. Conradus tamen in eo prælio vulneratur, qui post aliquot annos, mala vulneris habita diligentia, ultimum vitæ suæ clausit diem. Cujus corpus Theldaldus Aretinus episcopus, frater ejus supra nominatus, in Canusium oppidum detulit, et eum magnis exsequiis sepelivit, anno humanatæ divinitatis millesimo trigesimo. Ibi quoque ambo prænominati pontifices Gothfredus Brixiensis episcopus, et Thedaldus Aretinus, Ildegarda Attonis conjux, Rodulphus et Conradus Bonifacii filii, et Voilia, Thedaldi filii Attonis uxor sub uno sunt pariter saxo contenti.

CAPUT V.

De Bonifacio patre Mathildis, et qualiter Beatricem duxit uxorem.

Bonifacius autem, Conrado fratre defuncto, magnis exstitit clarus virtutibus. Hic enim in puerili adhuc ætate, ingenio multo viguit, et sensu mirifico polluit. Fuit quoque forma procerus, corpore decorus, actu providus, viribus acer, dapsilis cunctis, de quo Erythræa sibylla præclare vaticinata est : Igitur enim futurum ducem cujus nominis principium erit B., qui dictis et actibus limpidus, rerum locuples, opere pacificus, et in præliis victor existet. Habuit idem Bonifacius et aliam conjugem illustrem, scilicet Beatricem ex Gallia, scilicet regali stirpe progenitam, multo formæ decore et sapientiæ nitore dotatam, cujus pater Federicus, et mater Mathildis exstiterunt. Ad quam desponsandam cum Bonifacius in Galliam properaret, quanto honore polleret, et quam ingenti quoque gloria emineret, patenter ostendit. Nam comitatus solemnissimo principum et nobilium cœtu, inter cætera suæ insignia magnificentiæ equorum pedibus jussit argenteas soleas apponi. Quæ si casu aliquo resilirent, nemo suorum reassumere dignabatur, sed passim per agros et semitas, a transeuntibus tollebantur. Hæc sibi oppida et villas, servos et ancillas in Galliæ partibus donavit in dotem. Quam dum reversus a Gallia in Lombardiam duceret, magno a cunctis applausu et honore suscipitur. Tribus mensibus nuptiarum convivia, impensis profusioribus grandique omnium lætitia perdurarunt. In quibus quidquid vasorum erat argento rutilabat, et auro splendebat. Ex hac Beatrice liberos genuit, Federicum scilicet, et Mathildam nobilem comitissam, de qua præsens habetur historia. Sed Federico et Beatrice ab hac luce subtractis, Mathildis superstes unice patri Bonifacio

A filia remansit et hæres. Est tamen aliquorum opinio Henricum hujus nominis quartum imperatorem genitorem fuisse matris hujus comitissæ Mathildis, hoc modo videlicet : Dicunt matrem Mathildis, dum virgo esset, in juvenem nobilem exarsisse, genere Lucensem, in imperatoris aula ministrantem ; qui tandem, hac imperatoris filia cognita, commissa timens, cum ea abiit et diu latitans vitam duxit. Tandem cum in civitatem quamdam imperator venisset, in cujus episcopatu juvenis ille cum imperatoris filia latitabat; juvenis ille rem aperuit episcopo civitatis ; ille autem imperatori narravit. Cujus precibus venia promissa, utrumque recepit ad gratiam. Huic juveni nomen erat Bonifacius, qui ex imperatoris filia hanc genuit comitissam, quos imperator B auxit ex imperii viribus, eis multa concedens.

CAPUT VI.

De confœderatione Bonifacii cum imperatore Conrado, et ejus morte.

Conradus imperator hujus nominis secundus, dum Parmam obsideret rebellem, hunc Bonifacium ad suum subsidium evocavit. Cujus fultus præsidio, utpote viri viribus strenui et armis edocti, civitatem ipsam obtinuit; quem sibi postmodum ipse imperator astrinxit fœdere juramenti, et multo illum honore provexit. Posthæc Henrico tertio imperante, dum ad bella contra Burgundos idem processisset imperator, præfatus Bonifacius in imperatoris auxilium memoranda pariter et magnifica egit in hostes. Inter quæ istud silentio prætereundum minime duxi. Dum C enim in cujusdam castri obsidione multos Bonifacius ex Burgundionibus ferro cepisset, minatus est eorum nasos et auriculas mutilare. Adfuit ibi matrona quædam nobilis et dives, quæ tantum argenti pro filii redemptione se daturam est pollicita, quantum in trutina positum moles corporis ponderaret. Cui Bonifacius, caput quatiens : Absit hoc, inquit, ut hostes ferro capti redimantur argento ! volo ut hujusmodi pœna posteritati vestræ sit opprobrium sempiternum. Incisis igitur naribus et sectis auribus, tres jussit onustari clypeos. Hunc imperator Henricus idem Bonifacium, sola stimulante invidia, cum videret eum magnificis actibus strenuum, sæpius tentavit dolo occidere. Sed, Deo custodiente et eo D semper insidias dissimulante, imperator suo conamine frustratus est. Fuit quoque sæpe diebus Bonifacius in divinis sollicitus, savos (955) etiam honoravit pontifices, clerumque valde dilexit, et præcipue monachos. Pro divino autem amore, et munificentiæ suæ eis dexteram aperuit ; delictaque propria illis confidens, condignam sumpsit pœnitentiam. Tandem cum votum vovisset Christi visitare sepulcrum, et pro sua expedienda peregrinatione omnia complevisset, illo vocante in cujus manu sunt hominum vitæ, universæ carnis viam ingressus est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, qui fuit annus duodecimus Henrici tertii, et

(955) Id est sapientes. An potius legendum *sanctos?* Scribe : *Sacros.* MUR.

Mantuæ sepultus est. Post quem conjux ejus illustris comitissa Beatrix annis quindecim supervixit, universam marchiam rite gubernans, filiamque Mathildem diligenter nutriens, bonis eam moribus et virtutibus informavit. Duo fundavit monasteria, Fraxinorense scilicet et Canusinum, illisque prædia magna donavit. Demum, infirmitate correpta, decima octava Aprilis die, anno gratiæ millesimo septuagesimo sexto, Henrico quarto imperante, feliciter ab hac luce migravit, corpus ejus Pisis conditum est.

CAPUT VII.

De fama comitissæ Mathildis, et de fama et opinione ejus mariti.

Mathildis igitur comitissa, defunctis patre Bonifacio et matre Beatrice, tum morum probitate, tum progenitorum præclara prosapia multis in regnis nota efficitur et famosa. Hanc enim Græcorum principes, Alemannorum, Russonum, Saxonum, Frisonum, Arvernorum, Vasconum, Francorum, Lotheringorum et Britannorum multis extollebant laudibus, et multa sibi dona transmittebant. Inter quos Alexius Græcorum, et Alemannorum reges ejus conjugium petierunt, et alii quoque multi præclari duces et principes, quibus placide, non tamen efficaciter respondebat; hæc enim semper erat facie hilaris, mente quieta, corporeque decora; Teutonicam, Francigenam et Lombardicam optime novit linguam. Inter cæterasque nationes fovit amore præcipuo Lombardos. De viro autem hujus comitissæ Mathildis exstat in dubio. Per hæc enim verba videtur hujus historiæ scriptor innuere comitissam hanc non habuisse maritum, cum in sequentibus etiam quod habuerit, vel filios genuerit, nullam facit mentionem. Scribitur tamen in libro qui dicitur Copia Landulphi de S. Paulo, quod ad secessum residens dux quidam nomine Gothfridus, Gothfridi filius, gladio confossus interiit, conjuge relicta Mathilda, Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia; per quod nascitur quod hæc comitissa alicui viro nupserit, huic scilicet Gothfrido. Est et aliquorum opinio quod iste Gothfridus dux fuerit Spoletanus, quanquam in eadem copia ejus non nominetur ducatus. Scribit enim Martinus Polonus in Chronica sua, quod Gothfridus Spoletanus dux et comitissa Mathildis devota filia sancti Petri, Nortmannos expulerint: qui in præjudicium Ecclesiæ, Alexandro papa secundo præsidente natione Mediolanense, regnum Apuliæ invaserunt, et fines Campaniæ devastabant. Ponit quoque Jacobus de Varagine, ord. Fratrum Prædicator., archiepiscopus Januensis, in Chronica sua, quod hæc Mathilda tradita nuptui, cum de viro suo filium genuisset, propter dolores quos in partu senserat, noluit postea viro suo conjungi; sicque filio mortuo, eaque superstite, sine liberis tandem ultima defecit. Fertur etiam quod, per ipsius partus dolores animata in maritum, ipsum fuerit insecuta, et forte (ut aliquid autumant), per modum qui dictus est, in eum necem a filio inferit procurasse (*sic*). Et

A propterea divina occulta ultione postmodum viduata marito, filioque ea superstito privata, multis prius bellorum conflictibus et adversitatum stimulis lacessita, ut patebit in sequentibus, et suorum ultimam decessisse, et pro suæ remedio animæ quæ possidebat apostolorum clavigero reliquisse. Scribitur autem in libro qui Darius appellatur, quod hæc comitissa Mathildis cum jam duobus fratribus emortuis, quos Henrici imperatoris calliditate occisos fore credebat, seque solam videns superstitem, serpente qui olim protoplastos in paradiso Dei decepit callidior, ipsumque quærens imperatorem a regno privare dolis acutissimis, non armis laborans, septimo adhæsit Gregorio, qui prius Ildeprandus dictus est. Quæ cum adhuc virgo Gigonem virum prudentissimum

B Northimandiæ ducem duxisset in maritum, per annos paucos secum morata, super se jam pœnitens alicujus habere dominium, consilio inito cum vernula sibi fidelissima, ipsumque ad cloacam super lacum sedentem per secessum immisso ense fecit interimi. Cum autem robur a Tuscia usque Romam comitatus sui fere sola exerceret, pactoque secretissimo habito cum eodem Ildeprando, Ecclesiæ Romanæ tunc diacono, nec non cum quamplurimis religiosis a finibus Albini et Ruffini sparsis, quatenus sine consensu imperatoris in pontificem Romanum eligerent, ut consecraretur operam dedit. Sed ne sermo præsens videatur mortuos accusare, ad subsequentia procedatur.

CAPUT VIII.

C *De pace facta per comitissam inter imperatorem et papam.*

Post mortem itaque matris comitissæ Mathildis discurrente fama per orbem regem Henricum hujus nominis IV, Ildebrando consentiente, qui et Gregorius VII, cum suis fautoribus, anno ejusdem Henrici vigesimo primo, qui fuit an. Dom. 1077, a matris Ecclesiæ sanctæ gremio segregatum, et Alemanni duces, scilicet Bertholdus, Rodulphus et Unelpho cum multis comitibus et episcopis ab ejus se traxere consortio, cum multa infamia denotantes; quod imperator agnoscens, ad consobrinam suam Mathildam comitissam illustrem nuntios direxit, ut ipsa consilium exquireret propter quod papa Lombardiam properaret, promittens satisfacere de commissis. Pro-

D curante igitur eadem comitissa honorifice suscepit, ubi etiam imperator Henricus adfuit. In præsentia igitur episcoporum et principum, inter quos erat venerabilis Ugo Cluniacensis abbas, imperatoris Henrici in lavacro pater, de pace tractabatur. Cumque tribus jam super his decursis diebus, nullum pacis tractatus sortiretur effectum, imperator abbatem Ugonem humiliter deprecatus est ut sibi pro pace fidejussor existat; quod ille sibi non licere respondens, astans comitissa pro imperatore preces ingeminat. Cui et abbas ipse respondit: Tu sola potes hoc exsequi: tunc supplex imperator consanguineam rogans ut, ea intercedente, a Romano pontifice benedictionem suscipere mereatur; quod se acturam promittens statim ad summum pontificem abiit, cum-

que suppliciter allocuta, tandem annuit. Credidit verbis ejus, petiitque ut sibi et Ecclesiæ Romanæ ab ipso imperatore fidelitatis juramentum præstetur. Imperator itaque ad præsentiam papæ nudis pedibus super nivem et glaciem incedens venit, et in modum crucis se in terram ante pedes pontificis jactans: Parce, inquit, beatissime Pater, parce. Cujus papa præsentia miseratione motus, benedixit, et ad pacis osculum admisit, missaque solemniter decantata, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in pacis et concordiæ signum eum fecit communione participem, et in arcem Canusinam eum deduxit mirabiliter collætantes. Sicque Mathildæ magna prudentia consolidata sunt inter imperatorem et papam pacis fœdera, invitis tamen quibusdam episcopis, et in lite manentibus, prout subsequentia declarabunt.

CAPUT IX.

Qualiter papa et comitissa, imperatoris fide mutata, insidias evaserunt, et sibi et suis adversati sunt.

Post hæc imperator, papa dimisso in oppido Canusino, Regium perrexit, quam civitatem quidam depopulabantur episcopi, videlicet Mutinensis, Cremonensis et Bononiensis, de pace inter papam et imperatorem plurimum metuentes. His erat auctor Guibertus archiepiscopus Ravennensis, natione Parmensis, vir nobilis et astutus; hic autem imperatoris mentem adeo pervertit a papa, ut de pacis compositione pœnitens papam conceperit captivare. Die igitur 6 ex quo discesserat a papa Bibianellum remeavit, ad quem papa, nec non et comitissa (956): petit imperator cum eis colloquium ultra Padum, quod annuentes, dum transisset imperator, etiam ipsi transire contendunt, conceptæ fraudis ignari. Cumque transissent, venit ad comitissam insinuans quæ latebant. Patefactis itaque insidiis papa cum comitissa ad oppidum rediit, imperatorem minime revisurus. Hæc audientes episcopi supradicti læti sunt effecti, et maxime Guibertus, qui, hujus seditionis auctor, sedem apostolicam contra Gregorium invadere satagebat. Quem tandem imperator laudavit in papam. Seditiosi namque memorati episcopi apud Brixiam convenientes, ipsum Guibertum in papam elegerunt, Clementem eum vocantes. Quem postmodum imperator secum ducens Romam, fecit in papam benedici, et ab ipso in die sancto Paschæ imperii diadema suscepit. Mathildis autem comitissa, hæc et hujusmodi acta abhorrens, papæ semper adhæsit Gregorio, per tres menses retinens honorifice in oppido Canusino, qui Canusinam etiam dedicavit Ecclesiam, et libertatis privilegio dotatam eam fecit immunem anno Filii Dei humanati millesimo septuagesimo septimo. Monitis tamen salutaribus comitissam imbuens et divinis præceptis informans, valedixit ei, et Romam perrexit: cui plebs Romana cum grandi exsultatione obviam ivit, eum in pastorem suscepit. Ipse vero omnes imperatori adversantes absolvit ab infidelitate et perjurio. Quod imperator agnoscens cum valido exercitu intravit Italiam, eamque pervagatus, castella fregit et oppida; sola tamen ei restitit comitissa Mathildis. Contra quam imperator magna exardescens in ira, excitat adversus eam prælia, terroresque immittit, et obsidiones minatur; sed cum eidem comitissæ innumerabilia essent præsidia, ab imperatoris oppressionibus semper strenue se defendit: quod imperator advertens, mox properavit ad Urbem, quam, cum sibi non obtemperaret ad votum, obsidione vallavit, eamque depopulatus est, et mœnia multa dirupit; postea, Urbe obtenta, statuit in ea, ut dictum est, Guibertum antipapam Clementem appellatum. Gregorius vero papa his graviter offensus, Robertum Guiscardi Apuliæ dominum in suum auxilium evocavit. Quem cum de Apulia venientem imperator audisset, ab Urbe discessit. Sed Guibertus antipapa, præmiis et donis imperatorem alliciens, invasam sedis apostolicæ cathedram detinebat; qui pravitatis hæreticæ limes effectus, multos in Urbe et orbe pariter vitiavit. Ipse enim, divina mandata seponens, leges sacras prævaricabat, Dei Ecclesias destruebat. Gregorium quoque papam severiter persecutus, multos episcopos et viros catholicos flagris afflixit, et carcerum squalore maceravit, imperiali favore suffultus.

CAPUT X.

De thesauro quem misit papa pro Ecclesia Canusina ad instantiam comitissæ Mathildis.

Inter hæc comitissa Mathildis, pio corde flagrans adversus imperatorem et Guibertum antipapam, acta eorum abhorrens, prælia multa gessit, et quoscunque ei adversantes pro posse confovit. Ipsa enim episcopis, clericis, monachis cunctisque erat fida tutela catholicis. Nam quos in hac procella dissidiorum imperator damnabat, spoliabat et exsilio redigebat, ad eam recurrentes, benigno eos solamine, et salubri auxilio refovebat. Inter quos ille venerabilis vir Anselmus episcopus, qui, natione Mediolanensis, postea papa fuit, vocatus Alexander hujus nominis secundus; cui idem Gregorius VII paterno commendavit affectu ut ipsam suis salubribus monitis et benignis dogmatizaret exemplis. Ipsa enim comitissa cum eodem Anselmo episcopo, qui tunc in Lombardiæ partibus Gregorii papæ erat vicarius thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulavit abbati Gerardo ejusdem Ecclesiæ, ut eidem papæ dirigeretur pro defensione Romanæ Ecclesiæ propter persecutionem, ut dictum est, ejusdem Guiberti hæretici. Cui petitioni idem abbas cum grege sibi commisso pro apostolicæ sedis reverentia libenter annuit, et thesaurum alacriter obtulit, videlicet coronas 24, et una illarum erat aurea, cum crucicula una itidem aurea, et duæ tabulæ altaris argenteæ, et coopertura argenti arcæ altaris S. Apollonii, et grande thuribulum argenteum; quo ad totum thesaurum Canusinum septingentæ fuerunt libræ argenti, et novem auri.

(956) Forte omissum *veniunt*, vel *properant*.

Quo Romam transmisso rogante comitissa, idem Anselmus episcopus papæ vicarius, pro aliquantula restauratione ablati thesauri, duas capellas in..... et unam in casula Ecclesiæ Canusinæ supposuit. Acta sunt hæc anno Domini millesimo octogesimo quinto. Post hæc anno Christi millesimo octogesimo sexto, idem Gregorius papa quartadecima die Maii migravit a sæculo, cujus transitus multis fuit mœroris maximi occasio. Quo defuncto, quidam Desiderius montis Cassini abbas in papam eligitur, dictus præterea Victor, qui pauco tempore vixit. Cui successit Odo monachus Cluniacensis, episcopus Ostiensis, dictus Urbanus hujus nominis secundus. Hic omnia acta imperatoris, et Guiberti damnavit, et ad comitissam B. Petri filiam suas exhortatorias litteras dirigens, suorum veniam sibi contulit delictorum.

CAPUT XI.

De persecutione in comitissam pro favore Ecclsiæ, et obsidione Mantuæ.

Cum autem nuntii papæ et comitissæ hinc inde crebro discurrerent, regnum fere contra se eadem comitissa commovit Italicum. Unde multa sunt prælia subsecuta. Ex quibus pars comitissæ multis victoriis claruit. Eo etiam tempore multi ex Italiæ civitatibus, duce quodam Oberto, arreptis armis, ad Urbem properant, cum quibus erat Reginus Parmensis episcopus. Hi terras comitissæ pervagantes, populatione magna in eis sæviebant. Dumque in campis Sorbariæ castrametati essent, quadam nocte dormientes intrepidi, ecce repente milites comitissæ irruunt super ipsos, vociferantes : Beate Petre, auxiliare tuis. Tanto igitur expergefacti terrore clamoreque, tam subito stupefacti strepitu, hinc inde dispersi, terga verterunt. Cæsis itaque et occisis eorum plurimis, multi quoque remansere captivi, inter quos Eberardus Parmensis episcopus fuit. Eo tempore Anselmus Lucensis episcopus defunctus est, et Mantuæ sepultus. Sed in Gestis ejus legi quod factus papa, et Alexander dictus, in Lateranensi requiescit ecclesia. Henricus etiam imperator in persecutionem Mathildis publice jam in suos advertens, abstulit ei quidquid in Gallia ex ipso jure materno et paterno possidebat, Brigerino castro duntaxat excepto, cum revera esset inexpugnabile castrum. Post hæc imperator Mantuam invasit, quam undenis mensibus dira obsidione vallavit. Comitissa vero per internuntios suos sæpe Mantuanos ad constantiam hortabatur, eisque victualia ministrabat. Sed eorum fide mutata sese imperatori tradiderunt, inscia comitissa, quibusdam comitissæ proceribus casu evadentibus, qui in ipsa civitate ad Mantuanorum subsidium residebant. Imperator victa civitate statuit in ea præsulem Cononem nomine, genere Alamannum, fugato inde Ubaldo antistite. Obtinuit præterea imperator fere cunctas civitates et oppida ultra Padum, exceptis Platena et Nogara, quæ in fide comitissæ permanserunt Mathildis. Cepit præterea Minerviam fame afflictam. Comitissa non propterea tamen con- A sternata, videlicet a zelo Ecclesiæ tepescens, per Reginensem et Mutinensem comitatus equitans, propria fortalicia reparabat. Hiemis itaque tempore capto Minerviæ oppido, Athesim flumen imperator paucis comitatus militibus pertransivit. Quod intelligens comitissa, statim contra eum mille armatos equites destinavit. Qui cum Padum et Athesim pertransissent, eos diebus octo imperator sua astutia evitavit. Fingebat enim se nolle confligere bello, dumque ob hoc manerent intrepidi, nullasque suspicarentur insidias, imperatoris milites clam irruunt super eos in loco quidem Tres Comitatus. Multi itaque cæsi sunt; multi etiam capiuntur; alii tandem evaserunt, per devia fugientes. Hujus proditionis auctor Ugo quidam suæ nobilitatis degenerans. B

CAPUT XII.

Deprædatio vexilli imperatoris a comitissa, et de victoria contra eumdem consecuta.

Transacta hieme, imperator cum Alamannis et Langobardis ad montes Mutinensium properavit; cepit autem montem Maurellum et montem Alfredi, ubi captus est Gerardus signifer comitissæ, de cujus captione multum doluit. Postea, castrum Montis Belli obsedit; fultum enim oppidum auxilio comitissæ non potuit debellare. Tunc antipapa Guibertus ad imperatorem venit; et, si Guibertum in papam Romanum cognoscerent, in castro obsessi et afflicti tædio ab imperatore licentiam peterent, eam se daC turum pollicitus est. Quod comitissa non annuit, quibusdam tamen mediantibus proceribus et prælatis; inter quos cum Heribertus Reginensis episcopus inclinari videretur ad pacis vinculum, abbas quidam Joannes nomine comitissæ pacem fieri dissuasit, hanc asserens pacem catholicæ unitati fore contrariam. Animatur itaque comitissa ut in Domino confidens vires assumeret fortitudinis. Hæc autem acta sunt in loco qui dicitur Carpinetum. Multis igitur machinis, et aliis bellicis apparatibus Montis Belli castrum oppugnatum est. Ibique imperatoris filius corruit non sine patris dolore gravissimo; cujus corpus deferri Veronam jussit, et condigno tumulari sepulcro. Videns tandem castrum fore inexpugnabile, ab obsidione discessit, et in ÆmiD liam veniens se Parmam finxit adire. Sed Camisianum rediens decrevit Canusinum castrum invadere, ad memoriam reducens id quod passus fuerat dum ad papæ præsentiam super nivem et glaciem nudis pedibus incessisset. Veniens igitur ad debellandum ipsum Canossæ castrum, milites comitissæ se armis accingunt, et conserta pugna capitur imperatoris vexillum, quod gestabat filius marchionis Adalberti, multique ex imperatoris militibus vulnerantur. Victores itaque Canusini imperatoris vexillum deferunt in castro, quod usque hodie ibidem habetur. Post hæc imperator Pado transmeato discessit. Multi vero, qui ejus metu a comitissa discesserant, ad comitissam redeunt et castra restituunt.

CAPUT XIII.

Qualiter imperatoris filius adhæsit comitissæ], patre relicto, et qualiter Ferrariam recuperavit.

Contigit inter hæc imperatoris infelix augurium. Nam uxor ejus regina Praxedis, ipsius flagitia abhorrens, secreto cum comitissa tractavit divortium. Quod factum eadem comitissa amplectens libenter, solemnes ad eam nuntios Veronæ destinavit, qui eamdem reginam ad Canusinum oppidum perduxerunt. Eo quoque tempore, anno scilicet incarnationis Dominicæ 1097, Urbanus papa comitissæ usus consilio Lombardiam venit, et, concilio Placentiæ celebrato, eodem scilicet anno die Kal. Mart. imperatorem et Guibertum antipapam catholica damnavit sententia, et comitissæ vale dicens transivit in Galliam. Consternatus his imperator, accitis Veronæ civibus, Nogaræ castrum obsedit. Quod audiens comitissa statim accersitis Mutinensibus Padum transivit. Sentiens autem imperator ejus adventum, viribus destitutus et animo, statim fugam iniit, omni suppellectili in castris relicta, quam comitissa militibus reliquit in prædam. Castrum itaque Nogaræ sic est ab obsidione liberatum. Additur præterea et imperatori casus infestus, ipsum hostilitate invadente domestica. Nam Conradus ejus natus, ipsius scelera exsecrans, ab eo discessit, et comitissæ adhæsit. Cujus consilio filiam Rogerii Apuliæ principis duxit uxorem. Eo tempore Urbanus papa moritur, anno Christi 1099, post quem Paschalis eligitur. Contra quem cum niteretur Guibertus antipapa populos allicere, de medio sublatus est, suum secum deferens anathema. Qui annis 24 Dei Ecclesiam damnoso dissidio perturbavit, de quo quidam hos cecinit versus :

Fletibus et lacrymis si forte fores redimendus,
Fletibus et lacrymis esses, Guiberte, dolendus;
Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
Quem mors non potuit de perfidia revocare.

Eodem etiam tempore præfatus Conradus imperator in mense Julio moritur, anno tertio post Urbani decessum, et Florentiæ sepelitur. Postmodum Ferrariæ civitas comitissæ rebellis efficitur. Contra quam adunato exercitu ex Tuscis et Lombardis ac etiam Ravennatorum, classeque Venetorum collecta, eam obsedit, sed pace interposita ad fidem rediit.

CAPUT XIV.

Qualiter comitissa abbatem Bernardum a carcere liberavit, et de Henrico imperatoris filio, qui, comitissa favente, regnum patris obtinuit.

Inter hæc Paschalis papa Bernardum, Vallis Ambrosiæ abbatem, et Romanæ Ecclesiæ cardinalem, virum utique maxima veneratione dignum, ob tutelam Mathildis in Lombardiam direxit. Quem cum ipsa honorabiliter, suscepisset, et ejus boni odoris fama inter Lombardos cresceret, multi eum ex Parmensibus rogaverunt ut se ad civitatem ipsam conferret, et falce verbi Dei sentes inde exstirparet hæreticas; qui de consilio comitissæ, condecenti clericorum comitiva, ad civitatem ipsam perrexit. Instante itaque solemnitate gloriosissimæ Virginis Matris Dei, ad majorem ecclesiam, quæ ejus est insignita vocabulo, missam celebraturus accessit; et dum ibi, universa astante plebe, post evangelicam lectionem populo prædicasset, et nonnullis verba ejus, qui imperatori adhærebant, gravia exstitissent, posito vino et aqua in calice ut Deo offerret sacrificium, magnus in ecclesia insonuit tumultus, sexus hominum utriusque diras blasphemias, et minas terribiles adversus Dei hominem, scilicet abbatem prædictum, nefarie inclamantes, et ipsum reum morti adjudicantes, tanquam imperatoris æmulum et rebellem. In ipso igitur tumultu fractis et dispersis de altari vitreis vasis, et pretiosa capella quam comitissa diva abbati donavit deprædata, univers abbatis comites et clerici fugerunt; ipse vero intrepidus manens capitur et carceri mancipatur. His comitissa non sine magno dolore auditis, Parmam die tertio cum militibus suis properavit : quem venerabilem virum liberari, et omnia subrepta restitui procuravit, non ultra ad vindictam sceleris procedens, abbate rogante, qui multos, post bonum pacis, amavit. Acta vero sunt hæc anno Filii Dei exorti 1104. Eodem tempore minor imperatoris filius in patrem excandescens, et maximis eum probris afficiens invadere regnum nititur. Uno itaque cum patre prælio congressus victor efficitur; sed imperator evadens vitam mœrore egit, et demum non multo post defunctus est anno Christi 1105, et Spiræ sepultus est. Post cujus obitum papa Paschalis Lombardiam venit, et lætanter a comitissa susceptus est; qui juxta Padum synodum convocans loco qui Guastalla dicitur, Henrici defuncti imperatoris filius Henricus nomine, qui hujus nominis quintus fuit, legatos ad eum misit, petens ut sibi regnandi jus concederet, et sanctæ sedis apostolicæ se devotum fore promittens. Hanc legationem papa libenter amplexatus est. Comitissa vero his patris et regis pia verba laudavit, et papæ magnificavit responsum. Eo tempore Parmenses venientes ad papam, Bernardum abbatem, qui fuerat in ea civitate, ut dictum est, ignominiose tractatus, sibi in episcopum dari petierunt. Qua petitione papa gavisus Parmam cum abbate venit, et ipsum in ejusdem episcopum consecravit, decernens autem Ecclesiam Parmensem ad Romanam spectare sedem anno Christi 1106, deinde Romam reversus est papa.

CAPUT XV.

De pace confirmata inter imperatorem et comitissam, et qualiter imperator regni diadema suscepit a papa.

Post hæc cum imperator Henricus hujus nominis V civitates et oppida debellando prosperaret in regno, volens suæ devotionis ad ecclesiam propalare indicia, venerandos direxit antistites ad urbem Romam anno Christi 1110, seque B. Petri filium spondens per eosdem legatos imperii sui diadema petiit. Quibus papa respondit se coronam daturum, si Romam percepturus accederet. Redeunt igitur legati

et ad comitissam Mathildem divertentes, ab ea hilariter sunt suscepti, et, magnis gratificati muneribus, ad imperatorem tandem reverterunt. Statim imperator coadunato exercitu Lombardiam intravit, et civitates ac castra depopulatus, cunctos ejus ira Lombardos perterruit. Inter has civitates cum Novaria in rebellione persisteret, ea succensa, muros ejus diruit, multamque inde auri et argenti suppellectilem asportavit; sola civitas Mediolani imperatori non obtemperavit ad votum. Cumque propter hujusmodi invasiones comitissa imperatorem haberet exosum, flagrabat cum ea pacem habere. Imperator nihilominus usque ad Thari ripam venit; comitissa vero a Canossa Bibianellum perrexit. Tandem inter eam et imperatorem legati multo habito tractatu pacem mutuam confirmarunt, quam se servaturam comitissa spopondit, Romanæ duntaxat Ecclesiæ fidelitate servata. His peractis, imperator per montem Burdonis (957) transivit in Tusciam, de cujus adventu Tusci trepidantes ei tributa persolvunt. Florentiæ Natale Domini celebravit. Urbem Aretinam fractis muris consumpsit incendio. Veniens tandem Romam quarto Idus Februarii, a papa et clero ac populo solemni processione suscipitur. Intrans vero beati Petri basilicam, et ad universos scalarum gradus genua flectens, ante altare ad pacis osculum a papa suscipitur, promittens ei ecclesias Dei non venditurum, nec investituras facturum nisi per papæ licentiam. Cumque papa ad coronandum eum se pararet, perfidiæ semen æmulus pacis injecit, propositum et promissum imperatoris mutans. Nam petiit a papa sibi jus concedi in dandis episcopatibus et abbatiis per virgam et annulum, quemadmodum sui prædecessores hactenus contulerunt. Quod cum papa renueret, ipsum imperator cum prælatis et omni curia captivavit. Inter quos fuit Bernardus Parmensis episcopus, et Senior Reginus episcopus. Pro quibus episcopis et cæteris Lombardis captivis vir nobilis et eloquens, Arduinus comitissæ legatus, imperatorem alloquitur, et pacis pactum commemorans, libertati donati sunt. Imperator tandem, ad cor rediens et futura pericula metuens, papam et prælatos relaxavit, et, pace cum eo facta, ab ipso imperialem benedictionem et imperii diadema suscepit. Investituram quoque virgæ et annuli sibi concessit anno Christi 1111. Rediens igitur imperator Lombardiam Bibianellum venit, ubi comitissa residebat, et, tribus diebus cum ea moratus, tandem in Alemanniam pervenit.

CAPUT XVI.

De rebellione Mantuæ, et qualiter se reddiderunt comitissæ.

Cum autem eadem comitissa Mathildis duces, principes, comites superasset, ac civitates et oppida sibi rebellia subdidisset, sola Mantua per annos 23 in rebellione permansit, imperatoris edicta in favorem comitissæ eis transmissa penitus vilipendens.

A Hac igitur rebellione durante, hujusmodi turbationis civitatis casus eidem comitissæ emersit. Cum autem in monte Baruntio comitissa maneret graviter infirmata, fallax de ejus morte fama personuit. Mantuani igitur gavisi, et famam hanc divulgantes, Ripaltam comitissæ castrum tertio ab urbe Mantuæ milliario distans invadunt. Custodes vero castri, tum ex subita invasione, tum ex falsa comitissæ fama prolata timore multo percussi, castrum Mantuanis hac conditione tradiderunt: ut videlicet, si viveret comitissa, contra eam nullatenus teneretur. Sed Mantuani perfidiæ vitio repleti, habito castri dominio, decreverunt illud incendio dissipare. Interea venerabilis Manfredus episcopus Mantuam venit referens comitissam vivere. Quod audiens populus Mantuanus, B ira frendens, vix manus ab ipso continuit, sed generis ejus nobilitas eorum repressit audaciam. Castrum vero Ripaltæ flammæ et ruinæ traditur, et per mensem inde Mantuam spolia deferuntur. Hæc autem omnia comitissam latuerunt: nolebant enim fideles ejus ægritudine afflictam hoc damnabili rumore contristari. Sanitati tandem restituta, cognitoque quale sibi Mantuani damnum intulerant, dixit tempus adesse quod suis erat demeritis Mantua subvertenda. Suos igitur hortatur ad bellum, et armata classe ad Mantuæ obsidionem properavit. Dum autem gravis Mantuanos arctaret obsidio, magno timore consternati defensores eorum in diversas trahunt sententias. Quidam enim resistendum esse C decernunt, pars infirmior mœnia exire contendit. Hac tandem fluctuatione trepidi, vacillantes, a comitissa utrique supplices petierunt veniam. Cumque comitissa eorum legatis aures præberet adversas, et torvis eos aspiceret oculis, mitissimis tamen supplicationibus et procerum suorum instantissimis precibus ejus placatus est animus. Civitatem itaque sibi tradiderunt, fidelitatis juramenta universi præstantes, et censum annuum pollicentes. Acta sunt hæc Bundoni (958) in mense Octobris anno ab incarnato Dei Filio 1014.

CAPUT XVII.

Qualiter erga Dei cultum fuerit devota, et de ejus transitu glorioso.

Illustris itaque comitissa, miris florens virtutibus, D cultui divino semper erat intenta, inopes sustentans, oppressos relevans, et Dei famulos perhonorans. Hæc et sanctæ religioni, psalmodiis et orationibus assidue intendebat, ecclesias et Dei ministros paramentis et vasis sacris magnifice ditavit. Fuit etiam scientiarum studio dedicata, et liberalium artium grandis bibliotheca sibi non defuit. Pro Christi quoque Ecclesia prælia multa gessit. Cum autem in Bondeno pago moram traheret, volens ibi Natale Domini celebrare, venit ad eam magnus ille religionis Pater Ponzo, Cluniaci abbas, octavo die ex quo Roma discesserat; qui, suo more ab ea susceptus, dum in Natale Domini officium decantaret, comitissa pro

(957) Bardonis.

(958) Bondeni.

Dei reverentia ad officium perrexit, et devote audivit : sed immensum noctis gelu adeo ejus membra diriguit et corpus afflixit, ut postmodum lecto decumberet ægra. Superveniente autem apparitionis die, iterum languida missam audivit, et iterum lecto decubuit. Cumque abbas ab ea recederet, ipsa, ejus precibus fidens, pallia vestesque sacras, argentea vasa, nec non et crucem sanctam gemmis ornatam, ei pia Dei cultrix donavit. Adveniente autem quadragesimali jejunio, cum, infirmitate debilis, jejunare contenderet, astantes episcopi contradicunt, decernentes, ut potius jejunium eleemosynarum largitione persolveret. Succrescente vero languore, ecclesias Dei, maxime Canusinam, prædiis amplificare studens, ei multa donavit. Famulos suos innumeros post ejus mortem ingenuos esse jussit. Ante domum quoque in qua ægra lecto jacebat, ad Dei honorem sub titulo apostoli Jacobi Zebedæi ecclesiam jussit fabricari, quam etiam paramentis ditavit et agris, quam dedicavit adhuc ea vivente episcopus Reginus. Cumque laboraret in extremis, idem episcopus Reginus corpus Dominicum ei tradidit, mittens in ejus manibus crucem Christi; quam dum bajularet, et in ea crebra figeret oscula : Oro, inquit, te, Christe, quem semper colui, semper amavi, ut sordium mearum digneris mundare piacula. Post hæc sanctum accipiens sacramentum, corpus Christi scilicet reverendissimum, ait : Tu spes mea unica et singulare refugium, quæso me salvam digneris suscipere, et hæc dicens migravit ad Dominum, anno humanatæ Divinitatis 1115, vigesima quarta die julii, ætatis autem suæ anno 69, qui fuit annus imperii Henrici V octavus, in sede apostolica præsidente Paschali hujus nominis II, Philippo hujus nominis I regnante Francorum rege.

CAPUT XVIII.

De ejus sepulturæ opinione.

De sepultura hujus comitissæ Mathildis nulla expresse historia continet, quam invenerim. Videtur tamen manifeste quod apud Canossam tum lata non sit. Compilator enim supradictæ Historiæ, a quo hæc sumpta sunt, in carmine quo ejus mortem deplorat, orat S. Apollonium Canusini oppidi patronum, quod, licet injustum sit ut ipsa comitissa suum in ejus ecclesia sepulcrum habere respuerit, ubi et progenitores ejus quiescunt, quia tamen semper eum devote coluit, ante pium regem pro ea veniam deprecetur; non tamen scribit in quo loco fuerit tumulata. Verum tamen mausoleum ostenditur in monasterio S. Benedicti de Padolirone Mantuanæ diœcesis, a quodam Tedaldo Bonifacii patre genitoris comitissæ juxta Padum fundato, quod a Mantua decem milliariis distat, in quo dicitur et creditur tumulata. Est enim grandis arca lapidea, ex candidissimo ac limpidissimo alabastro, quæ ob ejus memoriam in magna reverentia servatur. Ipsum quidem cœnobium ab avo ejus constructum amplissimis dotavit possessionibus, et aureis argenteisque vasis et palliis ac etiam paramentis pretiosissimis ditavit pariterque decoravit. Ibi etiam libellus habetur in thesauris reconditus, argento redimitus et auro, in quo hæc Historia metrice est descripta. Hæc etiam comitissa, ut scribitur in Chronicis, cum amplissimis abundaret possessionibus, et filio hærede careret, totum patrimonium suum super altare sancti Petri obtulit, et Dei ecclesiam sanctumque Petrum sibi fecit heredem. Quod patrimonium hodie dicitur patrimonium S. Petri, quod est a Radicafano usque Cezanum (959).

Explicit Historia memorandæ comitissæ Mathildis.

Anno Dom. 1445, die 9 mensis Augusti, qui est vigilia S. Laurentii post vesperas, translatum olim corpus magnæ et nobilissimæ comitissæ Mathildis, imperialis generis, quæ fuit præcipua et singularis dotatrix hujus monasterii S. Benedicti de Padolirone, post patrem suum Bonifacium marchionem, et post avum suum Thedaldum marchionem et fundatorem hujus monasterii, quod prius steterat super octo columnas in ingressu ecclesiæ inter primam et columnam secundam, a sinistris ipsius ecclesiæ, quoniam jam pro magna (mole) ipsæ columnæ octo fractæ erant : et collocatum fuit ulterius in sinistris juxta parietem ecclesiæ ex latere tumbæ S. Simeonis; aperto prius tumulo ad certificationem veritatis coram reverendo domino Guidone de Gonzaga reædificatore ipsius monasterii, et domino Eusebio abbate ipsius monasterii, ac conventu ejusdem monasterii et multis aliis; et comperto eodem corpore integro, unico, ac femineo, et coram eis clauso : et est juxta altare S. Justinæ.

DE AUCTORE SEQUENTIUM OPUSCULORUM.

(Gretserus, Opp. tom. VI, pag. 23.)

Manuscriptus codex cathedralis ecclesiæ Ratisbonensis auctorem vocat *Bernaldum*. Suspicor illum esse de quo hæc Trithemius in lib. De illustribus viris Germaniæ, et in catalogo scriptorum ecclesiasticorum : *Bernoldus presbyter Ecclesiæ Constantiensis in Suevia, natione Teutonicus, vir devotus, et in Scripturis SS. studiosus, et eruditus, atque in disciplina sæcularium litterarum sufficienter instructus, ingenio clarus, et comptus eloquio, reliquit studii sui nonnulla opuscula quæ tamen ad notitiam nostræ lectionis minime venerunt,* etc. *Claruit temporibus Henrici IV,* 1060. Hæc Trithemius.

(959) Ceperanum.

Nec refert quod apud Trithemium legitur *Bernoldus*, in nostris vero codicibus *Bernaldus*, quia unius litteræ discrimen censeri non debet facere discrimen personarum; præsertim si cætera consonent, ut hic certe consonant. Quid quod Bernaldus seu Bernoldus noster esse videtur Bertoldus presbyter Constantiensis, qui edidit Chronicon rerum gestarum post obitum Hermanni Contracti, Henrico IV Romanum imperium gubernante, ab anno Domini 1054 usque ad ejus sæculi finem, annis continuis XLVI? Nam ipsemet Chronici illius editor *Bertoldum* nominat, non nisi ex Cuspiniani auctoritate; et, quæ Trithemius de Bernoldo Scribit, hæc iste ad Bertoldum refert. Et quam parva est differentia inter hæc tria : *Bernaldus, Bernoldus, Bertoldus*. Nam, quod aliqui videntur mutasse in *Bernardum*, id longius paulum a vera orthographia distat, etsi nec tanta est varietas quæ in nomine litteris tam affinibus constante non potuerit accidere.

Fuisse autem Bernaldum, seu Bernoldum istum causæ Gregorii VII, hoc est causæ legibus divini humanique juris consentaneæ, addictissimum, manifestum sit tum ex his quas modo vulgamus lucubrationibus, tum ex Chronico illius, ubi Gregorium VII semper ut virum sanctum, sicut revera erat, prædicat; et adversarios ejus meritis insectationibus prosequitur, ita ut hæretico editori bilem propemodum ob hanc causam moverit.

Bernardus ille, ad quem exstat primus tractatus Bernaldi, et præsertim duæ aliæ ejusdem Bernaldi ad eumdem Bernardum, et una Bernardi ad Bernaldum, alius non fuit quam is de quo Trithemius hæc in libro De viris illustribus Germaniæ, et in catalogo scriptorum ecclesiasticorum : *Bernardus monachus cœnobii S. Viti, Corbeiensis in Saxonia ordinis S. Benedicti, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, atque in sæcularibus litteris sufficienter doctus, ingenio subtilis et clarus eloquio, carmine peritus et prosa. Scripsit nonnulla ingenii sui opuscula, quibus nomen suum posteris notum fecit. Ad Hartwicum* (in Chronico Bertoldi vocatur Hartungus) *Magdeburgensem archiepiscopum, edidit volumen, luculento quidem sed amaro sermone, contra Henricum IV regem sed tertium imperatorem; in quo clare patet quam gravis et odiosus fuerit idem Henricus Saxonibus. Scripsit præterea multas et varias epistolas*, etc. *Claruit ejusdem Henrici IV temporibus, anno Domini* 1070, *et varia composuit.* Hæc Trithemius.

Antequam profiteretur vitam monasticam, magister scholarum Constantiensium fuerat, ut testatur ipse Bernaldus seu Bernoldus in Chronico suo : *Anno* 1088, *Bernardus Constantiensium magister scholarum, vir eruditissimus, in causa S. Petri ferventissimus, in Saxonia* (nimirum in monasterio Corbeiensi), *sub monastica professione migravit ad dominum.* De eodem Bernardo idem Bernoldus, anno 1091 : *Bernardus quoque Constantiensis magister scholarum, cujus obitum supra notavimus, multa nobis sui ingenii monumenta reliquit, multaque pro Catholicis contra schismaticos sui temporis elegantissime scripsit.* Et post multa alia, quæ supra in Apologia pro Gregorio VII testimonio decimo nono recitavimus, deque Bernardi hujus nimio zelo, eo usque progresso ut excommunicatorum sacramenta valere negaret, subdit Bernaldus : *Cæterum, si quis plenius hæc nosse desiderat, scriptum cujusdam ad eumdem Bernardum de eadem quæstione directum diligentissime perlegat; in quo testimoniis SS. Patrum evidentissime docebitur quid sancti Patres de illa quæstione censuerint sentiendum.* Quis est ille *quidam*, cujus scriptum antidoti loco citat Bertoldus seu Bernoldus, nisi ipsemet Chronici illius scriptor et auctor? Quod est hoc *scriptum*, nisi primus tractatus de sacramentis excommunicatorum ad Bernardum destinatus, quem etiam *præceptorem* appellat? Cui adde Apologeticum pro decretis Gregorii VII et epistolam ad Bernardum, quam infra invenies, in qua refellit epistolam Bernardi, quatenus a veritate abibat; ut proinde nullum amplius de Bernaldo qui scribit, et de Bernardo ad quem scribit, dubium supersit.

Eisengrinius in Catalogo testium veritatis profert alium Bernardum monachum S. Blasii, in eodem argumento adversus schismaticos versatum; sic enim scribit : *Bernardus monachus de S. Blasio natione Germanicus, vir sacrarum litterarum studiis doctus, et in primis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, fidei propugnator acerrimus, princeps suæ ætatis philosophorum sacrarumque litterarum doctor subtilissimus, scripsit apologeticas orationes contra schismaticorum objectiones ad Adelbertum Spirensem præpositum; in quibus præcipue defendit quod ipse et alii monachi S. Blasii merito ab excommunicatis abstineant. Circumfertur et ejusdem de lege excommunicationis epistola ad Adelbertum Argentinensem præpositum. De eadem quoque re epistolæ duæ ad Rechonem quemdam, et plura alia scripturarum ejus monimenta Ecclesiæ Dei profutura.* Hæc ille.

Adjungit Epitome Gesnerianæ Bibliothecæ : *Ad paulinam de emptione ecclesiarum epistola. Epistola ad quemdam sacerdotem de Othonis episcopi Constantiensis rejectione, et alterius in locum ejus substitutione. De officio presbyterorum, ad fratres in Rettenbach. Ad Uduvalterum sacerdotem tractatus de solutione juramentorum. Ad reverendiss. antistitem Gebehardum de excommunicatorum ordinatione, et salute parvulorum, qui ab excommunicatis baptizati sunt, et aliis quibusdam ad concilium proxime futurum pertinentibus. Floruit circa annum Domini* 1066.

Testatur eadem Epitome hunc *Bernardum* in V. C. vocari *Bernaldum*. Et ubi de Bernoldo agit, sic loquitur : *Bernoldus presbyter Ecclesiæ Constantiensis scripsit ordinem Romanum lib.* 1, *et alia. Vixit anno* 1060. *Forte hic est Bernaldus de S. Blasio.* Sed probabilius est non esse. Nam Eisengrinius Bernoldum Constantiensem distinguit a Bernardo de S. Blasio. Et nusquam ulla exstant vestigia quod Bernoldus seu Bernaldus, cujus nunc scripta vulgamus, monasticam vitam professus fuerit. Quid si isti ex Bernardo nostro monacho Corbeiensi, prius magistro scholarum Constantiensium, cudissent nobis monachum S. Blasii? Nam, si quis talis exstitit, qui factum ut fugeret Trithemium, qui nullum Bernardum de S. Blasio agnoscit, sed, solum Bernaldum presbyterum, et Bernardum Corbeiensem? Et cur nullus Bernardus Corbeiensis apud Eisengrinium comparet, sed solus Bernardus de S. Blasio, et Bernoldus presbyter Constantiensis, etsi in Epitome Gesneriana comparet Bernardus Corbeiensis? Sed parum interest : licet quis tres diversos fuisse statuat, dummodo Bernardum seu Bernaldum de S. Blasio cum nostro Bernoldo seu Bernaldo non confundat.

Cæterum Adalbertus, qui cum Bernaldo duas epistolas ad Bernardum Constantiensium scholarum magistrum et postea monachum Corbeiensem misit, non videtur esse alius quam ille de quo Bernaldus ipse in Chronico : *Doctor Adalbertus facto verboque disertus, jam* XXX *annis mundo crucifixus, et in fine ad evangelicam perfectionem perductus, migravit ad Dominum tertio Nonas Decembris*, nempe, anno Domini 1079.

Alboinus, ad quem Bernaldus aliquot epistolas scribit, adeo placuit Illyrico ut eum inter testes Lutheranæ veritatis posuerit in suo catalogo : *In fragmentis Aventini*, inquit Illyricus, *invenio Alboinum quemdam, admodum doctum virum, qui ante* CCCC *annos vixit, defendisse conjugium sacerdotum.* Scilicet quisquis castitati, seu continentiæ, et apostolicæ sedis sanctionibus adversatur, is derepente vir doctus et pius in Illyrici schola efficitur, etiam absque doctrina et pietate, aptusque est, testari veritatem, sed Lutheranam et

Calvinianam; nam Alboinum fuisse non doctissimum satis testantur ejusdem *male tornatæ epistolæ*, ut merito a Bernaldo appellantur. Sat præfationis. Jam opusculorum indicem subjiciamus, et postea Bernaldum ipsum audiamus.

INDEX OPUSCULORUM BERNALDI CONSTANTIENSIS PRESBYTERI.

BERNALDI PRESBYTERI

TRACTATUS DE SACRAMENTIS EXCOMMUNICATORUM

JUXTA ASSERTIONEM SANCTORUM PATRUM

Nunc primum editus ex bibliotheca admodum reverendi ac nobilis capituli ecclesiæ cathedralis Ratisbonensis.

Religiosissimo sacerdoti ac prudentissimo præceptori Bernardo, jam ipsius regis cubiculum (960) ingresso, Bernaldus solo nomine presbyter, non moribus, devotissimæ orationis atque servitii certitudinem.

De sacramentis excommunicatorum, unde jam dudum ante multos annos multa ad invicem scripsimus, nec tamen eo tempore aliquam certitudinem invenire potuimus, tandem quid Dei clementia parvitas nostra invenerit vobis libet intimare, vestroque examini præsentare. Non enim jam modo, ut quondam, vestri examinis censuram subire timemus sed optamus, qui olim manum nostram ferulæ vestræ in scholis multoties subduximus (961).

Sententiæ sanctorum Patrum de sacramentis quæ extra Ecclesiam catholico more fiunt diversæ repe- C riuntur; quarum quædam eadem penitus annullare videntur, quædam autem, etsi recipi ea prohibeant, non tamen prorsus eorum confectionem denegant. Nam beatus Leo papa primus (*epist.* 75, *decr.* 2, p. c. I, q. I, c. 69) scribens Leoni Augusto de Alexandrino Timotheo excommunicato : *Manifestum est,* inquit, *per crudelissimam insanissimamque vesaniam* [*sævitiam*] (in Alexandrina sede) *omne illic cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et* B *parricidalibus manibus* [*impiorum*] *omnia se subtraxere mysteria.*

Item B. Innocentius papa (*epist.* 27) scribens omnibus episcopis de ordinationibus extra Ecclesiam, asserit dicens : *Qui honorem amisit, honorem dare non potest; nec ille aliquid accipere, quod nihil in dante remansit quod ille posset accipere.* Acquiescimus, et verum est quia quod non habuit dare non potuit. Damnationem ergo quam habuit, per pravam manus impositionem dedit. Item beatus Pelagius papa Joanni patricio scribens : *In schismate,* inquit, *non consecratur, sed exsecratur episcopus.* Item S. Gregorius papa (962) primus de ordinatione Maximi Salonitani episcopi præsumptoris scribens : *Quam rem,* inquit, *nos nullo modo possumus dicere consecrationem, quod ab excommunicatis celebrata est.* Hæ nimirum sententiæ videntur sacramenta excommunicatorum proscribere; cum per manus eorum non consecrationem, sed damnationem et execrationem administrari pronuntient.

Sunt autem aliæ, quæ et extra Ecclesiam sacramenta posse confici affirmant. Sicut illud B. Anastasii papæ ad Anastasium imperat. de sacramentis Acacii (*epist. unica, sub finem*) : *Ideo hic* (Acacius), *cujus nomen dicimus reticendum, male bona ministrando, sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacra-*

(960) Quia monasticum ordinem Corbeiæ amplexus fuerat.

(961) Bernaldus discipulus Bernardi Constantiensium scholarum magistri, postea monachi Corbeiensis.

(962) S. Gregorius Magn., lib. III, epist. 20, ubi sic

mentum, quod per illum datum est, in aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit (963). [*Quod cum ita sit,* ed Rom.] *aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginentur, prolato a papa Felice judicio, postea inefficaciter in sacramentis* quæ Acacius *usurpavit, egisse*; *ac proinde* [*perinde,* sic Rom. ed.] *eos metuere qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia divina videantur, meminerint, in hanc partem quoque* [*hac quoque parte,* ed. Rom.] *similiter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione sacerdotii adjudicatus hoc egit; in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis, rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum pertinet* [*pertinuit,* ed. Rom.] *quod tuba Davidica canitur; Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in deliciis* [ed. Rom., *delictis*] *suis* (*Psal.* LXVII). *Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam; quod universa Scripturarum testatur auctoritas. Sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in propheta : Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam* (*Psal.* C). *Unde cum sibi sacerdotis nomen vindicaverit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est; quia non populus, qui in ministeriis* [*mysteriis,* ed. Rom.] *donum ipsius sitiebat, exclusus est : sed anima sola illa, quæ peccaverat, justo judicio propriæ culpæ erat obnoxia.*

Item beatus Augustinus Vincentio Donatistæ scribens : *Ecclesiæ,* inquit, *sunt omnia sacramenta Dominica; quæ sic habetis et datis, quomodo habebantur et dabantur etiam antequam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis quod non estis ibi unde sunt quæ habetis.* Et post pauca : *Nobiscum estis in symbolo, in baptismo, in cæteris sacramentis : in spiritu autem unitatis et vinculo pacis, in ipsa denique catholica Ecclesia nobiscum non estis.*

Sed hæ sententiæ etsi diversæ, a veritate tamen deviare nusquam probantur, si competenter intelligantur, videlicet si superiores sententiæ ad effectum baptismi referantur, qui nusquam esse posse extra Ecclesiam veraciter asseritur, et inferiores ad veritatem sacramentorum referantur, quæ eadem integritate et bonis et malis adesse creduntur, ac si uno ore ipsi sancti Patres nobis communiter dicerent : extra Ecclesiam nec sunt nec fiunt sacramenta effective, id est cum salute animæ; attamen eadem inutiliter, imo perniciose, et esse et fieri non denegamus. Si enim ea extra Ecclesiam esse vel fieri penitus denegarent, nullatenus eadem in reconciliatis rata haberent. Nam prædictus papa Leo clericos hæreticorum cum ordine recipi concessit, qui tamen omnia sacramenta manibus damnatorum subtracta superius asseruit. Item B. Innocentius, qui ordinationem hæreticorum non nisi damnationem esse prædixit, ordinationes Novatianorum cum Nicænis Patribus ratam esse probavit, cum eum non reordinandum esse judicavit, sed acceptum ordinem administrare permitteret. Item Nicænum concilium clericos Novatianorum cum ordine recepit. Itidem Africanum concilium de clericis Donatistarum fecit, videlicet ut reconciliati ordinem utiliter administrarent, quem extra Ecclesiam sine effectu, hoc est sine salute animæ, imo perniciose percepissent. Hinc B. Augustinus scribens ad Bonifacium de clericis Donatistarum conversis : *Sint* inquit, *in Ecclesia clerici, sint episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter.* Omnes sane ejusmodi sententias, quæ consecrationem foris factam in tantum damnant ut eam non nisi damnationem sive exsecrationem et maledictionem dicant, non ad ipsa sacramenta, sed ad effectum eorum congrue referimus, ne eadem sacramenta exsufflare videamur, quæ sancti Patres in inconversis integra esse docuerunt, cum conversos non reordinarent, sed foris acceptum ordinem administrare permitterent.

Illud quoque (964) quod B. Pelagius papa scribens illustribus viris, Viatori et Pancratio, dicit : *Corpus Domini non esse, quod schismaticus conficit,* ita congrue intelligitur, ut ipsi non sit corpus Domini effective; sicut e contrario in missa oratur a sacerdote, ut *fiat nobis corpus Domini;* videlicet ad salutem animæ. Hinc et sanctus Gregorius in Dial. libro IV (cap. 59) : *Tunc,* inquit, *vere pro nobis hostia Deo erit, cum nos ipsos hostiam fecerimus.* Est quidem etiam peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro, verusque sanguis; sed essentia, non salubri efficientia. De effectu, inquam, sacramenti, non de ipso sacramento illud dictum competenter interpretamur, ne beato Augustino contradicere videamur. Qui Eleusio et felici grammatico scribens, etiam Donatistas et in dissensione et in schismate sacrificare testatur. Idem ad Bonifacium : *Hæretici,* inquit, *non quærunt Spiritum sanctum nisi in Christi corpore, cujus habent foris sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus illud est sacramentum, et ideo sibi judicium manducant et bibunt; unus enim panis sacramentum est unitatis.*

Hujusmodi distinctionem inter sacramentum et ejus effectum cum quidam ex antiquis Patribus minus attenderent, ad hoc devenerunt ut et baptismum in hæresi susceptum nihil esse putarent, beato Augustino attestante in lib. VI contra Donatistas (cap. 1) : *Nec ob aliud,* inquit, *visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu vel usu sacramenti; et, quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur :* sed considerato eo

verba præsentantur : *Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata.*

(963) Verba *ei autem obfuit* supplevit editio Romana.

(964) Non exstat in edit. Rom.

quod et reprobi in Ecclesia sine effectu sacramenta habent, et tamen habent, itidem et ab his qui extra Ecclesiam sunt eadem perniciose haberi, et tamen haberi pastores ecclesiastici censuerunt. Unde idem doctor in tertio libro contra Donatistas (*cap.* XIX) : *Hæretici habent* [*tenent*] *sacramenta et Scripturas ad speciem, non ad salutem.* Item in quarto (*cap.* XII) : *Nec foris, sicut nec intus quisquam qui ex parte diaboli est, potest vel in se vel in quodam maculare sacramentum, quod Christi est.* Item in quinto (*cap.* XIX) : *Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur; et sacramenta Dei ubique recta sunt; et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt,* id est, intus et foris.

Item ad quemdam Festum (*epist.* 167 *ad Festum*) : *Neque* inquit, *sacramenta eorum* (Hæreticorum) *nobis inimica sunt, quæ cum illis nobis sunt communia, quia non humana sunt sed divina. Proprius eorum error auferendus est, quem male imbiberunt; nunc sacramenta, quæ similiter acceperunt; quæ ad pœnam suam portant et habent, quanto indignius habent, sed tamen habent.*

Item in expositione super Epistolam S. Joannis (*epist. Joan. tractatu* VII) : *Habere,* inquit, *baptismum et malus potest; habere prophetiam, et malus esse potest. Invenimus Saulem regem habuisse prophetiam, qui persequebatur sanctum David; et impletus est spiritu prophetiæ, et prophetare cœpit. Accipere sacramentum corporis et sanguinis Domini et malus potest. Nam de talibus dictum est : Qui manducat et bibit indigne* (*I Cor.* XI). *Habere nomen Christi, et malus esse potest, id est, Christianus vocari et malus esse potest. De quibus dictum est : Polluebant nomen Dei sui* (*Ezech,* XXXVI). *Ergo habere sacramenta ista omnia, et malus esse potest; habere autem charitatem, et malus esse non potest.* Item ad Emeritum hæreticum [*Donatistam*] *epist.* 164 *sub finem*) : *Vos,* inquit, *mutamini ex ea parte, qua dissentiebatis; quamvis sacramenta, quæ habebat, cum eadem sint in omnibus, sancta sint. Quapropter vos mutari volumus a perversitate, id est, ut denuo radicetur vestra præcisio. Nam sacramenta, quæ non mutastis sicut habetis, approbantur a nobis, ne forte, cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis mysteriis Christi, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam.* Idem in lib. I contra Donatistas (*cap.* XIII) : *Sic et illa* (sacramenta) *quæ schismatici et hæretici, si non aliter habent nec aliter agunt quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed approbamus.*

Ex his ergo sententiis evidentissime declaratur etiam extra Ecclesiam esse Dei sacramenta, cum in conversis non iterentur, sed potius rata esse judicentur. Eadem autem ratio et de ordinatione et de baptismo foris accepto tenenda est. Nam, juxta Augustinum, *nulli sacramento injuria facienda est.* Si discedit a malis, utrumque discedit; si permanet in malis, utrumque permanet; *aut enim conversus administrat quod administravit, si hoc utilitas Ecclesiæ exegerit; aut, si non administrat manus tamen ei inter laicos non imponitur, eo quod sacramentum ordinationis obtineat.*

Quia igitur tam egregii doctoris assertioni et nos absque scrupulo acquiescere debemus, quem et Romani pontifices, juxta attestationem sancti Cælestini papæ inter magistros, dum adhuc viveret, habuere, cujus et opuscula post mortem ejus pro authenticis recipienda synodali judicio decrevere; quapropter illud scriptum musici Widonis (965), quod sub nomine Paschalis papæ honorastis, non in tantum attendere debemus ut contra assertionem præfati doctoris sacramenta ab hæreticis usurpata temere exsufflemus. Scribit enim satis improvide de annullandis Simoniacorum sacramentis, cum piæ memoriæ Petrus Damiani cardinalis Ostiensis episcopus, religione et eruditione nominatissimus, et in hujusmodi causis sagacissimus, non minus per Simoniacos quam per alios hæreticos sacramenta decurrere probaverit in libro suo, quem *Gratissimum* cognominavit. Sancta quoque Romana Ecclesia nonnihil eos sacramentorum habere demonstravit, cum in tempore Nicolai papæ gratis ordinatos a Simoniacis in acceptis ordinibus permanere concesserit. Quod autem Simoniaci sacramenta habere dicuntur, non ad honorem eorum, sed ad contumeliam est referendum, cum tanto magis sacrilegi deputentur, quanto sanctius est quod contra fas et jus usurpare non verentur. Eo usque tantum humanam pravitatem insequi debemus, ne, juxta Augustinum, divinis mysteriis sacrilegam faciamus injuriam, quæ pravitate hominum nullo modo depravari potuerunt.

Sed et sacramenta neophytorum proscribere non audemus, quorum ordinationes sancti Patres ratas esse censuerunt, cum eos acceptum ordinem administrare permitterent. Hinc beatus Leo papa primus, (*epist.* LXXXVII) scribens ad episcopos Mauritaniæ, eos qui ex laicis ordinati sunt in ordine concessit permanere. Item S. Ambrosius in ordine quem neophytus utpote in octava die post baptismum accepit, [*f.* si] usque ad finem vitæ Deo digne divina sacramenta ministravit (PAULIN. *in Vita S. Ambrosii*). Hoc utique nec ipse sanctus Ambrosius faceret, nec alibi sancti Patres fieri permitterent, si neophytis sacramentum ordinationis penitus defuisse crederent. Horum autem auctoritati illa exempla de annulatione hujusmodi sacramentorum anteponere non possumus, quæ non de antiquis sed recentioribus mutuastis temporibus : in quibus, inquam, temporibus, multa contra fas et jus usurpata reperiuntur, quæ magis respuenda quam in exemplum ducenda videntur. Ipse etiam Romanus Pontificalis (966), unde illa exempla protulistis, sæpenumero non ita facienda quam facta historica simplicitate præscribit; nec solum legitimas institutiones, sed et nonnullo-

(965) Wido, seu Guido Aretinus, qui scripsit libros de musica. Vide Baron., tom. II, ann. 1022.

(966) Liber historicus.

rum inconsideratas usurpationes referre consuevit. Unde non omnia quæ in eo scripta leguntur, pro ecclesiasticis sanctionibus recipere debemus : præsertim illa minime quæ a consideratissimis antiquorum Patrum sententiis deviare videmus; ex quibus vos duo exempla posuistis, quæ sacramenta neophytorum adeo profanant, ut ordinatos ab iis reordinandos censeant, quod et ipsis apostolis eorumque successoribus Romanis pontificibus, aliisque sanctis Patribus adversari non dubitatur. Ipsi enim apostoli in suis canonibus eos damnasse leguntur, quicunque secundam manus impositionem accepisse detegerentur. Item S. Gregorius papa I (*lib.* II, *epist.* 32), scribens Joanni episcopo Ravennati; item prædecessores ejus Zozimus papa, atque Bonifacius cum CCXVII sanctis Patribus Carthaginensis concilii, reordinationem æque ut rebaptizationem damnavere.

Quod autem illi qui ordinati sunt neophyti sacramentum ordinationis non minus habeant quam hæretici, superius sanctissimi Patres Leo papa et Ambrosius, alter decreto, alter exemplo nos apertissime docuerunt. Quicunque igitur ordinatos neophytos iterum ordinandos censuerit, procul dubio contra sanctos Patres facit. Eodem modo et illa reordinatio reprobatur, quam Alefredus Hildesheimensis episcopus fecit in his quos Ebo Remensis episcopus, sed damnatus, ordinavit. Nam juxta Augustinum (*De bono conjugali, cap.* 24), *si quis episcopus* [*si quisquam ordinatus*] *pro aliqua culpa ab officio removeatur, sacramento semel imposito non carebit, quod* [*quamvis ad judicium permanente*] *damnabiliter nihilominus dare quam habere poterit.* Sic et Acacius depositus, de quo supra retulimus, multos ordinavit, quos tamen beatus Anastasius papa (*epistola unica*) integrum ordinationis sacramentum ab eo percepisse, et ob hoc non reordinandos esse judicavit. Nullus autem damnatus vel excommunicatus sibi de confectione sacramentorum applaudat : imo in hoc cumulum suæ damnationis agnoscat, cum tanto sceleratior et ob hoc sibi tanto perniciosior existat, quanto sanctius reputat quod sacrilego ausu usurpare non veretur. Nempe tolerabilius peccaret si de altari corpus suum communi pane reficeret, quam animam suam damnatoria communione interficeret. Nam, juxta Apostolum : *Qui* (Eucharistiam) *indigne sumit, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Indigne autem sumit qui nondum criminibus pœnitendo se purgavit, quem nec canonica severitas ad pœnitendum excitare potuit. In ordinationibus quoque quilibet damnatus minus delinqueret si nihil daret, quam per sacramentum ordinationis ordinato suam damnationem irrogaret. Et mirum in modum, dum eam alii irrogat, penitus sibi ipsam non diminuit, sed multiplicat. Nequaquam igitur damnati de perniciosa usurpatione sacramentorum applaudant sibi, cum tanto irreparabilius seipsos condemnent, quanto sanctiora sunt quæ dare vel accipere contra fas et jus sacrilege præsumunt.

Hinc sanctus Gregorius papa I (967) in Regesto suo (*cap.* vel *can.* 249) partis secundæ, damnatum sacerdotem pristini officii usurpatorem perpetua excommunicatione damnat, ut vix ei viaticum in fine vitæ concedat. Hinc sancti Patres in Antiocheno concilio (*cap.* vel *can.* 4) cuilibet damnato, si aliquid de sacro ministerio attingeret, omnem spem restitutionis, vel locum satisfactionis penitus denegaverunt; omnesque ei infra damnationem communicantes sub excommunicatione damnaverunt. Si ergo pro usurpatione sacri ministerii tam acriter damnantur qui solo officio privantur, quanto magis illi qui, officio et communione privati, talia præsumpserunt indigni.

Caveant quoque et ipsi Catholici ne aliquando sacramenta a damnatis percipiant, ne se sub excommunicationem sanctorum Patrum ponant. Præcipue autem de sacramentis excommunicatorum caveant, quod per hæc, juxta attestationem sanctorum Patrum, non salutem, sed damnationem et exsecrationem quilibet participantes accipiunt, quibus non dico in sacramentis, sed si in osculo communicaverint, canonicam excommunicationem subterfugere non poterunt.

EJUSDEM BERNALDI

CONSTANTIENSIS PRESBYTERI

APOLOGETICUS

SUPER

EXCOMMUNICATIONEM GREGORII VII.

Sententiam excommunicationis, quam dominus noster Gregorius papa VII apostolica auctoritate promulgavit, nonnulli sacrilega temeritate quasi irritam judicare præsumunt, seque in hoc, juxta atte-

(967) Lib. IV, epist. V, ad Gregorium Venantium episcopum Lunensem. Vide etiam d. 50, c. 10 *Accedens.*

stationem sanctorum Patrum, apostolicæ auctoritatis reos perniciosissime efficiunt. Sed in hac eorum præsumptione nec ipsi peccarent nec alios peccare facerent, si cujuslibet prælati in Ecclesia privilegium, non dico Romani pontificis, primatum attenderent. Est enim generale privilegium hujusmodi prælatorum, juxta institutionem sanctorum Patrum, ut subditos judicent, nec subditi eorum judiciis temere resultent, quibus absque omni contradictione secundum canones obedire debent. Scriptum est enim : *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x); et : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* II). Et si hoc apostoli de sæculari potestate dixerunt, quid nos sub ecclesiastica potestate degentes agere debemus, ubi inobedientia pro ariolatione et idololatria reputatur (*I Reg.* LI) ? Si ergo inobediens ecclesiasticæ potestati, scilicet divinæ ordinationi, pro idololatra merito deputatur, quid de illo censendum est qui eamdem potestatem penitus abrogare conatur? Videat autem quilibet prælatus quam sibi reverentiam a subditis exigat, nec eam Romano pontifici denegare velit, a quo omnis ecclesiastica potestas procedit. Nunquid enim suam potestatem statim irritam fore judicabit, si qui tantum ex subjectis ejus ita judicaverint? Nunquid statim suam prælationem ipse denegabit, si quidam ex suis ovibus eum pro prælato habere noluerint? Nunquid suam canonicam excommunicationem in subditos irritam arbitrabitur, si quidam tantum eorumdem subditorum hoc asserere conantur, qui tantum [tamen] eotenus ei, ut legitimo pastori, obedierunt, et sententias ejus in alios ratas esse censuerunt? Nunquid sententiam suam judicio subditorum retractari, nedum penitus annullari unquam patietur? Non plane. Ergo reverentiam, quam ipse a subditis suis sibi exigit, etiam ipsi prælato suo, juxta statuta sanctorum Patrum, rependat, et præcipue episcopo sedis apostolicæ.

Hujus utique sententiam sancti Patres nusquam retractari, nedum adnullari, ab aliquo permiserunt. Hinc beatus Nicolaus papa primus, omnibus episcopis scribens (968) : *Nemini*, inquit, *licitum est de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum*, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum.

Item beatus Gelasius ad episcopos Dardaniæ (969) : *Cuncta*, inquit, *per mundum novit Ecclesia*, (970) *quod sacrosancta Romana Ecclesia quorumlibet episcoporum ligata possit absolvere, et de omni Ecclesia fas habeat judicare, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.*

Item sanctus Sylvester papa universalis synodi judicio (*cap.* 20) decrevit : *Nemo*, inquit, *primam sedem judicabit. Neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur.*

Beatus autem noster Gregorius papa, canonice quidem ordinatus, ut sancta Ecclesia Romana fidelissime testatur, ab omnibus catholicis judex universalis Ecclesiæ et pro Romano pontifice semper habebatur, quod et ipsi ejus excommunicati de eo judicaverunt, cum ad ejus reconciliationem sæpenumero recurrerint, licet ad vomitum suum postea redire non timuerint. Nunquam sane aliquod crimen in illo vel ab inimicis inventum est vel probatum, quod susceptum sibi illicitum faceret officium. Sed si quod tale crimen admisisset, nunquid tandem inauditus, non confessus nec convictus canonice damnari posset, etiamsi ultimus ecclesiastici ordinis exstitisset? Nunquid [*l.* Nonne] enim legitime officium suum exerceret, usque dum canonice judicatus ab officio cessare juberetur? Et hoc utique Dominus noster Gregorius papa nequaquam abnuit, quin more cujuslibet clerici duntaxat canonice audiretur. Et hoc privilegio Romani pontificis incongruum esse videretur; adversarii autem ejus nec hoc unquam concedere voluerunt. Nam in tali examinatione et illum expurgandum, et se contumeliose [contumeliosæ] criminationis inculpandos fore non dubitaverunt. Ergo sententiam apostolicæ auctoritatis in apertissimos contumaces ab eo depromptam nullus Christianus irritam judicabit, qui canonicis sanctionibus sanctorum Patrum contradicere noluerit. Ipsi enim et temerariam cujuslibet inferioris episcopi duntaxat catholici excommunicationem, usque ad canonicam examinationem ratam esse censuerunt, ut in Sardicensi concilio c. 17 legitur.

Nec illam excommunicationem noster apostolicus privatim deprompsit; sed, generali synodo præsidens, universali judicio Ecclesiæ jus ligandi atque solvendi, in persona Petri acceptum, semper obtinere a nullo fideli dubitatur, ut sanctissimi atque fidelissimi Patres nostri, Cyprianus, Augustinus, atque Leo Magnus in scriptis suis docuerunt. Quicunque ergo ejus judicio in terra ligati sunt, ipsi nihilominus et in cœlo ligati indubitanter creduntur. Quapropter, omni postposita contradictione, illos quos Dominus noster Gregorius papa judicio universalis synodi excommunicavit, et nos excommunicatos esse credimus, ne ipsis excommunicatis damnabiliores merito judicemur, qui, etsi qualibet occasione excommunicationi subjaceant, non tamen temere ligamenta Ecclesiæ denegant. Nam procul dubio nefandius esse deputatur quemlibet ipsam ecclesiasticam potestatem ligandi atque solvendi non credere, quam, salva fide, ecclesiasticis statutis non obedire,

(968) Vide c. 17, q. 4, 30. Nemini. Ubi hoc scholiolum apponitur. Epistola ex quo hoc cap. sumptum est, non exstat; aliquid tamen simile habetur epist. I ad Michaelem, imp.

(969) B. Gelasius I. De hoc vide 9, q. 3, c. 107 et 108, *Cuncta*. Est alioquin epist. x editionis Romanæ.

(970) *Quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum, sedes B. Betri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omnis Ecclesia fas habeat judicandi neque*, etc., sic Rom. editio.

Hinc S. Gregorius papa primus ad Theoctistam patriciam scribens (*lib.* IX, *epist.* 39) testatur : *Ipsi,* inquit, *sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis* [*variis,* ed. Romana] *se existimant conatibus solvere.*

Sciendum autem quod sancti Patres pro excommunicatis habuerunt non solum illos qui post apertam eorum contumaciam specialiter excommunicati sunt; sed et illos qui jam factam excommunicationem incurrere non timuerunt, videlicet aut se in partem excommunicatorum conferendo, aut quod sub excommunicatione illis specialiter prohibitum est acceptando. Hinc sanctum concilium Nicænum Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu seu communione decidisset, ut B. Gelasius papa testatur, damnavit; quem morem et in aliis excommunicationibus suis sancta mater Ecclesia observare consuevit. Beatus quoque Gregorius papa primus (*lib.* III, *epist.* 20), consecratores Salonitani præsumptoris excommunicatos esse declaravit, eo quod ipsam consecrationem sub excommunicatione eis specialiter interdictam facere tentaverint. *Quam rem nos,* inquit, *nullo modo possumus dicere consecrationem, quæ ab excommunicatis celebrata est.* Sic utique quilibet Romani pontifices pro excommunicatis habuerunt eos utique, quicunque aliqua sub speciali excommunicatione prohibita præsumpserunt. Ergo et a nobis omnes hujusmodi merito, ut excommunicati, devitantur, usque dum ecclesiastico more reconcilientur. Sunt autem quatuor res in quibus eos specialiter devitare debemus, videlicet in salutatione, in osculo, in oratione, in convictu, *quod,* ut S. Callistus papa testatur (*epist.* 2), *quicunque excommunicatis, vel in his, vel in aliis prohibitis communicaverint, simili excommunicationi, juxta institutionem apostolorum, subjacebit.*

Sed multi, ad *excusandas excusationes in peccatis,* (*Psal.* CXL) multipliciter se excusant quod excommunicatos vitare non debeant. Alii enim illam sententiam beati Augustini prætendunt quod *communio malorum non maculet nisi consentientes;* alii dicunt *quod ecclesiasticis pastoribus sive eorum sanctioni subjecti non sint, eo quod sæculo penitus abrenuntiaverint;* alii *etiam sibi obedientiam in prælatum suum sufficere putant, ne canonicis institutionibus obedire debeant* (S. AUGUSTINUS, *passim in libris contra Donatistas*). Sed omnes has excusationes quamvis ipsi apostoli indubitanter, ut prædictum est, annullaverint, cum communionem excommunicatorum generaliter omnibus sub excommunicatione, juxta attestationem S. Callisti papæ, interdixerint; nos tamen singulas, quam frivolæ sint, specialiter demonstrare non pigebit. Et hoc utique periti ecclesiasticarum regularum facile per se deprehendunt; nos autem simplicioribus tantum fratribus in hoc satisfacere volumus, ut tanto studiosius ab excommunicatis se abstineant, quanto inexcusabilius se in eorum communione maculari cognoscant.

Illi ergo qui sententiam B. Augustini prætendunt quod communio malorum non maculet nisi consentientes, ad exaggerationem suæ excusationis subinferre solent *summopere sibi crimina excommunicatorum, displicere, nec ullo modo se eorum criminibus assentire, et ideo exteriorem eorum communionem non eis nocere.* Sed hæc sententia beati Augustini, tantum de communione malorum adhuc in unitate positorum, et nondum pro sua malitia excommunicatorum deprompta evidentissime ex verbis ipsius Augustini probatur. Ponit enim eamdem sententiam scribens ad Donatistas : *Quisquis,* inquit, *in Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quoniam unusquisque proprium onus* (*in ea*) *portabit* (*Gal.* V). *Sic et Apostolus dicit : Et quicunque* (*in ea*) *corpus Christi manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). *Cum autem dicit : judicium sibi manducat et bibit, satis ostendit quod non alteri judicium, sed sibi. Hoc nos egimus, et ostendimus, et obtinuimus quod communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisquis consentiat, portat malus causam suam, et personam suam, nec præjudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.*

Ecce apertissime B. Augustinus non se hoc de excommunicatis dixisse manifestat, cum de eo qui in Ecclesia corpus Domini indigne sumit, dicat. Nam superius ad eosdem Donatistas de excommunicatis præmisit, dicens : *Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimat, hoc solo scelere, quod a Christianitate disjunctus est, non habebit vitam ; sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* III). Deinde de his qui in Ecclesia sunt positi consequenter adjecit : *Quisquis autem in Ecclesia,* et reliq. ut supra diximus. Idem (*epist.* CLXII) Eleusio, et Grammatino [Felici Grammatico] : *Quibus,* inquit, *mali placent in unitate, ipsi communicant malis; quibus autem displicent, et eos emendare non possunt, ne ante tempus messis audeant zizania eradicare, ne simul eradicent et triticum* (*Matth.* XIII, 29), *non factis eorum, sed altari Christi communicant, ita ut non solum ab eis non maculentur, sed etiam divinis verbis laudari prædicarique mereantur; quoniam, ne nomen Christi per horribilia schismata blasphemetur, pro bono unitatis tolerant quod pro bono æquitatis oderunt.* Et hoc utique de malis in unitate positis, non de excommunicatis evidentissime sonat.

Idem ad Emeritum : *Et illud,* inquit, *non est tacendum, et cognitos malos bonis non obesse in Ecclesia, si eos a communione prohibendi aut potestas desit, aut aliqua ratio conservandæ pacis impediat.* Et post pauca: *Manifestum est non hoc* [*malum,* ed. P.] *effici hominem, quod est malus quisquam cum quo ad altare Domini acceditur, etiamsi non sit incognitus, si tantum non approbetur et a bona conscientia displicendo separetur.*

Idem in serm. 17 de Evangelio secundum Matthæum de duobus cæcis : *In multis,* inquit, *Sanctorum librorum locis apertissime sonat esse intus in Ecclesia et bonos et malos, quos sæpe dicimus fru-*

mentum et paleam. Et de iisdem ipsis malis, id est in unitate positis, quomodo boni non maculentur, in eodem sermone subsequenter annectit : *Duobus modis,* inquit, *non te maculat malus : si non consentias, et si redarguas; hoc est non communicare vel non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis appingitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait : Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* (*Ephes.* v, 11). Et infra : *Non consentientes sitis malis, ut approbetis; neque negligentes sitis! ut non arguatis; neque superbientes, ut insultantes arguatis; qui autem deseruerit unitatem, violat charitatem, et quisquis violat charitatem, quidlibet magnum habeat, ipse nihil est,* juxta Apostolum (*I Cor.* XIII).

Ideo in lib. de Fide et operibus : *Cum per negligentiam præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia malos, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus; tunc, ne ascendat in cor nostrum impia et perniciosa præsumptio, qua æstimemus nos ab his esse separandos ut peccatis eorum non inquinemur, ac ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos a compage segregatos; veniant in mentem illæ descriptionis similitudines et divina oracula, quibus demonstratum et pronuntiatum est malos in Ecclesia permistos bonis usque in finem sæculi tempusque judicii futuros, et nihil bonis in unitate et participatione sacramentorum, qui eorum factis non consenserint, obfuturos.*

Ecce quorum malorum communionem B. Augustinus nobis non nocere asserit, videlicet eorum qui in Ecclesia sunt positi, nondum ab ecclesiastico judicio separati. Quod si idem ipse sanctus doctor non tam signanter usquequaque exprimeret, nos tamen illud nequaquam de excommunicatis intelligere deberemus, ne illum ipsis apostolis et sanctis Patribus sibique ipsi contraria dixisse astrueremus. Ipsi enim apostoli eorumque successores communionem excommunicatorum in tantum nocere docuerunt, quod et supra notavimus, ut sub excommunicatione eum damnarent quicunque eis vel exterius communicare præsumeret. Nec hanc sententiam B. Augustinus ignoravit, quam etiam in concilio CCXVII episcoporum sua subscriptione confirmavit. Non ergo aliquis B. Augustinum pro defendenda communione excommunicatorum frustra in testimonium assumat; imo ei, ne eis ullo modo communicet, obediat, ne et ipse, juxta sanctorum Patrum statuta, eidem excommunicationi subjaceat.

Qui autem se de excommunicatione vitanda excusatos putant, *quasi, abrenuntiantes sæculo, ecclesiasticis pastoribus sive eorum sanctionibus non subjaceant,* videlicet monachi sive quilibet religiosi, non otiose considerent quid de hoc sanctum Chalcedonense concilium deliberet. Ipsum enim generaliter omnes monachos per unamquamque civitatem sive regionem episcopis subjectos fore decrevit, ipsosque ecclesiasticis statutis inobedientes anathematizavit. Hoc autem unum est ex illis quatuor conciliis, quæ S. Gregorius (*lib.* I, *epist.* 24) astruit veneranda, ut sancta quatuor Evangelia; de quibus ad patriarchas scribens testatur : *Cujuslibet,* inquit, *vitæ atque actionis norma existat* [*consistit*], *quisquis eorum* (hoc est, conciliorum) *soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, tamen extra ædificium jacet.* Et post pauca : *Se, et non illa, destruit quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Videsne quam nulla religio quemlibet excusare possit, quin ecclesiasticis statutis obedire debeat, cum quilibet inobediens extra ædificium jacere deputetur etiamsi tam religiosus sit ut lapis esse videatur. Imo ipsa religionis prærogativa majori eum addicit damnationi qui non tanto obedientior sanctissimæ matri suæ Ecclesiæ exstiterit, quanto religiosior haberi voluerit. Debent utique religiosi aliquid ecclesiasticis statutis supererogare, non ipsa statuta temerario ausu abrogare; alioquin tanto majus judicium subibunt, quanto in altiori gradu sanctitatis positi, et ipsa communia præcepta non timent prævaricari. Est autem apostolicum, et universale totius sanctæ Ecclesiæ præceptum, ut excommunicati devitentur. Ergo et quilibet religiosi hoc observare debebunt; alioqui majori damnationi quam etiam laici merito subjacebunt.

Sed et obedientia in prælatum nos excusare non poterit quin apostolicis statutis necessario obedire debeamus, si filii Ecclesiæ esse volumus. Hinc enim Obedientiarii Eutychetis Constantinopolitani abbatis cum ipso Eutychete in concilio Chalcedonensi anathematizati sunt, quod magis eidem quam apostolicis institutis obedire delegerant. Subditi autem Nestorii præsulis Constantinopolitani a sanctissima synodo Ephesina laudati sunt, quod ipsi apostolicis institutis obedientes proprio episcopo restiterunt, et ob hoc etiam postea ex ejus potestate penitus emancipari meruerunt.

Hinc et B. Eutychianus papa (*epist.* II) et martyr a B. Petro decimus septimus in decretis suis, quæ martyrio consecravit, verissime protestatur *quod subditus nec episcopo nec abbati suo obedire debeat, si jusserint ei ut pro excommunicato missas instituat.* Sed et B. Gregorius papa I Honoratum Salonitani episcopi archidiaconum, sed ab episcopo depositum, eodem nolente episcopo, in locum suum restituit, aliumque eidem Honorato jam subrogatum deposuit, eo quod ille suo episcopo in tali subrogatione contra interdictum sedis apostolicæ obedierit. Idem quoque apostolicus scribens Joanni Corinthiorum episcopo, Paulum, Eufemium [Euphemium], Thomam, Clematium, clericos ab ordine deposuit, eo quod proprium eorum episcopum accusare non obedierunt; quorum tamen Paulum et Clematium in pristinum gradum postea restituit. Item, ipse scribens omnibus Nichacii [Byzacii] concilii epsicopis (971), firmissime præcepit ut primatem

(971) Vide S. Gregor. *lib.* X, *epist.* 35.

suum Clementium de illatis criminibus cum omni sollicitudine examinarent, ut, audita si vera essent, ultione canonica resecaretur, hoc terribiliter subinferens, quod apud Deum eorumdem criminun particeps existeret quicunque eorum illa subtiliter indagare neglexisset.

Hæc et alia hujusmodi in ecclesiasticis sanctorum Patrum statutis sufficienter invenire potestis, quæ nobis evidentissime demonstrant quam obedientiam subjecti cujuslibet prælati ad superiorem potestatem debeant, quæ et ipsos damnare poterit, si vel prælato suo contra ipsam obedierint. Non ergo áliquis obedientiam prælati sui superflue prætendat, quod præcipuæ potestati, videlicet apostolicæ et ecclesiasticæ auctoritati, in devitandis excommunicatis obedire non debeat; imo tam subjectus quam prælatus B eos devitare studeant, ne eidem excommunicationi, juxta apostolorum institutionem, pariter subjaceant.

Sed et illi excusationi, quam quidam simplices in nostro tempore prætendunt, *quod excommunicati jam in tantum abundaverint ut nequaquam aut vix devitari possint,* facile respondetur quod difficultas evitandi, non negligentiam nutrire, sed majorem cautelam ad devitandos excommunicatos debet nobis excitare. Quamvis enim difficile vitentur, non tamen pro nullo peccato reputare debemus si eis contra ecclesiastica statuta communicaverimus, quæ juxta sanctos Patres usque ad sanguinem defendenda cognovimus. Nam et quotidiana peccata non minus pro peccatis reputamus, etsi ea nequaquam in hac vita devitare valeamus. Unde et quotidiana eis pro- C curata sunt remedia, orationum videlicet et eleemosynarum, ut quotidie amputaretur quod quotidie male pullulare videtur. Sic utique quotiescunque excommunicatorum communione maculamur, statim ad pœnitentiam et reconciliationem festinare debemus. Nam difficultas evitandi aut parum nos aut nihil ad excusationem juvabit, si nos ad præcavendum et postea ad satisfaciendum negligentiores effecerit, quos in tali necessitate ad majorem diligentiam excitare debuerit.

Quidam etiam ineptissime se cum morte domini Gregorii papæ excusant (972), quasi excommunicationem Romani pontificis post mortem ipsius observare non debeant. Sed hi audiant ligationem Ro- D mani pontificis non minus ratam reputari quam solutionem, quia B. Petro et suis successoribus a Domino jus ligandi eodem tenore et firmitate, ut solvendi, concessum est. Solutio autem cujuslibet apostolici, sive in reconciliatione excommunicatorum, sive in restitutione lapsorum, etiam post mortem solutoris valere non dubitatur. Nunquid enim quilibet reconciliatus sive restitutus pro excommunicato vel deposito se statim reputabit, postquam reconciliator ejus sive restitutor obierit? Non credo. Si igitur solutio cujuslibet catholici pastoris post mortem ipsius rata et observanda non dubitatur, A itidem necessario et de ejus ligamento judicabitur videlicet ut et post mortem ligatoris æque permaneat ligatus qui non fuerit ecclesiastico more reconciliatus.

Libet autem sententiam B. Cypriani martyris et egregii doctoris de communicatoribus excommunicatorum subnectere, ut ipsi perpendant quam periculose sibi ipsis ab eorum consortio non caveant. Scribens enim ad Magnum presbyterum : *Invenimus,* inquit, *in tali facinore non solum duces et auctores, sed et participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint, præcipiente per Mosen Domino, et dicente : Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccatis eorum* (*Num.* XVI); *et quod comminatus per Mosen Dominus fuerat, implevit, ut quisquis se a Core et Dathan et Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur et probatur obnoxios omnes et culpæ et pœnæ futuros, qui se schismaticis contra præpositos et sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint* (*epist.* 76). Caveant ergo omnes tam subjectus quam prælatus, tam sæcularis quam religiosus, a communione excommunicatorum; quod nullus omnino excipitur, cum omnibus hujusmodi communio sub excommunicatione ab ipsis apostolis interdicitur; et saltem cum excommunicatis perire timeamus, si nec pro reverentia apostolicæ interdictionis eos devitare curemus.

Ipsi etiam communicatores excommunicatorum devitandi sunt, etsi communio eorum non sub excommunicatione tam evidenter ut excommunicatorum nobis interdicta legatur. Nam in sacris canonibus sæpenumero reperitur ut qui communicat excommunicato, excommunicetur. Nec tantum ibi specialiter adjicitur ut et communicatoris communicator sub excommunicatione damnetur : nempe multa, imo plura sunt, quæ nusquam vel sub speciali prohibitione, nedum excommunicatione, nobis prohibita leguntur, ut carnem comedere in Parasceve, et alia hujusmodi, quæ tamen pro sola ecclesiastica consuetudine necessario devitamus, ne, juxta Augustinum ad Casulanum presbyterum, ut prævaricatores divinæ legis judicemur. Si ergo plurima pro sola ecclesiastica consuetudine devitamus, quanto magis illud, quod a sanctis Patribus etsi non sub excommunicatione, tamen firmissime proscriptum cognovimus, scilicet ne communicatoribus excommunicatorum communicemus. Nam beatus Gelasius papa, qui et aliorum sanctorum Patrum scripta apostolica auctoritate canonizavit (973), scribens ad episcopos Dardaniæ, hanc sententiam promulgavit : *Nihil,* inquit, *nobis commune cum hominibus communionis externæ,* in his præcipue rebus quas sancti Patres nobis prohibuisse cognovimus. Idem in sequentibus (*epist.* 11) *: Quid juvat si quis alicui evidentiori hæretico non communicet, et his tamen com-*

(972) Scripsit ergo Bernaldus hanc apologiam, mortuo jam Gregorio VII.

(973) Id est, authentica declaravit, et ab apocryphis se junxit.

munione jungatur, qui ab illius non sunt communione diversi?

Ne quis autem hanc sententiam quasi minus ratam contemnat, eo quod pœnam excommunicationis specialiter ascriptam non habeat, diligenter attendatur quid B. Nicolaus papa I, in generali synodo præsidens, generali ejusdem synodi judicio decernat (26, q. I, c. 18). *Sed si quis,* inquit, *dogmata, mandata, interdicta, sanctiones sive decreta a præsule sedis apostolicæ promulgata contempserit, anathema sit.* Nec hoc utique sancti Patres necessarium fore judicaverunt, ut singula quæque prohibenda singulari excommunicatione prohiberent, cum sæpissime omnium ecclesiasticarum institutionum violatores sub generali damnatione multarent. Sed et ipsa ecclesiastica consuetudo sententiam beati Gelasii papæ observare conatur, *quæ communicatorem excommunicati recipere non solet, nisi reconciliatum. Nihil autem firmius est tenendum,* ut S. Augustinus testatur, *quam illud in quo veritas consuetudini suffragatur.*

Ideo autem sancti Patres hujusmodi communicatores devitari voluerunt, quod ipsos quasi a seipsis damnatos habuerunt. Sic præfatus apostolicus Acacium, recepta communione Petri, se ipsum damnasse testatur. Unde et beatus Felix papa in ipsa sententia qua Acacium anathematizavit hoc signanter apposuit : *Habe ergo cum his quos libenter amplecteris portionem,* hoc est, cum excommunicatis; ac si diceret : Non tam novam excommunicationem super te fecimus, quam veterem, qui te ipsum communicando excommunicatis innodasti, confirmamus. Nec hoc sane negligenter inspiciendum quod B. Gelasius tam expresse subjecit cur apostolica sedes Acacium communicatorem Petri refutaverit : *Beati,* inquit, *Petri sedes ne per Acacium in Petri consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit.* Idem Anastasio imp. (*epist.* 10) : *Postquam Acacius communionis externæ factus est, non potuit nisi a catholica et apostolica mox societate præcidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subisse contagia perfidorum.* Et paulo superius : *Non potest,* inquit, *quilibet, perversitatis communicatore suscepto, non pariter perversus probari; nec potest refutari perversitas, complice perversitatis admisso.* Videsne quam necessario hujusmodi communicatores devitemus, ne et nos per eorum consortium contagia perfidorum subisse judicemur? Si quis autem hæc omnia latius considerare desiderat, scripta ejusdem apostolici ad diversos de anathemate Acacii non transitorie legat; quæ si fideliter perlegerit, nulla ei amplius de vitandis communicatoribus excommunicatorum dubitatio remanebit.

Accipiant ergo sæpe dicti communicatores sanum consilium, et festinent ad ecclesiasticam reconciliationem, nec catholicam sinceritatem externa communione, juxta B. Gelasium, commaculent; aut si ipsi suam salutem neglexerint, nos tamen, qui Catholici sumus, nobis ab eorum commaculatione caveamus.

In Simoniacorum causis.

(973) Judicium aquæ frigidæ non recipimus, nec eorum testimonium qui eidem morbo consentiunt, sed religiosorum fratrum qui eidem sceleri studio et voluntate resistunt. Qui tamen testes non per aquam frigidam [*l.* seu, *ed. P.*] per ignitum ferrum, vel ferventem aquam sunt acquirendi (974).

Simoniaci non admittuntur ad judicium, si probabiles personæ etiam laicorum vel feminarum, pretium se ab eis recepisse testantur. Nec aliud est pro manifestis venire ad judicium, nisi tentare Dominum. Unde et fallimur multoties in talibus, quia Deus longe est ab his qui tentant illum (*Sap.* I).

Per multos jam annos regni Teutonici latitudo ab apostolicæ sedis unitate divisa est. In quo nimirum schismate tantum periculi factum est ut, quod cum dolore, dicimus, vix pauci sacerdotes aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit ut super hos materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum itaque nostrorum exemplis et scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, et alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni episcopos in schismate ordinatos, nisi aut invasores, aut Simoniaci aut criminosi comprobentur, in officio episcopali suscipimus. Idipsum de clericis cujuscunque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat.

(973) Sequebantur hæc in ms. cod., quæ nec ad antecedentia nec ad subsequentia pertinent. Non omisimus tamen, ut omnia codicis bona fide repræsentaremus.

(974) Omnes istæ probationes a sacris canonibus Prohibentur, ut patet in decretalibus, tit. de Purgatione vulgari.

SYNODUS ROMANA SUB GREGORIO VII CELEBRATA.

(*Dedimus supra inter concilia Romæ celebrata tempore S. Gregorii VII. Est ordine quinta.*)

INCIPIT
UTILIS ALTERCATIO DUORUM

SUPER QUODAM CAPITULO,

DE INCONTINENTIA SACERDOTUM.

Domino ac venerando sacerdoti ALBOINO, scientia, A et moribus adornato. BERNALDUS bonum indeficiens, quod est Christus.

Cum proxime simul essemus, et verba de canonum sanctionibus ad invicem conferremus, aliquantulum de capitulo Nicæni concilii dissensimus. Cum enim inter nos, ut recolis, de prohibenda sacerdotum incontinentia sermo consereretur [*f.* conferretur], quæ in tertio ejusdem concilii capitulo adeo prohibetur, ne saltem clerici debeant habitare cum feminis nulla consanguinitate propinquis, tu quoddam aliud caput ex ecclesiastica Historia, quæ dicitur Tripartita (*Hist. Eccl. Tripart.*, lib. II, cap. 14), protulisti, quod quemdam Paphnucium testatur in eodem concilio surrexisse, et a tota synodo sacer- B dotibus ut dormirent cum uxoribus suis licentiam impetrasse. Insuper etiam idem ipsum capitulis Nicæni concilii minus considerate annumerasti.

Unde non parum doleo de te tantæ indolis viro, in sacris litteris tam erudito, quod hoc unquam excellentissimo concilio, juxta sanctum Gregorium, æque ut Evangelium venerando, assignare non dubitasti, quod nec ultimum, imo nullum inter canonica capitula habet locum, videlicet quod apostolicæ et evangelicæ adversatur doctrinæ. Nam ipse princeps apostolorum in Epistola sua (*I Petr.* III), etiam laicis præcipit ut parcant uxoribus suis, ne impediantur orationes earum. Cui et ipsum vas electionis Paulus concordat dicens : *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII). Si igitur laici C die quo volunt orare prohibentur ab opere conjugali, liquido consequitur ut sacerdotes, quibus quotidianum est officium orandi, vel sacrificandi, vel baptizandi, nunquam a die ordinationis suæ conjugibus suis debeant commisceri.

Hanc autem continentiam ab ipsis apostolis, sacerdotibus et levitis esse indictam testatur Aurelius Carthaginensis archiepiscopus in concilio generali CCXVII Patrum, cui egregius doctor Augustinus interfuit, vere ipsius sacræ Scripturæ armarium. Deliberat enim prædictus archiepiscopus ita dicens (975): *Placet ut sacerdotes et levitæ, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes sint in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare, ut quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quod constitutum a legatis apostolicæ sedis Faustino venerabili episcopo, et ab omnibus episcopis unanimiter cum subscriptionibus est confirmatum. Item ipsa Veritas affirmat in Evangelio, dicens : *Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* V). Justitia autem veterum erat ut sacerdotes anno vicis suæ, dum nondum vera, sed umbratica tantum sacrificia celebrarent, non solum ad uxores, sed et ad domos suas venire penitus vitarent. Hanc igitur veterum justitiam quicunque ex modernis sacerdotibus non dico superare, sed saltem imitari contendit, nunquam post ordinationem suam ad conjugale opus redibit, cum nulla dies prætereat qua sacerdotali officio vacare non debeat.

Amplius sancta et veneranda synodus Nicæna, cui prædictum capitulum assignasti, in tertio capite penitus prohibet clericis etiam cohabitationem feminarum, nisi consanguinitate proximarum. Illud autem tuum nec prohibet concubitum. Quicunque igitur tuo capitulo consentit, a prædicto concilio dissentit. Unde et damnatus est anathemate quo S. Gregorius in synodica sua omnes a Nicæna synodo dissentientes damnavit.

Si autem fortasse negas eamdem synodum prohibuisse clericis habitare cum feminis, antiqua et authentica perscrutare exemplaria, quæ ibidem concilium in 20 cap. cum CCCXVIII Patrum subscriptione continent roboratum, quod etiam in eodem numero capitulorum a sanctissimis episcopis Cy-

(975) Vide concilium Africanum sub Bonifacio I et Cœlest. I pontif. can. 37, dist. 32, c. 13. *Placuit.* Vide etiam dist. 83, c. 4. *Cum de quorundam.* Ubi verba hujus can. aliter paulum habent, sicut et in conc. recens editis : sensus est alioqui concors.

rillo, Alexandro [Alexandrino], et Attico Constantinopolitano ad prædictum præsulem Aurelium, et reliquos Africæ episcopos legitur esse transmissum. Ipsa etiam Tripartita historia, quam nimium venerari videris, 20 capitula in prædicta synodo testatur esse constituta. In his, inquam, exemplaribus, si legere digneris, prædictum invenies concilium in 3 capite clericis non modo coitum, sed et cohabitationem per omnia interdicere cum feminis.

Præterea Siricius papa in decretis suis (*decr.* 3 et 4 in concilio Arelatensi), B. Hieronymus in epistola sua ad Oceanum; et in ecclesiastica Eusebius Historia (976); sanctus etiam Gregorius (*lib.* VII, *epist.* 39) Romano defensori scribens, et alii quamplures prædictum capitulum in Nicæna synodo probant esse statutum. Ergo illud tuum, cum isti maxime sit contrarium, anathema nullatenus evadet Gregorianum. Ipse enim doctor apostolicus (*lib.* VII, *epist.* 112) omnia canonibus adversa in synodo generali sub anathemate fecit damnari, ita scribens Syagrio Augustodunensi episcopo : *Omnia,* inquit, *quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur; id est ut nullus pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere; neque ex laico habitu quisquam repente accedat ad locum sacri regiminis pervenire. Neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ quæ sacris canonibus sunt permissæ.*

Sed forsitan asseris ad tuam partem defendendam Nicænum concilium, juxta assertionem magni Athanasii præsulis Alexandrini et Marci papæ, etiam in 70 capitulis constare. Ex quibus, quod nos tantum 20 in usu habemus, illud tuum reliquis apud vos usitatis annumerare conaris, sed frustra. Ego nempe assertionem SS. Patrum de 70 capitulis nec volo nec possum negare; nunquam tamen adeo ero insipiens, Deo miserante, ut ipsos venerabiles CCCXVIII Patres unquam aliquid sibi vel apostolicæ doctrinæ contrarium suspicer constituisse. Imo, omnia eorum vel apostolorum sententiis repugnantia non dubito damnasse. Quis enim sani capitis duo simul observari constitueret, quorum unum observatum aliud observari prohiberet? Si enim, juxta tuum caput, sacerdotes licite singulis noctibus cum suis uxoribus dormiunt, quomodo ne in una domo habitent observabitur? videlicet si in uno lecto jacebunt, quomodo nec in una domo manebunt?

Sed nec hoc transibo quod tuæ parti maxime putas suffragari, quippe quod legitur in epistola S. Gregorii, quod ipse diaconos (977) Siciliæ ad continentiam non coegisset, illos, inquam, tantum, quos jam ante triennium nova prohibitio incontinentiæ conjugatos invenit. Nunquid tamen S. Gregorius alicubi in eadem epistola prædictis concessit diaconibus ut officium suum exercerent, si se, juxta tuum

A caput, continere nollent? non utique. Novit enim quod nec laicis quidem, nisi post triduanam continentiam divina concedantur sacramenta, cum et ipse David, quem Dominus secundum cor suum elegit, panes propositionis non accepisset, priusquam a sacerdote percunctatus se triduo continuisse respondisset (*Levit.* 21). Quomodo igitur incontinentibus diaconibus ministerium suum exercere permitteretur, qui, juxta decreta sanctorum Patrum, cum ipsis sacerdotibus ad divina sacramenta conficienda, percipienda, vel saltem tractanda, non intermisse sed quotidie debent parati esse?

Præterea item apostolicus (*lib.* III, *epist.* 34) scribens ad Leonem episcopum Catinensium [Catanensium], hoc etiam subdiaconibus esse constitutum a B prædecessore suo testatur, ut qui eo tempore essent conjugati, unum de duobus eligerent, id est aut se ab uxoribus abstinerent, aut certe nullatenus ministrare præsumerent. Diligenter etiam attendas S. Gregorium ad tempus tantum a diaconibus Siciliæ continentiam non exegisse. Nam in eadem ipsa epistola deliberavit ut nullus episcoporum deinceps aliquem diaconem ordinare præsumeret, nisi qui se caste victurum promisisset, nec prædictorum etiam diaconorum aliquis ad sacrum ordinem perveniret, qui se post prohibitionem tunc ante triennium factam ab uxore non continuisset.

Quapropter manifestum est eumdem apostolicum diacones [subdiaconos] tantum illius temporis et loci ad continentiam non compulisse; quam tamen C deinceps, ab omnibus qui diacones vellent fieri, per professionem statuit exigi. Quantum autem hoc tuæ parti adversetur, mecum tua charitas considerare non gravetur. Tuum enim caput omnibus, etiam episcopis, cujusque temporis conjugale opus frequentare permittit, quod S. Gregorius vix in quibusdam diaconibus ad tempus toleravit, nec tamen sine pœna; nam spem promotionis penitus ademit eisdem. Incontinentiam denique concedis sacerdotibus, imo episcopis, propter quam prædictus doctor spem superioris gradus intercludit diaconibus. Videlicet episcopi, juxta tuum caput, cum uxoribus suis dormientes abrenuntiabunt castitati, quam ipse etiam, ab omnibus qui deinceps vellent fieri diacones, per professionem præcepit exigi! Cum in tanD tum ergo S. Gregorius tuo adversetur capitulo, etiam in hac causa ubi non parum rigorem canonum mitigavit, et ubi quædam tantum eo tempore toleranda dissimulavit, patet etiam idiotis in quantum tua pars impugnetur imo damnetur a generalibus statutis ejusdem Patris, quæ ipse, juxta districtionem canonum, non tantum ad tempus sed omni tempore deinceps observanda promulgavit, in quibus etiam cohabitationem cum feminis sub anathematis impositione, ut prædixi, sacerdotibus fecit prohiberi.

Sed adhuc forsitan, ut aliquantulum tuæ parti

(976) Ruffini ad Eusebium appendicem intelligit.

(977) In marg. cod. hæc verba adjecta sunt : Nota quod in emendatiorib. exemplarib. non *diaconos*, sed *subdiaconos* leguntur. Et sic legendum. Sic enim habetur, lib. I, ep. 42 ad Petrum subdiaconum Siciliæ.

videaris suffragari, etiam in hujus temporis diaconibus, ut in prædictis, incontinentiam contendis esse tolerandam; sed frustra. Consequeretur enim ut conjugium in quarta generatione etiam modo toleraretur; quod idem doctor apostolicus (*lib.* XII, *responsio ad* VI *interrogationem Augustini*) Anglis noviter conversis ad tempus se concessisse profitetur. Si enim hoc tempore alterutrum horum esset tolerabile, potius tale conjugium modo esset sufferendum quod saltem aliquando licenter legitur concessum, quam incontinentia diaconorum, quæ nusquam ibi concessa, sed vix in paucis, ad tempus, non tamen sine subsequente vindicta, ut prædixi, legitur esse dissimulata. Ergo cum tale conjugium modo nullatenus in aliquo, quantumvis ad continentiam infirmo, sit tolerandum, multo minus hoc tempore diaconorum incontinentia alicubi est sufferenda.

Ex his ergo rationibus tu ipse colligas quid de sacerdotali fastigio censere debeas. Sed non jam diutius in exquirendis rationibus demorabor, cum quælibet una prædictarum satis indubitanter tuum destruat capitulum; quod non ex aliquo libro a sanctis Patribus canonizato, sed ex Tripartita assumptum est Historia; quæ quamvis nobis non parum ad notitiam rerum gestarum sit utilis, nunquam tamen efficiet ut aliquid ei credam quod sacræ Scripturæ statutisque sanctorum Patrum, imo Spiritui sancto, horum auctori, deprehendam adversari. Beatus nempe Gelasius papa (978), scripturarum indagator solertissimus, in decretis suis, ubi cum eruditissimis LXX episcopis diversorum auctorum tam Græcorum quam Latinorum libros examinavit, et diligenter qui eorum essent recipiendi vel renuendi deliberavit, nusquam eamdem Historiam jamdudum a tribus Græcis compositam, recipiendis adnumeravit Scripturis, sed ipsam in hoc tuo capitulo respuendam esse monstravit, quippe venerabiliter suscipiendo sanctorum Patrum decreta eidem capiti, ut diximus, penitus contraria.

Fortassis autem contendis prædictæ Historiæ ideo per omnia credendum esse, quod Cassiodorus ex senatore monachus, vir in divinis et humanis litteris eruditissimus, ordinavit eamdem. Sed hujus viri persona, quantumvis veneranda, non poterit annullare canonicas SS. Patrum institutiones, quas, ut prædixi, nullatenus observare valemus, si pro ejus reverentia ipsum tuum caput adimplemus. Non autem mireris ipsius Historiam in aliquibus esse respuendam, cum Historia Eusebii, quam S. Hieronymus (*imo* Ruffinus) de Græco in Latinum convertit, vix in prædictis decretis Gelasii papæ obtineat ne omnino renuatur, licet multum utilitatis in ea reperiatur. Sancti videlicet viri multa ad nostram eruditionem utilia non solum transtulerunt, sed etiam ex eorum propria persona conscripserunt, quorum aliqua et ipsi postmodum judicaverunt respuenda. Hujus rei satis evidens testimonium S. Augustinus affert nobis in libro Retractationum, ubi pene ex singulis libris quos ipse composuit, non pauca ipsemet renuenda censuit. Hoc enim donum proprie sapientibus adeo est attributum, ut nec in suis, nedum in aliorum libris defendere velint si quid in eis catholicæ veritati contrarium invenerint. Idem etiam Augustinus, scribens ad S. Hieronymum (*epist.* 9), se ipsius et quorumlibet sanctorum scripta ita legere testatur, ut tamen nullatenus recipiat si quid ibi apertæ veritati contrarium reperiat. Hac igitur consideratione Historia Cassiodori est legenda (979), quam non tantum ex sua persona [non, *ed. P.*] composuit, sed jam dudum a tribus Græcis non adeo notis compositam ordinavit, et cuilibet horum trium proprium opus assignavit. Unde non tam sibi quam auctoribus ejusdem Historiæ est imputandum quod in ea invenitur reprobandum; aut forsan Epiphanius nescio quis scholasticus, cum eamdem de Græco in Latinum verteret, non fideliter Latinis litteris commendavit quod tamen probabiliter in Græco scriptum invenit (980). Utrum autem ex hac an ex alia qualibet causa eadem Historia canonicæ veritati non parum inveniatur refragari, tuo judicio relinquendum æstimo.

Cum igitur prædictum tuum caput, omnium auctoritate destitutum, decretis sanctorum Patrum et evangelicis atque apostolicis Scripturis, imo Spiritui sancto, cujus instinctu hæc omnia procul dubio sunt deprompta, certissime probatum sit repugnare; quid aliud restat, nisi ut Gregoriano anathemate feriatur quicunque illud deinceps contra canonicas sanctiones defendere conatur? Cesset itaque fraternitas tua illud posthac sacratissimis Nicæni concilii capitulis annumerare, vel etiam alicujus momenti æstimare; ne, si illud pro authentico receperis, Spiritui sancto, ut prædictum est, repugnare judiceris, quod peccatum nec hic nec in futuro sæculo esse dimittendum constat (*Matth.* XII).

CONTUMELIOSA RESCRIPTIO PRO SUPERIORI CAPITULO (981).

BERNALDO contra librum superiorem molam absque inferiore feneranti [*f.* versanti] ALBOINUS.

Non ambidextrum Aod (*Jud.* III) tam improviso quasi inter oscitantes posse opprimi (981*), inter

(978) Decreto de apocryphis Scripturis; epistolarum decretal., Rom. edit. tom. I, pag. 416 et seq. et apud Grat.

(979) Vide præfationem Cassiodori in Tripartitam.

(980) Fideliter vertit Epiphanius. Fabulæ de Paphnutio auctores sunt Sozomenus, lib. I, cap. 22; et Socrates, lib. I, cap. 8, duo ex tribus ex quorum dictis Historia Tripartita consarcinata est.

(981) De Alboino, qualis fuerit, diximus supra, in præfat. ad hæc opuscula. Calebat nimirum eo spiritu

(981*) Exordium mendosum et intricatum, simile toti epistolæ.

dumosa tui cornu petentis tironis divortia mihi quasi tremulo pede vix itur, imo etiam milleformis Protei species præpeti manu rapientis, impediente variarum rerum instantia, heu! neque locus neque tempus datur tibi vel ad pauca pro libitu respondendi. Hinc urget enim vero quædam nostrorum confratrum antiquitus instituta orandi conditio; illinc instat nostri senioris in expeditionem eundi ornatio; cui [cujus] comitatu, ac si iniquæ mentis asellus, licet mille stimulis agitatus, vix ac vix enatavi; quod tibi in aurem susurro non magno mei periculo. Inter hæc omnia veluti ne dedignando præterire videar tui [tua] dicta, operam dare volo respondere tibi vel ad aliqua.

Me, uti tuis litteris notatum esse percipio, canonicis institutionibus decretisve in aliquo reclamasse nullatenus consentio. Sed hoc nunquam confessum fuisse erubesco, et adhuc confiteri non recuso, omnique astipulatione firmando firmatum iri desidero, nondum lege prohibitum, primo aditu austeritate legis esse prohibendum vindicandumve, sed parvulum magis lacte quam solido cibo enutriendum. Ad hoc procul dubio tendit Gregorius theologus; hoc etiam probat ipse, etsi luscus, Dei videns Paphnutius, qui ambo, velis nolis, condescendunt nostris infirmitatibus. Nam isto de ante consecrationem usurpatis nondum in tantum, ut opinor, tuo tertio capite (quo tu quidem urbanæ frontis obstinatæque mentis supra modum hæres, canonizato) sive propter quosdam infirmos ante synodum jugalibus alligatos (quæ res per tunc temporis non tanti sceleris uti nunc esse perhibetur) sive propter quosdam hæreticos legitimas nuptias anathematizantes cautius agente; illo autem inter canonice tradita, sed non canonice prohibita misericordius mediante; utrumque quasi geminum par, intus ac foris, ante et retro oculatus, nulla caret ratione. Anne etiam te, mi frater, non pudet tuam controversiam in hoc defendisse a sancto Gregorio Sicilianos diaconos suspensos ab officio, quasi pro quadam pœna fuisse cum constet illum eosdem cum uxoribus, post prohibitionem ante triennium factam, caste cohabitare dignæ remunerationi, ascripsisse? Eo autem tuo rite probato, eris mihi magnus Apollo.

Quæ autem convenientia quæve ratio Tripartitam Historiam, propter Eusebii scripta vix a Gelasio authenticis approbata, neque ab eodem Gelasio, neque ab aliquo doctorum repudiatam, triumque tum sæcularibus tum ecclesiasticis probabili testimonio affirmatam, post tot sæcula a nobis esse refutandam? Nugæ! aut fabulam te narrasse putas surdo, aut quæris nodum in scirpo. Quid plura? Si tu ita in nos nostrosque confratres multo tibi et mihi meliores pergis perplexa loqui; sed ponam digitum ori, ne plus quam deceat presbyterum, arguar progredi. De cætero uti coactus tui ipsius incitamento te aggrediar nudis verbis, ut quid pudibunda Patris Noe denudare non pavescis? cum certum sit te de eodem, secundum tuam ipsius sectam, peccato esse progenitum, qua ratione, quove modo, tu ipse peccatum, in alio vis damnare peccatum? Cave ut tibi sermonem faciam juxta Salomonem :

Ante suum tempus nimis exaltata juventus;
Ne male labatur, pede desursum retrahatur.

SUPERIORUM CONTROVERSIARUM

IRREFRAGABILIS DEPULSIO ET PRÆDICTI CAPITULI PROSCRIPTIO.

Domino Alboino sacerdoti, non, ut Isboseth, fraudulenter impetito (II *Reg.* IV), sed Chusai Architofelis perfidia fideliter præmonito (II *Reg.* XVII), Bernaldus, etiam improperanti charitatem offerre paratus, ab eo benedici qui non solum maledici sed etiam pro nobis voluit peccatum fieri.

Multum miror de tua fraternitate quod mihi tam perturbato rescripsisti animo, cum nihil in litteris meis invenisses, quod in litteris nescio si in tuis aliqua ratione dignum tua offensione probasses. Non enim invitus nec verecundus tam erudito præcipue et amico cederem, si a te rationabiliter saltem aliquatenus a vero deviasse monstrarer. Sed Deus est testis conscientiæ meæ, rationes meas nullatenus a vestigiis sanctorum Patrum exorbitasse, videlicet ut non tam meæ quam illorum sint judicandæ. Quapropter sine causa videris contra me commotus esse, cum epistola mea tibi tantum sententias sanctorum Patrum charitative describat, quæ non dico tuum, sed potius nescio cujus Sozomeni capitulum *anathematizabant. Deberes enim, ut opinor, potius grates referre quam indignari, quod te de cavendo anathemate ut amicum præmonui, ne si Sozomeni capitulum* (*in Tripartita* lib. II, c. 14) reciperes, teipsum sub Gregoriano anathemate posuisses. Ipse enim doctor apostolicus, imo per ipsum Spiritus sanctus, omnes a Nicæna synodo dissentientes, et omnia sacris canonibus adversa, in synodo generali sub anathemate fecit damnari. Prædictum autem Sozomeni caput, et omnes illud reci-

spiritu quo hodierni sectarii, sed mentem mutasse videtur, ut apparet ex ultima epistola, et ex principio Apologetici Bernaldi pro decretis Gregorii VII. De hac tota controversia lege Bellarminum, lib. de Clericis, præsertim cap. 20, ubi ex instituto fabulam de Paphnutio refellit.

pientes sacratissimo canoni adversantur, quem beatus papa Siricius, sanctus quoque Gregorius, beatus etiam Hieronymus, et alii innumerabiles sancti probant in excellentissimo statutum esse concilio, æque ut Evangelium venerando. Videat igitur charitas tua quam periculoso anathemate plectantur quicunque Sozomeni capitulo astipulari conantur. De hoc itaque periculo fraternitatem tuam diligenter præmonere curavi, pro quo te non offendere, sed magis, si offensus esses, placare putavi.

Sed, heu! heu! res, ut opinor, in contrarium devenit. Litteræ enim tuæ, si tamen tuæ erant, tam male tornatæ te et amicam admonitionem sprevisse et insuper contumeliosa respondisse denotant, nec tamen aliquid me tibi scripsisse dignum contumelia aliquatenus probant. Qua de re nondum censui credendum esse te, meum videlicet amicum, sacra Scriptura tam eruditum, unquam mihi talem rescripsisse epistolam, quæ et me, licet nulla ratione convictum, blasphemaret, nec tamen tuam partem saltem aliquo modo juvaret. Quam satis evidenter qua invectione digna esset monstrarem, si non eam a tali amico mihi transmissam accepissem. Quis enim videre non valeat quam negligenter ipsa tuæ voluntati cum suis obscuris ambagibus deserviat, cum eadem tuam intentionem non solummodo nihil juvet, sed etiam prorsus impugnet? Indicat enim te nullatenus sanctorum Patrum decreta respuisse; unde, cum Veritas affirmet: *Qui non est mecum contra me est* (*Matth.* XII; *Luc.* XI), et te eadem recepisse, et per eadem te Sozomeni caput probavit anathematizasse.

Præterea multiplicibus verbis confirmat ipsa rem nondum lege prohibitam austeritate legis esse vindicandam, cum potius tuæ parti convenisset, si in nondum lege prohibitis non austeritatem legis, sed lenitatem exercendam dixisset. Quod saltem tuam partem non adeo impugnaret, licet eam nihil penitus adjici valet, cum res in qua prædictum caput legem non dico mitigare, sed prorsus annullare conatur, etiam ante CC annos et eo amplius, in generali synodo legaliter sub anathemate interdicta legatur.

Ipsa etiam epistola sanctum mihi laudat Paphnucium, ut sub persona tanti viri aliquid persuadeat quod a veritate dissentiat, sed frustra. Ipsum nempe et ego laudo, quem stigmata Jesus in corpore suo portasse libenter credo; nunquam tamen adeo desipiam ut prius reverentia personæ aliquid recipiam quod sacræ Scripturæ, imo Spiritui sancto sit contrarium, ut de Sozomeni capitulo irrefragabiliter est probatum, quod ipsum Sozomenum de beato Paphnucio jam dudum defuncto potius credo finxisse, quam in derogationem sanctitatis prædicti confessoris suspicari præsumam ipsum talem protulisse blasphemiam. Hoc est enim satis vulgare in libris nunquam canonizatis, ut, cum nænias suas omnibus incredibiles efficere velint saltem verisimiles, eis ascribant eas personas indubitatæ sanctitatis, ut sub earum sanctitate eorum recipiantur næniæ; sed incassum. Quanto enim minus de earum personarum sanctitate dubitamus, tanto magis nænias iisdem ascriptas canonicis institutionibus contrarias credimus esse falsas. Transeo autem ipsius epistolæ conjecturas, in quibus qua occasione prædictum caput sit confictum satis caute dubitatur, quamvis nihil intersit invenisse cur sit conscriptum, cum idem ipsum sacræ Scripturæ adversari certissime sit probatum.

Quantum vero ipsa epistola deviet a veritate in diaconibus Siciliæ, ex scriptis beati Gregorii poteris colligere; a quibus me in rationibus meis nullatenus deviasse judicabit quicunque easdem et scripta beati Gregorii fideliter considerabit; nec dicet me dixisse quod sanctus Gregorius incontinentiam diaconorum Siciliæ per suspensionem officii, sed per prohibitionem superioris gradus vindicasset; nec dicet S. Gregorium ibi eisdem diaconibus concessisse ut altari ministrare deberent si se non continerent. Idem etiam videre poterit, S. Gregorium continentes Siciliæ diacones pro continentia, non pro feminarum cohabitatione, laudandos pronuntiasse.

Quod autem deinceps litteræ a te mihi transmissæ de Tripartita fingunt historia, nec ipsæ videntur explicasse; in qua nullatenus aliquid repudiandum esse censui, nisi quod a sanctis Patribus anathematizatum recipere non præsumpsi. Postea vero ipsæ non aliqua ratione probant, sed tantum verbotenus pronuntiant me nescio quid contra sacerdotum ordinem protulisse; cum nec eædem saltem contra te, ad quem specialiter scripsi, me aliquod reprobandum vel tua offensione dignum aliquatenus probent dixisse. Nunquid enim merito te vel illos offendit, si ego non meas sed Patrum rationes, caput Sozomeni destruentes et sub anathemate damnantes, fideliter collegi, teque, ut amicum, de cavendo anathemate præmonui? Quid nempe contra te feci dignum blasphemia, si testimonium sanctorum Patrum Hieronymi, Gregorii, Siricii et reliquorum de capitulis Nicæni concilii potius credendum esse asserui, quam Historiæ nescio cujus Sozomeni?

Sed cur earumdem litterarum denuo incudi reddendarum ambages prosequar ulterius, cum ipsæ caput Sozomeni, quod non potuerunt ratione, jam conviciis nitantur defendere? Quæ, inquam, convicia non mihi nocere, sed potius in caput ipsius scriptoris redundare leviter probassem, si non pro talis amici reverentia dimisissem. Ego quidem Patrem Noe semper habere desidero, cujus pudenda cum jam dudum per pœnitentiam sint annullata, denudare nec volo nec valeo. Quicunque enim illa post pœnitentiam remansisse testatur, non Christianus, sed Novatianus esse judicatur, cum ipse Dominus per Ezechielem prophetam dicat: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* (*Ezech.* XXXIII). Pudenda videlicet non Noe, sed Nicolai, Pauli Samosateni, episcopi Antiocheni,

et reliquorum hujusmodi Patrum denudavi, qui omnes unanimiter consenserunt anathematizato Sozomeni capitulo. Quippe Nicolaus, in Apocalypsi hæresiarches denatotus, suis condiaconibus etiam communes concessit uxores (*Apoc.* II). Paulus vero Samosatenus ne ipse a clericis suis de feminarum familiaritate accusaretur, eisdem feminarum cohabitationem concessisse in ecclesiastica Historia perhibetur (EUSEB. *Historiæ eccles.* lib. VII, c. 25, *interp. Ruffino*). Unde et ipsi præ aliis suis hæresibus pro hac ipsa eorum usurpatione, sub æterno damnati sunt anathemate. Horum, inquam, pudenda, et a te et ab omnibus zelum Dei habentibus sunt detegenda, ne fraternæ mortis crimen incurratis, si idiotæ pereant ipsorum perniciosissima deceptione, qui et aliorum pudenda per obstinatam defensionem effecerunt sibi propria.

Deinde prædictæ litteræ catholicam veritatem sectam nominando blasphemant, filioque baptizato patris peccatum, jam dudum et in ipso patre per pœnitentiam annihilatum, Pelagianæ hæresi favendo imputant. Quod quam impium, quam hæreticum, quam detestandum esset æstimare, facile monstrarem, si non pro respectu tuæ charitatis dissimulandum potius quam ventilandum esse judicarem. Ipse enim Spiritus sanctus per Ezechielem prophetam testatur dicens : *Filius non portabit iniquitatem Patris* (*Ezech.* XVIII), qui et sub tremenda obtestatione prohibet ne quis dentes filiorum peracerba uva a patribus comesta (*ibid.*) obstupescere dogmatizet. Non ergo quippe dedignor cum ipso, quem Dominus secundum cor suum elegit, dicere : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Nunquam tamen adeo me ipsum, Deo miserante, impugnabo, ut de plena remissione peccatorum in baptismo contra fidem catholicam cum Pelagio diffidam. Nimium certe alium blasphemare conatur, qui in eadem ipsa blasphemia catholicam fidem impugnare probatur.

Parum etiam eædem litteræ tuam partem juverunt, cum contra Domini præceptum me per blasphemiam peccatum nominaverunt; quæ non dico te, sed omnem caput Sozomeni suscipientem, vere servum esse peccati, non quidem sponte, sed nutu divino coactæ probaverunt. Juxta Evangelium enim, quicunque peccat, servus peccati exstat (*II Petr.* II; *Rom.* 6). Prædictæ autem litteræ cum, sanctorum Patrum statutis consentiendo, eos qui caput Sozomeni recipiunt anathematizent, eosdem mortali peccato obligatos esse docent : ergo et eosdem vere servos esse peccati confirmant.

Videsne igitur quam parum ipsæ prædictos videantur, honorasse, cum eædem me, licet falso,

A peccatum nominantes, et eos vere servos esse peccati monstrantes, me quasi dominum eorumdem habere vellent. Præterea et ego, si pro tua charitate non dissimularem, veracia etiam nomina caput Sozomeni amplectentibus non dico imponerem, sed antiquitus imposita proferre nossem : in quorum prolatione non ego, propter mendacium, et animam meam occiderem et locum in stagno ignis ardentis promeruissem, sed ipsos pro eisdem nominibus et nunc anathematizatos, et postmodum æterno igni, nisi resipiscerent, liquido probarem esse mancipandos. Non autem nimium eisdem litteris indignari volo, quas, in contumeliam potius suarum [suam] quam meam, falso me *peccatum* nominasse pro ipsa Veritate percipio, quæ, juxta Apostolum, etiam pro

B impiis facta est peccatum (*Gal.* III). Ipsa quippe in Evangelio nobis dicit : *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me*, etc. (*Matth.* V). Ergo et ego nec verum dicendo prædictas litteras, ut meruerunt, blasphemare volo. Novi enim quam terribiliter Judas apostolus silentium imponat blasphemantibus, asserens quod nec Michael archangelus secum altercantem diabolum blasphemare fuerit ausus. Ipsum quoque vas electionis testatur *quoniam maledici regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). David etiam in sua persona satis terribilem omnibus proponit conditionem : *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, deci-*

C *dam merito ab inimicis meis inanis* (*Psal.* VII), et cætera hujusmodi. Si igitur talis pœna debetur etiam illi qui pro bona malum reddenti malum retribuit, quid de illo judicabitur, qui malum fratri suo nil nisi malum promerenti reddidisse convincitur?

Incassum ergo eædem litteræ mihi opponunt illud Salomonis : *Juvenem nimis alta petentem esse retrahendum*, cum hoc non mihi, sed illis sit dicendum qui, conculcatis ipsius sancti Spiritus præceptis, se altos æstimant, sequendo inanes, imo fictas hominum traditiones. Videat igitur fraternitas tua quam parum, vel potius quam nihil illa epistola tua providerit honori, quæ et tuam partem, ut pro-

D batum est, impugnavit, et, quod pejus est, te contra sacerdotale officium tuos amicos nihil a te nisi bonum promeritos, falso blasphemasse indicavit : cum, juxta Domini præceptum, nec inimico sit maledicendum (*Matth.* V). Quapropter charitative admoneo te ne unquam in tuæ religionis et eruditionis derogationem alicui tam maledicam, tam illimatam transmittas epistolam, ne, si aliquis, qui libenter velit contendere tuoque honori parum providere, ipsam perspiciat, omnes ejus blasphemias in teipsum retorqueat.

ITEM

CONTUMELIOSA RESCRIPTIO

Pro superiori capitulo.

Fratri, heu! in tot hydræ capita tumenti BERNALDO ALBOINUS, se nullatenus cæcis cerastæi veneni cornibus periclitari.

Si non sub suave Christi jugum colla submissus jam dudum testamento pacis respirare appeterem, tuis maledicis rescriptis dignum talionem reddere non succumberem. Sed per nunc temporis id a me fieri, ipsa ratione magistra, constat prohiberi, ratione inquam, ne alicui malum pro malo reddam (*Rom.* XII). Ac me, uti tuis litteris liquido patet, scisso peplo Palladis, quasi injurias concitasse priorem, si modo aliqua cura esset, facilius dicto expurgare potuissem. Nil autem item dictum esse contumeliosum, cuique litteras, etsi male tornatas, tamen meas legenti, luce clarius fit expertum. Quid in hoc male feci vel quid promerui, si ego a te quasi fideliter præmonitus, etiam, versa vice, te pro aliquo præmonere curavi? Sed ut, meo honori providendo, aliis, non tibi me de hac infamia securiorem reddam, libet uti parumper pedem retrahens nostri negocii primordia ad medium ducam. Cum me vero tuis curatioribus [*fort.* accuratioribus] scriptis, coacervatisque sanctorum testimoniis, ceu fideliter præmonendo, a canonica regula deviasse ex obliquo notasti, quales grates vel quid boni promeruisses non satis facile invenire potui : quod amicum sine causa admonere, quid est nisi infamiæ macula in illum plus spargere? Nam ubi neque res neque opus admonendi instat, *ubi, quid, quando, cui,* imo quæque circumstantia vacat; ergo, absque his, quid alicujus admonere aliud valeat, nisi tantum, ut poeta,

Omne supervacuum pleno de pectore manat?

Me vero inrecepto Sozomeni capite, de quo adhuc sub judice lis est, nil unquam a sana doctrina deviasse, cuique scire volenti patet gemina ratione, una scilicet quod nil in eodem, certo loco, tempore probatisque personis recitato, scripto, translato : nisi authenticum et probabile perspicio; altera enim, si non probabili meliorem intellectum adhibens [*fort.* adhibeat], nihil sub ejus occasione perversi dogmatizo, neque tui admonitione opus habeo, nec Gregoriano anathemati subjaceo.

Nam neque tu neque aliquis sanæ frontis, salva veritate, in faciem confiteri potest quod me unquam, sub hujus capituli occasione, vel cum Nicolaitis vel cum Paulianistis proprias uxores sacerdotibus concessisse audiret; sed id tantummodo propter magnam compassionem magni Paphnucii, quemadmodum quoddam Gregorianum recepisse me absque rubore fateor : propter quam rem vel a te, vel ab aliquo me notari non vereor, quod, sicut S. Gregorio Sicilianos diaconos ab uxoribus non in tempore prohibitis violenter et inordinate separari, deteriorem casum timenti, minus placuit; uti Paphnucius ante consecrationem legitime ductis uxoribus, similiter occasionem fornicationis abhorrens, sacerdotes non commisceri contradixit; sic etiam mihi homunculo, veluti cum tam sanctis viris in idem consentienti, nimis ac nimis temeraria nostri temporis prohibitio, non ex omni parte beata videri potuit. Verbi gratia, quod nunquam acquisitum, multo facilius denegatur, quam aliquando acceptum, si placet, auferatur. Si propter hanc rem anathemati subjacere debeo, Gregorium atque Paphnucium mecum in causa esse non parum gaudeo. Sed autem vereor ne ille magis anathematizandus subsistat qui tantis viris, expers discretionis, repugnat; ille etiam adhuc anathemati deteriori succumbat qui, contra decreta ejusdem Gregorii, Eleutheri paparum, Anacleti, Pontiani, Eusebii, sacerdotes a sæcularibus infestari, accusari, arceri, despici, contemni, ab ecclesiis absque synodali judicio eliminari approbat.

Quicunque ægrotum solerti cura sanare studeat, circumposita membra, priusquam ipsum vulnus, palpare provideat. Si ipsum vulnus incautius primo aditu tractat, omnibus modis infirmus reclamat. Hac enim intentione ipse secretarium [*fort.* secretarius] Christi Moses, quo pejora compesceret, libellum repudii asportari jubet. Sub hac etenim occasione justus Loth, ut ita dicam, ob pejus malum declinandum, ipsas filias Sodomitis concedere voluit abutendum (*Gen.* XVIII). Nonne etiam ipse summus Pontifex, qui cœlos penetravit, non omnes hoc verbum castitatis capere (*Matth.* XIX), neque etiam novum mustum in veteres utres fundi convenire (*Matth.* IX) insuper rudes discipulos, quandiu cum illis Sponsus est, non jejunare profitetur (*Marc.* II; *Matth.* IX), infirmitatibus nostris misericorditer compati non dedignatur? Nonne Paulus vas electionis, qui, usque ad tertii cœli raptus paradisum (*II Cor.* XII), uti nos ad compassionem promulgare [provocare] studeat, nos homines esse admonet, sicut seipsum? Ille idem enim vero, quemadmodum Paphnucius, non solum propter sobolis propagationem, sed ob devitandam fornicationem unicuique concessit suam uxorem (*I Cor.* VII). Quapropter Sozomeni caput a nobis tam sæpe tritum nullate-

nus videtur tam temere anathematizandum, quod, A ut ait S. Augustinus in suo Speculo, *quidquid in divinis Scripturis aliquo modo probabile videtur, nullatenus ab aliquo facile præjudicetur*. Hæc hactenus.

At ego si non omnem diem, sed diem inter diem sapio, anathemati subjacere debeo? absit! quod ipse summus Medicus neque peccatores mensa ejus privavit (*Matth.* IX), nec peccatricem a tactu pedum separavit (*Luc.* VII). Ipse etiam cum principem Publicanorum sui faciem desiderare conspexit, nequaquam sui præsentia, imo etiam sui cohabitatione defraudavit (*Luc.* XIX). Sed tu, credo, opponis illos pœnituisse. At, rogo, unde credas illis compunctionis motus in mentem cecidisse? Profecto Filius hominis, qui de cœlo descendit, Zachæo sui oc- B culta inspiratione ascensionem arboris persuasit. Sic etiam nunc, nisi ille omnia trahens ad se occulto suæ gratiæ nutu nos miseros trahat, procul dubio nostri papæ auctoritas vacillat, Agnum cum lupo vesci (*Isa.* XI) confitetur dextera Excelsi. Proinde quemque piorum magis deceret pro infirmis orare, quam in istis malis diebus tot persecutorum super eos jugum ducere. Ex quo gentes esse cœperunt, nulli priorum tam grave tempus inspexerunt. Omnibus divinis legibus postpositis, pro libitu nos devorant, *sicut escam panis* (*Psal.* XIII). Ipse Siricius papa non propter incontinentiam pœnam expulsionis intulit, neque communionem populi abstulit, sed tantum majoris ordinis promotionem distulit. Quam discrete quamve mesericorditer, inter C præsentia et futura medians, dominus papa, tum græcis tum latinis litteris eruditissimus, Leo de hujus rei negotio, agat, tua curiositas absque omni mora in memoriam reducat. Quid opus est verbis? non est dolor nostro similis.

Vellem te, mi frater, notare Gregorium atque Siricium aliquantulum in ista re, uti mihi videtur, invicem dissonare. Promotionem vero, quam Siricius penitus in futurum resecat, Gregorius diaconibus propter prioris culpæ maculam, si vellent in postmodum continere, non denegat. Siricius vero diaconos, quos nisi proposito mentis post tempus ad castitatem compelli non in tantum probavit, eosdem, uti mecum sentis, in tempore in idipsum pro- D positi ante ordinem cogens, ab episcopis, nisi continerent, promoveri prohibuit. Idcirco pene nihil distat quin ejus et Paphnucii sententia in unum confluat. Iste de inordinate post ordinem prohibitis, ille autem, de ante consecrationem agit usurpatis. Iste de commistione; ille vero, ut ita dicam, de condormitione. Nec propter hoc neuter eorum, uti mihi videtur, in aliquo canonicis decretis reluctari videtur; quod ubi nondum per legem cognitio peccati inculcatur, potius suasoria admonitio quam legalis districtio exerceatur, aut in tempore injustum interdicatur, aut si hoc male negligitur, circumvolutis cum linteaminibus funiculis propheta puteo extrahitur (*Hier.* XXXVIII).

Quid plura? vere, si Paphnucius, uti tu peregrino intellectu arbitraris vel ultroneo argumentaris, omnibus sacerdotibus licentiam nubendi generaliter concederet, non ita singulariter et evidenter de ante consecrationem usurpatis agere studeret. Ad hoc etiam, si in aliquo sanæ doctrinæ adversari inspiceret, nullatenus id ipsum caput Cassiodorus, vir divæ memoriæ, magnæque conversationis e prudentiæ, tam officiose de Græco in Latinum transferre laboraret. Putasne, si aliquis scenica arte, ut tu dicis, suam hæresim sub persona Paphncii tegere auderet, Cassiodorus, tam egregius vir, sibi transferendo favere curaret? Non vere, quia omne suum opus late per Ecclesias redolet authenticum et laudabile: cum multa scripta, ut, in Veteri, Tobiæ auctore, et in Novo, ut Apocalypsis translatore, carentia recipiamus, cur non istud magis utroque probatum diligamus?

Super hæc etiam, cum ipsum nostrum Pangirium [*forte*, panegyricum] Hieronymum, tantum resecatis, juxta legem, alienigenæ crinibus et unguibus (*Deut.* XXI), id est, superfluis et sanæ fidei repugnantibus Scripturæ locis, ipsis apocryphis aliquando renuntiare nolle non ignorem; qua fronte prædictum caput tam authenticum probabile *super aurum et topazium* (*Psal.* CXVIII), in istis temporibus delectabile, nihili habere præsumerem? Nullatenus; quia esset contra fas et jus. In eo autem id ipsum de episcopis, quod et de aliis ordinibus agi; unde tu ita summatim mussitare videris, quasi in hoc sub æqua conditione positos esse non mireris. Nam episcopus cum presbyteris chrisma consecrat, presbyter cum episcopis corpus Domini conficit, diaconus super altare ministeria ordinat, ipsisque prior calicem porrigit, æque communicat. Quid Paphnucius in eis non invenio discernere valeat.

Ista omnia non tibi sed alicui infatuato sali tam enucleatim debent inculcari. Sufficit de hoc. O mare Neptuni! O sacra! Proh scelus! me tam inclementer in os increpari; insuper in pistrinum retrudi, quod ne funem tibimetipsi ad crucem portares, fideliter præmonui. Quamvis apud Deum non sit personarum acceptio, insuper originalis in baptismate peccati plena remissio, quodque me mutire nefas est, in scrobe tum infodio, nequaquam sine legitimis nuptiis ex omni parte legitima procedit procreatio. Qualiter autem hoc sit, fac periculum de temetipso, quod hujusmodi propter meos consacerdotes dissimulatum iri desidero. Sed autem, ne te defraudare videar ex toto, cave ne saltem capiaris in uno. Quidquid enim convenit parti, convenit et toti.

De hoc quod mihi rescripsisti meas litteras male tornatas esse, reticerem, si non coram meis compatriotis, nescio qua causa, me tam turpiter dehonestari ægre tulissem. Qua de re, licet magis ipsius sensus intentioni quam pompaticæ positionis proprietati in illis, quemadmodum in istis, inhiarem, tamen si universaliter non reprehensæ, sed particu-

lariter ad meas manus redirent puncto proscriptæ, aut pro posse defensas vel emendatas tibi remitterem; sin autem, dexteras dando tuæ cavillationi morem gererem. O lepidum caput! quam eleganter, quasi providens meo honori, si meæ essent, ad cumulandum meum dedecus, percuntando dubitasti. Vah! callidum consilium, tuum amicum sic retrahere in præcipitium! Si autem te ex æquo convenissem, tuas carbone notari dignas, te in id mihi con- A sentire ex magna parte compellerem, si earum thesin, distinctionem, subdistinctionem, media vel periodo, colo et commate, quod absit! carere perspicerem, nisi in tantum opprobrium malæ tornationis rugosa fronte obstupescerem. Si enim vero in tuis litteris macrologiam, quam sæpe solescere (982) [quam sæpe soles frequentare], caveres, non me quasi silicernium in faciem cæderes. Habe.

SUPERIORIS EPISTOLÆ RETRACTATUS,

ET SÆPE TRITI CAPITULI

IRREFRAGABILIS ANATHEMATISMUS.

Domino ALBOINO, in templo Domini non idonee nemus plantanti BERNALDUS: non fabulosa verborum folia, sed sententias indubitabili veritate subnixas.

Acceptis litteris a tua fraternitate mihi transmissis, aliquid in eis reperire desideravi quod et animum meum ob injuriam prioris epistolæ merito commotum mitigaret, teque saltem aliquo defensionis colore de tam perniciosa blasphemia quoquo modo expurgaret. Sed eheu! nihil hujus modi in eisdem litteris invenire potui, quippe quæ ad cumulum prioris injuriæ meas litteras, nulla ratione adhibita, dicunt maledicas, meque priorem injurias concitasse, teque nil contumeliosum mihi dixisse tantum pronuntiant, non aliqua saltem ratiuncula probant. Quantum autem hac earum pronuntiatio deviet a vero, nulli etiam idiotæ latebit, qui utriusque nostrum epistolas diligenter perspexerit.

Prima enim epistola quam tibi de hac nostra quæstione transmisi, te tantum per testimonia sanctorum Patrum fideliter et amice præmonuit de cavendo anathemate, ut nec tu ipse aliquid in ea reperisses, quod tuæ litteræ saltem alicujus offensione dignum mihi possent probare. Quot autem blasphemias, quam inhonestas, quam perniciosas pro hac benevolentia mihi rescripsisses, referre pudet, cum adeo feteant, ut vel inimico tales inferre non deceat.

Secunda vero mea epistola, contra easdem blasphemias tibi directa, non remaledicendo tibi talionem reddidit, sed te tantum, ut amicum, a blasphemiis non mihi sed tibimetipsi perniciosissimis compescere studuit. Procul dubio enim novi quod ipsum vas electionis Paulus, per quem loquitur ipse Christus, maledicos tradiderit Satanæ, ut discerent non blasphemare (*I Tim.* I). Patet igitur satis evidenter quis caput, imo quis summa fuerit hujus injuriæ, et quam indebite mea scripta a tuis vocentur maledica, quæ te a conviciorum voragine B per charitativam admonitionem voluerunt revocare.

Non autem modo est necessarium ut etiam hujus epistolæ singulas non dico rationes sed pronuntiationes expugnem, quas in prioribus meis epistolis indubitanter annullavi; in quibus meam admonitionem rationabilem et amicam, tuamque rescriptionem tibi perniciosam mihique contumeliosam evidentissimis rationibus probavi, quarum tu nec ultimam in hac epistola destruxisti.

His igitur irrefragabiliter probatis, ultimus tibi respondere merito detrectarem, si non tuæ charitati et hac vice morem gerere destinarem, quippe ut et in hac epistola tua, quid tuam eruditionem tuamque religionem dedeceat, me tibi fideliter indicare non tædeat.

C In primis itaque volo te scire circumstantias rhetorum huic nostro negotio non competere, ex quibus oratores fingunt suas conjecturas, non tam de veritate quam de verisimilitudine curantes. Hæc enim nostra causa potius ad thesin quam ad hypothesin pertinere censetur, nec tractanda est per verisimilem oratorum suadelam, sed per irrefragabilem philosophorum demonstrationem. Dicis igitur in epistola tua Sozomeni capitulum idcirco tibi authenticum videri quod certo loco et tempore a probatis personis sit recitatum, scriptum atque translatum; sed falleris in hac consequentia. Num enim Categoriæ præcipui doctoris Augustini, ipsiusque scriptum De electione Jacob et reprobatione Esau D exemplis Pauli (983), ab aliquo sani capitis recipiuntur pro authenticis? quæ tamen certo loco et tempore ex persona probatissima non dubitantur descripta; ex quibus Categorias nullus bene sanus authenticis annumerabit, alterum autem scriptum idem doctor in libro Retractationum repudiare non erubuit. Hæc, inquam, et alia hujusmodi prædictam destruunt consequentiam. Unde cum Sozomeni caput nondum esse authenticum probasses, nec per

(982) Locus, ut videtur, mendosus.

(983) Videtur aliquid deesse.

hoc probare potuisti, ut eo recepto nihil a sana doctrina deviasses.

Absurdissimum autem videtur quod denegas te aliquid perversi sub eodem capitulo dogmatizasse, cum jamdudum meæ litteræ idem ipsum caput tam irrefragabiliter probaverint perversum, quippe Evangelicis, et apostolicis scriptis atque SS. Patrum statutis adversum. Frustra ergo protestaris quod nullus te sacerdotibus uxores concedere unquam audisset. Nam et ego, et plures alii hoc te sæpius concedere audivimus, cum idem caput non tantum pro vero, sed etiam pro authentico prædicare nec adhuc pertimescas. Ipsum enim caput asserit. S. Paphnucium in Nicæna synodo surrexisse, et sacerdotibus ut dormirent cum uxoribus suis licentiam impetrasse. Quicunque igitur hoc non tantum pro vero, sed et pro authentico recipiendum et observandum prædicat, nullatenus denegare valet quin sacerdotibus uxores concedat.

Incassum quoque subjungis qua occasione illud pro authentico receperis, cum ipsum a te sub inevitabili anathemate relictum nulla ratione probaveris authenticum. Nihil enim interest qualibet occasione illud pro authentico recipias, quod ne ita recipiatur sub anathemate prohibitum nondum dubitatur. Nam semper sub eodem anathemate erit quicunque illud aliquatenus pro authentico receperit. Beatus quoque Paphnucius hac blasphemia non est dehonestandus, imo Sozomenus, cui id caput assignavit Cassiodorus. Quantiscunque autem verbis res sibi ipsis adversantes reconciliare coneris, nunquam tamen adeo desipiam, ut Sozomenum beato Gregorio in prædicto capite consensisse censeam. Ipse enim Sozomenus fingit in Nicæna synodo conjugalem incontinentiam sacerdotibus non esse prohibitam, sed potius pro castitate reputatam, quam S. Gregorius nec diaconibus Siciliæ in epistola sua concessit; sed in quibusdam eorum ad tempus tantum dissimulando, non licitam asserendo, non cum diaconii administratione, sed sub altioris gradus prohibitione legitur tolerasse.

Denique nihil adeo alicui reperitur dissimile quod non cum eodem aliquem similitudinis habeat colorem, cum et ipse diabolus se in angelum lucis soleat transformare (*II Cor.* II). Quid igitur mirum, si tu scripta Gregorii figmentis Sozomeni quoquo modo assimilasti, cum tamen adeo dissentiant ut hujus figmenta nullatenus Gregorianum anathema subterfugere valeant? Justissime autem non hanc temporalem et dispensatoriam S. Gregorii tolerationem, sed generalia ipsius et reliquorum Patrum decreta generaliter hoc tempore jubemur observare; cum beatus papa Leo, tuæ partis assentator, ut æstimas, ad episcopos Mauritaniæ hanc generalem proferat sententiam. Non ergo in cujusquam persona est prætermittendum quod in generalibus statutis continetur. Atqui in generalibus statutis per auctoritatem S. Gregorii in synodo generali promulgatis, ipsa non tantum condormitio, sed etiam

A cohabitatio sacerdotum cum feminis, et omnia quæ sacris canonibus adversantur sub terribili anathemate damnantur.

Hæc igitur si tu fideliter attendisses, nunquam in tui periculum domini apostolici sententiam nimium temerarie vocasses temerariam, quæ tantum Simoniacos et incontinentes presbyteros a pernicioso sibi officio clementer separarat, quos S. Gregorius cum reliquis canonum adversariis simul uno tempore sub severissimo anathemate damnarat. Nullatenus ipse se hac damnatione obligavit, licet Siciliensium diaconorum incontinentiam dissimulando, non quasi licitam, toleraverit. Ipsi enim Nicæni Patres nullatenus apostolicæ sedi primatum, sive privilegium adimunt, cum omnium etiam pro-
B vinciarum antistites, juxta morem Romani pontificis, propria jubeant observare privilegia. Est autem privilegium Romani pontificis, juxta assertionem S. Sylvestri, Gelasii, et reliquorum Patrum, ut ipse de omnibus Ecclesiis judicare valeat, nec alicujus judicio subjaceat; et ut ipsorum canonum, et decretorum severitatem pro temporis necessitate valeat, imo debeat mitigare (*ubi supra*). Hujus privilegii auctoritate non impugnando canones, sed observando, diaconibus Siciliæ aliquantulum ad tempus pepercit; non eis, cum Sozomeno, peccandi licentiam dedit. Unde nec seipsum cum adversariis proprio anathemate obligavit, sed, juxta tuam ipsius assertionem, te solum, non dico cum Paphnucio,
C sed etiam cum omnibus Sozomeni sectatoribus, sub eodem anathemate reliquit. Ipsi enim SS. Patrum statuta etiam annullare præsumunt, licet eis nullum privilegium canones concesserint, ut aliquid ex apostolicis statutis saltem mitigare possint.

Anathema etiam quod subjungis maxime convenit sectatoribus Sozomeni, et, ut compendiosius dicam, Sozomenistis, qui non dico approbant, imo causa et caput sunt ut sæculares incitentur contra sacerdotes. Ipsi enim sua nefandissima persuasione simpliciores presbyteros ad contemnendos canones adeo confortant, ut rectores Ecclesiarum necessario Gregorianas sententias ad sæculares proferant. Ipse enim doctor apostolicus Jennasio patricio ita scribit : *Scito autem, fili excellentissime, si victorias*
D *quæritis, si comissæ vobis provinciæ securitatem tractatis, nihil aliud vobis magis ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitam, et intestina Ecclesiarum, in quantum possibile est, bella compescere.* Idem etiam reges Francorum in adjutorium sibi ad correctionem sacerdotum hac terribili sententia incitavit contestans : *Quod*, inquit, *procul dubio facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Nec tamen idem apostolicus per hoc aliquid commisit in SS. Patrum statuta, sacerdotes a sæcularibus defendentia. Novit enim certissime hæc eadem nullum sacerdotem a sæcularibus defendisse qui sacris canonibus obstinato animo resisteret, imo qui ab iisdem damnatus jam dum a sacerdotio, apud Deum decidisset.

Videsne igitur quam justissime prædicto anathemati subjaceant Sozomenistæ, qui quoslibet sacerdotes adeo canones contemnere, adeo suam damnationem spernere docent, ut prælati eorum necessario sibi in adjutorium sæculares pro ipsis a damnatione revocandis implorent.

Parum autem, imo nihil tuæ intentioni prodest quod tot compassionum exempla enumeras, dum hoc cuilibet erudito sit manifestum quod nullatenus, pro alicujus infirmitate, se aliquis debeat a Christo separare; quod omnes faciunt, quicunque aliis tam obstinato animo contra sacratissimos canones adminiculari conantur, ut et ipsi jure cum illis sub uno anathemate multari mereantur. Nam, juxta Apostolum, *digni sunt morte non solum qui talia faciunt, sed et qui facientibus consentiunt* (*Rom.* I). Si vero digna rebus nomina imponere volumus, non hoc misericors compassio, sed potius miserabilis condemnatio nuncupabitur, cum aliquis non modo suum, sed et alterius peccatam adeo defendere non dubitat, ut a fonte omnium bonorum seipsum alienare non timeat. Non est modo necessarium ut exempla compassionum, quæ frustra multiplicas, etiam sigillatim discutiam, cum eadem generaliter nihil tuæ parti prodesse jam monstrassem, quæ etiam in epistolari brevitate singulatim pertractare nimis longum æstimo.

Volo tamen hoc tuæ fraternitati fideliter intimare quod illud exemplum quod justum Lot filias suas pro hospitibus stuprandas exhibuisse (*Gen.* XVIII), testatur a B. Augustino inter vitanda potius quam imitanda sacræ Scripturæ exempla, sicut et mendacium Rahab reputatur. Idem enim Augustinus evidentissimis rationibus probat quod nullatenus aliquem pro aliena infirmitate peccatum committere liceat, pro quo devitando, nec propriæ infirmitati parcere debeat.

Illud autem Apostoli : *Unusquisque suam habeat uxorem* (*I Cor.* VII), cum nec infirmitati monachorum, nec fragilitati quarumlibet velatarum aliquatenus condescendat, multo minus condescendit sacerdotibus, videlicet qui non simplici tantum benedictione ad continentiam sunt dicati, sed per venerandam manus impositionem, et per sacratissimi chrismatis unctionem reliquis continentibus, imo virginibus, sunt prælati, qui et ad persolvendum officium, nullis nisi continentibus licite, quotidie debent esse parati. (Denique idem Apostolus informans Titum de ordinatione sive de conversatione sacerdotum, indubitanter affirmat quod sacerdotem oporteat esse continentem.

Scias etiam pro certo B. Augustinum nullam mentionem tui capituli fecisse, cum tractaret quod multipliciter divina Scriptura intelligi posset. Quis enim sani capitis ipsum inter divina computaret quod ab ipsis divinis sanctionibus jam ab antiquo irrecuperabiliter anathematizatum constaret? Nullus autem Sozomenista summo medico est comparandus, quia nullo modo sine sua pernicie suis favet auditoribus, quod fecit ipse Christus; nec domini apostolici auctoritas minuetur, etiamsi quilibet magis perire, quam apostolicis institutionibus obedire conetur, pro quo etiam orare prohibet ipse dilectissimus Domini : *Est*, inquit, *peccatum ad mortem, non dico ut quis oret pro eo* (*I Joan.* I). Ipsi videlicet tales ad cor revertentes potius pro se et pro aliis debent orare, ita dicentes : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus.* (*Dan.* III).

Volo etiam ut diligenter inspicias, quoslibet a populo vitandos esse non tam propter humanam incontinentiam, quam propter diabolicam inobedientiam, ut Spiritus sanctus per Samuelem testatur : *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quia quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Hinc et ipse princeps apostolorum, ut B. Alexander papa, capit. 6, testatur in ordinatione B. Clementis, firmissime deliberat, ut populus nec saltem loqui ei audeat, quem præceptis apostolicæ sedis inobedientem sentiat. Propter inobedientiam videlicet ipse Paulus Samosatenus, cujus errorem in sæpe trito capitulo restauravit Sozomenus ab episcopatu publica manu turpiter est expulsus, ut ipsa quam nimium venerar is Historia fatetur. Siricius quoque papa sacerdotalem incontinentiam defendentibus non promotionem tantum ademit, sed omnem etiam aditum indulgentiæ jam tunc eis penitus obseravit. Decreta Leonis papæ, quæ tuæ parti favere putasti, Sozomenistas prorsus condemnant, quæ omnibus apostolica præcepta contemnentibus veniam denegari indicant.

Multum autem tuæ eruditioni derogas in eo quod generalibus statutis B. Siricii dispensatoriam S. Gregorii tolerationem, quippe localem et temporalem, miraris dissonare. Nullus enim apostolicus successorem suum privilegio sedis apostolicæ privat, quin pro sui temporis necessitate non solum canones, sed etiam sui antecessoris sanctiones valeat mitigare, nec tamen in hoc suo prædecessori repugnat, quem et propria statuta aliquando mitigasse non ignorat.

Nolo autem iterum exinanire illam tuam deceptoriam similitudinem Sozomeni cum Gregorio, et illum tuum prophetalem funiculum abrumpere non necessarium duco, quia Jeremiam de lacu cœnoso extrahi desiderantem, non obstinate saluti suæ reluctantem, inde extractum non ignoro. (*Jer.* XXXVIII.)

Sciat etiam fraternitas tua non Cassiodorum, sed Epiphanium nescio quem scholasticum Tripartitam transtulisse historiam, cujus Cassiodori persona nullatenus anathematizatum Sozomeni caput canonizabit, cum nec indubitata sanctitas Hieronymi historiam Eusebii ab ipso translatam (984) effecerit

(984) Ruffinus transtulit.

authenticam, quam ipse Hieronymus in lib. De [A] illustribus viris notat deceptoriam.

Idem quoque doctor eximius teipsum idem caput sanæ doctrinæ adversum intra crines alienigenæ docuit abscindere, quod cum susceptori suo, ut jam sæpius inculcatum est, sit perniciosum, nullatenus inter divina mandata super aurum et topazium est amandum.

Satis vero diligenter quoslibet a recipiendo Sozomeni capite deterres, cum administrationem tam venerabilium sacramentorum episcopis, presbyteris, diaconibus æqua conditione doces injunctam esse. Quis autem nostrum funem sibi ipsi ad crucem portarit, imo quis jam in cruce suspensus strangulantem nodum non abruperit, sed arctius gutturi suo innectere studuerit, tu ipse in superioribus evidenter [B] ostendisti, ubi teipsum in Gregoriani anathematis eculeo suspensum reliquisti.

Laudo tamen quod plenam remissionem peccatorum in baptismo te credere profiteris, per quam professionem blasphemias epistolæ tuæ reprobasti; in qua, inquam, epistola filio jam dudum baptizato, patris peccatum imputasse notaris. Illam quoque tuam propositionem, *quidquid convenit parti, convenit et toti,* et alia hujusmodi exempla, non ex arte prolata, facillime monstrarem, si non in tali negotio de arte loqui minus idoneum reputarem. Aliorum quippe judicio arbitror, non nostro, relinquendum, quid de tuarum litterarum sive mearum compositione sit censendum. [C]

Propulsatis igitur irrefragabiliter tuis objectionibus iterum, te, licet ingratum, charitative per subscripta rationes libet convenire, ut saltem jam tertio admonitus ad cor redeas, ne cum sectatoribus Sozomeni anathematizatus in æternum pereas. Nullum caput canonicæ veritati contrarium pro authentico est recipiendum, atqui tuum topazion sacratissimis canonibus est contrarium. Asserit enim Nicænam synodum sacerdotibus incontinentiam non prohibuisse, quibus S. Hieronymus, Siricius, Gregorius non solum coitum, sed et cohabitationem cum feminis in eadem synodo penitus prohibitam esse testantur. Ergo illud tuum topazion non etiam pro vero, nedum pro authentico est prædicandum a quolibet in sacris litteris erudito, cum scriptum sit : *Os quod* [D] *mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Item B. Joannes apostolus dicit : *Timidis*, etc., *et mendacibus locus est in stagno ignis ardentis* (*Apoc.* XXI). Item Psalmista : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V).

Amplius : sanctissimus papa Leo per episcopos in I Toletana synodo congregatos Balconio Galliciæ episcopo hanc sententiam inter alia transmisit (985) : *Si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas præter quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas, vel venerandas esse, anathema sit.* Hoc igitur anathemate procul dubio illi multantur quicunque illud tuum caput pro authentico venerantur, quod nullatenus catholica Ecclesia recipit, cum sacris Scripturis adversari non dubitetur.

Amplius : Beatissimus papa Damasus, scribens ad Aurelianum Carthaginensem archiepiscopum, verissime testatur *illos manifeste Spiritum sanctum blasphemare, qui contra sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid, aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt.* Quicunque autem tuum topazion pro canonico recipiunt, non solum eosdem canones prævaricantur, sed etiam eisdem obstinato animo, ut jam sæpius probatum est, adversantur. Ergo ipsi cum Spiritum sanctum blasphement, ipsius damnationem, juxta prædicti apostolici attestationem, non evadent, præcipue cum ipsa Veritas in Evangelio testetur quod blasphemia in Spiritum sanctum nec hic, nec in futuro remittatur (*Luc.* XII); ipsumque Constantinopolitanum concilium, quod est unum ex quatuor conciliis æque ut Evangelium venerandis, ipsum, inquam, concilium, cap. 1, cum omnibus hæresibus etiam contumaciam Spiritui sancto repugnantium anathematizat; quos et speciali nomine, juxta quamdam translationem pneumatomachos cognominat.

Amplius : Spiritus sanctus per Apostolum istam promulgavit sententiam : *Si quis non amat Christum, sit anathema, maran Atha* (*I Cor.* XVI). Sectatores autem Sozomeni non amant Christum, cum indubitanter blasphement Spiritum sanctum, per quem ipse Christus canonicas sanctiones inspiravit SS. Patribus. Ergo ipsi subjacent apostolico anathemati.

Amplius : B. Gelasius papa in apostolica sede cum LXX episcopis nominatim Nicolaum B. Stephani protomartyris condiaconum, Paulum Samosatenum patriarcham Antiochenum, omnesque hæreticos sive schismaticos, et omnes eorum spectatores irremediabiliter anathematizatos esse pronuntiavit cum omnibus quæ docuerunt, sive conscripserunt. Quicunque autem docent capitulum Sozomeni pro authentico debere recipi, sectantur Paulum et Nicolaum hæresiarchas, cum in eodem capite ascribant sacerdotibus conjugale opus. Quomodo ergo ipsi, nisi resipiscant, eorum anathema subterfugere poterunt, quorum nefarium dogma confirmare, et disseminare non timuerunt?

Amplius : Hæresiarches Jovinianus a B. Gelasio inter reliquos hæreticos specialiter anathematizatus, licet hæretice incontinentiam continentiæ adæquarit, nunquam tamen adeo desipuit, ut episcopale officium, singularem utique et principalem continentium dignitatem, incontinentibus ascribi posse dogmatizarit. Satius enim sibi videbatur ut hoc reprobando suæ hæresi refragaretur, quam incontinentiam continentiæ tantum adæquaret, ut contra fas et jus etiam incontinentiam divinis mysteriis admit-

(985) *In assertione fidei*, quæ invenitur post canones Toletanæ I synodi.

tendam assereret. Ergo Sozomenistæ, qui hoc imprudenter asserendo eumdem hæresiarcam in errore præcedunt, quomodo ipsius inevitabile anathema subterfugere valebunt? Has igitur irrefragabiles sanctorum Patrum sententias diligenter inspicias, nec contra salutem tuam Sozomeni caput deinceps pro authentico recipere præsumas.

Sed forsitan adhuc dicis te illud pro authentico recipere, non pro alia causa, nisi pro quorumdam infirmorum compassione. Quam objectionem, licet in superioribus satis rationabiliter adnularim, tamen iterum eidem, pro tua charitate, non gravabor obviare. Beatus Pater Augustinus, imo per ipsum Spiritus sanctus, in libro contra mendacium (*cap.* 7) testatur ita, dicens : *Ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Recipere autem Sozomeni caput non tantum pro vero, sed etiam pro authentico sive canonico, damnabile peccatum esse probatur, cum idem caput, et canonicæ veritati contrarium et sub anathemate a sanctis Patribus prohibitum non dubitetur. Nullo igitur bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla quasi bona intentione est recipiendum. Ergo, nec pro compassione aliquorum. Hunc itaque librum Augustini si tu fideliter attenderis, nunquam nobis aliquod peccatum faciendum esse, vel pro alicujus æterna salute judicabis.

Qua de re diligenter et obnixe tuam fraternitatem non cesso implorare, ut saltem modo toties rationabiliter admonitus animæ tuæ saluti provideas, teque a tam pernicioso anathemate subtrahas, neque simpliciores in tuam et ipsorum perniciem per anathematizati capitis receptionem seducas. Vigilanter sane attendas verba Domini terribiliter comminantis ei qui aliquem de pusillis ejus scandalizaverit (*Matth.* XVIII). Precor etiam te ut et in hoc meam admonitionem recipias, nec te juxta S. Gregorium apostolicæ auctoritatis reum ulterius efficias, quod jam dudum fecisse probaris, cum domini apostolici præceptum contempsisse, et ei de verbis et scriptis derogasse non dubiteris. Qui etiam et alios per anathematizatum caput a te inter authentica descriptum confortasse infamaris, ut apostolicis repugnent statutis. Certissime autem volo te scire, quod nec moderni Gregorii (986) anathema tibi deerit, si ad ipsum hæc infamia, jam de te vulgo disseminata, pervenerit, quæ te præcipuum doctorem, defensorem, imo vocem esse asserit omnium, qui canonicis et apostolicis institutionibus obstinato animo resistant.

Hanc igitur infamiam fideliter admoneo et ut compescas, neque deinceps apostolicis statutis, in periculum tuum, aliquatenus refragari præsumas. Ut autem damnatorias sententias nostri apostolici, et ipsius principis apostolorum super Ananiam et Saphiram (*Act.* V) pari efficacia pollere non dubites, damnationem Spirensis episcopi et mortem ejus studiose consideres, qui, in præterito anno, qui erat ab Incarnatione Domini 1075, in prima hebdomada Quadragesimæ, eadem die, id est VI Kal. Martii (987) imo eadem hora subito, quasi quodam invisibili telo perculsus, apud Spiram infirmari cœpit qua hora et causam ejus in Romana synodo noster apostolicus ventilare cœpit. Idem quoque tertia die, id est IV Kal. Martii, heu! miserabiliter exspiravit, qua eum etiam definita nostri Gregorii sententia Romæ cum indubitabili efficacia damnavit. Sic enim concors fidelium relatio virorum testatur, quorum quidam eo tempore in Romana synodo damnationi ejusdem prævaricatoris interfuere; quidam vero apud Spiram; quod idem episcopus tam subito, tam miserabiliter obiisset præsentes exhorruere. Ergo et tu cave. Das dir jeth alsamo beschehe (988).

EPISTOLA RECONCILIATIONIS

Pro superiorum epistolarum injuriis.

Filio dextræ BERNHALDO ALBOINUS, par velle, idemque nolle.

Ne sit inter nos zelus et contentio, propheticum sonat cum Apostolo (*I Cor. III*). Quapropter boni æmulatores esse studeamus, quatenus quidquid noceat facillime evadere valeamus. Si qua dissensionis æmulationisve zizania inter nos pullulasse videantur, identitate puræ dilectionis, ejusque propinquæ, fidei falce radicitus evellantur. Omne nostri [nostrum] nogotium, juxta Tullii et Quintiliani conditiones, vertatur in utile et honestum. Si hactenus per longas lucubrationes contentiose et infructuose egimus, nunc sententiose et charitative per pauca multum proficiamus. Si non propter Deum omni creaturæ subjacere (*I Petr.* II) deberem, propter tuæ redintegrandæ amicitiæ statum nullatenus contentioni cedere recusarem. Me vero, si quid dixi quod tibi vel alicui subolere potest bono, quo spiritus salvus fiat, in interitum carnis tradi (*I Cor.* V) non renuo. Amodo, utcunque res se habeat, fervida vis charitatis nesciens minui, sole calidior, adamante perennior in æternum et ultra permaneat. Jam jam perstemus et conemur uti novum par amiciciæ invicem generare videamur.

Finis disceptationis de continentia clericorum.

(986) Vivebat ergo adhuc Gregorius VII quando Bernaldus hanc epistolam scripsit.

(987) Scripsit ergo hanc epist. Bernaldus anno 1076. De hoc episcopo Spirensi Bernaldus noster in suo chronico anno 1075. Nomen huic episcopo erat Henricus. Vide de hoc Romano Concilio, tomo III. Conc., et Baron. tomo XI, anno Christi 1075.

(988) Hæc Germanica verba claudunt epistolam in cod. manuscripto.

APOLOGETICUS

BERNALDI PRESBYTERI

Pro

DECRETIS GREGORII VII PONTIFICIS MAXIMI EDITIS IN SYNODO ROMANA

Adversus Simoniacos et incontinentes altaris ministros

Nunc primum in lucem editus, ex duobus manuscriptis codd. altero Ratisbonensi, altero Weingartensi.

CAPITULA SEQUENTIS OPUSCULI.

Bertoldus vel rectius Bernaldus noster in suo Chronico anno Domini 1075.

Gregorius papa in prima hebdomada Quadragesimæ synodum Romæ collegit, in qua causam episcopi Spirensis, sed Simoniaci, examinavit; qui, ipsa die, cum examinaretur causa ejus Romæ, id est VI Kalend. Martii, infirmatus est Spiræ, sed deinde IV Kalend. Martii, miserabiliter exspiravit, quando et a Gregorio papa definitam suæ damnationis sententiam in Romana synodo excepit. In eadem synodo decretum est a Gregorio papa ut clerici, aliquem sacrorum ordinum gradum et officium pretio adepti, deinceps in Ecclesia non ministrent, nec ecclesiam pretio acquisitam aliquis retineat, nec deinceps alicui ecclesiam vendere et emere liceat; deinde, ut a clericali officio cessent quicunque se per incontinentiam reprehensibiles exhibent. Item, ut populus clericorum officia nullatenus recipiat quos prædictas apostolicas institutiones contemnere percipiat.

INCIPIT APOLOGETICUS BERNALDI

SUPER DECRETA

Quæ venerabilis papa Gregorius ejusdem nominis VII, in Romana synodo promulgavit contra Simoniacos et incontinentes altaris ministros.

PROLOGUS.

In superioribus epistolis illi nostro [Alboino *cod. Rat.*], nolit Deus ut deinceps dicam æmulo, sed amicissimo, satisfacere studui et capitulum statutis nostri apostolici contrarium nullatenus attendendum, ut puta sub anathemate prohibitum, evidenter monstravi, adeo videlicet ut ipse amicus noster se jam non ulterius contentioni, sed amicitiæ operam daturum mihi rescriberet. Sed plures adhuc restant qui eisdem statutis obstinato animo nimirum periculose, imo perniciose resistunt; qui et alios simpliciores, quippe non multum studiosos ad considerandos canones, adeo seducunt, ut et ipsi prædictas authenticas sanctiones contemnant et suam consuetudinem jucundissimam quidem, sed perniciosissimam retinere contendant. Quod non plures eorum fecissent, ut mihi videtur, si ipsis bene compertum esset quam parum, vel potius quam non (*cod. Rat.* nihil) noster apostolicus in prædictis statutis deviet a sanctis Patribus. Quapropter mihi meique similibus commodum fore censui, si eadem statuta, canonicis Scripturis conferrem, et mutuam eorum concordiam qualiscunque styli officio breviter ac fideliter commendarem. Et hoc ea intentione ut, si quis forsitan ex idiotis hæc inspicere dignetur tanto vivacius ad obediendum apostolicis institutis resipiscat, quanto evidentius videat hæc eadem nullatenus a sacratissimis canonibus deviare, sed cum eisdem ex ipsa sacra Scriptura processisse.

CAP. I. In primis igitur decretalem epistolam nostri apostolici describere juvat, ut tanto apertius sequentia elucescere valeant.

« GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri OTHONI Constantiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Instantia nuntiorum tuorum, » etc. *Reliqua exstant in concilio Romano I, supra.*

CAP. II. Sed priusquam hæc statuta singulatim consideremus, quiddam de ipsorum canonum auctoritate non incommodum æstimo prælibare, ut tanto firmius teneatur quiquid ex eis ad observandum nobis denuntiatur. Sanctissimus papa Gregorius (*lib.* I, *ep.* 24, quem noster apostolicus nomine, et actione nostris repræsentat [*C. R.* repræsentavit] temporibus, in sua synodica, id est, synodali epistola, sanctissima quatuor concilia cofirmat ita : « Sicut sancta Evangelia quatuor [*C. R.* sancti Evangelii quatuor libros; *sic etiam habet Rom. editio*], sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor : Nicænum scilicet in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis [*Rom. editio* Euthychis] Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit et cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit; quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse videatur [*Rom. editio*, cernitur], tamen extra ædificium jacet, etc. Cunctas vero, quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector, quia, dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant [*C. R. et Rom. editio*, ligant], aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. » Hucusque Gregorius.

Hanc autem synodalem epistolam idem apostolicus statim post ordinationem suam composuit, et reliquis patriarchis, quippe Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano transmisit. Consuetudo enim erat eo tempore, ut quilibet in aliqua patriarchalium sedium noviter ordinatus, se prædictas IV synodos custodire reliquis sedibus transmissa epistola profiteretur, antequam nomen ejus apud reliquas sedes in diptychis describi mereretur. Nomen videlicet prædecessoris ejus, licet defuncti reliquæ sedes computabant inter viventes, donec ipsius noviter inthronizati præsulis synodicam reciperent epistolam; quæ, quia eumdem episcopum quatuor synodos recepisse denotavit, hoc sibi nomen, id est, synodicam ab eisdem synodis non incongrue videtur mutuasse.

Hanc autem consuetudinem illius temporis fuisse idem sanctissimus papa testatur in epistola ad Secundinum servum Dei inclusum (*lib.* VII, *ep.* 54); quam et usque ad tempora beati papæ Adriani, quippe ad Carolum regem, perdurasse Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus asserit, qui vitam S. Gregorii, ex præcepto S. Joannis papæ, fideliter descripsit.

Sed utrum adhuc eadem consuetudo perduret ignoro. Quam tamen præfatis temporibus fuisse non dubito. Patet igitur evidentissime quam magnæ sint auctoritatis illa quatuor concilia, quæ S. Gregorius, imo per ipsum Spiritus sanctus, non semel, ut prædictum est, sed sæpius et Evangeliis comparat, et omnes ab eisdem dissentientes anathematizat. Quæ et quilibet novitius patriarcha se observaturum per epistolam suam reliquis sedibus profiteri debebat, si se inter catholicos patriarchas in diptychis describi volebat.

CAP. III. Decreta vero sanctissimorum Romanorum pontificum, si possemus, etiam studiosius quam illa quatuor concilia venerari et observare deberemus, cum et ipsa concilia omni firmitate carerent, si non apostolicæ sedis pontifices eadem per apostolicam auctoritatem et congregare et corroborare decrevissent. Unde et beatus papa Marcellus (*ep.* I, *Rom. editionis*), qui et ante Nicænum concilium sua decreta martyrio consecravit ipse, inquam, vir apostolicus, in decretis suis, cap. 11, testatur ita: « Ipsi Apostoli eorumque successores, Domino inspirante, constituerunt ut nulla fieret synodus præter Romanæ sedis auctoritatem. « Sanctus quoque Athanasius præsul Alexandrinus, qui non minima pars concilii Nicæni fuit, in epistola ad Felicem papam, capite 11, ita dicit: « Scimus in Nicæna magna synodo CCCXVIII episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani pontificis sententia concilia celebrari. » Sed et beatæ memoriæ Julius papa idipsum, capite 5, profitetur, dicens: « Ipsi vero primæ, sedis Ecclesiæ convocandorum generalium synodorum jura et judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis, et apostolicis, atque canonicis concessa sunt institutis. » Beatus quoque Damasus (989) papa in decretis suis, cap. 9, hanc intulit sententiam [*C. R.* generalem interserit]: « Nulla unquam concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolica auctoritate.

His autem sententiis beatus Isidorus, rimator Scripturarum sagacissimus, fideliter astipulatur dicens: « Synodorum vero congregandarum auctoritas Apostolicæ sedi privata commissa est auctoritate [*C. R.* potestate] (990) congregata, vel fulta. Hæc canonica testatur auctoritas, hæc ecclesiastica historia roborat, hæc sancti Patres confirmant. »

Si igitur illa quatuor concilia omni auctoritate carerent, nisi principaliter ex decretis Romanorum pontificum firmitatem obtinerent, quis inficiari poterit quin decreta per ipsos apostolicos viros promulgata, majori veneratione digna merito censeantur quam ipsa concilia, quæ non per ipsorum apostolicorum præsentiam, sed tantum per ipsorum legationem authentica fieri merebantur? Sic enim legati sedis apostolicæ eorumdem principalium conciliorum sanctiones primaria subscriptione apostolica vice canonizabant. Nempe sub piissimo imperatore Constantino magnus Hosius Cordubensis episcopus, Victor et Vincentius, presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte sancti Sylvestri papæ Nicæno concilio præfuerunt et ipsum principali subscriptione firmaverunt. Item temporibus Theodosii Junioris Augusti, sanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus, et Arcadius episcopus ex Italia vice beatissimi papæ Cœlestini Ephesino concilio præfuerunt et ipsum apostolica vice corroboraverunt. Item, tempore Marciani principis, Paschasinus et Vincentius episcopi et Bonifacius presbyter vice sancti Leonis papæ in Chalcedonensi concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt, qui et Anatolio patriarchæ Constantinopolitano quoddam privilegium in concilio usurpanti, liberaliter contradixerunt, et reliquis statutis apostolica vice subscripserunt ut liber sancti Liberati Carthaginensis archidiaconi de eodem concilio testatur. Hæc autem omnia manifestius ille videbit quicunque eorumdem conciliorum subscriptiones studiose perspexerit. Ergo reverentiam sive obedientiam, quam sacratissimis quatuor conciliis juxta sanctum Gregorium merito exhibemus decretis apostolicæ sedis nullatenus denegare, imo, si possibile est, studiosius impendere debemus, cum sine eorum auctoritate nec ipsa concilia fas esset recipere.

CAP. IV. Sed nec reliqua concilia parvi pendere debemus, in quibus multa, nusquam alibi inventa, ecclesiasticæ tamen dipensationi [*C. R.* dispositioni] necessaria reperimus. Quæ quidem a superioribus authenticis sanctionibus nullo modo discrepant, cum Christianæ religioni apertissime conveniant. Hujusmodi, inquam, capitula, in quibuslibet conciliis inventa, nullatenus ab aliquo catholico sunt contemnenda, præsertim cum ipsa reliqua concilia, ex sacratissimarum auctoritate sanctionum descendisse non dubitentur; quæ per singulas provincias bina episcoporum concilia annuatim fieri firmissime decernunt. Hoc, inquam, beatus Anacletus ab ipso principe apostolorum presbyter ordinatus in decretis suis capit. 17, certissime decernit: « Congregatio, inquit, summorum per singulos annos fieri solet et debet. » Hoc excellentissima synodus Nicæna cap. 5, constituit. « Bene, inquit, placuit singulis annis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari ut communiter omnibus simul episcopis congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones. » Item, Constantinopolitanum concilium, enumeratis privilegiis diversarum Ecclesiarum, cap. 11 [*C. R.* ita], constituit: « Servata regula quæ scripta est de gubernationibus, manifestum est quod illa, quæ sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispensetur [*C. R.* dispenset], sicut Nicæno constat decretum esse concilio.

Item Chalcedonense concilium, cap. 19, dicit:

(989) JULIUS I, *in rescripto ad Orientales;* Rom. editio, pag. 208.

(990) Nec ullam Synodum ratam esse legitimam, quæ ejus non fuerit.

« Decrevit sancta synodus, secundum canones Patrum, bis in anno episcopos in id ipsum in unamquamque provinciam convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere, si quæ fortassis emerserint. »

Patet ergo quod authenticæ sanctiones etiam provincialia concilia fieri præcipiunt, quod incassum præciperent, nisi et nos eorumdem conciliorum probabiles sententias observare decernerent. Unde et in tertio Toletano concilio universali decretum est: « Qui concilia orthodoxorum episcoporum, consona sanctissimis quatuor conciliis non recipit, anathema sit. » Quicunque igitur vel horum conciliorum rationabilibus statutis obviare conatur, etiam a superioribus authenticis sanctionibus in periculum suum dissentire probatur. Beatus quoque Isidorus, in quadam sua præfatione de canonibus capite undecimo, prædictis rationibus astipulatur hoc modo: « Nosse etiam oportet, licet cætera non infirmantur, quatuor esse principalia concilia. » His autem enumeratis subinfert in eodem capite: « Sed et si qua sunt concilia, quæ sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omnium manent stabilita vigore. » (ISIDORUS, *libro Originum* VI, cap. 15.)

Est ergo dignum ut et hujusmodi conciliorum statutis obtemperetur. Si enim non parvæ stultitiæ constat, si quis cujuslibet unius hominis sano consilio acquiescere detrectat, quanto magis reprehensibile videtur, si quis impudenter resistit hujusmodi conciliorum statutis non unius, sed plurimorum sapientium auctoritate et judicio prolatis atque probatis. Nempe hujusmodi conciliis plures catholici et eximii doctores interfuisse leguntur, ut in Africanis conciliis legati sedis apostolicæ Faustinus, Honoratus, Urbanus episcopi, sanctus etiam Aurelius (991) Carthaginensis archiepiscopus. Item, ipse vir omnium virtutum Augustinus Hipponeregiensis episcopus, quem sanctus Cœlestinus vir apostolicus in decretis suis (*ep.* 8) ita nobis commendat: « Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis prædecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. » Huic etiam Augustino, ut liber Liberati testatur, Theodosius imperator, per « sacram » suam mandavit, ut se Ephesino concilio præsentaret. Sed eheu! tam egregius doctor ante mundo subtractus est, quam ad illum invitatoria Romani principis epistola pervenisset.

Hi ergo, quos prædixi, et alii innumerabiles sancti Patres Africanis conciliis interfuere, imo præfuere. Sic etiam sanctus Marinus Arelatensi concilio
A per sanctum Silvestrum [*C. R.* papam] approbato, sic sanctus Cæsarius Agathensi, sanctus Hilarius Arausicensi, sanctus Albinus Aurelianensi, sanctus Bonifacius Mogontiensi concilio, sic et alii aliis conciliis non soli, sed cum pluribus aliis sanctis Patribus interfuisse leguntur qui in Christiana religione et doctrina tam insignes fuisse creduntur, ut vel unius eorum singulari judicio obviare nimium esset temerarium. Ergo multorum sapientium judicio non acquiescere, multo magis est intolerabile, in his duntaxat capitulis quæ prædictis authenticis statutis non adversantur, sed institutioni Christianæ religionis procul dubio suffragantur. Nam, juxta beati Augustini judicium « pro nullius personæ reverentia est recipiendum, si quid canonicæ veB ritati in aliquo concilio vel alicubi reperitur adversum. »

Præterea sancta et veneranda synodus Chalcedonensis etiam provincialia concilia ante ipsum transacta canonizasse non dubitatur, ita decernens capite primo: « Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas, proprium robur habere decrevimus. » Hæc autem concilia ante ipsum Chalcedonense leguntur fuisse: Ancyranum, Neocæsareense, quæ et Nicæno concilio antiquiora traduntur. Item, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicense. Ergo eadem et in Chalcedonensi synodo non dubitantur esse roborata; quæ, etiam cum Africanis canonibus beatus AdriaC nus papa Carolo imperatori (992) ad disponendas Ecclesias in regno suo Romæ tradidisse legitur. Quapropter nec provincialium conciliorum statuta a quolibet temere sunt respuenda, quæ et apostolica sedes censuit recipienda. Hucusque sufficiat dixisse de sacrorum canonum auctoritate. Nunc ad propositum redeamus, et statuta quæ noster apostolicus in superiori epistola Othoni Constantiensi episcopo cautissime descripta transmisit, per ordinem digeramus.

CAP. V. Horum illud erat primum: « Ut clerici, aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium per pretium adepti, nullatenus deinceps in Ecclesia ministrent. »

Secundum: « Ut ecclesiam pretio acquisitam,
D nullus retineat; nec alicui deinceps ecclesiam vendere vel emere liceat. »

Tertium: « Ut a clericali officio cessent quicunque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent. »

Quartum: « Ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos apostolicas institutiones contemnere videat. » Curramus igitur per singula, et eadem quam authentica, quam attendenda, imo quam inevitabilia, sint, non ex nostris conjecturis, sed ex sanctorum Patrum statutis compendiose monstremus.

CAP. VI. Primum itaque statutum in Chalcedo

(991) In C. R. desideratur.
(992) Exstat hæc epitome canonum ab Adriano confecta et Carolo Magno tradita.

nensi concilio plenissime et evidentissime reperitur, quod unum ex quatuor prædictis conciliis tempore quidem, non dignitate ultimum, sancti Patres Leoni Augusto usque ad sanguinem vindicandum esse mandarunt, ut Liberatus in libro suo testatur. In ipso, inquam, concilio scriptum est capite tertio (993) : « Si quis episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, et sub pretio redegerit gratiam quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam episcopum, chorepiscopum, presbyterum aut diaconum, vel quemlibet de his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias [*C. R.* pecunias] dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino, qui subjectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo, is qui hoc attentasse probatus fuerit proprii gradus periculo subjacebit, et, qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione quæ est per negotiationem facta proficiat; sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis exstiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat. Si vero laicus aut monachus, anathematizetur. »

Et notandum quam caute istud capitulum omnes Simoniacorum astutias excludat; cum quolibet modo per pecuniam promotos, absque omni spe recuperationis deponat. Solent enim Simoniaci diversis modis, sed uno reatu sacras dignitates mercari. Nempe, nunc ipsi, nunc pro ipsis eorum amici pretium pro sacra dignitate, vel ante ordinationem suam dederunt, vel in ipsa dant, vel postmodum se daturos promittunt. Et hoc nunc electoribus eorum, nunc eorum ordinatoribus, vel demum quibuslibet eorum fautoribus.

Quicunque igitur aliquo horum modorum quemlibet promoverit, vel se ipsum ita promotum esse cognoverit, indubitanter a superiori capitulo degradari jubetur, cum per pecuniam, vel alium promovisse, vel ipse promotus esse non dubitetur. Sed nec hoc sine consideratione prætereundum videtur quod idem caput duo negotiatorum genera damnavit. Unum quidem eorum qui ad diaconatum vel presbyteratum, vel ad aliquem hujusmodi gradum per pecuniam ordinantur, alterum eorum qui ad dispensationis ministerium, vel ad aliquod hujusmodi clericale officium per pecuniam promoventur, qualis est vice dominatus, præpositura, decania, archipresbyteratus, et his similia. Sic igitur et noster apostolicus duo negotiatorum genera, et omnes negotiantium versutias in primo ejus statuto comprehendit; in quo clericos aliquem sacrorum ordinum gradum, vel officium, quoquo modo per pecuniam adeptos deponit. Quod tamen statutum superiori capite mitius liquido probatur; cum spiritualium officiorum venditores, et tam nefariæ negotiationis mediatores debita ultione non damnet. Quos tamen

A prædictum caput cum ipsis emptoribus degradandos vel anathematizandos esse decrevit. Et nota, si mediator degradari vel anathematizari merito jubetur, quid de illo censes qui per eamdem negotiationem indigne promovetur ? Hoc utique, quod sanctissimus papa Gregorius (*lib.* VII, *ep.* 112), imo quod per illum Spiritus sanctus de hujusmodi negotiatoribus indubitanter decrevit, qui in ejusdem apostolici auriculam, sub columbina specie, quælibet decernenda dictare consuevit. Nempe scriptum est in decretis suis, cap. 131 (*apud Grat. I, q.* 1, *c.* 13): « Quicunque ergo hoc, id est, ecclesiasticum officium, pretii studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. » Et
B paulo post in eodem cap.: « Cum liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur ? » Quid ergo mirum, si noster apostolicus eos tantum ab ecclesiasticis ministeriis separavit, quos sanctissimus ejus æquivocus, et ab Ecclesia separatos esse cum reliquis hæreticis, deputavit ?

CAP. VII. Secundum quoque statutum nostri apostolici est quod ecclesias emptoribus [*C. R.* earum] adimi præcipit; item, in prædicto Chalcedo-
C nensi concilii capitulo, licet obscure, comprehensum videtur, quod etiam dispensatori ecclesiasticarum rerum per pecuniam promoto officium dispensandi jubet auferri. Quilibet enim presbyter, dispensator debet existere non prædicationis tantum, sed etiam rerum ecclesiæ sibi commissæ, quas SS. Patres, non solius presbyter, sed qnorumlibet egentium necessitati dispensandas esse censuerunt.

Præterea in eodem capite cuilibet clerico omnis ecclesiastica sollicitudo per pretium acquisita jubetur adimi. Procurare autem ipsam Ecclesiam cum sacerdotali diligentia, ni fallor, clericalis sollicitudo est et ecclesiastica : ergo et in eodem capite Ecclesiæ sollicitudo per pecuniam usurpata jubetur auferri. Unde, et beatissimus papa Gregorius scribens
D ad Clementem Bizanzenum [Bizazenum], de quodam presbytero decernit ita: « Ut, si idem presbyter quamdam ecclesiam obtinuisset per pecuniam, non solum eadem ecclesia privaretur, sed etiam presbyterii honore spoliaretur. » Sic quoque in antiquis nostrarum provinciarum conciliis, Maguntiacensi videlicet, Remensi, sive Turonensi statutum legitur ut presbyter ecclesiam pretio adeptus et presbyterio et ecclesia privetur. Item, beatus Leo papa ejusdem nominis IX nostro tempori pene contiguus, in prima sua Romana synodo Simoniacam hæresim penitus damnavit; emptiones et venditiones altarium sub anathemate prohibuit,

(993) *Vide* c. 1, q. I, c. 8.

quod anathema illi non evaserunt, quicunque deinceps tam nefariam negotiationem exercere præsumpserunt. Libet igitur considerare quam clementer noster apostolicus tantum emptas ecclesias emptoribus earum ademerit, quos juxta censuram SS. Patrum et ecclesia et presbyterio, imo Christiano nomine et communione privandos esse non ignoravit.

Cap. VIII. Sed cur in tantum laboramus, ut prædicta nostri apostolici statuta ex synodicis SS. Patrum sententiis processisse demonstremus, cum eadem ex ipso sacræ Scripturæ armario emanasse nullum dubitare eruditum putemus? Nam in eadem Scriptura, omnes personæ tam nefarii mercimonii damnatæ reperiuntur, scilicet et venditores spiritualium officiorum et emptores atque hujus negotii mediatores. Ipse enim Dominus « pariter vendentes et ementes de templo suo ejecit, et cathedras vendentium columbas » jam tunc ipse *evertit* (*Matth.* XXI; *Marc.* XI). Quod S. Gregorius ille noster theologus in XXII (*C. R.* XVII, *et recte*] homilia exponit ita : « Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. » Et merito. Nam ipsa Veritas præcipit in Evangelio : Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X); » quod, cum tales non attendant, etiam a Deo seipsos alienant qui in eodem Evangelio dicit : « Qui est ex Deo, verba Dei audit; ideo, vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VIII). »

Præterea princeps apostolorum Petrus, imo per illum ipse Christus omnibus prælatis in Ecclesia præcipit ita : « Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed voluntarie (*I Petr.* V). » Contra hoc præceptum illi agunt quicunque spirituale officium pro sæculari lucro subjectis suis turpiter impendunt. De quibus idem apostolus, in sua posteriori Epistola testatur : « Secuti sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit; correptionem vero habuit suæ vesaniæ subjugale mutum [animal] in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam (*II Petr.* II). » Quod Venerabilis presbyter Beda in tractatu super eamdem epistolam dilucidat ita : « Nam [*C. R.* Nonnunquam] multi Catholicorum in tantum mercedem amant iniquitatis ut etiam docti ab indoctis, a laicis clerici merito lacerentur; qui, jure comparantur prophetæ qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur; nec tamen a proposito pravi itineris retardatur. » Iste videlicet Balaam idem esse asseritur, qui et beatum Job in libro ipsius superflue et arroganter docuisse legitur; qui et Eliu, id est *divinus* ab officio divinandi est cognominatus. Sic enim testatur S. Hieronymus in lib. De Hebraicis quæstionibus. Hic igitur cum esset propheta a Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Israel conductus, illis quidem in verbo Domini pro pretio studuit maledicere, sed pravita-A tem suam, Domino vetante, ad effectum non perduxit, nec mercedem iniquitatis accepit; qui tamen a Deo reprobabilis denotatur, ut asina ejus sapientior eo vesaniam ejus et insipientiam corripuisse et eum a gladio resistentis angeli eripuisse legatur; quam ipse angelus non morituram fore testatus est, etiamsi ipsum reprobum prophetam debita morte multasset (*Num.* XXII). Si ergo Balaam tantum amando mercedem iniquitatis a Deo legitur reprobabilis, quanto magis ille inter reprobos est computandus, qui eum Balaam de iniquissima venditione spiritualis officii pretium studiosissime requirit, nec cessat, donec ambitionem suam ad effectum perducat?

Præterea beatus Hieronymus, in tractatu super B Matthæum, illum scribam qui dixit Jesu : « Magister, sequar te quocunque ieris (*Matth.* VII), ideo repudiatum a Domino testatur quia, more Simonis magi, eum sequi voluerit, ut ex operum miraculis lucrum assequeretur. Unde et sibi a Domino respondetur : « Vulpes foveas habent, » et reliqua; ac si diceret : Cui propter lucra et divitias me vis sequi, cum tantæ sim paupertatis ut nec proprium habeam hospitium, cum vulpes etiam et volucres proprias habeant mansiones ? » Si igitur ille qui spirituale officium pro lucro tantum exercere voluit ab ipso Domino jure reprobatur, quanto magis ille qui et hujusmodi officium penitus aliis vendidisse detegitur?

Cap. IX. Emptores autem spiritualium cum ipso C principe eorum Simone Mago in Actibus apostolorum damnati leguntur. Ubi ille noster Simon princeps apostolorum, eumdem alium Simonem principem apostatarum æterna damnatione multavit, ita decernens : « Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Cor tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac malitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. » Respondens autem Simon dixit : « Precamini et vos pro me ad Deum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis (*Act.* VIII). »

Et nota ipsum hæresiarcham Simonem Magum D pro sola nefaria cogitatione ab æquivoco suo damnatum, quem videlicet spirituale officium mercari solummodo cogitasse, nullatenus autem tam nefariam negotiationem legimus implesse. Videsne quam rationabiliter illi damnentur qui et tam inhianter, ut Simon Magus, spiritualia officia mercari concupiscunt, et insuper desideratam negotiationem perficiunt; qui, et eadem scelerate acquisita, sceleratius uti, imo abuti non verentur. Unde non parum ipsum Simonem Magum in culpa præcedere videntur. Ille enim emptionem, quam male concupivit, nullatenus ad effectum perduxit; qui pro solo nefario appetitu damnatus, per ipsos apostolos apud Deum efficere studuit ut damnatorias eorum sententias subterfuge-

ret, non ut officium criminose appetitum criminosius obtineret.

Sed cur idem hæresiarcha spirituale officium mercari appetisset, nisi emptum deinde nefandius vendere vellet? Non enim frustra de eo scriptum esse videtur. Quod stupidus de signis et virtutibus admiraretur; quæ, ut ipse posset facere, per pecuniam suam voluit efficere, videlicet « ut, juxta Hieronymi assertionem, temporale lucrum ex miraculis assequeretur. »

Ergo non solum emptores, sed et venditores spiritualium officiorum sectatores præfati hæresiarchæ denotantur. Unde et cum eodem æternæ damnationis vinculo astricti non dubitantur, attestante beato Gelasio, in decretis suis, cap. 24 (*Epist.* 6, 1, q. 1, c. 6) : « Quos vero constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale patrantes, quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit. » Hanc autem generalem sententiam, beatus Gelasius papa per tractatus singulorum graduum ordinationibus subintulit; inter quos etiam ostiarios, notarios, sive defensores numeravit, qui nec per manus impositionem ordinantur, nec ipsi, manus alicui imponere permittuntur (994). Unde et illum in decretis S. Alexandri Simoniacum vocari non dubium est, qui pœnitentem ad reconciliationem pro pretio apud episcopum juvat. Ex qua re [*C. R.* ratione] colligitur non solum illos reputari inter Simoniacos, qui per pretium ad manus impositionem perveniunt, sed et illos, qui et alia clericorum officia per pecuniam acquirunt. *Omnia autem* in ejusmodi officiis *operatur unus atque idem spiritus* (*I Cor.* XII), cujus donum non gratis, sed per pretium dare vel accipere, non catholicum, sed indubitanter est Simoniacum.

CAP. X. Mediatores quoque hujus nefandissimæ negotiationis ab ipso Vase electionis damnantur qui eos ita detestatur : « Nam digni sunt morte, non solum qui nefanda faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt (*Rom.* I). » Item citharista noster David : « Si videbas, inquit, furem, currebas cum eo (*Psal.* XLIX), » et illud : « Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos (*Ibid.*). » Deinde in eodem psalmo terribilis sententia de hujusmodi assentatore profertur, videlicet quod a Domino sit arguendus, nec per aliquem a manu Domini deinceps eripiendus (*Ibid.*). Nec mireris, si spiritualis officii mercator sub nomine furis designetur; cum et ab ipsa Veritate in Evangelio ita nominetur : « Qui enim aliunde intrat, nisi per ostium, non pastor ovium, sed fur et latro (*Joan.* X) » nuncupatur a Domino. Nempe nullus in Ecclesia prælatus per ostium, hoc est, per ipsum Dominum ad pastoralem curam intravit, qui per avaritiam, id est, idolorum servitutem ad hoc officium pervenit. Non est ergo indignum hujusmodi mercatorem sive mercenarium sub nomine furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit imitari. Hujus autem criminosissimi mercimonii mediatores non negligenter attendant Giezi puerum Elisei, qui ex parte domini sui, eo quidem nesciente, munera sponte oblata suscepit a Naaman Syro, qui jam a lepra mundatus est ab Eliseo propheta. Idem quippe Giezi, licet inter Eliseum et Naaman medius nefarie lucraretur, neutrum tamen secum ejusdem sceleris fecit obnoxium. Nam et ille spontaneam oblationem satis eleganter respuit, quam iste non quasi ex debito ementis, sed ex benigno affectu mentis liberaliter obtulit. Sed quamvis Giezi neutrum horum in crimen secum attraxerit, sed se solum inter hos medium simplici crimine obligaverit, ipse tamen et omnes ejus posteri pro eadem culpa leguntur severissime puniti, scilicet lepram, a qua mundatus est Naaman, quasi hæreditariam in sempiternum sortiti (*IV Reg.* V). Quapropter mediatores Simoniacæ negotiationis attendant quam districte, imo quam districtissime sint damnandi, qui non solum se ipsos, sed et illos quorum mediatores sunt, sub æterna damnatione secum posuerunt.

Satis ergo, ut opinor, declaratum est quam summopere prædictas nostri apostolici sanctiones venerari et observare debeamus, quas non solum ex synodicis et authenticis SS. Patrum sententiis promanasse, sed etiam ex propheticis, evangelicis et apostolicis scriptis [*C. R.* Scripturis] processisse probatum est evidentissime. Ipsa videlicet Veritas easdem, et per se ipsam, et per suos fideles indubitanter promulgavit, quia [*C. R.* quæ] et sub fideli attestatione nobis dicit : « Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum (*Joan.* VIII); » item alibi : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit (*Joan.* XIV). » Ergo qui mandata ejus non observat, ipsam veritatem non amat. « Qui autem non diligit, attestante beato Joanne, manet in morte (*I Joan.* III). » Qui igitur divina præcepta contemnit, nullatenus mortem subterfugere valebit.

CAP. XI. Tertium autem nostri apostolici statutum quod incontinentibus clericis ministerium altaris interdicit, nihilominus definitum est a SS. Patribus. Est enim scriptum in [*C. R.* sacratissimo] Nicæno concilio quod maximum est inter IV concilia Evangeliis adæquata, cap. 3 : « Interdicit per omnia magna synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. »

Ut autem hujus capitis intentio clarius elucescat, apertiorem ejus translationem subnectere non pigeat. Omnimodis sancta interdixit synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque

(994) Hæc periodus in C. R. desideratur in contextu; sed tamen est ad marginem.

ulli clericorum, permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit, aut soror, aut amita. In his namque personis et horum similibus omnis suspicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit periclitabitur de clero suo. Videsne igitur quia penitus clericis conjugale opus [*C. R.* istic] interdicatur? quia et pro ipsa cohabitatione sua feminarum, non solum de ministerio altaris, sed de clericatu suo periclitari jure, censentur. Nec hoc tantum de sacerdotibus, sed de omnibus sacris ordinibus evidenter decernitur.

Item Neocæsareense concilium, quod ante Nicænum concilium fuisse legitur, ita cap. 1 decrevit : « Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet et ad pœnitentiam redigi. »

Chalcedonense etiam concilium, quod ipsas Nicænas, Neocæsareenses, imo omnes SS. Patrum sanctiones ante ipsum transactas, ut prædictum est, confirmat, etiam earumdem sanctionum prævaricatores generaliter ita condemnat, cap. 10 : « Eos autem qui ausi fuerint post definitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio gradu recedere. »

Item beatissimus papa Sylvester, qui Nicænam synodum congregavit, et eamdem apostolica auctoritate corroboravit, in suis synodalibus decretis, ita decernit, cap. 6 : « Nemo presbyter a die honoris præsbyterii, sumat conjugium; quod si quis neglecto hoc, aliter egerit, XII annis eum jubemus privari honore. Quod si quis contra hoc chirographum præsens et publice dictum egerit, damnabitur in perpetuum. »

Item beatus Siricius papa in decretis suis, cap. 7 : « Quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps incontinens fuerit inventus, jam sibi per nos omnem aditum indulgentiæ intelligat obseratum. » Item, in eisdem, cap. 12 : « Feminas, sed non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum, quas propter solam necessitudinum causam habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit. »

Item, sanctissimus papa Gregorius scribens ad Romanum defensorem (*lib.* VII, *epist.* 39) ita decernit, cap. 10 : « Si qui episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hos [*C. R.* hoc] omnino compescas, et de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit, id est, matre, amita, germana, et aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Melius tamen faciunt, si etiam talium cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens : « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. » Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Et post pau- A ca : « Præterea curæ tuæ sit eosdem fratres nostros episcopos adhortari, ut subjectos sibi in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui modis omnibus servare commoneant. »

Item, Zacharias papa in decretis suis, cap. 1 : « Decernimus ut episcopi cum mulieribus omnino non habitent, ne ab antiqui hostis fraude decipiantur. » Idem, in eisdem cap. 2 : « Ut presbyteri, vel diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum habere audeant, nisi forte commatrem suam aut proximitatem generationis sibi habentes, quæ suspiciones effugiunt, sicut in Nicæna synodo continetur. Si quis præter hæc statuta præsumpserit agere, sacerdotii sui honore privetur. »

B Item beatus Hieronymus scribens ad Oceanum, authenticis rationibus probavit non licere cleris conversari cum feminis : Et postmodo subintulit : « Quod si, post nostra monita, aliquis clericus, suas agapetas [*ms.* sagapetas, *mendose admodum*] amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur, et præcepta Patrum in Nicæa definita ei legantur. Tum vero, si conventus, prædictas fugerit et reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est. Germinant enim feminæ spinas cum viris habitantes, et arcana mentium acuto mucrone percutiunt. »

Sed quid dicam ulterius? Deficiet enim me tempus ut enarrem virtutum [*C. R.* viritim] SS. Patres C prædicti nostri apostolici statutis subscribentes. Nam omnes Catholici eadem observanda esse censuerunt qui et a sacratissimis quatuor conciliis dissentire noluerunt. Ex quibus noster apostolicus præfata produxit decreta. Quapropter nec idiotas latere æstimo quam periculose, vel potius quam perniciose sibi suisque sectatoribus desipiant quicunque per Sozomeni caput sacerdotibus incontinentiam ascribere non formidant. Quibus, licet superior epistolarum assertio sufficere debeat, unum tamen [*C. R.* iterum] eos præmonere de cavendo anathemate non tædeat.

CAP. XII. Vetus Testamentum partim in mysteriis, partim in moralibus præceptis continetur. Sed adveniente D Christo cessavit in mysteriis et carnalibus observantiis, quia ipse est finis, sive completio legis. In moralibus [*C. R.* autem] præceptis adhuc manet, quia semper est observandum : « Diliges proximum tuum sicut teipsum [*C. R.* et reliqua] (*Matth.* V; *Deut.* VI). » Quicunque igitur ex lege aliquam carnalem observantiam Novo quidem Testamento adversam, adhuc observandam esse dogmatizat, procul dubio cum Galatis, imo cum Hebionitis [Ebionitis] judaizat. Conjugale autem opus sacerdotum inter carnales legis observantias computatur. Quibus unquam [*C. R.* inquam] sacerdotibus hoc tantum in lege successionis causa legitur concessum, quia ex alia tribu nullus eo tempore pervenit ad sacerdotium. Nam in nostro tempore ex

quolibet genere sacerdotes eligere licet, quibus et merito interdicitur conjugale opus, cum non jam habeant successores necessarios. Quapropter quisquis, et hoc tempore illud Judaicum conjugium sacerdotibus licere cum Sozomeno, vel potius cum Hebione [Ebione] dogmatizat, non negligenter illud inevitabile anathema consideret, quo ipse Apostolus specialiter Judaicarum observationum prædicatores anathematizat, Galatas judaizantes ita deterrens : « Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit (*Gal.* I). » Idem vero inculcans subjungit : « Nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit (*Gal.* II). » Idem quippe Paulus ipsum principem apostolorum Antiochiæ, licet ejusdem sedis episcopum, liberaliter corripuit, eo quod gentes, non quidem prædicando, sed suo exemplo judaizare cogeret, cum se ab eorum convivio pro timore Judæorum simulando subtraheret.

Præterea ipse hæresiarches Hebion cum omnibus suis sectatoribus inter reliquos hæreticos anathematizatus est a sacratissima synodo Constantinopolitana et a beato Gelasio papa in apostolica sede, quod anathema nullus subterfugere poterit, quicunque ipsum hæresiarcham, per Sozomeni caput, sectari præsumpserit.

CAP. XIII. Quidam etiam sibi nimium videntur scioli, asserentes incontinentiam sacerdotibus esse concessam in illo Apostoli : « Unusquisque suam uxorem habeat (*I Cor.* VII) ». Qui aut non intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I); aut si intelligunt, suam ipsorum conscientiam impugnant. Nam, attestante beato Hieronymo, Corinthii inter cætera ab Apostolo quæsierant an nuper renatis in Christo carnalis copula licita esset? quibus ita rescripsit Apostolus : « De quibus autem scripsistis mihi : bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (*Ibid.*). » Quod ita exponit S. Hieronymus in lib. contra Jovinianum (*cap.* 4) : « Non dixit Apostolus, propter fornicationem ducat unusquisque uxorem. Alioquin hac excusatione libidini frena laxasset : ut quotiescunque uxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur. Sed unusquisque uxorem suam habeat; suam, inquit, habeat, sua utatur quam habebat, antequam crederet : quam bonum erat non tangere; et post fidem Christi, sororem tantum nosse, non conjugem, nisi fornicatio tactum ejus excusabilem faceret, etc. Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.

« Oro te, quale illud bonum est quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere non permittit? quandiu enim impleo mariti officium, non impleo continentis. Jubet idem Apostolus in alio loco ut semper oremus. (*I Thess.* V.) [*C.R.* Ergo] Si semper orandum, nunquam conjugio serviendum est, quando, quotiescunque uxori debitum reddo, orare non possum. » Sic et Petrus apostolus docet Christianos ut infirmiori vasculo muliebri honorem tribuant, ab opere conjugali cessantes, ne impediantur eorum orationes (*I Petr.* III).

Quis igitur sanæ mentis prædictas Apostoli sententias de exercendo conjugali opere sacerdotibus ascribat, quorum quotidianum est officium, non modo orare, sed et divina sacramenta contrectare, præsertim cum in eodem loco etiam cuilibet Christiano, tempore orationis injungatur continentia? Nam si Apostolus hic etiam sacerdotibus carnalem copulam concederet, profecto contrarius sibi esset, qui ad Titum scribens præcipit, ut sacerdotes sobrii, justi sint, atque continentes (*Tit.* I). Ergo, non hic sacerdotibus, sed laicis, et his non solidum cibum, sed lacteum potum ministrat (*Hebr.* V), ut puta neophytis, qui nondum sibi, necdum aliis sufficienter erant instructi. Qualibus idem Apostolus sacerdotale officium penitus intercludit.

Eadem etiam ratione probatur ad laicos, non ad sacerdotes spectare quidquid idem Apostolus scribit de exercendo conjugali opere, ut illud, « quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri (*I Cor.* VII). » Et melius est legitimo marito misceri quam fornicari. Et illud : « Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si acceperis uxorem, non peccasti. Si nupserit virgo, non peccavit (*Ibid.*). » Hoc itaque nullo modo de sacerdotibus, vel de aliis continentiæ dedicatis dicitur, sed de illis tantum qui legitime conjugari possunt. Unde Hieronymus in supradicto libro : « Si, inquam, nupserit virgo non peccavit; non illa virgo, quæ se semel Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, damnationem habebit; quia primam fidem irritam fecit (*I Tim.* V). » Si autem hoc de viduis dictum objecerit [quis] quanto magis de virginibus prævalebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim quæ post consecrationem nupserint non tam adulteræ sunt quam incestæ. Si ergo prædictæ Apostoli sententiæ hujusmodi continentibus carnalem copulam non concedunt, quanto minus sacerdotibus, maxime cum illæ simpliciter ad continentiam sint consecratæ, illi autem ipsis continentibus sint prælati, et per venerandam manus impositionem, et per sacrosancti chrismatis unctionem.

Præterea idem Apostolus ipsis quibus conjugale opus exercere concedit, eisdem etiam secundas nuptias licenter inire permittit. Soluto enim ab uxore aliam ducere concedit, et viduæ nubendi licentiam attribuit (*I Cor.* VII). Nullatenus ergo sacerdotes sub permissoria carnalis copulæ sententia comprehendit; quibus, in Epistolis ad Timotheum et Titum,

bigamiam penitus prohibuit, cum jubeat tantum unius uxoris virum eligi ad sacerdotium (*I Tim.* III; *Tit.* I). Nam nec apud ethnicos bigamia licebat sacerdotibus, beato Hieronymo asserente contra Jovinianum. « Legant, inquit, nostrates, et antequam religio nostra fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse inter matronas decus. Per illas, Fortunæ muliebri sacra fieri solita; nullum sacerdotum bigamum; nullum flaminem bimaritum. Hierophantas quoque Atheniensium usque hodie cicutæ sorbitione castrari; ipsos qui in pontificatum allecti fuerint viros esse desinere. »

Quicunque autem prædicta Apostoli verba in tantum adulterant ut sub eorum perversa interpretatione, etiam sacerdotibus incontinentiam licere confingant, procul dubio sequuntur Nicolaum hæresiarchen, quem Clemens Alexandrinus in lib. III Stromatum refert, cap. 3, et lib. II, cap. 9, uxorem suam cuilibet etiam volenti prostituisse, et hoc exemplo suo docuisse cunctis promiscua atque communia feminarum consortia licere. Et hoc ideo, ut a majoribus relatum, quia scriptum est : « Et erant illis (omnia) communia (*Act.* II); » inter quæ Nicolaus numeravit et conjugia. Sicut igitur ille apostolicum exemplum nimis generaliter, et perverse acceptum in hæresim mutasse refertur, sic et isti, illud Apostoli : « Unusquisque suam uxorem habeat, » nimis generaliter et perversissime interpretantes, in errorem vertisse notantur; qui sub eodem exemplo contra eumdem Apostolum sacerdotibus conjugale opus concessum fallaci pertinacia contendunt. Quamvis enim in sacris ordinibus promiscua feminarum consortia magis detestanda sunt quam singularia, depravatio tamen apostolicæ institutionis ipsi hæresiarchæ Nicolao minus imputanda videtur quam istis. Ille enim eo quidem tempore apostolicam doctrinam male interpretatus est, cum vix in primis nomen Christianitatis incœpisset, cum evangelica et apostolica doctrina nondum esset per totum mundum dilatata, nondum tot signis et virtutibus, tot sacratissimis sanctorum martyrum triumphis approbata. Isti autem, eamdem doctrinam jam ubique nec ignotam rusticis, jam dudum, imo jam ab antiquo sanguine sanctorum Patrum consecratam, et irrefragabiliter corroboratam obstinatissima temeritate nituntur depravare. Unde, et illam perditionem subterfugere nequibunt, quam ipse princeps apostolorum depravatoribus Scripturarum assignat, qui Epistolas coapostoli ejus Pauli ita nobis commendat : « In quibus, inquit, Epistolis sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes, custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. »

Ut autem clarius eniteat Apostolum in superioribus sententiis non sacerdotibus, sed laicis carnale commercium indulsisse, diligenter inspiciamus quid idem Apostolus ministros sanctorum [*C. R.* sacro-

A rum] observare decernat, et quibus sacros ordines concedi, vel denegari constituat. Nam in eadem apostolica institutione et defensoribus sacerdotalis incontinentiæ perpetuum silentium evidenter imponitur, et præfata nostri apostolici statuta irrefragabiliter corroborantur. Quippe quæ nulli sacrum officium interdicunt, nisi quem et apostolica præcepta penitus ab ipso sacro ordine secludunt.

CAP. XIV. Beatus igitur Paulus apostolus scribens ad Timotheum, de sacris ordinibus ita testatur : « Fidelis, inquit, sermo; si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed mode-
B stum; non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in surperbiam elatus in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi primum probentur, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint viri unius uxoris; qui filiis
C suis bene præsint, et domibus suis. Qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent, et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Domino (*I Tim.* III). »

Idem, ad Titum : « Hujus, inquit, gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles; non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet autem episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem ser-
D monem, ut potens sit, et exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere. Sunt multi inobedientes, vaniloqui, et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia (*Tit.* I). » Et Post pauca : « Increpa illos dure, ut sint sani in fide, non intendentes Judaicis fabulis et mendaciis hominum avertentium se a veritate (*Ibid.*). »

CAP. XV. In primis igitur notandum est in his apostolicis institutionibus sub nomine episcopi etiam presbyteros comprehendi. Inconvenienter enim Apostolus post descriptionem episcopi statim de diaconibus subinferret, si non et presbyteros sub episcopali descriptione comprehenderet, qui post episco-

pum proximi, et ipsis diaconibus indubitanter sunt anteppositi. Aut enim nusquam de ordinatione presbyterorum dixit, aut sub nomine episcoporum eos descripsit. Scilicet incongruum esset ut, prætermisso magistro, ministrum ejus describeret, cum tamen magister ecclesiasticis dispositionibus magis esset necessarius. Præterea cum Apostolus Tito præcipiat, ut per civitates presbyteros ordinet, statim eum de ordinatione eorum informans subinfert : « Oportet episcopum sine crimine esse (*Ibid.*) » Idem Timotheo scribit : « Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii (*I Tim.* I). » Cui, in sequentibus statim dicit : « Nemini cito manum imposueris (*I Tim.* V), » quod proprie episcoporum est. Ergo eumdem episcopum dicit, quem et presbyterum nominavit. Sic beatus Hieronymus (995), et S. Pater Ambrosius prædictas Apostoli sententias fideliter exponentes, testantur apud antiquos idem fuisse episcopum et presbyterum, ut nomen unum, esset officii, aliud ætatis. Postea autem, ut Hieronymus asserit, cum unusquisque eos quos baptizaverat suos esse putaret, et non Christi, propter auferenda schismata, in toto decretum est orbe ut unus de presbyteris præponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret.

Post descriptionem autem episcopi et presbyteri, caute Apostolus subjungit de diaconibus ita decernens : « Diaconos similiter, scilicet oportet, pudicos esse, et reliqua (*I Tim.* III). » Ac si diceret : Quod de episcopis et presbyteris decrevi, hoc idem et de diaconibus me sciatis decrevisse. Satis ergo evidenter patet, ut æstimo, Apostolum in superioribus suis diffinitionibus etiam presbyteros cum episcopis et diaconibus comprehendisse. Unde et merito quilibet eorum a sacris officiis dimovetur, quicunque ex illis in se apostolicam informationem corrupisse probatur. Nempe Apostolus testatur episcopos, et presbyteros, et diaconos oportere turpis lucri cupidos non esse (*Tit.* I). Omnis autem Simoniacus turpissimi et nefandissimi lucri indubitanter est cupidus. Ergo inter sacros ordines nullatenus est computandus, scilicet jam dudum per apostolicam sententiam penitus ab eisdem segregatus. Notandum autem, si neophytus inter sacros ordines non recipitur, qui tamen inter laicos posse salvari creditur, quanto magis inde sunt segregandi cupidi, sive avari, qui sunt idolorum servi, qui, juxta Apostolum, nullatenus habent hæreditatem in regno Christi et Dei (*Ephes.* V) ?

Item apostolus præcipit in superioribus, ut episcopi, presbyteri, diaconi sint pudici, id est continentes. Nec mirum, cum et laicos ad continentiam hortetur dicens : « Volo autem homines esse, sicut me ipsum (*I Cor.* VII), » utique continentes. Item : « Reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint (*Ibid.*). » Item : « Viri, diligite A uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam (*Ephes.* V). » Unde Hieronymus : « Si Christus, inquit, sancte, si caste, si absque ulla macula diligit Ecclesiam, viri quoque in castitate uxores suas diligant; » et : « Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum (*I Thess.* IV). » Quem honorem ita interpretatur Hieronymus : « Si, inquit, abstinemus nos a coitu, honorem muliebri vasculo tribuimus; si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam. »

Præterea omnis populus filiorum Israel ad montem [*C. R.* Sina] accessurus, et Dei eloquium de longinquo tantum auditurus, triduo sanctificari, et se continere ab uxoribus jubetur (*Exod.* XIX). Jure B ergo Apostolus sacrorum ministris incontinentiam interdicit [*C. R.* continentiam indixit], qui et sæcularibus debent præeminere in castitate : qui, et ipsius Spiritus sancti locutorium effecti, quotidie Dominum pro populo debent interpellare. Quicunque ergo horum incontinens esse detegitur, ab ipso Apostolo sacris ordinibus interesse prohibetur, cum per incontinentiam apostolicæ institutioni seipsum subtraxisse videatur. Nam quod Apostolus dicit, « unius uxoris virum, » juxta attestationem SS. Patrum, ante ordinationem tantum, non post ipsam, est intelligendum. Unde S. Cyprianus in lib. De XII abusionibus (996), dicit « quod talis esse debeat episcopus, ut ante episcopatum unam tantum uxorem habuerit, C non plures. » Unde et S. Hieronymus in Apologetico ad Pammachium : « Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui; vel certe post sacerdotium in æternum pudici. » Item, beatus Zacharias, vir apostolicus scribens ad S. Bonifacium Maguntiacensem archiepiscopum (*epist.* 1), ita decrevit : « Cum, inquit, tua fraternitas in concilio (Moguntino) consederit cum (Carlomanno) excellentissimo viro, si quos repererit episcopos, presbyteros, aut diaconos, contra canones vel statuta Patrum excessisse, id est, in adulterio; vel, si plures uxores habuerunt; aut si sanguinem Christianorum, sive paganorum, effuderunt vel etiam aliis capitulis, quibus canonibus obviasse repererit tua sanctitas, nulla ratione apostolica auctoritate permittat [eos] sacer- D dotio fungi, quia tales a suo proprio ore falso nominantur sacerdotes, et pejores ac deteriores sæcularibus esse noscuntur, qui se neque a fornicationibus, neque a nefariis matrimoniis abstinent, neque ab hominum sanguinis effusione manus servant innoxias. Quales se esse sacerdotes existimant, aut quid inde sentiunt, dicente Deo : Sacerdotes mei semel nubant? Et Apostolus : Unius uxoris virum, et cætera. Et hoc ante susceptum sacerdotium uti licitum est. Nam a die suscepti sacerdotii etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. » Unde et Hieronymus ad Vigilantium scribens testatur : « Ecclesiæ Orientis, et Ægypti, et apostolica sedes, aut virgines clericos

(995) De hoc dicto S. Hier. lege Bellarmin., lib. de Clericis, cap. 15.

(996) Hic liber non censetur S. Cypriani.

accipiunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt. » Quomodo enim juxta eumdem Apostolum, ut prædictum est, se continerent, si cum conjugibus incontinentiam exercere deberent; quæ, quia contraria sunt, nullatenus simul esse possunt?

Sed et hic diligenter inspiciendum quod Apostolus jusserit eligi ad sacerdotium, non qui jam per incontinentiam filios generaret, sed qui dudum filios adultos et bene nutritos habuisset. Nota autem apostolum inobedientes et vaniloquos nullatenus inter sacros ordines computasse; imo peritos sacerdotes constitui præcepisse ad hos utique arguendos qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia; quos etiam dure increpari jubet, ne Judaicis fabulis intendant et mandatis hominum aversantium [avertentium se] a veritate. Ut illi, qui juxta mandatum Pauli Samosateni, sive Ebionis Judaicam incontinentiam Christianis sacerdotibus licere dogmatizant.

Quid ergo mirum, si et noster apostolicus hujusmodi inobedientes a sacro officio dimovit, quos et Apostolus dure increpari, non sacris ordinibus adnumerari decrevit? Videsne igitur quam inevitabiliter sint observanda nostri Gregorii statuta, quæ a sacratissimo fonte Scripturarum videmus derivata.

Sciendum autem Apostolum constituisse ut ordinandi, sive ordinati, sine crimine essent, non sine peccato. Nam in mundo nullus, juxta Augustinum, exceptis parvulis baptizatis, sine peccato conversatur, attestante ipso dilectissimo Domini Joanne: « Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Item, frater Domini Jacobus: « In multis enim offendimus omnes (*Jac.* III). » Multi autem sine crimine reperiuntur. Unde B. Augustinus in tractatu 61 super Evangelium Joannis testatur: « Scilicet plane multi justi dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine. Nulla etiam querela justa est de his, in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen vero est peccatum grave accusatione et damnatione dignissimum. » Qui igitur tam grave admiserit peccatum, juxta Apostolum sacrum ordinem obtinere non debebit. Ut autem hæc apostolica institutio de sacris ordinibus nobis evidentior fiat, beati Hieronymi expositionem super eamdem considerare non pigeat, qui eam in libro contra Jovinianum (*cap.* 19 *et* 20) ita dilucidat:

CAP. XVI. « Sed et ipsa episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit eligatur episcopus, qui unam ducit uxorem et filios facit, sed qui unam habuerit uxorem et filios in omni subditos disciplina. Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioquin, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint virgines, quod mariti; aut, si sacerdotibus uxores non licet tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed et hoc inferendum: Si laicus et quicunque fidelis orare non potest, nisi careat [*G. R.* vacet ab] officio conjugali, sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed etiam purificabantur, ab uxoribus separati et vinum et siceram non bibebant (*Lev.* X) quæ solent libidinem provocare. Eliguntur mariti in sacerdotium. Non nego quia non sunt tanti virgines quanti sunt necessarii sacerdotes. Numquid, quia in exercitu fortissimus quisque eligendus est, idcirco non assumentur et infirmiores, cum omnes fortes esse non possint? Si exercitus viribus tantum constaret et non etiam numero militum, abjicerentur imbecilliores. Nunc et secundarum et tertiarum virium gradus assumitur, ut turba et numero exercitus compleatur.

« Et quomodo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali sacerdos virgo negligitur, et maritus assumitur? quia forte, et cætera opera non habet virginitati congruentia, aut virgo putatur, et non est, aut est virginitas infamis, aut certe ipsa virginitas ei parit superbiam. Et, dum sibi applaudit de sola corporis castitate, virtutes cæteras negligit, non fovet pauperes, aut pecuniæ cupidior est. Evenit interdum ut tristior vultus, adductum supercilium, incessus pomparum ferculis similis offendat populum. Et, quia nihil habet quod reprehendat in vita, habitum solum oderit et incessum. Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, et alterius prudentiæ et calliditati quasi malitia opponitur. Nonnunquam errat plebis vulgique judicium; et in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet; ut non tam bonum quam sui similem quærat præpositum. Evenit aliquoties ut mariti, quæ pars major in populo est, maritis, quasi sibi, applaudant; et in eo se arbitrentur minores non esse virginibus, si maritum virgini præferant.

« Dicam aliquid quod forsitan cum multorum offensa dicturus sum, sed boni mihi non irascentur, quia eos peccati conscientia non remordebit. Interdum hoc et pontificum vitio accidit, quia non meliores, sed argutiores in clerum eligunt, et simpliciores quosque atque innocentes inhabiles putant; vel affinibus et cognatis quasi terrenæ militiæ officia largiuntur; sive divitum obediunt jussioni; quodque his pejus est, illis clericatus donant gradum, quorum sunt obsequiis deliniti. Alioqui, si, juxta sententiam Apostoli, non erunt episcopi, nisi mariti, ipse Apostolus episcopus esse non debuit, qui dixit: « Volo autem omnes esse, sicut ego sum (*I Cor.* VII). » Et, Joannes indignus hoc gradu existimabitur. Et, omnes virgines et continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur. Episcopus,

et presbyter et diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicitur : Si quis episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum ; sed bonum opus desiderat (*I Tim.* III) quod, in majori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.

« Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse (*I Tim.* III) ut nulli vitio mancipatus sit, unius uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non habeat. Sobrium, sive, ut melius in Græco dicitur, vigilantem, id est, νηφάλεον. Pudicum, hoc enim significat, σώφρονα [*C. R.*, Σώφρων]. Ornatum et castitate et moribus. Hospitalem, ut imitetur Abraham, et cum peregrinis, imo in peregrinis Christum suscipiat (*Gen.* XVIII). Doctorem, nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi et creditum sibi populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina et eos qui contradicunt redarguere. Non vinolentum, quia qui semper in sanctis sanctorum est, et qui offert hostias, et vinum et siceram non bibit (*Lev.* X), quia in vino luxuria est. Sic bibat episcopus ut an biberit ignoretur. Non percussorem, id est, qui conscientias non percutiat singulorum ; neque enim pugilem describit sermo apostolicus, sed pontificem instituit quid facere non debeat. Docet nunc e regione quid faciat. Sed modestum, non litigiosum, non cupidum, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni castitate. Vide quanta pudicitia exigatur in episcopo, ut, si filii ejus impudici fuerint, ipse episcopus esse non possit ; et, eodem officio offendat Deum, quo offendit Heli pontifex : qui, corripuerat quidem filios, sed, quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit et mortuus est (*I Reg.* IV), lucerna Dei antequam extingueretur. Mulieres, similiter pudicas, et reliqua. In omni gradu et sexu tenet pudicitia principatum. Cernis igitur quod episcopus, presbyter, diaconus non ideo sint beati, quia episcopi vel presbyteri sint, aut diaconi ; sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioqui si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferior gradu est apud Christum deterior erit. Absit ut Stephanus diaconus, qui primus martyrio est coronatus, minor futurus sit in regno cœlorum multis episcopis et Timotheo ac Tito quos, ut subjicere non audeo, ita nec anteponere. » Hucusque Hieronymus.

Qui quantæ auctoritatis fuerit, etiam apud episcopos apostolicæ sedis, decreta beati Gelasii papæ satis insinuant (*De apocryph. Scripturis*), quia [quæ], inter authenticas et canonicas sanctiones opuscula ipsius recipienda decernunt, sicut et S. Cypriani, Ambrosii, Augustini opuscula, sive tractatus, et reliquorum SS. Patrum, qui nec in fide, nec in præ-
A dicatione a S. Romana Ecclesia deviarunt ; sed in ejus communicatione usque ad finem vitæ perduraruut. In tantum namque beatus Gelasius in prædictis decretis auctoritatem S. Hieronymi nobis commendat ut et aliorum opuscula, juxta ejus judicium, recipienda vel respuenda esse ibidem decernat. Quicunque igitur debitam obedientiam apostolicæ sedi impendere voluerit, nullatenus vel hujusmodi SS. Patrum singularibus sententiis repugnabit. Hucusque sufficiat dixisse qui Apostolus exigat a sacerdotibus. Quod, quicunque fideliter perspexerit, nequaquam statuta nostri apostolici obliteranda judicabit. Quæ, nec aliquis contemnere poterit, nisi et ipsorum apostolorum sententiis repugnare velit ; quibus ipsa Veritas in Evangelio fidelissime pro-
B mittit : « Verumtamen dico vobis, terræ Sodomorum remissius erit in die judicii » quam illis qui sermones vestros non receperunt (*Matth.* XI, *Luc.* X).

CAP. XVII. Quartum autem nostri apostolici decretum præcipit ut populus clericorum officia non recipiat, quos sacris canonibus, imo evangelicis et apostolicis institutionibus adversari percipiat, videlicet quos juxta censuram SS. Patrum damnatos in propriam eorum perniciem altari ministrare videat. Nempe Antiochenum concilium, a sacratissimo Chalcedonensi concilio, ut prædiximus, indubitanter roboratum, officia damnatorum clericorum a populis recipi districtissime prohibet, scilicet ut etiam ab ecclesia abjiciendos esse judicet qui illis clericis
C saltem communicaverint quos interdictum sibi ministerium usurpare cognoverint. Sic enim quartum ejusdem concilii caput testatur (*Apud Grat.* 11, *q.* 113, *c.* 6) : « Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem sive presbyter, aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Sed et communicantes ei omnes abjici de ecclesia oportet, et maxime, si, postquam didicerint adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eis communicare tentaverint. »

Juxta hujus capitis tenorem, sancti Patres, qui in (997-8) Chalcedone sacratissimos canones promul-
D gaverant, omnes communicatores cujusdam damnati Timothei præsulis Alexandrini excommunicatos esse censerunt, qui Leoni imp. pro eodem Timotheo consulenti hoc modo rescripserunt : « Eos etiam qui, cum scirent Timotheum fuisse damnatum, communicare illi sine periculo crediderunt, extraneos esse a Dei Ecclesia judicamus, secundum consequentiam regularem nulla eis venia, nec spe restitutionis ullo modo remanente, sicut tertia et

(997-8) De Timotheo Æluro lege Baronium tom VI. anno Christ. 457, num. 12 et seqq., et anno 490. et 475, 476, 477. Hæc, quæ hic citat Bernald., non sunt Patrum concilii Chalcedonensis, sed episcoporum quorumdam in epistola ad Leonem imp. quæ cum aliis epistolis ab illustribus personis pro concilio Chalcedonensi scriptis habetur ad calcem concil. Chalcedonens., tom. II Concil., novæ edit. Colon. fol. 161, columna 2.

octogesima regula de talibus aperte decernit, cujus initium est : Si quis episcopus a synodo, » et reliqua. Quapropter et noster apostolicus merito populis officia hujusmodi clericorum prohibuit eorum, inquam, quos non tam ipse damnavit quam a SS. Patribus jam dudum damnatos esse monstravit.

Præterea sanctissimus papa Alexander a beato Petro quintus, qui potius in camino ignis concremari quam mentiri fortissimus athleta delegit, ipse, inquam, nec loquendum eis esse testatur, quibus vel episcopus pro sceleribus eorum sentitur adversus. Et hoc, ex ipsius principis apostolorum auctoritate confirmat, ita dicens. cap. 6 (*epistola* 1) : « Beatus Petrus [*C. R.*, princeps apostolorum], in ordinatione sancti prædecessoris nostri Clementis instruens clerum et populum, ait : Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite exspectare ut ipse vobis dicat : Cum illo nolite amici esse; sed observare prudenter debetis, et voluntati ejus absque commutatione [commonitione, *sic Rom. ed.*] obsecundare, et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum; sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest; et per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si vero quis amicus fuerit his, quibus ipse non loquitur [quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his, *sic Rom. ed.*], unus est et ipse ex illis qui exterminare Ecclesiam Dei volunt. Et, cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est; et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt et evidenter inimici sunt. Hic enim, per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit, et Ecclesiam dispergit ac vastat. »

Ubi ergo ipse princeps apostolorum tam districte prohibet ne quis eis saltem loquatur, qui apostolicis institutis non obsecundare deprehenduntur, ibi etiam evidentissime vetat ne populus missas et reliqua hujusmodi officia ab eis recipiat : « Mos enim populi Dei, » juxta Augustinum (*epist.* 86 ad Casulanum), « pro lege tenendus, » comprobat nobiscum canonibus ut populus cujuscunque sacerdotis missas audiat, ejus etiam singulis salutationibus in missa respondeat. Quapropter populus hujusmodi prævaricatorum missas nullatenus recipiet, si ipsius principis apostolorum sententiam observare volet.

Cap. XVIII. Sanctissimus papa Gregorius (*lib.* VII, *epist.* 116) scribens ad reges Francorum de hujusmodi sacerdotibus, canonum contemptoribus, cap. 135 [*C. R.*, 75] testatur « quod regnum ex culpa talium sacerdotum prægravetur. » Et post pauca subjunxit : « Major, inquit, metuenda est locis illis calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in se iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant.

Jure igitur nostri temporis Gregorius populum A hujusmodi præsumptorum officia recipere prohibuit, quos sanctissimus ejus æquivocus, et regnum culpa sua prægravare et Dei iracundiam in se magis provocare asseruit. Scriptum est enim : « Qui averterit aurem suam, ne audiat legem, exsecrabilis erit oratio ejus (*Prov.* XXVIII). » Quo crimine omnes obligantur quicunque canonibus ac sanctionibus obstinato animo refragantur. Unde et eorum officia merito populis interdicuntur, quorum orationes omnipotens Deus non dico, non recipit, sed exsecratur.

Sed jam ad ipsum Vas electionis veniamus, qui et præsenti statuto nostri apostolici consonare non dubitatur. « Si is, inquit, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, B aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* V). » Videlicet qui nolunt, juxta ecclesiasticas sanctiones, emendari, licet certis et publicis criminibus sint obligati.

Item ad Thessalonicenses : « Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis (*II Thess.* III). » Et paulo post : « Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur (*Ibid.*). » Cum quibus igitur Apostolus fideles nec corporalem cibum sumere permittit, et, a quorum consortio fideles discedere præcipit, de eisdem apostolicæ institutionis contemptoribus et po- C pulo præcipit noster apostolicus ut eis saltem ad Dominicam mensam non communicaret, et eorum societati se saltem eo tempore subtraheret, cum illi contra fas et jus sacra mysteria in perniciem suam usurparent. Juxta Apostolum enim, « Quicumque Dominicum panem et calicem sumit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini; et judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI). » Quod omnes faciunt qui fornicationem, vel avaritiam non solum exercere, sed etiam obstinato animo defendere præsumunt. De quibus Apostolus dicit : « Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* V). »

Qui etiam pro eisdem criminibus juxta canonicas sanctiones damnati, interdictum sibi officium teme- D raria usurpatione frequentant. Nempe ipsi quos proprie vocamus pœnitentes, licet pro hujusmodi criminibus canonicæ disciplinæ colla submittant, non tamen divinis sacramentis tam temere approximant. Unde, juxta sententiam B. Innocentii papæ (*epist* 29, *edit Rom.*), nec infirmos pœnitentes, ut reliquos ægrotantes, sacro chrismate ungi licet : « Nam quibus, inquit [*item de consec.*, d. 3, *De pœnitentibus vero*] (pœnitentibus), et reliqua negantur sacramenta, quomodo unum genus putatur posse concedi? » Ne sibi ipsis damnationem potius quam remissionem acquirant, si eadem, tam indigni, nondum sane per pœnitentiam ad plenum purgati, percipiant. Si igitur pœnitentes etiam canonice pro

criminibus suis satisfacientes divinis sacramentis A judicantur indigni, quanto magis illi, qui non pœnitere, sed culpas suas jam dudum publicatas pertinaciter defendere conantur? qui, et [*C. R.*, canonibus] obstinato animo resistentes etiam Spiritum sanctum blasphemare probantur. Sic enim B. Damasus papa in epistola (25, q. 1, c. 5, *Violatores*) ad S. Aurelium Carthaginensem archiepiscopum testatur: « Violatores, inquit, canonum voluntarii graviter a SS. Patribus judicantur, et a sancto Spiritu, (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præmissum est, aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim B præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum. Quia, ut jam prælibatum est, contra eum agit cujus nutu et gratia sancti canones editi sunt. »

Itaque illi sacerdotes qui tam gravissimis criminibus sunt obligati, imo qui pro eisdem secundum canonica instituta jam sunt damnati, nullatenus nisi in perniciem suam sacrificare possunt. Unde, et illi non parum deliquerunt [*C. R.*, delinquerent], quicunque ipsis in propriam necem sacrificare usurpantibus, per solitas responsiones in missa scienter cooperari præsumerent. Non enim pro parvo crimine haberetur, si quis alicui seipsum crudeliter occidenti scienter cooperaretur. Sapientissime ergo C noster apostolicus populum hujusmodi præsumptorum usurpationibus interesse prohibuit, quas non solum ductoribus earum, sed et receptoribus perniciosas esse non ignoravit. Sic enim ipse Dominus a Core ejusque sequacibus, sacrificandi officium usurpantibus, reliquos filios Israel discedere præcepit (*Num.* XVI), ne peccatis eorum involverentur, sicque crudelissima morte cum eisdem damnari mererentur. Nam ipsi hæresiarchæ, videlicet, Core, Dathan, et Abiron, cum universa eorum substantia vivi ad infernum ex improviso descenderunt. Sequaces vero eorum per ignem egressum a Domino penitus comburi meruerunt (*Ibid.*). Horum igitur subitaneam et severissimam ultionem illi diligenter attendant, qui contra apostolica præcepta interdictum sibi sacerdotale officium obstinata temeritate usurpant. D

Nec otiose mortem Ozæ considerent, qui, cum David arcam Domini de Philistiim in novo plaustro reduceret, a Domino percussus interiit, eo quod arcam, licet jam casuram, manu sustentare præsumpserit (*II Reg.* VI). Si enim ille merito periit qui temere quidem sed benigne arcam Domini tantum tetigit, quanto magis ille, qui contra fas et jus ipsum corpus Domini contrectare sibique incorporare præsumit indignus?

CAP. XIX. Quidam tamen satis imperite nostro apostolico objiciunt quartum Gangrensis concilii capitulum: « Quicunque discernit a presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. » Hoc etiam caput, juxta Petri apostoli attestationem in suam ipsorum perniciem depravantes (*II Petr.* III), ita pronuntiant: « Quicunque recusaverit missam conjugati presbyteri, anathema sit, » scilicet ut eos anathematizatos esse demonstrent qui, apostolicis institutis obedientes, incontinentium presbyterorum missas recipere detrectent. Sed frustra. Nam prædictum caput illos tantum anathematizat qui respuunt presbyteri oblationem, non qui modo habet, sed qui quondam habuit uxorem. Eo enim tempore, ut prologus Gangrensis concilii testatur, erant hæretici sectatores cujusdam Eustasii [Eustathii], qui legitimas nuptias quasi mortale crimen condemnabant, asserentes nullum in conjugali gradu positum spem habere apud Deum. Unde et oblationes presbyterorum, etiam ante ordinationem legitime conjugatorum, respuisse traduntur. Quippe legitimum conjugium pro mortali crimine deputantes, quale etiam si quis hoc tempore perpetrasse detegitur, altari ministrare juxta canones non permittitur. Merito igitur anathematizati sunt iidem hæretici, dogmatizantes contra illud Apostoli: « Si acceperis uxorem, non peccasti (*I Cor.* VII). » Et illud: « Oportet episcopum unius uxoris esse virum (*I Tim.* III; *Tit.* I). » Sæpe positum autem nostri apostolici statutum nulli prohibet audire missam illius presbyteri qui, juxta apostolicam permissionem, ante sacrum ordinem, unam tantum uxorem habuit, quando et sine crimine uxorem ducere potuit; sed, illius presbyteri qui, contra Apostolum, in crimine fornicationis detegitur jacere, quem ipsi apostoli et reliqui sancti Patres successorque eorum noster apostolicus a sacratissimo officio segregavere. Igitur quicunque hujusmodi presbyterorum missas respuit, nullatenus tamen superiori Eustasianorum [Eustathianorum] anathemati subjacebit, cum optime Apostolo consentiat qui et sacerdotibus continentiam indicit, et fideles prævaricatoribus sermonum ejus admisceri non permittit.

Notandum autem quod noster Gregorius, juxta SS. Patrum statuta, prius incontinentes presbyteros officio privavit, postmodum populo ne eorum officia reciperet interdixit. Unde non tam incontinentium quam pro incontinentia damnatorum missas audire prohibuit, ne et populus juxta Antiochenum concilium sub excommunicatione poneretur, si eorum officia recipere præsumeret. Ipse autem Spiritus sanctus per Samuelem prophetam docet populum ut canonicis institutionibus nostri apostolici potius obediat quam hujusmodi præsumptorum sacrificia in periculum suum recipiat. Dicit enim Scriptura: « Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle aquiescere (*I Reg.* XV). » Igitur populus, apostolicis institutis obediens, inobedientium sacerdotum officia [*C. R.*, sacrificia] vel sacra merito recusat, ne et ipse crimen idololatriæ per inobedien-

tiam incurrat. Idem Dominus alibi protestatur : « Misericordiam volo, et non sacrificium (*Matth.* IX) : » scilicet, ut quivis placens Deo per obedientiam potius animæ suæ misereatur (*Eccli.* XXX), cui potissimum est miserendum, quam cum inobedientia vel per se vel per alium Domino offerat sacrificium.

Libet autem considerare quam clementer noster apostolicus etiam ipsos contemptores canonum in superioribus statutis tractarit. Quos tantum a tali officio removit, quod tamen nullatenus nisi in perniciem suam celebrare possent; si canonicis sanctionibus repugnantes, ipsum Spiritum sanctum blasphemare non desisterent. Ipsorum sane diuturnam obstinationem jam dudum acrius plectendam nondum debita severitate punivit, sed illos, ut saltem adhuc redirent ad cor, paterno affectu exspectavit, ut vel in hoc suam damnationem cognoscere vellent, cum populum a recipiendis eorum officiis justissime prohibitum negare non possent.

CAP. XX. Fortassis autem aliquis dicat : Cur noster Gregorius tam contraria nostræ consuetudini statuta observari præceperit? Cur non potius nostram consuetudinem quasi misericordi dissimulatione tolerarit? Sed ille audiat quid beatus Leo papa, qui sacratissimo Chalcedonensi concilio [per legatos] præfuit, decernat (*epist.* 54, ad Martianum Augustum), qui, Anatolii præsulis Constantinopolitani præsumptionem cohibens, ita pronuntiat (999) : « quod in reatum Romani pontificis deputetur, si institutio canonum, eo non prohibente, et in hoc quasi connivente, alicubi violetur. » Item sanctissimus nostri apostolici homonymus scribens Victori episcopo (*Reg. epist. lib.* X, *ep.* 32) hanc terribilem et generalem sententiam protulit : « Quisquis ad hoc facinus (videlicet Simoniacæ aut Neophytorum hæreseos) emendandum, officii sui consideratione, vehementer non arserit, cum ipso se non dubitet habere portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. » Igitur et ille nihilominus Ebionis hæresiarchæ particeps esse detegitur, quicunque pro debito officii illius hæresim, id est Judaicam incontinentiam, modernis sacerdotibus prohibere non studuerit.

Ipsa quoque sacratissima concilia, ex quibus statuta nostri apostolici profluxerant, adeo amplexi sunt sancti Patres, ut, sicut ipsorum scripta testantur, potius seipsos diversis tormentis affligi, imo se potius crudeliter occidi permitterent quam violatoribus earumdem sanctionum consentire vellent. Ob hanc causam magnus Athanasius patriarcha Alexandrinus post diversas calamitates in exsilium deportatur. Ob hoc etiam Felix papa Romanus ab episcopatu depositus [*C. R.*, expulsus] martyrio legitur coronatus, et multi ejus presbyteri, diacones, et
A reliqui ex clero etiam intra Ecclesiam ob eamdem causam, heu! crudelissime occisi leguntur, videlicet, quia sectatoribus Arii in violatione Nicæni concilii assentire nolebant. Hæc autem et hujusmodi innumerabilia ex ecclesiasticis historiis affatim colligere poteris.

Dicat ergo quis quomodo noster apostolicus sine suo periculo vel potius exitio negligere posset quin tam inevitabilium sanctionum, non dico violatoribus, sed impugnatoribus ex debito officii sui obviaret, quibus ipsos sanctos Patres etiam usque ad sanguinem restitisse non ignoraret? Quamvis enim modo quidam non tam aperte cum Ario et reliquis hæresiarchis fidem sanctorum Patrum impugnent, tamen eorum moralibus statutis, cum ipsa quidem
B fide per eosdem sanctos Patres eodem tempore, eadem subscriptione roboratis, obstinate resistunt; quæ et cum eadem fide ex sacratissimo fonte Scripturarum emanaverunt; sed in hac eorum nefandissima rebellione, etiam ipsam fidem sanctorum Patrum probantur adnullare, cum in authenticis sanctionibus auctoritatem illorum pro nihilo ducant qui et fidem sua auctoritate confirmaverant. Nullatenus sane alicui fides sanctorum Patrum proderit qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit. Nam, ut Jacobus frater Domini testatur : « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II), » qualem et dæmones habere fatetur. Non ergo minus est resisten-
C dum pertinacibus authenticarum institutionum impugnatoribus quam sacræ fidei violatoribus; cum et dæmonibus assimilentur quicunque institutionem sanctorum Patrum in fide tantum, non etiam in conversatione pro viribus suis sectantur, quia et culpam, quam humanum fuit comittere, diabolico instinctu non timent pertinaciter defendere.

Amplius : Ipsum Vas electionis in sua persona omnibus ecclesiasticis pastoribus dicit : « Si evangelizavero, non est mihi gloria. Necessitas enim mih incumbit. Væ enim mihi est, si non evangelizavero (*I Cor.* IX). » Quomodo igitur noster apostolicus istud *væ* subterfugere posset, si gregem sibi commissum, juxta ipsius apostoli præcepta instituere negligeret? Sanctus etiam Spiritus per Ezechielem prophetam
D cuilibet pastori terribilem proponit conditionem : « Si, inquit, non dixeris peccatori : Morte morieris, et ostenderis ut recedat ab iniquitatibus suis, ipse quidem in peccatis suis morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem dixeris, et ille contempsit et non obedierit, ille in sceleribus suis morietur. Tu autem animam tuam liberabis (*Ezech.* XXXIII). » Hac quidem translatione sanctus Augustinus in sermone de psalmo XLIX utitur; statimque suis auditoribus subjungit : « Dico vobis, libero animam meam. In magno enim sum, non pe-

(999) Locus sancti Leonis in eadem epistola sic habet : *Ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit!) connivente, violentur; et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas.*

riculo, sed exitio constitutus, si tacuero. » Satis ergo patet quam immerito quidam nostro apostolico pro superioribus statutis indignentur, qui tam inevitabili necessitate coactus eadem instituisse detegitur, videlicet ne propriæ mortis crimen incurreret, si nos ex debito officii sui instituere negligeret.

Cap. XXI. Præterea si ob hoc nostro apostolico indignari satagunt, cur non potius illis CCCXVIII SS. Patribus in Nicæa congregatis, et DCXXX Patribus in Chalcedone congregatis vel coadunatis indignantur, qui, ut prædictum est, contra Simoniacos et incontinentes altaris ministros multo acriores sententias protulerunt quam noster apostolicus? Indignentur sane sanctissimo papæ Clementi qui et martyrio suo decreta confirmavit, quem ipse princeps apostolorum sibi successorem destinavit. Legitur enim in decretis ejus, capit. 46, quod incontinentes penitus ab altaris officio removerit, quod etiam cohabitationem extranearum feminarum clericis prohibuerit, quod violatores hujus institutionis prorsus anathematizaverit. Indignentur etiam beatissimo papæ Sylvestro, qui in apostolica sede constitutus incontinentiam totuis mundi presbyteris, ut prædictum, prohibuit, et omnes huic decreto repugnantes in perpetuum damnandos esse decrevit. Indignentur etiam beatæ memoriæ Damaso papæ, cujus auctoritate secunda universalis synodus Constantinopolitana legitur roborata, item, sanctissimo papæ Leoni, Chalcedonensium canonum ductori, quorum uterque eadem et apostolica auctoritate in decretis suis, ille quidem, cap. 4, hic autem quinto ita generaliter decrevere: « Omnia decretalia cunctorum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita ab omnibus episcopis ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Indignentur etiam sanctissimo nostri apostolici æquivoco, qui sub generali anathemate damnavit omnes a sacratissimis IV conciliis dissentientes. Sed cum nullus sanæ mentis hujusmodi sanctorum Patrum sententiis indignetur, patet evidentissime quam irrationabiliter quidam nostri a postolici institutis indignentur. In quorum promulgatione nullatenus a sanctis Patribus discrepavit, excepto in hoc tantum quod non tam severe ut illi contemptoribus canonum obviavit. Illos enim clericos officio tantum privavit quibus sancti Patres non modo officium, sed et veniam et ecclesiasticam communionem denegavere. Nil denique novi noster apostolicus nobis observandum injunxit; quod, etiam si fecisset, non tamen sine periculo ejus contemni præceptum posset. Nam apostolica sedes ex divina confessione hunc semper obtinuit et obtinebit primatum ut totius mundi Ecclesias non solum antiquis institutis, sed etiam novis disponat, prout diversorum necessitas temporum expostulat: « Cogunt enim, ait Augustinus ad Bonifacium, multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. »

A Hoc utique diversa Romanorum pontificum decreta testantur, in quibus ipsi diversis temporum necessitatibus consuluisse leguntur.

Cap. XXII. Incassum autem publici contemptores apostolicæ institutionis inducias suæ damnationis a nostro apostolico quærunt; quos, ut prædictum est, SS. Patres absque omnibus induciis damnaverunt. In dubiis enim rebus, licet veris, nondum tamen publicatis, necessario conceduntur induciæ, ut, juxta sanctiones apostolicorum virorum, Felicis, et Julii et reliquorum, ipse accusatus possit se contra accusatores pleniter preparare ad abluenda crimina. Unde et B. Eleutherus a B. Petro duodecimus, in decretis suis, cap. 1, testatur: « Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliB quid præpropere agi a quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt. » Jure ergo illi absque induciis damnantur qui culpam suam jam dudum a SS. Patribus definite damnatam non negare, sed publice contra apostolica statuta conantur defensare. Nempe B. Gregorius, ab omni catholico pastore merito imitandus, contemptores sedis apostolicæ, etiam ante peractam culpam, solebat excommunicare. Sic enim Maximum per ambitionem Salonitano episcopatui inthronizatum et omnes ejus ordinatores excommunicavit, quos eadem excommunicatio nondum peracta culpa, pro qua excommunicati sunt, obligavit. Nam priusquam idem Maximus ordinaretur, sub excommunicatione prohibuit S. Gregorius ne hoc præsumerent [*C. R.*, præsumereC tur]. Quod præceptum contemnentes episcopi, cum ordinarent eumdem Maximum, ante peractam ordinationem, erant excommunicati, juxta attestationem sancti Gregorii; scribit enim in epistola ad eumdem (*lib.* III, *ep.* 20) præsumptorem [*C. R.*, Maximum], ita detestans ejus consecrationem: « Quam rem, inquit, nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata. » Non enim post ordinationem excommunicandos, sed in ipsa ordinatione dixit excommunicatos. Sic idem apostolicus per subdiaconem suum Natalem Salonitanum episcopum absque induciis, si præcepto ejus non obedisset, pallio et communione censuit privandum esse (*lib.* II, *epist.* 14, D 15, 16). Sic, inquam, ipse et reliqui ejusdem sedis episcopi quoslibet, et absque induciis, damnaverunt, qui aliquam rem sub excommunicatione vel officii suspensione prohibitam temerarie usurpaverunt. Has igitur et hujusmodi rationes moderni præsumptores caute considerent, nec deinceps injuste se absque induciis damnatos esse existiment.

Cap. XXIII. Forsitan autem aliquis adeo delirat, ut subditos cujuslibet episcopi per ipsum tantum, non per Romanum pontificem, damnari posse dicat. Sed illi ipsa Veritas in Evangelio contradicit, quæ, B. Petro principaliter inter reliquos apostolos hoc privilegium concessit: « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (*Matth.* XVI). » Qui enim generaliter omnes apostolicæ potestati

subjecit, nullo modo alicujus episcopi subditum excepit. Unde idem apostolus, et a senioribus sui temporis, id est, presbyteris, sive episcopis, et ab eorum subditis obedientiam generaliter exegit, cum, tam subditis quam prælatis, tam feminis quam viris specialia vivendi præcepta in epistolis suis tradiderit. Quod incassum ipse faceret, si non generaliter omnes ejus institutionis obedire deberent.

Beatus quoque Anacletus ab ipso principe apostolorum presbyter ordinatus, in decretis suis, cap. 111, testatur : « Sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, non ab apostolis, sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, sicut ipse B. Petro apostolo dixit *Tu es Petrus*, » et reliqua. Ergo hæc apostolica sedes cardo et caput omnium Ecclesiarum a Domino, non ab alio, est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

Item B. Gelasius, doctor apostolicus, cap. 11 : « Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Romana Ecclesia de omni Ecclesia fas habeat judicare; nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemini appellare permissum est [*C. R.*, nemo est appellare permissus.] »

Sed nec illa præterimus quod apostolica sedes, sine ulla synodo præcedente, exsolvendi quos oportuit habuerit facultatem (1000). Et hoc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus apostolus Domini voce et tenuit, et semper retinebit. His autem sanctissimi Patres, Calistus, Fabianus, Sixtus, Sylvester, Julius, et reliqui innumerabiles astipulantur. Qui adeo amplexati sunt unitatem [*C. R.*, veritatem], ut potius mori quam mentiri deliberarent. Hujus igitur privilegii auctoritate B. Simplicius papa XLIX Gregorium Mutinensem episcopum, Ravennatis archiepiscopi suffraganeum, a ditione ejusdem archiepiscopi penitus absolvit. Et hoc ideo, quia idem archiepiscopus eum invitum Mutinensi cathedræ inthronizavit.

Item S. Gregorius (*lib.* II *epist.* 14, 15, 16) Honoratum Salonitanæ Ecclesiæ archidiaconum, qui jam ex archidiaconatu ad presbyterium devenit, invito ejus episcopo, ad pristinum gradum reduxit; deposito quidem eo quem idem Salonitanus episcopus in locum ejus ordinavit. Quapropter apertissime desipiunt, seque reos apostolicæ auctoritatis efficiunt, quicunque ejus potestati temere præjudicant, cum cujuslibet episcopi subditos non per Romanum pontificem, sed tantummodo proprium antistitem ligari vel solvi posse confingant.

Præterea B. Leo papa, qui quartam universalem synodum Chalcedone congregavit, item Vigilius papa, sub quo quinta universalis synodus Constantinopolim convenit; item beatus Pater Gregorius; hi, inquam, singuli, eadem auctoritate præcipui, pene eadem voce in decretis suis verissime testantur hoc modo : « Sancta Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis ut in partem vocatæ sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. » Unde liquido demonstratur quod quilibet episcopus nec super gregem sibi commissum tantam potestatem habeat quantam præsul apostolicus, qui, licet curam suam in singulos episcopos diviserit, nullo modo tamen seipsum sua universali et principali potestate privavit, sicut nec rex suam regalem potentiam diminuit, licet regnum suum in diversos duces, comites, sive judices, diviserit.

Cum igitur domnus apostolicus in omni Ecclesia tam principalem potestatem habeat ut, etiam invito episcopo cujuslibet Ecclesiæ, quæque in ea juxta canonicas sanctiones possit disponere, quis denegare poterit quin ubique gentium tam subditos episcoporum quam ipsos episcopos apostolicæ institutionis contemptores damnare possit?

Cap. XXIV. His autem rationibus et hoc declaratur, quod cujusvis episcopi parochianus potius domno apostolico quam proprio episcopo obedire debet, cum auctoritas proprii episcopi nullatenus eum ab apostolica damnatione valeat liberare, si apostolicis præceptis inobediens exstiterit. Et econtra, domnus apostolicus, si ei obedierit, eumdem ab omni violentia proprii episcopi facillime poterit defendere, videlicet vel ipsum parochianum ejus ditioni penitus emancipando, vel episcopum ab injuria per correptionem vel damnationem apostolica auctoritate refrenando. Attendat sane cujusvis episcopi subditus, ne vel proprio episcopo contra apostolica præcepta obediat in aliquo. Cum sanctus Gregorius (*lib.* II, *epist.* 15, 16) archidiaconum Salonitanum in locum Honorati jam depositi subrogatum deposuerit, eo quod idem proprio episcopo se in locum illius ordinari post apostolicam prohibitionem obedierit. Hinc etiam patet, quam apertissime illi desipiant qui dicunt quod subditi cujuslibet episcopi, apostolicæ sedi nullatenus obedire debeant, si proprio antistiti obediant, cum a S. Gregorio et ille merito degradaretur, qui et per obedientiam episcopi apostolicæ sedi adversus fuisse detegitur. Nempe nullus debitam obedientiam proprio episcopo exhibere poterit, nisi qui et apostolicæ sedi principaliter obedire studuerit. Omnis enim qui vult esse episcopus hoc maxime subditis suis inculcat, ut sanctorum Patrum institutis absque omni contradictione obediant. Quæ, ut prædictum est, apostolicæ sedi principaliter ab omnibus obediendum esse denuntiant.

Quicunque igitur suo legitimo pastori debitam obedientiam tribuerit; etiam principaliter domno apostolico obedire studebit. Nam, juxta ipsius Veritatis edictum, « non est discipulus supra magistrum (*Matth.* x). » Si autem domnus apostolicus proprio et legitimo pastori jure præponitur, quanto magis illi qui nec nititur esse quod dicitur ?

Has igitur et hujusmodi rationes quicunque saltem e rudibus fideliter inspicere dignabitur, nullatenus

(1000) *C. R.*, *quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi nullo existente synodo.*

prædicta nostri apostolici statuta proscribere conabitur, præsertim cum videat evidentissime eadem ex SS. Patrum sententiis, imo ex divinis Scripturis emanasse. Poteram vero quam plures alias rationes superioribus adnectere, et innumerabilia SS. Patrum exempla præfatis statutis assignare, sed ea hic con- A sideratione prætermisi, ne gravis essem idiotis, quibus hic specialiter satisfacere proposui, quibus pauca ex multis tam indubitatæ veritatis sufficere possunt, si indagandæ potius veritati quam infructuosæ contentioni operam dare volunt. *Finis.*

PRÆFATIUNCULA IN TRES SEQUENTES EPISTOLAS.

Videntur tres istæ epistolæ scriptæ ante tractatum *De sacramentis excommunicatorum*, cui inter hæc pro Gregorio VII opuscula primum locum tribuimus; nam hic quasi adhuc incerti fluctuare videntur Adalbertus et Bernaldus quid de controversiis ea ætate excitatis sentiendum esset. In opusculo autem prædicto Bernaldus sententiam absque ulla hæsitatione profert, tametsi indicat multa super hac controversia inter se et Bernardum esse disceptata; qui Bernardus non est alius quam magister ille scholarum Constantiensium, de quo supra in præfatione ad hos tractatulos, et in testimoniis, pro Gregorio VII, postea magister scholarum Hildesheimensium et tandem monachus Corbeiensis in Saxonia factus, qui ut ex secunda epistola apparet, ferventissime quidem causam S. Petri defendebat; sed dum ardorem per scientiam ecclesiasticam non temperat; nonnihil impegit, ut docet ipse Bernaldus in suo Chronico. Adalbertus ille est, quem Bertoldus seu Bernaldus in Chronico hoc elogio cohonestat anno 1079 : *Doctor Adalbertus facto verboque discretus, jam triginta annis mundo crucifixus et in fine ad evangelicam perfectionem perductus, migravit ad Dominum tertio Nonas Decembris.* Quem honoris causa Bernaldus in secunda epistola appellat *Patrem et dominum.*

DE DAMNATIONE

EORUM

QUI PAPAM TOTAMQUE ROMANAM SYNODUM DEAUCTORARE TENTAVERUNT,

ET DE SACRAMENTIS DAMNATORUM.

EPISTOLA PRIMA,

ADALBERTI AD BERNALDUM.

Domno ac venerando sacerdoti Bernardo doctrina ac moribus adornato, Adalbertus presbyter indignus ejusque bonum (1001) indeficiens, quod est Christus.

Multum de vestra salutatione gavisi sumus, sed multo plus gauderemus, si quoquo modo ad invicem conveniendi et dulce colloquium conserendi facultatem haberemus. Quod cum nobis diversarum rerum necessitas intercludat, saltem mutuam collocutionem litterarum officio commendare non pigeat.

(1002) De judicio igitur domni apostolici super publicos et contumaces apostolicæ sedis proscriptores aliquid nobis rescribere velitis, sicubi quidquam authenticum eidem judicio adversum invenissetis. Nam nos nihil adhuc illi contrarium reperimus, licet diversorum Patrum statuta singulari diligentia evolvissemus. In illis sane duos judiciarios ordines invenimus. Unum de publicis criminibus; alterum, de dubiis, licet veris, nondum tamen publicatis. Et ad B dubias quidem res discutiendas induciæ leguntur concessæ, ut accusati se contra accusatores suos possint præparare. In quo judicio necessaria est præsentia accusati et accusatoris. Publicæ autem contumaciæ nusquam legimus inducias ex debito esse concedendas. Hujusmodi enim causa non indiget accusatore, vel testium conductione, cum ipse reus non verecundetur crimen suum propalare, nec per absentiam damnationem suam debet differre. Sed hos duos ordines judicandi per exempla vobis denotari non necessarium æstimamus, cum scientiori quælibet ingerere magnæ judicetur impudentiæ.

Juxta hunc modum domnus apostolicus publicos et contumaces apostolicæ sedis proscriptores satis canonice damnavit etiam absentes. Quid autem C vobis inde videatur, charitas vestra nobis rescribere non gravetur. Nam vestram de hac causa sententiam libentissime recipimus, quem præ cæteris diligentiorem et discretiorem in sacris litteris non dubitamus.

De confectione etiam sacramentorum a Simonia-

(1001) Lacuna est in ms.; leg. *ejusque Bernaldus*, ut infra in tertia epistola.

(1002) Manuscriptus codex non ad marginem sed in ipsa contextus serie hoc glossema habet. *De hoc judicio, in epistola, quæ istam tertio loco subsequitur, diligentissime tractatum invenitur, videlicet, quam nefarie isti in apostolicam sedem peccaverint, et quam canonice Romana synodus eos damnaverit.*

cis, seu a quibuslibet excommunicatis usurpatorum, quid videatur vobis, scire vellemus, quippe, si careant veritate. Sanctissimus enim Pater Augustinus ita testatur : « Veri, inquit, sacrificii locus non est extra catholicam Ecclesiam. » Nullus igitur locus veri sacrificii est apud hæreticos, sive excommunicatos.

Beatissimus quoque papa Leo, cujus auctoritate congregatum est et confirmatum Chalcedonense concilium a sancto Gregorio Evangelio comparatum, ipse, inquam, Leoni Augusto scribit de quodam damnato Timotheo episcopo (1003) qui reus occisionis Alexandrini præsulis [Proterii], sedem ejus Simoniace invasit. De hujus igitur Simoniaci sacramentis præfatus papa Leo ita testatur ad Augustum (*epist.*) 75 : « Manifestum est, inquit, per crudelissimam insanissimamque sævitiam omne illic (in Alexandrina sede) cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio; defecit chrismatis sanctificatio; et parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria, » etc. Sanctus quoque Gregorius scribens de temeraria ordinatione Maximi Salonitani episcopi (*lib.* III, *ep.* 20), ita detestatur eamdem : » Post interdictionem, inquit, quoque nostram, quæ sub excommunicatione tua ordinantiumque te facta est, cæsis presbyteris, diaconibusque cæteroque clero, manu militari ad medium diceris adductus, quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata. » Episcopi enim excommunicati erant, qui eum consecraverant.

Vestrum igitur judicium exspectamus quid de hujusmodi sacramentis judicare debeamus.

(1004) *Post interrogationem hic incipit valens responsio, caute tamen legenda in ulteriore parte.*

EPISTOLA II,

BERNALDI AD ADALBERTUM.

Areolæ aromatis, cujus lilio capreus Libani pascitur, cujus in umbra ipse cubans meridiatur, viro deliciarum Adalberto, de sacramentorum confectione Bernardus cauteriatus instar Æthiopis in tabernaculis Cedar, damnatus pistrino in Ur Chaldæorum, nec jam subsistens in miseriis, non dico corporis, sed expositæ jam morti animæ, quidquid gemens peccatoris devotio, angelicæ sanctitati. Deo fonti misericordiarum et Patri totius consolationis gratias corde et voce itero utroque quod me tui salutatione tunc, cujus audito nomine recreor, dulcissima dignatus est collocutione. Salve, corruptelam nesciens cedre paradisi, salve, auriga Israel, salve immortalitatem spirans o animarum medela, salve petra quam callidus serpens suis signasse vestigiis non gaudet, imo ab omni corporeæ labis aspergine pure detersam abhorret. Salve, aureum mensæ Salomonis non significativi, sed significati, reclinatorium. Salve, cœli luminare, lucens inexstinguibiliter in medio nationis malæ atque perversæ (*II Pet.* I).

Jussionis igitur tuæ exsecutionem licet mihi pro sanctitate negotii interdicat conscientia, licet præsumentem me in faciem ipsam cedat stultitia, aggredior tamen, certus quia etsi quæ oporteat dici nescio, in hoc tamen sciens sum quod tibi, Domine, obedio. Jubes igitur, ut tua ipsius verba ponam, tibi a me scribi de judicio domni apostolici super publicos et contumaces sedis apostolicæ proscriptores, sicubi quidquam authenticum eidem judicio adversum invenerim.

Sedis, Pater, apostolicæ est, ut divini consciæ arcani, rotare claves regni cœlorum. « Ipsa enim, » ut Anacletus papa scribit, « constituta est a Domino, non ab alio, caput et cardo Ecclesiarum. « Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.

Hinc B. Gelasius in generali decreto ad omnes episcopos de institutis ecclesiasticis dicit : « Cum nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere, et cum sedes apostolica super his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc observantiam refutare, quam B. Petri sedem et sequi videat et docere; satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciet ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. »

Leo quoque ad Anastasium thessalonicensem episcopum (*epist.* 84) : » Quibus » (sacerdotibus), inquit, « cum sit dignitas communis, non est tamen ordo generalis, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. » Et quia hanc excellentiam summæ sedis non minuit indignitas præsidentis, testatur idem Leo : « Etsi nonnunquam, inquiens, diversa merita præsulum, jura tamen permanent sedium, quibus possint æmuli perturbationem aliquam fortasse inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Sedis tamen hujus sanctæ præsules a subjectis moneri persæpe tolerabant; spiritum in eis exstinguere nolebant; demum ecclesiastica lege duce et magistra potius ipsi secundum instituta canonum vivere quam ex canonicis institutis subjectos opprimere volebant. Princeps apostolorum cum in sui simulatione gentes cogeret judaizare, Pauli correptione suggerentis, nec Judæos ab hujusmodi tanquam a nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea tanquam ad necessaria compellendos sententia mutatum (1005). »

« Ego, » inquit B. Gregorius, « et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus

(1003) Intruso Alexandrino cui cognomen Ælurus.
(1004) Ita codex manuscriptus.

(1005) Locus, ut videtur, mutilus.

sum, stultus enim essem [est], qui in eo se primum æstimat, ut bona quæ viderit discere contemnat. Ille etiam qui non ab homine didicit auctoritati Corinthiorum cessit dicens : « Cui aliquid donastis et ego (*II Cor.* II). » Hinc colligimus cum sedis hujus super petram, quæ Christus est, fundatæ jus et dominium constet, non posse abrogari : præsules tamen ejus concedat ratio interdum commoneri.

De judicio autem apostolici facto super hos quos tu vocas publicos et contumaces proscriptores, pro nostra respondemus stultitia. Fecit quidem papa quod est apostolicum, dum damnavit quos dixeras publicos et contumaces, si tantum hanc [*fort.* sed hanc] dubietatem sequens epistola satis elucidabit quæ eos post litteratoriam confessionem damnatos declarabit, ut Acatius patriarcha Constantinopolitanus a sancto Felice papa legitur anathematizatus, utpote litteris professus, nulla autem synodica vocatione præventus; aut confessos veraciter, aut convictos regulariter; aut, si vocati canonice, ad reddendæ rationis judicium venire noluerunt.

Audi, Pater, quid S. Augustinus, qui Carthaginensi concilio, ex apostolica auctoritate et ducentorum septemdecim Patrum firmato interfuit, de sententia ejusdem concilii ad clerum et plebem Hipponensium inter alia dicit (*epist.* 137) : « Nuper in concilio episcoporum constitutum est nullum clericum qui nondum convictus sit suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. » Ipsam autem præsentationem ipsum demonstrat concilium, videlicet ut aut ipse accusatus ad causam suam dicendam die statuta litteris evocatus occurrat; aut aliquas veras necessitatis causas probet, quibus occurrere non potuisse manifestum sit. Et attendendum quia dicit, « non potuisse, » nec dicit, non voluisse; similiter et de accusatore, si ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit. Certe, sive accusator sive accusatus occurrere voluit et non valuit, Carthaginensis concilii decretis absolutus erit. Consentit et Africana synodus dicens : « Si infra annum causam suam purgare contempserit. » Nota verba : non dicit, « non voluerit, » sed « contempserit. » Unde Augustinus in libro De pœnitentia : « Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audet assumere ut cuiquam ipse sit accusator et judex? » — « Ideo, » inquit S. Gelasius, « vocatur ad judicium certa quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. » Et Antiocheni canones : « In consiliis, inquiunt, adsint omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen. »

Sed tu dicis duos esse judiciarios ordines : unum de dubiis, licet veris, qui et indigeat induciis, scilicet ut accusatus consulendo sibi provideat qualiter de objectis commode respondeat; alterum, de ma-

A nifestis, cui induciæ minime sint concedendæ, quia non necessariæ, et posteriori hoc ordine papam in contumaces episcopos apostolica usum potestate. Recipimus, domine, quod asseris, si conjunctionem hanc quæ est *tantum*, non addideris. Sunt quidem duo judiciarii ordines ut duo præcepta, ut duo peccandi genera : unum scilicet in Dominum, alterum in homines; ut duo adventus Domini : unus occultus, alter manifestus; unus de quo scriptum est : « Descendet sicut pluvia vellus (*Psal.* LXXI), » alter de quo scriptum est : « Deus manifeste veniet (*Psal.* XLIX). » De priori igitur judiciario ordine dicit Apostolus: « Si quis frater nominatur fornicator, » etc. (*I Cor.* V). « Eam nominationem intelligi volens, ut dicit Augustinus, in lib. De pœnitentia, « quæ fit in

B quemquam cum sententia ordine judiciario. » Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum.

Hunc autem ordinem qualiter procedere ac tractari oporteat describit B. Gregorius in commentario ad Joannem Defensorem (*lib.* XI, *epist.* 56), euntem in Hispanias, decernens et catholicum statuens ut considerata causarum qualitate alii sint accusatores, alii testes, et ut, præsente accusato, sub jurejurando dicatur testimonium scriptis alligatum, et accusatus respondendi et defendendi se locum ha-

C beat, et examinatio personarum accusantium [1] ac testificantium regulariter fiat. Hunc etiam judiciarii ordinis modum Dominus innuit, cum in resuscitatione puellæ in domo jacentis mortuæ, ac si in revelatione causæ non omnibus notæ, quosdam discipulorum suorum testes scilicet et patrem et matrem puellæ secum adhibuit (*Matth.* IX, *Luc.* VIII).

Qualiter autem sit determinanda hujusmodi conjecturalis controversia, describit Leo ad Rusticum Narbonensem episcopum : « Quia sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus in rebus incognitis, in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. » Et item alibi egregie dicitur : « Non justum mediatorem, qui in incertis sic unam

D partem audit, ut alteri parti nihil reservet. » Quid vero sit faciendum, si accusatus post canonicas inducias nec ipse venerit, nec impedimenti necessitates probaverit, prescribit S. Gregorius in predicto commentario dicens (*lib.* XI, *epist.* 56) : « Quoniam quidam aut apud locorum defensores, aut apud clarissimos provinciarum judices, aut etiam, ut assolet, » hic apud virum clarissimum » magistrum census ingrediuntur, » et queruntur « tanquam ab alio passi aliquid contra leges, aut aliter læsi, aut damni facti testes volentes producere. At ne postea objiciatur eis » quia per unam partem gesta confecta sunt, « oportet illum qui impetitur in ipsa civitate constitutum, ubi testimonia dantur, admonitum a judice sive a defensore advenire et audire attesta-

tiones. Si vero noluerit advenire, sed contempserit, ut ex hoc ab una parte testimonia adversus eum inutilia sint, sancimus hujusmodi testimonia ita valere, ac si non ex una parte consisterent, sed etiam ipso præsente fuissent facta. Si enim recusaverit, et venire noluerit, et audire quæ deponuntur, cum utique iin publico sit, et non ex inevitabili quadam necessitate venire non possit, similis advenienti erit, et nulla utilitas ex contemptu suo ei adhibebitur, sed videbuntur quidem ex utriusque præsentia probationes factæ. « Ecce, » inquit S. Gregorius, « admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes adveniat; alioquin necesse est ut quod contra leges actum est firmitatem non habeat. »

Demonstrat etiam Bonifacius papa (*epist.* 2) scribens ad septem provincias de Maximo, qui multo crimine infamatus præsentari judicio noluit, regulariter vocatus. « Nullus, inquiens, dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit; sed astuta cavillatio eorum qui versutis agendum credunt esse consiliis nunquam innocentiæ nomen accipiet Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat. » Et quibusdam interpositis : « Decrevimus, inquit, vestrum debere intra provinciam esse judicium, et congregari synodum, ante diem Kalendarum Novembrium, ut, si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat. Si vero adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad Provinciam venire cogatur, et illic se constituto præsentare judicio. »

Simili exsecutione vocavit et exspectavit B. Gregorius Maximum Salonitanum episcopum, evidenter reum et contumacem (*lib.* v, *epist.* 3) dicens : « Hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus, servata justitia, hæc (de quibus accusaris) et cognoscere et finire, secundum canonica instituta, Christo revelante, possimus. Ita autem fac ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet; et nos in te hæc res, non solum propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam durius scilicet, ut in contumacem cogat ex concilio ferre judicium. »

Vides, domine, quia B. Gregorius Maximum Salonitanum, et præsumptorem, et contumacem, qui ordinem illicite suscepit, qui litteras papæ

A celebrationem sibi missæ interdicentis proterve discidit, quia hunc, inquam, nisi canonice vocatum, nisi regulariter exspectatum, damnare noluit. Unde et ipse ad Martianum (*lib.* II, *epist.* 27) : « Nullus sine cognitione damnandus est. »

Alter judiciarii ordinis modus est, quem et tu dixeras, cum crimen non negatur, cum jam quasi extra portam civitatis, sceleribus [scelerum] exsequiis reus effertur. Hunc modum, nisi tua vel providentia aliter judicaverit, in duos adhuc modos subdividimus, et modum utrumque in synodum (1006) vocari et ex judicio determinari volumus. Una scilicet manifesti judiciarii ordinis species est, cum reus nec se, nec admissum, quod objicitur, defendit, id est, cum fatetur et se fecisse et faciendo peccasse. In hac B causa, accusatoribus nil facientibus, reus tantum ad judicium vocatur, passurus quod confesso vel convicto medicinaliter præscribunt pene singula folia canonum. Secundum hunc modum videtur Apostolus dixisse ad Corinthios : « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis (*I Cor.* v). »

Nota, quod dixit : « Congregatis vobis in nomine Jesu, » quasi diceret : Collecto a vobis concilio, facto a vobis conventu in nomine Domini, id est canonico, ibi me spiritualiter vobiscum præsente, reus C judicetur, ibi a consortio Ecclesiæ eliminetur; tunc manifeste ei monstretur quia peccando ejus se jugo subjugavit, ejus dico, qui jugum Domini abjecit. Et hoc non privatæ respectu injuriæ, non alia intentione nisi ut in eo intereat in mortem vergens carnalitas; resipiscat æterna quærens spiritualitas; carne scilicet intereat, ut spiritu salvetur. Item paulo superius : « ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit (*Ibid.*). » Quod exponens Ambrosius (*in I Cor.* v), dicit : « Cognito opere isto, pellendum illum (peccantem) fuisse de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In quare, neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. »

D Altera manifesti judiciarii ordinis species est, cum purgatorie crimen conceditur, sed culpa removetur; id est, cum [quis] fatetur se quod objicitur fecisse, affirmat autem se [contra] legem ecclesiasticam minime in hoc facto exorbitasse. Huic accusato magnopere suademus concedendam synodum, scilicet ut aut convincatur, aut probando suas partes absolvatur. Hoc modo secum agi debere clamant nunc proscripti ab apostolico præsule. Hujus judiciarii ordinis formam dabant nobis plures propter justitiæ defensionem accusati, plures tyrannidem

(1006) Hæc et sequentes notatiunculæ ad hanc epistolam erant in margine manuscripti Codicis, cautelæ gratia sive ab ipso Adalberto et Bernaldo, sive ab alio quopiam adjectæ. *Hic cautissime vocabulum* SEMPER *non adjectum, nec aliud universitatis designativum; ne eo adjecto apostolicæ sedi præjudicaretur : quam certe contumacia synodicam vocationem non cogatur prætendere.*

prælatorum experti. Quibus in conventu auditis, ipsi persæpe objecti honestatem suadendo sunt absoluti, compressores eorum, relato in se crimine, damnati. Sic Constantia episcopum Carlomannum (1007), qui eam ex inobedientia accusavit, perorata inobedientiæ dignitate, quasi infernalem furiam exsufflavit.

Hujus autem regulam et actionem controversiæ præscribit concilium Sardicense : « Si episcopus quis forte iracundus (quod esse non debet), cito, aspere, commoveatur adversus presbyterum, sive diaconum suum, et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo, habeat potestatem is qui abjectus est ut episcopos finitimos interpellet, et causa ejus audiatur ac diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille episcopus, qui aut juste aut injuste cum abjecit patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus a plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a communione separatus ante cognitionem nullus debet præsumere, ut communioni societ. »

Notentur verba quæ dicuntur, « ut sententia ejus probetur, vel emendetur, » scilicet ut discussione facta, sententia ejus qui damnaverat, si juste secum agit, probetur; si ratione caret, emendetur. Cum ergo neminen præpropere seu præpostere damnari lex patiatur ecclesiastica, probabiliter dicimus, si qui episcoporum a papa regulariter ad synodum vocati non venerant, vel certas impedimenti necessitates non probaverant, officii suspensionem (1008) meruerant, audiendo tamen humano Augustini (*epist.* 50, circa finem) consilio in epistola ad Bonifacium : « In hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitatis sincera subveniat; » et Leone (*epist.* 92, ad finem) ad Rusticum Narbonensem episcopum dicente : « Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita nonnulla [multa] sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum. »

(1009) Præterea decreta Triburensis synodi concilii, cui interfuit catholicus Arnolfus rex, præscribunt nobis tantum tria, quæ mereantur episcopale
A anathema : unum scilicet, « si ad synodum quislibet canonice vocatus venire contempserit; secundum, si præsentatus præceptis sacerdotalibus non obedierit; tertium, si ante finitam causæ suæ examinationem a synodo profugus abire præsumpserit. » Ne vero hæc synodus ex loci humilitate demereatur auctoritatem, audiatur Gelasius in epist. ad episcopos per Dardaniam constitutos : « Confidimus, inquiens, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam [non aliam] magis exsequi sedem præ cæteris oportere quam primam : quæ et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata mo-
B deratione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum (*Matth.* XVI), Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet. »

Et beatus Isodorus (*lib.* VI, *c.* 15) post descriptionem authenticarum Scripturarum, et Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis quoque synodi, addidit : « Si qua sunt concilia a SS. Patribus instituta, post istarum IV auctoritatem, et custodienda et recipienda decrevimus. » Hinc et Augustinus De vera religione (tom. I *Operum*) dicit : « Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas judicare. » In istis autem temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt, tum, cum fuerint institutæ at-
C que firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Et per Carthaginenses canones dicitur : « Quæ vel facta, vel dicta superius comprehensa sunt, vel ab aliis conciliis conscripta, quæ secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit : si laicus est, communione; si clericus, honore privetur. »

His de judicio papæ responsis, pro mea stultitia tuæ, Pater, jussioni liceat me, antequam de Simoniacis et excommunicatis respondeam, quædam quæ nos idiotæ utrinque conferimus tecum agendo deliciari. Persona igitur apostolici exigit ab eo ut si Ecclesiæ quæ se suo credidit patrocinio consultum voluerit, si id quod dicitur esse decreverit, gladium
D spiritus evaginet in episcopos qui non per ostium intraverant, qui eum præcipientem quod apostolica clamat auctoritas non audierant, id sibi necessitatis imponentes, ut in correctionem ecclesiasticorum opera utatur sæcularium, ut quorum esset speculum vitæ clericorum de agendis consulere, sibi modo arrogent clericis magistrare. Tracta igitur, quod aiunt, a tergo legis ecclesiasticæ materia, non

(1007) Carolomannus qui et Carolus episcopus Constantiensis intrusus et Simoniacus ab Henrico IV Cæsare ann. 1069. Vide catalogum episcoporum Constant. nuper editum a D. Pistorio, et Lambertum, 1069 et 1071; Conc. Sardicens., c. 17.

(1008) *Hic cautissime non adjectum : quod papa absque synodo neminem possit damnare. Nam hoc adjectivum apostolicæ auctoritati præjudicare videretur.*

(1009) *Hi modi anathematum discutiendi sunt quidem episcopis, non utique in contumacia publicatis præfixi videntur, ut ex lectione ejusdem concilii colligitur, qui etiam modi præjudicare non possunt apostolicæ auctoritati.*

per ostium intraverant (1010) qui apud suas, quas nunc occupant sedes, non prius electi quam recepti, sed heu præpostere prius recepti quam electi; prius persæpe ordinati quam (1011) omnes manus, et linguæ, seu corporeæ servitutis, non solo spiritualis vitæ interventu, et commendatione promoti; de quorum contagio Ecclesia jam id labis contraxit, quod pene sui sacramenta, id est ordinationes clericorum, consecrationes ecclesiarum, et alia quædam sui insignia perdidit, cum a talibus consecrata, potius ab his maledictis sit maledicta, Domino eis per prophetam dicente : « Maledicam benedictionibus vestris (*Mal.* II). »

(1012) Hæc dicuntur, imo deplorantur in quosdam istorum pro miseriis præsentis status ecclesiastici, clamatur apostolicus, ut subveniat Ecclesiæ laboranti. Isti econtra pro se et in apostolicum clamant; quod ipse eos, ut tuo verbo utar, proscripserit tyrannice, non ecclesiastice; privatæ sui ipsius injuriæ, non respectu æquitatis publicæ. Et maxime, quia id agentes, quod non pro magnitudine negotii discussum, sed rei Romanæ periculosum, omni vero Ecclesiæ erit damnosum.

Dicunt quidem Stephanum papam (1013), qui antea Fridericus, fratrem Gotefridi ducis, in publica synodo, ejus, qui nunc papatum tenet et omnium qui aderant consensu, decrevisse ut, regnante Heinrico, quem nunc regem habemus, ejus in electione Romani pontificis exspectaretur consensus. Testantur etiam qui hic idem papa in eadem verba, orario collum ornatus, bis juraverit. Et ex his subjungitur quia ex hoc [quo] quidem papatum conscenderat, suum decretalem consensum, suam professionem, suam subscriptionem negaverit, seque perjurum, quod nefas est dici, non solum tunc fecerit, suscipiendo, sed quotidie faciat obtinendo. Audiat dicta decreta Carthaginensis concilii : « Si quis contra suam professionem (1014), vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privavit. » Et ne ex loci culmine putet sibi omnia licere, audiat illum, cujus nomine gaudet, Gregorium (1015) : « Nos, qui præsumus, non ex locorum nec generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate; » id est, Adam primus homo pro peccato de paradiso dejectus est: hoc est, qui nobilitatem Dei a se jecit, nobilitate loci privetur, id est, in exemplum culpa vehemen-

A ter extenditur, cum pro reverentia ordinis peccator honoratur. Audiat et papam Simplicium : « Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. » Audiat et Hieronymum (11, *q.* 3, *c.* 63): « Non facile est stare in loco Petri et Pauli, et tenere cathedram regnantium cum Christo; quia hinc dicitur : Non sanctorum filii sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. » Hinc et Augustin. De serm. Domini in monte : « Maxime hi temere judicant qui magis amant vituperare et damnare quam emendare atque corrigere. » Quod vitium est superbia vel invidentia.

Demum ut canonici canonicis jaculis canonica prætendant propugnacula dicunt : Cum dominus papa nos non canonice vocatos, nos venire prohibitos damnarat, audire oportuit prædecessorem suum, B cujus nomine gaudet, Gregorium, episcopo Joanni injuste excommunicanti scribentem (1016) : « Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apostolorum principis auctoritate decernimus triginta dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia et lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non jam tantam injustitiam, sed contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, juvante Domino, severius puniendam.

Et item alibi : « Quod si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel sub- C reptione, venire tentaveris, sacra te communione privatum, nec eam te, excepto ultimo vitæ tuæ tempore, nisi cum concessa Romani pontificis decernimus jussione recipere. Hæc enim consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus. »

Mirum quod non audit Leonem ad Anatolium (1017) : « Virum catholicum, et præcipuum Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi, dicente Scriptura : Post concupiscentias tuas non eas. (*Eccli.* XVIII). » Non considerat sententiam Justiniani catholici imp. quam probat et servat Ecclesia, dicentem (1, *q.* 6, D *c.* 11) : « Ut nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis

(1010) Hic ms. lacunam habet.

(1011) Etiam hic lacuna, nec sensus constat.

(1012) *Abhinc calumniosæ objectiones conspiratorum in papam sequuntur, quarum quædam in sequenti epistola refelluntur. Illæ, inquam, quæ apostolico aliquid obesse videbantur. Nam decreta SS. Patrum, quæ sibi depravant, ipsos magis quam illum impugnare videntur, si recte intelligantur.*

(1013) Stephanus X papa, dictus IX. De hoc vide Bar., tom. XI, anno 1058.

(1014) *Scilicet considerate, non improvide factam.*

(1015) *His rationibus suam superbiam refrenare potissimum debebunt, qui, non dico in subditos, sed in prælatum suum tam inaudite superbierant.*

(1016) « *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit* (*Psal.* VII). » *Si enim S. Gregorius Joannem temere inferiorem suum excommunicantem absque synodica vocatione excommunicavit, cur se absque vocatione excommunicatos lamentantur, qui non dico inferiorem, sed prælatum omnibus Christum, imo totam Romanam synodum de auctoritate tentaverunt, ut sequens epistola verissime testatur.*

(1017) *Hoc si vos bene audissetis, non ita temere prælatum vestrum deponere concupissetis. Num S. Greg. vos excepit, cum omnes adversarios canonum anathematizavit? Vos, inquam, qui Patrem primæ sedis non convictum nec vestro judicio convincendum deponere tentastis.*

autem adversus eam excommunicaverit aliquem; ille quidem, qui excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is autem, qui non legitime excommunicavit, in tantum abstineat tempus sacrosancta communione, quantum majori sacerdoti visum fuerit, ut quod injuste fecit ipse juste patiatur. »

In bannientem igitur hunc nos voto privatæ ultionis, non justi examinis oporteret aurem inclinare Apostolo dicenti : « Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ (*Rom.* XII) ;» audire etiam eum, cujus sedis præsidet principem apostolorum : « Nemo vestrum patiatur tanquam homicida, aut fur, aut maledicus (*I Petr.* IV). » Tanquam maledicus, inquiunt catholici doctores, patitur qui injuriatus suas injurias effrenato linguæ et animi fervore persequitur.

Audire etiam oportebat Gregorium scribentem ad Januarium (*lib.* II, *epist.* 34) : « Inter querelas multiplices Isidorus, vir clarissimus, a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te injuriaverat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit. Quod si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas, dum pro vindicta (1018) propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero omnino esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione propriæ injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam, si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. »

Item idem ad Eufronum (*lege Eusebium abbat. lib.* II, *epist.* 24) : « Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere, etc. Non enim grande est his nos esse humiles a quibus honoramur. Quia et hoc sæculares quilibet faciunt. Sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Psalmista dicente [dicit] : « Vide humilitatem meam de inimicis meis (*Psal.* IX). » Item in homilia VI : « Judicare de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. (1019) Unde fit ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non subditorum moribus, exercet. Unde recte per prophetam dicitur : « Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). » Licet quidem prælatos sedis suæ seu gradus zelo moveri; sed tamen quia in maximo imperio minima est licentia non oblivisci. (1020) Unde Gregorius in epistola Sabiniano diacono legato (*lib.* VII, *epist.* 1) : « Paratior sum, inquit, mori quam beati Petri Ecclesiam meis diebus degenerare. » Item ad Constantinam Augustam (*lib.* IV, *epist.* 34) : « Et si peccata Gregorii tanta sunt ut pati talia debeat, Petri tamen apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur. » Item : « Quem sedis ordinisque dignitas erexit, sui se consideratione repressit. » Item, scribens episcopis Eulogio et Anastasio Antiocheno dicit (*lib.* IV, *epist.* 36) : « Cum prædicator egregius dicat : Quandiu quidem sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo (*Rom.* XI), » qui rursus alias dixit : « Facti sumus parvuli in medio vestrum (*I Thess.* II); » exemplum procul dubio nobis sequentibus ostendit, ut et humilitatem teneamus in mente, et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. »

Sententiæ quidem, quia ipsi ejus maculant promotionem, arbitror eum hæc respondere, se a Romanis electum, id culminis conscendisse coactum, indignumque, et rationis esse alienum ut Ecclesiarum mater sedes Romana privetur suæ electionis arbitrio, per quam aliæ sedes id obtinent ut non sint episcopi, qui non a suæ sedis clero et populo, non propter generis nobilitatem, sed vitæ sanctitatem, non divites in rebus, sed sancti in moribus, sunt electi.

Defendit etiam forsitan se ex decretis prædecessorum suorum, Nicolai, Stephani et aliorum, qui hoc firmaverunt sub anathemate : ne quis negaret electionis privilegia sedi Romanæ, illis econtra affirmantibus non licere electioni ut ad hoc rapiat electum, quod ipse sibi fecerat illicitum. Et hinc Sunamite [Sunamitide] Ecclesia, quasi in collisione duorum lapidum contrita, nobis, qui in spem filiorum in hac ingemiscimus valle lacrymarum, supplicandum est fonti misericordiarum « ut fermentum illud, » quod, sicut Gregorius dicit, « tribus farinæ satis totius humani generis massam in unitatem conspersit, nunc totius Ecclesiæ corpus in illius formam panis qui de cœlo descendit redigat, ut vinea Christi mundata vulpeculis, quæ eam demoliuntur (*Cant.* II), purgata sarmentis, quæ igni debentur, vernet, floreat per concordiam unitatis, veræ viti in odorem suavitatis [adhærens *forte subdendum*]. »

Audituris [audite], qui nunc apostolico contradicitis, episcopi illud Gregorii (*lib.* VI, *epist.* 10) ad Felicem episcopum dicentis : « Qualiter obedientia, vel reverentia sit præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis, ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda servaverit. » Et illud Leonis : « Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. »

(1018) *Cur hoc pro privata injuria Romani pontificis computare vultis, cum quo totam Romanam synodum adnullare voluistis.*

(1019) Hæc periodus in homilia S. Greg. priorem præit.

(1020) Locus mutilus.

Econtra domno apostolico viscera doctoris gerentis in subjectos accepturos dicentis : « Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras : quoniam charissimi nobis facti estis (*I Thess.* II). » In hac apostolici, sive, ut ille putat, reprehensione, sive, ut illi, necessaria consideratione (1021), ego tuus, licet interiori caream rationali, volens tamen funem apostolicum potius sequi quam trahere, sedem Romanam veneror ut tribunal Christi, ejus pontificem ut sacrarium Spiritus almi, ejus amplectens decreta ut cœlestis curiæ edicta.

Inquiris præterea a me, ut tui rursus verba ponam, quid ego sentiam de confectione sacramentorum a Simoniacis, seu a quibuslibet excommunicatis usurpatorum, quippe si careant veritate. Stultus igitur non stulte obedio. Dicam quod sentio.

Simoniacus est, qui temporalis lucri gratia ecclesiasticos honores qualitercunque vel emit, vel vendit. Horum alii, licet ordinati, carent tamen ecclesiastico honore quem a nullo acceperant. Alii regulariter ordinati, licet postmodum Simoniaci facti, habent tamen adhuc ordines quos publicata sua hæresi nondum amiserant. Inordinatos autem dicimus qui ordinati sunt a Simoniaco qui nihil eis potuit dare, vel qui per pecuniam aut interventum sæcularis gratiæ ordinati sunt a non Simoniaco, a quo nihil per emptionem poterant accipere. Ordinatos autem et tamen Simoniacos appellamus qui post acceptos a quibus et ut debuerant ordines, Ecclesias vel alia quæ Simoniaca suasit hæresis, emerant vel vendiderant. Sed priores, quos diximus ordinatos, nullo modo conficient sacramenta, nisi post satisfactionem episcopali auctoritate admittantur. Isti posteriores, id est ordinati et Simoniaci, non conficient (1022) qui manifesti sunt, nisi convertantur. Quia vero matre Ecclesia cum Christo capite in unum corpus unita, filiorum est Ecclesiæ non nisi de sacramentis Christi, et Ecclesiæ; propono mihi distinguendum, auctoritate catholica probandum, quid de Simoniacis, et excommunicatis eadem sibi sacramenta vendicantibus, sit tenendum.

(1023) Simoniacos igitur et excommunicatos in duo dividimus. Alii eorum quorum zelus innotuit; alii qui, etsi accusati, etsi macula suspicionis respersi, necdum tamen manifestati. Illorum vero quorum nefas patet, alii, necdum in judicio præsentati, alii publico Ecclesiæ judicio damnati. Ab illis igitur quorum scelus adhuc oculum hominis latet, credimus posse confici sacramenta Ecclesiæ. Sed quamvis nos juvent per fidem, illos damnant propter præsumptionem : *Judicium,* inquit Apostolus, *sibi manducat* (*I Cor.* XI). Sibi, inquit, non tibi, ut Augustinus in epistola concilii ad Donatistas. Communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam et personam suam. Non præjudicat alteri quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Et ut scias quod Simoniaci, quod excommunicati nondum ventilabrum experti, latent in Ecclesia, ut in messe cum grano palea, omnes, quos Simoniaca polluit hæresis, ex sententia principis apostolorum damnati, dicente beato Gelasio : « Idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto exsecrationem sui gestat, et pœnam. » Item : « Nec dubium quod sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. »

Omnes, scio, præsumptuosi, transgressores canonum sunt anathematizati, scribente S. Gregorio ad Gallicanos episcopos : « Omnia quæ sanctis canonibus sunt adversa districte sub anathematis interpositione damnentur. » Sed hi, inquam, etsi accusati, evidenter tamen nondum in hac transgressione denudati, habent, ut credimus, de materna Ecclesiæ gratia et sanctitate, adversus quam nec portæ inferi prævalebunt (*Matth.* XVI) : sub cujus alis in spe veniæ adhuc latent, ut sacramenta ejusdem matris conficiant, cujus necdum filii esse publice perdiderant.

Sed dicis : Quomodo conficient corpus Christi qui per hæresim, seu per meritum anathematis, se demembraverunt a corpore Christi? Respondetur : Judas unus ex duodecim erat, eamdem cum eis potestatem miracula faciendi habebat. Et quamvis loculos portans fur esset (*Joan.* XII) : tamen quibus par erat in signis, par videbatur et meritis. Ante oculos quippe hominum in miraculorum insignibus, Petri, Andreæ, Jacobi et Joannis erat socius; ante ejus autem oculos cui non erat opus ut quis sibi testimonium perhiberet de homine, quia « ipse sciebat quid esset in homine (*Joan.* II) », erat diabolus. Dictum est enim de eo : « Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? » (*Joan.* VI.) Ideo utique diabolus, quia dualem spirabat spem, esse videlicet et venditor Domini et discipulus Domini. Sed cum jam nequitiæ suæ pretium venditi Domini promitteret, cum jam opportunitatem tradendi eum quæreret (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII), in hoc barathro sceleris non minus usus est potestate apostolica, et hac tandiu, donec audito : « quod facis, fac citius, exivit *foras* : Erat enim nox (*Joan.*

(1021) *Hac catholica professione, in qua scriptor ea (ponit) quæ in apostolicum perscripsit, non ex sua, sed ex schismaticorum persona retulisse monstratur.*

(1022) In ms. est hic lacunula.

(1023) *De sacramentis hæreticorum sive excommunicatorum audiatur Augustinus, ex cujus lib. De baptismo contra Donatistas colligitur tam ordinationes, quam baptisma extra Ecclesiam haberi et dari posse; licet perniciose tam habenti, quam danti.*

XIII). » Ad hunc modum credimus et hos posse ecclesiastica efficere sacramenta, dum nondum eos publicavit, et quodammodo ante episcopalem ecclesiasticam excommunicationem ab Ecclesia præjudicarie eliminavit eorum se effrenis contumacia.

(1024) Ab illis vero qui de hæresi Simoniaca sunt evidenter rei, etsi nondum publice judicati, firmiter diffitemur Ecclesiæ sacramenta posse confici. Publica enim et fronte carens præsumptio major est ipso scelere admisso. Quæ, dum claret, evidens est exemplar peccandi; qui dicit, nisi me, me imitamini. Verbi gratia, qui honores Simoniace acquisitos non deponit, quid aliud, nisi Simonem, in quo vivit, imitandum proponit? Qui autem pudibunde et tantum ante Deum peccat, quandoque esse metuet quod videri pudet.

Sed oppones mihi, scio, Cum usus quotidie nobis præsentet unum eumdemque Simoniacum, alii cuiquam Christiano adhuc inexpertum, alii vero perlucere manifestum, quomodo ille sacramentum nescienti conficiet, quod quantum ad scientem conficere non valet? Respondetur: Justa mens *ex fide vivit* (*Rom.* I). Fidei effectus salubrius creditur quam cum ratione investigetur. Dico equidem (1025) quia illud quod per Simoniacum non posse confici creditur, illud, inquam, alicui simpliciter credenti et fideliter nescienti (1026) sacramentum esse, fides operatur. Ipse tamen conficiens, ex hoc, quod conficit, damnatur. Ne mireris, quia per fidem sacramento reficitur accipiens. Audi, quia sacramenti gratia (1027) participatur etiam non accipiens. Augustinus in sermone ad infantes ad altare de sacramento (De consecr. d. 4, c. 131, *Nulli est*): « Nulli est aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum est invenit. » Ne igitur dubites simpliciter credentem salubriter illud accipere ab illo quem nescit hæreticum; audit etiam, quod simplicitatem [*f.*, simplicitas] fidei efficaciter accipit ab eo quem scit hæreticum. Augustinum in eodem sermone (24 q. 2, c. 40, *Si quem forte*): « Si quem forte, inquiens, coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum per quem accipiat non invenerit, et in animo, pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam

A de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, unde nunquam corde dicesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus. Quia præsentem Dominum [Deum] credidit cordi suo, ubi unitatem servabat. »

Discamus ergo, quia si cum Simoniaco ago, qui est adhuc tantum de manifestis, nondum de publice damnatis, cum illi, inquam, quædam Ecclesiæ sacramenta conficere nequeant, cum perfecti nec illos posse conficere, nec se confecta ab eis accipere credant, tamen quod non habeat nequitiam dantis, accipit pleniter fides et sapienter simplicis et simB pliciter sapientis, totum implente gratia Jesu, sicut in illo felici latrone, cui, ut Augustinus ait, « quod ex baptismi sacramento defuit, benignitas Dei spiritaliter adimplevit. »

Hoc autem distare videtur inter manifeste reos et publice excommunicatos, quia cum excommunicatis communicare prohibemur, nisi convertantur. Cum manifestis et nondum judicatis conversari oportet, ut convertantur. Illis nefas est, ut dicamus *ave*, nefas est cum illis vel cibum sumere. Cum istis permittit Apostolus communicare dicens: « Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus, alioquin debueratis ex hoc mundo exisse (*I Cor.* V). » Illorum igitur, qui manifeste sunt rei, formam habuerunt publicani et peccatores, C cum quibus Salvator manducaverat (*Matth.* IX). Excommunicati autem significantur per illos quos Apostolus Satanæ tradiderat (*I Cor.* V). Hujusmodi manifestis, nondum publice judicatis, ego communicans, me non excommunico, dum hominem ut Christianum diligens, factum ejus, ut non Christiani, improbo, præscribente Augustino: « Duobus modis non te maculat malus, si non consentias et si redarguas, » hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis, vel approbationis adjungitur.

Ab his autem, id est Simoniacis, licet nondum publice excommunicatis, non posse clericos ordinari, non posse Dominicum corpus confici, credas D apostolicis Innocentio et Paschali. Innocentius papa de Simoniacis dicit (1028): « Asseritur eum qui honorem amisit honorem dare non posse. Nec acquiescimus ullum aliquid ab eo accepisse. Quia nil erat in dante, quod alius ab eo posset accipere. Et verum est certe quia quod non habuit, dare non potuit. » Audi Paschalem papam in epistola ad Mediolanensem Ecclesiam (1029):

(1024) *Hoc ex diffinito credendum ne censeas usque dum perlegas librum S. Aug. De baptismo contra Donatistas.*

(1025) *Hoc non conficitur, et quidem ab aliquo rem sciente per Simoniacum.*

(1026) Hæc sunt erronea.

(1027) *De hac sententia sequens epistola non improbabiliter conjecta dabit.*

(1028) *Si hanc sententiam ita interpretamur, ut hæreticum dicamus nihil proficui, nil honoris posse dare, dum tamen habeat sacramentum ordinationis sibi quidem et ab eo accipienti in damnationem, si ita, inquam, intelligimus, a beato Augustino non discrepamus.*

(1029) Hanc epistolam non Paschalis papa fecit, sed quidam Wido, qui et musicam composuit. Sic

« Quicunque sacros ordines ad pretium largiuntur, cum Juda pessimo mercatore peribunt : qui pro XXX argenteis æterni Filium vendidit Parentis. Audiat hoc hæreticus, audiat et Christianus. Audiat et ille, qui hanc hæresin vult rabido ore auctorizare. Istis dico : Ubi est quod accepistis ? Illis dico : Ubi est quod dedistis ? Infelices infeliciter sibi invicem contra campserunt : hic, ut consuleret suæ philargyriæ ; ille, ut satisfaceret propriæ nequitiæ. Quapropter nec ille habet pretium, nec illi habent Christum. Exsulta, Christiane, quia quod Judas vendidit et Judæus emit, tu acquisisti. Grande bonum suo malo operati sunt nobis ambo. »

Item in eadem : « Si tali exterminio traditus est qui vendidit Christum, quid erit de sociis ejus qui emunt vel vendunt Paracletum ? Nunquid non pares sunt in ultione qui pares sunt in crimine ? Ille vendidit Filium. Isti, quantum in se ipsis est, Spiritum sanctum conantur vendere. »

Cum autem quidam, domine, et maxime apud vos, blandiantur sibi, affirmantes se non esse Simoniacos, quia non emerint vel vendiderint ecclesias, vel altaria, sed res et commoda ecclesiis attinentia, audi eumdem Paschalem in eadem epistola : « Si quis objecerit non consecrationes, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sentire. Nam cum corporalis Ecclesiæ aut episcopus, aut abbas, aut alius aliquis sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum haberi non provenit, neutrum non venditum derelinquit. »

Quid quod etiam missa a talibus nequeat celebrari, declarat quidem in eadem : « Nunquid maledictus sua benedictione panem in Christi (1030) carnem poterit vertere, maxime cum quidquid benedixerit Dominus se maledicturum asserit ? » Et post pauca : « Si hæretici sacerdotes voces exhortationum non possunt fari, quomodo valeant vinum in Christi cruorem vertere ? Et si Dominus præcepit nequaquam dari homicidis, adulteris, rapacibus et cæteris criminalibus peccatis irretitis, corpus et sanguinem suum usque ad satisfactionem, quomodo ipse dabit sacerdotium usurpanti per Simoniacam hæresim ubique damnatam ? »

Quantum noceat audita eorum missa, audi eumdem : « Cum ergo tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eorum missas audiamus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis subimus. Quos quidem sacerdotes esse saltem credere omnino errare est, cum Petrus

A Simoni dicat : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti cum pecunia possideri (*Act.* VIII). » Ubi cum *existimasti* dicitur, patet quia non pro eo quod fecerat, sed quia se facere posse crediderat, condemnatur. Patet igitur ex prædicta auctoritate nec clericos ab eis ordinari, nec Dominicum corpus posse confici, sed ipsos ex voce Petri esse perditos clericos. Et si prædicta duo sacramenta non conficiunt, certe nulla, nisi forte solum baptisma, conficere possunt. Et ut scias quia nullo modo ecclesiastica sacramenta fieri possunt a Simoniaco, audi ex apostolico decreto annullata esse omnia quæ facta videbantur a neophyto.

Defuncto Romanæ sedis præsule XCIV Paulo hujus nominis primo, (1031) Constantinus quidam a B laico in papam consecratus sedem apostolicam per annum et mensem obtinuit. Episcopos scilicet, presbyteros, et alios diversi gradus, infra hoc temporis spatium ordinavit; omnia quæ apostolici erant fecit. Inter hæc quidam Romanorum, abhorrentes caput Ecclesiæ Romanam sedem a neophyto invasam, Stephanum natione Siculum, ecclesiasticis traditionibus eruditum, impetrato cleri ac populi consensu, Constantino deposito, Stephanum illius nominis III [Baron., Steph. IV] papam XCV, apostolici apicis consecratione sublimaverunt.

Hic mox directis legatis ad reges Franciæ Carolum et Carolomannum, qui defuncto nuper patri Pipino successerant, eorum assensu XII episcopos C probabilioris vitæ et scientiæ insignioris de Francia adscivit (1032) ; advocatisque insuper Apuliæ, Campaniæ, Italiæ præsulibus, synodum Romæ in ecclesia Salvatoris celebravit. Ibi omnia Constantini statuta ex communi judicio scinduntur, scripta ejus in præsenti comburuntur. Ipse Stephanus papa cum clero prostratus pœnituit se unquam papæ neophyto obedisse, se de manibus ejus communionem accepisse. Decretum est igitur in concilio eodem sub anathematis vinculo nullum dehinc neophytum ad episcopalem aspirare apicem. De episcopis autem, presbyteris et cæteris quos infelix Constantinus consecrando ordinaverat, statutum est ut omnes ecclesiasticis, quos per eum sibi vindicaverant, honoribus exspoliati, descenderent ad solos illos gradus in D quibus constiterant, priusquam ab eo ad altiora provecti fuerant. Si quos tamen ex illis sub modio latentes candelabrum (*Matth.* V) Ecclesiæ sibi super imponendos (1033) exposceret, ipsi a clero et populo iterum electi, iterum quasi non antea a Constantino papa consecrati, depositum tantum, et nunquam altiorem merentur honorem. De his autem, si qui per eum de laicis in presbyteratum sive

enim viri religiosissimi asserunt qui ex discipulis ejusdem diligentissime exploraverunt. Præterea eadem epistola inter Romanor. Pontif. decreta nusquam scripta reperitur. Non ergo beato August. præjudicare poterit in aliquo.

(1030) *Hujus moderni dogmatistæ sententiam caute legamus. Usque dum diligentius SS. Patrum scita de sacramentis investigemus.*

(1031) Pseudopapa hic factus est, an. Christi 767. Vide Panvin. lib. de pontif. et Cæs. ; Bar., tom. IX.

(1032) Lege Baron., anno 768 et 769.

(1033) *Istud exemplum, si tamen est verum, laudare timeo, nec eo affirmato, etiam omnes a S. Ambr. consecratos itidem exsufflandos reputem ; qui utique fuit neophytus, utpote in depositione albarum consecratus ad episcopatum, hoc est octavo post baptismum die.*

diaconatum fuerant promoti, decretum ut admisso gradu ubicunque voluissent in religioso tantum habitu permanerent. Nullus omnium ad pontificatus apicem promoveretur; nullus omnino altiorem gradum speraret, ne hic novitatis error in Ecclesia Dei radicaret. Demum sancitum est ut quæcunque Constantinus invasor in sacramentis ecclesiasticis egerat, omnia iterarentur ut, in gestis pontificum legitur (1034), præter sacrum baptisma, et mysticum chrisma. Finita sancta synodo omnis populus sui pedibus papæ advolvitur, indulgentiam poposcit quod unquam Constantino invasori communicavit. Ille singulis pœnitentiam pro hoc admisso injunxit. Episcoporum qui digni censebantur, denuo a subjectis electos, ipse denuo consecravit (1035), reliqui ordinis nullum amisso gradui restituere censuit.

Patet autem, domine, ex clericorum ordinationibus ordinatis, annullatis, ex ecclesiarum consecrationibus alteratis, chrisma etiam neophyti consecratoris annullatum, nisi quod baptisma ex illo chrismate celebratum noluit Stephanus papa annullare. Quia nec ab hæretico baptizatum licet rebaptizare, dum tantum baptizet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Hac etiam ratione cum prioris anni (1036), id est, ab Incarnatione Domini 1075, Pascha rex apud Babinberch celebraret, Leimarus Bremensis archiepiscopus noluit in baptizando uti chrismate, quod confectum videbatur ab Herimanno (1037) tunc ibi episcopo, cum sciret hunc Simoniacum, licet nondum convictum, ecclesiastica in hoc usus ratione. Quia baptisma, quod non annullatur, postquam factum est ab hæretico, non tamen ut fiat, concedendum est hæretico, cum aliud sit, rem, postquam facta est, non improbando tolerare, aliud, ne improbari metuat, prævidere. Scire autem oportet illos non tantum neophytos, qui de laicis subito ad ecclesiasticas promoventur dignitates, ut illum quem vester Herimannus de una et eadem die de coriario presbyterum maturavit. Quem ipse subito de pila, in qua cortices contuderat, ad altare Christi transtulit : O festinata promotio! Fit diaconus, qui lectionem prius in celebratione missæ non legerat; sacerdos, qui tunc primum Levita; suscepit simul omnes ecclesiasticos gradus, qui largum et cogentem consecrare consecrationem eadem die venerat [*f.*, emerat], nec corona signatus. Sciendum est, inquam, non solum hujusmodi vocari, et esse neophytos, sed magis illos, qui moribus informes, religione rudes, scientia rustici; plures renascentis hydræ capitibus nunc emergunt, et per hoc se perpetuo anathemate perimunt. Audi Gregorium in suo

A Regesto, in epistola Vergilio Arelatensi episcopo missa : « Cum ad sacros ordines Paulus apostolus neophytum venire prohibeat (*I Tim.* III), sciendum est nobis quia sicut tunc neophytus vocabatur, qui adhuc nove erat plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus qui adhuc novus est in sancta conversatione. »

Scribam et adhuc de gestis pontificum concilium papæ de annullatis, quæ Leo neophytus usurpaverat, sacramentis.

(1038) Anno Dominicæ Incarnationis 944, tertio autem ex quo Otto imper. Henrici regis filius, compressa Beringarii et ejus filii tyrannide, Italiam subjugaverat, Joannes papa ab imp. quem cum conjuge, et Adelhaida priori anno (1039) imperiali un-

B ctione sublimavit, deficiens, Adelbertum reip. adversarium in urbem recepit. Quod non passurus imperator Romam hostiliter invadit. Papa hinc imperatorem timens, illinc Romanis diffidens cum suo complice Adelberto aufugit, usurpato sibi non parvo Ecclesiæ thesauro. Romani, sive timore correpti, sive respectu juris allecti, dominum suum gratulatorie recipiunt. Imperator apostolico, ad determinanda, quæ tunc imminebant negotia, indigens, Joannem papam ad desolatam sui sedem revocavit. Quo reverti negante, Leo adhuc laicus (1040), quantum ad sæcularia non parum strenuus, papa eligitur, ordinatur. Synodus, præsente imp. et multis Teutonicis et Italicis præsulibus, celebratur. Multa,

C quæ vel ecclesiastica necessitas, vel imperatoria poscebat voluntas, decernuntur. Sic domnus Leo præsidens apostolicæ sedi fecit interim ordinationes, et omnia, quæ erant apostolici. Nec longum (1041), Romani alterata fide apud imp. papam recipiunt Joannem. Ille, congregato Romæ in ecclesia Sancti Petri concilio, Leonem, qui sibi vivo neophytus successit, omni ecclesiastico ordine exutum, ita ex statutis canonum damnavit ut, si postmodum ad aliquem clericalem gradum vel aspiraret, perpetuo anathemati cum omnibus sibi ad id opitulantibus subjaceret. Episcoporum duos, qui eum promoverant, in synodum vocatos et in tertia actione præsentatos, ita ex auctoritate apostolica sacerdotali privavit honore ut postmodum in nulla synodo recu-

D perationis aditum auderent vel tentare. Tertium autem ex his nomine Siconem canonice vocatum, exspectatum, demum venire nolentem, ecclesiastica privavit communione. Statutumque est publico omnium judicio synodum a Leone collectam nec nominandam synodum, sed prostibulum favens adulteris. Ergo omnia prædicti Leonis decreta cassantur; et quicunque ab eo erant consecrati jussi sunt planetis

(1034) Lege Baronium, tom. IX, anno 769, et videbis ab hoc auctore non satis ea intellecta, quæ in pontificum Historia hac de re leguntur.

(1035) *Conciliavit.* Ita enim in hujus facti narratione vox *consecrandi* accipi debet.

(1036) Est ergo hæc epistola scripta anno 1076.

(1037) De hoc Herimanno Bernaldus in Chronico, anno 1075 : *Hermannus Babenbergensis episcopus, a clericis suis pro Simoniaca hæresi accusatus, a papa deponitur.*

(1038) Error in numero. Vide Baron., tom. X, anno Christi 963, 964.

(1039) Hoc est anno 962.

(1040) At Leo iste non fuit legitimus papa, sed antipapa, seu pseudopapa. Vide Baron., anno 963.

(1041) Anno Christi 964; lege Baron.

vestiri, et suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hæc verba continenti : *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit.* Et sic depositi remanserunt in illis gradibus quos habuerant antequam a Leone promoti fuerant, eadem ratione, eadem auctoritate qua et illi quos supra diximus a Constantino neophytos promotos.

Ut etiam scias non tantum a Simoniacis, non tantum, quod minus est, a neophytis, sed etiam ab aliis inordinate promotis non posse confici sacramenta Ecclesiæ, referam quod contigit apud sacrosanctam Hildenesheimensem Ecclesiam (1042), cui ego indignissimus nunc servio, si non fructuose, tamen devote; si non utiliter, tamen fideliter; si non, ut debeo, tamen ut potero.

(1043) Ebo Remensis episcopus assensum Lothario præbuit, cum patrem suum Ludovicum Magni Caroli filium regno privavit. Ludovico autem ope filiorum suorum, Pippini scilicet et Ludovici, quorum prior dux Aquitaniæ, alter dux erat Bajoariæ, in regnum recepto, synodus colligitur. Ebo depositus Hildenesheimi relegatur. Defuncto iterum Reginberto Hildenesheimensis Ecclesiæ episcopo secundo, imperator Ebonem humanitatis potius quam justitiæ respectu eidem sedi tunc tertium præfecit. Ille miser exepiscopus Ecclesiæ sacramenta episcopali concessa dignitati stolidus sibi per duodecim annos usurpavit. Quo hominem exuto, successor ejus Alfridus clericos, acceptis ab antecessore suo ordinibus, ex auctoritate apostolica, exuerat, ecclesias denuo dedicaverat, omnia de sacramentis Ecclesiæ ab eo gesta, præter solum baptisma, juxta decreta prædicti papæ Stephani annihilaverat. Ecce quam periculose sibi usurpant Ecclesiæ qui tamen non conficiunt sacramenta, quos ecclesiasticæ dignitatis præsumptuosos raptores apostolicum, et ligando damnat, et damnando ligat anathema.

Restaret mihi probare de publice excommunicatis; sed cum sacramenta Ecclesiæ non conficiantur a præsumptoribus qui nondum in judicio sunt præsentati, quis quærat, quis ambigat de his quin a concione Ecclesiæ sint alienati? dimembrati igitur a corpore Christi, id est, separati ab Ecclesia, nihil poterunt intra Ecclesiam operari; quod et tu ratione et auctoritate invictissime probasti, dicente Augustino contra Donatistas : « Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantum se laudabiliter vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate defunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum (*Col.* III). »

Ne autem excommunicatus propter conscientiam A innocentiæ, teste se, absolutum sibi polliceatur, audiat decretum Carthaginensis concilii : « Qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus sive quilibet clericus, et tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam. » Et illud Sardicensis concilii : « Priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a communione separatus ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum communioni societ. (*Concil. Sardicense* XVII.) »

Agens ego de synodis, legens ego illam Leonis (1044) synodum vocatam non synodum, sed prostibulum favens adulteris, non possum non recordari synodi vestræ, quæ in præterito anno (1045) a tribus mil-
B libus ac sexcentis inter presbyteros et reliquos gradus, ecclesiasticis, ut audio, apud vos collectis, quam parum suæ professioni prospexit, cum decretis Nicænæ synodi nescio qua fronte contradixit. Si circumspicientes animati sunt de circumfuso tantum sui numero legerent in decretis sedis apostolicæ quæ Romani clerici, Joanni presbytero sed schismatico, direxerant, tunc temporis (1046), quando Vigilius ex apostolico in hæresim lapsus, Constantinopoli tenebatur. In his, inquam, decretis hodie a Romana Ecclesia inter catholicas regulas habitis legerent : « Quod si omnes sacerdotes, et mundus assentiat, damnatio consentientes involvit, non prævaricationem assensus absolvit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit; contra, generale fit ex privato.
C Hoc enim Dominus omnium judicavit, qui peccantem mundum generali diluvio interemit (*Gen.* VIII). » Audirent et Leonem ad Anatolium (*epist.* 53) : « Illa Nicænorum canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio, nulla unquam est parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur. Neque trecentis illis decem atque octo copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata ut, sive per pauciores sive per plures, ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. »

De cujus privilegio et beatus Ambrosius dicit :
D « Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem et octo episcopi ad concilium convenerunt; sed ut in numero eorum, per signum suæ passionis et nominis Dominus Jesus suo probaret se adesse concilio. Crux in trecentis, Jesu nomen in decem et octo est sacerdotibus. » — « Et mihi, inquit

(1042) Nota. Venit Bernardus Constantia Hildesheimium, ubi scholarum Ecclesiæ illius, ut prius Constantiæ, magistrum egisse videtur. Inde Corbeiam venit et monasticam vitam amplexatus est. Krantzius in Metropoli. lib V, cap. 26, de Bennone Osnaburgensi episcopo : *Qui cum scholis præfuisset apud Ecclesiam Hildesheimensem* (*docebant enim illa ætate scholastici sacras litteras. et habebant, qui subdocerent in trivialibus*), *clarum illi nomen ex doctrina et ex vitæ religione conciliabat ei imperatori Henrico*, etc.

(1043) De hoc Ebbone vide Baron., tom IX et X, præsertim anno 853 et 866, ubi ostendit Baronius non legitime facta fuisse quæ auctor iste ut legitima prædicat

(1044) Pseudopapæ, de quo supra.

(1045) Loquitur de synodo Romæ sub Gregorio VII celebrata, anno 1075.

(1046) Vide Bellarm. lib. IV, De pontif., cap. 10 et Baron., tom. VII, ann. Christi 538.

Hilarius, ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham, victor regum impiorum, ab eo qui æterni sacerdotii est forma benedicitur (*Gen.* XIV). » Et idem beatus Leo papa (*epist.* 53) : « Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque ad finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt. Et si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. » Et hinc sanctus Leo ad Pulcheriam Augustam (*epist.* 55) : « Contra statuta, inquit, Paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur, ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat quam illa corrumpat. » Audirent etiam beatum Gregorium in multis sui non *Registri*, sed *Regesti* epistolis Nicænæ synodi decreta affirmantem. Reponerent interius et illud Gregorii, quod et prius dixi : « Consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris ministrare vel communionem capere sit dignus altaribus. »

Si dicunt hæc nova emersisse tertium nunc Catonem de cœlo cecidisse, audiant papam Cœlestinum (*epist.* 2) : « Nulli sacerdotum suos ignorare licet canones, nec quidquam facere, quod Patrum possit legibus [regulis] obviare. Non prætereant, non abradant pronomen *suos*. Nam canones proprii sunt sacerdotum, ut lex Moysi et lex Judæorum. Unde eis Dominus : « In lege, inquit, vestra scriptum est (*Joan.* VIII). » Et de eis : « In lege eorum scriptum est (*Joan.* XV). » Hinc patet, quia si, ut Cœlestinus affirmat, illi sunt sacerdotes quorum sunt canones, tunc, quorum non sunt canones, nec erunt sacerdotes. Sed hæc hactenus.

Cum tui, venerande Pater, recordor, exclamare compellor : O me infelicem, imo infelicissimo infeliciorem, quod ego olim digitis tuis probatissimam distillando myrrham, mihi quid agendum præscribentibus non obedivi, quod, instar aspidis surdæ, orem tuis monitis obturavi! (*Psal.* 57.) Nunc enim arguit me illud Salomonis : « Quo modo si spina nascatur in manu temulenti, sic in ore stultorum parabola (*Prov.* XXVI.) » Nam sicut temulentus spina in manu detenta seipsum in primis vulnerat, ita me mea sententia sui laqueo strangulat, ita me proprio meo gladio jugulat. De lege sua me Deus docendo mitigare mihi a diebus malis voluit (*Psal.* XCIII); sed fateor tibi, sancte Pater, quia tibi factus sum in medio fornacis, æs, murmurando; stannum, ut dealbatus paries, meliora mentiendo; ferrum, proximis nocendo; plumbum (*Ezech.* XXII), semper ad infima vergendo. « Curavimus, ait Dominus, Babylonem, et non est sanata (*Hier.* LI). » Crepuit, dicit Scriptura, in fornace (*Ezech.* XXII), qui non caruit vento

A superbiæ. Hinc ego expallens illud Domini in Ezechiel dicentis : Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram (*Ezech.* XXIV), licet Deus in me fecerit viam semitæ iræ suæ (*Psal.* LXXVII); illam tamen desidero iram, de qua Hieronymus : « Grandis, dicit, offensa est, postquam peccavimus, iram Dei non mereri, ut illam declinem iram, de qua Psalmista : « Exacerbavit [peccator] Dominum secundum misericordiam [multitudem] iræ suæ (*Psal.* X), » non quia idem peccator licenter peccat, sed nimiæ Dei iræ est quod peccanti propera arrident, quod nequitia ejus non retunditur, quod ejus sceleri pro meritis non respondetur. »

Et ne diutius delinquam majestatem animi a majoribus demorando, tuos deosculans pedes, tua amplectens genua, clamo tibi, Pater et Domine, unum pietate, alterum dignitate, precans indulgentiæ gratiam, quam sæpe tibi valefacienti seniori meo sanctissimo Rumoldo (1047) hodie cœlestis aulæ domestico dederas, precans levatæ manus tuæ mereri benedictionem; cui nullus distat locus, precans ut in illo ineffabili jubilo, quo cœlum penetras, quo divinam promulces aurem, mei non obliviscaris qui tui saltem tunc memor existo, cum tui conversationem tritamque vivendi semitam devotus exopto. Vix refrenata penna dicam invito ore : Vale, gloria Israel, vale, curiæ cœlestis conscriptæ senator. Insipiens factus sum loquendo, dices mihi : Respondeo : coegisti me. Amori modum suadens, perdes operam.

Valeas et tu optatæ indolis, Bernalde, floscule vernans, rogatus cum illo Apostoli ad Philippenses; « Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera miserationis (*Philip.* II), » ut citius dictatæ tibi a domino tuo materiæ merear litteras omni nectare mihi sapidiores, tum tantum tuam dominique tui salutem mihi referentes. Tu tibi, moneo, non desis, præsentaturus te nobis talem, qualem ego te nescio, utrum magis optem an sperem. Opto quippe ex illo quem in te habeo affectu. Spero ex debitæ virtuti tuæ parentelæ respectu.

EPISTOLA III

ADALBERTI AD BERNALDUM.

D Domino ac reverendissimo sacerdoti BERNALDO non jam nugacem lyram Horatii, sed mysticam citharam David, fructuosius sibi, et suis auditoribus amplexanti, ADALBERTUS ætate presbyter, non moribus, ejusque Bernaldus, ex utroque homine certissimi serviminis affectus. De dulcissimo vestri rescripto, vobis condignas grates referre non sufficimus; sed hoc omnium bonorum Retributori, ut ipse vobis retribuat, obnixa supplicatione committimus, quem et vos in nobis tam charitativa responsione, tam laboriosa rescriptione non dubitamus honorasse. Sed quia nonnulla in eodem rescripto nos movent, de experta vestræ prudentiæ benevo-

(1047) An hic ille est Rumoldus, qui fuit primus præpositus Gostariensis, postea episcopus Constantiensis; de quo in Vita S. Bennonis, cap. 12, et apud Lambertum, anno 1069?

lentia securi, iterum vos inquietare præsumimus, iterum vestræ diligentiæ judicium super nonnullis obscuris ardenter exspectamus.

De primatu igitur sanctissimæ sedis apostolicæ satis eleganter charitas vestra nobis scripsit. Quam, licet aliquando ab indignis possessam, semper tamen omnibus Ecclesiis esse præferendam ex decretis SS. Patrum evidentissime probavit. Hujus enim sedis pontifices pro tempore a subditis admonendos fore, non tamen temere proscribendos, Christianissima pronuntiatione docuistis, videlicet ut ejusdem sedis primus possessor a coapostolo ejus Paulo charitativa liberalitate admonitus est, non ut S. Athanasius Alexandrinus patriarcha ab Arianis hæretica usurpatione depositus est.

Tractatum vestrum De ordinibus judiciorum gratissime suscepimus, quem ita expressum, ac testimoniis SS. Patrum ita roboratum, et nos postmodum in quodam libello reperimus. Duos quippe judiciarios ordines esse nobiscum sentitis : unum, de dubiis, alterum de manifestis. Sed ordinem de manifestis in duas species subdividitis. Unam quidem, cum reus et objecta se fecisse, et faciendo peccasse fatetur. Alteram vero, cum reus se objecta fecisse, sed in hoc non peccasse fatetur. Nos tamen hanc posteriorem vestræ subdivisionis speciem in nostra divisione comprehendimus infra modum de dubiis criminibus. Dicimus enim, ex judiciariis ordinibus, hunc fieri de dubiis, illum vero de manifestis criminibus. Nec hoc me quilibet dixisse putet, quasi vestræ divisioni præjudicemus, sed ideo potissimum ut utrarumque divisionum concordiam ad invicem denotemus. Nam utraque divisio, ut nobis videtur, stare poterit, si vestra prudentia non aliter judicaverit. Illa enim vestræ divisionis species, in qua factum conceditur, culpa denegatur, partim manifesta, partim dubia probatur. Factum enim, quod conceditur, manifestum est; sed idem ipsum, an pro crimine sit habendum, summopere dubitatur. Non ergo mirum eamdem speciem diverso respectu, nunc dubiis, nunc manifestis ascribi; sed nos magis illam dubiis interposuimus, quia divisionem judiciorum non generaliter inter facta, sed inter crimina fecimus judiciariorum ordinum. Alii fiunt de dubiis criminibus; alii, de manifestis.

Unde prædicta vestræ divisionis species, in qua, concesso facto, an crimen sit dubitatur, non incongrue in nostra divisione dubiis annumeranda videbatur. Vos autem judiciarios ordines non inter crimina, sed absolute inter occulta et manifesta divisistis; unde, et prædictam speciem, in qua denegata culpa, factum conceditur, sine contradictione manifestis annumerare potuistis. Illud etiam quod singularum discussioni causarum synodicam vocationem prærogari vultis, et nos utique laudamus. Nam et decreta sanctorum Patrum itidem præcipiunt, quippe ut dubiis rebus infamati ad conventum sacerdotalem vocentur, per canonicas inducias exspectentur, tunc demum, si venerint, in conventu audiendi. Aut, si venire noluerint, pro contemptu a communione suspendendi. Hoc, inquam, illis jure conceditur qui de objectis aut nihil se fecisse fatentur, aut hoc, quod fecerint, crimen esse diffitentur.

Nec hoc etiam negamus quin et publicis criminibus obligati ad synodale judicium pro contemptu vocentur, ut tanto cautius, tanto irrefragabilius, et demum Ecclesiæ tanto fructuosius quanto a pluribus auditi judicentur. Sed hanc synodicam vocationem nullatenus tam generalem ponere audemus ut ipsius apostolicæ sedis privilegium, non ab apostolis, sed ab ipso Domino ei concessum infringere tentemus. Est enim privilegium sedis apostolicæ ut nulla proveniente synodo, quoslibet damnandos possit damnare, et reconciliandos reconciliare, ut beatus Gelasius in decretis ad orientales episcopos directis ostendit (*epist.* 11), in quibus Acasium Constantinopolitanum patriarcham absque omni synodo canonice ab apostolica sede damnatum irrefragabiliter probavit. Scribit enim inter cætera : « Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Ecclesia Romana de omni Ecclesia fas habeat judicandi; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemo sit appellare permissus. » Sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes sine ulla synodo præcedente, exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Et hoc nimirum pro suo principatu; quem beatus Petrus apostolus Domini voce (*Matth.* XVI; *Joan.* XXI), et tenuit semper, et retinebit.

Hujus ergo privilegii auctoritate sanctissimi Romanæ sedis episcopi absque omni synodo damnare consueverunt quorum contumaciam, ex cujuslibet indubitabili relatione, cognoverunt. Hoc utique illius scientiam non subterfugit, quicunque Regestum S. Gregorii et reliqua SS. Patrum decreta, diligenti consideratione percurrerit. Sic, inquam, Maximus Salonitanus episcopatui præsumptuose inthronizatus a B. Gregorio absque omni synodo, pro hac præsumptione missarum celebratione privatur. Quem S. Gregorius (*lib.* V, *ep.* 3 *et* 25) non tam pro manifestis quam pro dubiis criminibus ad se vocatum, videlicet, quem Simoniaco schismati, sive mulieribus mistum fuisse, non pro certo novit, sed infamatum audivit. De quibus etiam criminibus idem Maximus (*Item*, lib. VII, epist. 83) se postmodum juramento expurgavit. Si enim eum tam indubitanter Simoniacum sive fornicarium, ut præsumptuosum, nosset, absque omni vocatione, sive discussione, juxta prædictum apostolicæ sedis privilegium damnare illum posset.

Prætera, si nullum, licet in crimine vulgatissimum, nisi post synodicam vocationem judicandum fore censemus, multum ecclesiasticæ correctioni derogamus, nimiam multitudinem carrinarum [*forte leg.* causarum] ad synodum differemus : imo hac oc-

casione plurimas negligendas fore non dubitamus. Sed Ecclesiarum consuetudo hoc obtinuit ut non solum episcopus, sed etiam unus solus presbyter subditum suum manifesto crimine obligatum, canonico judicio subjicere valeat, nec eum, nisi ejus judicio inobediens exstiterit, ad synodum venire compellit.

Nec otiose considerandum quod S. Patres absque omni synodo etiam de dubiis criminibus judicare solebant, non quidem definite, sed sub quadam judiciaria conditione. Unde S. Gregorius Andream Tarentinum episcopum, pro quadam concubina post ordinationem suam infamatum, ita judicavit ut sacerdotale officium penitus deponeret; si eum conscientia sua de illato crimine culpabilem assereret.

Sed jam ad causam nostram veniamus, quam etiam, ut evidentior fiat, breviter et fideliter litteris commendare non pigeat, ut ex fidelium virorum certissima relatione didicimus, quorum alios corpore quidem, non animo, Wormatiensi conspirationi, alios vero Romanæ synodo hanc eamdem damnanti procul dubio interfuisse cognovimus. (1048) Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1076, Gregorio papa VII in apostolica sede constituto, cum Henricus rex jam per tres annos pro suis reatibus ad pœnitentiam multoties ab apostolica sede vocatus resipiscere nollet; cumque se in proxima Romana synodo excommunicandum fore prænosceret, tale consilium a Simoniacis, sive excommunicatis accepit ut omnes sibi subjectos ab apostolico præsule separaret, sic, quod sanctam Romanam synodum deauctoraret, tunc in prima Quadragesimali hebdomada futuram, et illum cum suis complicibus excommunicaturam. Accepto igitur consilio, ante eamdem synodum, in septuagesimam generale colloquium apud Wormatiam condixit, quo, præter regni sui principes quamplures episcopos et reliquos suos fideles vel potius infideles, congregavit. Qui pene omnes aut Simoniaci, aut excommunicati, aut eorum complices individui se Romani pontificis censuram subituros non dubitabant, si rex resipiscens apostolicæ sedi obediret, eique in ecclesiasticis negotiis debitum adjutorium impendere vellet. Quapropter ex regis insolentia, occasione accepta regi non tam consenserunt quam persuaserunt ut litteras proscriptorias omnium eorum manibus, per subscriptionem roboratas ad apostolicam sedem transmitteret; quibus, quasi proscripto Romanæ sedis episcopo, synodus Romana regem excommunicatura nihilominus cessaretur, sicque ipsi cum rege ab apostolicæ sedis censura liberarentur. In prædictis sane litteris, post multas Romani pontificis blasphemias, hoc singuli sua subscriptione confirmaverant ut nollent deinceps hujusmodi criminoso subesse, vel aliquam obedientiam exhibere.

His ergo litteris in Romanam synodum delatis, juxta posse eorum, eamdem per legatos suos disturbaverant, et apostolicum præsulem, in Romana synodo turpiter blasphemantes, eum non confessum, nec alicujus criminis convictum ab apostolica sede, ut vilissimum mancipium, jusserant descendere. Præterea ex præcepto præfacti Henrici Francorum regis, non utique Romani imp. cunctæ Romanæ synodo contumaciter interdixerant, ne domno apostolico pastori suo ullatenus obedirent, pastori, inquam, suo, cui eatenus obedirent, quem eatenus pro legitimo pastore, ut canonice ordinatum, ut canonice in ordine suo conversatum habuerant; cui etiam prædictus rex debitam obedientiam speciali promissione devoverat, quem diversorum regnorum præsules et principes pro S. Petri vicario honoraverant.

Hunc igitur non confessum, non convictum, imo nec, si reus esset, ita, vel ad hujusmodi convincendum, prædicti conspiratores per legatos suos degradare volebant: qua temeritate, imo quo vesanissimo furore nec cauponem suum quilibet destituere permitteret. Nam, ut B. Marcellinus papa omnibus orthodoxis scribens, capite 11, testatur: « Episcopi pontifici a quo consecrati probantur præjudicium inferre nullum possunt. » Item, B. Anacletus papa a B. Petro presbyter ordinatus (*epist*. 3): « Sententia, inquit, quoque Cham filii Noe damnantur qui suorum doctorum vel præpositorum culpam produnt, ceu Cham qui patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit (*Gen*. IX). Doctor autem vel pastor Ecclesiæ, si a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus; sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quam distringendus. » Item sanctus Alexander papa; item S. Sixtus præsul apostolicus; qui omnes mori magis quam mentiri voluerunt. Ii, inquam, singuli eadem auctoritate præcipui eisdem pene verbis statuerunt: « Si qui, inquiunt, adversus episcopos causam habuerint, prius ad eos recurrant, charitatis studio, ut familiari colloquio commoniti ea sanant quæ sananda sunt. Si autem aliqui eos, priusquam hæc egerint, lacerare, accusare, infestare præsumpserint, excommunicentur. »

Has igitur et hujusmodi innumerabiles SS. Patrum sententias si illi nostri conspiratores fideliter inspexissent, nullatenus suum, ut puta primæ sedis episcopum, tam repentina vituperatione, non conventum, non confessum exsufflassent; nec se ipsos pro tam temerario ausu sub perniciosa excommunicatione enecuissent. Nempe, si culpabilis esset, peregrinorum tamen episcoporum judicio, juxta canones, nec discutiendus esset, nedum temere deponendus; sed potius in Romana synodo audiendus; si tamen de dubiis rebus, nisi ipse vellet vel usquam vel a quoquam, juxta canones, discuti posset. Scriptum est enim: « Non est discipulus super magistrum (*Matth*. X). » Unde S. Sylvester Nicænorum cano-

(1048) *Lege de his Bertholdum, seu Bernaldum nostrum in Chronico, anno* 1076.

num auctor, generali synodo præsidens consensu 277 Episcoporum, cap. 7, statuit dicens: « Nemo judicabit primam sedem, justitiam temperare desiderantem. Neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur. » Item Symmachus papa omnibus episcopis scribens, cap. 7, decrevit dicens: Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sacro vero sanctæ sedis Romanæ præsulum, suo sine quæstione reservavit judicio. Item S. Alexander papa, qui martyrio sua consecravit decreta, cap. 1, testatur: « Non potest, inquit, condemnari humano examine quem Deus suo reservavit judicio. »

Sed tempora prius consumeremus quam exempla, si singula hujusmodi sanctorum Patrum statuta enumerare tentaremus. Quippe prædictus papa Symmachus, catholicæ fidei propugnator indefessus, cum plurimis criminibus infamaretur, nec ab Ariano rege Theodorico tunc Romanis imperante, tam temere proscribitur, sed in synodo Romana, non ab alio, nisi ab illa legitime congreganda, discutiendus exspectat. Synodus igitur Romæ per auctoritatem ipsius congregata, nullatenus tamen eum, licet hoc permittentem, contra decreta sanctorum Patrum discutere præsumpsit, sed totam ejus causam divino judicio, ut gesta ejusdem synodi testantur, commisit. Nec hoc utique dicimus, quasi quælibet nefanda Romano pontifici impune licere credamus, quasi non et ipse sit impetendus, si in aliqua hæresi fuerit publicatus, sed contra illos agimus qui pro dubiis rebus apostolicæ sedis episcopum temere judicaverunt expellendum.

Ipse quidem noster apostolicus multoties hoc a suis insidiatoribus expetivit ut Romæ vel alibi quo ipse posset venire in synodo convenirent, et eo hoc libenter concedente, ordinationem ejus sive conversationem, utcunque vellent, duntaxat canonice discuterent; seque ab apostolica sede absque omni contradictione descensurum promisit, si quid in eo dignum depositione reperirent. Et hoc utique sibi facile credi potuit, qui id culminis captus atque eo actus cum magno ejulatu ascendit; cui nec divitias nec honores sæculares in Romano pontificatu quærere opus fuit quibus utrisque cum minori sollicitudine et ante pontificatum abundavit.

Sed ejus insidiatores hactenus eum præsentialiter convenire spreverunt; non tam ut qualibet ratione se ab hujusmodi accusatione suspenderent quam ut ipsi debitam sententiam pro suis criminibus ab illo non exciperent. Nam, ut beatæ memoriæ Bonifacius papa testatur (*epist.* 2): « Nullus dubitat quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. »

(1049) Apud Wormatiam igitur conventu facto, schismaticam conspirationem adversus Dominum et adversus Christum ejus conflaverant, quam, ut prædictum est, ad deauctorizandam sanctam Romanam synodum per legatos suos in eadem synodo publicaverant. Unde Romani cives, de sanctæ Romanæ Ecclesiæ dehonestatione merito commoti, prædictorum legatos omni pœna dignissimos arripiunt, et vel aliquatenus eorum immanissimum scelus ulcisci voluerunt. Sed Romanus pontifex, licet a prædictis legatis specialiter impeteretur, tamen de manibus Romanorum crudeliter eos afficientium vix demum eripuit, et sedata turba factoque silentio, eos ad pedes suos sedere fecit. Ea quidem ratione ut ipsi audirent quid sancta synodus de hujusmodi schismatica conspiratione in eadem synodo ad injuriam ipsius manifestata decerneret.

Decrevit igitur sancta synodus ut officio et communione privati essent quicunque illam nefariam conspirationem et contumacissimam legationem studio et voluntate conflassent. Reliquis autem omnibus ejusdem conspirationis participibus, inducias concessit, ut infra festivitatem. S. Petri, tunc proximam, se aut coactos deliquisse missis legatis probarent, aut prædictorum excommunicationi, aut eodem crimine obligati, subjacerent.

Regem vero post multas admonitiones resipiscere nolentem, imo hujus schismaticæ conspirationis auctorem, regno privatum sub anathematis vinculo domnus apostolicus ligavit, ut eidem etiam ante excommunicationem promisit. De cujus anathematismi canonica promulgatione nullum dubitare confidimus quicunque illam epistolam domni apostolici fideliter consideraverit, in qua, ipse regem sæpius a se præmonitum, multo tempore exspectatum, et ita demum canonice anathematizatum evidentissime probavit. Quapropter, speciali regis causa prætermissa, quid sancti Patres de hujusmodi conspiratoribus generaliter definiverint, videamus.

Sanctissimus papa Fabianus, veritatis miles indefessus, omnibus episcopis scribens, decrevit, dicens: « Si quis clericus suo episcopo infestus aut insidiator fuerit, eumque criminari tentaverit, aut conspirator fuerit, mox ante examinatum judicium submotus a clero, curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat, et infamis absque ulla spe restitutionis permaneat. »

Item S. Callistus papa fortissimus veritatis athleta Gallicanis episcopis scribens: « Conspirationum, inquit, crimina vestris in partibus vigere audivimus, et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Hujus criminis astutia non solum inter Christianos exsecrabilis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris lege prohibita. Et idcirco hujus criminis reos non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi damnant leges; et non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores vero nostri, quamplurima turba episcoporum, quicunque eorum in sacerdotali ordine sunt constituti, aut existunt clerici, honore, quo utuntur, carere præceperunt. Cæteros vero commu-

(1049) Anno Christi 1076 lege Baron., tom. undecimo, anno 1076.

nione privari et ab Ecclesia extorres fieri jusserunt. Et, non solum facientes, sed eis consentientes. »

Item sacratissimum Chalcedonense concilium, Evangelio in veneratione comparandum, cap. 18, irrefragabiliter decrevit dicens : « Si qui clerici, vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis, aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur. »

Ergo, quos SS. Patres, etiam ante examinatum judicium degradandos esse vel penitus ab Ecclesia abjiciendos districtissime judicaverunt, hos domnus apostolicus per synodale judicium satis misericorditer usque ad satisfactionem officio et communione privavit; quæ tamen eis nondum eo crimine expiatis periculosa, imo perniciosa fore, si usurparentur, non ignoravit.

Forsitan aliquis eorum dicit : Non pro conspiratione habendum quod contra illum factum fuerit quem pro episcopo habere noluerint. Sed ille, si tamen episcopus est, audiat : Nunquid et se pro episcopo habendum non esse decernit, si quis ex ejus subditis eum in nulla hæresi publicatum, nec pro aliquo crimine damnatum, pro episcopo habere contempsit? Non utique credimus, dum adeo eis sapiat episcopatus. Ergo non denegent suo pastori quod sibi a subditis suis nollent denegari; sed juxta illud sancti Leonis decretum : « Obedientiam, quam a subditis suis exigunt, etiam ipsi prælato suo dependant. Quippe et ipsi eum etiam eo tempore, cum conspirarent, pro episcopo habendum fuisse modo demonstrant; cui pro eadem conspiratione ad satisfactionem venire non cessant. » Nempe, si nullius conspirationis reatu obnoxii tenerentur, sine exemplo tamen jure damnarentur; qui, sine exemplo contumaciam suam in Romana synodo publicare, et insuper eamdem synodum disturbare præsumpserunt. Incassum se absque synodica vocatione damnatos conqueruntur, cum et hoc in provincialibus synodis pro canonico custodiatur ut cujuslibet contumacia in synodo publicata, nullatenus exeat impunita, licet, ad ipsam synodum deauctorizandam ibi perpetrata non detegatur.

Præterea Romanæ sedis episcopus, juxta privilegium suum, ut jam prælibavimus, absque omni synodo damnare potest, vel reconciliare quoslibet damnandos, vel reconciliandos. Sic enim S. Gregorius ad Januarium Caralitanum episcopum scribens (*lib.* VII, *epist.* 67), consiliarios ejusdem episcopi nulla synodica vocatione præventos, usque ad satisfactionem a communione privavit; per quorum consilium idem episcopus Dominicorum die messem quorumdam furiosa mente exaravit. Nihilominus et nostri temporis Gregorius ad nullam synodum vocatos, attamen præsentario crimine obligatos damnare potuit. Per quorum consilium, Henricus rex messem non terrenam, rex ecclesiasticam nova præsumptione penitus devastare tentavit.

Item S. Gregorius (*lib.* II, *epist.* 6, 7), Joannem primæ Justinianæ episcopum nulla synodica voca-
A tione præventum excommunicavit, eo quod ille injuste Adrianum Thebanæ urbis episcopum deponere præsumpserit. Sic utique et noster apostolicus episcopos indubitatæ contumaciæ non vocatos excommunicare potuit; qui non unum solummodo episcopum, sed totam Romanam synodum deauctorizare tentaverunt. Illud sane exemplum illi nostri conspiratores secum agere putaverunt, juxta cujus edictum se rationabiliter excommunicatos esse non dubitabunt, si sacrorum canonum lectores potius quam perversores esse noluerint.

Frustra quoque proclamant secum agendum fore eo judicandi ordine, ubi manifestum factum crimen esse dubitatur. Nam, ut nobis videtur, de nullo facto an crimen sit est dubitandum, quod definitis
B sanctorum Patrum sententiis generaliter pro crimine damnatum manifestatur. Si enim ea quæ illi generaliter et synodaliter prohibuere an culpæ sint dubitaverimus, nihilominus de eorum statutis, an justa sint dubitare videbimur. Quod B. Leo papa, Leoni Augusto scribens (*epist.* 78), penitus prohibuit : « Quæ patefacta sunt, inquit, quærere, quæ perfecta sunt retractare; quæ sunt definita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? » Idem in sequentibus : « De rebus, inquit, et apud Nicæam et apud Chalcedonam (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. »
C Idem ad Martianum Augustum : « Si quid usquam, inquit, aliter quam sancti Patres statuere præsumitur, sine cunctatione cassabitur. »

Ergo illi nostri conspiratores manifestum factum suum an crimen esset incassum discuti voluerunt, quod et ipsi a definitis sanctorum Patrum sententiis pro crimine damnatum indubitanter noverunt. Unde non, ut dubiis criminibus obligati, per inducias erant exspectandi; imo, ut contumaces, et apertissimi canonum contemptores, absque dilatione erant damnandi; de quibus divina Scriptura apertissime sanxit, ut Carthaginense concilium cap. 5 constituit, non est differenda sententia, sed potius exsequenda. Unde et S. Gregorius Mariniano abbati, etc., scribens (*epist.* 27), testatur, dicens : « Si ea de
D quibus Deus vehementer offenditur insequi vel ulcisci differimus, ad irascendum utique Divinitatis patientiam provocamus. »

Item piæ memoriæ Damasus papa scribens ad Stephanum archiepiscopum Mauritaniæ, et reliquos episcopos Africæ : « Qui potest, inquit, obviare, et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est quam eorum favere impietati. »

Tres modos anathematismi, quos Triburiense concilium nobis prescribit, non tam generales affirmare præsumimus ut nullum absque synodica vocatione damnandum fore contra sedis apostolicæ privilegium asseramus, satiusque nobis, si et vobis, ita videtur ut idem concilium potius aliquem modum

anathematis dicatur prætermisisse quam apostolicæ sedis privilegio præjudicasse.

Singulis autem objectionibus, sive, ut verius dicam, reprehensionibus conspiratorum respondere non necessarium æstimamus, quibus culpam suam nullatenus expurgaverant, sed perversa interpretatione Scripturarum, Romano pontifici derogando, crimen suum duplicaverant. Nam perjurium quod eum fecisse confingunt, etiamsi eorum subditus esset, oportuisset tamen ut eum non confessum, prius fecisse convincerent quam illud in eo tam tyrannice vindicassent. Quod si, ut fingunt, jurasset ut per consensum Henrici regis Romanus pontifex eligendus esset, nunquam tamen, quod et vos caute prævidistis, obviando Romanæ electionis privilegio, se anathematizare deberet, præcipue, cum canones dicant : Definito incauta laudabiliter est solvenda. Nec prævaricatio est, sed temeritatis emendatio.

Amplius : Si quis anachoreta vel inclusus, qui solitariam vitam Deo firmissime promiserat, ad episcopalem gradum expetuntur, nunquid promissionem suam, licet cautissime factam, magis quam Ecclesiæ causam attendere debebunt ? Non plane. Quod et nostri conspiratores non inviti concedunt, quorum quidam ad episcopatum etiam monachali habitu penitus abjecto convolarunt. Ergo si et cautissima promissio pro causa Ecclesiæ laudabiliter solvitur quanto magis in causa quæ etiam sub anathemate impleri prohibetur. Nec hoc utique dicimus, quasi domnum apostolicum ita unquam jurasse credamus, sed ideo maxime ut, etiamsi fecisset quod non fecit, non ob hoc tamen ita proscribendum esse probaremus.

Sententiæ autem SS. Patrum, quas enumerant de compescenda prælatorum superbia, sive de damnatione temeraria, se ipsos maxime percellunt qui non modo in subditos, sed in ipsum prælatum suum nova præsumptione superbierant, quem ab apostolica sede, ut servum suum, descendere singulari contumacia præceperant. Sed hæc hactenus.

Omnipotenti Deo condignas grates compensare nequimus, cujus gratia nobis concessit ut in hoc periculoso tempore in quo omnes quæ sua sunt quærunt (*Philip.* II), non quæ Jesu Christi, adulterantes verbum Domini (*II Cor.* II), vos saltem habeamus, cui veritas audita nares non contrahat; imo cui præconium veritatis quanto liberius, tanto dulcius sapiat. Non enim alii tam liberaliter, tam infucate loqui præsumeremus; quem non tam veritatem rerum quam aliquod privatum studium per singula interpretaturum putaremus. Hoc, inquam, nefas esset de vobis vel suspicari : qui ipsum præconem veritatis pro sacrario Spiritus sancti venerandum fore judicastis. Experti igitur vestræ prudentiæ ardorem ad indagandam sive denuntiandam rerum veritatem, potissimum vestrum exspectamus judicium de his rebus de quibus adhuc dubitamus.

De Simoniacis igitur precamur, ut prudentia vestra nobis apertius edisserat, si et illi pro hæreticis deputentur, qui propter sacros ordines aliqua ecclesiastica officia, ut decaniam, præposituram emunt vel vendunt. Non negamus quidem et eos probabiliter posse vocari Simoniacos, utpote de spiritali officio sæculare lucrum quærentes, quos et ab eisdem officiis juxta canones pellendos esse censemus; sed cur pro hæreticis sint deputandi, ex testimoniis SS. Patrum evidentius doceri vellemus.

Sanctus videlicet Gregorius in decretis suis (*epist.* 55) illud specialiter Simoniacam hæresin vocare videtur, cum manus impositio pro pecunia emitur vel venditur. Illud etiam nobis scribere dignemini, si et illi pro hæreticis habentur, qui (1050) per aliud munus nisi a manu sacra officia emerunt, vel vendiderunt. Nam illos magis ambitiosos censeri vellemus quam Simoniacæ hæresis obnoxios, ne penitus ecclesiastica sacramenta proscriberentur, quæ pene omnino hactenus a solis hujusmodi ambitiosis usurpata non ignoramus.

De eo autem quod scribitis sacramenta a Simoniaco nondum publicato usurpata, scienti quidem non esse sacramenta, sed nescienti : necdum fideliter intelligere potuimus. Nam essentiam rerum non solet in contrarium ducere contrarietas opinantium. Ergo si sacramenta quoquo modo veraciter ab aliquo Simoniaco conficiuntur, quomodo alicui ejus hæresim scienti inconfecta veraciter probabuntur? Credibile quidem videtur corporales res in altari positas per sacerdotalem benedictionem ex consensu Ecclesiæ in divina posse converti sacramenta, etiam inter manus hæreticorum, nondum tamen in Ecclesia publicatorum. Quæ, inquam, sacramenta proscribere timemus; vel apud illius scientiam, qui solus, vel alter sacrificantis hæretici cognoverit dementiam, satius nobis videretur ut eadem et ipsi hæretico conficienti, et alii ejus hæresim scienti sacramenta esse crederetur, quam eadem esse et non esse statuerimus, videlicet ut eadem oblatio et offerenti hæretico sive ejus socio ad damnationem, ignoranti autem catholico ad salutem provenirent. Nam S. Augustinus, ubi neophytos, licet ante communionem morte præventos, non tamen eos sacramento privari testatur, non de re, sed de virtute sacramenti dixisse videtur, ut ille sacramenti virtute non careat, quem extrema necessitas a reali communione suspendit. Et nos utique omnes, si catholicæ fidei non cessamus cooperari, nunquam ejus sacramenti virtute privamur, licet ipsam rem sacramenti rarius sumere soleamus, sic utique facilius vos intelligere possemus, si diceretis quemlibet Catholicorum ab eo quem nescit hæreticum non rem sacramenti percipere, quam nec hæreticus potest conficere, sed virtutem sacramenti, non ex illa perceptione, sed ex propria

(1050) Hoc est, *non per pecuniam* : hanc enim vocabant, *munus a manu*, ut patet ex lib. I S. Anselmi contra Guibertum, qui recenset tria genera munerum, quibus ecclesiastica beneficia emebantur : *munus a manu*, *munus a lingua*, *munus ab obsequio*.

fide. Hoc, inquam, intelligibilius nobis videretur, quam idem panis in divina sacramenta confectus, et non confectus diceretur. Apertius igitur nobis intimate quid de hujusmodi sacramentis debeamus judicare.

Sententiæ autem vestræ de ordinatis ab hæretico, iterum ordinandis a Catholico, illud repugnare videtur, quod quamplures hæreticorum clericos ad catholicam fidem conversos in ordinibus suis legimus acceptos, non utique reconsecratos, videlicet ut Nicænum concilium, capitulo 8 Novatianos, et Africanum, cap. 35, Donatistas recipiendos esse in suis ordinibus, non reconsecrandos, decrevit. Nempe Nicænum concilium solummodo clericos Paulianistarum a Catholicis reordinandos constituit, quorum etiam baptizatos a Catholicis baptizandos esse decrevit. Hæc enim hæresis non faciebat invocationem S. Trinitatis.

Damasus autem papa (*epist.* 5), scribens ad Prosperum primæ sedis Numidiæ episcopum et reliquos episcopos, vestræ sententiæ de reordinationibus astipulari videtur, si tamen in exemplari non fallimur : « Per illam illicitam manus impositionem, inquit, ut paulo superius prælibavimus, vulneratum caput illi qui videbantur aliquid accepisse habebant. Et, ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula, id est, reiterari necesse est quod legitime actum aut collatum minime probatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere qui ab illo accepit qui potestatem dare legitime non habuit, invenire non possum (1051). »

Harum igitur sententiarum repugnantiam concordare nescimus, nisi hoc auctoritati sedis apostolicæ, cum consensu sanctæ matris Ecclesiæ licitum forte dicamus, ut pro aliqua temporis necessitate ordinatos ab hæreticis, per invocationem S. Trinitatis in ordine suo non reconsecrandos suscipiat, quos tamen aliquando ad evidentiorem hæreticæ ordinationis proscriptionem reconsecrari præcipiat. Nullam enim consecrationem videntur aliquibus accepisse ab hæreticis quippe jam dudum omni spiritali gratia privatis, ut B. Judas apostolus de eisdem testatur : « Hi sunt, inquit, qui segregant se ipsos, animales, spiritum non habentes. » Unde B. Innocentius (24, q. 1, c. 30) : « Hæretici, inquit, cum a fide catholica desisterent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt. » Hinc igitur conjicitur ordinatos ab hæretico non consecrationem aliquam accepisse, sed solam formam consecrationis absque virtute sanctificationis, quæ utique forma, sive accepta virtute sanctificationis, ex consensu sanctæ Ecclesiæ a conversis retineatur, sive per iterationem penitus proscribatur, ad præsens non occurrit quod rationabiliter objici possit (1052). Nam illa objectio, quæ dicit invocationem sanctæ Trinitatis, licet ab hæretico factam non esse annullandam, facile refellitur, cum ecclesias item ab hæreticis per invocationem S. Trinitatis consecratas reconsecrare jubeamur, ut S. Joannes præsul apostolicus, illius nominis primus diversis episcopis scribens, decrevisse legitur (*ep.* 2) : « Ecclesias, inquit, Arianorum ubicunque inveneritis, catholicas eas divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate, quia et nos fecimus, cum pro causa Theodorici regis Constantinopoli fuissemus. »

Nempe sacri baptismatis formam in nomine S. Trinitatis, licet ab hæretico susceptam, non iteramus, ne præceptum ab Apostolo unum baptisma præcipientis prævaricari videamur. Præterea, ut B. Felix papa generali synodo præsidens verissime pronuntiavit (1053) : « Nullus ad secundam tinctionem venire poterit, nisi primitus professo paganismo se Christianum denegaverit. » Quæ denegatio per iterationem baptismi jure videatur; ne juxta Nicænum concilium gravissime puniatur. Hoc tamen indubitanter scimus, juxta apostolicas sanctiones, nullum ab hæretico ordinatum a catholicis, vel in ordine suo recipiendum, vel reordinandum, nisi in hoc alicui temporis necessitati consulatur. Nam, ut prædictus papa Innocentius asserit : « Hæreticus per pravam manus impositionem ordinato damnationem irrogavit; cui, quia remedium pœnitentiæ necessarium est, legitimæ ordinationis honorem habere non potest. » Item Africanum concilium, cap. 35, decrevit, ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis, secundum Transmarinum concilium, exceptis his, per quorum susceptionem catholicæ unitati consulitur.

Notandum quoque quod in Africano concilio, cap. 75, decernitur ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes episcoporum.

Item sanctissimus papa Gregorius scribens Joanni episcopo Ravennati (*lib.* II, *epist.* 32) : « Sicut, inquit, baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel in eodem iterum ordine non debet consecrari; sed si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa

(1051) Hoc Damasi dictum et similia intelligi debent vel de ordinatorum cum Ecclesia conciliatione, vel reordinatione vera, si quis valide ab hæretico vel schismatico non fuerit ordinatus, cum scilicet ordinatos ordinandi nec jus nec potestatem habuit.

(1052) *Hæc disputantur ab Adalberto et Bernaldo non per assertionem, sed inquisitionis gratia.*

(1053) *Non vult Felix III, epist. 7, ad universos episcopos, tom. II Concil. novæ edit, eos qui Christum abnegarunt denuo esse baptizandos, seu ad secundam tinctionem admittendos esse, ut auctor hujus epistolæ intellexisse videtur ; sed exaggerans scelus episcoporum, presbyterorum et diaconorum, cui se rebaptizari permiserant, ait eos ad secundam tinctionem, hoc est, ad iteratum baptismum pervenire non potuisse; nisi Christum penitus negarent, et se paganos esse profiterentur : propterea perpetuæ pœnitentiæ eos subjicit.*

pœnitentia indici debet et tamen ordo servari. » Sed in his sententiis, ut nobis videtur, non tam hæreticorum usurpationes quam Catholicorum ordinationes iterari prohibentur. Nam consecratio, quæ nulli ab hæretico dari potest, ut probatum est, si a Catholico conversis impenditur, non iterata, sed primitus impensa magis proprie dicitur. Si consecrationes excommunicatorum, ut hæreticorum nihili pendimus, B. Anastasius papæ sententiis ad Anastasium Augustum directis contraire timemus, qui sacramenta non irrita fore contendit quæ Acacius patriarcha Constantinopolitanus, licet a Felice papa jam dudum anathematizatus, usurpavit. Sic enim prædictus Anastasius papa Augusto scribit, cap. 8 : « Ideo (Acacius), cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit; nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. »

Quod si est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio ut imaginetur prolato a papa Felice judicio, inefficaciter postea in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerit in hanc quoque partem similiter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione sacerdotii adjudicatus hoc egit. In quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum pertinuit quod tuba Davidica canitur : « Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; verticem capilli perambulantium in delictis suis (*Psal.* LXVII). » Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam; quod universa cœlestium Scripturarum testatur auctoritas, sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in Propheta : « Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam (*Psal.* C). » Unde, cum sibi sacerdotis nomen vendicaverit, condemnatus in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est; non populus, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est.

Hujus igitur apostolici [Anastasii] sententia vetare videtur ne vel excommunicati sacramenta irrita fore censeantur; quod vestræ assertioni de hujusmodi sacramentorum annullatione non dubitatur repugnare, nisi forte dicamus beatum Anastasium papam non hoc dixisse de publicatis in

A anathemate, sed specialiter de Acacio, cujus damnatio nondum, eo vivente, publicata creditur. Nam ille excommunicatoriam Felicis papæ epistolam noluit recipere, ut Liberatus in libro suo testatur. In qua epistola mandatum est Acacio ut se excommunicatum fore non dubitaret, postquam eamdem epistolam per Toleratum diaconum suscepisset. Sed legatus apostolicæ sedis illam dare Acacio, vel publicare non præsumpsit, eo quod imperator ejus errori patrocinaretur. Si enim ejus damnatio subditis suis publicata esset, juxta beati Innocentii papæ assertionem, ordinandis potius damnationem quam consecrationem irrogaret. Quod autem damnatio ejus ita occultaretur, inde satis probari videtur, quia Euphemius episcopus successor Acacii
B quærit a beato Gelasio papa quando Acacius damnaretur (*B. Gelasius* I, *epist.* 9), ut in epistola ejusdem papæ ad eumdem Euphemium continetur. Et nos quoque damnatos, quorum damnationem adhuc ignoramus, divina sacramenta conficere posse per consensum Ecclesiæ credimus; quorum tamen confectionem publice damnatis ascribere non audemus.

Quid autem vobis de his omnibus videatur, charitas vestra nobis rescribere non gravetur. Item, si consecrationes eorum, qui quondam catholice ordinati, nunc autem pro aliqua culpa sunt remoti, ut hæreticorum pro nihilo ducimus, sententiis S. Augustini contradicere videmur; qui et in damna-
C tis sacramentum ordinationis permanere in libro De bono conjugali testatur (*cap.* 24) : « Si, inquit, fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in ordinatis sacramentum ordinationis. Et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. » Juxta hujus viri sententiam, remoti etiam ab officio, cum sacramentum ordinationis retineant, divina sacramenta, licet ad damnationem suam, celebrare possunt; si tamen vobis non aliter videtur intelligendum.

Vestræ igitur deliberationis sententiam exspectamus de his omnibus, sive quæ nos ipsi, utcunque pro captu nostræ intelligentiæ solvimus, sive quæ
D nos nondum solvere, seu intelligere potuimus : « Deus autem pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur (*I Thess.* V). »

BERNALDI PRESBYTERI

DE VITANDA EXCOMMUNICATORUM COMMUNIONE,

DE RECONCILIATIONE LAPSORUM

ET DE

CONCILIORUM, CANONUM, DECRETORUM, DECRETALIUM, IPSORUMQUE PONTIFICUM ROMANORUM AUCTORITATE

LIBER

Nunc primum ex tenebris in lucem vindicatus.

LECTORI.

Quis fuerit, et quæ scripserit Bernaldus Constantiensis presbyter, docuit Gretserus in Apologia pro Gregorio VII. Cui etiam varia Bernaldi opuscula pro Gregorio eodem pontifice contra schismaticos, ante nunquam visa, inseruit. Interea numine bene amico ex tenebris emersit et iste qui nunc publicatur tractatulus, quem, ut vindicem Gregoriani nominis et honoris, cum orthodoxo lectore communicare non distulimus.

Gebehardus, quem brevi præloquio alloquitur, forsitan ille erit de quo Bernaldus in suo Chronico, anno 1098. *Gebhardus* (sic enim legendum, non ut Urstisiana editio, *Gerhardus*) *venerabilis abbas Schaffusensis pro humilitate locum suum, annuente domino papa, dimisit, et ab ipso concessionem, ut alius eidem loco abbas præficeretur, impetravit. Item, anno* 1100, *Gebehardus venerabilis abbas, qui pridem Schaffhusensem abbatiam pro Deo dimisit, et hoc cum auctoritate domini Urbani papæ Hierosolymam cum exercitu Christianorum petiit, qui post multos labores civitatem obtinuerunt, et prædicto abbati sepulcrum Domini custodiendum commiserunt.*

Porro quidquid in hoc opusculo Bernaldus disputat, id eo tendit ut ostendat Gregorii VII et aliorum recentiorum pontificum decretis non minorem reverentiam, observantiam et obedientiam deberi ac statutis veterum pontificum et conciliorum; ac propterea excommunicatos tunc a sede apostolica merito vitari; reversos tamen, vel ad meliorem mentem reverti cupientes, jure recipi et venia donari; erant enim qui se lapsis in schisma rigidiores quam oportebat præberent.

Domino ac venerabili GEBEHARDO evangelicæ perfectionis viro BERNALDUS solo nomine presbyter, non moribus, post transitoriam hujus vitæ peregrinationem, cœlestis patriæ æternam possessionem.

« De periculosa excommunicatorum communione vitanda, in quantum potuimus, vestræ petitioni scribendo satisfacere studuimus. Sed et alia adjicere non piguit quæ non minus vobis placitura putavimus, videlicet quid sit intelligendum de rigore canonum super damnatione sive depositione lapsorum. Item, de reconciliatione eorum sive hæreticorum. De quibus omnibus non nostras, sed sanctorum Patrum sententias fideliter collegimus. Harum enim rerum consideratio, nostro tempori maxime necessaria, in quo sancta Ecclesia inter excommunicatos et damnatos supra modum laborat, ut vel eorum aliquem in sinum suum recipiat, vel A se saltem ab eorum contagio immunem custodiat. Omnipotentis Dei misericordia vos semper incolumem nostrique memorem protegat, domne frater amantissime. »

Quantum ex apostolicorum virorum sententiis colligere potuimus, tres sunt personæ quas sancti Patres nostri sub excommunicatione multari notaverunt. Principaliter quidem ipse excommunicatus, qui specialiter ab ecclesiastica communione judicario ordine separatus est. Deinde fautor ejus, qui ei intus et exterius assentiendo et cooperando favere non veretur. Item, et communicator ipsius, qui, etsi ejus errori se assentire non detegat, ab ejus tamen se communione non separat. Sed et hi omnes audiant quid beatus Gelasius papa scribens B Orientalibus episcopis dicat : « Omnes, inquit, complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. » Et post pauca :

« Acacius, inquit, qui Petro communicavit, ut criminis particeps, ita factus est pœnæ. » Item, omnibus episcopis Dardaniæ : « Patres, inquit, nostri, auctore cujuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere judicaverunt, ut quisquis [edit. Rom., Decretal. *quisque*] aliquando hujus erroris communicator existeret, principali ejus sententia damnatus esset [edit. Rom. *principali sententia damnationis ejus esset obstrictus*]; quoniam manifeste quilibet vel possessione sua, vel communione possit agnosci. » Et post pauca : « Forma fidei communionisque catholicæ, Nicæno prolato concilio, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu, sive communione deciderit, sine retractatione excludit [edit. Rom. *conclusit*]. » Idem in sequentibus : « Idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, et exsecrationem gestat et pœnam. »

Qualiter autem excommunicatos vitare debeamus, apertissime nobis præscriptum est a SS. Patribus, inter quos Callistus I (1054), papa et martyr quatuor res enumerat, in quibus excommunicatum vitare debeamus, videlicet in salutatione, in osculo, in oratione, in mensa. « Nam quicunque, inquit, in his vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta apostolorum institutionem, et ipse simili excommunicationi subjaceat. »

Fautores quoque eorum et communicatores nihilominus vitare debemus juxta attestationem B. Gelasii papæ, qui Orientalibus episcopis de Acacio communicatore excommunicatorum scribens, ita testatur : « Nihil nobis commune cum hominibus communionis externæ. » Idem in sequentibus : « Quid juvat, si quis alicui evidentiori hæretico non communicatore excommunicatorum scribens, ita qui ab illius communione non sunt divisi? » Unde et multi religiosi ex Romanis se a communione Anastasii papæ subtraxerunt, eo quod ipse cuidam diacono Thessalonicensi communicaverit qui jam Acacio communicavit. Sic enim Romanus Pontificalis testatur (1055).

Ideo autem SS. Patres communicatores excommunicatorum æque ut excommunicatos vitari voluerunt, quia eosdem, quasi qui se ipsos damnaverint, habuerunt. Hinc B. Gelasius papa ad prædictos scribens de eodem Acacio : « Quid, inquit, queruntur Acacium a nobis fuisse damnatum, cum recepta communione Petri se doceatur ipse damnasse? » Nam, cum omnis excommunicatus extra Ecclesiam sit, nullusque simul intra et extra esse possit, ille indubitanter a catholica unitate se separat, quicunque se ab excommunicatorum communione non sequestrat. Jure ergo a Catholicis devitantur, ut excommunicati, qui ab excommunicatorum communione non sunt sequestrati.

Sciendum autem quia, quandiu mali in catholica A unitate sunt, bonos, nisi consentiant, sua communione non maculant, sicut B. Aug. contra Donatistas frequentissime et irrefragabiliter probat. Postquam vero ab Ecclesia separantur, non jam sola consensione, sed etiam exteriori communione communicatores suos maculare non dubitantur.

Unde idem B. Aug. in IV Carthaginensi concilio a CCXVII episcopis habito, sententiam excommunicationis sua subscriptione confirmavit super eum, quicunque deinceps excommunicato vel in oratione communicaverit. Qua sententia et ipsi apostoli hujusmodi communicatorem damnavere, juxta attestationem Callisti papæ.

Hucusque de lege excommunicationis vestræ B petitioni utcunque satisfecimus. Sed quia non sine fœnore tam charissimo fratri et domino debitum persolvere debemus, et alia non minus placitura vobis supererogare volumus, videlicet quid sit intelligendum de rigore canonum super damnatione, vel depositione lapsorum, nec non et reconciliatione eorum. Nam in hujusmodi causis magna discretione indigemus, ne vel nimium rigidi cum Novatianis desperare videamur de salute lapsorum, vel nimium remissi, zelum Dei non habere judicemur. Et primum quidem de rigore canonum.

Locus pœnitentiæ semel tantum antiquitus in Ecclesia legitur concessus, nec alicui post pœnitentiam iterum lapso concedendus. Sic enim beatus Siricius papa in decretis suis de hujusmodi lapsis C affirmat : quia jam pœnitendi suffugium non habeant; sed non ita intelligere debemus quasi sancti Patres de hujusmodi lapsorum salute desperarent, etsi eos inter pœnitentes recipiendos denegarent. Non enim hæc ideo instituisse credendi sunt ut homines a pœnitentia, sed a peccato deterrerent; nec, ut minus, sed humilius post lapsum pœniterent, qui se et ipsis pœnitentibus inferiores reputari viderent. Et, hoc in aliis criminaliter lapsis quasi pro lege observatur ut ab ordine dejiciantur quem ante lapsum habuisse et in quo peccasse deteguntur. Sic nimirum et in ordine pœnitentium constituti, si denuo labuntur, pristino ordini non immerito judicantur indigni.

Non tamen hæc sancti Patres desperatione veniæ D tam acriter decrevisse creduntur, præcipue cum Dominus omnes homines velit salvari, qui dicit : « Nolo mortem peccatoris [impii] (*Ezech.* XXXIII). » Et : « In quacunque die peccator ingemuerit, salvus erit (*Ibid.*) » Non, inquam, desperatione veniæ, sed pro cautela disciplinæ hæc instituta credimus; quod etiam ex verbis B. Augustini ad Macedonium presbyterum approbare possumus (*epist.* 54) : « In tantum, inquit, hominum aliquando iniquitas progreditur ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant. Et tamen Deus facit

(1054) *Exstat hæc epist. tom. I Concil. novæ edit.*

(1055) *Vide Anastasium bibliothecarium in Vitis pontif., in Anastasio II.*

etiam super tales oriri solem suum, nec minus A tribuit quam antea tribuebat largissima munera vitæ et salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus ille pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super illos patientiæ suæ non obliviscitur.» Et post pauca : « Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit ut locus illis humillimæ pœnitentiæ semel concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo : Quare huic homini qui post primam pœnitentiam rursum se laqueis iniquitatis obstringit adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod Apostolus ait; Ignoras, quia patentia [benignitas] Dei ad pœnitentiam te adducit? (*Rom.* II.) Aut istis exceptis, esse diffinitum quod scriptum est : « Beati omnes Qui confidunt in eum (*Psal.* II), » ac si diceret : Quis vel hujusmodi lapsis divinam misericordiam intercludere valeat, quin et ipsi sint beati, si in Domino confidant? »

Apud modernos tamen locus pœnitentiæ illis non negatur, quia usque adeo humana pravitas invaluit, et jugum antiquæ disciplinæ abjecit ut sancta Ecclesia jam multum gauderet, si vel ita modo resipiscere vellent. Novit enim Dei misericordiam ad indulgendum promptissimam, nec multum distare apud Deum, quia severitate, vel lenitate juxta diversitatem temporum peccata puniantur, si tantum peccator ex toto corde convertatur.

Sed et hoc nonnullos movet quod B. Innocentius papa, scribens Victricio Rothomagensi episcopo, asserit virginem Deo sacratam ad agendam pœnitentiam non esse admittendam, si nupserit, eo vivente qui corrupit. « Ita enim, inquit, et in conjugiis observatur, ut femina vivente viro alii nupta, ad agendam pœnitentiam non admittatur, quandiu adulter vixerit. » Et hoc utique rigore potius disciplinæ quam desperatione veniæ institutum debemus intelligere, videlicet ut homines vel a tali peccato cessarent quod et locum pœnitentiæ sibi intercludere non ignorarent. Satis autem congrue hujusmodi feminæ ad agendam pœnitentiam quasi indignæ reputantur, eo potissimum tempore cum adhuc vivunt, cum quibus peccavere; quia et tunc D de eis sancta Ecclesia scandalizari solet, cum peccatum earum non solum per ipsas, sed per præsentiam fornicatorum quotidie publicatur. Non solum autem in prædictis, sed et in aliis canonum judiciis profectus ecclesiasticæ disciplinæ potissimum attenditur, ut et qui peccaverunt corrigantur, et alii ne peccent deterreantur. Hinc est quod quidam nunc septem nunc decem annis, aliquando etiam usque ad finem vitæ, pro suis criminibus ab ecclesiastica communione separantur; qui et libenter sub hac districtione debent laborare, non solum ut peccata sua diluant, sed etiam ut sanctæ Dei Ecclesiæ satisfaciant, eamque sibi reconcilient pœnitendo quam scandalizaverunt delinquendo.

Nulli tamen eorum ille numerus annorum præcludit quin et ante expletionem eorum Deus ei indulgere valeat et soleat, si digne pœnituerint, juxta illud B. Leonis papæ : « Quia, inquit, misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas moras patitur veniæ conversio. » Unde et sancti Patres hunc numerum annorum, si tamen ecclesiasticæ disciplinæ non obfuerit, multoties anticipandum in reconciliatione censuerunt in his duntaxat qui digne pœnituerunt. Nam, ut B. Augustinus in suo Enchiridio testatur, in actione hujusmodi pœnitentiæ, non tam mensura temporis quam doloris attendenda est. Item, B. Innocentius papa : « De pondere, inquit, B peccatorum æstimando, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus et ad lacrymas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisactionem. »

Hinc et Nicænum concilium lapsos, quos triennio inter catechumenos, et postea decennio inter pœnitentes affligi constituit, ab episcopis humanius tractari concessit, si cum metu et lacrymis non simulate, sed veraciter pœnituerint, tepidos autem et negligentius pœnitentes diffinitum tempus omnibus modis implere constituit. Cui sententiæ B. Hieronymus evidentissime astipulatur. « Apud Deum, inquit, non tam mensura valet temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum quam mortificatio vitiorum, propter quam tempora pœnitentiæ fide et C conversatione pœnitentium abbrevianda canones præcipiunt, et negligentia protelanda.

Sed et ratio temporum nonnunquam rigorem canonum remitti cogit : sicut B. Innocentius papa in quibusdam faciendum decrevit (*epist. ad Exuperium Tolosanum episcopum*), qui hac vita in voluptatibus transacta, demum in fine pœnitentiam simul et reconciliationem expetunt. « De his, inquit, observatio prior durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. » Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. « Nam cum his temporibus crebræ persecutiones essent, ne communis concessa facultas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata est communio; concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuitur [tribuetur] ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, Salvatore nostro permittente, a perpetuo exitio vindicentur. » Ecce in quantum vir iste apostolicus antiquo rigori remittendum existimavit qui communionem quibusdam nec in finem redhibendam concessit, ibique subsequenter et antiqui rigo-

ris et modernæ remissionis rationabiles causas annectere curavit.

Aliquando etiam et ipsa multitudo delinquentium rigorem disciplinæ non admittit, ut quod a multis peccatur canonice vindicari possit. In qua causa, juxta attestationem ejusdem apostolici, priora Dei judicio committenda sunt, et de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. Ipsa quoque consideratio fragilitatis humanæ nonnunquam rigorem canonum cogit emollire. Unde B. Nicolaus papa primum parricidis et fratricidis communionem altaris post biennium reddendam, ne desperarent, decrevit: quam tamen Ancyranum concilium, nec homicidis nisi in fine vitæ redhibendam [statuit].

Eodem modo et spontanea confessio canonicam severitatem, juxta Chalcedonense concilium mitigare consuevit, quod utique monachis et virginibus sacris, a proposito lapsis, sed confessis misericordiam impertiri decrevit. Nequaquam hujusmodi remissiones inter authenticas sanctiones admitterentur, si non alii, nisi qui juxta canonicum rigorem pœnitentiam explerent, salvari crederentur; quod sane non Catholicum, sed Pelagianum esse videretur. Ipse enim Pelagius veniam petentibus non secundum gratiam Dei, sed secundum merita et labores eorum dari dogmatizavit. Sed apud Deum nullas veniæ moras patitur conversio, ut prælibavimus. Unde et sancti Patres in canonico rigore non terminum indulgentiæ, sed formam disciplinæ nobis præfixisse creduntur, quippe ut homines a peccatis compescerent, nec alicui veraciter converso veniam denegarent, quæ in tanto humilius et fructuosius accipitur quanto minus, juxta canonicum rigorem, ex debito impendenda cognoscitur. Ergo et in hoc, qui locum pœnitentiæ vel communionem nunc omnino, nunc ad tempus quibusdam denegasse leguntur non desperationem lapsorum, sed disciplinam corrigendorum intelligere debemus; ne de lapsis sancti Patres cum Novatianis desperasse judicemus.

Sacri quoque canones in quampluribus locis clericos in crimine lapsos ab ordine deponunt, nec eis aliquam spem restitutionis præscribunt. Sed et hunc rigorem canonum non adeo attendere debemus, ut cum Novatianis ecclesiasticæ potestati ligandi atque solvendi temere præjudicemus. Nam ut B. Augustinus ad Bonifacium scribens testatur: « Hujusmodi irreparabilis depositio clericorum non tam desperatione indulgentiæ, quam rigore disciplinæ instituta est. Alioquin contra claves Ecclesiæ disputaretur de quibus dictum est: « Quæ solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo (*Matth.* XVI). »

Ipsi etiam canones aliquando hujusmodi damnatis pristinum ordinem concedunt, ut in Nicæno concilio, Novatianis, et in Africano, Donatistis, quod sancti Patres non facerent, si cum Novatianis de indulgentia lapsorum penitus desperarent. Beatus quoque Callistus papa et martyr omnibus episcopis scribens: « Errant, inquit, qui putant sacerdotes A post lapsum non posse restitui, si condignam egerint pœnitentiam. » Item beatus Gregorius papa, scribens ad Secundinum servum Dei inclusum, lapsos in ordinem restitui posse asseruit; quos tamen alibi in Regesto suo, juxta canonicum rigorem ne restituerentur, prohibuit. In epist. enim ad Constantium Mediolanensem episcopum: Si lapsis, inquit, ad suum ordinem revertendi licentia conceditur, rigor procul dubio canonicæ frangitur disciplinæ. » Et post pauca: « Illud igitur præ omnibus studete ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare persuadeat. »

Videsne igitur singularem sanctorum Patrum diligentiam qui et restitutionem lapsorum ecclesiasticæ potestati adjacere dixerunt, et tamen lapsis B eam concedere noluerunt, scilicet ut rigor disciplinæ generaliter ubique timeretur, nec tamen illicitum judicaretur, sicubi ecclesiasticæ utilitati in restitutione lapsi alicujus consuleretur. Nec in hoc utique illos sibi ipsis contrarios reputare debemus si aliquando lapsos in ordinem restituerunt quos tamen alibi ne restituerentur prohibuerunt. Nam utrinque unam et eamdem intentionem habuisse non dubitatur, videlicet ut ecclesiasticæ utilitati summopere providerent sive canonum rigorem observarent, sive pro qualitate temporis eum ad tempus temperarent. Semper enim mala prohibere et bona instituere potissimum studuere; quod procul dubio efficere non possent, si non pro diversitate temporum nunc C mitius, nunc severius incedere studuissent. Sic enim Nicæni Patres cum Novatianis, Africani cum Donatistis mitius agendum, ut prædictum est, censuerunt, ut ab errore eos vel sic revocarent. Item, beatus Gelasius papa in quibusdam laicis rigorem canonum mitigavit, quibus, pro ecclesiastica necessitate, ut infra annum pervenirent ad presbyterium, concessit, sicque tempori se ex debito officii sui necessario condescendisse asseruit. Sic et prædecessor ejus beatus Leo papa Magnus scribens ad episcopos Mauritaniæ, etiam neophytos, utpotu ex laicis in episcopatum maturatos, in episcopatu legitur tolerasse. In ordinatione quoque Ambrosii, non parum rigori canonum detractum est, qui in octava die post baptismum, pro ecclesiastica necessitate, ordinatus est D in episcopum. Nusquam tamen sancti Patres ita tempori morem gessisse leguntur, nisi ubi plus Ecclesiæ dispensatoria lenitas quam canonica severitas proficere videbatur.

Non ergo sibi ipsis contrarii reputandi sunt qui ubique eamdem intentionem prohibendi mala et instituendi bona habuisse creduntur. Hæc autem consideratio, si ecclesiasticis institutis fideliter adhibebitur, sibi non reputabuntur contraria, etsi nonnunquam videantur decrevisse diversa. Si enim statutorum singulorum originales causas diligenter perquirimus, singula suis causis pro diversitate temporis optime competere, et ecclesiasticæ utilitati potissimum intendere reperiemus; quod illum non latebit quicunque ecclesiasticarum sanctionum non

tantum excerptiones, sed integras traditiones vigilanti studio perlegerit.

Sciendum autem, juxta apostolicam traditionem, sacerdotes sive diaconos, in crimine lapsos, per manus impositionem remedium pœnitentiæ consequi non debere inter laicos, ut S. Leo papa in decretis suis cap. 25, testatur. Qui et hujusmodi lapsis ad promerendam Dei misericordiam privatam sessionem expetendam esse dicit, ubi satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Item, Carthaginense concilium, cap. 27 : « Si quando presbyter vel diaconus in graviori culpa convictus fuerit qua eum necesse est a ministerio removeri, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur. In hæresim autem lapsi et postea reversi per manus impositionem reconciliantur, etiamsi cum ordine pro ecclesiastica necessitate nonnunquam recipiantur, sicut de Novatianis in Nicæno constitutum est concilio. De his, inquit, qui se catharos, id est mundos, cognominant, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio ut, impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. » Hoc ita intelligendum est ut per manus impositionem reconciliati etiam ordinem, retinere permitterentur. Non enim hic ordinatoriam manus impositionem, per quam sacri ordines dantur intelligere debemus, sed potius reconciliatoriam, per quam pœnitentes recipere solemus. Nam non uno semper modo manus impositio intelligitur, sed et pro diversitate locorum sub diversa significatione reperitur. Aliquando enim pro confirmatione neophytorum accipitur, ut in decretis apostolicorum virorum, Clementis, Urbani, Melchiadis expressum sæpenumero reperitur; nunc, pro ordinatione sacerdotum, sive diaconorum, juxta illud Apostoli ad Timotheum : « Nemini cito manum imponas (*I Tim.* V); » quod et canones apertissime præscribunt. Est et reconciliatoria manus impositio, per quam pœnitentes hæretici, sive excommunicati, sanctæ Ecclesiæ reconciliantur; de qua et canones similiter multa dicunt et de qua B. Augustinus, in lib. III De baptismo contra Donatistas, testatur quod nihil sit nisi oratio super hominem, quæ et iterari possit. Fit etiam manus impositio super infirmos, juxta illud Evangelii : « Super ægros manus imponent (*Marc.* XVI). » Item super catechumenos et energumenos pro expulsione diaboli, quæ specialiter exorcistis in ordinationibus conceditur, quippe ut habeant potestatem imponendi manus super catechumenos sive energumenos. Item, et cum simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim patriarcha Jacob, cum filios Joseph benediceret, manus eis imposuit (*Gen.* XLIX) : et Dominus in Evangelio oblatos sibi parvulos per impositionem manuum benedixisse dicitur (*Marc.* X).

Sive autem manus impositio pro reconciliatione pœnitentium, sive pro depulsione infirmitatis vel diaboli, sive pro simplici benedictione hominibus A impendatur, satis congrue juxta Augustinum nihil aliud nisi oratio super hominem intelligitur; unde et iterari quoties necesse fuerit non prohibetur. Cum vero pro confirmatione vel ordinatione impenditur non jam pro sola oratione, sed etiam pro sacramento habenda est; quod sancti Patres iterari prohibuerunt. Nam non minus peccatur, si cui manus pro confirmatione vel ordinatione iterum imponitur, quam si altera vice baptizetur. Unde et sancti Patres eamdem pœnitentiam reconfirmatis et rebaptizatis indixisse leguntur. Sanctus quoque Gregorius scribens Joanni episcopo Ravennati : « Sicut, inquit, semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita semel consecratus in eodem ordine non valet iterum consecrari. » Item, Africanum concilium, B cap. 75, prohibet rebaptizationes et reordinationes; item canones apostolorum : « Si quis, inquiunt, episcopus, presbyter, diaconus secundam manus impositionem acceperit, deponatur ipse et ordinator ejus. » Si quis autem huic capiti minus credit, quia illud inter canones apostolorum apud nos non reperit, scire debet quod eorumdem canonum multa capita nobis desunt. Nam beatus Zepherinus papa in ordine XVI, apostolos septuaginta canones constituisse testatur; quorum quinquaginta tantum Isidorus in prologo suo de canonibus se invenisse fatetur, quibus et nos utimur. Petrus tamen Damiani piæ memoriæ, cardinalis episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, alter Hieronymus in nostro tempore, prædictum caput canonibus apostolorum attitulavit in C libro suo quem Gratissimum cognominavit.

Ergo, quod in Nicæno concilio clericis Novatianorum conversis manus imponi jubetur, nullatenus ordinatoria manus impositio intelligenda est, sicut quidam translatores ejusdem concilii minus cauti intellexisse videntur, qui eosdem iterum ordinandos interpretati sunt.

Nos autem potius B. Innocentio papæ credamus, qui de eisdem Novatianis tractans, non ut reordinarentur, sed ut cum ordine suo reciperentur, asserit Nicænos Patres constituisse. Ita et nos quoque necessario intelligere debemus, ne sanctis Patribus adversari videamur qui reordinationes penitus proscripserunt, ut prælibavimus.

D Nusquam sane sancti Patres clericos ex hæresi conversos iterum ordinari permiserunt, nisi Paulianistas et alios hujusmodi qui non catholico more invocationem sanctæ Trinitatis faciunt, quos etiam baptizari jusserunt. Nec hos utique reordinatos vel rebaptizatos competenter dicimus, cum in catholica nec pro baptismo nec pro ordinatione computetur, quod absque invocatione sanctæ Trinitatis percepisse deteguntur. Sciendum autem quod, eorum qui ex hæresi convertuntur alii jam in Ecclesia ordinati, postea in hæresim lapsi sunt; alii in ipsa hæresi ordinati sunt. Qui ergo post acceptum ordinem lapsi sunt, reversi cum ordine recipi possunt, sed absque spe promotionis, juxta statutum sanctissimi

papæ Leonis. « Omnis, inquit, cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, hæreticæ se communioni miscuerit, si ad Ecclesiam reversus fuerit, et prius errores suos, et ipsos auctores erroris damnatos a se sine ambiguitate confessus fuerit, in eo gradu in quo erat sine promotione permaneat. Item : In hæresi ordinatus quæ tamen in fide sanctæ Trinitatis non erraverit, cum ordine recipi potest, si necesse fuerit, ut Novatiani et Donatistæ. » Ordinatus autem apud hæreticos qui in fide errant sanctæ Trinitatis, et si quoquo modo ejus invocationem faciant, ut Ariani, nequaquam cum ordine recipiendus est vel deinceps ordinandus, juxta assertionem sancti Innocentii papæ, qui de his tractat copiosissime.

Sed et hoc fraternitati vestræ non ingratum fore putamus, si et de multimoda hæreticorum reconciliatione sententiam sancti Gregorii papæ primi subnectamus qui episcopis Hiberniæ Quirino et reliquis scribens, ita testatur (*lib.* IX, *ind.* 4, *ep.* 61) : « Ab antiqua Patrum institutione didicimus ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero et alios ex sola vera confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt ab hæreticis consecuti, tunc in eis vires emendationis recipit, cum vel ipsi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint; vel isti, propter professionem fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut Bonosiani et Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt; et alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptismum non fuit, quod in errore positi, in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt, etc. Sed et eos, quos Judaicæ perfidiæ similis de unigenito Filio hæreseos error obscurat, ad sanctam Ecclesiam venientes, de veræ fidei firmitate et confessione docendi sunt. »

Et Orientales quidem Patres, non solum Arianos, sed etiam Novatianos, Thessarescædecatitas et Photinianos per chrismatis unctionem recipiendos statuerunt, sicut in Laodicensi concilio legitur. Multo tamen competentius Occidentales hujusmodi hæreticos absque chrismatis unctione suscipiunt, ne sacramentum confirmationis iterasse videantur quod illi cum ipso baptismo, ab hæreticis multoties acceperunt; cujus, inquam, sacramenti, æque ut baptismi, iterationem vitare debemus. Si autem ab hæreticis nondum confirmati sunt, venientes ad Ecclesiam, per chrismatis unctionem procul dubio confirmandi sunt, ut reliqui Christiani ; quia hoc sacramentum a nullo est negligendum. Sciendum autem non per eamdem manus impositionem suscipiendos eos qui apud hæreticos baptizati sunt, et eos qui in catholica baptizati postea in hæresim prolapsi sunt. Unde B. Vigilius papa scribens Eleutherio episcopo : « Eorum, inquit, baptizatorum, qui iterum apud Arianos baptizati sunt, reconciliatio fit, non per illam manus impositionem quæ per invocationem sancti Spiritus operatur, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur et sanctæ communionis restitutio perficitur. » Unde et in antiquis ordinibus diversæ orationes ad hujusmodi manus impositiones distribuuntur. Nam quæ super eos dicuntur qui ab hæreticis baptizati sunt, Spiritum sanctum in eos venire petunt; quæ autem apostatis redeuntibus impenduntur, gratiam tantum reconciliationis sub pœnitentia eis impetrare videntur.

E quacunque hæresi quilibet convertatur, non est recipiendus nisi abjurata et anathematizata hæresi. Hinc sanctissima Ephesina synodus, una de IV principalibus, de Nestorio episcopo, sed hæretico, ita constituit : « Consequens est, inquit, si resipiscere volueris, ut jurejurando fatearis et anathematizes tua polluta et profana dogmata; sentias autem et doceas quæ nos universi, per Orientem sive Occidentem episcopi et magistri, præsules populorum credimus et docemus. » Hinc in actione ejusdem synodi, cap. 15, ejusdem forma juramenti exprimitur in hunc modum : « Ego Hesychius filius Curialis Thessarescædecatites, agnoscens veram fidem orthodoxiæ et accedens ad sanctissimam et catholicam Ecclesiam, anathematizo omnem hæresim, et maxime Thessarescædecatitarum in qua antea errabam; assentior autem prescriptæ expositioni catholicæ fidei, anathematizans eos qui non celebrant sanctum diem Paschæ, juxta morem catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, et juro per sanctam ὁμοούσιον Trinitatem. Et si quid ex his labefactavero, legum severitati subjacebo. Et expositioni mihi recitatæ subscripsi manu mea. »

Hanc formam juramenti sancta Romana Ecclesia de hæreticis conversis exigere consuevit; hanc de Berengario, cum hæresi suæ, si non corde, ore tamen abrenuntiaret, accepit venerabilis papa Nicolaus in universali concilio Romæ congregato.

Sed nec schismaticos sancta Ecclesia absque satisfactione juramenti recipere consuevit, cujus formam B. Gregorius in Regesto suo reliquit in hæc verba (*ep.* 10, *ep.* 3.) : « Ego N. (1056-7) civitatis illius episcopus, comperto divisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum deliberatione pertractans, prona et spontanea voluntate ad unitatem sedis apostolicæ, divina gratia duce, reversus sum. Ac ne non pura mente, sed simulate reversus existimer, spondeo sub ordinis mei casu et anathematis obligatione,

(1056-7) Sic ms. *edit. Rom.* ep. S. Greg.

atque promitto tibi, N. et per te S. Petro, apostolorum principi, atque ejus vicario, beatissimo Gregorio, vel successoribus ejus, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocunque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris gratia liberatus sum [*edit. Rom.*, Red. nostri misericordia liberante ereptus sum], reversurum; sed semper me in unitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ et communione Romani pontificis per omnia permanere. Unde jurans dico per Deum omnipotentem, et per hæc sancta quatuor Evangelia, quæ in meis manibus teneo, me in unitate, sicut dixi, Ecclesiæ; ad quam, Deo propitio, sum reversus, et communione Romani pontificis semper et sine dubio permanere. Quod si, quod absit! ab hac me unitate aliqua excusatione vel argumento divisero, perjurii reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, et cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Huic confessionis promissionisque meæ chartulæ propria manu subscripsi. Actum in illo loco, die illo, et consule illo. Subscriptio [*Edit. Rom.*, subscriptio Episcopi illius] : Ego illius civitatis ille episcopus, huic promissioni, professionique meæ [confessioni, promissionique meæ], præstito de conservandis supra scriptis omnibus sacramento, subscripsi. »

Sciendum autem, juxta attestationem sanctorum Patrum Augustini et Pelagii papæ, illos indubitanter schismaticos esse « quicunque divisi sunt ab apostolica sede. Sed quid ab hæreticis differant, » S. Hieronymus in tract. super epist. ad Titum satis declarat. « Inter hæresim, inquit, et schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur. » Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. Unde B. Augustinus, ad Emeritum scribens, de Donatistis asserit quod schisma in hæresim male perseverando converterint.

Quod autem sanctum Nicænum concilium, ut prædiximus, clericos Novatianorum per manus impositionem recipiendos asseruit, nequaquam aliorum sanctorum Patrum sententiis debet contrarium reputari, qui lapsos sacerdotes sive diacones, per manus impositionem, remedium pœnitendi inter laicos recipere prohibuerunt. Aliud est enim quemlibet ex hæresi vel schismate conversum sanctæ Ecclesiæ per manus impositionem redintegrari, aliud quemlibet in sacerdotio vel diaconatu criminaliter lapsum non debere consequi remedium pœnitendi per manus impositionem, ut laicum. Et hanc utique observantiam de lapsis sacerdotibus sive diaconibus, B. Leo primus in decretis suis, cap. 25, ex apostolica traditione indubitanter descendisse testatur, juxta illud quod scriptum est : « Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? » Sed et in canonibus apostolorum, cap. 25, reperitur : « Episcopus, presbyter, diaconus in homicidio, perjurio, sive fornicatione deprehensus deponatur, non autem excommunicetur. « Non enim Deus bis judicat in idipsum. Nempe, juxta ecclesiasticam consuetudinem, clericus pro eo crimine deponi jubetur pro quo laicus, si admiserit, excommunicabitur, ut in statutis sanctorum Patrum frequentissime decernitur.

Unde et laici absque ecclesiastica communione solent pœnitere, sicut et clerici absque administratione officii. Non ergo mirum si clerici per manus impositionem remedium pœnitendi pro criminibus admissum non, ut laici, consequuntur, qui nequaquam, ut illi, pro criminibus excommunicari jubentur. Si autem ipsi usque ad anathematis sententiam inobedientes exstiterint, consequens est ut per manus impositionem sanctæ redintegrentur Ecclesiæ, cum redierint, sicut et sanctum Nicænum concilium de Novatianis instituit. Nunquam tamen, ut laici, remedium pœnitendi per manus impositionem consequentur, etiamsi penitus absque ordine suscepto recipiantur. Hinc B. Aug., in lib. I. contra Donatistas de baptismo, de quolibet hæretico ex hæresi absque administratione officii recepto testatur quod nec ipsi manus inter laicos imponenda sit, eo quod et in deposito sacramentum ordinationis permanserit.

Ecclesiasticarum regularum institutiones partim ab ipsis apostolicis accepimus, partim a Romanis pontificibus; partim ab aliis sanctis Patribus, quorum tamen judicia Romani pontifices firmaverunt.

Et apostolos quidem, ad informationem nascentis Ecclesiæ, quinque tantum synodos instituisse ex libro Actuum ipsorum et ex traditione majorum didicimus. Harum primam statim post ascensum Domini de electione Matthiæ apostoli in locum proditoris Judæ celebraverunt. Secundam, cum septem diacones eligerunt ad dispensationis ministerium. Tertiam, de conversis ex gentibus, ne judaizare cogerentur, sed tantum ut abstinerent a fornicatione, ab idolothytis et sanguine. Horum ultimum B. Augustino dispensatorie videtur institutum, si tamen ita intelligitur ut abstinerent a carnibus quarum sanguis non esset effusus. Scribit enim de hoc, lib. II, contra Faustum : « Elegisse, inquit, mihi videntur apostoli pro tempore rem facilem et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israel gentes, propter illum angularem lapidem duos in se condentem [*forte* parietes], aliquid commune observarent. At ubi Ecclesia gentium talis effecta est ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quisnam Christianus observat ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si, manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur. Ita omnium tenuit animos in hac re illa sententia Veritatis : *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV), nullam cibi naturam quam societas admittit humana; sed quæ iniquitas committit peccata condemnans. « Non ergo

mirandum si successores apostolorum aliqua dispensatorie instituerunt, quæ eorum posteri, mutatione temporis hoc exigente, rationabiliter aliquando mutare vel penitus abrogare consueverunt.

Quartam vero synodum de credentibus ex Judæis ab apostolis factam legimus, cum eos a legalibus cæremoniis prohiberent; et hoc pro abolenda suspicione quorumdam qui eos legales cæremonias, quasi idololatriam, respuere putabant. Has quatuor synodos apostoli Hierosolymis celebrarunt, ut liber Actuum ipsorum intimare videtur.

Quintam autem apostolorum synodum ex traditione majorum accepimus, cum singuli singulas proferentes sententias symbolum conderent quod universalis Ecclesia tenet, cum jam ab invicem discessuri essent, ut in omnem terram sonus eorum exiret (*Psal.* XVIII). Sic enim B. Clemens papa, discipulus et successor apostolorum in decretis suis testatur. Item, S. Leo papa I Pulcheriæ Augustæ scribens : « Ipsa inquit, catholici symboli brevis et perfecta confessio duodecim apostolorum totidem est signata sententiis. » Item, beatissimus Pater Ambrosius clavem regni cœlorum deputans esse fidem apostolorum : « Clavem, inquit, istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim apostolorum symbolo fides concepta est, quam, velut periti artifices, in unum convenientes clavem suo concilio conflaverunt. » Hoc est ergo symbolum catholicum sive fides apostolorum, sine cujus professione nec baptizamur nec ad pœnitentiam canonice recipimur; quam et quotidie, cum surgimus, juxta traditionem sanctorum Patrum, recensere debemus. Hinc B. Augustinus in homil. 43 : « Nunquid, inquit, quando surgis, non te vestis? Sic et commemorando symbolum tuum, vesti animam tuam, ne forte eam nudet oblivio, et remaneas nudus, et fiat quod ait Apostolus (quod absit a te!) : *Si tamen vestiti, non nudi* vel exspoliati *inveniamur* (*II Cor.* V).» Vestiti ergo erimus fide nostra. Et ipsa fides et tunica est et lorica. Tunica, contra confusionem; lorica, contra adversitatem.

Præter hæc autem, quinquaginta capitula inveniuntur, quæ canones apostolorum inscribuntur, quibus tamen difficile credunt qui in prædictis apostolorum synodis nihil de his commemoratum inveniunt. Sed et plurima sunt quæ ex apostolica institutione accepimus, quæ tamen in illis nequaquam invenimus. Nec utique necesse fuit ut apostoli omnia communiter instituerent, cum et singillatim talia instituere possent, sicut etiam Romani pontifices ex eorum auctoritate adhuc facere solent.

Ergo postposita quorumdam inconsiderata opinione, nos magis apostolicorum virorum, Romanorum utique pontificum attestationi credamus, qui singula pene capitula eorumdem canonum apostolos instituisse sparsim in decretis suis testificantur. Nempe Zephyrinus papa, a B. Petro XVI, apostolos septuaginta canones condidisse testatur; quorum quinquaginta tantum beatus Isidorus, in
A prologo suo de canonibus, se asserit invenisse; quibus nos utimur. Sanctus autem Anacletus papa et martyr, a B. Petro quintus, et ab ipso presbyter ordinatus, nonum capitulum eorumdem canonum apostolos statuisse declarat, videlicet « ut ministri altaris, facta oblatione, communicent. » Sanctus quoque Callistus papa et martyr de undecimo item fatetur, quippe « ut communicator excommunicati simili subjaceat excommunicationi. » Sic et alii sancti Patres de aliis eorumdem canonum capitulis testificari reperiuntur, qui magis pro veritate mori, quam vel pro vita mentiri delegerunt. Horum igitur testimoniis et nos necessario credimus, ne ipsi sancto Spiritui minus credere judicemur, cujus instinctu ipsos talia testificatos fuisse [*ms.* fore] non dubitamus.

B Sciendum autem quod B. Gelasius papa librum qui De canonibus apostolorum apud Græcos inscribitur pro apocrypho deputavit, cui et nos contradicere non debemus, quia hoc eum sine causa fecisse non credimus. Fortasse liber ille de capitulis quæ et Patres receperunt nihil dicit, aut, si dicit, nonnihil mendosum annectit. Quod tamen solertia catholici interpretis prudenter nobis in Latino subtraxit, sicut beatus Hieronymus, cum transferret Origenem, sæpe fecisse monstratur. Sed, quidquid de illo libro conjiciatur, nos tamen illa quinquaginta capitula, quæ per sanctum Clementem Romanum pontificem ex Græco translata legimus, absque scrupulo recipere possumus; quæ et sancta Romana
C Ecclesia custodit, nobisque custodienda per beatum Adrianum papam mandavit. Sic itaque multa ex apocryphis deprompta sancti Patres receperunt, sicut Judas apostolus in Epistola sua testimonium de prophetia Enoch assumptum recepit; quam tamen prophetiam sancta Ecclesia quasi apocrypham repudiavit. Apocrypha autem dici ecclesiastici doctores tradunt, non quia omnia mentiantur, sed quia dubiæ et suspectæ auctoritatis esse videantur. Nam sæpissime multa canonica suis næniis interserunt, quæ nequaquam Catholici cum eisdem næniis refutare debebunt. Unde supra dictus papa Gelasius : « Nunquid, inquit, in ipsorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertineant posita releguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda
D est, quia illorum libri, ubi pravitas interest, refutantur? Aut, ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur? Ait Apostolus : *Omnia probate; quod bonum est, tenete* (*Thess.* II). Ergo, juxta eumdem apostolicum, utrumque debemus : et librum de canonibus apostolorum pro apocrypho repudiare; et capitula, si qua in illo ad veritatem pertinentia inveniuntur, non reprobare : illa, inquam, minime, quæ sancti Patres pro authenticis receperunt, imo quorum auctoritate suas sanctiones sæpissime firmaverunt. Multa quidem et alia apostolos instituisse non dubitamus; quæ tamen nullo eorum speciali scripto promulgata reperimus. Unde beatus Augustinus, in libro I contra Donatistas, « de baptismo quod, in-

quit, universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. » Ergo nec hujusmodi traditionum contemptores minus coercendi sunt quam prævaricatores divinarum legum, ut idem doctor ad Casulanum presbyterum scribens testatur.

Post apostolos autem Romani pontifices, tam in potestate quam in prædicatione eorum successores, ecclesiasticam disciplinam studiosissime suis institutis formasse et informatam propagasse reperiuntur; et hoc utique diverso modo. Sicut enim ipsi sanctæ Ecclesiæ diversis temporibus præfuisse leguntur, ita et diverse suis temporibus consuluisse inveniuntur. Nam a beato Petro usque ad sanctum Sylvestrum variæ et creberrimæ persecutiones fuerunt, in quibus episcopi, utpote capita aliorum, maxime periclitabantur. Unde et Romani pontifices illius temporis multipliciter eos pro qualitate personarum, necessitate rerum, opportunitate temporum scriptis suis consolati sunt; in quibus de eorum judiciis multa vel pene omnia statuerunt, ut improborum præsumptionem ab eorum infestatione quoquo modo compescerent; quippe, attestante sancto Fabiano papa et Martyre, ipsi apostoli eorumque successores statuerunt ut episcopi aut nunquam accusarentur, aut accusari difficillime permitterentur. Nam, ut beatus Eutychianus papa et martyr testatur, si accusatio episcoporum tunc facile et passim admitteretur, perpauci nimis invenirentur qui eo tempore episcopatum non fugerent, cum et quotidianam mortem ex persecutione timerent, nec tamen improborum accusationem declinare possent.

Sanctus etiam Anacletus papa et martyr ad universos episcopos Italiæ scribens, dejectionem sive damnationem episcoporum sibi Dominum reservasse testatur, quasi hominum judicio subjacere non videantur. Nec mirum hoc eos eo tempore judicasse, cum acerrima persecutio non nisi perfectissimos ad episcopatum venire permitteret, quippe qui jam pro Christo omnia extrema pati non timerent. In tempore autem pacis aliquid de illa difficultate accusationis sive damnationis episcoporum non incongrue remittitur, cum episcopatus non jam a paucis, quasi mors, religiose timetur, sed a plurimis, quasi gloria, ambitiose appetitur, et appetitus criminose administratur, scilicet cum jam non talis persecutio aliquem ab episcopatu vel peccato deterreat, sed ipsa pacis tranquillitas et honoris sublimitas magis ad peccandum illiciat. Unde in Nicæno concilio non magis episcopis quam quibuslibet clericis in damnatione parcitur, cum generaliter in eo omnes damnentur quicunque se contra sacras regulas efferre non verentur. Ante illud sane concilium tantæ persecutiones undique sævierant, ut Romani pontifices tribulatos vix quoquo modo scriptis suis consolari sive contra improbos defensare sufficerent, nedum ecclesiasticam disciplinam usquequaque pleniter et regulariter instituere possent.

A tempore autem hujus concilii jam aliquantulum sedatis persecutionibus, iidem pontifices multo plenius et decentius ecclesiasticas regulas tum per se in decretis suis, tum per alios in conciliis promulgare, sive promulgatas confirmare cœperunt. Quas et in posterum ecclesiastici doctores magis in usu habere consueverunt. Has etiam B. Adrianus papa cum canonibus apostolorum ad instructionem Occidentalium Ecclesiarum dirigendas destinavit, videlicet ut ipsum Nicænum et alia hujusmodi concilia, quorum quædam, etsi Nicæno concilio antiquiora, tamen post Nicænum in auctoritatem recepta; item et illa Romanorum pontificum decreta, quæ post idem concilium instituta leguntur. Nec hoc utique ideo fecisse credendus est quasi antiquioribus statutis in aliquo præjudicaverit; imo potius ideo ut competentiora quæque regulari Ecclesiarum instructioni procuraverit.

Nec mireris quod ipsorum conciliorum auctoritatem Romano pontifici ascribimus. Nam, « nulla concilia rata leguntur, quæ apostolica auctoritate fulta non fuerint, » ut beatus Damasus papa in decretis suis, cap. 9, asserit : cui S. Athanasius et Julius papa, Nicænum quoque concilium, et reliqui sancti Patres astipulantur. Sanctus quoque Marcellus papa et martyr in decretis suis, cap. 5 : « Ipsi, inquit, apostoli, eorum quoque successores, Domino inspirante, constituerunt ut nulla fieret synodus præter Romanæ sedis auctoritatem. » Nam illius sedis episcopus judex est totius Ecclesiæ. Nec aliquod judicium valet absque legitimo judice.

Sunt autem quatuor concilia quibus Romani pontifices magnam reverentiam detulisse leguntur, Nicænum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, et Chalcedonense concilium ; quæ a beato Gregorio non semel ut quatuor Evangeliorum libri veneranda censentur, et sub terribili anathemate contemni prohibentur.

Primum ergo horum a CCCXVIII Patribus in Nicæa Bithyniæ habitum est ex auctoritate S. Sylvestri papæ, contra Arium Alexandrinum presbyterum, qui tres gradus in sancta Trinitate asseruit. Item, Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum creaturam, tempore Constantini principis, Attici Constantinopolitani, Macarii Hierosolymitani et Alexandri patriarchæ Alexandrini. In quo concilio condemnata hæresi Ariana, secundum post apostolos Symbolum, et viginti canones promulgaverunt. Huic concilio legati sedis apostolicæ, magnus Osius Cordubensis episcopus, Victor et Vincentius, presbyteri Romanæ Ecclesiæ, vice Sylvestri papæ præfuerunt, et statuta ejusdem concilii primaria subscriptione firmaverunt. Ipse etiam Sylvester papa Romanæ generali synodo præsidens, predictam roboravit synodum cum subscriptione CCLXXV episcoporum.

Et sciendum quia Romani pontifices nunquam ad concilium Roma exire consueverunt, sed per legatos suos hujusmodi conciliis præfuerunt. Unde S. Leo papa, a christianissimo imperatore Marciano ad

Chalcedonense concilium devotissime invitatus, hac ratione se excusavit quod nullum inde exemplum a prædecessoribus suis acceperit. De concilio igitur Nicæno S. Ambrosius Mediolanensis episcopus scribens : « Non humana, inquit, industria, non compositione aliqua CCCXVIII episcopi ad concilium venerunt, sed ut in numero eorum per signum suæ passionis et nominis Dominus Jesus suo probaret se adesse concilio. Crux in CCC, 18 nomen in X et VIII est sacerdotibus. » Item Leo, qui supra, scribens ad Anatolium patriarcham Constantinopolitanum : « Illa, inquit, Nicænorum canonum per sanctum vere ordinata Spiritum conditio nulla unquam est parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur. Neque CCCXVIII illis episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut, sive per pauciores sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. »

Idem alibi : « Sancti, inquit, illi et venerabiles Patres qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, apud nos intra orbem terrarum in suis constitutionibus vivunt; et si quid usquam aliter quam ipsi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur. »

Ex his ergo colligere possumus quam indubitabilem reverentiam Nicænis canonibus jugiter exhibere debeamus. Apud nos autem Nicæno concilio viginti capita ascribuntur, quamvis multo plura illius concilii capita reperiantur. Antiochenum enim concilium, de Pascha, ibi asserit institutum ne in XIV luna cum Judæis celebretur, ut Tessarescædecaditæ, id est, Quartadecimani faciunt; qui etiam inde nomen suæ hæresi condiderunt. Item sanctus Athanasius patriarcha Alexandrinus, qui in Nicæno concilio nondum episcopus, sed episcopatu jam tunc dignissimus interfuit, Felici papæ scribens asserit quod Nicæni Patres constituerunt, sicut et nos supra retulimus, ne concilia absque sententia Romani pontificis celebrentur. Item Zosimus papa de appellationibus episcoporum statutum affirmavit in commonitorio quod legatis suis ad Africanum concilium direxit; Africani tamen Patres se hoc in suis exemplaribus non invenisse protestati sunt. Quæ utique exemplaria non nisi viginti capita habuerunt, sicut et illa quæ ipsi postea ab Orientalibus episcopis pro auctoritate mutuaverunt. Item Julius papa præter viginti plura illi concilio ascribit capita, quæ tamen in antiquis decretalibus Romanorum præsulum reperiuntur, unde in Nicænum concilium translata creduntur.

Prædictus etiam patriarcha, scilicet Athanasius, et Marcus papa septuaginta illius concilii asserunt esse capita, quamvis viginti tantum nunc usquequaque illi concilio ascribantur. Hoc autem ideo fa-

A ctum ex litteris majorum didicimus quia Nicæni Patres illa tantum quasi specialius instituisse leguntur; reliqua vero, usque ad septuaginta, non tam ipsi principaliter instituisse quam ab aliis jam confirmasse instituta reperiuntur : Nam Osius Cordubensis episcopus, aliunde illa mutuasse et in synodo recitasse legitur. Erat enim consuetudo sanctorum Patrum in hujusmodi consiliis, non solum propria instituere, sed aliorum statuta firmare. Multa quippe in illis ventilare, et ventilata pretractare consueverunt; quæ tamen ecclesiastica consuetudo eorum specialius statutis annumerasse non reperitur. Sic utique Chalcedonense concilium multa per viginti dies pertractasse et confirmasse legitur; cui tantum

B solummodo unius diei statuta videntur ascripta. Ita ergo et Nicæno concilio sua specialia statuta competenter ascribimus, nec tamen attestationi sanctorum Patrum de septuaginta capitibus contradicere debemus.

Prædictus etiam Osius et Januarius Beneventanus episcopus ex legatione sedis apostolicæ eadem capita in Sardicensi concilio postea firmasse leguntur. Beatus quoque Isidorus in prologo suo de canonibus quæstionem septuaginta capitum cum magnitudine ejusdem concilii libri excusat, quem libris quatuor Evangeliorum apud Græcos æque magnum affirmat. Sciendum autem quod in Latinis exemplaribus non omnium CCCXVIII Patrum nomina reperiuntur qui tamen in Nicæno concilio subscripserunt : nam stu-

C diosi servi Dei, ut legitur, non tam Occidentalium quam Orientalium Patrum nomina conscribere studuerunt; quia Occidentales non similiter quæstionem de hæresibus habuerunt.

Secundum autem illorum quatuor conciliorum, Constantinopolitanum, a CL Patribus habitum est contra Macedonium illius sedis episcopum, qui Spiritum sanctum Deum esse negabat, æra CCCCXVIII, tempore Gratiani et Theodosii principum, Damasi papæ, Cyrilli Hierosolymitani, Nectarii Constantinopolitani, Timothei Alexandrini. In quo concilio, condemnatis omnibus hæresibus, symbolum traditur quo tota Græcorum et Latinorum confessio in Ecclesiis modo utitur, tresque ibi canones instituuntur. Hoc ergo symbolum Orientales primum,

D deinde Occidentales frequentare cœperunt. Unde sancti Patres in quarto Toletano concilio statuisse leguntur, tempore tandem Pelagii papæ, ut in omni Dominica recitaretur in ecclesiis more Orientalium Ecclesiarum. Deinde Galli et Germani ex traditione ejusdem concilii ipsum mutuasse creduntur, cum eamdem translationem et adhuc pene sequi videatur. Nam post damnationem Felicis hæretici, ut legitur, tandem sub Carolo imperatore hoc in usu habere cœperunt, propter hæreticos illius temporis, qui processionem Spiritus sancti de Filio negaverunt, videlicet ut illos per ipsum symbolum confunderent, cum in illo *qui ex Patre Filioque procedit* tam aperte dicerent. Sed quia nomen Filii in authenticis exemplaribus nequaquam invenieba-

tur, ipsum etiam symbolum cum tali additamento recitari venerabilis Leo papa illo tempore prohibuit eo quod sancti Patres hujusmodi adjectionem in symbolis penitus prohibuerint. Romani quoque usque ad tempora divæ memoriæ Henrici primi imperatoris eo symbolo uti noluerunt. Sed idem imperator hoc a Romano pontifice impetravit, ut et Romani illud, more aliorum, decantarent, sicut venerandus abbas Berno testatur in libro suo De institutione missarum.

Quamvis autem Nicænum symbolum majoris auctoritatis esse videatur quam Constantinopolitanum, nos tamen Constantinopolitanum magis in Ecclesia non immerito frequentamus. Nam in illo plura contra hæreticos necessaria quam in Nicæno reperimus, quia contra Arianos specialiter agit. Nec tot hæresibus quot Constantinopolitanum suis sententiis obviavit. In illo enim de unitate Ecclesiæ sive baptismi, de resurrectione mortuorum, et vita futuri sæculi habetur, quod in Nicæno non reperitur. Plenius etiam agit de Spiritu sancto quam Nicænum; unde et nostratibus potissimum in usum venisse asseritur. Sciendum autem quia nos non solum nomen Filii de quo prædiximus, sed multa alia in eodem symbolo, præcipue ex Nicæno symbolo, adjicere solemus, ut, *Deum de Deo, lumen de lumine;* in quo tamen non adeo peccavimus, cum Romana Ecclesia jam non contradicat, imo cum et ipsa hujusmodi adjectiones admittere non renuat.

Tertium vero universale concilium Ephesi habitum est a CC Patribus contra Nestorium Constantinopolitanum episcopum, qui dicebat S. Mariam Virginem non Dei, sed hominis tantummodo genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, æra CCCCLXVIII, tempore Theodosii Junioris, S. Cœlestini papæ, Cyrilli Alexandrini, Juvenalis Constantinopolitani [Hierosolymitani]. In quo concilio contra Nestorium duodecim capita instituta sunt, quæ sæpissime B. Cyrillo ascribuntur. Huic synodo legati sedis apostolicæ idem Cyrillus, et Arcadius episcopus ex Italia vice S. Cœlestini papæ præfuerunt, et ipsam apostolica auctoritate roboraverunt. Ad hoc concilium B. Augustinus per sacram Theodosii imperatoris invitatus legitur, sed prius ipse ad Dominum migravit quam ad ipsum epistola Romani principis pervenerit.

Quartum universale concilium Chalcedone habitum est a DCXXX Patribus contra Eutychem Constantinopolitanum abbatem, qui asseruit Christum, post humanam assumptionem, non ex duabus naturis consistere, sed solum in eo divinam permanere, æra CCCCLXXXIX, [tempore] Marciani principis, S. Leonis papæ, Juvenalis Hierosolymitani, Anatolii Constantinopolitani. In quo concilio viginti septem canones statuuntur. Huic synodo legati sedis apostolicæ Pascha sinus et Lucentius episcopi, et Bonifacius presbyter vice S. Leonis papæ præfuerunt; qui et statuta illius synodi firmaverunt, et prædicto Anatolio quiddam temere præsumenti in synodo liberaliter contradixerunt. De hoc concilio multi postea dubitaverunt, et ut retractaretur omnimodis efficere studuerunt. Sed, quia hoc nequaquam a B. Leone papa permittebatur, tandem ab imperatore impetraverunt ut per universas provincias ad omnes episcopos qui Chalcedone convenerant litteras dirigeret, quibus eorum sententiam de eodem concilio exploraret. Qui omnes unanimiter rescripserunt Chalcedonense concilium usque ad sanguinem esse defendendum.

Præter hæc autem quintum universale concilium Constantinopoli legitur congregatum contra omnes hæreticos, et maxime contra Theodorum Mopsuestenum, qui dicebat alium esse Deum Verbum, et alium Christum, et sacram Virginem Dei negabat genitricem, tempore Justiniani principis, Vigilii papæ, domni Antiocheni, Eutychii Constantinopolitani. In quo concilio quatuordecim capita sub anathemate leguntur instituta.

Item sextum Constantinopoli habitum est a CL (1058-9) Patribus contra Macarium Antiochenum et socios ejus, qui unam voluntatem et operationem in Christo falso asserebant, tempore Constantini principis, Agathonis papæ, Georgii Constantinopolitani. In quo concilio, prædicto Macario, dum damnaretur, oratorium [orarium] a quodam episcopo jussu synodi aufertur, et ipse cum sequacibus suis a synodo turpiter cum throno suo ejicitur, ut in Romano pontificali legitur. Post quorum damnationem multæ aranearum telæ in medium deciderunt, quæ inanem fallaciam hæreticorum dejectam esse portenderunt. Deinde novem ibi capita leguntur instituta. Huic concilio legati sedis apostolicæ præfuerunt, inter quos fuit Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, sed non multo post apostolicus.

De prædictis autem quatuor conciliis S. Gregorius papa scribens ad Secundinum servum Dei inclusum, consuetudinem fuisse testatur ut quilibet novitius patriarcha se illa observaturum, missa synodica, reliquis patriarchis profiteretur, antequam ab illis inter patriarchas reputari mereretur. Unde idem apostolicus in exordio ordinationis suæ, missa synodica, patriarchis ita professus est de eisdem conciliis: « Sicut, » inquit, « sancti Evangelii IV libros, sic IV concilia suscipere et venerari me fateor : Nicænum scilicet, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Chalcedonense; quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Et, cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dici-

(1058-9) CCLXXXIX, vide Bellarm. lib. I De concil., c. 5, sed Bernaldus sequitur Bedam, Adonem, et alios. Vide Anastasium Biblioth. in Agathone.

tur, erroris plena reprobatur, et Theodorus, personam Mediatoris Dei et hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodorici [Theodoreti], per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu invidentiæ prolata refutantur. Cunctas vero personas quas præfata veneranda concilia respuunt respuo, quas venerantur amplector, quia, dum universali consensu sunt constituta, se, et non illa, destruit quisquis præsumit aut solvere quos ligant aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. »

Nequaquam autem illorum quatuor conciliorum excellentiam ita prædicare debemus, ut reliquorum auctoritati in hoc quoquomodo præscribamus, illorum, inquam, quæ eodem modo et universaliter instituta, et apostolica auctoritate confirmata non dubitamus. Nam, quia antiquitus patriarchæ illa quatuor tantummodo in suis synodicis se venerari protestati sunt, nullatenus hoc in contemptum reliquorum hujusmodi conciliorum fecisse credendi sunt, sed ideo potius quia nondum alia habuerunt. Si enim jam habuissent, procul dubio non magis illa quam ista quatuor contemnerent, utpote quæ non minus authentica et universalia et catholicæ professioni necessaria prospicerent. Unde B. Gregorius papa quintum concilium post illa quatuor congregatum in sua synodica adjecit, quod de sexto facere non potuit, quia illud nondum institutum, sed sub XVI successore suo postea instituendum longe præcessit.

Sunt et provincialia concilia, quæ post illa universalia necessario recipere debemus; quia et in illis multa ecclesiasticis negotiis necessaria reperimus. Horum etiam observationem ipsa decreta Romanorum pontificum et statuta universalium synodorum nobis indicunt, quæ per singulas provincias annuatim hujusmodi concilia celebrari sæpissime præcipiunt, quod utique incassum præciperent, nisi et nos eorumdem conciliorum rationabiles sententias recipere et observare decernerent. Præterea Gelasius papa, in suis Decretalibus, cum de scripturis recipiendis sive non recipiendis diligentissime tractaret, post receptionem quatuor universalium conciliorum, inferendo sententiam subintulit : « Sed et si quæ concilia a sanctis Patribus instituta sunt, post horum quatuor auctoritatem et recipienda et custodienda decrevimus. » Item sanctum Chalcedonense concilium : « Regulas, inquit, sanctorum Patrum, per singula nunc usque concilia institutas, proprium robur habere decrevimus. » Orientalia autem concilia et plurima Occidentalium jam instituta fuerunt, cum hoc debeat confirmatione synodaliter constituere. Quapropter non est dubitandum quin et hujusmodi conciliorum statuta observare debeamus, quibus apostolica decreta et universalia concilia astipulari videmus.

Horum autem alia sunt Orientalia, alia Occidentalia. Orientalia sunt, quæ Orientales Patres instituerunt : Ancyranum scilicet, Neocæsareense, Gan-A grense, Antiochenum, Laodicense, Sardicense. Ancyranum concilium ante Nicænum fuisse legitur; sed, propter minorem auctoritatem ei in ordine supponitur; in quo Patres XVIII statuerunt canones XXIV, quorum auctor maxime Vitalis Antiochenus episcopus dicitur fuisse. Neocæsareense concilium post Ancyranum, sed ante Nicænum fuisse traditur; in quo Patres XVIII canones XIV statuerunt, quorum auctor maxime fuit Vitalis Salaminius. Gangrense concilium post Nicænum fuisse legitur; in quo Patres XV canones XX statuerunt propter quasdam ecclesiasticas necessitates, maxime contra Eustasium [Eustathium], qui dicebat quod nullus conjugatus, vel qui suis omnibus non renuntiaret, spem apud Deum habere posset, et alia hujusmodi blaB sphema. Antiochenum in encæniis Antiochiæ factum est; in quo Patres XXX canones XXV statuerunt, quorum auctor fuit Eusebius Palæstinus episcopus. Laodicense concilium, in quo Patres XXII canones LIX statuerunt, quorum auctor fuit Theodosius episcopus. Sardicense concilium, in quo Patres LX canones XXI statuerunt, quorum auctor maxime fuit Osius Cordubensis episcopus, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus. Hic est ille Osius, qui vice S. Sylvestri papæ Nicæno concilio præfuit, qui et in Hispania usque ad tempus Constantii imperatoris duravit, qui tamen in ultimis, ut Severus Sulpicius in Chronicis suis testatur, satis inepte desipuit. Nam cum a legatis ejusdem Ariani imperatoris, sive Ariminensis concilii pro testimonio fidei inquireretur, C si Nicæna synodus filium Patri ὁμοούσιον, id est consubstantialem, quod est Catholicorum, an ὁμοιούσιον, id est consimilem, tantum assereret, quod est Arianorum, tale fertur dedisse responsum; Utrumque recte dici. Unde deinceps nec Catholicis, nec Arianis erat acceptabilis. Regulæ quoque Sardicensis concilii, etsi Orientalibus sociantur, magis tamen apud Latinos quam apud Græcos inveniuntur. De hoc concilio B. Augustinus Eleusio et Clorio scribens testatur sibi magis illud videri Arianorum fuisse quam Catholicorum, eo quod catholici pontifices, Athanasius, inquam, et Julius in libro ejusdem concilii reperiantur improbati. Nos tamen nequaquam prædictos canones de eodem concilio refutare D debemus, quos utique sancta Romana Ecclesia veneratur, quos et Nicæna synodus a prædicto Osio recitatos audisse et confirmasse refertur. Hæc igitur sunt Orientalia concilia, quæ ante Chalcedonensem synodum facta leguntur, unde et ab eadem confirmata non dubitantur.

Sciendum autem Orientalium conciliorum multas editiones sive translationes reperiri de Græco in Latinum. Quippe Philo et Evaristus Constantinopolitanam de Græco in Latinum synodum transtulisse leguntur. Item quidam Dionysius Stephano episcopo canonum Orientalium conciliorumque multas editiones transtulisse scribitur. Item Eugepius abbas eosdem canones de Græco in Latinum vertit, ut eruditissimus vir Cassiodorus ex senatore

monachus in libro De illustribus viris, cap. 23, testatur. » Eugepius [Eugipius], inquit, in dialectica quondam meus collega, petitus a Stephano Salonitano episcopo, ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis pares, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quos usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. Hos etiam oportet vos monachos assidue legere, ne videamini tam salutares ecclesiasticas regulas culpabiliter ignorare. » Beatus quoque Isidorus in Collectario suo de canonibus, quatuor editiones Nicæni concilii compaginavit; duas vero vel tres reliquis Orientalibus conciliis ascripsit.

Sed harum editionum illam nos maxime sequimur quæ cæteris emendatior et apostolicæ sedi acceptior videtur, videlicet quam beatus papa Adrianus per manum Caroli imperatoris Occidentalibus direxit Ecclesiis. Nec otiose notandum quod multa obscura per diversarum collationem editionem sæpenumero declarantur, ut illud de Nicæno concilio, quid sit *subintroducta mulier?* hoc alia editio apertius ponit, id est, *extraneam.* Ac si dicat : « Clericus nullam feminam habeat secum extraneam : sed tantum, matrem, vel sororem, vel ziam, » quam iterum alia editio apertius vocat amitam. Tusci enim pro *amita,* dicunt *ziam.* Item, in eodem concilio, « quod diaconissæ manus impositionem habere negantur, » non nisi de Paulianistarum diaconissis intelligere ex diversis translationibus edocemur. Nam diaconissæ Catholicorum manus impositionem habent, juxta Chalcedonense concilium. Item, in concilio Laodicensi legitur, « ne ordinationes fiant sub conspectu audientium; » quod alia editio expressius dicit *catechumenorum.* Nam catechumeni quorumlibet sacramentorum confectioni interesse prohibentur. In hunc ergo modum, multa ibi obscure dicta per te ipsum investigare poteris, si diversas editiones studiose perscrutari curaveris. Sed hæc fortasse a scientioribus, quasi non necessario notata deputantur; nostri tamen similes hoc attendere debent, quos aliquando in hujusmodi hærere non diffidimus, sicut et nos sæpissime fecimus.

Occidentalia autem illa dicuntur quæ in parte Occidentis facta monstrantur, ut Africana, Gallicana, sive in Hispaniis celebrata. Et Africana dicuntur pene omnia quæ Carthagine facta sunt; quorum primum XI episcoporum sub Constantio imperatore XIV capita constituit, quorum auctor fuit Gratus Carthaginensis episcopus. Secundum Carthaginense concilium sub Valentiniano Augusto, æra CCCCXVIII habitum, XIII capita constituit, quorum auctor fuit Genelius [Genedius] Carthaginensis episcopus. Tertium Carthaginense concilium a XLVII episcopis habitum, ære CCCCXXXV, canones L constituit, quorum auctor fuit Aurelius Carthaginensis episcopus cum S. Augustino Hipponensi episcopo. Quartum Carthaginense concilium sub Honorio Augusto a CCXIV episcopis habitum, æra CCCCXXXVII, canones CIII constituit, quorum auctor fuit idem Aurelius cum S. Augustino. Quintum Carthaginense concilium ab episcopis LXXIII habitum, æra CCCCXXXIX, canones XV constituit, quorum auctor idem Aurelius fuit. Sextum Carthaginense concilium tempore Honorii XII et Theodosii VII Augustorum ab episcopis CCXVII habitum, æra CCCCLV, capita XIII constituit, ubi actum est ut Nicænum concilium ab Orientalibus episcopis peteretur; cui synodo legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ Faustinus episcopus, Philippus et Asellus presbyteri præfuere ex parte Zosimi papæ, cum prædicto Aurelio et S. Augustino. Septimum Carthaginense concilium tempore Honorii XII et Theodosii VII Augustorum (1060), ab episcopis XVIII, æra qua supra habitum, canones V constituit, cui synodo prædicti sedis apostolicæ legati præfuerunt cum Aurelio et S. Augustino. Octavum Africæ concilium in Milevitana civitate sub Honorio Augusto ab episcopis CCXIV habitum, æra CCCCLX, Pelagianam hæresim cum octo capitibus anathematizavit, deinde, XXVIII canones constituit; cui synodo item Aurelius et S. Augustinus episcopi præfuere. Horum autem conciliorum statuta ab Africanis Patribus Romano pontifici ad confirmandum directa leguntur; quæ etiam adhuc in Romanis exemplaribus, in duobus Breviariis collecta reperiuntur. Unum, quod cum subscriptione CCXVI episcoporum; utrumque autem cum apostolica auctoritate firmatum. Eadem etiam Breviaria beatus Adrianus cum prædictis Orientalibus conciliis Carolo imperatori Romæ ad dispositionem Occidentalium Ecclesiarum tradidisse legitur. Ergo et nos eadem pro authenticis recipere et observare necessario debemus quæ apostolica auctoritate firmata Ecclesiisque ad observandum directa indubitanter percepimus.

Æra autem hujusmodi conciliis præfixa pro anno Dominicæ Incarnationis intelligitur, quæ juxta Isidorum ab *ære* denominatur, eo quod anni apud antiquos ære notarentur, cum et indictiones instituerentur. Sed quia *æs* caret aspiratione, ab ἥρα, id est, nomine Junonis, id est aeris, tractum videtur, infra quæ maxime tempora variantur (*sic*). Et notandum quia Chronica pauciores annos ab Incarnatione Domini conciliis ascribunt, quam in titulis eorum reperiantur : illa, inquam, Chronica, quæ domnus Heremannus, egregius calculator et temporum subtilissimus indagator, ex diversis Chronicis et historiis diligentissime composuit; quæ usque ad MLIV Dominicæ Incarnationis annum fideliter perduxit. Nam in illis secundo universali concilio, videlicet Constantinopolitano primo, CCCLXXX annus ascribitur; cui in titulo CCCCXVIII attribuitur. Item in illis tertio universali concilio, id est Ephesino, CCCCXXX videlicet annus adjicitur; cui in titulo CCCCLXXXVIII sociatur. Item, in illis Chalcedonense concilium sub CCCCL anno ponitur; cui in titulo CCCCLXXXIX ascri-

(1060) Videtur deesse vox *consulum.*

bitur. Nempe æra in his titulis xxxvii annorum plus habet quam reperiatur in Chronicis.

Hæc quoque diversitas et in Africanis, et in aliis Occidentalibus conciliis sæpenumero invenitur, quibus item æra præfigitur. Qualibet autem occasione hujusmodi diversitas evenerit, nequaquam tamen nobis fidem rerum impedire debebit; cum et in ipsis sacris litteris diversa temporum prænotatio nullo modo rerum veritatem impedierit. Nam in illis LXX Interpretum auctoritas ab Hebraica veritate in numero annorum adeo discordat ut ab origine mundi plus mille annorum quam illa in nativitate Domini ponat. Familiaris utique chronographis hujusmodi diversitas, nec lectores multum inde curant; dum tantum ea quæ legerint indubitatæ veritatis esse cognoverint.

Sciendum tamen quia majores nostri scripta adnotatione temporum firmare consueverunt; sicut et Romanæ leges quas suscepit Ecclesia præcipiunt. Dicunt enim : « Si qua post hæc edicta sive constitutiones sine die et consule fuerint deprehensæ, auctoritate careant. » Hinc est quod sancti Patres etiam ecclesiasticis statutis sive scriptis diem et consulem assignare solent, annumque ipsius consulis sive consulum signanter ascribunt; ut illic, Honorico duodecies, et Theodosio septies, subauditur consulatu annuato, factum est vi Carthaginense concilium. Africani quoque canones præcipiunt ut litteræ quas episcopi ab ordinatoribus suis accipiunt, diem et consulem habeant, ut tempus suæ ordinationis semper attendant, nec his qui prius ordinati sunt temere se præferant : sed ecclesiastica instituta non tam ex temporis sive consulis adnotatione quam ex apostolica et universali assensione tantum firmitatis acceperunt, ut nequaquam de eorum auctoritate dubitetur. Quapropter et nos eorum auctoritati præjudicare non debemus, etiamsi certum tempus institutionis eorum ignoremus. Notandum quoque quia æra nonnunquam abusive pro capitulo ponitur, ut in illo scripto Toletani concilii, ubi de ordine tenendæ synodi tractatur.

Gallicana quoque concilia plura sunt, et in pluribus locis congregata; quorum Arelatense in primis ponitur. Primum igitur Arelatense concilium, tempore Constantini imperatoris et Nicæni concilii ab episcopis dc habitum, et ad confirmandum S. Sylvestro papæ directum, xxii Canones statuit, quorum auctor S. Marinus Arelatensis episcopus fuit. Secundum Arelatense concilium ab episcopis diversarum provinciarum xxxii habitum canones xxv constituit; cui synodo Theodorus episcopus ex Dalmatia et Agathon diaconus S. Sylvestri papæ legati cum S. Marino Arelatensi episcopo præfuere; in qua etiam fuit Cæcilianus Carthaginensis episcopus. Tertium Arelatense concilium sub Marciano Augusto ab episcopis xiv habitum, æra ccccLxi, canones iv constituit, quorum auctor S. Cæsarius Arelatensis epi-

A scopus fuit. Valentinum concilium tempore Gratiani et Valentiniani imperatoris ab episcopis xx habitum, æra ccccxiii, canones iv constituit; cui synodo Fegadius episcopus præfuit. Taurinancium [Taurinatense] concilium vii canones constituit habitum tempore Felicis hæretici, cujus mentionem facit Regiense concilium ab episcopis xiii sub imperatore Theodosio Minore et Valentiniano habitum, æra ccccLxxvii, canones vii constituit, cui synodo S. Hilarius episcopus præfuit. Arausicum concilium ab episcopis xvii tempore Theodosii Minoris habitum, æra ccccLxxix, canones xxix constituit, quorum auctor S. Hilarius episcopus fuit. Vasense concilium (1061) apud Auspicium episcopum sub Theodosio minore, æra ccccLxxx, canones x con-
B stituit. Agathense concilium anno xxii Alarici regis ab episcopis xxiv habitum, æra dxiv canones Lxxi constituit, quorum auctor Gozarius episcopus fuit. Aurelianense concilium ab episcopis xxviii habitum, canones xxvii constituit, cui concilio Defrodius episcopus præfuit. Hucusque de Gallicanis conciliis; deinde videamus de Hispanis.

Eliberitanum concilium, tempore Constantini imperatoris ab episcopis xviii habitum, canones Lxxxi constituit, cui Osius Cordubensis episcopus interfuit. Tarraconense concilium anno vi Theodorici regis ab episcopis x habitum, æra dxvi canones xiii constituit, cui Joannes episcopus præfuit. Gerundense concilium anno vii Theodorici regis ab episcopis vii habitum, æra dxvii, canones x constituit. Cæ-
C saraugustanum concilium ab episcopis xii habitum canones viii constituit cui Fetadius [Fitadius vel Siradius] episcopus præfuit. Ilerdense concilium anno xv Theodorici regis ab episcopis viii habitum, æra dxxiv canones xvi constituit, cui Sergius episcopus præfuit. Valentinum concilium, anno xv Theodorici regis ab episcopis vi habitum, æra qua supra, canones vi constituit, cui Celsinus episcopus præfuit.

Primum Toletanum concilium sub Arcadio et Honorio imperatoribus ab episcopis xviii habitum canones xxi constituit, cui Patroinus præfuit. Secundum Toletanum, anno v Amalrici regis apud Montanum episcopum ab viii episcopis habitum, æra dLxvi canones v constituit. Tertium Toletanum concilium, anno iv Richaredi regis ab episcopis
D Lxxii habitum, æra dcxxvii Arianam hæresim anathematizavit et omnes qui concilia omnium orthodoxorum episcoporum consona quatuor principalibus synodis non receperunt, deinde capita xiii constituit. Quartum Toletanum concilium anno iii Sisenandi regis a Lx episcopis, æra dcLxxxi canones Lxxv constituit. Quintum Toletanum concilium tempore Suintilæ regis ab episcopis xxiv habitum, æra dcLxxxiv, canones ix constituit. Sextum Toletanum concilium, anno ii Suintilæ regis ab episcopis vi habitum, æra dcLxxxv, canones xix constituit, cui Solva [Silva, Selva] Narbonensis episcopus præfuit.

(1061) Tom. I Concil. apud Urbicum.

Septimum Toletanum concilium anno v Cindasiundi [Chindasuindi] regis ab episcopis xxx habitum canones VI constituit. Octavum Toletanum concilium XXXII canones constituit. Nonum Toletanum concilium anno VII Recesuindi regis ab episcopis XVI habitum, æra DCXIV, canones XVII constituit. Decimum anno IX Recesuindi regis ab episcopis XVIII habitum æra DCXCVI, canones X instituit, cui Eugenius Toletanus episcopus præfuit. Undecimum anno IV Wambani regis ab episcopis XVII, æra DCCXIV, canones XVI constituit, cui Quiricus Toletanus episcopus præfuit. Duodecimum, anno I Ervigii regis ab episcopis LII, æra DCCXIX, ab Idibus Januarii usque ad VIII Kalendas Februar. habitum, canones XIV constituit, cui Julianus Hispalensis episcopus præfuit.

Primum Bracarense concilium, anno III Arimarii [Ariamiri] regis ab episcopis VII habitum, currente æra DLXIX, capita XVII contra Priscillianistas promulgavit; deinde XXII canones constituit. Secundum Bracarense concilium, anno II Miri [Mironis *vel* Ariamini] regis ab episcopis XII habitum, currente æra DCX, canones X constituit, cui Martinus Bracarensis episcopus præfuit. Tertium Bracarense concilium XI episcoporum, Orientalium Patrum cum eodem Martino excerpsit et emendavit subjecta LXXIII capita. Quartum Bracarense concilium, anno IV Wambani regis ab episcopis IX habitum, æra DCXIV canones VIII constituit, cui Isidorus Hispalensis episcopus interfuit.

Primum Hispalense concilium anno V Richaredi regis ab episcopis VI habitum, æra DCXXVIII, canones III statuit; cui Leander Hispalensis episcopus præfuit, ad quem sanctus Gregorius Moralia scripsit. Secundum Hispalense concilium, tempore Sisebuti regis ab episcopis VIII habitum, æra DCLVII, canonus XII constituit subjectis XLVII capitibus de fide cui concilio B. Isidorus Hispalensis episcopus præfuit, qui corpus canonum compaginavit. Hucusque concilia Hispaniarum.

Hæc sunt ergo diversarum provinciarum concilia, quæ prædictus Isidorus in Collectario suo de canonibus diligentissime descripsit; quem utique Collectarium si quis studiose perlegerit, plenissime illa, quæ nos summatim supra tetigimus, se invenisse gaudebit.

Præter hæc autem plura inveniuntur concilia, ut Moguntiense, Nannetense, et alia hujusmodi sexcenta quæ tamen nequaquam contemnere debemus, cum multa in his ecclesiasticæ dispositioni necessaria reperiamus; præsertim cum et Romani pontifices illa, per provincias celebrari jusserint, eaque suis legationibus auctorizare consueverint. Hoc vero generaliter in quibuslibet provincialibus conciliis est observandum, ut illa semper capita recipiamus quæcunque apostolicis et universalibus institutis consonare, et ecclesiasticæ utilitati competere videamus. Nam sancti Patres sub districto anathemate illum damnasse leguntur quicunque orthodoxorum Patrum statuta non receperit quæ universalibus conciliis consonare perspexerit. Per contrarium autem nusquam illa recipere debemus quæcunque apostolicis et universalibus institutis adversari percipimus, ne itidem sub inevitabili anathemate pereamus. Beatus enim Gregorius papa primus omnes a principalibus conciliis dissentientes in synodica sua anathematizavit. Idem alibi omnia sacris canonibus adversa sub anathemate damnavit. His utique sententiis illi indubitanter multantur, quicunque aliquid in canonicam auctoritatem recipere præsumunt quod authenticis sanctionibus adversari deprehendunt. Beato quoque Augustino asserente didicimus quod illa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ ex universo orbe Christiano fiunt, sine ullis ambagibus cedunt.

De auctoritate autem ipsorum pontificalium decretorum nulla nobis dubitatio relinquitur, cum et ipsa universalia concilia auctoritatem exinde perceperint, nec aliunde synodicam firmitatem habere potuerint. Hæc ergo et nos irretractabiliter observare debemus, ut apostolici Patres nobis ex apostolica auctoritate præceperunt, per quam et aliorum statuta nobis ad observandum canonizasse leguntur, nempe beatissimi Patres nostri Damasus et Leo Magnus : quorum alter secundum universale concilium, alter quartum, id est Chalcedonense concilium, apostolica auctoritate firmavit. Ipsi, inquam, eadem auctoritate et eadem voce ita generaliter decrevere : « Omnia inquiunt, decretalia prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita omnibus episcopis a cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Idem Damasus alibi omnibus episcopis scribens : « Observetur, inquit, ab omnibus ut illa semper, quæ apostolica institutione et Patrum traditione sunt constituta, sub metu irrefragabili auctoritate teneantur. « Item beatus Agatho papa, qui IV universalem synodum per legatos suos instituit, et institutam apostolica auctoritate firmavit : « Sic, inquit, omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Petri divina voce firmatæ. » Item successor eorum beatus Nicolaus papa primus synodo generali præsidens, ejusdem synodi judicio decrevit « ut etiam anathema esset quicunque decreta a Romano pontifice promulgata contempsisset. » Sanctus quoque Adrianus papa etiam reges anathematizat quicunque sedis apostolicæ decreta violare non formidant.

His ergo testimoniis satis edocemur quam indubitanter apostolicis institutis obedire debeamus.

Hæc sunt igitur ecclesiastica statuta tam in conciliis quam in pontificalibus decretis, quibus Ecclesiastica disciplina a temporibus apostolorum instituta et hucusque propagata non dubitatur.

Hi sunt ecclesiastici canones, qui sacerdotum proprie dicuntur, ut lex Moysi, lex Judæorum. Unde S. Cœlestinus papa : « Nulli, inquit, sacerdotum liceat suos ignorare canones, nec quidquam facere

quod sanctorum legibus possit obviare. » Proprie, inquam, sacerdotum non incongrue dicuntur, cum eorum speciale sit officium ut sibi et aliis secundum canones providere, et, si quid perperam committitur, secundum eosdem emendare conentur. Unde et a S. Cœlestino papa eos ignorare prohibentur. Nam nequaquam vel se vel alios secundum canones informare possent, si canonum informationes ignorarent. Quapropter sacerdotibus necessaria est scientia canonum. Hanc autem nobis ita potissimum comparare poterimus, si eos frequenter legere, et in legendo competentiam sensus inquirere studeamus. Nam quamvis sacri canones apertam videantur prætendere litteraturam, multa tamen in eis obscura reperiuntur, quæ a negligentioribus aliquando lectoribus quasi minus idonea deputantur, quæ aptissima sunt, si competenter intelligantur.

Ut illud Nicæni concilii de mutatione episcoporum: XI hujus concilii capite, penitus prohibetur « ne episcopus de civitate in civitatem transmigret ». Item beatus Damasus papa post Nicænum concilium omnibus episcopis scribens tam districte mutationem episcoporum prohibuit, ut transmigrantem sub excommunicatione in locum suum revocaverit, cui etiam sacerdotale officium interdixit quandiu ille viveret, si quem forte successorem infra suam transmigrationem accepisset.

Sanctissimi autem martyres et apostolici pontifices Evaristus, Callistus et Antherus ante Nicænum concilium, quisque in suo tempore, omnibus episcopis scribens, mutationem episcoporum licitam fore docuerunt. Ex quibus S. Antherus multos sanctos Patres de loco in locum translatos numeravit, ut Petrum de Antiochia Romam, et Eusebium de quadam parva civitate Alexandriam. Sed hanc diversitatem ita simpliciter intelligere possemus ut illud necessitati persecutionis, istud autem libertati pacis ascriberetur, si nusquam et in pacis tempore hujusmodi permutatio facta reperiretur. Quod quia persæpe et modo solet evenire, aliam expositionis competentiam inquiramus, præcipue illam qua sanctos Patres et in pace et in persecutione ad invicem concordasse monstremus.

Dicat ergo sanctus Antherus quid de mutatione episcoporum sibi videatur : « Non transit de civitate in civitatem nec transfertur de minori ad majorem qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut vi a propria sede pulsus, aut necessitate coactus aut utilitate loci vel populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus et inthronizatus est. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes, sic, quoties utilitas aut necessitas exegerit, supradicto modo et mutare et inthronizare potestatem habent, non tamen sine sacrosanctæ Romanæ sedis auctoritate et licentia. Alia etenim est causa utilitatis et necessitatis, et alia avaritiæ et præsumptionis aut propriæ voluntatis. » Ecce quam aperte vir iste apostolicus nobis insinuat quid de mutatione

A episcoporum intelligere debeamus : videlicet ut præsumptuosam et ambitiosam mutationem cum Nicæno concilio damnemus ; necessariam vero et utilem cum apostolica auctoritate recipiamus.

Item, S. Callistus papa : « Mutandus, inquit, episcopus, non per se hoc agat, sed, fratribus invitantibus, cum auctoritate hujus sanctæ sedis faciat, non tamen ambitus causa, sed aut necessitate aut utilitate. » Item, S. Evaristus : « Episcopus, inquit, non dimittat Ecclesiam absque inevitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, et alteri se jungat, ambitus causa. » Et hi, utique apostolici, cum Nicæno concilio in mutatione episcoporum ambitionem damnaverunt; necessitatem vero et utilitatem admittendam docuerunt.

B Nec mirandum quod Nicænum concilium non tam signanter ut antiqui Patres necessitatem et utilitatem exceperit, cum mutationem episcoporum tam simpliciter prohibuerit. Nam ante Nicænum concilium creberrimæ persecutiones episcopos de loco in locum mutari sæpissime compulerunt. Nec ibi locum ambitio habere poterat, ubi potissimum ille ad martyrium ducebatur qui aliis præeminere videbatur. Hoc utique sancti Romani pontifices verum esse testantur, qui pene omnes ante Nicænum concilium martyrio coronati leguntur. A tempore autem Nicæni concilii, sedata persecutione aliquantulum, non tam necessaria videbatur mutatio episcoporum, cum jam liberum esset quemlibet suis ovibus præsi-

C dere, vel, ubi deesset, alium secundum canonem ordinare. Non ergo mirandum si Nicæni Patres non, ut antiquiores, in sua prohibitione aliquid exceperint, cum jam non tam rationabilem exceptionis causam habuerint; præsertim cum necessario jam ambitus notarentur quicunque jam non necessario alienam sedem ambire viderentur.

Sed Sardicense concilium, cui Osius Magnus, ut Nicæno concilio, præfuisse legitur, et sententiam ejusdem concilii de mutatione episcoporum ita exposuisse videtur. Prohibet enim, capite primo, « ne quis episcopatum mutet per ambitum, eumque qui ita mutaverit etiam laica communione privat. » Hinc B. Leo papa I, Anastasio Thessalonicensi episcopo scribens, deliberat ut « proprium locum

D perdat et alienum non detineat quicunque, despecto proprio, alienum per ambitionem obtinere desiderat. » Si ergo ita sententiam Nicæni concilii intellexerimus, nequaquam in hoc alicui rationabili episcoporum mutationi contradicemus, sicubi etiam in nostro tempore hujusmodi necessitas exegerit, et apostolica auctoritas fieri consenserit.

Item sancti Patres frequentissime prohibent ne oves suum pastorem, nisi in fide erraverit, accusent, subditosque accusatores prælatorum excommunicandos et infamia notandos censuerunt. Beatus autem Gregorius, scribens Joanni Corinthiorum episcopo, Paulum, Euphemium, Thomam, Clematium clericos damnavit, eo quod proprium episcopum pro quodam crimine accusare non obedierint.

Idem etiam apostolicus Dodavenæ civitatis episcopi, a clericis suis pro corporali crimine accusati atque convicti, depositionem in tantum confirmavit, ut eum etiam communione privandum judicaret, si deinceps aliquid de episcopatu vel loqui præsumeret.

Sed hæc nequaquam ad invicem contraria judicabimus, si superiorem sententiam competenter intelligere curabimus, videlicet ne oves suum pastorem ex propria temeritate ullatenus accusare præsumant, nec tamen superiori potestati hos eis canonice præcipienti superbe resistant, minime quidem illi potestati quæ ipsos damnare poterit, si ei contra proprium episcopum obedire noluerint. Sic igitur intelligitur : « Nec subditi prælatos temere accusabunt, nec superiori potestati contumaciter resultabunt. « Hujusmodi adapertionem intellectus et in ipsa sacra Scriptura nonnunquam necessario requirimus, uti in illo : Non occides (*Exod.* xx). » Si enim illud nimis simpliciter intellexeris, ipsa lex sibi repugnabit, quæ sæpissime alibi reos morte multari decrevit. Ipse quoque Deus, qui legem instituit, persæpe multos occidi præcepit. Ne ergo Deum uspiam contraria præcepisse blasphemes, prædictam sententiam consideratius necessario intelligere debemus, scilicet ea consideratione ne aliquis ex propria præsumptione occidat; Deo autem, si hoc per se, sive per legem Dei præceperit, obedire non renuat. Ita enim B. Augustinus in lib. I De civit. Dei, exponit, juxta quem non ipse occidit quisquis in hoc ministerium jubenti obedit. Sic ergo, et in accusatione, subditorum non obedientiam, sed præsumptionem proscriptam competenter intelligimus. Multis sane ecclesiasticis correctionibus in concessione hujusmodi accusationis prospectum non dubitamus. Nam prælati necessario et sibi et subditis tanto magis prospiciunt, quanto magis se et per accusationem subditorum percelli posse non dubitabunt. Nec parum ecclesiasticæ disciplinæ derogaretur, si nusquam hujusmodi accusatio concederetur. Nam pauci prælati illius perfectionis invenirentur, qui non tanto magis et se et subditos in disciplina negligerent, quanto magis se per accusationem eorum ad aliquod judicium coercendos desperarent. Subditi tamen nequaquam hoc absque majoris potestatis auctoritate præsumant, ne dignam suæ damnationis sententiam juxta statuta sanctorum Patrum excipiant.

Sciendum autem quod subditi pro propria injuria et hæresi prælatum suum accusare non prohibentur, juxta illud Symmachi papæ ad Cæsarium episcopum : « Oves, inquit, suum pastorem accusare non possunt, nisi pro hæresi aut propria injuria. » Hinc Africani canones, apostolica auctoritate promulgati et confirmati, enumeratis omnibus quibus accusandi licentia denegatur, statim subinferunt : « His tamen omnibus in propriis causis accusandi licentia non denegatur. »

Item sancti Patres sæpissime decernunt ne quis absens judicetur, ut beatus Zephyrinus papa : « Quia hoc, inquit, et divinæ et humanæ leges prohibent. » Item Felix papa omnibus episcopis scribens : « Absente, inquit, adversario, non audiatur accusator, nec sententia absente alia parte a judice dicta ullam obtinebit firmitatem. » Item sanctus Cornelius papa : « Omnia, inquit, quæ adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur, judicantur, omnino evacuabuntur, quoniam absentem nullus addicit nec ulla lex damnat. » Zosimus autem papa, in ordine XLIII, cum CCXVII episcopis Africani concilii, quemlibet accusatorem sive accusatum, etiam absentem, communione privavit, quicunque post canonicam vocationem venire contempsisset. Item Bonifacius papa, successor ejus, de contumaciter absente decrevit ne dilationem sententiæ de absentia lucraretur. Beatus quoque Gregorius Maximum præsumptorem Salonitanum non solum pro illatis criminibus, sed etiam pro absentia damnandum judicavit, eo quod canonice vocatus venire distulerit. Item Theodorus papa, Paulo Constantinopolitano scribens, præcepit ut Pyrrhum ejusdem quondam sedis episcopum absentem damnaret : « Quia, inquit, præsentia ejus necessaria non est, cujus excessus præsens est. » Item Felix papa Acacium Constantinopolitanum absentem damnavit, cujus sententiam beatus Gelasius, successor ejus, irrefragabili approbatione canonicam monstravit. Nec plane dubitaverim quin plures inveniantur qui ita absentes sententiam damnationis exceperint, quam qui præsentes canonicam examinationem et damnationem exspectaverint. Harum autem sententiarum diversitatem facile concordabimus, si superiorem sententiam de absente non judicando ad illum solummodo referamus, cujus causa adhuc ventilanda videtur, qui locum respondendi potius non habuit quam canonice oblatum refutaverit. Nam si canonice vocatus venire contempsisset, nec tamen canonicam excusationem prætenderet, tam apud antiquos quam apud modernos etiam absens canonice damnari posset. Si ergo ita exponimus utramque sententiam de absente, rationabilem esse videbimus ut et absens judicetur qui canonicam vocationem sive admonitionem contempsisse detegitur, et absens non judicetur de cujus contumacia adhuc dubitatur.

Sic ergo et in aliis canonum diversitatibus competentem sensum inquirere debemus, ne forte hujusmodi diversa, nonnunquam quasi repugnantia temere respuamus, quæ tamen ex apostolica auctoritate promulgata sive confirmata non ignoramus. Ita, inquam, intelligendi congruentiam indagare conemur, ne hujusmodi statuta uspiam sibi contraria interpretemur. Nam ipsi sancto Spiritui magnam injuriam irrogare videmur, si illa quæ ipse per sanctos Patres instituisse legitur, quasi contraria et ideo contemnenda interpretari non veremur.

Non solum autem exceptiones canonicarum institutionum, sed et integras earum descriptiones diligenter considerare et ad invicem conferre non tædeat, si ad plenam earum notitiam pervenire nos

libeat. Nam quælibet capita locis, suis considerata, A nonnunquam satis aperte patebunt; quæ, per se inspecta, aut vix aut nullo modo competenter intelligi potuerunt. Ipsa enim circumstantia lectionis multa nobis præscribere solet, quæ unum singulare caput non habet, sine quibus tamen pleniter intelligi non valet. Sed diversorum statutorum ad invicem collatio multum nos adjuvat, quia unum sæpe aliud elucidat. Consideratio quoque temporum, locorum sive personarum, sæpe nobis competentem subministrat intellectum; ut etiam diversitas statutorum nequaquam absurda vel contraria videatur, cum diversitati temporum, locorum sive personarum apertissime distributa reperiatur. Hoc utique lectori multum intelligentiæ suppeditabit, si hujusmodi statutorum originales causas singulari diligentia indagare non B omittit. Ex tali enim indagatione multa rationabiliter instituta parebunt, quæ ignoratis eorum causis, minus idonea videri potuerunt.

Hoc utique studiosissime indagandum et indagatum memoriæ tenaciter commendandum : quid sancti Patres dispensatorie, quasi ad tempus servandum instituerint; quid etiam generaliter omni tempore tenendum censuerint. Alia enim ratio est eorum quæ dispensatorie instituta videntur, alia generalium. Unde beatus Innocentius papa ad Macedones episcopos scribens : « Quod necessitas, inquit, pro remedio reperit, necessitate cessante, debet utique cessare pariter quod urgebat; quia alius ordo est legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri C tempus impellit. Et advertite, quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam Ecclesias constitutas non posse præsumere. » Hac ratione beatus Innocentius statutum Nicæni concilii de hæreticis cum ordine recipiendis non jam attendendum asseruit, eo quod necessitas illo tempore jam transierit quæ Nicænos Patres ita Novatianos recipere compulerit. Unde et Africani Patres, cap. 32, decreverunt ne Donatistæ cum ordine reciperentur, illis tamen exceptis per quorum susceptionem ecclesiasticæ utilitati consuleretur.

De his autem quæ non dispensatorie, sed generaliter instituta sunt, sanctus Leo papa primus omnibus episcopis scribens testatur : « Non, inquit, in cujusquam persona prætermittendum est quod in D generalibus statutis continetur. » Quæ etiam Gelasius papa semper regulariter custodienda judicat, nisi aliqua vel rerum vel temporum perurgeat angustia. Nam et de his nonnunquam aliquid sanctos Patres remisisse leguntur pro necessitate temporum, ut in ordinatione sancti Ambrosii, quem ex neophyto ordinaverunt : quod tamen generaliter canonum instituta prohibuerunt. Item idem Leo, qui supra, quosdam ex laicis ordinatos in episcopatu confirmavit, licet et hoc sancti Patres generaliter jam prohibuerint.

Cum autem aliqua rationabilis causa occurrerit quæ sacros canones aliquantulum temperari exegerit, semper illa ejusdem Leonis sententia ad Rusticum Narbonensem episcopum fideliter est tenenda : « Sicut, inquit, quædam sunt quæ nulla ratione convelli possunt, ita nonnulla sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari ; illa semper conditione servata ut, in his quæ vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversum. »

Hanc autem facultatem temperandorum sive mutandorum canonum Romano pontifici potissimum adjacere non dubitamus ut sancti Patres docuerunt. Nam beatus Gelasius et Nicolaus papa I in decretis eorum, Symmachus vero in generali synodo, diverso quidem tempore, sed eadem voce de Romani pontificis auctoritate protestati sunt. « Necessaria, inquiunt, rerum dispositione contringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur sic canonum Paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus. »

Nec mireris si Romani pontifices hanc semper peculiariter habuerint potestatem ut canones pro tempore dispensarent. Ipsi enim sunt auctores canonum, et illa sedes semper habuit hoc privilegium ut ligatum vel solutum sit quidquid ipsa ligaverit vel solverit. Unde, juxta attestationem sanctorum Patrum, omnibus Ecclesiis præeminet, et de omnibus judicare potest. Hoc utique privilegium nulla indignitas præsidentium imminuere poterit, attestante beatissimo papa Leone : « Etsi, inquit, nonnunquam diversa sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Nec ipse sanctus Petrus, nedum aliquis Romanæ sedis episcopus, aliquem suum successorem, aliquo præjudicio ea potestate privavit, quin eadem auctoritate omni Ecclesiæ, non solum antiquis, sed et novis institutis, nunc lenius, nunc severius consulere posset imo deberet, prout tempori suo opportunum fore videret. Hoc utique singularia Romanorum pontificum decreta testantur, in quibus ipsi suorum temporum necessitatibus diverso modo consuluisse leguntur. Nicæni quoque canones Romani pontificis privilegium ratum esse voluerunt, cum ad exemplum ejus etiam omnium provinciarum privilegia, judicarent observanda.

Nequaquam ergo aliquid Romanus pontifex contra canones agit, si quando illos, pro consideratione temporum, nunc intendit, nunc remittit, cum et ipsi canones tale privilegium indubitanter concesserint, si et alii episcopi, etsi nullo modo, ut præsul apostolicus, vel canones instituere, vel jam institutos judicare valeant, aliquando tamen, pro modulo suo, aliqua statuta temperant, et hoc maxime in legibus pœnitentium, quod etiam ipsi canones illis concedunt. Nam Nicænum concilium episcopis conces-

sisse legitur ut digne pœnitentes humanius tractentur, et canonicam severitatem in eis aliquatenus mitigent. Debent enim juxta Innocentium papam attendere confessionem pœnitentis, et fletus et lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum congruam viderint satisfactionem. Nam, juxta Augustinum, in hujusmodi pœnitentia, non tam mensura temporis quam doloris est attendenda. Nequaquam autem ecclesiastica disciplina subsistere posset, si non præsul apostolicus illam auctoritatem haberet de canonibus quam supra retulimus. Nam precedentium Patrum statuta ecclesiasticam disciplinam non tam instituerent quam confunderent, si nulla ratione a successoribus eorum immutari possent, cum tamen necessitas temporis nunc mitius nunc severius incedendum persuadeat. Quod illum non latebit qui præcedentium Patrum et subsequentium statuta diligenter investigare curaverit. Nempe, si B. Gelasius numerum annorum quos sui antecessores singulis gradibus præfixerunt imminuere non posset, penuriæ clericorum sui temporis per presbyteros ex laicis infra annum maturatos nullo modo succurrisset. Item, si moderni pontifices antiquorum rigorem canonum super lapsos sacerdotes remittere nequissent, ipsa Christiana religio destituta sacerdotali officio penitus stare non posset, cum jam pene nulli sacerdotes, nisi criminaliter lapsi, reperiantur; quos antiqui canones deposuisse leguntur.

Sciendum sane quod Romani pontifices semper magis antiqua exsequi et observare quam nova instituere, nisi aliqua rationabilis causa perurgeret, consueverunt. Unde beatus Gelasius papa ad episcopos Dardaniæ : « Nullus, inquit, jam veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque synodi constitutum (quod universalis Ecclesiæ probavit assensus), nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere quam primam, quæ unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit. » Hinc sanctus Leo papa : « Ad meum, inquit, tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quod absit! connivente violentur. » Item Julius papa, Orientalibus episcopis scribens (*epist. ad Orient. circa finem*) : « Instituta, inquit, apostolorum et apostolicorum virorum contemnere nolite. Canones habetis, his fruimini; satis enim indignum est quemquam pontificum vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare quam beati Petri sedem consequi videat et docere. Multum convenit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ inde auctoritatem habet ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura : Ordinavit in me charitatem (*Cant.* II) : » Et iterum : « Omnia cum ordine fiant (*I Cor.* XIV). »

Eamdem sententiam beatus Gelasius in generali decreto, de ecclesiasticis institutis ad omnes episcopos scribens, deprompsit : « Cum nobis, inquit, contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et cum sedes apostolica super his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem consequi videat et docere; satisque conveniens est ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere videt ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum. In hoc utique sancti Romani pontifices aliis pares esse voluerunt, quod non tam novæ institutionis auctores quam veteris exsecutores existere studuerunt; quod non solum Romano, sed cuilibet episcopo Gelasius licere testatur.

Hactenus antiquæ membranæ. Quæ num totam Bernaldi lucubrationem nobis exhibeant, ambigo, ob finem tam abruptum, et nulla vel lectoris vel Gebehardi compellatione terminatum. Cui plenius et integrius exemplar obtigerit, is Bernaldum integriorem edat.

MONITUM EDITORIS PATROLOGIÆ.

Opusculis Bernaldi jam ex Gretsero editis jungimus alia quæ primus in lucem emisit doctissimus Germaniæ sacræ editor. Deinde Chronicon Bernaldi, in quo multa de Gregorii VII rebus gestis, subjiciemus Tengnagelii Syllogen sic ampliatam claudent opuscula quæ in indice Collectioni præfixo inscribuntur ultima.

MONITUM EDITORIS GERMANIÆ SACRÆ.

(II, 356.)

Hactenus edita Bernaldi opuscula; his jam illa subjungimus quæ publicam lucem necdum aspexerunt, ex membranaceo sæc. XII codice qui in bibliotheca nostra asservatur, deprompta. Est hic is ipse antiquus codex quo Simlerus in sua Bibliotheca, p. 96, sequentia Bernardi seu Bernaldi opera recenset, quæ inter primo loco occurrunt *Apologeticæ rationes contra schismaticorum objectiones ad Adalbertum Nemetensem præpositum; in quibus præcipue defendit quod ipse et alii monachi S. Blasii merito ab excommunicatis abs-*

tineant. Hic si manifeste S. Blasii monachum fatetur, tacito tamen presbyteri titulo, etsi tum talis jam fuerit, quippe defuncto jam Gregorio VII ann. 1085 scribens, adhuc tamen ante annum 1088, quo obiit Bernardus Corbeiensis, ad quem est Bernaldi epistola (*supra*), in qua sacramenta excommunicatorum admittit, quæ hic adhuc fluctuans rejicit. Ipse stylus eumdem præcedentium opusculorum scriptorem arguit, uti attento lectori suapte patebit; argumenta quoque tam hic quam in sequentibus opusculis passim adducta idipsum satis evincunt.

BERNALDI

APOLOGETICÆ RATIONES CONTRA SCHISMATICORUM OBJECTIONES.

A Domino ac venerabili ADELBERTO Nemetensi præposito (1062) BERNALDUS ultimus fratrum de S. Blasio.

I. Litteræ vestræ, quas ad S. Blasium per fratrem nostrum Adelberonem direxistis, non parum nos notare videntur, quasi a recta via deviaverimus, nosque satis fideliter admonent ut errorem corrigere non erubescamus. Sed nos nequaquam hoc quasi errorem corrigere præsumimus, quod ex evangelicis et apostolicis sanctionibus observandum didicimus. Nos enim hoc esset errorem corrigere, sed multo periculosius et destestabilius errare; nec de Gregoriano anathemate possemus enodari, cum in tali correctione sacris canonibus inveniremur adversi. Quapropter in hujusmodi causis ecclesiasticas sanctiones necessario sequimur, quas et vobis, B etsi admonitore non egeatis, summatim recordari volumus, ut tanto facilius apud vos de errore expurgemur, quanto minus a vestigiis sanctorum Patrum, in his quæ notastis, exorbitasse monstramur.

II. Et primum quidem nos nimis ad dexteram declinare notatis in negligentia fraternæ compassionis : unde tamen nobis conscii non sumus. Est enim consuetudo nostra ut, juxta evangelicam institutionem non minus oleum quam vinum fraternis infirmitatibus adhibere studeamus. Nec in hoc a quolibet quasi nimis inhumaniter velut a recta via devii merito notabimur, si illius vestigia pro modulo nostro sequi nitimur, qui arguit et castigat quos diligit, qui omnem filium flagellat quem recipit (*Hebr.* XII, 6). C Nunquam tamen, Deo miserante, ad illam inhumanitatem perveniemus, ut ad omnia fratrum peccata nos truces et rigidos exhibeamus, sicut notare videmini sub nomine S. Hieronymi.

III. Miramur autem de vestra prudentia quod vos nescire dissimulatis cur nostrates abstinere se studeant ab excommunicatis. Nunquid enim alicui in sacris canonibus erudito latere poterit quod ipsi apostoli Romanique pontifices, eorum in sede et in potestate successores, de vitanda excommunicatorum communione statuerunt? Ex quibus B. Callistus papa et martyr, decimus septimus a B. Petro, in decretis suis (1063) modos enumerat quibus excommunicatos vitare debemus, videlicet in salutatione, in osculo, in oratione et in convictu. Deinde inferendo sententiam : *Quicunque*, inquit, *in his vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subjacebit.* Hanc sententiam S. Fabianus papa et martyr in decretis suis (1064) indetrectabiliter observandam judicavit. Hanc sacratissimum Nicænum concilium ratam esse voluit (1065); quod B. Gregorius papa in synodica sua ut Evangelica comprobat, et omnes ab eo dissentientes anathematizat (1066). Hanc B. Augustinus in tantum amplexatus est, ut ipsam in concilio 217 episcoporum (1067) sua subcriptione confirmasse legatur. Ergo et nos necessario excommunicatos devitare debemus, ne simili excommunicationi institutione apostolorum subjaceamus.

IV. Est autem indubitanter excommunicatus Ravennas Guibertus (1068) cum omnibus suis fautoribus, videlicet apostolicæ sedis invasor, et domini sui, papæ inquam Gregorii, cui obedientiam juravit, supplantator. Qui utique Gregorius sæpius eumdem pro certis criminibus in generali synodo (1069) anathematizavit, etiam antequam ille apostolicam sedem invasisset, dum adhuc principes

(1062) Desideratur Adelbertus iste inter præpositos Spirenses in Gallia Christ., t. V, p. 740. In veteri Spirensi Necrologio, III Non. Januarii notatur *Albertus præpositus et frater*, et *Gebehardus præpositus et frater*, quo *fratris* nomine carent qui ibidem habentur cæteri præpositi : unde istos forte monachos fuisse haud immerito quis conjiciat. Quisquis autem fuerit hic Adelbertus, Bernaldo nostro familiarem fuisse arguit hoc epistolicum inter eos commercium; quanquam illius epistola hic commemorata interciderit, quam Adelbero Blasianus pariter monachus Bernaldo detulerit, fortassis ad procurandas hujus monasterii res domesticas, quales in tractu illo Spirensi plures habuit, illuc missus.

(1063) Apud Gratianum, c. *Excommunicatos* 17, caus. 11, q. 3.

(1064) Ibid., c. *Sicut* 16.

(1065) Can., 5.

(1066) Ibid., c. *Rogo* 25.

(1067) Scilicet in concilio Carthaginensi IV, can. 73, in quo præsentes erant 214 episcopi, quos inter primus subscripsit Carthaginensis episcopus concilii præses, tertius autem S. Augustinus.

(1068) Hunc Heinricus rex abjurato Gregorio sub nomine Clementis III antipapam constituit in Brixinensi conciliabulo ann. 1080. Vid. Bernoldus in D Chronico ad h. a.

(1069) Romana, nimirum ann. 1078.

vestræ partis, ut nostræ, eidem apostolico debitam obedientiam communiter exhibuissent. Nec de illo anathemate unquam exire curavit, sed ita anathematizatus atque perjurus sedem domini sui invadere, et caput omnium excommunicatorum fieri præsumpsit. Hunc ergo et omnes ejus complices, juxta statuta Patrum sanctorum, necessario devitamus, quia, juxta B. Gelasium (*epist.* 13, Labb. t. IV, pag. 1200), omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur, nec potest perversitas refutari complice perversitatis admissa.

V. Illud autem, quod Isaac Palæstinis et Dominum nostrum publicanis communicasse scribitis, nequaquam hoc approbare poterit ut et nos excommunicatis communicare debeamus, cum eosdem Palæstinos sive publicanos, etsi criminosos, nusquam tamen anathematizatos fuisse legamus. Nempe mali, quandiu non fuerint excommunicati, nullum exteriori communione maculabunt; quod indubitanter facient, postquam sententiam excommunicationis pro suis criminibus judicialiter excipient. Nec nos utique, ut notatis, penitus abhorremus, pro quorum conversione, si oportet, etiam aliqua dura pati non fugeremus, illa tamen in quibus a statutis sanctorum Patrum non deviaremus. Sed et hoc, quod quidam apud nos peccant, non approbamus; imo, in quantum possumus, eos ad pœnitentiam invitare satagimus, quos nequaquam ut excommunicatos devitare jubemur, quandiu in catholica unitate detinentur. Nec christianum esse dicimus quod peccant: plus tamen de eorum salute speramus, quam si a corpore Christi eos omnimodis separatos esse sciremus. Nam et membra quantumlibet infirma, quandiu in corpore fuerint, facilius curari sperantur, quam si bene sana penitus a corpore præscindantur.

VI. Scimus sane sanctos Patres sub excommunicatione multa prohibuisse, ex quibus S. Gregorius papa etiam omnia sacris canonibus adversa prohibuit. Si quis tamen modo aliquid contra canones egerit non statim illum pro excommunicato vitabimus, antequam in illum sententiam excommunicationis ordine judiciario prolatam audiamus. Unde beatus Augustinus in libro De pœnitentia (*Serm.* 351, n. 10, t. V. Opp.) : *Nos,* inquit, *a communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* De qua nominatione Apostolus : *Si quis frater nominatur fornicator* (*I Cor.* v), et reliqua, *cum hujusmodi nec cibum sumite.* Quod beatus Augustinus (*serm. cit.*) ita exponit: *Nominationem eam intelligi voluit* Apostolus, *quæ in*

A *quemquam cum sententia ordine judiciario profertur.*

VII. In primis quidem admonendi sunt criminosi, ut resipiscant : deinde, si resipiscere noluerint, juxta canonicas sanctiones excommunicandi, et tunc demum ab omnibus pro excommunicatis devitandi. Sic et nos quoslibet sacrilegos vitamus, postquam illos a prælatis suis canonice excommunicatos audierimus. Ita et Guibertum hæresiarcham, et omnes fautores ejus, post sententiam venerabilis papæ Gregorii I (lib. VI, *epist.* 27) necessario devitamus, quos tamen nullo modo pro excommunicatis vitaremus, si nondum in illos specialem aliquam excommunicationem depromptam cognosceremus. Criminosis quippe, sed nondum excommunicatis, licite communicamus :
B nec hoc utique quasi loco nostro (1070) et religioni præcavendo, ut scribitis, facimus; sed potius ideo quia nihil nos in hoc contra canonicam auctoritatem agere cognoscimus : quod procul dubio ille facit quicunque malis ecclesiastico more excommunicatis communicare præsumpserit.

VIII. Multum quoque miramur de vestra prudentia, quod reges ecclesiasticæ potestati subtrahere in tantum conamini. Nunquid Dominus noster Jesus Christus aliquid excepit, cum B. Petro concesserit, imo sanctæ Ecclesiæ in persona Petri, juxta quod B. Augustinus exponit, ut in cœlo ligatum vel solutum existeret quodcunque ipsa in terra ligasset vel solvisset? (*Matth.* XVI, 19.) Quis, inquam, se de tam
C universali potestate poterit emancipare, nisi forte ille qui potius sub tyrannide diaboli perire, quam sub suavi jugo Domini regnare delegerit? Cui tamen hoc ad miseram libertatem non proderit, quia sub ecclesiastica potestate, etsi non ad salutem, ad damnationem semper manebit. Ergo nec imperatores de hac potestate potuerunt se emancipare, B. Gelasio papa Anastasium imperatorem ita protestante (*epist.* 8, Labb. t. IV, pag. 1182) : *Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacrata pontificum, et regalis potestas; in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quantum licet præsideas humano generi dignitate, tamen præsulibus divinarum rerum devotus colla sub-*
D *mittis, atque ab eis causas tuæ salutis exspectas. Hinc te illis subdi debere cognoscis religionis ordine potius, quam præesse : inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos velle ad tuam redigi voluntatem.*

IX. Hac igitur potestate B. Innocentius papa Arcadium imperatorem excommunicasse legitur (1071), quia consensit ut S. Joannes Chrysostomus a sede

(1070) S. Blasii scilicet monasterio, quod ab eodem Henrico IV ante anathema, ann. 1065, diploma obtinuit, quo confirmat terminos suo monasterio ab Ottone imp. aliaque bona eidem tradita. Postea vero nihil amplius de habita cum eo aut antipapa communione occurrit, imo contrarium ex ipsa hac epistola elucet. Id tamen nequaquam ingratitudinem erga hunc Cæsarem, quem adhuc publicis appensis picturis ceu benefactorem suum grati profitentur Blasiani, sed canonum observantiam subsequo tempore necessariam ostendit. Fuerunt ergo inimici causæ, amici personæ.

(1071) Id quidem factum dicitur in epistolis ejusdem pontificis ad Arcadium et Arcadii ad Innocentium, quas referunt Glycas et Nicephorus. At vero suppositas illas esse contra Baronium ostendit Nata-

sua pelleretur. Item B. Nicolaus papa I Lotharium regem, a quo Lotharingia cognominatur, excommunicavit, eo quod propriam uxorem pro quadam concubina repudiaverit (1072). Sed et inferioris ordinis episcopi imperatores et reges excommunicasse leguntur; sanctus enim Ambrosius Mediolanensis episcopus majorem Theodosium imperatorem excommunicasse, et post satisfactionem reconciliasse legitur. Item S. Germanus Parisiorum episcopus Heribertum (1073) regem Francorum libidini deditum excommunicavit, qui et ita excommunicatus diem clausit extremum. Generaliter etiam B. Adrianus papa (1074) omnes reges excommunicavit, quicunque apostolicæ sedis statuta violare præsumpserint. Sanctus quoque Gregorius papa decrevit (1075) ut reges a suis dignitatibus caderent, et participatione corporis et sanguinis Domini carerent, si sedis apostolicæ decreta contemnere præsumerent (1076).

De hac ergo prærogativa ecclesiasticæ potestatis si aliud documentum non haberemus, istud sufficere nobis deberet quod tam sanctos viros illam super reges et imperatores exercuisse legimus : quod nullo modo facerent, si non hoc se canonice posse facere cognoscerent. Quid autem mirum quod sancta Ecclesia sæculares principes, utpote membra sua, judicare potest, quæ, juxta Apostolum, etiam angelos indubitanter judicatura est? *Nescitis*, inquit, *quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* (*I Cor.* VI.) Nequaquam ergo reges sive imperatores ecclesiastico judicio subjacere denegabimus, si evangelicis et apostolicis sanctionibus credere et assentire voluerimus.

X. Nimium autem in verbis excedere videmini, cum religiosos confratres nostros Judæis comparare conemini; qui minime cum Judæis ut Christus interficiatur clamant, sed ut fides ejus in cordibus fidelium roboretur, et a contagio anathematis defendatur exoptant. Et nos utique sanctum Chalcedonense concilium veneramur, quod tamen apostolicæ dignitati vel auctoritati nullo modo præscribit quin A quælibet monasteria suæ potestati vindicare valeat, ut non episcopo civitatis, sed apostolicæ sedi specialiter subjaceant (1077). Nec miremini si monachis nostri temporis officium prædicationis non omnino intercluditur, ut antiquis, de quibus Chalcedonense concilium et S. Leo papa scripserunt; nam illi ecclesiasticos ordines non habuerunt, ut ex statutis ejusdem concilii conjectare possumus. In his enim adæquantur laicis, cum pro contemptu canonum non degradentur ut clerici, sed excommunicentur ut laici : quod utique non fieret si ecclesiasticos ordines haberent; nam canones præcipiunt ut ordinati pro culpis suis degradentur, non autem excommunicentur. Moderni autem monachi cum ecclesiasticos ordines habeant, quis inficiari potest quin eorum- B dem graduum officia, cum jubeantur, exercere valeant, præsertim cum in perceptione consecrationis nihil distent a clericis? Aut ergo ecclesiasticos gradus illis penitus adimitis, aut administrationem eorumdem graduum eis intercludere non potestis (1078). Nimium etiam pro episcopo vestro (1079) zelatis, si plus sibi quam apostolicæ sedi obediendum putatis, cui et vos necessario plus quam proprio episcopo obedietis, si juxta S. Gregorium rei apostolicæ auctoritatis esse non vultis.

XI. Hoc, quod Apostolus quosdam novissimis temporibus a fide discessuros (*Tim.* IV, 1) prædicit, non aliquibus Catholicis, sed quibuslibet excommunicatis competentius ascriberetis, qui attendentes C spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum a catholica unitate in manus Satanæ discesserunt. Horum crudelitas jamdudum excrevit, ut sancta Ecclesia contra eorum infestationem militaribus auxiliis sæpissime eguerit, nec sine sanguinis effusione de eorum tyrannide liberari potuerit. Militares ergo, qui ea necessitate aliquem excommunicatum occiderint, compulsi sunt, et hoc non tam pro se quam pro ecclesiastica defensione fecerunt, et nullo modo damnationem primi fratricidæ Cain in hoc promeruisse videntur, qui juxta Joannem : *Ex maligno erat et oc-*

lis Alexander, Hist. eccles. sæc. IV, cap. 2, art. 1. Vide Pagii Brev. Rom. pontif. tom. I, p. 137.

(1072) Vide epistolam Nicolai I ad Carolum regem, Labb. tom VIII, p. 502, ubi pontifex Lotharium ceu excommunicatum a se haberi testatur. Cæterum eadem fere exempla hanc in rem in Chronico suo ad ann. 1077 adducit idem Bernoldus auctior.

(1073) Seu Charibertum, apud Gregorium Turon. Hist. Franc., lib. IV, c. 26.

(1074) Capit. 80. Labb., t. VI, pag. 1838; Gratian., caus. 25, q. 1, can. 11.

(1075) Ita quidem S. Gregorius, epist. 33, l. XII in privilegio, quod abbati S. Medardi concessisse dicitur; de quo tamen hæc notat Labbeus t. V, pag. 1582 : *Privilegium istud improbarunt ex orthodoxis card. Perronius, Sirmundus, Launoius, aliique viri pereruditi; ex heterodoxis Blondellus*, etc. Unde in nova editione in appendicem rejicitur Opp., t. II, pag. 1284.

(1076) His enimvero et similibus argumentis atque exemplis Gregorium VII ejusque defensores usos fuisse comperimus, cum tamen alii rem hanc facinusque tunc ab eo gestum, et inauditam hucusque regis depositionem clamitarent adversarii, atque a Spiritu Evangelii et sanctorum Patrum, ad quos hic provocatur, prorsus alienam : de quo jam in Observationibus præviis, § 24, seqq., dictum.

D (1077) Jam in concilio Arelatensi ann. 455. (Labb. t. IV, p. 1024) de monasterio Lerinensi statutum est ut, exceptis ordinationibus, *omnis* illius *laica multitudo ad curam abbatis pertineat, neque ex ea sibi episcopus quidquam vindicet, aut aliquem, ex illa clericum* facere, *nisi abbate petente, præsumat. Hoc enim*, addunt Patres, *et rationis et religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem episcopi debita subjectione respiciant; laica vero omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat.* Haud quaquam igitur Isidori Mercatoris merces sunt ab ipsis his episcopis agnitæ et statutæ monasteriorum exemptiones suis limitibus circumscriptæ.

(1078) Vid. de hoc argumento Observationes præviæ, § 60.

(1079) Huzmannus schismaticus Spirensis, anno 1085 a sacris exclusus.

cidit fratrem suum : et propter quid occidit eum? quia opera ejus maligna erant, fratris autem justa (I *Joan.* III); quippe pro invidia occidit eum. Isti autem nec inimicos occidere vellent, si alio modo sanctam matrem Ecclesiam contra improbos defendere possent. Et in hoc ipso negotio etiam proprias animas pro fratribus ponunt, quos per excommunicatorum violentiam in anima et in corpore periclitari perspiciunt. Nequaquam ergo eos nefandissimo fratricidæ Cain comparabimus, si juste judicare voluerimus. Scimus quidem, homicidium in S. Scriptura prohibitum ; sed hoc minime ita intelligere debemus, ut Phineen et Eliam et zelotes, aliosque sanctos Patres, qui zelo Dei multos occiderunt, damnationi homicidarum obnoxios esse judicemus. Nunquam enim in eo delinquitur, ubi Deo vel per se vel per legem præcipienti specialiter obeditur.

Beatus quoque Augustinus in libro primo De civitate Dei (*cap.* 26) : *Miles,* inquit, *cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege homicidii reus est.* Nec nos utique omnes, qui excommunicatos occiderint, omnimodis expurgamus, sed nec tam dure, ut vestratibus placeret, eos judicamus : et illud, primum quidem, quia tale opus vix aut nunquam sine culpa perficitur ; hoc autem secundum, quia eos zelo Dei ductos hoc agere pro ecclesiastica necessitate cognoscimus (1079*).

De prædicatione monachorum quod iterum notatis, et nobis placet, ut non nisi ordinati prædicent, catholicoque obediant præsuli, nisi ab apostolica sede fuerint emancipati.

XII. Quid autem miramini, si sacramenta Ecclesiæ apud excommunicatos esse negantur (1080), cum B. Augustinus (*sermone* 181, *De tempore,* cap. 21) locum veri sacrificii extra Ecclesiam non esse protestetur? Item S. Gregorius de consecratione Maximi præsumptoris scribens (*lib.* III, *epist.* 20) : *Quam rem,* inquit, *nullo modo possumus dicere consecrationem, quia ab excommunicatis celebrata est.* Item prædecessor ejus papa Pelagius (GRATIAN. *causa* 24, q. 1, c. 33) : *Extra Ecclesiam,* inquit, *non consecratur, sed exsecratur episcopus.* Item B. Innocentius A papa (*epist.* 22, n. 3) : *Qui,* inquit, *honorem amisit, honorem dare non potest.* Et post pauca : *Damnationem ergo quam habuit, per pravam manus impositionem dedit.* Item S. Leo papa Leoni Augusto scribens de quodam Timotheo (1080*) damnato ejusque sequacibus, omnia sacramenta se eorum sacrilegis manibus subtraxisse testatur. Si beato quoque Augustino credere volumus, omnes hæreticos et excommunicatos extra Ecclesiam esse non dubitamus quamvis et adhuc infra aream cum frumento multam paleam toleremus (1081).

XIII. Frustra dominum nostrum piæ memoriæ (1082) Gregorium papam arundineo baculo comparatis, quem usque ad finem vitæ in sua sententia stabilem et inflexibilem perstitisse multum B doluistis : qui non omnes provincias, quas enumeratis, in integrum anathematizavit, sed Guibertum et omnes ejus complices, in quacunque provincia fuerint. Nec tamen paucos extra hanc excommunicationem remansisse dicatis, cum tanti in solo Teutonico regno remanserint, ut multitudini excommunicatorum sæpissime viriliter restiterint, et adhuc resistere possint.

XIV. Nos ad perjurium, ut notatis, dominus noster Gregorius papa non impulit, sed a juramento subjectionis eadem auctoritate absolvit (1083), qua et prælatos eorum deponere et excommunicare potuit. Sic sacratissimum Ephesinum concilium auctoritate S. Cœlestini papæ congregatum et confirmatum subjectos Nestorii ex potestate ipsius absolvisse le- C gitur. Sic Chalcedonense concilium Alexandrinos emancipavit de subjectione Dioscori patriarchæ. Sic semper sancta mater Ecclesia filios suos de manibus depositorum et excommunicatorum absque omni nota perjurii emancipare consuevit, etiamsi eis subjectionem juramento promiserint.

B. Augustinus scribens ad Bonifacium severitati canonum in hoc aliquid detrahendum esse judicavit, ut clerici Donatistarum cum ordinibus in catholicam reciperentur, non utique in hoc, ut sententia anathematis in quibuslibet anathematizatis nihili penderetur. Aurelium Carthaginensem episcopum a B. Bonifacio et Cœlestino pontificibus excommunicatum

D

(1079*) Ex toto contextu liquet Bernaldo tantum de homicidiis in bello et pro legitima defensione patratis sermonem esse; secus enim falsa omnino esset hæc ejus assertio.

(1080) Sententiam suam postea retractavit Bernaldus, uti in observationibus præviis § 21 vidimus. igitur hæc epistola ante annum 1088 scripta fuit, quo obiit Bernardus, ad quem est supra opusc. II relata Bernaldi epistola, in qua contrarium tuetur.

(1080*) Æluro scilicet intruso Alexandrino, qui Proterium antecessorem suum sacrilege necari fecit. Vid. epist. 25 S. Leonis ; Labb., t. IV, p. 904.

(1081) Hæc eadem fere sunt argumenta, quibus supra epist. 2, col. 1143, Bernardus Hildesiensis usus est.

(1082) Liquet ex his, epistolam istam scriptam esse post obitum Gregorii VII, ann. 1085, quo jam presbyter erat Bernaldus.

(1083) Spectant hæc ad Ottonem Constantiensem episcopum, quem Gregorius VII statutis synodi Romanæ reluctantem a communione exclusit anno 1075, cleroque ac populo Constantiensi demandavit, ne eidem porro obediant, datis ad eos litteris, quas in Registro omissas exhibet Hugo Flaviniacensis in Chronico, et Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII, apud Gretserum (Opp., t. VI, p. 135), ubi inter alia hæc prescribit : *Si præceptis apostolicis voluerit esse contrarius* vester episcopus, *ab omni illius subjectionis jugo B. Petri auctoritate absolvimus universos, ut cum sacramenti obligatione quilibet ei fuerit obstrictus, quandiu Deo omnipotenti et sedi apostolicæ rebellis exstiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius.* Causam præmittit : *Indignum est enim, ut qui magistro detrectat subesse, magister auditoribus postulet præesse.*

legimus (1084), non S. Aurelium (1085), cujus corpus Hirsaugiæ fovemus; iste enim sanctus, in quantum ex Chronicis colligere potuimus, ante tempora horum apostolicorum migravit ad Dominum. Nec unquam ita Deo annuente a veritate deviabimus, ut aliquem simul et sanctum et excommunicatum dicamus. Nam juxta B. Augustinum ab Ecclesia separati nequaquam sancti, sed æterno incendio creduntur mancipandi.

XV. Si egregio doctori et fidelissimo martyri, beato inquam Cypriano, credere volumus, apud Guibertum et ejus complices Ecclesiam nullatenus esse credemus. Ipse enim scribens De civitate [*l.*, unitate] Ecclesiæ ad Magnum presbyterum (1086): *Ecclesia*, inquit, *una est, quæ intus et foris esse non potest. Si enim apud Novatianum sive Novatum est,* B *apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est.* Ac si diceret: Si apud Gregorium papam Ecclesia fuit, quod et ipsi Guiberto constitit, apud Guibertum non est, nec ejus complices. Eodem enim modo, excepto quod non sine perjurio Guibertus Gregorio, sicut Novatus Cornelio adulterina supplantatione subrepsit. Nam de Novato non legimus, quod obedientiam S. Cornelio unquam juraverit, quod Guibertus Gregorio papæ fecit. Et ut de domino nostro Gregorio dicamus, quod de S. Cornelio scripsit B. Cyprianus (*ep.* 55): *Factus est episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum omnium testimo-* C *nio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, nemo ante illum factus esset, cum locus Petri et gradus sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato, et Dei voluntate atque omnium consensu ordinato, quisquis jam episcopus voluerit fieri, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem; profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post primum, qui solus debet esse, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est.*

XVI. Sententias autem de universalitate Ecclesiæ nequaquam ita intelligere debemus, ut omnes gentes in Ecclesia esse dicamus. Nunquid enim D aliquis Christianus paganos sive Judæos in ecclesia esse contenderit, quamvis ipse Dominus Abrahæ A promiserit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes?* (*Gen.* XXII.) Sed et quoslibet hæreticos sive excommunicatos juxta attestationem SS. Patrum foris esse non dubitabimus: quibus procul dubio satius esset, nunquam Ecclesiam intrasse, quam juxta Evangelium duplo factos esse filios gehennæ (*Matth.* XXIII). Ipse quoque S. Augustinus schismaticos extra Ecclesiam esse sæpenumero asseruit, licet de universalitate Ecclesiæ nusquam dubitaverit. Est ergo ita intelligendum, sanctam Ecclesiam esse per omnes gentes diffusam in membris suis; non utique in illis, qui vel nunquam ei incorporati sunt, vel qui post incorporationem suam ecclesiastico judicio ab ea dismembrati sunt.

XVII. Nequaquam vero perversum, sed sanum nobis videtur esse consilium, ut monachi non tam sæcularibus obediant, quorum conversationem abrenuntiaverunt, quam suis abbatibus, quibus obedientiam promiserunt. Hocque omnes generaliter tam spirituales quam sæculares firmissime attendant, ut nulli unquam contra Deum et apostolicam auctoritatem obediant: *Oportet* enim *plus obedire Deo quam hominibus* (*Act.* V). Unde quantumcumque imperatoria majestas excelsa videatur, non est tamen æquum, ut contra Deum ei obediatur.

XVIII. Nec indignemini, si sancta Ecclesia eorum eleemosynas non recipit, quos externæ communionis esse perspexerit; nam et sancti canones præcipiunt, ut oblationes dissidentium fratrum nec in sacrario, nec in gazophylacio recipiantur; sed et ipsæ eleemosynæ ecclesiasticis orationibus sunt recompensandæ. Quapropter sancta Ecclesia eorum eleemosynas necessario devitat, quibus in ecclesiasticis orationibus non communicat. Hæc autem omnia testimoniis SS. Patrum latius approbare possemus, sed prudentiæ vestræ nimis graves esse timemus, quam per se copiosius et diligentius hæc omnia investigare posse non dubitamus.

XIX. In his ergo et in aliis hujusmodi SS. Patrum sententiis pro modulo nostro usque in finem perseverare cupimus, nec de fide eorum, imo de fide Christi ipso opitulante unquam erubescemus, qui in Evangelio se de illo erubiturum prædixit, quicunque ipsum ejusque sermones coram hominibus erubuerit. His quoque sententiis et vos assentire optamus, Deumque pacis et solatii, ut det vobis idipsum sapere nobiscum, imo cum SS. Patribus,

(1084) Ubinam hoc legerit Bernaldus, incompertum nobis est, neque enim sive in Augustino, sive in horum pontificum aut Carthaginensium litteris aliquod hujus facti vestigium reperire est. Crediderim, Bernaldum fuisse deceptum ex homonymia alterius Aurelii, de quo ex libello Marcellini et Faustini schismaticorum hæc ad ann. 371 refert Baronius: *Aurelium quemdam episcopum, ex eo quod cum Gregorio* Eliberitano episcopo *communicasset, Romæ pœnas dedisse*: quod jam ante Aurelii Carthaginensis tempora factum.

(1085) Multa de hoc S. Aurelio Ariarathiæ in Armenia minore seu Cappadociæ episcopo memorant le Quien (*Oriens Christ.*, t. I, p. 452), et Bollandiani ad diem 25 Maii (t. VI, p. 41) in commentario prævio ad Vitam S. Dionysii Mediolanensis antistitis, qui illuc in exsilium missus obiit. Hujus dein corpus petente S. Ambrosio ipse Aurelius Mediolanum attulit, ubi etiam juxta Trithemium *Ann. Hirsaug.*, t. I, p. 7) mortuus est circa an. 383: cujus postea reliquiæ a Notingo Vercellensi episcopo Hirsaugiensi monasterio allatæ sint sub Ludovico Pio imp. Sermonem vero S. Ambrosii in illius exsequiis habitum cujus initium refert Trithemius, in ejus operibus desideramus.

(1086) In editione Oxoniensi est epistola 69, sine titulo inscripta, *Magno fil io.*

indesinenter rogamus. Sed inter hæc omnia charitas, quæ non irritatur, nec quærit quæ sua sunt, nec unquam excidit, multum nos de vestra salute sollicitos facit. Scimus enim, B. Jacob protestante, quia *amicitia hujus mundi inimica est Dei, et quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus constituitur Dei* (*Jac.* IV). Unde ille discipulus quem diligebat Jesus, hausto consilio de ipsius Dominici pectoris arcano, informat nos ita : *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia* A *carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est a Patre, sed ex mundo. Et mundus transit et concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Filioli mei, novissima hora est, et totus mundus in maligno positus est* (*I Joan.* II). Hæc omnia optime nostis, nec ad hæc insinuanda nostra relatione indigetis. Rogamus autem vos in Domino ut eruditionem vestram ad salutem animæ vestræ studeatis exercere, ne hanc vitam, quæ tentatio est et vapor ad modicum parens (*Jac.* IV), tanti pendatis, ut futuram, quæ æternæ felicitatis est, infeliciter perdatis.

BERNALDI

EPISTOLA AD ADELBERTUM ARGENTINENSEM PRÆPOSITUM

DE LEGE EXCOMMUNICATIONIS

Obedientiam magis papæ quam proprio pastori præstandam esse.

MONITUM.

Tractavit idem hoc argumentum Bernaldus jam supra, cap. 24 apologetici, col. 1140, quod paucis denuo revolvit Adelberto familiari suo, ut eum in obedientia papæ confirmaret contra Othonem episcopum Argentinensem ann. 1085, electum, sed schismaticum, uti eum in suo Chronico ad ann. 1100 appellat. Cæterum hic Adelbertus haud legitur inter præpositos illius Ecclesiæ in Gallia Christiana t. V, p. 822, bene autem in Necrologio sæc. XII, uti testatur Cl. Grandidier, qui eum in chartis illius temporis frustra inquisivit. In Historia Alsatiæ t. II, tit. 501, ad annum 1089, sistit Burchardum præpositum, quem utrum præcesserit aut subsecutus sit Adelbertus, incertum est. Quamvis eum præcessisse debuit, si Burchardus præposituram ab anno 1089 usque 1104 obtinuerit, ut volunt Galliæ Christianæ scriptores. Epistolam hanc scripsit Bernaldus jam presbyter, adeoque post annum 1084, et mortuo jam Gregorio VII, uti ad calcem hujus epistolæ notabimus.

Domino ac cautissimo apostolicæ auctoritatis astipulatori ADELBERTO Argentinensi præposito, non tam mente quam corpore super ollas carnium Ægypti collocato, BERNALDUS presbyter utinam solo corpore infirmus.

Cum nuper nobiscum essetis, omnia statuta sanctorum Romanorum pontificum sive conciliorum vobis placere monstrastis. Unde Deo condignas grates referre non sufficimus, qui vobis in tam periculoso tempore suæ legis amorem inspiravit; qui Danielem cum sociis suis in Babylonica persecutione, ne statuam Nabuchodonosoris adorarent confortavit.

Erat tamen aliquid, quod vos moveret, videlicet, si subjectus se quoquomodo de obedientia superioris potestatis excusare posset, si inferiori potestati obediret : unde vobis multas rationes et exempla SS. Patrum dare possemus, si non epistolarem brevitatem excedere timeremus. Dicemus tamen breviter, ne et scientibus nimium loquaces esse videamur.

Natalis Salonitanus episcopus (1087) Honoratum diaconum suum contra præceptum sedis apostolicæ ab archidiaconatu deposuit, aliumque in locum ejus subrogavit. Unde S. Gregorius eumdem Honoratum, invito eodem episcopo, in archidiaconatum restituit, B et alium, qui ei subrogatus est, deposuit, eo quod ipse proprio episcopo in eadem subrogatione contra præceptum domini papæ obediret. Hæc itaque summatim tetigimus, vobisque ea in Registro (*lib.* II, *epist.* 18) ipsius diligentius consideranda committimus. Ibi inquam evidentissime patebit, quod nullus subjectus cum obedientia sui prælati potest se excusare, quin potius apostolicæ sedi, quam proprio episcopo vel decano debeat obedire, quæ ipsum etiam invito ejus episcopo canonice potest damnare.

Amplius : Tertium Carthaginense concilium, cui S. Augustinus cum Aurelio Carthaginensi episcopo interfuit et præfuit, ipsum inquam concilium capitulo septimo testatur, ut episcopo damnato et excommunicato nec a propria Ecclesia communicetur. C Si ergo provincialis concilii judicio magis obediendum est, quam proprio episcopo, quanto magis sanctissimæ sedis apostolicæ generalissimæ synodo. Præterea sanctissimi Patres Ecclesiarum, scilicet apostoli, nunquid non devotissime sui temporis sacerdotibus, obedierunt præcipue cum Dominus præciperet : *Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia quæ dicunt vobis, servate et facite* (*Matth.* XXIII). Cum autem ipsi a veritate discede-

(1087) Videatur de hoc facto Fleurii Hist. Eccles., lib. LXXXV, § 26.

rent, et apostolos secum seducere vellent, nequaquam apostoli exspectasse leguntur, ut Dominus eos de Pharisæorum obedientia specialiter absolveret; imo statim eis obedire spreverunt dicentes : *Obedire magis oportet Deo quam hominibus* (*Act.* v). Unde B. apostolus Petrus in ordinatione S. Clementis firmissime decrevisse legitur, ut ille, cui ecclesiasticus pastor sentitur aversus, ab hominibus devitetur. Nec ad hoc exsequendum aliquod speciale præceptum a prælato exspectetur, sed statim se ab illo avertant, cui ecclesiasticum pastorem adversum percipiant. Nulli, inquam, contra Deum et statuta SS. Patrum est obediendum : imo prælato suo, qui pro inobedientia a superiore potestate damnatus A est, omnimodis resistendum. Unde in sacratissima universali synodo Ephesina et illi multum laudati sunt, qui proprio eorum episcopo, id est Nestorio, viriliter restituerunt.

In fine apologetici (1088), quem dominus Heroldus quondam de Hirsaugia attulit, quem et dominus Henricus, ut opinor, *hic* descripsit; in fine, inquam, istius apologetici hoc authenticis rationibus declaratur, quod nec proprio episcopo, etiam catholico et religioso, contra dominum papam obedire debeamus. Deus autem pacis et solatii de vobis idipsum sapere (*Rom.* XV) nobiscum, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti (*Ibid.*, XIII).

(1088) Apologeticum hic citatum eumdem esse puto, quem Gretserus (t. VI, Opp., p. 29) edidit inter opuscula Bernaldi, cujus tamen nomen haud præfert, ac in simili fere argumento versatur cum illo supra col. 1105 qui certe Bernaldi est. Cum vero ex Hirsaugia allatus dicatur, haud immerito (*Patrologiæ* tom. CXLIII) ad Chronicon Petershusanum l. III, n. 2 suspicati sumus, illum forte a Bernardo monacho et scholastico, qui ex illo monasterio in Hirsaugiam concesserat, fuisse compositum et exinde circa an. 1085 per Heroldum sive in Scafhusense sive in Petershusanum cœnobium allatum, utrobique enim novæ ex Hirsaugia coloniæ eodem ferme tempore advenerant, ut l. c. et apud Trithemium (*Annal. Hirs.*, t. I, p. 266) narratur, inter quos etiam *Henricus scriptor* recensetur, qui apologeticum hunc tractatum mortuo jam Gregorio VII exaratum *hic* seu in his partibus descripsisse dicitur Bernaldo.

BERNALDI

DE VITANDIS EXCOMMUNICATIS, EORUMQUE COMMUNICATORIBUS, AD RECCHONEM.

MONITUM.

Clericusne an laicus fuerit hic Reccho, ad quem directæ sunt hæ epistolæ, incompertum est. Id solum evincitur, illum a partibus schismaticorum stetisse, a quibus eum avertere solitis suis argumentis nititur Bernaldus. Vid. supra col. 1181. Unde rursus idem utrobique auctor apparet.

EPISTOLA PRIMA.

AD RECCHONEM.

Domino ac venerabili viro RECCHONI, BERNALDUS solo nomine presbyter, non moribus.

I. Cum nuper simul essemus, nonnulla de vitandis excommunicatorum communicatoribus ad invicem contulimus; sed quia tunc tuæ voluntati satisfacere non potuimus, placuit ut vel scribendo tibi satisfaceremus, quod colloquendo non licuit.

B. Callistus papa et martyr, vir apostolicus, in suis decretalibus epistolis (*epist.* 2, c. 2; LABB., t. I, p. 614) quatuor res enumerat, in quibus excommunicatum vitare debeamus : videlicet in salutatione, in osculo, in oratione, in convictu. Deinde sententiam de communicatore excommunicati subjungens : *Quicunque,* inquit, *in his vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta institutionem apostolorum et ipse simili excommunicationi subjaceat*; quippe ut excommunicati communicator devitetur æque ut excommunicatus. Hinc B. Gelasius papa scribens orientalibus episcopis (*epist.* 15; LABB., t. IV, pag. 1218) de Acacio communicatore excommunicatorum, ita B discernit : *Omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur.* Quamvis enim extra Ecclesiam alius alio tolerabilius peccet, in hoc tamen pares reputantur, quia nullus eorum in catholicam societatem recipiendus est, nisi catholico more reconcilietur.

II. Idem in sequentibus ad eosdem de vitandis communicatoribus excommunicatorum (*loc. cit.*) :

Nihil, inquit, *nobis commune cum hominibus communicationis externæ.* Idem in sequentibus : *Quid juvat, si quis alicui evidentiori hæretico non communicet, et iis tamen communione jungatur, qui ab illius non sunt communione diversi?* Unde et multi religiosi ex Romanis se a communione Anastasii papæ subtraxisse leguntur, eo quod ipse cuidam diacono Thessalonicensi communicaverit, qui jam Acacio communicavit; sic enim Romanus Pontificalis testatur (1089).

III. Nec mireris communicatorem excommunicati æque ut excommunicatum devitari, cum sub eadem sententia, ut prædictum est, teneatur obstrictus. Hinc idem, qui supra, Anastasio imperatori scribens (GELAS. *ep.* 8; LABB. *l. c.*, pag. 1184) : *Non potest,* inquit, *quilibet perversitatis communicatore su-*

(1089) Hæc falsa esse demonstrat Pagius, in Vita Anastasii II.

scepto non pariter perversus probari, nec potest refutari perversitas complice perversitatis admisso. Legibus certe vestris criminum conscii, susceptoresque latrocinantium pari judiciorum pœna constriguntur, nec expers criminis æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientis tamen familiaritatem fœdusque recepit. Sicut igitur communicator furis eadem damnatione cum fure multatur, nihilominus communicator excommunicati cum eodem eadem lance damnatur. Est autem damnatio excommunicati, quod a Deo et membris ejus sequestratur. Tu ipse contexe quod sequitur : nempe SS. Patres communicatores excommunicatorum æque ut excommunicatos ideo devitari voluerunt, quia eosdem, quasi qui seipsos damnaverunt, habuerunt.

IV. Hinc B. Gelasius ad prædictos episcopos scribens de eodem Acacio (*loc. cit.* pag. 1223) : *Quid,* inquit, *queruntur Acacium a nobis fuisse damnatum, cum recepta communione Petri se doceatur ipse damnasse?* Unde et B. Felix papa, qui Acacium anathematizavit, in eadem sententia signanter posuit (*epist.* 6, l. c., p. 1704) : *Habe,* inquit, *cum his, quos libenter amplecteris, portionem;* id est cum excommunicatis; ac si diceret : Non tam novam excommunicationem super te facimus, quam veterem qua te communicando excommunicatis innodasti, confirmamus. Nam cum omnis excommunicatus extra Ecclesiam sit, nullusque simul intra et extra esse possit, ille indubitanter se a catholica unitate separat, quicunque se ab excommunicatorum communione non sequestrat. Jure ergo a Catholicis devitantur ut excommunicati, qui ab excommunicatorum communione non sunt sequestrati. Hoc autem diligentissime attendas, quod B. Gelasius nobis præscribit, cur apostolica sedes Acacium communicatorem Petri refutaverit (*ep.* 13, l. c., p. 1201) : *Beati,* inquit, *Petri sedes, ne per Acacium in Petri consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit.* Idem Anastasio imperatori (*epist.* 8 *cit.*): *Postquam Acacius communionis externæ factus est, non potuit nisi a catholica et apostolica mox societate præcidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse contagia perfidorum.*

V. Videsne quam necessario hujusmodi communicatores devitemus, ne per eorum consortium contagia perfidorum subiisse judicemur. Nam juxta B. Gelasium, quod et supra posui, non potest quilibet perversitatis communicatore suscepto non pariter perversus probari, nec potest refutari perversitas complice perversitatis admisso. Cessent ergo hujusmodi communicatores ecclesiasticæ communioni se imprudenter ingerere, ne catholicam sinceritatem sua communione juxta eumdem Gelasium commaculent. Nam procul dubio levius apud Deum judicatur qualibet necessitate quemlibet excommunicationem incidisse, quam post lapsum reconciliationem non expetisse. Nec hoc sine intimo cordis dolore considerent, quantis offendi Deum præbeant, quos vel sua communione commaculant, vel suo exemplo docent, ut excommunicationem incidere non timeant. Accipiant ergo sanum consilium et ad reconciliationem festinent, ne quandoque cum Acacio excommunicationem cogantur inviti pati, qua jamdudum se sua sponte non timuerunt obligare. Plura tibi de hac re scribere possem, si epistolarem brevitatem excedere non timerem. Sed et sapienti sat dictum videtur.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

De osculo excommunicatorum vitando, et de Guiberto ejusque communicatoribus.

Domino ac venerabili viro RECCHONI BERNALDUS presbyter indignus.

I. Multum miror cur tantum in rescribendo laboraveris, cum nequaquam assertionem tuam de communione excommunicatorum approbaveris. Nullatenus enim communicatores excommunicatorum recipiendos fore probasti, imo eos sub apostolicæ excommunicationis obligatione dimisisti : unde et ego tuis scriptis per omnia respondere non necessarium judicavi.

II. De osculo excommunicatorum vitando facile nos excusatos putas, eo quod in quibusdam decretis te illud non invenisse testaris; ac si apostolica statuta suam integritatem obtinere non valeant, etiamsi ea quilibet mendosus liber minus integre habeat. Nam in emendatioribus et plenariis exemplaribus si quæsieris, ipsum osculum in decretis S. Callisti papæ, ut ego scripsi, poteris invenire (GRAT., c. *excommunicator.* 17, caus. 11, a. 3. Vid. epist. præc.) Præterea nec laici ignorant hoc, quod excommunicatos osculari non debeant. Quod si fecerint, absque omni contradictione per reconciliationem absolvi festinant, nec se nisi per reconciliationem recipiendos judicant.

III. Hoc utique roboratum est consensu universalis Ecclesiæ : unde et nos illud juxta Augustinum secure et veraciter possumus asserere. Idem quoque verissime testatur quod nihil firmius sit tenendum, quam illud in quo veritas consuetudini suffragatur. Sed et Joannes papa X (1090), vir, inquam, apostolicus, judicio universalis synodi decrevit, ut quicunque deinceps bannum, ab episcopis impositum, et maxime in communione excommunicatorum corrupisset, 40 dies in pane et aqua more homicidarum pœniteret.

IV. De sententia B. Gelasii papæ, quæ dicit (*vid. epist. præc.*) : *Nihil nobis commune cum hominibus communionis externæ,* necessario colligitur ut tam communicatorem Guiberti quam ipsum devitare debeamus, et hoc maxime in illis rebus, quas SS. Patres prohibuisse cognovimus. Nec ego mihi arrogo,

(1090) Idipsum autogaphus Bernoldi codex in Hermanno (*Patrologiæ* tom. CXLIII) ad ann. 916, in concilio Altheimensi factum scribit, quod alibi haud legitur. Unde novum pro Bernoldi et Bernaldi identitate argumentum.

ut judicare possim canones pro tempore, quod specialiter privilegio Romani pontificis ascribitur, qui Guibertum hæresiarcham, et omnes complices ejus judicio universalis synodi excommunicavit, eosque in salutatione, in osculo, in oratione, in convictu devitandos sub pœna excommunicationis juxta apostolorum institutionem denuntiavit. Ergo aut Guibertum de excommunicatione purgabis, aut communicatores ejus de obligatione excommunicationis expurgare non poteris, quin necessariam habeant reconciliationem, ut redeant ad catholicam unionem : nec aliquam difficultatem prætendam, quin apostolicæ auctoritati obedire debeam ; quod sicubi non observo, statim ad reconciliationem venire non recuro. Nec mihi succenseas, si B. Ge- A lasio plus quam tibi credo, qui dicit (*epist. præc.*)' : Non juvare, si hæreticum devites, si communicatori ejus communices; ac si diceret : Quid juvat, si Guibertum devites, et communicatori ejus communices? qui juxta institutionem apostolorum simili excommunicationi subjacere decernitur.

V. Accipe ergo sanum consilium, et catholicæ communioni reconciliare, et a pertinaci defensione cesses, quæ B. Augustino attestante schisma in hæresim solet convertere. In Domino rogatus cito resipiscas, teque nobis communicabilem restituas, ne si nimis pertinaciter Ecclesiæ auctoritati obstiteris, aliquid gravius, quod absit, ab ipsa matre Ecclesia audire merearis.

BERNALDI

DE EMPTIONE ECCLESIARUM AD PAULINUM CLERICUM METENSEM.

MONITUM.

Alterum Simoniæ genus de emptione et venditione Ecclesiarum erudite et succincte pertractat Bernaldus, provocatus a Paulino Ecclesiæ Metensis canonico, ut ex fine hujus epistolæ apparet. Apprime enim catholicis patribus adhærebant Metenses, ut etiam intrusum episcopum a. 1088 urbe sua pellerent, et Hermannum ab exsilio revertentem reciperent. Erat is Metensis episcopus in causa Ecclesiæ constantissimus, qui cum Adalberone episcopo Herbipolensi fortiter quidem sed incassum in conciliabulo Wormatiensi ann. 1076 (*Concil. Germ.*, t. III, p. 178) exauctorationi Gregorii VII restitit, ut refert Lambertus Schafnaburgensis ad h. a. Ad eum exstat Gregorii VII, epistola 21, l. VIII (LABB., t. X *Concil.*, p. 267), circ. ann. 1081 data, qua eum ad labores et pericula pro veritatis defensione paratum excitat. Sede enim sua ab Henrico rege ann. 1080 pulsus, adhuc ann. 1088 in Tuscia captivus detinebatur, ut scribit Bernoldus noster in Chronico, cujus etiam ad sedem suam reditum ann. 1089; obitum vero ad ann. 1090, mense Maio narrat. Unde epistola nonnisi alterutro horum annorum scripta esse potuit, ubi Metis iterum erat hic episcopus. S. Gebehardi Salisburgensis archiepiscopi ad eumdem Hermannum epistolam pro Gregorio VII contra ejusdem temporis schismaticos primum edidit Gretserus. Opp. t. VI, p. 434.

EPISTOLA III.

AD PAULINUM.

Charissimo fratri PAULINO BERNALDUS solo nomine presbyter, non moribus, bonum indeficiens, quod est Christus.

I. Quæstionem, frater charissime, quam a me exsolvendam expetis, multum vires nostras excedit, quam etsi competenter explicare nossem, otium tamen librorum ad hoc exsequendum habere deberem : nec de hac causa aliquid præpropere scribere vellem, quod non ex auctoritate SS. Patrum irrefragabiliter probare possem. Sed tu omnis moræ impatiens ab exactione non desistis : unde et me pro tuo amore nimium festinare cogis. Dicam tamen ad præsens, ut possum, salva diligentiori inquisitione in aliud tempus, et hoc quidem eo pacto, ut et tu nterim quæras, et si quid inveneris, mihi intimare non graveris.

II. In primis igitur volo scias, B. Augustinum in ibro Retractationum (*lib.* II, *cap.* 38) asserere, se non quinque libros *De fide et operibus*, sed unum antum composuisse, quem ita dicit incipere : *Quibusdam videtur*. Unde illud tuum de Simoniaco testimonium non nobis satisfacere poterit, si (sit) ex alio libro B. Augustini De fide et operibus prætitulato excerptum (1091). Incredibile enim videtur, Augustinum alium librum De fide et operibus composuisse, nisi cujus mentionem facit in Retractatione. Præterea ipsum testimonium, si bene recolo, venditionem vel emptionem ecclesiasticarum rerum dicit esse Simoniacam : quod nimis laxum videtur, cum et legitimas venditiones et emptiones earum rerum inclusisse videatur. Quapropter idipsum B. Augustino ascribere non præsumo. Nec hoc dictum ita recipias, quasi ego tuæ præjudicem opinioni, imo a te volo certius inde doceri.

C III. Est autem tua quæstio, si vendere vel ecclesias sit Simoniacum? Unde tibi ita respondere possum, quia apud antiquos non ita, ut modo, presbyteri ecclesias jamdudum ordinati acquirere consueverunt, sed in ipsa ordinatione acceperunt. Nam SS. Patres in Chalcedonensi concilio (*act.* 15,

(1091) Quodnam fuerit Paulini adductum ex Augustino testimonium, haud invenio ; nec enim quidquam contra Simoniacos scripsit S. doctor : unde etiam Bernaldus perplexus hærebat, qui nihil tale in suo exemplari reperit.

can. 6) irritam ordinationem cujuslibet judicaverunt, qui ad certum locum ordinatus non inveniretur; nempe locus, cui minister erat consecrandus, in primis pronuntiabatur. Sicque ordinatio ministri ad designatum locum solemniter celebrabatur, sicut adhuc in ordinatione episcoporum sive abbatum ubique observatur. Cum ipsa ordinatione minister incardinabatur Ecclesiæ, nec alius ei ecclesiam, alius consecrationem, sed idem ipse contulit utrumque, et eodem tempore; nec plenaria deputabatur ordinatio, quam non præcederet loci designatio. Unde et apud antiquos Patres non tam specialis prohibitio facta legitur de emptione Ecclesiarum, quas in ipsis ordinationibus comprehensas, et cum ipsis per pecunias obtineri prohibitas noverunt. Et cum emptas ordinationes Simoniacas reputarent, emptiones ecclesiarum procul dubio non exceperunt, imo nec excipere potuerunt.

IV. Postquam autem commendatio Ecclesiæ ab ipsa consecratione in tantum cœpit separari ut post multum tempus Ecclesias acquirerent jamdudum consecrati, necessarium (fuit), ut et speciali statuto prohiberetur emptio Ecclesiarum, sicut et ipsarum consecrationum, nec unum minus, quam alterum damnaretur ut Simoniacum. Sed consecrationes per pretium acceptas tibi constat esse Simoniacas; mihi autem nihilominus de commendatione, id est, de cura animarum itidem videtur, si per pecuniam obtinetur. Nam Simon Magus, ut legitur in Actibus apostolorum, per pecuniam obtinere voluit, non ut apostoli manus ei imponerent, sed ut ipse aliis manus imponere posset (*Act.* VIII). Cui autem Ecclesia sive cura animarum committitur, eidem etiam potestas manus imponendi super catechumenos, energumenos sive infirmos sibi sibi commissos conceditur. Quis ergo hoc Simoniacum esse negabit, si quis tale officium, per pecuniam obtinuerit? Præterea officium ostiarii, notarii, sive defensoris, si per pecuniam acquiritur, a B. Gelasio in decretis suis (1092), capitulo 24, Simoniacum esse judicatur, quorum tamen nullus per manus impositionem ordinatur, nec ipsis, ut aliis manus imponant, conceditur. Si ergo emptor ecclesiastici officii, quod per manus impositionem non acquiritur nec exercetur, Simoniacus esse judicatur; quanto magis emptor pastoralis curæ, in qua tot manus impositiones frequentantur?

V. Beatus quoque Alexander papa I in decretis suis (LABB. t. I, p. 553) Simoniacum esse judicavit, qui corruptus pretio pœnitenti apud episcopum obstat, vel adjuvat ad reconciliationem. Si ergo ille Simoniacus jure dicitur, qui pretio corruptus efficit ut alii ab episcopo manus imponatur, quanto magis ille, qui sibi ipsi tale officium pretio acquirit ut subditis manus imponere possit? Petrus Albanensis episcopus (1093), vir miræ sanctitatis et fidei, Petrum Papiensem judicio ignis Simoniacum esse probavit, eo quod investituram tantum episcopatus per pecuniam a laico acceperit. Majores nostri synodali (1094) judicio pro Simoniaca hæresi deputasse leguntur (caus. 1, q. 1, c. 105) si quis pecuniam pro chrismate, vel baptismo, vel communione daret vel exigeret. Si igitur hæc omnia Simoniaca esse non negamus, itidem de emptione Ecclesiarum judicare cur dubitamus?

VI. Hæc tibi, frater charissime, ad præsens, ut potui, satis festinanter collegi. Tu autem quid tibi de his omnibus videatur, mihi rescribas; sed et tu, si quid forte de prædicta questione certius inveneris, mecum communicare non graveris. Dominum Metensem episcopum tuum (1095), imo nostrum, ex mea parte humiliter saluta, ipsumque ut de hac tua quæstione, si ista non sufficiunt, cogitet, invita. Omnipotentis Dei misericordia semper vos incolumes, nostrique memores in suo sancto servitio custodiat, domini et Patres in Christo amantissimi.

(1092) In canone Gelasii caus. 1, q. 1, c. 6 nulla *ostiarii*, etc., fit mentio.

(1093) Est hic ille Petrus, cognomento Igneus, Vallis Umbrosæ tunc monachus, de quo Mabillonius in Vita S. Joannis Gualberti (*Act. SS. Sæc. VI*, p. II, p. 283 et *Annal. Bened.*, t. V, p. 1). Factum hoc etiam refert Bertholdus in Chron. ad ann. 1067 ex codicum nostrorum fide. Factus is deinceps Albanensis episcopus. De quo idem ad ann. 1079.

(1094) Tribur iensi scilicet, quod Hermannus Contractus in Chronico et Pagius ad ann. 1035 refert, cujus tamen decreta interciderunt.

(1095) Hermannum videlicet. Vid. in monito.

BERNALDI

PRO GEBHARDO EPISCOPO CONSTANTIENSI ECCLESIÆ IN LOCUM OTTONIS EXAUCTORATI PRÆFECTO EPISTOLA APOLOGETICA.

(Post annum 1088.)

MONITUM.

Jam supra produximus decretalem Gregorii VII epistolam ad Ottonem Constantiensem episcopum pro recipiendis Romanæ synodi decretis: quibus cum refragaretur, acriter primum objurgatus, postea ab officio suspensus est, interdicta ejus diœcesanis præstanda eidem obedientia, ut superius opusculo VI vidimus. Ultimo tandem aperte jam schismaticum anathemate perculit, et exauctorato Gebhardum ejus loco episco-

pum constituit, uti ad finem anni 1084 narrat Bernoldus in Chronico. Displicuit multis hæc ordinatio, quam contra eorum obtrectationes hac epistola defendendam suscepit Bernaldus, unde Constantiensis Ecclesiæ lata plurimum illustrantur.

Reverendissimo sacerdoti, ac dilectissimo Patri A R. (1096) B. solo nomine presbyter non moribus, suæ qualiscunque orationis certitudinem.

I. Jamdiu est, Pater amantissime, ex quo mihi conquerendo retulisti oblocutionem quorumdam de ordinatione domini nostri Constantiensis episcopi, meque tibi rationem contra eorum objectionem rescribendo suppeditare rogasti. Sed quia tunc pro tempore brevius respondi (1097) quam res exigeret, iterum tibi, imo per te illis de eadem causa plenius satisfacere non piget.

II. In primis igitur volo, ut illi nostri oblocutores causam diligenter investigent, et intellectam juxta statuta SS. Patrum fideliter examinare studeant : et tunc demum, si quid in ea sacris canonibus adversum perspexerint, canonice re- B prehendant, si possint. Est autem summa eorum obloquii, ut retulisti, quod dominus noster Gebhardus esse non possit, eo quod antecessori suo Ottoni adhuc vivo subrogatus fuerit. Sed sacri canones hujusmodi subrogationem, videlicet ut alius cuilibet deposito subrogetur, sæpissime nobis præscribunt, eamque legitimam esse atque authenticam absque omni contradictione constituunt. Sic item sanctum Constantinopolitanum concilium, æque ut Evangelium B. Gregorio attestante venerandum, Maximo Constantinopolitano patriarchæ deposito B. Nectarium subrogavit. Itidem sanctum Chalcedonense concilium, itidem Evangelio comparandum, Dioscoro Alexandrino patriarchæ damnato S. Proterium decrevit substituendum (1098). Sic B. Gregorius in Registro suo multis depositis alios subrogare præcepit. Sic Hincmarus Remorum archiepiscopus Ebboni deposito substituitur. Sic et in nostro tempore Ruobertus Babinbergensis episcopus (1099) Hermanno damnato subrogatur.

III. Ergo non contra canones, sed juxta canonicas sanctiones noster episcopus, Ottone deposito, licet adhuc vivo, substituitur. Quam canonice autem vel pro quibus causis Otto perpetuam damnationem subierit, ut et noster episcopus canonice ei succedere potuerit, plenius et per ordinem digerere libet, quatenus illis nostris oblocutoribus nulla deinceps dubitatio subrepat vel de illius irretractabili damnatione, vel de istius canonica subrogatione.

IV. Anno Dominicæ Incarnationis 1076 (1100), indict. XV, in prima heddomada Quadragesimæ, Gregorius papa VII generali synodo Romæ in ecclesia Salvatoris præsidens, Ottonem Constantiensem episcopum synodali judicio officio et communione privavit, eo quod ipse cum reliquis schismaticis contra apostolicam sedem conspirasse missis litteris et propria subscriptione manifestaverit. In qua conspiratione idem ipse multo audacius reliquis conspiratoribus contra Romanum pontificem insanivit, eumque apud sæcularem principem speciali accusatione contumaciter impetere præsumpsit, videlicet accusans eum quod episcopali eum honore privaverit, eo quod laicos damnatorum officia presbyterorum recipere vel eis obedire prohibuerit (1101).

V. Dominus tamen papa multo misericordius eum tractavit quam meruerit ; nam misso venerabili Altmanno Pataviensi episcopo eidem in subsequenti autumno apud Ulmam (1102) sub præsentia multorum communionem solam absque officio reddidit : C quod tamen ille contra præceptum domini papæ usque ad finem vitæ suæ non cessavit usurpare. Nam dominus papa nunquam postea ei officium reddidit, sicut ipse papa quampluribus inde sciscitantibus sæpisse retulit postea. Ad hæc idem Otto Simoniacis et incontinentibus presbyteris contra synodale decretum domini apostolici, imo contra

(1096) An littera initialis R. indicet Recchonem, ad quem sunt supra relatæ Bernaldi epistolæ, statuere nolim, quamvis id vero admodum simile videatur.

(1097) Deperiit hoc breve responsum.

(1098) Ita et Evagrius, Fleurius vero Hist. Eccl. l. XXVIII, § 35, subrogationem Proterii quatuor tantum episcopis, non toti concilio tribuit.

(1099) Hermannus quidem a Gregorio VII ann. 1065 ob Simoniam depositus est, eique Rupertus substitutus, non tamen a papa, sed a rege Henrico D obtrusus, *pene omni clero et populo*, *ingratus*, ut ad illum annum scribit Bernoldus in Chronico auctiore.

(1100) Acta hujus concilii Romani in Quadragesima celebrati fuse describit Bernoldus auctior in Chronico, uti et præcedentis die 23 Januarii ab Henrico rege et episcopis schismaticis Wormatiæ habiti, ubi temerario ausu Gregorium a pontificatu deponere, eique obedientiam etiam scripto denegare attentarunt. Hos inter et Otto hic erat papæ ob privationem episcopalis sui officii infensus. Hoc de excommunicatione accepisse videtur Lambertus, dum de hac ipsa Romana synodo agens Ottonem inter illos refert, qui *jam pridem* a papa sint excommunicati ; majorem tamen Bernaldo scriptori domestico fidem tribuimus, qui inter præcedentem decretis suis denegatam inobedientiam, ob quam privatus priore anno fuerat, et conspirationem hoc anno, unde insuper anathemati subjectus est, optime distinguit.

(1101) Hic aliqua desiderantur ; ex citatis enim Gregorii tam ad Ottonem quam ad subjectos, eidem epistolis satis constat illum propterea officio suo fuisse motum, quod decreta synodi Romanæ de incontinentibus presbyteris eorumque officiis haud recipiendis contempserit ; minime vero quod ipse Otto talia prohibuerit : quæ adeo hic supplenda sunt.

(1102) Concordant hæc cum illis quæ idem Bernaldus auctior ad ann. 1076, supra p. 37 refert de episcopis in conventu Triburiensi per legatos apostolicos reconciliatis, ubi pariter Ottonem Constantiensem *Ulmæ* reconciliatum scribit, pro quo Hansizius (t. I. *Germ Sacr.*, p. 264) perperam legit *ultimo*. Revera enim Ulmensis principum conventus præcessit Triburiense concilium, ut ad illum annum, habet Schafnaburgensis (*Concil. Germ.* t. III. p. 180) : ut adeo Ulmæ Otto ceu vicinior facile adesse potuerit, et *prior* cæteris ibidem absolvi a sedis apostolicæ legatis.

omnium SS. Patrum decreta favere non cessavit. Unde et dominus papa missis litteris omnes ejus subjectos apostolica auctoritate de obedientia ejus absolvit (1103). Super hæc autem omnia in partem schismaticorum, relicta Ecclesia catholica, sponte sua penitus demigrare non veritus est.

VI. Hæc itaque singula ad irrecuperabilem ejus damnationem juxta canonum sanctionem sufficere possent, quippe crimen conspirationis, interdicti usurpatio officii, assentatio Simoniacorum sive incontinentium presbyterorum, et quod his majus videtur, demigratio a Catholicis in partem schismaticorum. Nam beatissimus papa Fabianus et martyr in decretis suis capitulo 2 (Labb., t. I, pag. 644, *epist.* 11) conspiratorem clericum *ante examinatum judicium* jubet a clero in perpetuum submoveri, et infamia notari. Item S. Callistus papa et martyr, et dein triginta SS. Patres Chalcedonensis concilii (act. 15, c. 8, et Grat. caus. 11, c. 21), et alii innumerabiles, clericos conspirantes penitus deponunt. Antiochenum autem concilium interdicti usurpatorem officii capitulo 4 (Labb., t. II, p. 563) tam terribiliter damnat, ut nullam spem ei restitutionis vel locum satisfactionis deinceps concedat. Sanctus item Gregorius in Registro suo, capitulo 240 partis secundæ (lib. V, epist. 7), hujusmodi usurpatorem perpetua excommunicatione damnat, ita ut vix ei viaticum in fine vitæ concedat. Idem quoque Gregorius et episcopum illum cum Simone Mago portionem habere asserit, quicunque contra illam hæresim non vehementer exarserit; quanto magis illum, qui eamdem hæresim suo assensu nutrire non metuit? Idem quoque Gregorius *procul dubio*, inquit, *facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Item Damasus papa ad episcopos Mauritaniæ (*epist.* 4; Labb., t. II, pag. 875): *Qui potest*, inquit, *obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil aliud est, quam eorum favere impietati.* Juxta Apostolum autem facientes et consentientes par pœna complectitur (*Rom.* I).

VII. In eo autem, quod idem Otto in partem schismaticorum sponte discessit, seipsum juxta sanctionem SS. Patrum proprio judicio damnavit. Quapropter dominus papa Gregorius in Romana synodo synodali judicio, anno Dominicæ Incarnationis 1080, indictione III, in prima heddomada Quadragesimæ, prædictum Ottonem jam triennio (1104) frustra præmonitum et exspectatum, ut resipisceret, absque spe recuperationis damnavit et anathematizavit, et venerabili Pataviensi episcopo vices suas commisit, ut ad Constantiensem Ecclesiam migraret, eique legitimum pastorem ordinare (1105) procuraret. Quod idem episcopus summopere procuravit; sed perpetrata electione infirmitas electum impedivit, ne penitus unquam consecrari potuerit. Unde cum pluribus annis illa Ecclesia pastorali provisione careret, tandem prædictus papa Gregorius e latere suo venerabilem Ottonem Ostiensem episcopum, non multo post apostolicum (1106), illuc direxit, qui eidem Ecclesiæ legitimum pastorem Gebehardum canonice ordinavit anno Dominicæ Incarnationis 1084, indictione VII, XI Kal. Januarii (1107), ejusque ordinationem in proxima paschali hebdomada in generali concilio Saxoniæ (1108) et apostolica auctoritate collecto synodali judicio confirmavit. Non enim iste episcopus more aliorum per sæcularem potestatem contra canones intravit, sed canonice, videlicet a cunctis clero et populo legaliter electus et postulatus, et ex apostolica auctoritate per legatum sedis apostolicæ viduatæ sedi solemniter inthronizatus est et consecratus reverendissimis episcopis et

(1103) Vid. mox antea et supra l. c. dicta. Ex hac porro narratione colligitur, eum etiam post dictam reconciliationem ad priorem vomitum brevi rediisse; saltem interdictum episcopale officium postea usurpavit, uti de eo testatur Bernoldus auctior in Chronico, illumque Rudolfo Cæsare post Pascha Constantiam veniente fugam iniisse scribit.

(1104) Computandum est hoc triennium a reconciliatione Ottonis Ulmæ in autumno ann. 1076 facta, qui dum postea rursus schismaticis adhæreret, nec a prohibito sibi officio abstineret, tandem ann. 1080 omnino depositus novoque anathemati illigatus est.

(1105) Ex hinc liquet, alium tunc Constantiæ episcopum fuisse electum, sed ob infirmitatem haud ordinatum. Is forte erat, de quo Chronici Augustensis scriptor schismaticus (Freheri *Script. Germ.*, t. I, p. 503) ad. ann. 1084 hæc habet: *Vivente adhuc Ottone Constantiense episcopo Berchtoldus ad episcopium coactus; inde prorsus mutus usque ad mortem efficitur*; et Bucelinus in catalogo: *Rupertus a Cæsare intrusus ejusdem sacellanus; Berchtoldus Heinrici IV item sacellanus sede dejectus; et a plerisque cum antecessore Ruperto in syllabo episcoporum prætermissus.* Berchtoldum canonicum in Buochau fuisse asserit; de sacellano merito dubitamus, nec enim Altmannus Passaviensis hominem Cæsari obstrictum elegisset.

(1106) Exstat illius sub nomine Urbani II epistola (Labb., t. X, p. 444) ad Guiehardum, i. e. Gebehardum Constant. episcopum, qua id apertissime confirmatur mox in ejus exordio: *Quia te speciale post Deum manuum nostrarum opus esse perpendimus*, etc.

(1107) Ordinationem hanc eodem modo describit in Chronico Bernoldus, qui simul cum Gebehardo in festo S. Thomæ ap. factus est presbyter ad finem anni 1084. Unde etiam ista ordinatio ab aliis ad annum 1085 rejicitur. Perperam vero in Gallia Christ. (t. V, p. 910) ascribitur Gebehardo episcopo, quod sibi ordinato contigisse scribit Bernoldus tam ibi quam in sequente mox tractatu, quod nimirum legatus eum inungendo sacerdotem, simul ex pontificis auctoritate facultatem suscipiendi pœnitentes dederit. De ipsa hac electione fusius agit Chronicon Petershusanum (*Patrologiæ* tom. CXLIII), a nobis editum l. II, n. 44, p. 342.

(1108) In Quedlinburgensi scilicet ann. 1085, per eumdem legatum celebrato (*Conc. Germ.*, t. III, p. 200), ubi tam ordinatio Gebhardi fuit confirmata, quam novum anathema vibratum in Ottonem, qui ut in eodem Chronico l. c. legitur, *depulsus possessionem ejusdem ecclesiæ, quæ dicitur Colmbra adiit, ibique uno pene anno commoratus vitam finivit.*

abbatibus desiderantissime astipulantibus, assentientibus quoque catholicis ducibus (1109) et comitibus, reliquisque Christi fidelibus. Tam canonice, inquam, electus est et ordinatus ut ejus electioni sive ordinationi nequaquam contradicere possit, quisquis apostolicis et canonicis institutionibus contraire noluerit. Præterea ipse venerabilis papa Gregorius, cujus auctoritate ordinatus est noster episcopus; item Victor papa successor ejus; nostrum episcopum, quoad vixerunt, pro legitimo pastore habuerunt; item reverendissimus papa Urbanus, qui modo (1110) summæ rerum præsidet, eum semper pro canonico pastore habuit et habet, A utpote quem a se sub apostolica legatione ordinatum canonice agnoscit. Si igitur alias rationes de ejus ordinatione nesciremus, illæ nobis possent sufficere, quod tot Romanos pontifices ejus ordinationi astipulatos sciremus.

VII. Quapropter illos nostros oblocutores volo ut admoneas, quatenus (contra) præceptum Domini ecclesiastico principi detrahere vereantur, ne in hoc non tam ei nocere, quam vitio suo satisfacere a sapientibus merito judicentur. Omnipotens Deus tuam fraternitatem hic et in æternum custodiat orantem pro me, domine et Pater reverendissime.

(1109) Nimirum Bertholdo II, Zaringiæ seu Alemanniæ duce, cujus frater erat iste Gebhardus, ac Welfone duce Bavariæ.

(1110) Urbanus II ab anno 1088 usque 1099 præfuit; quo igitur intermedio tempore scripta fuit hæc Bernaldi epistola.

BERNALDI

DE PRESBYTERORUM OFFICIO TRACTATUS.

MONITUM.

Anonymus Mellicensis cap. 101 hunc tractatum sub nomine libri *De potestate presbyterorum* eidem Bernardo tribuit, qui cum Alboino conflictum habuit, quem supra col. 1079 seq. dedimus : ubi sicut in cæteris scriptor seipsum Bernaldum appellat: quamvis hic sola littera initiali B. indicatus. Cæterum de ejus argumento plura dicta in observationibus præviis, ac in sequentibus porro dicentur, maxime quoad quædam rituum et disciplinæ temporis illius capita, quæ a moderno usu discrepant.

Quæ porro hic disputat auctor ejusmodi fere sunt, ut desumpta videri possent ex damnata Arii doctrina, qui teste Epiphanio hæresi 75, nullum inter episcopos et presbyteros discrimen agnovit. Verum Bernaldum longe ab Ario discrepare id evincit, quod per decursum plura munia presbyteris nonnisi ex episcoporum permissione licita esse contendat. Nuspiam quoque inter officia, quæ aliquando episcopis et presbyteris communia fuisse scribit, potestatem etiam ordinandi recenset; quod palmare est ad episcopalis dignitatis et ordinis eminentiam supra illam presbyterorum comprobandam. Quo sensu S. Hieronymus, quem totum in ære suo esse putavit Blondellus, in epistola ad Evangelium (ep. 101, Opp. t. IV, p. II, p. 802) : *Quid,* inquit, *facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* Ac S. Joannes Chrys. hom. 11, in *I Tim.* III, *sola ordinatione* ait episcopos presbyteris superiores esse, atque *hoc tantum plus quam presbyteri* habere. Contrarium certe invalescentes paulatim Arii sectarores nunquam probabunt, etsi argumentis undique corrasis episcoporum dignitatem a primis Ecclesiæ incunabulis presbyterum potestate majorem haud fuisse contendant. Divina certe ordinatione hanc distinctionem obtinere testatur S. Ignatius apostolorum discipulus epistola ad Philadelphenos n. 7. (Coteler., t. II. p. 32) : *Clamavi, cum interessem, locutus sum magna voce, voce Dei : Episcopo attendite,* et *presbyterio et diaconis. Quidam autem suspicati sunt, me ut præscium divisionis quorumdam hæc dicere. Testis autem mihi is est, in quo vinctus sum, quod a carne humana non cognoverim sed Spiritus annuntiavit dicens ista : Sine episcopo nihil facite.* Sibi ipsis tamen imputent plures episcopi, a subjectis sibi presbyteris constitutum a canonibus ordinem hierarchicum non observari, cum et ipsi debitam superiori suo pastori subjectionem abjicere moliantur, haud attendentes S. Hieronymum ep. 58 ad Damasum : *In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Ego interim clamito : Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est.*

OCCASIO ET ARGUMENTUM HUJUS OPUSCULI.

Dominis ac dilectissimis in Christo fratribus apud Reitenboch (1111) apostolicæ vitæ formam fideliter servantibus B. solo nomine presbyter, non moribus, post hujus vitæ legitimum certamen apostolicæ beatitudinis æternam societatem.

I. Litteræ dilectionis vestræ nuper ad nos pervenerunt, quæ nobis de potestate presbyterorum quamdam inter vos quæstionem commotam retulerunt, quam nostræ imbecillitati ad solvendum proposuistis, vosque inde nostram, imo per nos SS. Patrum B sententiam expetere significastis. Sed ad hoc exsequendum quamvis infirmitas animi et corporis obsistat, charitas tamen impetrat, ut fraternis petitionibus etiam ultra vires morem gerere non omittamus. Ipsa ergo charitate, quæ Deus est, opitulante fraternitati vestræ tentabimus obedire : non solum hoc quod quæritis, id est *unde presbyteri habeant, ut pœnitentes recipere valeant?* sed et alia non pigebit adjicere, quæ non quæsitis, videlicet, *quid presbyteri antiquitus fuerint qualive privilegio postea circumscribi meruerint?* Deus, qui charitas est et omni-

(1111) Raitenbuch, vulgo Rotenbuch, celebre est canonicorum regularium collegium ad fluvium Ambronem in superiore Bavaria, ubi cellam hic loci pridem constructam Welfo I, Bavariæ dux, cum conjuge sua circa ann. 1080 canonicis tradidit. Vid. Monumenta Raitenbuchensia, t. VII Monum. Boic.

potens, vos semper incolumes nostrique memores protegat atque custodiat, domini fratres et Patres amantissimi.

INCIPIT UTILIS DESCRIPTIO DE PRESBYTERORUM OFFICIO.

II. B. Paulus apostolus in epistolis suis evidentissime nobis præscribit, quod apud antiquos presbyter et episcopus idem fuerint. Scribens enim ad Titum de ordinatione episcoporum præcipit, ut constituat per singulas civitates presbyteros; et statim quales debeant ordinari subnectit dicens : *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse* (*Tit.* I). Item Timotheo scribit : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (*I Tim.* IV). Cui statim in sequentibus dicit : *Nemini cito manum imposueris* (*I Tim.* V) : quod proprie est episcopi. In his verbis Apostolus satis aperte notavit quod antiquitus idem presbyter et episcopus fuerint, juxta quod B. Ambrosius et Hieronymus eumdem Apostolum in eisdem sententiis commentati sunt. Idem in Epistola ad Philippenses, presbyteros sub nomine episcoporum salutat, dicens : *Paulus et Timotheus servi Christi Jesu omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus* (*Philipp.* I). Nam juxta Hieronymum Philippis una est civitas Macedoniæ, quæ plures non potuit habere episcopos. In Actibus quoque apostolorum legitur apostolos vocasse presbyteros Ephesiorum, quos et episcopos a Spiritu sancto positos esse (*Act.* XX) non tacuit, videlicet unius civitatis presbyteros vocans episcopos. Item ipse princeps apostolorum Petrus in Epistola sua : *Presbyteros,* inquit, *in vobis precor compresbyter et testis passionum Christi* (*I Petr.* V). Item Joannes apostolus et evangelista scribens ex sui persona *Presbyter,* inquit, *Electæ, dominæ et filiis ejus* (*II Joan.* I). Idem in alia Epistola : *Presbyter Gaio charissimo* (*III Joan.* I).

III. His igitur sententiis B. Hieronymo et Ambrosio attestantibus evidentissime probatur eumdem presbyterum et episcopum fuisse. Cur autem postea inter se et nomine et officio discrepare cœperint ita ut inter presbyteros unus specialiter nomen episcopi obtinuerit, idem Hieronymus super Epistolam ad Titum satis aperte exponit : *Postquam,* inquit, *unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse, non Christi putabat, in toto decretum est orbe, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, et schismatum semina tollerentur* (*Commentar.* in cap. I, Opp. t. IV, p. 413). Et infra : *Paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnis sollicitudo delata est. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex consuetudine Ecclesiæ ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos : ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositione Dominicæ veritatis, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.*

IV. Cum igitur presbyteri et episcopi antiquitus idem fuisse legantur, etiam eamdem ligandi atque solvendi potestatem, et alia nunc episcopis specialia habuisse non dubitantur. Postquam autem presbyteri ab episcopali excellentia cohibiti sunt, cœpit eis non licere quod licuit, videlicet quod ecclesiastica auctoritas solis pontificibus exsequendum delegavit, id est, confectionem chrismatis, consecrationem virginum, reconciliationem pœnitentium, et alia hujusmodi, quæ statuta Patrum eis intercludunt. Nam Carthaginense concilium, cui B. Augustinus interfuit, capitulo 6 (LABB., t. II, pag. 1052), presbyteris interdicit chrismatis confectionem, pœnitentium reconciliationem virginum consecrationem. Sanctus quoque Eusebius in decretis suis 22 (*epist.* 3; LABB., t. I, pag. 1392), confirmationem neophytorum nonnisi ab episcopis posse vel debere fieri asserit, nec inter ecclesiastica sacramenta illam reputari, quæ ab aliis præsumpta fuerit.

V. Sed de his singulis, quæ presbyteris non licere cœperunt, postquam illi ab episcopali excellentia separati sunt, B. Damasus papa plenius in decretis suis edisserit, ubi vanam superstitionem chorepiscoporum authenticis rationibus compescuit. Nam scribens omnibus episcopis (*epist.* 5; LABB. II, pag. 876) primum chorepiscopos nihil aliud esse quam presbyteros probat. Deinde utrosque communiter ab episcopali fastigio hoc modo sequestrat : *Chorepiscopis,* inquit, *non licet sacerdotes consecrare, nec diaconos subdiaconos, nec virgines; nec altare erigere, nec ungere vel sacrare, nec ecclesias dedicare, nec chrisma conficere, nec chrismate fontes baptizatorum signare, nec publice quidem in missa quemquam pœnitentem reconciliare : nec formatas epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante episcopum in baptisterio vel sacrario introire, nec præsente episcopo infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine episcopi sui præceptione reconciliare, nec eo præsente, nisi jubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel salutare, nec plebem exhortari. Quæ omnia solis pontificibus pertinere tam ex superioribus, quam ex aliis Patrum statutis atque sacris canonibus edocti estis. . . Similiter et de presbyteris hæc habeantur, ut sine jussu episcopi nihil proprii agant.* Item S. Leo papa I omnibus episcopis scribens (*epist.* 88; LABB., t. III, pag. 1394) eamdem sententiam de chorepiscopis et presbyteris tenuit, ut pariter proprium modum cognoscant, nec episcopale privilegium usurpare præsumant. Sed et B. Gelasius papa in decretis suis capitulo 6 (LABB., t. IV, pag. 1189) enumeratis his, quæ presbyterorum officio competunt generalem sententiam subinfert, dicens : *Nec presbyter prorsus dubitet, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverit exsequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privandum.* Patet ergo satis evidenter, quantum episcopalis auctoritas presbyteris emineat, vel quid illis penitus usurpare non liceat.

VI. Sunt tamen quædam etiam adhuc, quæ presbyteris ex episcopali arbitrio concedi possunt, ut privata reconciliatio pœnitentium, nam a publica reconciliatione sicut a chrismatis confectione penitus prohibiti leguntur. Possunt quidem privatim confessos pœnitentes et infirmantes reconciliare, si tamen episcopus jusserit, juxta quod S. Evaristus papa et martyr in decretis suis (causa 26, q. 6, c. 4) asserit, ita decernens, ut *presbyteri de occultis peccatis jussione episcopi pœnitentes reconcilient, et infirmantes absolvant et communicent.* Item Carthaginense concilium (Labb., t. II, p. 1160) cap. 7 [*leg.* 4] dicit quod in periculo positi a presbytero possint reconciliari absente quidem episcopo, sed jubente.

VII. Et notandum quod nec ipsam privatam reconciliationem exercere permittuntur presbyteri, nisi specialiter ex jussione episcopi. Ipsi etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri non hoc solent exercere nisi permissi : nec hoc Romanus pontifex omnibus, quos ordinat, concedit, sed quibusdam tantum, quos ad hoc opus exsequendum idoneos esse præviderit. Beatus quoque Anselmus Lucensis episcopus in episcopatu suo paucis presbyteris concessit, ut pœnitentes susciperent, quamvis plurimos ubilibet ordinasset (1112). Sic et alii hactenus episcopi in suis episcopatibus facere consueverunt, qui diligentiores canonum servatores esse voluerunt.

VIII. Quapropter satis manifestum esse videtur, quod presbyteri non tam ex propriæ consecrationis officio, quam ex episcopalis concessionis arbitrio pœnitentes reconciliare solent. Si enim hoc illi ex propria consecratione haberent ut episcopi, cum eamdem presbyterii acceperint consecrationem, nihilominus et eamdem omnes haberent reconciliationis potestatem; nec magis ad hoc, quam ad officium missæ exercendum episcopali jussione indigerent, si in ipsa consecratione hanc potestatem ut ad officium missæ, dudum percepissent (1113). Quomodo autem illam in consecratione non perceperint, facile quilibet explorare poterit, si modum consecrationis eorum diligenter considerare voluerit, in quo non more episcoporum jus ligandi atque solvendi A uspiam percipiunt, sed jus offerendi sacrificii tam pro vivis, quam pro defunctis (1114).

IX. Et parochiales quidem presbyteri, quibus ab episcopo pastoralis cura in populo committitur, in ipsa commissione etiam hos jus suscipiendi pœnitentes accepisse non dubitantur, quod videlicet potissimum ad illam curam pertinere videtur. Quibus autem consecratis hujusmodi cura non committitur, prædictam potestatem usurpare non præsumant, antequam eis episcopi hoc concedunt : nam si præsumpserint, se potius ex præsumptione ligant, quam pœnitentes sua reconciliatione absolvant; si tamen simpliciter accipientes ignorantia præsumptionis non *accusat* (1115). Solent enim episcopi jus reconciliandi sacerdotibus a pastorali cura vacantibus sæ- B penumero concedere, ut venerabilis papa Gregorius (VII) et S. Anselmus (Lucensis) multis fecerunt, et adhuc quamplures faciunt. Hanc quippe concessionem nos ipsi ab ordinatione nostra suscepimus (1116) : hanc et alios quamplures a suis ordinatoribus percepisse non ignoramus.

X. Sciendum tamen, quod B. Hieronymus potestatem ligandi atque solvendi tam presbyteris quam episcopis indifferenter ascribit in commentario super Matthæum, ubi illud exponit : *Quodcunque ligaveris* (*Matth.* XVI), et reliqua. *Istum,* inquit (Opp. t. IV, p. 75), *locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, ut vel damnent innocentes, vel solvere noxios arbitrentur,* C *cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint tunc a sacerdote immundi fiant* (*Levit.* XVI); *non quod sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi, et non leprosi, et possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic et hic alligat et solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel innoxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus.* Item Hieronymus ad Heliodorum (*epist.* 5, Opp., t. IV, p. II, p. 10) : *Mihi,* inquit, *sedere ante presbyterum non licet : illi, si peccavero,*

D

(1112) Gregorii VII strenuus adjutor fuit hic Anselmus, cujus vita descripta exstat in Tengnagelii collectione Monumentorum contra schismaticos p. 83, agitque de eo sæpius Bernoldus noster in Chronico, maxime ad annum 1066, quo ejus obitum refert.

(1113) Acceperunt enimvero utramque in ordinatione, posteriorem tamen nonnisi ex licentia seu approbatione episcopi exercendam : quo sensu hic intelligendus est Bernaldus.

(1114) Non de moderno ordinationis ritu hic loquitur Bernaldus, quo disertis verbis recens ordinato presbytero datur ab episcopo potestas remittendi peccata ; sed de more sui temporis, quo necdum adhibebantur verba illa : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris,* etc., cum tertia manuum impositione; prout inter alios observat Drouven, *De re sacrament.,* t. II, p. 362 : *Tertia manuum impositio cum oratione conjuncta nec olim solemnis in Ecclesia fuit, cum de ea antiqua Latinæ Ecclesiæ ritualia ante duodecimum sæculum scripta altum sileant; nec etiamnum ab omnibus observatur, cum in Græcia et Oriente prætermittatur.* Atque sæculo adhuc undecimo hæc scripsit Bernaldus.

(1115) Omnino hic legendum videtur *excusat,* ut hic sit sensus, eum non esse absolutum a peccatis, qui sciens confitetur presbytero nondum ab episcopo, ut modo loquimur, approbato; bene vero, si id fecerit, bona fide illum approbatum existimans, quod plures theologi docent, defectum jurisdictionis tunc per Ecclesiam suppleri statuentes.

(1116) Patet hinc satis aperte Bernaldum opusculi hujus auctorem illum ipsum esse Bertholdum Constantiensem presbyterum, qui in Chronico ad annum 1084 eadem de se memorat.

licet me tradere Satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini. Sed hæc sententiæ superioribus in nullo contradicunt, quæ itidem presbyteris hujusmodi potestatem circa pœnitentes ascribunt, non tamen ut episcopis ex eorum consecratione, sed ex episcoporum jussione, ut canones præscribunt. Nec utique B. Hieronymus in prædictis sententiis, unde probati hoc jus habeant, signanter expressit, sed eos tantum hoc habere simpliciter notavit. Præterea si ex consecratione etiam more episcoporum hos eos habere dixisset, nos tamen canonicis sanctionibus salva ejus reverentia, in hoc contradicere non præsumeremus.

XI. Beatus quoque Gregorius papa scribens ad Januarium Calaritanum episcopum (*lib.* IV, *epist.* 26) quibusdam presbyteris, ut neophytos confirmarent, permisit, quod utique ab officio presbyterorum penitus extraneum non ignoravit. *Pervenit,* inquit, *ad nos, quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros eos tangere chrismate, qui sunt baptizati, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem nostræ Ecclesiæ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Has sane confirmationes ratas fuisse non dubitamus, quas illi presbyteri ex apostolica concessione, non ex propria præsumptione, fecerunt: quod utique si fecissent, juxta prædictum S. Eusebii papæ statutum penitus irritæ fuissent. Sicut ergo illi presbyteri jus confirmandi non ex consecratione, sed a domino apostolico habuerunt, ita et quilibet presbyteri non tam ex consecratione (1117) quam ab episcopali concessione habent, quod pœnitentes reconciliare valent. Non eorum officio aliquid ascribere præsumimus, eorum quæ in apostolicis statutis penitus eis prohibita legimus.

XI. Benedictionem quoque super populum, quam S. Hieronymus in epistola sua ad Rusticum Narbonensem episcopum (1118) presbyteris ascribit, nos proprie eorum officio ascribere non præsumimus, A ne B. Damaso papæ sacrisque canonibus, hanc eam prohibentibus, adversari judicemur. Tutius enim videtur, ut dicamus, eam illos habere ex aliqua concessione episcopali, quam ex proprietate officii; sicut et subdiaconibus concessum creditur ad missam legere Epistolam, quod ex consecratione non videntur habere (1119). Tam late autem hujusmodi consuetudo benedicendi populum in ecclesia presbyteris inolevit, ut non absque episcopali concessione adeo propagata rite credatur, nec parvum inde scandalum oboriretur, si jam modo a presbyteris intermitteretur.

XIII. Beatus quoque Damasus ad compescendam chorepiscoporum insolentiam arctissime officium tam presbyteri quam chorepiscopi circumcripsit, B utpote quos idem esse judicavit: non tamen sibi vel suis successoribus præscripsit, quin presbyteris quædam concedere possent, quæ ipse eorum officio proprie non attinere prædixit. Nihil autem nos eorum potestati contra canonicam auctoritatem et ecclesiasticam consuetudinem arrogare debemus, etsi in quorumdam sententiis non adeo authenticis quædam eis supra modum concessa legamus, ut in Regensi concilio capitulo 4 (1120) presbyteris conceditur, ut virgines consecrare et neophytos consecrare possint: quod apostolica auctoritas et ecclesiastica consuetudo penitus eis intercludit. Ipsi chorepiscopi et presbyteri etiam caveant sibi, ne illicita temere præsumant, ne de eorum præsumptione veraciter C dicatur, quod B. Damasus papa de hujusmodi præsumptoribus verissime protestatur (*epist.* 5; LABB. t. II, pag. 876): Chorepiscopi, inquit, sive presbyteri, *qui illicita præsumebant, quod agebant actum non erat; et propterea multi in securitatem lapsi ecclesiastico fraudabantur et frustrabantur ministerio.* Quapropter et adhuc caveant presbyteri in officiis ecclesiasticis illicita et inconcessa usurpare, ne canonica ultione merito multentur, cum per temerariam usurpationem etiam fideles ecclesiastico ministerio defraudare judicentur.

(1117) Hinc quoque palam fit, auctorem nostrum non negasse omnino, presbyteris absolvendi potestatem in ordinatione conferri, sed tantum ejusdem exercitium seu jurisdictionem, quam utique a potestate ordinis distinguunt moderni theologi, terminis duntaxat, non doctrina etiam ab antiquis discrepantes.

(1118) Est hæc epistola 95 S. Hieronymi (Opp., t. IV, p. II, p. 769) scripta ad Rusticum monachum, qualis tunc adhuc erat, factus postea Narbonensis episcopus, de quo agitur in Gallia Christiana t. VI, p. 7.)

D (1119) Similia de subdiaconis scribit sæc. IX Amalarius Fortunatus l. I De div. offic., c. 11, et Micrologus Bernaldo coævus, De eccles. observat., c. 8: *Solis subdiaconis,* inquit, *inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad missam; quod tamen non ex sua consecratione, sed potius ex ecclesiastica consensione meruerunt obtinere.* Unde tunc necdum usitata erat libri Epistolarum traditio in eorum ordinatione, quæ etiam abest in omnibus ritualibus Latinis ante quadringentos annos scriptis.

(1120) Concilium Regiense in Provincia 29 Nov.

BERNALDI

DE SOLUTIONE JURAMENTORUM TRACTATUS.

MONITUM.

Opusculum hoc in eodem fere argumento versatur quo superius col. 1219 exhibitum, in facto nempe Gregorii VII quo ann. 1076 Henrico rege deposito subditos ejus a juramento fidelitatis absolvit, ac etiam Con-

stantiensibus speciatim interdixit, ne Ottoni excommunicato suo episcopo obediant. Haud tamen integrum est, sed excisis in codice octo paginis in fine mutilum. Omnino autem post illud sequebatur aliud, cujus fragmentum ibi habetur, ejusdem argumenti cum præcedente XI de officio presbyterorum. Unde conjectare licet, hunc fuisse librum *De confessione,* quem Bernaldo tribuit Anonymus Mellicensis, quemve hoc facto intercidisse dolemus : uti et alterum *De concordia officiorum,* quem idem Anonymus libro *De potestate presbyterorum* subjicit, qui forte in his ipsis rescissis octo foliis continebatur.

Reverendissimo sacerdoti ac dilectissimo fratri WALTHERO evangelicæ perfectionis et canonicæ professionis (1121) viro B. presbyter indignus, utinam solo corpore infirmus, post hujus vitæ stadium æternæ beatitudinis bravium.

I. Multum vires nostræ imbecillitatis excedit, quod fraternitas vestra sibi a nobis scribendum deposcit. Sed charitas, quæ non quærit quæ sua sunt (*I. Cor.* XIII), nos vestris votis annuere compellit, satius esse judicans, se ultra posse suum quodammodo in periculum mittere, quam vestræ dilectionis petitioni non obedire. Petitis enim a nobis ut cuidam vestro amico vice vestra respondeamus, qui *nostrates* (1122) perjuros esse improvide dogmatizat, eo quod depositis et excommunicatis juramentum subjectionis servare non præsumant. Sed nos qualitatem illius vestri amici non bene cognoscimus, videlicet, si canonicæ auctoritati quoquomodo assentiat, an hæretico more quibuslibet rationibus pertinaciter resistat. Quapropter non ad illum, sed ad vestram fraternitatem scribere decrevimus, vobisque rationes suggerere, quibus illum conveniatis, sicut ejus qualitati et correctioni magis competere videatis. Ita autem, Deo annuente, scribere tentabimus, ut ejus correctioni sufficere possit, si tamen nondum in hæretica pravitate pertinaciter obduruit, quam Paulus apostolus magis devitandam, quam sæpius admonendam judicavit. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis (*II Cor.* XII I), domini et fratres dilectissimi.

II. Multi ex adversariis sanctæ Ecclesiæ Catholicos *nostri temporis* de perjurio notare solent, eo quod depositis et excommunicatis juramentum subjectionis servare nolint, a quo tamen Romanus eos pontifex synodali judicio absolvit (1123). Sed illi eos nequaquam de perjurio inculpabunt, quicunque ecclesiasticam et apostolicam auctoritatem fideli consideratione perpenderint, quæ tam efficaciter subjectos absolvere, quam prælatos eorum deponere hactenus consuevit. Hoc ergo ut evidentius fiat, paulo altius de eadem auctoritate nos fideliter considerare non pigeat : nam hæc bene considerata et *nostrates* de perjurio indubitanter expurgabit, et adversariorum nostrorum oblocutionem evidentissime confutabit.

III. Dominus noster Jesus Christus in Evangelio hanc universalem et indubitanter efficacem B. Petro dedit potestatem, ut ligatum esse quidquid ipse ligasset, et solutum quidquid ipse solvisset (*Matth.* XVI). Nec hæc potestas in solo Petro remansit, sed et in alios apostolos, imo in omnes Ecclesiarum principes commeavit, beato Leone I attestante, qui ait (*serm.* 3, in anniv. assumpt. suæ) : « Quod dicitur B. Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Ibid.*), et reliqua, transivit quidem etiam in alios apostolos, jus potestatis illius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim hoc ideo singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. » Hac igitur auctoritate præsules apostolici, videlicet successores S. Petri specialiter et principaliter sublimati, quoslibet in Ecclesia prælatos pro certis criminibus deponere consueverunt, et adhuc deponere possunt. Et hoc utique in canonicis et apostolicis sanctionibus tam usitatum invenitur, ut nulli erudito inde aliquid dubitandum videatur. Nempe S. Cœlestinus papa in sacra synodo Ephesina (LABB., t. III, p. 533), quæ ex quatuor principalibus synodis est tertia, Nestorium patriarcham Constantinopolitanum: item Leo Magnus in sancto Chalcedonensi concilio (Id., t. IV, p. 417), ex quatuor principalibus ultimo, Dioscorum patriarcham Alexandrinum per legatos suos apostolica auctoritate damnaverunt. Item Felix papa Acacium patriarcham Constantinopolitanum in Romana synodo (*l. c.*, pag. 1095,) absentem deposuit et anathematizavit, eo quod ipse communionem excommunicatorum declinare noluerit. Item et in nostro tempore venerabilis papa Alexander (1124) Petrum Florentinum deposuit, eique Reginherium venerabilem virum subrogavit. Sed incassum laborabimus, si singulas hujusmodi depositiones enumerare voluerimus; nam prius nobis diem, quam exempla de talibus deficere non dubitamus.

celebratum ann. 439, præside S. Hilario Arelatensi. Vid. Labb., t. III, p. 1287 et Maurianorum nova collectio conciliorum Galliæ, t. I, p. 444.

(1121) Colligi ex hisce verbis videtur, Waltherum hunc canonicum fuisse regularem, ac forte pariter in Raitenbuch, ad cujus collegii canonicos hunc æque ac præcedentem tractatum fuisse perscriptum existimo.

(1122) Per *nostrates* hic sive Blasianos vel omnes Constantiensis diœcesis subditos intelligi arbitror, quos Gregorius VII a præstito juramento absolvit. Vid. supra, col. 1219 et 1238.

(1123) Dubium, an synodum Romanam ann. 1076 intelligat, num Urbanum II, ad cujus decretum, quod *subditi fidem jurato datam principi Christiano, Deo ejusque sanctis adversanti et eorum præcepta violanti, servare non teneantur,* provocat Gregorius IX in epistola ad præsules Apuliæ missa; quod tamen nullibi alias se vidisse testatur Fleurius, Hist. Eccl. l. LXXIX, § 40. Verosimilius tamen Bernaldus hic potius agit de Ottone episcopo suo, quam de rege Henrico.

(1124) Si Ughello fides (*Ital. sacr.*, t. III, p. 77), Raynerius ann. 1071 successit Petro, non quidem illi Simoniaco et deposito, sed alteri cognomini vere catholico, ad quem exstat Alexandri II epistola ann. 1067 (*l. c.*, p. 76).

IV. Sicut autem Romani pontifices summos patriarchas deponere possunt, ita et inferiores, utpote mundi principes (1125), quorum utique dignitas potius ex humana adinventione, quam ex divina institutione videtur processisse (1126). Quid enim mirum, si apostolica auctoritas reges judicare posse creditur, quæ juxta Apostolum et angelos judicatura non dubitatur : *Nescitis, quoniam et angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* (*I Cor.* VI.) Nam reges sacerdotali potestati certum est subjacere, B. Gelasio papa ad Anastasium imperatorem ita protestante (*epist.* 8, LABB., t. IV, pag. 1182) : *Duo,* inquit, *sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacrata pontificum, et regalis potestas; in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quoniam licet præsideas humano generi dignitate, tamen præsulibus divinarum rerum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis exspectas* (1127), *hincque te illis subdi debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse; inter hæc ex illorum te pendere judicio, nos illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Hinc S. Gregorius papa I sæpenumero in privilegiis, quæ fecit, legitur decrevisse, ut tam reges quam sacerdotes, vel quilibet sæculares, a suis dignitatibus caderent, si contra sedis apostolicæ statuta venire tentarent (1128). Eadem autem auctoritate B. Stephanus papa hujus nominis secundus Hildericum regem Francorum pro ignavia sua deposuit, et depositum atque detonsum in monasterium misit, et Pippinum ei in regnum substituit (1129). Nec mirandum, si Romani pontifices sæcularibus sæculares dignitates possunt auferre, ne Christianis principentur, quos penitus a corpore detruncare possunt, ne vel ultimum locum inter Christianos habere videantur. Sic enim S. Innocentius papa Arcadium imperatorem excommunicasse legitur, eo quod consenserit ut S. Joannes Chrysostomus a sede sua pelleretur. Item B. Nicolaus papa I Lotharium regem pro quadam concubina excommunicavit. Item B. Adrianus papa generaliter omnes reges anathematizavit, quicunque sedis apostolicæ statuta violare præsumpserint.

V. Patet ergo satis aperte, quod præsules apostolici tam ecclesiasticos quam sæculares prælatos valeant deponere. Unde et necessario consequitur, ut et subjectos de manibus prælatorum possint emancipare; non enim rata posset esse prælatorum depositio, si subjectorum nulla posset fieri subtractio (1130). Sed et hoc certum est omnibus Catholicis et eruditis, quod B. Petrus a Domino æque generaliter et efficaciter tam solvendi quam ligandi potestatem acceperit (*Matth.* XVI). Unde et vicarii ipsius, qui ex apostolica auctoritate prælatos possunt ligare, ne subjectis præsideant, eadem auctoritate etiam subjectos absolvere, ne eisdem prælatis subjaceant. Sic utique S. Cœlestinus papa in synodo Ephesina Constantinopolitanos in sua auctoritate de manibus Nestorii quondam episcopi emancipavit (1131). Item S. Leo papa in Chalcedonensi synodo Alexandrinos in sua auctoritate a Dioscoro quondam episcopo synodali judicio liberavit, eisque, ut S. Proterium sibi eligerent in episcopum, concessit. Hæc sane sacratissima concilia, in quibus hujusmodi emancipationes sive solutiones factæ leguntur, tantam reverentiam ex apostolica auctoritate meruerunt, ut B. Gregorius papa eadem et Evangeliis comparet, et omnes ab eis dissentientes anathematizet, qui etiam de eisdem in synodica sua ad patriarchas (lib. epist.) protestatur ita : *Se,* inquit, *et non illa destruit, quisquis solvere præsumit quos ligant, vel ligare quos solvunt.* Item B. Stephanus papa, de quo prædiximus, omnes Francigenas a dominio et juramento subjectionis Hilderici regis penitus absolvisse legi-

(1125) Fallacis hujus argumentationis novitas jam in præviis observationibus proditur.

(1126) *Non est potestas* ait Apostolus (*Rom.* XIII), *nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt;* non ergo simpliciter ex humana adinventione.

(1127) Genuinus Gelasii sensus patet ex integro loco citato, hic tamen decurtato; ita autem ille : *Præsulibus rerum divinarum devotus colla submittis atque ab eis causas tuæ salutis exspectas, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit, disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse;* adeoque in iis, quæ religionem attinent, seu ecclesiasticis, uti mox in sequentibus declarat, quod *cognoscentes imperium ei superna dispositione collatum, legibus* ejus *ipsi quoque parent religionis antistites.*

(1128) Videantur de hoc argumento superius col. 1219 dicta.

(1129) Ita Bernaldus ex fide scriptorum Francorum, Qua de re bene observat Pagius in Vita Zachariæ papæ ex Petro de Marca (l. III, *Marcæ Hispan.*, c. 4) id duntaxat de concilio et monito papæ accipiendum, et Eginhardum in Annalibus sedis apostolicæ auctoritatem adjunxisse Franciæ procerum petitioni, et consensui, *ne populi permissas suo arbitrio putent regum mutationes.* Unde nullum hinc pro pontificum ad reges deponendos potestate argumentum extundi potest, cum cuncta hæc consentiente tantum Franciæ proceribus papa, non vero jubente, sive ex ejus auctoritate sint acta, vid. not. 1132 mox infra. Nec etiam quadrant huc adducta aliorum pontificum exempla, quæ id unum evincunt, reges quoque a fidelium communione extorres fieri posse, si Ecclesiæ decretis rebelles et contumaces existant, nequaquam propterea sua dignitate privari : quod certe memorati hic pontifices nunquam per sua etiam anathemata intenderunt.

(1130) Valent hæc utique de prælatorum ecclesiasticorum depositione, cum illi quoad officium suum quoque ab Ecclesia dependeant : inde tamen ad reges concludere neutiquam licet, Ecclesiæ quidem æque in spiritualibus subjectos, in exercitio tamen suæ potestatis soli Deo rationem reddituros, ut probant superius jam ex SS. Ambrosio et Gregorio in observationibus adducta testimonia. Talia vero condonanda sunt Bernaldo, qui ex ævi sui genio scripsit.

(1131) Recte his argumentis et exemplis contra refractarios episcopos jam supra, col. 1237, usus est Bernaldus.

tur (1132). Item S. Joannes papa (1133) Ludovicum imperatorem a juramento, quo ipse Adalgiso tyranno repacificatus est, absolvit, eo quod cum salute reipublicæ nequaquam posset observari.

VI. In nostris quoque temporibus sedes apostolica Babinbergenses ab Heremanno et Florentinos a Petro quondam episcopis absolvit, nec aliquos eis quasi episcopis subjacere permisit, etiamsi eisdem juramentum subjectionis fecissent. Sic utique semper apostolica auctoritas quoslibet Christianos sibi specialiter commissos de manibus depositorum et excommunicatorum absque omni nota perjurii absolvere consuevit, etiamsi eisdem prælatis subjectionem juramento promiserunt. Sanctus quoque Bonifacius martyr et episcopus, qui juniori Gregorio papæ omnimodam jurasse legitur obedientiam, eo de juramento, sed ab eodem apostolico, absolvi instantissime rogavit (1134) : quod utique tam sanctus vir et sapiens eur rogaret, si hujusmodi solutionem non valere, et ob hoc perjurium excusare non posse putaret?

VII. Præterea si diligenter considerare volumus, juramentum subjectionis non solet exhiberi prælatis, nisi pro respectu prælationis, quod etsi in juramento verbis specialiter non exprimatur, in juratione tamen subintelligendum esse non dubitatur, videlicet, ut iste illi fideliter subjaceat, quandiu ille isti officio prælationis præsideat. Postquam autem prælatus prælatione fuerit privatus, nequaquam ille qui subjectus ejus fuit juramentum subjectionis ipsi ulterius servare debebit, quod ei nonnisi ad officium prælationis juravit. Non enim pro perjuris damnandi esse videntur, quicunque privatis prælatione juramentum subjectionis servare nolunt, quod eisdem, dum prælati essent, pro officio prælationis quondam juraverunt. Nec utique multum esset necessarium, ut Ecclesia subjectos ab hujusmodi juramento specialiter solveret, quorum prælatos canonice jam deposuisset, nisi propter quorumdam infirmorum dubitationem, qui in talibus causis nihil putant actum, nisi quod specialiter fuerit prænominatum. Est enim cuilibet erudito satis manifestum, A quod prorsus illi subesse non debemus, quem indubitanter depositum, ne nobis præesse debeat, cognoscimus. Nam in ipsa canonica depositione prælatorum itidem et subjectorum absolutio continetur, quæ semper ibi subintelligitur, etiamsi sententia depositionis signanter non annumeretur. Sic quippe Felix beatus papa Acacium patriarcham Constantinopolitanum in Romana synodo (Labb., t. IV, pag. 1095) deposuit, nec aliquam subjectorum absolutionem ibi specialiter commemoravit. Nec utique necesse fuit, nam nullatenus illi deinceps ut episcopo subjacere debuerant, cum nec subjecti ejus essent, quem ab episcopatu, etc.

Hic truncatus est codex integro quaternione octo paginarum exciso, ubi tam finis hujus tractatus, B *quam alius novus continebantur; quæ enim abhinc sequuntur, nonnisi fragmentum seu conclusio diversi ab hoc operis sunt et cum illo argumento conveniunt, quod superius* col. 1243 de presbyterorum officio *tractavit Bernaldus.* Hujus quidem opusculi hoc modo deperditi jacturam dolemus, ob alterius vero codicis defectum restituere haud possumus. Forte feliciores erunt alii mei collegæ, si sua scrinia curatius pervestigare voluerint.

Observandum indubitanter præfixerunt. Hoc utique venerabilis papa Gregorius hujus nominis septimus in suo tempore fecit. Hunc B. Anselmus Lucensis episcopus in suo episcopatu imitari consuevit. Hoc etiam reverendissimus domnus noster papa C Urbanus non dico Romanis, imo aliarum gentium presbyteris, item et monachis concessit. Quamdam etiam congregationem presbyterorum tali concessione generaliter donasse asseritur. Hanc ergo concessionem et alii vacantes presbyteri ab episcopis accipere non negligant, antequam tale officium circa pœnitentes exercere præsumant. Nihil enim religioni nocebit, si cum auctoritate episcopi etiam illa humiliter agere studeamus, quæ nos absolute ex officio nostro habere non dubitamus : quanto magis illud, quod canones nos absque jussione episcopi exercere non permittunt? Nec de præsumptione nos excusare poterimus, si deinceps, quæ prohibita sunt, scienter et inobedienter usurpare tentabimus.

(1132) Vid. mox nota 1229. Scio hæc passim ab aliis quoque narrari; at quid opus fuisset tali absolutione per Stephanum facienda, si Childericus auctoritate Zachariæ ejus antecessoris depositus fuisset? Major itaque fides habenda videtur Theophani quamvis extero, qui quod domestici scriptores non audebant, in sua chronographia (ed. Paris., p. 338) D candide testatur, Pippinum *a perjurio in regem* Childericum *admisso* fuisse absolutum a papa (Bouquet. *Collect.*, t. V, p. 187).

(1133) Id ad annum 871 refert Hermannus et Annales Metenses : quod tamen non a Joanne VIII, sed ab Adriano II factum esse affirmat Pagius.

(1134) Gregorius II seu junior S. Bonifacium Mo-

BERNALDI

TRACTATUS DE REORDINATIONE VITANDA, ET DE SALUTE PARVULORUM, QUI BA EXCOMMUNICATIS BAPTIZATI SUNT,

Ad Gebhardum episcopum Constantiensem.

MONITUM.

Non legimus Gebhardum aliquando Italiam accessisse ante annum 1100, quo obiit Bernaldus, qui hanc ad eum epistolam scripsit, in qua sententiam de sacramentis excommunicatorum, quam opusculo II sta-

tuerat, denuo partim iisdem, partim novis argumentis confirmat. Hæc res demum in concilio Guastallensi ann. 1106) tractata et decisa est, præsente tunc etiam Gebhardo, quem Heinricus V priore anno Romam ad pontificem miserat. Arbitror autem Gebhardo jam antea fuisse propositum, concilio cuidam Romano interesse, ac desuper Bernaldum consuluisse, quin tamen id exsequi potuerit vivente Heinrico IV, ejusque factione Alpes præcludente impeditus. Unde de tempore, quo scripta est hæc epistola, nil statui potest, quamvis omnino ante annum 1100 reponenda sit, cum scriptor eodem anno fatis concesserit.

Domno ac reverendissimo antisstiti GEBEHARDO, apostolicæ legationis (1135) auctoritate sublimato, BERNALDUS solo nomine presbyter non moribus, suæ qualiscunque orationis et servitii certitudinem.

I. Vestræ paternitatis excellentia nuperrime per legationem meæ parvitati injungere dignata est, ut vobis breviter aliqua scribere festinarem, quæ vobis in proxime futuro domni apostolici concilio (1136) necessaria putarem. Quam quidem injunctionem quamvis vires meas excedere non dubitem, satius tamen esse judico, me in periculum mittere, quam vestræ petitioni, imo præceptioni non obedire.

II. De his ergo, qui hactenus apud excommunicatos ordinati sunt, in illa synodo ventilandum esse non dubito, qualiter in Ecclesiam recipiendi sunt. Unde ego vester cliens authenticas sanctiones de hac causa singulari diligentia perquirens satis abundanter usquequaque inveni, quod nullus eorum juxta rigorem canonicum in Ecclesia officium ordinis administrare debeat, quem in excommunicatione acceperat. Sed quia modo summa necessitas illum rigorem quodammodo emolliri cogit, illud summopere prævideamus, ut ipsam emollitionem nequaquam contra canones, sed secundum canones temperemus : videlicet, ut si quem eorum de excommunicatione conversum ecclesiastica necessitas cum officio recipi cogit, nequaquam illum contra canones reordinemus, sed potius secundum canones cum ordine recipiamus. Sic enim sacratissimum concilium Nicænum, a SS. Patribus Evangelio comparatum, clericos Novatianorum cum ordine suscipi, non iterum ordinari decrevit, quod, cap. 8, ita præcepit (LABB., t. II, p. 41) : *De his, qui seipsos cognominant Catharos, id est, mundos, si aliquando veniunt ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio, ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant.* Et post pauca in eodem capitulo : *Qui eorum inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent.* Et iterum : *Providebit episcopus, ut in clero prorsus esse videantur.* Hi autem Cathari sive Novatiani sectatores fuerunt cujusdam hæresiarchæ Novati (1137), qui cum B. Cornelio papa per contentionem ordinatus legitur, sicut et Wibertus (Guibertus) hæresiarcha cum venerabili Gregorio papa. Hi etiam non solum ecclesiastico, sed et proprio eorum judicio condemnati ab Ecclesia discesserunt, et in perpetuam eorum confusionem proprii nominis hæresim condiderunt : quos tamen conversos SS. Patres cum ordine susceperunt, non utique iterum ordinaverunt. Est ergo satis rationabile, ut et nos illum modum in receptione Wibertistarum (1138) teneamus, quem sanctos Patres in eorum similibus tenuisse, et tenendum præscripsisse legimus.

III. Sic etiam et Africanum concilium, cui legatio sedis apostolicæ et B. Augustinus interfuit, clericos Donatistarum cum ordine recipiendos, non iterum ordinandos præscribit quod in capitulo 35 (LABB., t. II, p. 1651) ita decernit : *Placuit ut ex ipsis Donatistis quicunque clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque episcopi catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci catholicæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est; quod multarum et pene omnium Africanarum Ecclesiarum exempla testantur.* S. Augustinus de eisdem Donatistis scribens ad Bonifacium : *Sint,* inquit, *in Ecclesia clerici, sint episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter.* Beatus quoque Innocentius I papa, quamvis ordinationem hæreticorum damnationem potius quam consecrationem esse judicaverit (*epist.* 22, cap. 3; LABB., t. II, pag. 1273), sententiam tamen Nicæni concilii de receptione Novatia-

guntinum postea archipræsulem ann. 723 episcopum ordinavit, ab eoque fidelitatis juramentum exegit, quod refert Othlonus in illius Vita (MABILL. *Acta* SS. Sæculo III Bened., p. II, p. 36), ubi tamen nihil notatur de petita istius relaxatione; imo id potius Gregorio III et Zachariæ postmodum renovavit.

(1135) Gebhardus hujus nominis tertius, de quo jam col. 1237, dictum, ab Urbano II legati apostolici dignitate auctus fuit, uti refert Bernoldus in Chronico ad ann. 1089, ipsa hac de re Urbani epistola legitur apud Labbeum, t. X, pag. 444.

(1136) Quale fuerit Romanum hoc concilium, cui interesse voluit Gebhardus compertum haud est, illum saltem ante annum 1100 Romam venisse nuspiam prodit Bernaldus in Chronico. Forte ad illud anni 1099 ire disposuerat, sed ab Heinricianis impeditus demum Heinrico mortuo et pace reddita ann. 1405 ab Heinrico V Romam missus anno sequente synodo Guastallensi a Paschali II celebratæ interfuisse dicitur in Gallia Christiana (t. V, pag. 911), ubi illa de schismaticis ordinatis in Ecclesiæ communionem recipiendis quæstio tractata et ita definita est, prout jam antea Bernoldus in hac sua epistola consuluerat.

(1137) Hic non erat Novatus Africanus, sed Novatianus presbyter Romanus, quos ab invicem distinguendos esse observat Petavius, in suis ad S. Epiphanium hæresi 59 animadversionibus (EPIPH. Opp., t. II, pag. 226).

(1138) Sic a Catholicis appellabantur, qui adhærebant Guiberto antipapæ sub nomine Clementis III, quorum tamen dispar a Novatianis fuit causa; cum hi hæretici quoque essent, isti tantum schismatici.

norum in decretis suis (Labb., l. c., pag. 1274) venerabiliter suscepit, non reordinavit (1139) : quem tamen ipse ab excommunicatis et in excommunicatione ordinatum declaravit, cujus ordinationem nec consecrationem dicendum esse asseruit, it protestatus : *Quam rem*, inquit, *nullo modo possumus dicere consecrationem, quia ab excommunicatis celebrata est*. Hunc tamen ipse conversum et per pœnitentiam purgatum cum ordine recepit, non reordinavit, ne illi suæ sententiæ quoquomodo adversaretur, in qua reordinationem penitus ut rebaptizationem proscripsisse videtur, videlicet quam scribit ad Joannem archiepiscopum Ravennatem (Gregor. l. II, *epist.* 46) : *Sicut*, inquit, *semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita consecratus semel in eodem ordine non valet iterum consecrari.*

Eamdem quoque sententiam de cavenda reconsecratione S. Innocentius papa Naisitano episcopo (*epist.* 16 ; Labb., tom. II, p. 1271) scribens tenuisse non dubitatur; qui eidem episcopo clericos summopere suos reconciliari studuit, quos zelo justitiæ ductos pro quodam reconsecrato in Ecclesia retento rationabiliter doluisse cognovit. Item Africanum concilium apostolica auctoritate congregatum et confirmatum, cui B. Augustinus interfuit et subscripsit, capitulo 15 firmissime constituit ut reordinationes æque ut rebaptizationes penitus fieri non liceat (Labb., t. II, p. 1644). Item canones apostolorum (can. 67 ; Labb., t. I, p. 39) : Si *quis episcopus presbyter vel diaconus secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur et ipse et ordinator ejus* (1140). Nec hoc temere dixerim, quod nusquam in authenticis statutis aliquos ex hæresi conversos esse legimus ordinandos, nisi Paulianistas et alios hujusmodi, qui non more catholicorum invocationem sanctæ Trinitatis faciunt, qui etiam iterum baptizandi sunt, cum ad nos veniunt.

IV. Sunt tamen quidam simplices nimiumque zelotes, qui quoslibet in excommunicatione ordinatos, si resipuerint, non cum ordine recipiendos, sed omnino reordinandos esse putant : et hoc ideo, quia sacramenta in excommunicatione usurpata penitus exsufflare non dubitant. Sed nos magis B. Anastasio præsuli apostolico credere debemus, qui ad Anastasium imperatorem scribens sacramenta Ecclesiæ tam in ordinatoribus quam in ordinatis rata esse comprobavit, quæ Acacius patriarcha Constantinopolitanus, licet a Felice papa damnatus, in excommunicatione administravit. Scribit enim ita ad eumdem imperatorem (Labb., t. IV, pag. 1280) : « Secundum, inquit, Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod

A nullum de his, quos vel baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes vel levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quæ forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum quod procul sit ab Ecclesia sive ab adultero sive a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quæ per columbam sonuit omnem maculam humanæ pollutionis excludit qua declaratur et dicitur : « Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto et igni (*Luc.* III). » Et post pauca : « Acacius, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit; nam inviolabile sacramentum quod per illum datum est aliis B perfectionem suæ virtutis obtinuit. Quod si est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio, ut imaginetur, prolato a Felice papa judicio (Labb., t. IV, pag. 1095) postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus vel in baptismate tradita mysteria susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerint, in hanc quoque partem similiter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione nominis sacerdotii adjudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis in hoc quoque rea sibi persona, aliis non nocuit. Nam ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur : « Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum, et verticem capilli perambulantium in deC lictis suis (*Psal.* LXVII). » Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam, quod universa cœlestium Scripturarum testatur auctoritas, sicut per Spiritum sanctum dicitur in prophetia « : Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal.* C). » Unde cum sibi sacerdotis nomen vindicaverit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est, non populus Dei, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est. »

Beatus etiam Augustinus itidem sentire non dubitatur, qui ad Vincentium Donatistam (*epist.* 93, Opp. t. II, p. 249) scribens ita protestatur : » Ecclesiæ, inquit, sunt omnia sacramenta Dominica, quæ sic habetis et datis, quomodo habebantur et dabantur etiam antequam exiretis; non tamen ideo non D habetis, quia non estis ibi, unde sunt, quæ habetis. » Et post pauca : « Nobiscum estis in symbolo, in baptismo, in cæteris sacramentis; in spiritu autem unitatis et in vinculo pacis, ipsa denique catholica Ecclesia nobiscum non estis. » Item in epistola ad Festum (*epist.* 89, n. 7, l. c., pag. 222) : « Neque, inquit, sacramenta hæreticorum nobis inimica sunt, quæ in illis nobis sunt communia, quia

(1139) Hic in codice nostro quædam omissa sint necesse est; quæ enim hic sequuntur, neque ad Novatianum neque ad Innocentium pertinent, sed ad Gregorii Magni tempora, et ad ordinationem Maximi Salonitani episcopi, de qua idem Gregorius (l. IV, epist. 20) : *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis hominibus est celebrata*. Hunc ipsum tamen Maximum postea cum ordine recepit (l. IX, epist. 81). Decretalis vero *Sicut*, dist. 68, c. 1 desumpta est ex ejus epistola (l. II, epist. 46) ad Joannem Ravennatensem.

(1140) Integrum canonem haud retulit Bernaldus, sequitur enim : *Nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat; qui enim ab eis baptizati et ordinati sunt, ut fideles vel clerici sint, fieri non potest*. Vid. Drouven De re sacram., t. II, pag. 275.

non humana sunt sed divina. Proprius eorum error auferendus est, quæ male imbiberunt, non sacramenta, quæ similiter acceperunt, quæ ad pœnam suam portant et habent, quanto indignius habent, et tamen habent. » Item in epistola ad Emeritum hæreticum (*epist.* 87, n. 9, l. c., pag. 212) : Vos inquit, mutamini ex ea parte qua dissentiebatis, quamvis sacramenta, quæ habetis, cum eadem sint in omnibus, sancta sunt. Quapropter vos mutari volumus a perversitate, ut denuo radicetur præcisio vestra. Nam sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis, approbantur a nobis, ne forte, cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis mysteriis Christi, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam. » Item in libro ad Constantinum *De unico baptismo* (t. IX Opp., cap. 2, pag. 528) : « Hoc est justum, ut cum mala hominum reprobamus, quæcunque in illis bona Dei reperimus, approbemus. Hoc, inquam, justum est, ut etiam in sacrilego non violem, quod verum invenio sacramentum, nec ita emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium. » Item in eodem (l. c., cap. 3) : « Cum ad nos venit schismaticus vel hæreticus, ut catholicus fiat, schisma ejus et hæresim dissuadendo et destruendo rescindimus; sacramenta vero Christiana, si eadem in illo invenimus, et quiquid aliud veri tenet, absit ut violemus, absit, ut si semel data novimus, iteremus, ne dum vitia humana curamus, divina medicamenta damnemus; aut quærendo sanare quod vulneratum non est, hominem saucium et ubi sanus est vulneremus. » Item in libro I contra Donatistas, *De baptismo* (cap. 1, l. c., p. 80) tam ordinem quam baptismum extra Ecclesiam haberi posse pronuntians : « Nulli, inquit, sacramento injuria facienda est; si discedit a malis, utrumque discedit; si permanet in malis, utrumque permanet. » Item in eodem (cap. 13) : « Sacramenta, quæ schismatici et hæretici non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus. » Item in tertio (cap. 10) : « Non ideo non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite utuntur non solum hæretici, sed etiam iniqui offerunt et impii; sed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa vero agnoscenda et veneranda sunt. » Item in eodem cap. 19 : « Hæretici sacramenta et Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem. » Item in eodem, cap. 15 : « Sacramenta si eadem sunt, ubique sunt integra, etiam si prave intelligantur, et discordiose tractentur; sicut scriptura ipsius Evangelii (si) eadem ipsa (est) ubique integra est. » Item in quarto, cap. 11 : « Intus et foris perversitas hominum corrigenda est, divina vero sacramenta et eloquia non hominibus tribuenda. » Item in quinto, cap. 19 : « Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt, » id est, intus et foris. Item in eodem, cap. 27 : « Munera divinitus concessa partim sunt propria bonorum, sicut in hoc tempore infatigabilis charitas, et in sæculo futuro vita æterna; partim vero cum malis perversisque communia, sicut omnia cætera, in quibus sunt et sacrosancta mysteria. »

Sed epistolarem brevitatem observare non possem, si omnia hujusmodi testimonia colligere voluissem. Cæterum si quis hæc plenius explorare voluerit, scripta B. Augustini contra Donatistas fideliter perscrutetur, et deinceps dubitare non permittitur sacramenta Ecclesiæ tam extra Ecclesiam quam intra Ecclesiam dari et haberi posse, sed extra utrumque omnino perniciose. Hucusque de clericis in excommunicatione ordinatis.

V. De infantibus quoque itidem in excommunicatione baptizatis aliquam mentionem in futura synodo faciendam puto, id est, si salvi sint, etiamsi ante reconciliationem obierint? Unde nobis itidem auctoritas S. Augustini satisfacere poterit, si fideliter legerimus quid ipse censuerit. De majoribus post hujusmodi baptismum statim obeuntibus scribit itidem ita in primo libro *De baptismo* (cap. 2, l. c. pag. 81) : « Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, et in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, nonnisi eum catholicum deputamus. Si autem a corporali morte liberatur, cum se catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, unde nunquam corde discessit, non solum non improbamus quod fecit, sed (etiam) securissime verissimeque laudamus, quia præsentem Deum credidit corde suo, ubi unitatem servabat, et sine sacri baptismi sacramento, quod ubicunque invenit, non hominum sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, cum possit in ipsa catholica percipere, per aliquam mentis perversitatem elegit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi quidem accipi potest, prodesse autem nihil potest, procul dubio perversus et iniquus est, et tanto perniciosius, quanto scientius. » Item in sexto libro *De baptismo* (cap. 5, l. c., pag. 163) : « Omnes mali spiritualiter a bonis sejuncti sunt, si autem etiam corporaliter aperta dissensione separentur, pejores fiunt. Sed ut dictum est, nihil interest ad baptismi sanctitatem, quando quisque pejor id habeat et quanto pejori tradat. Potest tamen tradere separatus, sicut potest habere separatus; sed quam perniciose habere, tam perniciose tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat, sicut plerisque accidit aliqua necessitate mortis. »

VI. Si hoc ergo de majoribus et scientibus, quanto magis credendum est de infantibus, qui penitus hæresim nesciunt, nec a separato baptismum recipiunt? Nam aversio cordis ubilibet solet impedire donum remissionis : quæ cum in parvulo baptizato

norum in decretis suis (LABB., l. c., pag. 1274) venerabiliter suscepit, non reordinavit (1139) : quem tamen ipse ab excommunicatis et in excommunicatione ordinatum declaravit, cujus ordinationem nec consecrationem dicendum esse asseruit, it protestatus : *Quam rem,* inquit, *nullo modo possumus dicere consecrationem, quia ab excommunicatis celebrata est.* Hunc tamen ipse conversum et per pœnitentiam purgatum cum ordine recepit, non reordinavit, ne illi suæ sententiæ quoquomodo adversaretur, in qua reordinationem penitus ut rebaptizationem proscripsisse videtur, videlicet quam scribit ad Joannem archiepiscopum Ravennatem (GREGOR. l. II, *epist.* 46) : *Sicut,* inquit, *semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita consecratus semel in eodem ordine non valet iterum consecrari.*

Eamdem quoque sententiam de cavenda reconsecratione S. Innocentius papa Naisitano episcopo (*epist.* 16; LABB., tom. II, p. 1271) scribens tenuisse non dubitatur; qui eidem episcopo clericos summopere suos reconciliari studuit, quos zelo justitiæ ductos pro quodam reconsecrato in Ecclesia retento rationabiliter doluisse cognovit. Item Africanum concilium apostolica auctoritate congregatum et confirmatum, cui B. Augustinus interfuit et subscripsit, capitulo 15 firmissime constituit ut reordinationes æque ut rebaptizationes penitus fieri non liceat (LABB., t. II, p. 1644). Item canones apostolorum (can. 67; LABB., t. I, p. 39 : *Si quis episcopus presbyter vel diaconus secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur et ipse et ordinator ejus* (1140). Nec hoc temere dixerim, quod nusquam in authenticis statutis aliquos ex hæresi conversos esse legimus ordinandos, nisi Paulianistas et alios hujusmodi, qui non more catholicorum invocationem sanctæ Trinitatis faciunt, qui etiam iterum baptizandi sunt, cum ad nos veniunt.

IV. Sunt tamen quidam simplices nimiumque zelotes, qui quoslibet in excommunicatione ordinatos, si resipuerint, non cum ordine recipiendos, sed omnino reordinandos esse putant : et hoc ideo, quia sacramenta in excommunicatione usurpata penitus exsufflare non dubitant. Sed nos magis B. Anastasio præsuli apostolico credere debemus, qui ad Anastasium imperatorem scribens sacramenta Ecclesiæ tam in ordinatoribus quam in ordinatis rata esse comprobavit, quæ Acacius patriarcha Constantinopolitanus, licet a Felice papa damnatus, in excommunicatione administravit. Scribit enim ita ad eumdem imperatorem (LABB., t. IV, pag. 1280) : « Secundum, inquit, Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, quos vel baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes vel levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quæ forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum quod procul sit ab Ecclesia sive ab adultero sive a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quæ per columbam sonuit omnem maculam humanæ pollutionis excludit qua declaratur et dicitur : « Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto et igni (*Luc.* III). » Et post pauca : « Acacius, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit; nam inviolabile sacramentum quod per illum datum est aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit. Quod si est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio, ut imaginetur, prolato a Felice papa judicio LABB., t. IV, pag. 1095) postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus vel in baptismate tradita mysteria susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerint, in hanc quoque partem similiter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione nominis sacerdotii adjudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis in hoc quoque rea sibi persona, aliis non nocuit. Nam ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur : « Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum, et verticem capilli perambulantium in delictis suis (*Psal.* LXVII). » Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam, quod universa cœlestium Scripturarum testatur auctoritas, sicut per Spiritum sanctum dicitur in prophetia « : Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal.* C). » Unde cum sibi sacerdotis nomen vindicaverit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est, non populus Dei, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est. »

Beatus etiam Augustinus itidem sentire non dubitatur, qui ad Vincentium Donatistam (*epist.* 93, Opp. t. II, p. 249) scribens ita protestatur : » Ecclesiæ, inquit, sunt omnia sacramenta Dominica, quæ sic habetis et datis, quomodo habebantur et dabantur etiam antequam exiretis; non tamen ideo non habetis, quia non estis ibi, unde sunt, quæ habetis. » Et post pauca : « Nobiscum estis in symbolo, in baptismo, in cæteris sacramentis; in spiritu autem unitatis et in vinculo pacis, ipsa denique catholica Ecclesia nobiscum non estis. » Item in epistola ad Festum (*epist.* 89, n. 7, l. c., pag. 222) : « Neque, inquit, sacramenta hæreticorum nobis inimica sunt, quæ in illis nobis sunt communia, quia

(1139) Hic in codice nostro quædam omissa sint necesse est; quæ enim hic sequuntur, neque ad Novatianum neque ad Innocentium pertinent, sed ad Gregorii Magni tempora, et ad ordinationem Maximi Salonitani episcopi, de qua idem Gregorius (l. IV, epist. 20) : *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis hominibus est celebrata.* Hunc ipsum tamen Maximum postea cum ordine recepit (l. IX, epist. 81). Decretalis vero *Sicut,* dist. 68, c. 1 desumpta est ex ejus epistola (l. II, epist. 46) ad Joannem Ravennatensem.

(1140) Integrum canonem haud retulit Bernaldus, sequitur enim : *Nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat; qui enim ab eis baptizati et ordinati sunt, ut fideles vel clerici sint, fieri non potest.* Vid. Drouven De re sacram., t. II, pag. 275.

non humana sunt sed divina. Proprius eorum error auferendus est, quæ male imbiberunt, non sacramenta, quæ similiter acceperunt, quæ ad pœnam suam portant et habent, quanto indignius habent, et tamen habent. » Item in epistola ad Emeritum hæreticum (*epist.* 87, n. 9, l. c., pag. 212) : Vos inquit, mutamini ex ea parte qua dissentiebatis, quamvis sacramenta, quæ habetis, cum eadem sint in omnibus, sancta sunt. Quapropter vos mutari volumus a perversitate, ut denuo radicetur præcisio vestra. Nam sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis, approbantur a nobis, ne forte, cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis mysteriis Christi, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam. » Item in libro ad Constantinum *De unico baptismo* (t. IX Opp., cap. 2, pag. 528) : « Hoc est justum, ut cum mala hominum reprobamus, quæcunque in illis bona Dei reperimus, approbemus. Hoc, inquam, justum est, ut etiam in sacrilego non violem, quod verum invenio sacramentum, nec ita emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium. » Item in eodem (l. c., cap. 3) : « Cum ad nos venit schismaticus vel hæreticus, ut catholicus fiat, schisma ejus et hæresim dissuadendo et destruendo rescindimus; sacramenta vero Christiana, si eadem in illo invenimus, et quiquid aliud veri tenet, absit ut violemus, absit, ut si semel data novimus, iteremus, ne dum vitia humana curamus, divina medicamenta damnemus; aut quærendo sanare quod vulneratum non est, hominem saucium et ubi sanus est vulneremus. » Item in libro I contra Donatistas, *De baptismo* (cap. 1, l. c., p. 80) tam ordinem quam baptismum extra Ecclesiam haberi posse pronuntians : « Nulli, inquit, sacramento injuria facienda est; si discedit a malis, utrumque discedit; si permanet in malis, utrumque permanet. » Item in eodem (cap. 13) : « Sacramenta, quæ schismatici et hæretici non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus. » Item in tertio (cap. 10) : « Non ideo non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite utuntur non solum hæretici, sed etiam iniqui offerunt et impii; sed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa vero agnoscenda et veneranda sunt. » Item in eodem cap. 19 : « Hæretici sacramenta et Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem. » Item in eodem, cap. 15 : « Sacramenta si eadem sunt, ubique sunt integra, etiam si prave intelligantur, et discordiose tractentur; sicut scriptura ipsius Evangelii (si) eadem ipsa (est) ubique integra est. » Item in quarto, cap. 11 : « Intus et foris perversitas hominum corrigenda est, divina vero sacramenta et eloquia non hominibus tribuenda. » Item in quinto, cap. 19 : « Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt, » id est, intus et foris. Item in eodem, cap. 27 : « Munera divinitus concessa partim sunt propria bonorum, sicut in hoc tempore infatigabilis charitas, et in sæculo futuro vita æterna; partim vero cum malis perversisque communia, sicut omnia cætera, in quibus sunt et sacrosancta mysteria. »

Sed epistolarem brevitatem observare non possem, si omnia hujusmodi testimonia colligere voluissem. Cæterum si quis hæc plenius explorare voluerit, scripta B. Augustini contra Donatistas fideliter perscrutetur, et deinceps dubitare non permittitur sacramenta Ecclesiæ tam extra Ecclesiam quam intra Ecclesiam dari et haberi posse, sed extra utrumque omnino perniciose. Hucusque de clericis in excommunicatione ordinatis.

V. De infantibus quoque itidem in excommunicatione baptizatis aliquam mentionem in futura synodo faciendam puto, id est, si salvi sint, etiamsi ante reconciliationem obierint? Unde nobis itidem auctoritas S. Augustini satisfacere poterit, si fideliter legerimus quid ipse censuerit. De majoribus post hujusmodi baptismum statim obeuntibus scribit itidem ita in primo libro *De baptismo* (cap. 2, l. c. pag. 81) : « Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, et in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, nonnisi eum catholicum deputamus. Si autem a corporali morte liberatur, cum se catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, unde nunquam corde discessit, non solum non improbamus quod fecit, sed (etiam) securissime verissimeque laudamus. quia præsentem Deum credidit corde suo, ubi unitatem servabat, et sine sacri baptismi sacramento, quod ubicunque invenit, non hominum sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, cum possit in ipsa catholica percipere, per aliquam mentis perversitatem elegit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi quidem accipi potest, prodesse autem nihil potest, procul dubio perversus et iniquus est, et tanto perniciosius, quanto scientius. » Item in sexto libro *De baptismo* (cap. 5, l. c., pag. 163) : « Omnes mali spiritualiter a bonis sejuncti sunt, si autem etiam corporaliter aperta dissensione separentur, pejores fiunt. Sed ut dictum est, nihil interest ad baptismi sanctitatem, quando quisque pejor id habeat et quanto pejori tradat. Potest tamen tradere separatus, sicut potest habere separatus; sed quam perniciose habere, tam perniciose tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat, sicut plerisque accidit aliqua necessitate mortis. »

VI. Si hoc ergo de majoribus et scientibus, quanto magis credendum est de infantibus, qui penitus hæresim nesciunt, nec a separato baptismum recipiunt? Nam aversio cordis ubilibet solet impedire donum remissionis : quæ cum in parvulo baptizato

non inveniatur, mirum, si non salvari posse per vim sacramenti credatur, quod et in adultis, si absit aversio cordis, salutem operari non dubitabatur? Nempe baptismus hæreticorum majus præjudicium adultis quam parvulis solet inferre, cum illos juxta canones ab ecclesiasticis ordinationibus prohibeat, hos autem, postquam adoleverint, canonice ordinari non renuat. Sic enim Africanum concilium capitulo 24 testatur. Præterea B. Augustinus nullum parvulum ecclesiastico more baptizatum in libro XXI *De civitate Dei* (cap. 16, Opp. t. VII, p. 636) excepit, ubi generaliter de salute parvulorum ita tractavit : « Tanta, inquit, misericordia Dei est in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, ut etiam ætas hominis prima, id est infantia, quæ sine ullo renisu subjacet carni; et secunda, quæ pueritia nuncupatur (ubi nondum ratio suscepit hanc pugnam, et fere sub nullis (1141) vitiosis delectationibus jacet, quia licet jam fari valeat, et ideo infantia transisse videatur, nondum in ea est præcepti capax infirmitas mentis), si sacramenta mediatoris acceperit, etiamsi in eis annis vitam finiat, translata scilicet a potestate tenebrarum in regnum Christi, non solum pœnis non præparetur æternis, sed ne illa quidem post mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim sola spiritualis regeneratio, post mortem ne obsit quod carnalis generatio cum morte contraxit. » In hac sententia B. Augustinus nullum in infantia baptizatum excepisse videtur; unde nec nobis tutum est, aliquem parvulum excipere, quem integro mediatoris sacramento initiatum absque cordis aversione nequaquam possumus denegare.

VII. Præterea si quis etiam ex majoribus ab hæretico, hæresin penitus nesciendo, et corde non ficto, catholico more baptizatus statim moreretur, nunquid non ille catholicus et Christianæ saluti idoneus merito crederetur? Nam plane juxta Augustinum nullum contaminant, nedum damnent, aliena peccata, si penitus fuerint incognita; ita enim ad Vincentium Donatistam scribens (*epist.* 93, Opp. t. II., p. 236) : *Nullius*, inquit, *crimen maculat nescientem.* Item ad Emeritum (*Ibid.*, n. 2, pag. 209) : *Illud*, inquit, *nunc attendat vigilantia mentis tuæ, neminem posse contaminari ignotum ignotisque criminibus.* Idem in libro *De fide et operibus* (cap. 7, n. 10, Opp. t. VI, p. 170) virginem etiam de adulterio excusat, si alieno nescienter nupserit, et hoc tandiu, quandiu ipsa ignoraverit. Si ergo hoc rite creditur de majoribus, quanto magis de parvulis omnia mala ignorantibus, videlicet ut alienis peccatis baptizantium non condemnentur, per quos divina sacramenta cum nulla fictione cordis ignoranter perceperunt.

VIII. Sed objicitur, quod hæretici nec Spiritum sanctum dare valeant, nec peccatorum remissam. Et nos quoque itidem de hæreticis dicimus, quod B. Augustinum etiam de quibuslibet membris diaboli infra Ecclesiam baptizantibus asseruisse legimus. Nimis est autem longum, et huic quæstioni non adeo necessarium, ut pleniter discutiatur, unde baptizati remissam peccatorum accipiant, etiam cum perfidi eos baptizant. Sufficienter tamen ita respondere possumus ad objecta, ut et parvuli inde remissam peccatorum accepisse credantur, unde et homines magni ab hæreticis non ficto corde vel ignoranter baptizati. Si quis autem pleniter de gratia Spiritus sancti, sive de remissa peccatorum, unde accipiatur scire voluerit, in libris B. Augustini contra Donatistas sufficienter invenire poterit : in quibus et hoc satis evidenter asseritur quod divina sacramenta per quoslibet reprobos administrata percipientibus salutifera esse possint, quicunque ea non ficto corde vel averso corde perceperint.

IX. Adhuc fortasse et hoc objicitur quod SS. Patres parvulos in hæresi baptizatos per manus impositionem in catholicam recipiendos fore non dicerent, si penitus illos inculpabiles esse judicarent. Sic ergo B. Gregorius papa I parvulos ab Arianis baptizatos reconciliari præcepit (lib. I, *epist.* 17), sicut Africanum concilium a Donatistis baptizatos reconciliari debere notavit (1142). Nec nos utique his contradicimus, imo libentissime acquiescimus; videlicet ut parvuli apud hæreticos baptizati per manus impositionem recipiantur, si tamen tandiu vixerint, ut ad reconciliationem pervenire possint. Si autem mors illos in ipsa infantia præoccupaverit, mirum est, si necessitas mortis eos de culpa ignorantiæ non poterit excusare, quæ et majores natu de culpa industriæ excusare consuevit, sicut B. Augustinus supra demonstravit. Sic multi sæpissime de multis observationibus pro necessitate mortis excusantur, quos tamen, si supervixerint, ecclesiastico more merito persolvere jubentur. Sic quippe pœnitentes ante peractam pœnitentiam pro periculo mortis sæpenumero communioni sociantur, qui tamen juxta Nicænum concilium (can. 13; LABB., t. II, pag. 35), si supervixerint, legitimo ordine pœnitentiam peragere jubentur. Nec hoc utique SS. Patres ita jussisse credendi sunt, quasi penitus de salute pœnitentium desperarent, etiamsi ante peractam pœnitentiam communione donati obirent. Nam juxta S. Leonem papam (*epist.* 91, LABB., t. III, pag. 1402) : *Divinæ pietati mensuram ponere nec possumus nec debemus;* cum et latro in cruce pœnituerit, et de cruce statim ad paradisum transierit. Scriptum est item : *In quacunque die peccator conversus ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XXXIII). Sic ergo nec nos de parvulis in hæresi baptizatis desperare debemus, si mors eos præoccupaverit, antequam ad legitimam manus impositionis reconciliationem pervenerint : quam tamen nullus in hæresi baptizatus

(1141) Varians hæc codicis nostri lectio toti contextui magis apta videtur, ac illa in editis, ubi *pro nullis* sensu plane contrario legitur *omnibus*.

(1142) Can. 14, Labb., t. II, pag. 1644, et can. 47, ibid., pag. 1072.

negligere debebit, si necessitas mortis non impedierit.

X. Hæc ergo ego vester cliens vestræ paternitati libentissime obediens breviter et fideliter notare festinavi, quæ vobis futura in synodo necessaria non A dubitavi. Deus autem pacis te solatu vestrum in sua prosperitate disponat, vestramque beatitudinem semper incolumem nobis cito reducere dignetur, domine Pater amantissime.

BERNALDI

TRACTATUS DE PRUDENTI DISPENSATIONE ECCLESIASTICARUM SANCTIONUM.

MONITUM.

Egit partim de hoc ipso argumento Bernaldus supra, opusculo De auctoritate canonum. Bernaldum munus pœnitentiarii apostolici accepisse ac obiisse, certos nos reddunt eminens in omnibus reliquis ejus scriptis doctrinæ præstantia et ardor religionis. Quam caute vero, circumspecte et sagaciter versandum sit hac in re tantis animarum periculis exposita, in quamcunque partem quis nimium declinet, exponit in opusculo inscripto venerabili Gebehardo, ut videtur, Scafhusensi ad S. Salvatorem postea abbati, non vero Constantiensi episcopo, quamvis nemini magis quam huic nuncupandum fuisset. Sic ergo, postquam pauca de lege excommunicationis, ut ejus petitioni satisfaceret, præmisisset, alterum illud aggressus argumentum : « Sed, ait, quia non sine fenore tam charissimo fratri et domino debitum persolvere debemus, et alia non minus placitura vobis supererogare volumus, videlicet quid sit intelligendum de rigore canonum super damnatione vel depositione lapsorum, nec non de reconciliatione eorum. Nam in hujusmodi causis magna discretione indigemus, ne vel nimium rigidi cum Novatianis desperare videamur de salute lapsorum, vel nimium remissi zelum Dei non habere judicemur. »

Et primum quidem de rigore canonum auspicatus illud primo loco ponit, quod « locus pœnitentiæ semel tantum antiquitus concessus, » fuerit « in Ecclesia, nec alicui post pœnitentiam iterum lapso concedendus. » Hæc vero « non desperatione veniæ, sed pro cautela disciplinæ » instituta esse iterato deinceps inculcat, perinde etiam in similis argumenti tractatu, qui nunc primum ex ms. *Blasiano* prodit (n. XIV), de prudenti dispensatione sanctionum pontificiarum, canonumque pœnitentialium. Quod secundo loco articulatim in citato priore opusculo tractat, atque antiqua etiam dispensationum exempla in medium profert, « scilicet (inquit) ut rigor disciplinæ generatim ubique timeretur; nec tamen illicitum judicaretur, sicubi ecclesiasticæ utilitati in restitutione lapsi alicujus consuleretur. » Afferuntur in utroque laudato opusculo alia severioris disciplinæ exempla, eadem addita ratione : « Sicut ergo, » ut habetur in nostro exemplari, « post pœnitentiam lapsis locum pœnitendi a SS. Patribus non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ penitus denegatum legimus, sic et lapsis virginibus sacris pœnitentiam aliquandiu denegatam, imo in tempus dilatam satis competenter intelligimus. » Est et alia causa, pro qua SS. Patres quosdam ab hujusmodi pœnitentia suspendendos esse judicarunt, videlicet juvenilis ætas et carnis fragilitas.

Ob oculos hic probe ponenda est veteris et posterioris pœnitentiæ ratio ac discrimen, quatenus illa velut forum quoddam externum erat, hæc vero internum confessione arcana; perinde ac secreta seu privata satisfactione ac absolutione, antiquato sensim usu pœnitentiæ publicæ, qua absolutio post satisfactionem peractam concedebatur. Pœnitentiæ vero hæc actio uti ritu antiquo alicubi negata fuit relapsis quibusvis, ita ob enormitatem sceleris etiam lapsis virginibus sacris, ob lubricitatem quoque juvenilis ætatis, non desperata tamen venia. Hanc igitur a Deo veniæ largitore, et cordis contriti pœnitentiæ actione privata obtinendam reliquit sancta mater Ecclesia, sollicita, ne profanatione augeretur magis culpa, fieretque damnationis vinculum gravius : « Non ut homines a pœnitentia, » cum Bernaldo loquor, « sed a peccato deterreret, nec ut minus, sed humilius post lapsum pœniterent, qui se et ipsis pœnitentibus inferiores reputari viderint. » Et postea : « Apud modernos tamen locus pœnitentiæ quibuslibet lapsis non negatur, quia usquequaque humana pravitas invaluit, et jugum antiquæ disciplinæ abjecit, ut sancta Ecclesia jam multum gauderet, si aliquo modo resipiscere vellent. Novit enim Dei misericordiam ad indulgendum promptissimam: nec multum distare apud Deum, qua severitate vel lenitate juxta diversitatem temporum peccata puniantur, si tantum peccator ex toto corde convertatur. »

Ecclesia solvenda ligat atque ligata solvit, prout assistente sibi usque ad consummationem sæculi Spiritu sancto visum fuerit utilitati fidelium magis expedire. Qua in re amplitudinem potestatis clavium in primis demonstrant allata a Bernaldo exempla, varietasque anterioris et posterioris disciplinæ declarata; quæ ab ejus ætate magis adhuc sese exeruit, donec in capit. *Omnis utriusque sexus* ab Innocentio III in concilio Lateranensi IV, cap. 21 (LABB. *Concil.* t. XI, p. I, pag. 172) ratio inita est ad eum usum et observantiam, quæ in sacro pœnitentiæ tribunali nunc obtinet, ut non tantum ad articulum necessitatis sed etiam pro exercitio pietatis fidelibus jugiter pateat. Hujus salubritatem consilii, varietatemque disciplinæ publicæ et privatæ cum pluribus declarare, ut olim mihi proposueram; per tempus non licuerit, breviter saltem attigi in libello *De eo quod est juris seu instituti divini et ecclesiastici circa sacramenta.* Ad quod argumentum facit multiplex illa manuum impositio, quam Bernaldus noster distinguit, ac triplicem quidem in totidem sacramentis, confirmatione, pœnitentia et ordine. Idem porro Bernaldus de lapsis clericis, aut in Ecclesiam ex hæresi, schismate, vel excommunicatione receptis multa ad rem præsentem habet in fusiore opusculo ad Gebehardum monachum, quæ in sequenti tractatu, qui ex ms. Blasiano editur, *De prudenti dispensatione ecclesiasticarum sanctionum* desiderantur.

I. Omnia decreta sanctorum Romanorum pontificum omni reverentia sunt recipienda, quorum auctoritas ipsa generalia concilia canonizavit, quæ B B. Gregorius in synodica sua (lib. I, *epist.* 25) et Evangeliis comparat, et omnes ab eis dissentientes anathematizat. Sanctus quoque Adrianus papa et

reges anathematizat, qui sedis apostolicæ decreta violare non formidant (caus. 25, q. 1, cap. 11). Ipsa vero decreta sobrium lectorem et circumspectissimum intellectorem requirunt, qui patienter ferre sciat, etiamsi non omnia in primo aditu pleniter intelligat. Nam multa in eis diversa reperiuntur, quæ veritati nequaquam repugnantia deputanda sunt, si competenter intelligantur.

II. Sed ad hoc dignoscendum non solum excerptiones decretorum sufficere possunt, imo integræ eorum considerationes studiosis vix satis sufficiunt, ut consideratis eorum originalibus causis a quolibet pleniter dignoscatur, quid eorum generaliter dispensatorie tenendum esse videatur. Verbi gratia : In generalibus statutis conjugia consanguineorum apertissime prohibentur, quæ tamen S. Gregorius papa neophytis Anglorum dispensatorie legitur concessisse (1143); hoc enim ipse testatur ad Felicem Menesatem [*leg.* Messanensem] episcopum (lib. XIV, *epist.* 17), videlicet quod hoc non generaliter instituerit, sed tantum neophytis Anglorum, quousque in fide convaluerint. Est utique sedis apostolicæ privilegium, ut judex sit canonum sive decretorum, et ipsa pro tempore nunc intendat, nunc remittat, sicuti ad præsens ecclesiasticæ utilitati magis competere videat.

III. Sunt autem multa SS. Patrum statutis falso ascripta, ut scriptum Widonis musici de Simoniacis, et illud sub nomine S. Gregorii, quod conjugium duarum sororum cum duobus fratribus prohibere videtur, quod ipse Gregorius scribens Augustino (lib. XI, *epist.* 64) licitum esse testatur. Sic quoque et illud capitulum, quod mulieri præ infirmitate coitum sustinere non valenti, aliam permittit superinduci, quidam falso eidem Gregorio ascribunt. Hoc itaque intelligere volunt, ut mulier illa, quæ primum viro mista fuerit, sed postea cum præ infirmitate misceri non potuerit, vir aliam non illicite superinduxerit. Sed iste sensus Evangelio adversatur, in quo hoc indubitanter pro adulterio damnandum esse judicatur. Unde B. Gregorio incongrue ascribitur (1144), et ab ecclesiasticis viris merito respuitur. Quidam tamen aliter de illa muliere volunt

A intelligere, videlicet, ut viro nunquam præ infirmitate misceri potuerit cui ille laiam superinduxerit. Quod si circumstantia lectionis hunc intellectum admittit, et nobis placere debebit, quia in hoc Evangelio nec repugnabitur, nec indigne cuilibet apostolico ascribitur. Invenitur autem idem capitulum S. Bonifacio Maguntiensi episcopo ab apostolica sede transmissum, quem S. Gregorius plusquam centum annis præcessisse legitur. Unde eidem capitulo non facile credendum, et hoc minime, quod Evangelio deputetur adversum.

IV. Illa vero sententia B. Innocentii papæ (*epist.* 2, c. 12; LABB., t. II, pag. 1252), quæ lapsam sanctimonialem ad pœnitentiam non admittendam esse dicit, quandiu corruptor ejus vixerit, nequaquam ita
B intelligenda videtur, eo quod virginitas eidem recuperanda desperetur. Si enim B. Innocentius hoc ita intelligi voluisset, nequaquam ei pœnitentiam post obitum corruptoris concederet, cum illam non magis postea, quampridem gradum virginitatis recuperare posse constaret. Est autem hæc sententia eo modo intelligenda, quo et aliæ hujusmodi sententiæ, quæ terrorem peccantibus videntur intentare (1145). Nam etiam multo severiores inveniuntur, quæ pœnitentiam non ad tempus tantum, sed penitus proscribere videntur : ut illa B. Siricii papæ de his, qui post peractam pœnitentiam iterum criminaliter peccavere; scribens enim ad Himerium Tarraconensem episcopum (*epist.* 1, c. 5; LABB., t. II, pag. 1019) indubitanter affirmat, quod ipsi deinceps suffugium
C pœnitendi non habeant. Sic utique B. Ambrosius in libro suo contra Novatianos (Opp. t. II, p. 436) testatur, quod sic una debeat esse pœnitentia (*quæ publice agitur*) sicut unum est Baptisma. Item B. Augustinus scribens itidem ad Macedonium (*epist.* 153, n. 7) dicit, quod semel tantum in Ecclesia locus pœnitendi conceditur.

V. Hæc autem SS. Patres non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ non dubitantur instituisse, non ut homines a pœnitentia, sed a peccato deterrerent ut nec minus, sed humilius post lapsum pœniterent, qui se et ipsis pœnitentibus inferiores reputari viderent. Et hoc quoque in aliis criminaliter lapsis

(1143 Pertinent huc responsiones sexta ac sequens S. Gregorii ad consulta S. Augustini Anglorum apostoli de conjugiis consanguineorum (l. XI, epist. 64), sive de iis, qui ante fidem susceptam in prohibitis gradibus contraxerunt. Quos tamen pro hac re corporis ac sanguinis Domini communione privari non vult, addens hæc, quæ si observassent ejus post mille ferme annos successores Anglia fortassis adhuc dum in fide illius ope suscepta persisteret : *In hoc enim tempore sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat atque portat, ut sæpe malum, quod aversatur, portando et dissimulando compescat.*

(1144) Canon hic, quem S. Gregorio Magno suppositum conqueritur Bernaldus, desumptus est ex decretali Gregorii III ad Bonifacium data, quæ exstat in Conciliis Germaniæ t. I, pag. 33. Hujus quoque meminit Fleurius, Hist. Eccles. l. XLI, § 47 additque : *Hæc sententia papæ in rigore accepta*
D *Evangelio et S. Paulo adversatur, sicut Gratianus notavit* (causa 32, q. 7, c. 18) *unde hodieque hic canon tanquam indulgentia singularis Germanis his neophytis concessa habetur.* Cum vero contra Evangelii leges frustra obtrudatur nescio quæ indulgentia, omnino præferenda videtur altera a Bernaldo assignata ejusdem canonis interpretatio, a pluribus quoque modernis adoptata. Et certe verba illa *quod si mulier infirmitate correpta,* etc., pro genio illius sæculi, quo vocabula non semper naturali sua significatione adhibita leguntur, de tali intelligi possunt, cujus matrimonium ratum quidem erat, sed superveniente aut præcedente jam impotentia necdum consummatum.

(1145) Vera causa fuit periculum relapsus, quo facto ultra ad pœnitentiam admitti non poterat, utpote semel jam peractam, uti infra n. 6 recte explicat scriptor.

quasi pro lege observatur, ut ab ordine dejiciantur, quem ante lapsum habuisse, et in quo peccasse deteguntur. Sic nimirum in ordine pœnitentium constituti, si denuo labuntur, pristino ordini non immerito judicantur indigni. Non tamen hoc SS. Patres desperatione veniæ tam acriter instituisse videntur, præcipue cum Dominus omnes homines velit salvos fieri, et peccator, in quocunque die ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XXXIII). *Non*, inquam, desperatione veniæ, sed pro cautela disciplinæ hoc constitutum intelligimus, sicut ex verbis B. Augustini ad Macedonium (l. c.) approbare possumus; dicit enim quod caute salubriterque provisum sit, ut locus pœnitendi post pœnitentiam lapsis non concedatur, *ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris, quanto minus contemptibilis*. Et hoc utique pro rigore disciplinæ, non tamen usque ad desperationem veniæ. Nam idem Augustinus in eadem epistola dicit in sequentibus : *Quis audeat post pœnitentiam lapsis denegare, quin Dei patientia ad pœnitentiam eos adducat, quin etiam beati sint, si in Domino confidant?* Sicut ergo post pœnitentiam lapsis locum pœnitendi a SS. Patribus non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ penitus denegatum legimus, sic et lapsis virginibus sacris pœnitentiam aliquandiu denegatam, imo in tempus dilatam satis competenter intelligimus.

VI. Est (et) alia causa, pro qua SS. Patres quosdam ab hujusmodi pœnitentia suspendendos esse judicarunt, videlicet juvenilis ætas, et carnis fragilitas. Hinc S. Silvester papa constituit (*Concil. Rom.* c. 12, LABB., t. I., pag. 1553), ut nemo pœnitentiam det homini, nisi quadraginta ætatis annos habenti. Item S. Ambrosius in libro contra Novatianos (l. c., pag. 438 plenius) : *Si caro*, inquit, *repugnat menti, nec subdita est animi gubernaculo, non quærens opera pœnitentiæ, ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia ; quæ si semel fuerit usurpata, nec rite celebrata, nec prioris fructum obtinet, et aufert usum posterioris.* Item SS. Patres in concilio Agathensi capitulo 17 (cap. 15; LABB., t. IV, p. 1586) : *Juvenibus*, inquiunt, *pœnitentia non est facile committenda.* Quid ergo mirum, si B. Innocentius etiam hanc quoque causam attendit, cum virginem a proposito lapsam non debere admitti ad pœnitentiam dixerit? præcipue cum addat : *Quandiu corruptor ejus vixerit.* Nam eo tempore maxime ejus fragilitati cavendum fuit eo vivente, cum quo peccavit. Est enim usitatissimum, ut homines facillime ad eos redeant, cum quibus ante peccaverant, multoque pronior est humana fragilitas ad usitatum volutabrum redire, quam aliquod novum scelus in primis præsumere. Non ergo mirum, si S. Innocentius hujusmodi lapsam usque ad obitum corruptoris a pœnitentia suspendit, ne in ipsa pœnitentia aliquid committeret, unde juxta Ambrosium et fructum pœnitentiæ perderet, et deinceps juxta antiquum morem pœnitendi locum non obtineret.

VII. Apud modernos tamen locus pœnitentiæ quibuslibet lapsis non negatur, quia adeo usquequaque humana pravitas invaluit, et jugum antiquæ disciplinæ abjecit, ut sancta Ecclesia jam multum gauderet, si aliquo modo resipiscere vellent. Novit enim Dei misericordiam ad indulgendum promptissimam, nec multum distare apud Deum, qua severitate vel lenitate juxta diversitatem temporum peccata puniantur, si tantum peccator ex toto corde convertatur.

VIII. De virgine autem sacra a proposito lapsa, quæ in gradum virginitatis non putatur revocanda, non est nimis contendendum, ne ipsa hac contentione contra B. Hieronymum venire videamur, qui dicit (1146), Deum virginem non posse post lapsum reparare. Nam scripta S. Hieronymi a B. Gelasio in Romana synodo (LABB., t. IV, pag. 1263) ex apostolica auctoritate adeo canonizata sunt, ut quicunque illis pertinaciter contradicere conatur, etiam apostolicæ auctoritati contraire non dubitetur. Sunt ergo a nobis ejus venerabiliter scripta recipienda, nec ab aliquo temere judicanda. Quod autem ipse, Deum virginem reparare post lapsum non posse dixit, non magis mirandum, quam multa alia, quæ Deus libere legitur et creditur non posse, ut illud in Epistola Joannis : *Deus fidelis est, seipsum negare non potest* (*II Tim.* II). Hinc inquit Apostolus : *In Deo non est* EST *et* NON, *sed in illo est* EST (*II Cor.* I). Dicitur etiam libere malum non posse facere, non posse mutari, non posse falli, non posse mori. Unde Augustinus in libro V *De civitate Dei* (cap. 10, Opp. t. VIII, pag. 125) : *Sic enim hoc* (*non* posse) *dicitur, ut potius, si posset, minoris utique potestatis esset. Recte itaque omnipotens dicitur, qui tamen mori fallique non potest; dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quod si ei accideret, omnipotens nequaquam esset. Unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est.* Sic utique nec rationalis creaturæ potestas in æterna vita minuitur sed augetur, cum penitus plurima ibi non posset; quæ tamen in hac vita degens evidentissime potuit. Potuit etenim esurire, sitire, corrumpi, fallere, falli et alia hujusmodi sexcenta; quæ tamen in æterna vita non poterit, et ob hoc etiam ibi indubitanter potentior erit. Nam talia hominem posse non est auctio potestatis, sed certissimæ indicium infirmitatis.

Verba autem illa S. Hieronymi, quod non possit Deus virginem post ruinam resuscitare, ipsemet ibidem exposuit, cum subjunxit : *Valet quidem de pœna liberare, sed non valet corruptam coronare : quia justus judex est, cujus dispositio mutari non potest.* Hanc quoque sententiam de amissa virginitate sancti martyres Nereus et Achilleus a B. Petro

(1146) Audacter loquar : cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non valet coronare corruptam. S. Hieron., epist. 18, ad Eustoch. Opp. t. IV, p. II, pag. 29.

edocti leguntur habuisse, et cum ipsa ad servandam virginitatem S. Domitillam Domitiani imperatoris neptem incitasse; dixerunt enim illi (1147): « Virgo, si virginitatem perdiderit, hujus reatum per pœnitentiam evadere potest, ipsam vero virginitatem adipisci nequaquam valet; omnis namque sanctitas quolibet modo amissa per pœnitentiam recuperari potest; sola vero virginitas, si semel perierit, ad pristinæ integritatis stabilitatem pertingere non valebit. » Sic ergo et nobis tutum est, ut sententiam S. Hieronymi interpretemur, ne si quid indignum de illo interpretari conemur, non tam ejus auctoritatem, quam nostram tarditatem infamare judicemur.

IX. Est autem nobis summopere providendum, ut de reparatione virginitatis tam moderate contendamus, ne viduas et conjugatas, sive quaslibet corruptas, ipsis virginibus secundum hæresim Joviniani adæquare videamur. Nam hoc catholica fides non admittit, quæ juxta evangelicam auctoritatem hos gradus ita distributos novit, ut conjugatis trigesimus tantum fructus, continentibus vero sexagesimus, ipsis vero virginibus ascribatur centesimus. Et hoc utique divinitus ab initio ita prædestinatum non dubitamus; unde et B. Hieronymo in hoc parere debe- A mus, qui Deum contra suam prædestinationem facere non posse dixit, qui seipsum negare non potest, in quo juxta Apostolum non est EST NON et, sed semper est EST (*II Cor.* I).

X. Illud autem satis admirandum, cur tantopere virgines sacrilegas lapsas in gradum suum revocari non posse contendamus, et veras viduas et legitime conjugatas in suis gradibus remanere patienter feramus, cum hæ, juxta Apostolum, in amissione virginitatis non tantum peccaverint sicut illæ, quæ pro magnitudine peccati ad pœnitentiam non meruerunt admitti. Sanctissimus papa Leo in decretis suis capitulo 49 (*epist.* 87, n. 5; LABB. t. III, p. 1394) protestatur, quod nec illæ virgines, quæ barbaricam vim corpore tantum non animo sunt perpessæ, per- B severantibus virginibus ullo modo sunt annumerandæ (1148) juxta illud propheticum: *Virgo Israel cecidit, non est qui resuscitet illam* (*Amos* V). Hoc plane SS. Patres virginibus lapsis, et pro peccato suo infra maritatas deputatis sufficere voluerunt, si per pœnitentiam et ipsis legitime conjugatis præferri, et veris viduis sive continentibus quandoque meruerunt associari. Sufficiat ergo et hoc nobis, nec libeat eousque disputando procedere, ut terminos SS. Patrum aliquo modo notemur excedere.

(1147) Hæc habentur in eorum Vita ad 12 Maii, t. III Bolland., pag. 7.

(1148) Haud videntur verba Leonis eamdem præ se ferre severitatem, qualem illis attribuit auctor; ita enim habent: *Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si incontaminatis non audeant comparare virginibus*, etc.

DE SACRAMENTIS MORIENTIUM INFANTUM.

ALIUS.

MONITUM.

Vox *alius* hic præmissa diversum a Bernaldo auctorem videtur innuere, etsi tractatulus hic satis ejus dicendi generi congruat, saltemque eidem collectori tribui queant, quos in usum amicorum suorum se congessisse infra n. 4 fatetur. Potest vero illa voce etiam alius tractatus denotari.

I. Si quis parvulum noviter baptizatum, sed infirmitate correptum, oleo sancto ungere voluerit, non necesse habebit ut totum unctionis officium recitet, et minime illas orationes, quæ de remissione peccatorum agere videntur. Nam fides catholica hoc habet, ut parvulus noviter baptizatus remissionem peccatorem accepisse credatur. Contra quam fidem indubitanter ageremus, si pro parvulo quasi nondum absoluto, ut absolveretur, oraremus, quem, videlicet B. Augustinus sine peccato esse testatur libro XX *De civitate Dei* (cap. 26, Opp. t. VIII, pag. C 610): *Excepto*, inquit, *uno mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, nemo mundus a sorde.* Si quis ergo hujusmodi parvulis infirmantibus ministerium unctionis (1149) adhibere voluerit, illas orationes competenter adhibere poterit, quæ sanitatem vel vitam æternam infirmantibus exoptant, non illas quæ pœnitentibus indulgentiam implorant. Et psalmos quidem usuales ad hujusmodi unctionem satis congrue dicimus, quia in illis vox Ecclesiæ pro quibuslibet membris suis generaliter orare videtur.

(1149) Fuisse aliquando in usu hanc infantum unctionem, nullibi proditur, neque etiam illam olim prohibitam legimus, quamvis certe superfluam, cum forma in iis verificari nequeat, qui nondum per sensus inungendos peccare potuerunt. Theodulphus vero Aurelianensis dum in capitulari suo ipsis quoque pueris inunctionem necessariam esse dicit, de D illis loquitur, qui doli vel peccati jam capaces sunt, ut ex consequentibus patet. Quod si aliqui olim infantes ante usum rationis unxerunt, id sanitatis corporæ obtinendæ causa fecisse censendi sunt, qui secundarius est hujus sacramenti effectus: quod tamen illis dari posse negant theologi, qui primarii, seu remissionis peccatorum capaces haud sunt.

II. Sciendum autem, quod quidam parvulis morientibus viaticum non putant esse necessarium, cum Dominus generaliter dicat omnibus ad se pertinentibus : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Unde B. Augustinus in libro *De baptismo parvulorum* (1150) : « An, inquit, quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam æternam? » Et post pauca : « Si non manducaverint carnem Flii hominis, nec ipsi habebunt vitam (1151). » Unde Romanus ordo statim post baptismum illis communionem dari præcipit (1152), quanto magis in extrema necessitate, cum de hoc sæculo transire cœperint? Nam juxta canonicam auctoritatem nulli vel quam perditissimo extrema communio deneganda videtur. Nusquam sane parvulis ecclesiasticam communionem plusquam aliis Christianis sive in vita sive in extremis denegabimus, si SS. Patrum institutionem sequi volumus. Nunquam item ipsi parvulos exceperunt, ubicunque generalem communicandi consuetudinem omnibus Christianis præscripserunt, qui etiam ipsos inter communicandum osculari consueverunt, ut S. Cyprianus in scriptis suis non solum testatur, sed etiam ut fiat fidelissime exhortatur (1153). Præterea ipsa verba, cum quibus sacra communio dispensatur, optime competere parvulis videntur; non enim ibi dicitur, ut sacra communio in remissionem peccatorum proficiat, quod solis majoribus competeret, sed *in vitam æternam*, quod parvulorum innocentiæ nemo dubitat congruere.

III. Quandiu autem parvuli in illa innocentia per- A maneant, nos ignoramus, nisi quantum ex verbis Augustini libro XXI *De civitate Dei* (cap. 16, Opp., t. VII, pag. 636); scribit enim ibi de parvulo baptizato, si in prima ætate, id est infantia, sive in secunda, id est pueritia, moriatur; quod nec aliqua purgatoria tormenta post mortem patiatur. Ex his utique verbis non inepte colligitur, quod parvuli post baptismum suam innocentiam usque in pueritiam servare credantur, cum post mortem nullam vel purgatoriam pœnam subituri esse legantur. Quapropter si hujusmodi infirmantibus parvulis unctionem facere voluerimus, non pro eorum, sed pro majorum peccatis deprecari necesse haberemus, quos usque ad illam horam innocenter vixisse credamus.

IV. Sed nos superflue de eorum unctione videmur B laborare, cum jam nec majores, præter admodum paucos, de hoc videantur curare. Nec nos utique ideo tam diligenter ista digessimus, quasi jam in generalem usum Ecclesiæ redacta vel redigenda esse putaremus; sed potius ideo, ut amicis nostris satisfaceremus, qui etsi ipsi talia facere non soleant, libentissime tamen sciunt, quid in talibus sit faciendum, si forte aliquando cujuslibet fidelis indefessa postulatio hoc ab eis exigat, ut parvulum ejus infirmum oleo sancto perungant. Nec utique desperandum, quin et unctio parvulorum alicubi veniat in usum, sicut et unctio majorum, quæ itidem usque ad nostra tempora penitus videbatur abolita. Si autem nunquam illa unctio in usum venerit, nequa- C quam tamen nos inquisitioni simplicium fratrum in his scriptis satisfecisse pigebit (1154).

V. Si quando autem ipsa infirmitas hujusmodi parvulum de hac vita transire coegerit, non videtur

(1150) Imo De peccat. merit. l. I, c. 20, n. 27, t. X, pag. 15.

(1151) Crucem pluribus fixit theologis hæc S. Augustini sententia, quam tamen ipse tum l. c., tum vero præcipue l. III, cap. 5, *De peccatorum meritis* satis explicat, ac manifeste demonstrat, infantes manducare corpus et sanguinem Domini, cum per baptismum eidem tanquam viva membra inseruntur; ait vero : « Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire?... unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori membrisque socientur, manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere... Ac per hoc, si ambigui aliquid habent verba Apostolici, *per unum hominem*, etc., nunquid etiam illud : *Quia nisi manducaverint homines carnem ejus*, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, *non habebunt vitam?* His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur? »

(1152) Ex ordinibus Romanis constat, sæculis VIII, IX et X, parvulos eodem die baptismate, confirmatione et eucharistia solitos fuisse donari, ubi simul additur : *Per illud parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, neque lactentur sine summa necessitate, antequam communicent sacramento corporis Christi*. Indulgentior aliquantulum ineunte sæculo VII fuit Gregorius M., qui in Sacramentario suo de Sabbato sancto hæc notat : *Qui etiam infantes non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit*. Communio autem parvulorum in extremis haud adeo in praxi fuit, ut illa recens baptizatorum, unde piis Bernaldi desideriis tribuenda est ejus de his illatio. Sufficere namque credebant antiqui, ut semel saltem post baptismum eucharistiam perciperent infantes, antequam usum rationis obti- D nerent. Neque adducta paritas valet; nam etiam perditis peccatoribus, dummodo pœnitentibus, in extremis providendum erat de hoc remedio, quo pavuli innocentes necdum indigent.

(1153) De hoc infantum osculo agit quidem S. Cyprianus in epistola 64 ad Fidum, ubi tamen illud ad baptismum duntaxat refert, post quem tunc infantibus calicem saltem sacrum fuisse propinatum, ex libro ejus *De lapsis* colligimus.

(1154) Hunc etiam solum sui hac in re laboris fructum tulit auctor, nec enim unquam in praxin deductum fuit istud consilium, sed uti extrema unctio sic et Eucharistia infantibus saltem a quadringentis jam annis fuit prohibita. Alicubi tamen hodieque in memoriam antiqui ritus præbentur hisce infantibus, dum in purificatione matris offeruntur, aliquæ guttulæ ex ablutione calicis sacerdotalis in sacrificio missæ.

esse necessarium, ut omnia in ejus obsequio dicantur, quæ in majorum commendatione mortuorum usitantur, et illæ minime orationes, quæ specialiter agunt de peccatorum remissione, sicut et supra notavimus de unctione. Credimus enim illos a peccatis a Deo absolutos, ut in illa ætate si moriantur, certissimum nobis sit quod nec purgatoriam pœnam experiantur. Tales ergo cum ad sepeliendum deferuntur, quidam satis caute usuale obsequium non ex integro dicunt, sed psalmos tantum, quibus tres illas ora- A tiones subjiciunt, quæ annos temeritatis præcedunt quæ videlicet orationes de hujusmodi absolutione nihil videntur agere; sic enim et honeste illos sepelimus, nec aliquid tamen contra fidem nostram postulare videmur. Hoc autem canones generaliter præcipiunt, ut corpora defunctorum cum psalmis ad sepulturam deducantur : et hoc satis congrue, quia in illis vox Ecclesiæ pro omnibus membris suis non dubitatur orare.

BERNOLDI CHRONICON.

(PERTZ, *Monum. Germ. hist. Script.* tom. V, pag. 385.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Inter reliquas superioris Germaniæ diœceses Constantiensis præcipue schismate quod sæculo undecimo exeunte imperium et Ecclesiam laceravit agitata, scriptorem edidit qui res suo tempore gestas et ab ipso visu audituve perceptas (1155) ad laudem et gloriam Dei fidelibus annuntiare suscepit. Bernoldus juvenis (1156), clerici conjugati, ut videtur, filius (1157), et Bernhardo præceptore (1158) religione et prudentia insigni (1159) in scholis Constantiensibus eruditus, atque in celeberrimo tunc Sancti Blasii cœnobio monachum professus (1160), anno post Carolum episcopum Simoniacum in synodo Moguntina depositum scilicet 1072 exeunte aut primis anni 1073 mensibus, Chronica sua incœpit (1161), et inter gravissimas rerum quibus intererat vicissitudines per duodetriginta annos ad duodecimi sæculi initium usque deduxit. Bernhardus præceptor, in causa sancti Petri ferventissimus, discipulum non minus ferventem ecclesiasticæ libertatis vindicem enutriverat. Nam cum ipsæ quæstiones quæ inter imperium et Ecclesiam, inter Gregorium et Wibertum, inter Heinricum et Ruodolfum, eorumque sequaces agitabantur, ex jure publico et canonico di- B judicandæ essent, Bernoldus fontibus historiæ ecclesiasticæ et sacris canonibus diligenter evolutis, totus in Gregorii VII castra transiit, et acerrimus deinceps decretorum ejus contra Simoniacos, contra clericos incontinentes et investituras laicorum defensor et propugnator exstitit. Talem per totum Chronicorum decursum conspicimus, talem se tum aliis multis scriptis, tum verbo et facto exhibuit. Nam anno 1076, dictante (1162) Adalberto presbytero et monacho epistolas ad discipulum ejus (1163) Bernhardum præceptorem suum de damnatione schismaticorum scripsit (1164), atque cum Alboino presbytero Constantiensi præsens et per litteras de incontinentia clericorum disputavit (1165); a. 1077 apologeticum pro decretis Gregorii VII adversus Si- C moniacos et incontinentes scripsit (1166). Biennio post Romanæ synodo contra Berengarium Turonensem habitæ interfuit, et Berengarium in media synodo constitutum, hæresimque de corpore Domini propriæ manus sacramento abdicantem vidit (1167). Cumque jam antea familiæ Bertholdi ducis admiratione Hermanni filii ejus conjunctus esset (1168), anno 1084 in festivitate sancti Thomæ cum Gebe-

NOTÆ.

(1155) Chron. a. 1086.

(1156) A. 1079, *optatæ indolis Bernalde, floscule vernans,* tum *tiro, juvenis* audit. Cf. Usserm. Prodr. II, p. 214, 247, 248.

(1157) Ib. p. 248.

(1158) Ib. p. 230.

(1159) Chron. a. 1088 et Necrol.

(1160) Quonam anno hoc factum sit ignoratur. Neugart, ep. Const., p. 504, anno 1085 Bernoldum Gebehardi Constantia profugi comitem Sanctum Blasium adiisse censet.

(1161) Codex autographus Chronicon inde ab a. 1073, *Cujus prudentia,* etc., certe inde ab a. 1074, *Hermannus marchio,* etc., diverso tempore scriptum esse monstrat; et collato Necrologio quod Chronico præmittitur, dies obitus virorum qui ante Petrum Damiani decesserunt, si paucos postea insertos excipias, eadem qua Necrologium manu eodemque tempore scriptos, inde ab a. 1073 autem dies obitus alio atramento, quod idem in textu Chronici continuati deprehendi solet, additos patet; quare Bernoldum opus suum a. 1072 exeunte vel 1073 ineunte ante acceptum obitus Wideroldi et Alexandri II, et electionis Gregorii VII nuntium iniisse eodemque anno 1073 ad sua usque tempora produxisse conjicio. In chronico enim Wideroldi et Alexandri II D obitus æque ac Gregorii VII electio primo stylo debentur. Catalogus etiam pontificum, absoluto Chronico additus, Gregorii VII electionem primo atramento notatam exhibet, et textus Chronici a. 1056 et 1061 Gregorium jam papam agnoscit.

(1162) Uss. II, p. 213, 214.

(1163) P. 213.

(1164) Uss. II, 187 sqq.

(1165) Ib. p. 231 sqq.

(1166) P. 271 sqq.

(1167) P. 435, de Berengarii multiplici damnatione.

(1168) Chron. a. 1074.

hardo, Bertholdi filio, in episcopum Constantiensem electo, auctoritate Ostiensis episcopi a Gregorio VII ablegati, presbyter consecratus est, et potestatem suscipiendi pœnitentes ex apostolica auctoritate accepit (1169); quo tempore et de canonum auctoritate librum Gebehardo, postea abbati Scafhusano, inscripsit (1170). Sed paulo post Gehebardo episcopo adversariis perurgentibus in exsilium pulso, Bernoldus anno 1086 prælio apud Bleichfelt et oppugnationi civitatis Wirzeburgensis interfuit (1171). Quo etiam tempore ad Bernhardum monachum de sacramentis excommunicatorum (1172), ad Albertum præpositum Argentinensem de lege excommunicationis (1173), et ad Albertum Spirensem præpositum apologiam contra schismaticos conscripsit (1174), cum jam ipse fratrum Sancti Blasii catalogo se inscribendum impetrasset (1175), exemplum secutus virorum nobilium et prudentum plurimorum, qui bellorum per Alamanniam desævientium discrimina vitabundi, in monasteria præcipue Sanblasianum, Hirsaugiense et Scafhusanum se proripuerunt (1176). Nec sequenti etiam tempore scriptis contra hostes Ecclesiæ abstinuit. Nam a. 1088 de Berengarii multiplici damnatione (1177), tum de vitandis excommunicatis ad Rechonem (1178), a 1089 vel 1090 de emptione ecclesiarum ad Paulinum clericum Mettensem (1179), nec non pro Gebehardo episcopo (1180) de presbyterorum officio ad fratres Raitenbuchenses scripsit (1181), atque de reordinatione vitanda et de salute parvulorum ad excommunicatis baptizatorum (1182) Gebehardum episcopum interpellavit. Anno 1091, cum monachorum apud Sanctum Blasium numerus ita increesceret, ut nova ædificia veteribus addenda esse constaret, et paulo ante quam complures inde coloniæ in monasteria Wiblingense, Murense, Gottwicense, Engelbergense aliaque deducerentur, Bernoldus Scafhusam in monasterium Sancti Salvatoris transmigrasse (1183), ibique reliquum vitæ deguisse videtur. Apud Sanctum Blasium exemplar tamen Chronicæ medio anno 1091 subsistens reliquit, et postea etiam authentico quem secum tulit libro continuam operam impendit, antea scripta mutavit et emendavit, nec nisi ipso quo defunctus est anno stylum deposuit. Amicorum Adalberti (1184), Bernhardi (1185), Wilhelmi Hirsaugiensis abbatis (1186) per complures annos superstes, anno Domini 1100 libro usque ad d. III Nonas Augusti producto, in cœnobio Scafhusano cui cum tradiderat die 16 Septembris defunctus, atque in eodem cum Adalberto tumulo depositus est (1187).

Operum ejus præcipuum, Chronica scilicet, ita comparatum est, ut, Necrologio præmisso, cui post completum opus catalogum pontificum Romanorum subjecit, primum Bedæ Chronicon de sex ætatibus mundi exscriberet, tum Herimanni Chronico decerpto historiæ filum inde a Christo nato usque ad a. 1054 deduceret : inde ab a. 1054 proprio Marte sui temporis acta subjecit (1188). Prioris partis auctores ipse prodit : *Hi sunt auctores cronicorum : Eusebius, Jeronimus, Prosper, Dionysius, Jordanis, Beda et nostri temporis Heremannus, et deinceps quilibet sui temporis descriptores.* Quorum quidem Bedam ab orbe condito usque ad regnum Domitiani dictando (1189) ad litteram expressit, ita ut ea libri parte plane carere possimus; deinde Jordanis sententias de regnis principalibus ex libro De regnorum successione et Bedam De temporibus, cap. 16 de sex mundi ætatibus excerpsit, atque a Christo nato iterum exorsus Eusebii chronicon ab Hieronymo in Latinam linguam versum, quale apud Herimannum legimus, et Herimanni chronicon usque ad a. 1054 transcripsit, additis tamen nonnullis ex Chronico Eusebii ipso, paucisque ex ejus Historia ecclesiastica, Hieronymo De viris illustribus, Cassiodori Chronico, Orosio, Historia miscella, Beda De sex ætatibus, interspersis etiam per totum opus notitiis ex Romanorum pontificum Gestis (1190) et catalogis diversis, ex collectione conciliorum Dionysiana ab Adriano I papa Carolo Magno transmissa (1191,) Ansegiso, et conciliis Moguntino a. 847, Altheimensi a. 916, Aquisgranensi a. 992, jam deperdito, Seligenstadensi a. 1023, ex Einhardi Vita Caroli et Chronico Reginonis decerptis. Igitur in tota parte operis anteriore iis tantum locis proprio Marte rem agit Ber-

NOTÆ.

(1169) Chron. a. 1084.
(1170) Uss. II, p. 312.
(1171) Chron. a. 1086.
(1172) Uss. II, p. 230 sqq.
(1173) Ib. p. 368 sqq.
(1174) Ib. p. 357 sqq.
(1175) P. 357 se ultimum fratrem de S. Blasio scribit.
(1176) Chron. a. 1083.
(1177) Uss. II, p. 427 sqq.
(1178) Ib. p. 370 sqq.
(1179) Ib. p. 374.
(1180) Ib. p. 378.
(1181) Ib. p. 384 sqq.
(1182) Ib. p. 397 sqq.
(1183) Inde ab a. 1091 res Scafhusanas frequentius attingit, ut jam in Prodromo Germaniæ Sacræ II, p. XVII cels. Gerbert notavit, et sententia Chronici in authentico ab auctore ipso deleta, sed in exempli Sanblasiani apographo Murensi superstes, exemplar istud ipso anno 1091 scriptum fuisse ostendit.
(1184) Qui a. 1079 obierat.
(1185) Obiit a. 1088.
(1186) Obiit a. 1091.
(1187) Usserm. l. c., p. 178. Chron. Scafhusense. Proleg. n. 3.
(1188) Chron. a. 1086.
(1189) V. infra locum, ubi sic scribitur (fol. 18) : *Si tamen parenthesis ipsę sic*, etc.; ubi vox *parenthesis* minime scribenda, sed signo aliquo exprimenda erat.
(1190) A. 69 ea Eusebio præfert, quem antea e. g. in Anacleto secutus erat; a. 605, inde pravam Herimanni lectionem emendat.
(1191) Pseudo-Clementis epistolas pro supposititiis habet anno 94.

surrexerunt adversus illum, et vulneraverunt graviter. Capellanus vero ejus, nomine Otto, condolens neci ejus, cum increpasset quendam militem Eggehardum nomine cur non subveniret domino suo, ab eodem gladio animadvertitur, sicque ille quievit in pace 19 Kalend. Januarii. Abbas autem ad monasterium exanimis delatus, dispositis ordinatisque rite omnibus, 2. Idus Decembris migravit ad Dominum. Cui successit Willo.

1085. Willo abbas cum pauco tempore preesset monasterio Gengenbacensi, expulsus causa excommunicationis, set ut postea claruit magis ex invidia. Et prepositus quidam clericus B. nomine ab eo constitutus, qui etiam de ejus expulsione infamatus est, eundem locum per plures annos obtinuit. Ipse vero abbas hoc anno 3 Nonas Julii Mogontiæ in monasterio sancti Jacobi solutus est carne, ubi et functus est officio abbatis.

1096. (*inter* habuit *et* Sigifredus) Hugo religiosus abbas Gengenbacensis cenobii, electus videlicet anno dominicæ incarnationis 1089, set fraude Bertholfi præpositi atque canonici, cujus et auctoritate promotus est, non solum honore privatus, set etiam claustro expulsus, septem annos permulta incommoda passus, tandem hoc anno annuente Bertolfo duce, qui illo tempore eundem locum per violentiam obtinebat, potitus est honore suo, atque a cunctis honorifice susceptus est 11 Kal. Mai.

Scribendi ratio in ipso codice ab autographo paulisper recedit, ita ut constanter *sollempniter*, *assumpto*, *inposuit*, *inproviso*, *inmittere*, sed et *immitti* et *a.* 1083 *suueuia* habeat (1212).

3) Codex olim Sancti Georgii Villingani ab O. c. ad annum 1052 pertingens, et alter Francisci Rechburgeri tribuni plebis Basileensis annorum 1053-1100, quos Urstisius in editione sua evulgavit, non ex Gengenbacensi (1213) sed æque atque ille ex autographo descripti sunt, antequam huic Scafhusanæ notitiæ adderentur. Textus, qualem codice Sancti Georgii in incendio monasterii Sancti Blasii a. 1768 absumpto (1214) apud Urstisium legimus, vocibus omissis, additis, mutatis haud raro ab autographo recedit; anno 1054 quod jure exspectari poterat elogium Herimanni, cujus loco in membrana arrasa autographum alia jam exhibet, in uno 3 legitur, et a. 1088, prioris vestigia lectionis hodieque in authographo apparent (1215). Digna igitur fuit editio, cujus lectiones, ubicumque anteriore Bernoldi textu nituntur, integras exhiberem; quod ibi tantum omisi, ubi apertus librarii vel editoris error, e. g. *in primis* loco *imperatoris* (1216), patebat, vel vox aliqua notave (1217) negligentia scribæ omissa videbatur; qui nonnullis in locis et sibi propria inseruit (1218).

Præter codices integros in calculum venit apographum libri anno 1091 apud Sanctum Blasium relictum cujus vestigia nonnisi in codicibus inde derivatis, Murensi præcipue, extant. Quo cum autographo collato, voces et sententias nonnullas in autographo post a. 1091 a Bernoldo deletas mutatasve deprehendi, quorum loco hodieque membranam arrasam fuisse patet. Ejusmodi sunt a. 1054, *pro quo Gebehardus — liberaretur*; tota narratio annorum 1055 et 1056; a. 1058 vox *gratis* anno circiter 1092 addita; a. 1059 sententia *et postea illi ad deditionem veniunt*, tum res anni 1060; a. 1090 voces *jam dudum*, postea *hoc in anno* emendatæ; a. 1091, *in Augusto mense* postea VI *Id. Aug.*; a. 1088, *Et hæc quidem apud fideles Sancti Petri agebantur* jam: *Migravit autem ad Dominum* VIII *Idus Aprilis*; a. 1088, *Welfo* jam *Welf*; a. 1088, in fine, *cui successit Oudalricus* olim aberant; a. 1091 ultima sententia *Unde — deperirent* aliis locum dedit. Hæc igitur ab auctore ipso sed apographo Sanblasiano jam relicto, igitur post annum 1092, facta apparet.

4) Gottwicensis. 4^{b}) Murensis, 4^{b*}) Engelbergensis et 5) Sangallensis, supra pagg. 73, 74, 264, 265 notati, qui Bernoldum secuti plurimas ejus sententias transcripserunt; quorum quidem Sangallensis in media sententia anni 1066, Gottwicensis a. 1081, Murensis et Engelbergensis anno 1091, desinunt. Notitias codicibus 4, 4^{b}, 4^{b*} peculiares indicandas statuimus.

Editionem novam ita institui, ut textu Bernoldi ad fidem autographi quam fidelissime fieri poterat expresso, reliquorum codicum supplementa et lectiones præcipuas in ima pagina indicarem, adnotationes Ussermanni vel partem earum si quam utilitatem afferre possent retinerem, measque adderem.

Chronico in codice autographo Bernoldus præmisit Necrologium, diverso atramento passim auctum, et notas chronologicas, unde quædam hic inseri placuit; tum catalogum Romanorum pontificum, ad Gregorium VII, et decursu temporis ad Paschalem II, usque productum, quem monachus quidam Scafhusanus usque ad Calistum II, postea continuavit. Quæ ab OEfelio in SS. Bavar. I, 640 sqq. primum edita, hic, auctoritate codicis autographi successione notitiarum textui primario a Bernoldo additarum numeris indicata et subjectis additionibus codicis Gengenbacensis, proponimus.

NOTÆ.

(1212) qdo pro *quando*.

(1213) Loca enim huic peculiaria non habet, et ab ipso omissa exhibet.

(1214) P. Hohenbaum van der Meer codicem ante incendium S. Blasii se vidisse scribit in præfatione inedita supra laudata.

(1215) Cf. et a. 1091.

(1216) A. 1095.

(1217) E. g. a 916; a. 924, ubi vox *Vindelicæ*, a. 937 ubi *Galliam* in 3. deest.

(1218) E. g. a. 1005, 1007.

NECROLOGIUM.

10. Kal. Febr. Otto III[us] imperator obiit (1219).
6 Kal. Febr. Reginnaldus episcopus (1220) obiit. (1)
5. Kal. Febr. Karolus magnus imperator (1221) obiit.
3. Non Febr. Kraft [3] obiit. (1)
13. Kal. Mart. Widerolt, Marcuart, cum 113 Jerusalem tendentes naufragio emundati dormierunt (1222). (1)
8. (1223) Kal. Mart. Petrus Damiani cardinalis episcopus requievit in pace. (1)
5. Kal. Mart. Depositio Waltpurgæ virginis (1224).
2. Kal. Mart. Gerunch vere monachus discessit. (3)
Kal. Mart. Marchuart obiit. (4)
6. Id. Mart. Diethalmus laicus migravit ad Dominum. (4)
4. Id. Mart. Bèrtoldus doctor egregius requievit in pace (1225). (2)
Idus Mart. Bernhardus monachus obiit (1226). (2)
15. Kal. April. Depositio (1227) beati Anshelmi Lucensis episcopi. (2)
14. Kal. April. Johannis abbatis. Erchinbertus presbyter obiit. (3)
6. Kal. April. Riwinus presbyter obiit. (3)
4. Kal. April. Stephanus papa (1228) obiit. (1)
Kalendis April. Chouno de Cella (1229) obiit. (2)
12. Non. April. Imma obiit (1230). (1)
14. Kal. Mai. Beatrix comitissa obiit. (2)
13. Kal. Mai. Leonis papæ noni (1231), 153[ii].
11. Kal. Mai. Alexander papa II discessit (1232). (2)
9. Kal. Mai. Adelberti episcopi et martyris (1233). (1)
7. Kal. Mai. Sigeboto presbyter obiit. (3)
6. Kal. Mai. Anacleti II papæ et martyris. (1)
Heremannus ex marchione monachus obiit (1234). (1)
5. Kal. Mai. Oudalricus clericus obiit. (2)
Nonis Mai. Primus Otto imperator obiit (1235).
2. Idus Mai. Miginfredus presbyter obiit. (2)
15. Kal. Jun. Bertaldus (1236) dux Alemanniæ obiit. (2) Reginlindis obiit. (2)
8. Kal. Jun. Depositio (1237) Gregorii papæ VII a beato Petro 159[ni]. (2)
3. Kal. Jun. Ordinatio Gregorii papæ VII anno dominicæ incarnationis 1073. (2)
Kal. Jun. Chonradi martyris et episcopi Trevirensis (1238).
3. Non. Jun. Walto vere monachus obiit.
2. Non. Jun. Chonradus imperator (1239) obiit.
5. Idus Jun. Magna [4] cedes facta est apud Saxones (1240).
17 Kal. Jul. Gebehardus [5] Juvavensis episcopus obiit (1241). (2) Poppo Treverensis episcopus (1242) obiit.
12. Kal. Jul. Ludowicus imperator obiit (1243).
9. Kal. Jul. Pilgerin monachus, vere seculo peregrinus, requievit in pace. (2)
6. Non. Jul. Heinricus rex [6] obiit (1244). (2)
4. Non. Jul. Oudalrici episcopi et confessoris (1245).
3. Non. Jul. Willihelmus abbas Hirsaugiensis (1246). (2)
5. Idus Jul. Pobbo comes obiit (1247).
3. Idus Jul. Prior Heinricus imperator obiit (1248). (1)
13. Kal. Aug. Berhardus abbas Massiliensis requievit in pace (1249).
5. Kal. Aug. Victor II papa obiit (1250).
Idus Aug. Richinza soror obiit. (4)
16. Kal. Sept. Oudelscalcus monachus obiit. (3)
6. Kal. Sept. Gebehardus episcopus obiit (1251).

VARIÆ LECTIONES.

[3] *ita non* krast *legendum esse, vox* finitur *pag.* 1 *probat.* [4] *Hæc minio scripta sunt.* [5] G. I. e. o. *in loco raso, ubi quædam rubro colore scripta erant; restat rubrum* obiit. [6] imperator 2.

NOTÆ.

(1219) A. 1002.
(1220) Cumanus, a. 1084
(1221) A. 814.
(1222) A. 1073.
(1223) Spatio deficiente Petri obitus diei 9 Kal. adscriptus est.
(1224) Sæculo VIII.
(1225) Berthaldus in Chron. a. 1088.
(1226) A. 1088.
(1227) A. 1086, minio scripta.
(1028) A. 1057.
(1029) Cella S. Pauli, hodie S. Udalrici; Gerbert. Hist. Nigræ Silvæ III, 33. Uss.
(1230) A. 1049.
(1231) A. 1054.
(1232) A. 1073.
(1233) A. 997.
(1234). A. 1074. Cluniaci.
(1235) A. 973.
(1236) A. 1090. Uss.
(1237) A. 1085 minio scripta.
(1238) A. 1066.
(1239) A. 1039.
(1240) A. 1075 ad Unstrout. Poppo.
(1241) A. 1088.
(1242) A. 1047.
(1243) A. 840.
(1244) A. 936.
(1245) A. 973.
(1246) A. 1091.
(1247) An Poppo marchio Karinthiæ de quo Ann. Saxo a. 1062 ?
(1248) A. 1024.
(1249) Bernardus a. 1079 scribitur.
(1250) A. 1057.
(1251) A. 995.

3. Kal. Sept. Othere monachus obiit. (1)
5 Idus Sept. Marchuart adolescens obiit.
8. Kal. Oct. Heremannus doctor egregius (1252) obiit. (2)
7. Kal. Oct. Hugo religiosissimus conjugatus obiit (1253). (1)
4. Kal. Oct. Venezlai martyris (1254).
3. Kal. Oct. Gebino obiit. (3)
3. Non. Oct. Heinricus (II 2a) imperator obiit (1255).
7. Id. Oct. Guntharii heremitæ. Clemens II papa obiit (1256).
Idus Oct. Roudolfus rex, sancti Petri miles, migravit ad Dominum (1257). (2) Gisilbertus presbyter discessit (1258). (2)
14. Kal. Nov. Hezel laicus obiit.
5. Kal. Nov. Sigefridus abbas obiit (1259). (3)

A

2 Kal. Nov. Wolfgangi episcopi et confessoris (1260). (1)
Kal. Nov. Amezo et Fridericus, frater ejus, obierunt. (1)
8. Idus Nov. Bertoldus, piæ memoriæ dux Carinthiorum, obiit (1261). (2)
4. Idus Nov. Frater Kadalaus obiit (1262).
9. Kal. Dec. Sancti Columbani abbatis. (2)
3. Non. Dec. Adelbertus presbyter et vere monachus migravit ad Dominum (1263). (2)
8. Idus Dec. Geraldus Ostiensis episcopus (1264) obiit. (2. 3.)
6. Idus Dec. Arnolphus 7 imperator (1265) obiit
19. Kal. Jan. Agnes imperatrix obiit (1266). (3)
15. Kal. Jan. Reginlindis obiit. (2)

B

14. Kal. Jan. Adelheida Taurinensis comitissa obiit [8] (1267). (2)

	Concurrentes.		Regulares ad feriam inveniendam.	Regulares lunares antiquorum.	Regulares lunares Ægiptiorum.	Regulares lunares secundum Romanos.	Æpactæ.	Anni.
1 B	1	G F	Mar. 5.	Apr. 29.	Sep. 5.	Jan. 9.	Nul.	1
2	2	E	Apr. 1.	Maius 30.	Oct. 5.	Feb. 10.	11 22	2 3
3	3	D	Maius 3.	Jun. 1.	Nov. 7.	Mar. 9.	3 14	4 5
4	4	C	Jun. 6.	Jul. 2.	Dec. 7.	Apr. 10.	25	6
5 B	6	D A	Jul. 1.	Aug. 3.	Jan. 9.	Maius 11.	6 17	7 8
6	7	G	Aug. 4.	Sep. 5.	Feb. 10.	Jun. 12.	28	9
7	1	F	Sep. 7.	Oct. 5.	Mar. 9.	Jul. 13.	9 20	10 11
8	2	E D	Oct. 2.	Nov. 7.	Apr. 10.	Aug. 14.	1 12	12 13
9 B	4	C	Nov. 5.	Dec. 7.	Maius 11.	Sep. 16.	23	14
10	5	B	Dec. 7.	Jan. 9.	Jun. 12.	Oct. 16.	4 15	15 16
11	6	A	Jan. 3.	Feb. 10.	Jul. 13.	Nov. 18.	26 7	17 18
12	7	G	Febr. 6.	Mar. 9.	Aug. 11.	Dec. 18.	18	19
13 B	2	F E						
14	3	D						
15	4	C						
16	5	B						
17 B	7	A G						
18	1	F						
19	2	E						
20	3	D						
21 B	5	C B						
22	6	A						
23	7	G						
24	1	F						
25 B	3	E D						
26	4	C						
27	5	B						
28	6	A						

Si vis concurrentes scire, quota feria fuerit, in 9 Kal. April. tot concurrentes in eodem anno erunt de quo queris. Scias etiam literam concurrentibus ascriptam eodem anno esse Dominicalem. Regulares autem suprascripti hoc specialiter indicant, quota sit feria eo anno quo 7 concurrentes sunt; ceteris vero annis addas concurrentes, præsenti anno ascriptos ad ipsos regulares, et quotus numerus infra vel ultra 7 reperitur, tota feria erit in Kal.

VARIÆ LECTIONES.

Arnoldus 2. [8] *Codex Gengenbacensis hæc præterea diebus suis addit* : 5. Kal. Febr. Ruothardus dux obiit qui fundavit Genginbach. 2 Kal. Mart. Romani abbatis. 4. Kal. Aprilis Eustasii abbatis. 2. Kal. Aprilis Widonis abbatis. Idus Jul. Reginswindis virginis et martiris, *et sæculo XII. addita* : 6. Kal. Sept. Rufi martyris. Kal. Sept. Egidii abbatis. 7. Kal. Nov. Amandi episcopi et confessoris 2 Kal. Nov. Quintili martiris.

NOTÆ.

(1252) A. 1054.
(1253) Minime quem Uss. affert Hugo de Eginesheim qui a. 1089 obiit, alia quoque die mortuus, sed anterior anno 1073, atramento testante.
(1254) A. 936.
(1255) A. 1056.
(1256) A. 1056.
(1257) A. 1080.
(1258) A. 1089.
(1259) A. 1096 Sigifridus in chron.
(1260) A. 994.
(1261) A. 1078 Bertaldus in chronico scribitur.
(1262) A. 1076.
(1263) A. 1079.
(1264) A. 1077.
(1265) A. 899.
(1266) A. 1077.
(1267) A. 1091.

De lunaribus regularibus.

Ægiptii et Romani, a quibus calculandi peritiam sumpsimus, quem primum decennovenalis cycli annum habere instituerunt, ejusdem anni kalendarias lunæ ætates pro regularibus per totum eundem cyclum tenere decreverunt; et a quacumque Kalendarum annum eundem iniciati sunt, prius saltum lunæ absumpserunt. Verbi gratia : Romani a Januario, Ægiptii vero a Septembri, scilicet quatuor mensium altius inchoantes, alteri, id est Romani, in tricesima Novembris, alteri, id est Ægiptii, in tricesima Julii saltum eundem perfecerunt; et ita utrique primi sui anni kalendares lunæ ætates pro regularibus instituentes, ut præscriptum est, ordinaverunt.

De regularibus patrum.

Sed jam notum est, Herimanno compotistarum subtilissimo dilucidante, primum decennovennalis cycli annum a paschali novilunio in 2. Non Aprilis patres antiquos, Ægiptiis etiam quinque mensium altius inchoasse, scilicet eo anno, quo in Kalendis Januar. vicesimam septimam lunam pronunciant, in quo et saltum lunæ in 3. Kal. Augusti absumunt, quem etiam usus vulgaris decimum nonum computat. Quamvis igitur eodem anno secundum antiquos patres primo, cuique Kalendarum suarum lunaris ætas secundum æpactas semper sufficiat, vel etiam Maio superhabundet, scilicet Aprili vicesimo octavo, Maio vicesimo nono, Junio tricesimo, Julio primo, Augusto tercio, Septembri quinto, et reliquis ad Apriles usque Kalendas, quicumque tamen easdem kalendarias lunæ ætates pro regularibus tenere decernit, singulis ætatibus Kalendarum quatuor mensium primorum, quia in his saltus lunæ, qui se subsequentes semper majores efficit ætates, nondum transactus est, monadem unum augendo addat; sicque præfatas ejusdem anni kalendares lunæ ætates pro regularibus, maxime ut per embolismorum ordinem elucescit principalibus, in primo regularum præscriptarum ordine ab Aprili exordiens disponat. Hæc de regularibus patrum.

Primum vero embolismum mensem tercio abhinc anno 4. Non. Decembres, secundum sexto anno 4. Non. Septembres, tercium octavo anno 2. Non. Martias, quartum undecimo anno 2. Non. Decembres vel 3. Non. Januarias, quintum decimo quarto anno 4. Non. Novembres, sextum decimo septimo anno 4. Non. Augustas, septimum undevicesimo anno finientem 3. Non. Martias interponunt.

De controversia embolismorum.

Hinc etiam ut putamus exercitato ac diligenti satis patet calculatori, patres antiquiores, annos lunares a pascalibus noviluniis verius incoasse, et ordinasse, quod secundum Ægiptios et Romanos embolismi priori semper anno quam debuerant occurrunt, id est cum interseri debeant tercio sexto et undecimo anno, et similiter ceteris, apparent contra regulam in secundo quinto et decimo et ceteris in A hunc modum. Quod autem duo embolismi scilicet ogdoadis et endecadis tam secundum Ægiptios et Romanos quam etiam secundum patres antiquos stabilem sui tenoris ordinem retinent, id ob hoc evenit, quod in fine annorum patrum antiquorum innectuntur. Finis enim anni cujuslibet secundum antiquos pene principium est secundum Romanos, quia qui a paschalibus noviluniis lunarem annum incoant, et ad eadem reducunt, Januarium Februarium et Martium ultimos annorum eorumdem esse deprehendunt. Sunt quidam qui inquisiti præfatis embolismorum controversiis hac ratione medentur, quod postquam a Septembre epactas sequentis anni a Januario secundum vulgarem usum inchoandi inceperint, quamvis in martirologiis aliquibus anno B præcedenti, annotentur, non incongrue ad subsequentem pertinere videantur. Sed huic defensioni libens consentirem, si embolismis cunctis hanc prodesse perspexissem. Sit, si aliquo modo fieri possit. Set sextum embolismum 4. Non. Aug. interpositum cui rogo annorum ascribere volunt? An cui attitulatus est? scilicet sexto decimo an septimo decimo? Si sexto decimo, sciant eum nunquam regulari ordine embolismum recipere. Si septimo decimo, meminerint, se epactas anni ipsius nondum inchoasse. Sed hanc quæstionem cum nullo modo prævaleant enodare, fateantur necesse est rationis suæ medelam non proficere, sed errasse, et hujus rei veritatem hactenus ignorasse, eosque posthac necesse est in hujusmodi computationibus patres anti- C quos sequi potius quam Romanos. Hujus igitur quæstionis perplexio facile solvitur, si diligentius ad sententiæ nostræ superiora animus reducatur. Nam sic undevicesimus Romanorum annus dinoscitur esse primus, sic primus esse secundus, et secundus tercius; eodemque regulari tramite deducto, sextus decimus ratione necessaria deprehenditur esse decimus septimus.

De utilitate lunarium regularium.

Si forte et hoc requiritur, quid præfati lunares omnes per se valeant regulares, sciendum est, hoc specialiter intimare, quota luna sit in Kalendis eo anno quo nullæ sunt epactæ, exceptis quatuor primis patrum antiquorum regularibus, qui ob prædictam D saltus nondum transacti rationem eodem semper anno minorantur; cæteris vero annis ad regulares eosdem adjiciantur æpactæ anni præsentis, et quotus infra triginta remanserit, vel ultra triginta numerus excreverit, rejecto tricenario tota lunatio in Kalendis erit.

De saltu lunæ.

Saltus lunæ crescit annis singulis hora et puncto et undevicesima parte unius puncti. Non ergo unis eisdemque vel articulis temporum vel celi climatibus lunæ celebratur accensio, set semper aliquanto citius quam præcedente mense provenerat, ut sit unde unus transiliatur dies.

Anni ab origine mundi mutantur in 15. Ka.

Aprilis, anni dominicæ incarnationis in 8. Kal. Januar. Initium decennovenalis cicli in 2. Non. Apr. inchoat eo anno quo in Kal. Jan. vigesima septima luna pronunciatur. Cycli decennovenalis annus semper in paschali novilunio et communis et embolismæi anni, civilis sive vulgaris et lunaris annus in Kal. Jan., cicli solaris annus in Kal. Mart. innovatur. A Annus bissextilis in 5 Kal. Mart. Concurrentes in Kal. Mart. Epactæ secundum Romas in Kal. Jan., secum Ægiptios in Kal. Sept., secundum antiquos patres in Kal. April., quod et veritas est. Indictio 8. Kal. Oct. Ciclus solaris a primo concurrente naturali numero sic ordinato, primus secundus tercius quintus cum bissexto.

Menses Romanorum.		Hebreorum.		Ægiptiorum.		Græcorum.		Anglorum.		Armeniorum.	
1	Januarius	10	Tebth	5	Tubi	2	Eydios	1	Giuli	11	Margats
2	Februarius	11	Sabat	6	Mechir	3	Peritios	2	Solmonat	12	Hrorti
3	Marcius	12	Adar	7	Famenot	4	Distrios	3	Hredmonat	1	Nanasardi
4	Aprilis	1	Nisan	8	Formuthi	5	Xanthios	4	Eustermonat	2	Hori
5	Maius	2	Iar	9	Pacho	6	Artemiseos	5	Drimilci	3	Sahmi
6	Junius	3	Sinan	10	Pauni	7	Deseos	6	Lida	4	Tre
7	Julius	4	Thamul	11	Ephsi	8	Penemeos	7	Lida	5	Kauuots
8	Augustus	5	Aab	12	Mesor	9	Loos	8	Veothmonat	6	Arants
9	September	6	Flul	1	Thoth	10	Gorpeios	9	Halegmonat	7	Mehgi
10	October	7	Theseri	2	Faosi	11	Yperberetheos	10	Vimirfrillith	8	Arieg
11	November	8	Maresuan	3	Athir	12	Dios	11	Bluotmanat	9	Ahgi
12	December	9	Caslev	4	Cheæ	1	Apileos	12	Giuli	10	Mareri [8]

Nota [9] hic Romanos pontifices juxta pontificalem B librum esse digestos, in quo Linus et Cletus non tam successores quam coadjutores sancti Petri fuisse leguntur. Nam et Linus ante obitum sancti Petri discessisse, et Cletus non solum sancti Petri set et Clementis tempore legitur fuisse. Nihil enim sanctus Petrus apostolicæ potestatis Lino vel Cleto concessit, set successori suo Clementi, sicut decreta pontificum testantur, quibus sicut et prædicto pontificali magis credendum videtur quam Eusebio.

CATALOGUS SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM.

1. Beatus Petrus apostolus sedit annis 25, mensibus ferme tribus, usque ad decimum quartum Neronis annum.
2. Linus martir, ab ipso ordinatus episcopus, C annis 11, mensibus ferme 4, usque ad duodecimum Neronis annum, vel juxta chronica Eusebii ad secundum Titi annum.
3. Cletus martir, a sancto Petro ordinatus episcopus, annis 12, mensibus ferme duobus, usque ad primum Domitiani annum, vel juxta Eusebii chronica usque ad duodecimum Domitiani annum.
4. Clemens martir, a beato Petro ut aiunt ordinatus, annis 9, mensibus ferme tribus, usque ad octavum Vespasiani annum. Juxta chronica Eusebii usque ad quartum Trajani annum.
5. Anacletus martir 9 annis, mensibus duobus, usque ad decimum Domitiani annum; qui in chronicis Eusebii non habetur. D
6. Euarestus martir annis 9, mensibus 10, usque ad septimum Trajani annum. Juxta chronica Euesbii ad undecimum Domitiani annum.
7. Alexander martir annis 10, mensibus 7, usque ad decimum quintum Trajani annum. Juxta Eusebium ad tertium Adriani annum.
8. Sixtus martir annis 10, mensibus duobus, usque ad sextum Adriani annum. Juxta chronica Eusebii ad duodecimum Adriani annum.
9. Telesphorus martir annis 11, mensibus ferme quatuor, tempore Antonini Marci. Juxta Eusebium usque ad primum Antonini annum.
10. Yginus annis 4, mensibus 3, juxta chronica Eusebii usque ad quintum Antonini annum.
11. Pius annis 19, mensibus 4. Juxta chronica Eusebii annis 15, usque ad vigesimum Antonini annum.
12. Anacetus annis 11, mensibus 4. Juxta chronica Eusebii usque ad octavum Veri annum.
13. Soter annis 9, mensibus ferme 7, usque ad decimum Veri annum. Juxta chronica Eusebii annis 8, usque ad decimum sextum Veri annum.
14. Eleutherus annis 15, mensibus tribus, usque ad sextum Commodi annum. Juxta chronica Eusebii ad decimum tertium Commodi annum.
15. Victor martir annis 10, mensibus duobus, usque ad quartum Severi annum. Juxta chronica Eusebii ad nonum Severi annum.
16. Zepherinus annis 18, mensibus 7, usque ad sextum Antonini Caracallæ annum. Juxta chronica Eusebii ad secundum Aurelii annum.

VARIÆ LECTIONES.

[8] *sequitur tabula Numeros annorum, Æpactas, Terminum paschalem et Concurrentes cum Dominicalibus litteris exhibens, quem hic omitti placuit; in ora paginæ manu sæculi* XIV *adscriptum est :* Anno ab incarnacione Domini DXXXII. anno Justiniani imperatoris VI. incepit Dyonisius abbas Romanus cyclum magnum paschalem, qui totidem in se continet annos, anno ab inicio mundi secundum Eusebium V. DCC⁰. XXX⁰.
vox partim abscisa

17. Kalistus martir annis 5, mensibus 2. Juxta chronica Eusebii usque ad tertium Alexandri annum. A

18. Urbanus martir annis 8, mensibus 10. Juxta chronica Eusebii usque ad undecimum Alexandri annum.

19. Pontianus martir annis 6, mensibus 5. Juxta chronica Eusebii usque ad tertium Maximini annum.

20. Antherus martir mense uno; qui in tertio Maximini anno passus est.

21. Fabianus martir annis ferme 15; qui sub Decio passus est.

22. Cornelius martir annis duobus, mensibus duobus; qui sub Valeriano, vel ut alii sub Decio, passus est. B

23. Lucius martir annis 3, mensibus 3, usque ad primum Valeriani annum. Juxta chronica Eusebii tantum 8 mensibus.

24. Stephanus martir annis 6, mensibus 5. Juxta chronica Eusebii annis tribus.

25. Sixtus 2us martir anno uno, mensibus ferme 11, post hunc præfuerunt presbyteri. In chronicis Eusebii annis 11, usque ad 14um Gallieni annum.

26. Dionisius annis 6, mensibus duobus, usque ad 15um Gallieni annum. In chronicis Eusebii annis 9, usque ad primum Probi annum.

27. Felix martir annis 4, mensibus ferme 4, usque ad tertium Aureliani annum. In chronicis Eusebii annis 5, usque ad quintum Probi annum. C

28. Eutichianus martir anno uno, mense uno, anno Aurieliani quarto. In chronicis Eusebii mensibus 8 tantum, id est quinto Probi anno.

29. Gaius martir annis 11, mensibus 4, usque ad secundum Dioclitiani annum. In chronicis Eusebii 15 annis, usque 13um Dioclitiani annum.

30. Marcellinus martir annis 9, mensibus 4, usque ad 17um Dioclitiani annum. In chronicis Eusebii usque 20um Dioclitiani annum; post quem juxta Romanum pontificale cessavit episcopatus annis 7, mensibus 6, diebus 25.

31. Marcellus martir annis 5, mensibus ferme 8; qui in chronicis Eusebii non habetur.

32. Eusebius annis 6, mense uno. In chronicis Eusebii mensibus 8, anno 20mo Dioclitiani. D

33. Melciades annis 4, usque ad quartum Constantini annum.

34. Silvester annis 23, mensibus 10. In chronicis Eusebii annis 22, usque ad 25^{tum} Constantini annum.

35. Marcus annis duobus, mensibus 9. In chronicis Ieronimi mensibus 8, 25° anno Constantini.

36. Julius annis 15, mensibus duobus. In chronicis Ieronimi annis 16, mensibus 9, usque ad 12um Constantii annum.

37. Liberius annis 6, mensibus 4. In chronicis Ieronimi 17 annis, usque ad secundum Valentiniani annum.

38. Felix 2us martir anno uno, mensibus tribus, inter exulatum Liberii, anno Constantii 20°.

39. Damasus annis 18, mensibus tribus. In chronicis Prosperi annis 19, usque ad quintum Gratiani annum.

40. Siricius annis 15; qui in chronicis Prosperi Ursinus nomine sedit annis 14, usque ad tertium Archadii annum.

41. Anastasius annis tribus. In chronicis Prosperi annis 4, usque ad 7um Archadii annum.

42. Innocentius annis 15, mensibus ferme 4. In chronicis Prosperi annis 14, usque ad 8um Honorii annum.

43. Zozimus annis tribus, mensibus ferme 5, usque ad 11um Honorii annum.

44. Bonifacius annis tribus, mensibus 8, usque ad 15um Honorii annum.

45. Celestinus annis 8, mensibus 10, usque ad nonum Theodosii annum.

46. Sixtus 3us annis 8, usque ad annum Domini 440.

47. Leo doctor annis 21, mensibus duobus ferme usque ad annum Domini 462.

48. Hilarius annis 6, mensibus tribus, usque ad annum Domini 467.

49. Simplicius annis 15, mense uno, usque ad annum Domini 482.

50. Felix 3us annis ferme 9, usque ad annum Domini 491.

51. Gelasius annis 4, mensibus 8, usque ad annum Domini 496.

52. Anastasius annis ferme duobus, usque ad annum Domini 498.

53. Simmachus annis 15, mensibus ferme 8, usque ad annum Domini 514.

54. Hormista annis 9, usque ad consulatum Simmachi et Boetii, id est ad annum Domini 523.

55. Johannes martir annis duobus, mensibus 9, usque ad annum Domini 526.

56. Felix 4us annis 4, mensibus duobus, usque ad annum Domini 530.

57. Bonifacius 2us annis duobus, mense ferme uno, usque ad annum Domini 532.

58. Johannes 2us, qui et Mercurius, annis duobus, mensibus 4, usque ad annum Domini 534.

59. Agapitus anno ferme uno; qui Constantinopoli defunctus, Romam relatus est anno Domini 535°.

60. Silverius martir anno uno, mensibus 5; qui in exilio obiit 12. Kal. Jul. indictione 15^{a}, anno Domini 537°.

61. Vigilius annis 17, mensibus ferme 7; qui Constantinopoli diu exulatus, et demum relaxatus obiit 554° anno.

62. Pelagius annis 11, mensibus 10, usque ad annum Domini 565.

63. Johannes 3us annis ferme 13, usque ad annum Domini 578. Cessatum est 10 mensibus.

64. Benedictus annis 4, mensibus ferme 2, usque

ad annum Domini 582. Cessatum est mensibus 3.

65. Pelagius 2us annis 10, mensibus 2, obiit indictione 9^{a}, anno Domini 592. Cessatum est mensibus 4 fere.

66. Gregorius doctor annis 13, mensibus 6, obiit indictione 8^{a}, anno Domini 605. Cessatum est mensibus 5.

67. Sabinianus anno 1, mensibus 5, usque ad annum Domini 607. Cessatum est anno fere 1.

68. Bonifacius 3us mensibus ferme 9, usque ad annum Domini 609. Cessatum est mensibus 10.

69. Bonifacius 4us annis 6, mensibus 8, usque ad annum Domini 617. Cessatum est mensibus 7 ferme.

70. Deusdedit annis 3, mense 1 ferme, usque ad annum Domini 620. Cessatum est mense uno et semis.

71. Bonifacius 5us annis 5, usque ad annum Domini 625.

72. Honorius annis ferme 13, usque ad annum Domini 638. Cessatum est anno 1, mensibus 7.

73. Severinus mensibus 2, anno Domini 640. Cessatum est mensibus 5.

74. Johannes 4us anno 1, mensibus ferme 10, usque ad annum Domini 642. Cessatum est mense uno et semis.

75. Theodorus annis 6, mensibus ferme 6, usque ad annum Domini 649. Cessatum est mensibus ferme 2.

76. Martinus martir annis 6, mensibus 2 ferme, usque ad annum Domini 655; qui in exilio obiit.

77. Eugenius annis 2, mensibus 10 ferme, usque ad annum Domini 658. Cessatum est mensibus 2.

78. Vitalianus annis 14, mensibus 6, obiit indictione 15^{a}, anno Domini 672. Cessatum est mensibus 2.

79. Adeodatus annis 4, mensibus 2, usque ad annum Domini 676. Cesssatum est mensibus 4 et dimidio.

80. Donus anno 1, mensibus 5, usque ad annum Domini 678. Cessatum est mensibus 2.

81. Agatho annis 2, mensibus 6, usque ad annum Domini 681; sub quo sexta universalis sinodus, indictione 9^{a}. Cassatum est anno 1, mensibus 7.

82. Leo 2us mensibus ferme 11, anno Domini 683; sub quo indictione 11^{a} 16. Kal. Apr. luna eclipsin passa est. Cessatum est anno uno ferme.

83. Benedictus 2us mensibus 10, post pascha obiit anno Domini 685. Cessatum est mensibus 2 semis.

84. Johannes 5us anno 1, anno Domini 686. Cessatum est mensibus 3 ferme.

A 85. Conen mensibus 11, anno Domini 687. Cessatum est mensibus 3 ferme.

86. Sergius annis 13, mensibus 9 ferme, obiit indictione 14^{a}, Tiberio imperatore, anno Domini 701. Cessatum est mensibus 2 ferme.

87. Johannes 6us annis 3, mensibus 2, usque ad annum Domini 705. Cessatum est mense uno semis.

88. Johannes 7us annis 2, mensibus 8 ferme, usque ad annum Domini 788. Cessatum est mensibus 3.

89. Sisinnius 20 diebus, qui podagra subito moritur, anno Domini 708. Cessatum est mensibus 2.

90. Constantinus annis 7, usque ad annum Domini 715; qui in Greciam ad imperatorem venit indictione 9^{a}, et reversus est in decima. B

91. Gregorius 2us annis 15, mensibus 9 ferme, obiit indictione 14^{a}.

92. Gregorius 3us annis 10, mensibus 9 ferme, obiit indictione 10^{a}, anno Domini 742.

93. Zacharias annis 10, mensibus 3, obiit indictione 5^{a}, anno Domini 752.

94. Stephanus 2us annis 5, mense 1 ferme, usque ad annum Domini 757.

95. Paulus annis 10, mense 1, usque ad annum Domini 767.

96. Stephanus 3 annis 4, mensibus 6 ferme usque ad annum Domini 772.

C 97. Adrianus annis 24, mensibus 10, usque ad annum Domini 796.

98. Leo 3us annis 20, mensibus 10, usque ad annum Domini 816.

99. Stephanus 4us mensibus 7, obiit anno Domini 817.

100. Paschalis annis 7, mense 1 ferme, usque ad annum Domini 824.

101. Eugenius 2us annis 4, mensibus 8 ferme, usque ad annum Domini 828.

102. Valentinus 40 diebus, anno Domini 828.

103. Gregorius 4us annis 16, usque ad annum Domini 844.

104. Sergius 2us annis 5, usque ad annum Domini 847.

D 105. Leo 4us annis 9, mensibus 3, usque ad annum Domini 856.

106. Benedictus 3us annis 2, mensibus 6, usque ad annum Domini 859.

107. Nicolaus annis 9, mensibus 9, usque ad annum Domini 868.

108. Adrianus 2us annis 5, usque ad annum Domini 873.

109. Johannes 8us annis 10, usque ad annum Domini 883.

110. Marinus anno 1, mensibus 6, usque ad annum Domini 885.

111. Adrianus 3us anno 1, mensibus 4 usque ad annum Domini 886.

112. Stephanus 5us annis paulo plus 6, usque ad annum Domini 892.

113. Formosus, Portuensis prius episcopus, annis 4, mensibus 7, usque ad annum Domini 896.

114. Bonifacius 6us diebus 15; qui podagra mortuus est eodem anno.

115. Stephanus 6us, prius Campaniæ episcopus, anno 1, mense 1; qui digne propter effossum Formosum ejectus periit.

116. Romanus mensibus 5 ferme, anno Domini 898.

117. Theodorus 2us diebus 20, anno quo supra.

118. Johannis 9us annis 2, usque ad annum Domini 900.

119. Benedictus 4us annis 3, mensibus 5, usque ad annum Domini 904.

120. Leo 5us mensibus 2 ferme, anno Domini quo supra.

121. Christophorus mensibus 4; qui dejectus est anno Domini quo supra.

122. Sergius 3us annis 7, mensibus 3, usque ad annum Domini 912.

123. Anastasius 2us annis 2, mensibus 2, usque ad annum Domini 914.

124. Lando mensibus 5, anno Domini 915.

125. Leo 6us mensibus 2 ferme, anno Domini quo supra.

126. Johannes 10us annis 14, mensibus 2, usque ad annum Domini 929.

127. Stephanus 7us annis 2, mense 1, usque ad annum Domini 931.

128. Johannes 11us annis 4, usque ad annum Domini 935.

129. Leo 7us annis 3, mensibus 6, usque ad annum Domini 938.

130. Stephanus 8us annis 3, mensibus 4 ferme, usque ad annum Domini 942.

131. Marinus 2us annis 3, mensibus 6, usque ad annum Domini 945.

132. Agapitus 2us annis 10 ferme, usque ad annum Domini 955.

133. Johannes 12us qui et Octavianus, annis 8, mensibus 4; qui Ottonem imperatorem fugit anno Domini 963, et post unum annum periit.

134. Leo 8us anno 1, mensibus 3; quo depulso Benedictus a Romanis ordinatur.

135. Benedictus 5us mensibus 2; quo ejecto, Leo ab imperatore restitutus sedit annis plus minus duobus.

136. Johannes 13us, prius Narniensis episcopus, annis 7 ferme, qui expulsus, et iterum restitutus et vindicatus, sedit usque ad annum Domini 972.

137. Benedictus 6us anno 1, mensibus 10; qui a Crescentio relegatus et strangulatus est, eoque vivente Bonifacius ordinatus, statimque pulsus est, anno Domini 974.

138. Benedictus 7us, Sutriæ prius episcopus, annis 9, usque ad annum Domini 983.

139. Johannes 14us, qui et Petrus Papiæ prius episcopus, mensibus 8, anno Domini 984.

140. Bonifacius 7us, anno 1 ferme, qui prius male ordinatus et expulsus fuerat, et iterum male reversus, pessime postremo periit.

141. Johannes 15us annis 10, mensibus 7, usque ad annum Domini 996.

142. Gregorius 5us, qui et Bruno, annis 3, mensibus 9, usque ad annum Domini 999.

143. Silvester 2us, qui et Gerbertus primo Remorum post Ravennatium archiepiscopus, papa promotus sedit annis 5, usque ad annum Domini 1004.

144. Johannes 16us anno uno.

145. Johannes 17us, qui et Fasanus, annis 6, usque in annum Domini 1010.

146. Sergius 4us annos 3, usque in annum Domini 1013.

147. Benedictus 8us annos 11, mensem 1 ferme, usque ad annum Domini 1024.

148. Johannes 18us annos 9, usque ad annum Domini 1033.

149. Benedictus 9us, qui et Theophilactus, annos 12; qui propter scelera pulsus, iterumque reversus, et viciis deditus, a papatu sponte recessit anno Domini 1046.

150. Silvester 3us, qui ejecto Benedicto ordinatus statimque depulsus est anno Domini 1044.

151. Gregorius, qui et Gratianus, quem Benedictus se ipsum deponens pro se ordinari fecit anno Domini 1046.

152. Clemens 2us, qui et Suidegerus Babinbergensis episcopus, Gratiano locum dante ordinatus, sedit menses 9, anno Domini 1047. Cessatum est menses 10 ferme.

153. Damasus 2us, qui et Poppo Brixiensis episcopus, nec 1 mensem sedit anno Domini 1048. Cessatum et menses 6.

154. Leo 9us, qui et Bruno Leucorum episcopus, annos 5, usque ad annum Domini 1054.

155. Victor 2us, qui et Gebehardus Aureatensis episcopus, annis ferme 3, usque ad annum Domini 1057.

156. Stephanus 9us, qui et Fridericus, mensibus 9; qui apud Florentiam sepultus est.

157. Nicolaus 2us, qui te Gerhardus, Florentiæ episcopus, sedit annis 3 ferme, usque in annum Domini 1061.

158. Alexander 2us, qui et Anselmus Lucensis episcopus, annis 12, usque in annum Domini 1073.

159. Gregorius 7us, qui et Hiltebrandus Romanæ ecclesiæ archidiaconus, anno quo supra ordinatus, sedit [10] annos 12 et mensem unum, usque in annum Domini 1085; cujus merita et

VARIÆ LECTIONES.

[10] sedit— M. LXXXV, *alio atramento*.

ante obitum ejus et postea multis miraculis claruerunt [11]. In cujus 7° anno Guibertus Ravennas heresiarcha sedem apostolicam tirannice invasit, eamque usque post obitum Gregorii papæ plures annos infestavit. Unde et duos annos cessavit episcopatus.

160. Victor 3us, qui et Desiderius Romanæ æcclesiæ cardinalis et abbas Cassinensis, anno Domini 1087, ordinatus, menses 4 sedit [12]. Cessatum est menses 5.

161. Urbanus 2us, qui et Otto prius Ostiensis episcopus, anno Domini 1088, ordinatus [13], sedit annos 11, menses 5, usque in annum Domini 1099. Cessatum est 15 dies.

162. Paschalis 2us, qui et [14] Reginherius presbiter cardinalis ex titulo Sancti Clementis, anno quo supra ordinatus [15].

HÆ [16] SUNT CRONICA BERNOLDI,

QUÆ CONTRADIDIT MONASTERIO DOMNI SALVATORIS.

INCIPIUNT CHRONICA VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI JUXTA HEBRAICAM VERITATEM.

Prima (1268) est hujus mundi ætas ab Adam usque ad Noe, continens annos juxta Hebraicam veritatem 1656, juxta septuaginta interpretes 2240 [17] generationes juxta utramque editionem numero 10. Quæ universali est deleta diluvio; sicut primam cujusque hominis oblivio demergere consuevit ætatem. Quotus enim quisque est, qui suam recordetur infantiam?

Secunda ætas a Noe usque ad Abraham, generationes juxta Hebraicam veritatem complexa 10, annos autem 292, porro juxta septuaginta interpretes annos 1072, generationes vero 11. Hæc quasi puericia fuit gentis populi Dei, et ideo in lingua inventa est, id est Hebrea. A puericia namque homo incipit loqui nosse post infantiam, quæ hinc appellata est, quod fari non post.

Tercia [18] ab Abraham usque ad David, generationes juxta utramque auctoritatem 14, annos autem 842 [19] complectens. Hæc quædam velut adulescentia fuit populi Dei, qua ætate incipit homo posse generare. Propterea Matheus evangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium; qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit.

Quarta a David usque ad transmigrationem Babilonis, habens annos juxta Hebraicam veritatem 460 [20], juxta septuaginta translationem 12 amplius, generationes juxta utrosque codices 17; quas tamen evangelista Matheus certi mysterii gratia 14 ponit. A qua velut juvenali ætate in populo Dei regum tempora cœperunt. Hæc namque ætas [21] in hominibus apta gubernando solet existere regno.

Quinta quasi senilis ætas, a transmigratione Babilonis usque in adventum domini Salvatoris et incarnationem, generationibus et ipsa 14, porro annis 570 [22] extenta, in qua ut gravi senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebrea quassatur.

Sexta quæ nunc agitur ætas, nulla generationum vel temporum serie certa, set ut ætas decrepita, ipsa totius seculi morte consumenda. Has erumnosas plenasque laboribus mundi ætates, sancti quique felici morte vicerunt.

Septima jam sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

Decursus prædictarum ætatum.

Prima igitur ætate seculi nascentis, prima hujus die, fecit Deus lucem, quam appellavit diem. Secunda firmamentum cœli in medio libravit aquarum, ipsis aquis ac terra cum superiore cœlo et virtutibus, quæ in eo conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis, *etc.* . . . . *ut apud Bedam de sex ætatibus mundi.*

Josaphat, filius Asa, annis 25. Helias Thespites tres semis annos pluviam continuit propter peccata Achab et populi Israhel. Et inter cætera magnalia Heliseum, filium Saphat, qui fuit de Abelmaula, pro se unxit in prophætam. Ieronimus [23] in libro Hebraicarum

VARIÆ LECTIONES.

[11] *Quæ sequuntur, alio atramento scripta sunt.* [12] *hinc alio atramento.* [13] *quæ sequuntur usque* Reginherius, *alio atramento in loco raso.* [14] *quæ sequuntur, alio atramento addita sunt.* [15] *tum manu aliena, non Bernoldi, hæc adjecta leguntur :* sedit annos 19, menses 6, usque in annum dominice incarnationis 1119. 163. Gelasius 2us, qui et Johannes Romanæ æcclesiæ archidiaconus, anno quo supra ordinatus, sedit unum ferme annum. 164. Calistus 2us, qui et Wido Viennensis archiepiscopus, anno dominice incarnationis 1120. ordinatus est. [16] *ita* 1. [17] II.CCXLII. *corr.* II.CCXL. 1. [18] *hic in margine legitur :* Hi sunt auctores cronicorum : Eusebius, Ieronimus, Prosper, Dionisius, Jordanis, Beda, et nostri temporis Heremannus, et deinceps quilibet sui temporis descriptores. [19] DCCCCXLII. *corr.* DCCCXLII. 1. [20] CCCCLXXIII. *corr.* CCCCLX. 1. [21] *vox addita supra lin.* 1. [22] DLXXXVIIII. *corr.* DLXX. 1. [23] *hæc in margine sed eadem manu* 1. *desunt* 3.

NOTÆ.

(1268) Ex Beda De sex ætatibus mundi.

questionum asserit, Heliam esse Fineen, qui zelo Domini accensus Zambri cum Moabitide fornicantem transfixit. Proprie autem vocatur Finees, nam ab eventu Helias dicitur. Cum enim idem Finees ab Israelitico populo mitteretur ad tribum Ruben et Gath, quæ enormis magnitudinis altare construxerant, hoc ab eis responsum excusationis accepit : Fortissimus Deus Dominus ipse novit. Ex quorum responso ipse Phinees vocatus est Helias, quod interpretatur : Deus Dominus, *etc.* . . . .

Roma condita in monte Palatino, 11. Kal. Maii, a geminis Remo et Romulo, filiis Rheæ Silviæ, quæ erat filia Numitoris fratris regis Amulii, virgo vestalis, sed constuprata in salibus ludis [24]. Sabinæ raptæ, anno ab urbe condita tercio. Remus rutero [25] pastorali a Fabio, Romuli duce, occisus.

Ezechias, filius Achaz, annis 29. Hujus anno sexto Salmanasar rex Assyriorum, capta Samaria, transtulit Israhel in Assyrios. Cujus regnum a primo Jeroboam steterat annis 360, *etc.* . . . .

Qui autem reliqui fuerunt Judei, transfugerunt in Ægiptum. Qua post annos quinque percussa a Chaldeis, in Babiloniam sunt et ipsi transmigrati.

De quinta ætate mundi.

Quinta mundi ætas ab exterminio cœpit regni Judaici, quod juxta prophetiam Jeremiæ 70 annis permansit, *etc.* . . . .

Consentit his Josephus, in decimo Antiquitatum libro scribens, templum et Jerusalem et omnem Judeam 70 annis permansisse desolatam. Qui rursum enumerando reges Babilonis — si tamen [26] ipse sic scripsit, et non codex fallit mendosus — centum facere [27] annos ab eversa Jerusalem usque ad eversionem regni Chaldeorum facit colligi, *etc.* . . . . . .

Anno 18 imperii Tiberii Dominus sua passione mundum redemit, et prædicaturi per Judeæ regiones apostoli, Jacobum fratrem Domini Jerosolimis ordinant episcopum. Ordinant et 7 diacones; et lapidato Stephano æclesia per regiones Judeæ et Samariæ dispergitur [28]. Agrippa cognomento Herodes, filius Aristoboli filii Herodis regis, accusator Herodis tetrarchæ Romam profectus, a Tiberio in vincula coicitur [29] ubi plurimos sibi ascivit ad amiciciam, et maxime Germanici filium Gaium, *etc.* . . . . . .

Domitianus frater Titi junior, annos 15, menses 5. Hic secundus post Neronem christianos persequitur. Sub quo apostolus Johannes in Pathmos insulam relegatus est, et Flavia Domitilla, Flavii Clementis consulis ex sorore neptis, in insulam Pontianam ob fidei testimonium exiliatur.

De (1269) *regnis principalibus.*

Primum regnum Assiriorum a Nino, Beli filio, et Semiramide uxore ejus cepit, et permansit usque ad Thonoscon-coleron regem, qui Grece Sardanapallus vocatur, quem Abarces præfectus Medorum vicit, et regnum illud in Medos transtulit. In eo regnatum est a regibus 36 annis 1240, factis ab initio mundi ante hujus regni exortum secundum chronicam Eusebii annis 3142. Hujus regni caput Babilon civitas extitit. Hoc destructo, regnum Medorum incipit, quod a rege Abarce usque ad Astrigen, quem Cirus superavit, steterat annis 259 sub regibus 8, Chaldeis interim in Babilone non parva potestate regnantibus. Exin regnum Persarum, quod Cyrus adjecto Medorum Chaldeorumque regno magnifice ampliavit, ab ipso Cyro usque ad Darium regem, Arsami filium steterat annis 231 sub regibus 14. Hoc Alexander Magnus rex Macedonum occiso Dario destruxit, omnemque sibimet orientem subegit, et Alexandriam in Ægipto condidit.

Deinde regnum Grecorum seu Alexandrinorum, ab ipso Alexandro Magno usque ad Ptolomeum Dionisium et sororem ejus Cleopatram Juliique Cæsaris monarchiam, permanens annis 281 sub regibus 11, quamvis eadem Cleopatra postea permittente Julio 20 annis regnaverit, usque ad Octaviani Augusti annum 15.

Post hoc excellentissimum regnum Romanorum, quod jam pridem sub regibus et consulibus adoleverat, ab ipso Julio Cæsare et Octaviano Augusto consurgens, omni prope mundo imperavit et usque ad hæc tempora paulatim decrescendo perduravit.

Hæc sunt principalia regna per cursum temporum sibi invicem succedentia, reliquaque regna bellorum tempestatibus quatientia.

Inter hæc fuere alia plurima regna, minora quidem supradictis set tamen historicorum stilis celeberrima, de quibus eminentiora sunt hæc : Sycioniorum, Ægiptiorum, Argivorum, Hebreorum, Atheniensium Micenarum, Lacedemoniorum, Corinthiorum, Macedonum, Lidorum, Siriæ, Asiæ, Latinorum qui postea Romani appellati sunt. Set de Latinis quomodo ad Romanorum excellentiam venerint, paucis dicamus.

Ante Trojanum famosissimum bellum Trojæque excidium in Italia regnaverunt : Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus annis 150. Deinde post ter-

VARIÆ LECTIONES.

[24] *ita* 1. 2. *distinguunt;* constuprata. Consualibus ludis 3. *ut Beda.* [25] *ita* 1. 2. *i. q.* rutro.— rastro 3. *Beda.* [26] Si tamen parenthesis ipse sic 1. 2. [27] fere 3. [28] *hoc potissimum loco sistimus, quæ in codice* 1. *folio* 20. *ad latus historiæ Ptolamæi Philadelphi alio tamen atramento scribuntur :* Quinque sinodi traduntur ab apostolis habitæ, prima in electione Mathiæ, secunda de electione septem diaconorum, tercia ne circumcisio gentibus imponeretur, quarta ne Judei prohiberentur a lege, quinta cum apostoli ab invicem erant discessuri. [29] conjicitur 3.

NOTÆ.

(1269) Anteriora omnia ex Beda descripta sunt; quæ sequuntur cf. cum Jordane De regnorum successione.

cium annum exterminii Trojæ, quod 877 [30] regni Assyriorum contigit anno, Æneas profugus inde in Italiam veniens, filiam Latini Laviniam accepit uxorem, regnoque succedens ipse et posteri ejus 15, qui omnes Silvii cognominati sunt, usque ad Amulium Silvium, Numitoris fratrem, in Alba civitate, quam Ascanius Æneæ filius condidit, regnaverunt annis 426. Interea regnante Amulio, Rhea Silvia quæ et Alia [31] Numitoris filia, virgo vestalis, se a Marte compressam mentita, ex stupro Remum et Romulum geminos enixa est. Quos Lupa quædam, Faustuli regii pastoris uxor, nutrivit. Qui adolescentes Romam condiderunt, occisoque Remo, Romulus Amulio Silvio succedens, ipse et sex successores ejus usque ad Tarquinium Superbum regnaverunt annis 243. Deinde Tarquinio expulso, regioque nomine abdicato, consules a Bruto esse ceperunt. Post hos tribuni plebis ac dictatores, et iterum consules, rem publicam obtinuerunt per annos 464 usque ad Julii Cæsaris dictatoris monarchiam, in quibus diversis bellis Romanum regnum excrevit. Deinde a Julio Cæsare et Octaviano Augusto amplificatum, totum pene orbem suis legibus subjecit, multoque tempore singulare imperium in orbe tenuit, donec succedentium ignavia principum, et undique [32] insurgentium immanitate bellorum ad hunc quem hodie videmus perveniret defectum.

DE SEX MUNDI ÆTATIBUS.

(BEDA *De temporibus* c. 16.) Sex mundi ætatibus tempora distinguuntur. Prima ætas ab Adam usque ad Noe, continens generationes 10, annos vero 1656, quæ tota periit diluvio, sicut infantiam mergere solet oblivio. Secunda a Noe usque ad Abraham, generationes similiter complexa 10, annos autem 296, quæ in lingua inventa est, id est in Hebrea. A puericia namque homo incipit nosse loqui post infantiam quæ fari non potest. Tercia ab Abraham usque ad David, generationes 14, annos vero 940 continens; et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Matheus generationum ex Abraham sumpsit exordium, qui et pater gentium constitutus est. Quarta a David usque ad transmigrationem Babilonis, generationes æque 14 juxta Matheum, annos autem 483 complexa, a qua regum tempora ceperunt. Juvenilis enim dignitas regno est habilis. Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris in carnem, generationibus et ipsa 14, annis autem 589 extenta. In qua ut gravi senectute fessa malis crebrioribus plebs Hebrea quassatur. Sexta quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa, set ut ætas decrepita, ipsa totius seculi morte ferienda.

Anno 42 Octaviani Augusti Cæsaris, ex quo autem Ægiptus in provinciam redacta est et Cleopatra cum Antonio victa 28° anno, ab Urbe vero condita 752°, olimpiadis 193* anno tercio, dominus noster Jesus Christus in Bethleem Judæ nascitur, transactis ab inicio mundi secundum Hebraicam veritatem annis 3952, secundum septuaginta interpretes vero 5199.

44. (HIER.) Infantes pro Domino trucidantur ab Herode.

46. Asinius Pollio orator moritur.

47. Herodes rex Judee cum magno cruciatu obiit, pro quo Archelaus regnavit annis 9.

48. Fames magna facta est Romæ (*A. D.* 9).

50. Tyberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque [33] subegit.

53. Jani portæ 12 annis jam ab Augusto clausæ aperiuntur.

54. Messala Corvinus orator moritur.

55. Eclipsis solis facta est.

56. Archelaus in Viennam Galliæ urbem ab Augusto relegatur, et Augustus moritur, anno ætatis suæ 76°, et Judea tetrarchis committitur (*A. D.* 15).

TYBERIUS 2us, privignus Augusti, regnavit annis 23.

1. Herodes tetrarcha Judeorum regnum tenuit annis 24.

2. Mathematici Urbe pelluntur.

3. Livius historiografus moritur. Ovidius poeta in exilio moritur.

4. Germanicus a Tyberio missus Germanos vicit.

5. (CASSIOD.) Tredecim urbes terræmotu corruerunt. Germanicus cæsar moritur.

6. Fenestella historiographus et poeta moritur.

7. Tyberius multos reges ad se vocatos dolo nunquam remisit.

8. Pompeii theatrum incensum est.

9. Tyberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno veneno periit.

12. Pilatus præses Judeæ a Tyberio mittitur.

15. [34] Dominus Jesus Christus a Johanne baptizatur, tricesimo anno ætatis suæ inchoante et prædicare cepit (*A. D.* 30).

17. Johannes baptista ab Herode thetrarcha decollatur.

18. Dominus Ierosolimis passus est et resurrexit. Eclipsis solis et maximi terræ motus facti sunt.

19. (HIER.) Jacobus frater Domini, Ierosolimorum episcopus ab apostolis ordinatus, sedit annis 30. *Stephanus lapidatur. Paulus convertitur* [35].

20. Pilatus imaginem cæsaris in templo statuens, seditionem excitavit (*A. D.* 35).

21. Pilatus Romam venit, et de miraculis Domini cesari nunciavit.

22. Tyberius ea quæ a Pilato audierat senatui nunciavit, set senatus contempsit.

23. Tyberius populum Romanum graviter afflixit, et ipse veneno periit.

VARIÆ LECTIONES.

[30] De *usque* morte ferienda *infra hac eadem col. desunt* 3. [31] *corrige* Ilia. [32] unde 1. [33] salmatasque 1. [34] *hæc prius anno* 14, Joh. — decollatur *anno* 16. *adscripta fuerant* 1. [35] *hæc in marg. alio atramento* 1.

GAIUS CALICULA 3us, annos 4[36], menses 6, dies 8, vir scelestissimus.

1. Herodes Agrippa rex Judeæ a Gaio constitutus, regnavit annis 7.

2. Judei apud Alexandriam profligantur (*A. D.* 40); pro quibus Philo clarissimus scriptor apud Gaium interpellans, nichil profuit.

3. Pilatus semetipsum interfecit, magnis a Gaio calamitatibus oppressus.

4. Matheus evangelium hebraice scripsit. Gaius occiditur a protectoribus suis.

CLAUDIUS 4us, annos 13, menses 8, dies 28.

2. Petrus apostolus Romam venit, ibique per 25 annos predicans, episcopatum tenuit.

3. Herodes Agrippa ab angelo percussus expiravit; pro quo filius ejus Agrippa regnavit annis 26. Marcus in Ægipto prædicavit (*A. D.* 45).

4. Fames magna facta est. Claudius Britanniam subegit.

5. Nova insula 30 stadiorum in mari aparuit.

6. Cives Romani a Claudio numerati inventi sunt sexagies novies centum et quadraginta quatuor milia[37].

7. Judeorum in seditione 30,000 necantur in diebus azimorum (*A. D.* 49).

9. Claudius Judeos Urbe expulit.

10. Magna fames Romæ facta est.

11. Claudius Felicem procuratorem Judeæ fecit.

12. His temporibus Symon magus, symoniacæ hereseos auctor extitit. (*A. D.* 55).

13. Ægiptius quidam pseudopropheta Judeorum plures seducens, a Felice opprimitur.

14. Claudius veneno mortuus est, anno ætatis 64°.

NERO 5us, annos 13, menses 7, dies 28. Iste flagitiosus in cunctis, primam in christianos persecutionem exercuit.

1. Seditio in Cæsarea orta, plures Judæorum perdidit.

2. Paulus apostolus Romam a Festo præside mittitur.

3[38]. Hucusque liber Actuum apostolorum, continens a passione Domini annos 27.

4. Statius poeta clarus habetur (*A. D.* 60).

5. Nero Agripinam matrem suam et sororem patris interfecit.

6. Nero infinita luxuria et lascivia ignaviaque bachatur.

7. (Hier.) Jacobus frater Domini a Judeis lapidatur.

8. Marcus evangelista apud Alexandriam passus est.

9. Neronianæ thermæ a Nerone edificantur.

10. Nero ut similitudinem Trojæ ardentis videret, magnam partem Romæ concremavit (*A. D.* 65).

11. Nero Senecam magistrum suum interfecit[39] *Ieronimus in libro de viris illustribus : Lucius Annius Seneca Cordubiensis, Fotini stoici discipulus, patruus Lucani poetæ, multas epistolas scripsit ad Paulum apostolum et Paulus ad illum; qui se talem inter suos fore optavit, qualis Paulus habebatur inter christianos.*

12. Vespasianus dux exercitus adversus Judæos rebellantes a Nerone mittitur.

13. Petrus et Paulus a Nerone propter Symonem magum trucidantur 3. *Kal. Jul.*[40] et pestilentia Romæ facta est, Neroque seipsum interfecit (*A. D.* 69).

[*Cod. in marg.* : *Hæc cronica* in successione Romanorum pontificum sequitur Eusebium, non pontificalem librum, cui tamen magis in hac descriptione esset credendum, ut puto quem Damasus papa rogatu sancti Ieronimi[41] diligentissime descripsit.]

Linus primus a beato Petro papa sedit annis 12, *passus* 6. *Kal. Decemb.*[42].

Antiochiæ secundus episcopus ordinatur Ignatius.

GALBA 6us, menses septem. OTHO menses 3. VITELIUS menses 8.

VESPASIANUS 7us, in Judea pugnans, imperator ab exercitu constituitur, et regnat annos 9, menses 11, dies 22, vir militari virtute præcipuus.

1. Titus[43] Judeos inenarrabili fame cruciatos obsedit.

2. Jerusalem a Tito expugnata destruitur, anno a passione 42[44], a prima vero conditione templi sub Salomone anno 1089[44].

5. Hoc tempore Josephus historiografus clarus habetur.

7. Colossus erectus est, habens altitudinis pedes 107.

9. Pestilentia Romæ facta est; et terræmotus tres civitates Cipri subvertit.

10. Vespasianus profluvio ventris in villa circa Sabinos obiit.

TITUS 8us, Vespasiani filius, annos 2, menses 2, vir omni genere virtutum mirabilis, ita ut delitiæ[45] et amor humani generis diceretur.

1. Titus anphitheatrum Romæ construxit, in cujus dedicatione 5000 ferarum occidit.

2. Anacletus papa 2us, sedit annis 12 *passus*[46] 6. *Kal. Maii Post*[47] *Linum papam quidam libri habent Cletum et post Clementem Anacletum, set historia Eusebii Cletum papam omnino præterit.*

Titus in eadem villa qua et pater obiit, anno ætatis suæ 42.

DOMITIANUS 9us, frater Titi, annis 15, mensi-

VARIÆ LECTIONES.

[36] III *corr.* IIII 1. [37] LXes VIIIIes C̅ et X̅L̅I̅I̅I̅ 1. [38]. *Huic anno errore quodam numerus* LX. *in codice* 1. *adscriptus est; ita et infra* LXX, *et alii.* [39] *hæc in marg. alio atramento.* [40] III Kl. Jul. *alio atram.* [41] Ieronimi 1. [42] P. VI. K.D. *alio atr.* 1. [43] *errore additur* VIII. *quod et infra suo loco habetur* 1. 1. [44] II *et* I *addita alio alia atr.* 1. [45] diuitiæ 1. 2. [46] p. VI. K. M. *alio atramento nec ad Anacletum sed ad Cletem referenda.* [47] *hæc in marg. eadem manu* 1.

bus 5. Hic omnibus infectus sceleribus, secundo persequitur christianos.

1. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.

2. Decreto senatus Titus inter deos refertur.

3. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnantur (*A. D.* 85).

4. Anianus primus post Marcum evangelistam episcopus Alexandriæ, post annos 22 obiit; pro quo Abilius 2us sedit annis 13.

6. Domitianus se Deum et dominum apellari jussit.

8. Quintilianus rethor Romæ clarus habetur (*A. D.* 90).

9. Hic heresis Menandri magi et Hebionitarum et Cherinthiorum et Nicolaitarum exoritur.

10. Hoc tempore Romani plurima mala a cesare et ab hostibus pertulerunt.

11. Domitianus de Dacis et Germanis triumphat.

12. Clemens 3us papa, sedit annis 9. Cornelia virgo vestalis ob stuprum viva defossa est.

[*Cod in marg.* : Nota [48] repugnantia videri, Clementem papam 32° anno post mortem Jacobi fratris Domini intronizari apostolicæ sedi, et ad eundem aliqua decretalia constituisse.]

13. Domitianus multos nobilium occidit.

14. Johannes apostolus in Pathmos insulam a Domitiano in exilium missus, apocalipsin scripsit.

15. Domitianus Flaviam Domitillam cum multis aliis in exilium pro fide Christi relegavit.

16. Domitianus cum multa mala egisset, crudeliter a suis interfectus est.

NERVA 10us, senex, annum 1, menses 4, dies 8. Hic primo edicto suo omnes exules revocavit.

1. Sanctus Johannes apostolus ab exsilio rediens evangelium scripsit. Nerva morbo confectus obiit.

TRAJANUS 11us, genere Hispanus, annos 19, menses 6, dies 15, vir rei publicæ utilis, sed errore deceptus, tercio persequitur christianos.

1. Alexandriæ Cerdo episcopus tercius, sedit annis 12.

2. Joannes apostolus apud Ephesum dormivit in pace, anno a passione Domini 68.

3 [49]. Liber sancti Ieronimi de viris illustribus asserit, Clementem papam hic obisse 9. Kal. Dec. [50] et quartum a beato Petro fuisse.

4. Evarestus papa 4us, sedit annis 8 *passus* [51] 6. *Kal. Novembr.* Trajanus de Dacis et Scithis triumphat.

5. Trajanus multas gentes Romano subjecit imperio.

6. Hoc tempore Symeon, Cleopæ filius, Ierosolimis episcopus crucifigitur. Ignatius Antiochiæ episcopus clarus doctor habetur. (*A. D.* 105).

8. (HIER.) Terræ motus magnus [52]. *Adhuc floruit* A *Policarpus Smyrnæ episcopus, apostolorum discipulus.*

9. Hoc tempore Plinius Secundus, philosophus clarus, pro christianis Trajanum mitigat.

10. Terræ motus multas urbes subvertit, et aurea domus Neronis incendio periit, et pantheum fulmine concrematum est (*A. D.* 109).

12. Alexander papa 5us, sedit annis 10 [53], *qui 5. Nonas Martii martirio coronatus est.*

13. Alexandriæ Primus episcopus quartus, sedit 12 annis.

14. Post Justum Ierosolimæ episcopum Zacheus sedit.

15. Terræ motus pene totam Antiochiam subruit.

B 16. Trajanus Asmeniam, Assiriam et Mesopotamiam provincias facit (*A. D.* 115).

17. Ignatius Antiochiæ episcopus martirizatur.

18. Judei commoti magnas cedes hominum faciunt, set in Alexandria victi ab omnibus ubique trucidantur.

19. Trajanus apud Seleuciam profluvio ventris moritur, anno ætatis 64.

HELIUS ADRIANUS 12us annis 21. Hic per quadratum discipulum apostolorum et Aristidem virum sapientem libris apologeticis edoctus, mitis efficitur christianis.

1. Adrianus Alexandriam publicis restauravit expensis.

C 2. Adrianus iterum Judeos profligat (*A. D.* 120).

3. Sixtus papa 6us, sedit annos 12. Adrianus plurima tributa relaxat.

4. Terræ motus factus est. Bellum contra Sauromatas gestum.

5. Adrianus in Libiam, quæ a Judeis vastata fuerat, colonias deducit.

6. Alexandriæ Justinus episcopus 5us, sedit annis 11. Adrianus legem dedit Atheniensibus.

7. Ierosolimis post Philippum episcopus Seneca 10us. (*A. D.* 125).

8. Hoc tempore Aquila interpres habetur.

9. Adrianus apologeticis nostrorum acceptis, literas pro christianis misit.

D 11. His temporibus Saturninus Basilides et Carpocrates heresim condiderunt.

12. Adrianus pater patriæ primus appellatur (*A. D.* 130).

13. Antiochiæ Cornelius episcopus constituitur. Nicopolis et Cæsarea terræ motu corruerunt.

14. *Sixtus* [54] *papa sub Adriano imperatore passus est, 8. Idus Aprilis.*

15. Thelesphorus papa 7us, sedit annis 7; *juxta* [55]

VARIÆ LECTIONES.

[48] *alio atramento in marg.* 1. [49] *hæc atramento paullum diverso inserta sunt* 1. [50] VIIII. Kal. Dec. *alio atr.* 1. [51] passus VI. Kal. Nov. *alio atr.* 1. [52] *hæc alio atr. addita* 1. [53] *sequentia alio atr.* 1. [54] *hæc alio atr.* 1. [55] i. h. E. a XI. *alio atr.*

hystoriam (1270) *Eusebii annis* 11. *Passus* [56] 4. *Non. Januarii.* A

16. Judei in arma versi, Palestinam depopulantur.

17. Alexandriæ Eumenes episcopus 6us, sedit annis 13 (*A. D.* 135).

18. Judei iterum commoti, magnis ubique cedibus enecantur.

19. Jerusalem ab Helio [57] Adriano reparata est, et ex ejus nomine Helia nuncupata, et Judeis ne introirent interdicta.

20. Primus ex gentibus Ierosolimis episcopus Marcus ordinatur, cum jam 15 de Judeorum gente obissent.

21. Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, major sexagenario. B

ANTONINUS, cognomento Pius 13us, annis 23 [58], mensibus 3. Iste per apologeticum Justini, christiani philosophi [59] et postea martiris, edoctus, clemens efficitur nostris.

1. Yginus papa 8us, sedit annis 4 [60]. *Hic discessit* 4. *Idus Jan.* (*A. D.* 140).

2. Antoninus pater patriæ apellatur.

3. Valentinus et Cerdo, et post hos Marcion et Marcus æclesiam heresi impugnant.

4. Justinus[61] philosophus pro christianis apologeticon Antonino scripsit.

5. Prius papa 9us, sedit annis 15[62]. *Hic discessit* 4. *Idus Julii.*

6. Antiochiæ constituitur episcopus Heros (*A. D.* 145). C

9. Alexandriæ Marcus episcopus 7us, sedit annis 10.

10 [63]. *Pius papa juxta baptisterium sanctæ Praxedis consecravit titulum sancti Hermæ, de quo Apostolus ad Romanos : « Salutate Phlegontham, Hermen, » cujus creditur esse liber ille Pastoris; licet apocrifus, qui apud Grecos multum usitatur.*

13. Apollonius et Basilides philosophi clari habentur (*A. D.* 152).

17. Crescens Cinicus philosophus, Justino nostro philosopho persecutionem commovit, in qua ille pro Christo occubuit.

18. Alexandriæ Celadion episcopus 8us, sedit annis 14.

19. Anicetus papa 10us, sedit annis 11. *Martirio*[64] *coronatus* 16. *Kal. Maii : Cujus* [65] *tempore memorat Egesippus, se Romam venisse, ibique usque ad Eleutrum papam permansisse.* D

21. Jerosolymis post Marcum factus est episcopus Cassianus 17us (*A. D.* 160).

22. Antoninus Pius apud Lorium obiit, anno ætatis 77 [66].

MARCUS ANTONINUS VERUS 14us, cum fratre Lucio Aurelio Commodo, annis 19, mense 1.

1. Hi primum æquo jure administraverunt imperium.

2. Lucio cesari Athenis sacrificanti, ignis ab oriente occidentem in celo ferri visus est.

3. Fronto orator insignis habetur (*A. D.* 165).

4. Cæsares de Parthis triunphant.

5. Sub his principibus quarta persecutio orta, apud Asiam Policarpum cum plurimis, et in Gallia multos sanctorum coronavit.

7 [67]. Hoc tempore maxima lues multas vastavit urbes, et exercitum Romanum pene delevit.

8. Sother papa 11us, sedit annis 9 [68]. *Hic* [69] *discessit* 11. *Kal. Maii.* Antiochiæ Theophilus episcopus, vir sapiens, ordinatur (*A. D.* 170).

10. Alexandriæ 9us Agrippinus episcopus sedit annis 10. Lucius cesar apoplexi extinctus est.

11. (HIER.) His temporibus Egesippus, Dionisius Corinthi episcopus, Pynitus Cretæ episcopus, Theophilus Antiochiæ episcopus, Modestus (1271) Melito, Apollinaris et alii plurimi doctores clari habentur.

13. Katafrigarum heresis oritur.

14. Hoc tempore Datianus [70] heresim Encraticarum condit.

15. Antoninus Commodum filium consortem regni fecit.

16. Imperatores de hostibus triumphant et debita plebi relaxant.

17. Eleutherus [71] papa 12us sedit annis 13. *Hic* [72] *discessit* 8. *Kal. Jun.* Lucius Britanniæ rex ab Eleutero papa ut christianus efficiatur, impetrat.

18. Antoninus in Pannonia moritur (*A. D.* 180).

LUCIUS ANTONINUS COMMODUS 15us post mortem patris annos 13 regnavit. Hic Germanos feliciter vicit; cæterum obscenus et pravus fuit.

1. Alexandriæ Julianus episcopus 10us sedit annis 10.

2. Serapis templum Alexandriæ incensum est.

3. Hoc tempore Pantenus et Clemens Alexandriæ clari habentur (*A. D.* 185).

4. Ierosolimis Maximus episcopus ordinatur 27us.

5. Commodianæ thermæ Romæ factæ sunt.

6. Origenis apud Alexandriam nascitur.

VARIÆ LECTIONES.

[56] P. IIII. N. I. *alio iterum atr.* [57] *rubrum* (h) 1. [58] XXII. *corr.* XXIII. 1. [59] *in loco raso* 1. [60] *reliqua alio atr.* [61] Justus 1. [62] *reliqua alio atr.* 1. [63] *hæc alio atramento* 1. *in Gestis pontt. desiderantur.* [64] m. c. XVI K. M. *alio atr,* 1. [65] Cujus — permansisse *alio iterum atramento* 1. [66] *alio atr. additur annus* XIIII. XXIII. [67] *hæc in loco raso* 1. [68] VIII. *corr.* VIIII. 1. [69] H. d. XI. K. M. *alio atr.* [70] *lege* Tatianus. [71] E. p. XII. s. a. XIII. *primum initio anni* 15. *scripta, tum anno* 16. *subjecta, et alio iterum atram. anno* 17. *adscripta sunt.* [72] H. d. III. K. I. *alio atram*

NOTÆ.

(1270) Scilicet Chronicon Hieronymi et Gesta pontt. Rom.
(1271) Deest apud Hieronymum.

7. Hoc tempore Montanus quidam catafrigarum heresim condit.

8. Hireneus, Lugdunensis episcopus, et alii doctores claruerunt.

9. Capitolium Romæ et bibliotheca fulmine cremantur (*A. D.* 190).

10. Victor [73] papa 13us sedit annis 11. Demetrius Alexandriæ 11us episcopus, annis 43. Commodus colossi capite sublato, suæ imaginis caput jussit imponi.

12. Magna questio de pascha oritur, et in dominica die celebrari jubetur.

13. Commodus cunctis incommodus, in domo Vestali strangulatur. HELIUS PERTINAX 16us, mensibus 7. Hunc JULIANUS juris peritus occidens, regnavit menses 7.

SEVERUS 17us, genere Afer, annos 17. Hic Julianum civili prælio vicit, et se Pertinacem appellavit.

3.[74] Hoc tempore Narcissus Ierosolimorum episcopus, et Theophilus Cæsariensis, Policarpus quoque et Bacchilus Asiani, et alii episcopi insignes habentur.

5. Judaicum et Samariticum bellum motum est.

6. Severus Parthos et Adiabenos Arabasque superavit (*A. D.* 200).

8. Thermæ Severianæ apud Antiochiam factæ sunt. [75] *Victor papa Martirizatus est* 12. *Kal. Maii.*

9. Zepherinus papa 14us [76], *qui discessit* 7. *Kalend. Septembris,* sedit ann. [77] 17f.

10. Severus quinta persecutione plurimos sanctorum coronavit. Inter quos pater Origenis Leonides cum multis aliis martirizatur.

12. Perpetua et Felicitas hac persecutione apud Carthaginem bestiis deputantur.

13. Hoc tempore Simmachus et Theodocion interpretes habentur.

14. Severus vallum apud Britannos per 132 milia passuum a mari ad mare fecit.

16. Tertullianus Afer clarissimus habetur (*A. D.* 210).

17. Severus in Britannia moritur.

ANTONINUS CARACALLA 18_{us}, annis 7.

1. Antiochiæ Asclepiades episcopus ordinatur nonus.

2. Hoc tempore Alexander episcopus Capadociæ a Narcisso Ierosolimorum episcopus constituitur.

3. Antoninus Caracalla, propter genus vestis quod Romæ erogabat, cognominatur.

5. Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificavit.

6. Antoninus impatientia libidinis novercam suam Juliam duxit uxorem.

7. Antoninus interficitur, anno vitæ 43.

OPHNUS [78] MACRINUS 19us, annum 1.

1. Macrinus cum filio Diadumeno occiditur. Antiochie [79] Philetus episcopus 10us constituitur.

MARCUS AURELIUS ANTONINUS 20us, annos 4.

1. Calistus papa 15us, sedit annos 5, *qui* [80] *passus est sub Alexandro imperatore* 2. *Idus Octobris* (*A. D.* 220).

2. Ypolitus episcopus clarus habetur.

3. In Palestina Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, condita est.

4. Aurelius tumultu militari Romæ occiditur.

AURELIUS ALEXANDER 21us, annos 13. Hic in matrem suam unice pius fuit et cunctis carus.

1. Alexander Xerxen regem Persarum vicit.

2. Urbanus papa 16us, sedit annos 8. Hic multos nobilium ad fidem Christi convertit, *qui* 8. *Kal. Junii ex hac luce discessit* [81] (*A. D.* 225).

4. Ulpianus juris consultus insignis habetur.

5. Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.

6. Geminus presbyter, Ypolitus et Berillus episcopi et Bostrenus clari habentur.

7. Antiochiæ episcopus Zebennus 11us.

8. Mammea, mater Alexandri, Origenem celeberrimum doctorem ad se vocatum audire curavit (*A. D.* 230).

10. Pontianus papa 17us, sedit annis 6, *qui* [82] *passus est sub Maximino imperatore* 12. *Kal. Decemb.*

11. Alexandriæ Heraclas episcopus 12us, vir sapiens, sedit 14.

13. Alexander tumultu militari occiditur (*A. D.* 235).

MAXIMINUS 22us, annis 3. Iste christianos et maxime rectores æclesiæ sexto post Neronem persequitur.

1. (HIER. an. 213) Alexander Ierosolimorum episcopus 35us.

2. Pontianus papa et successor ejus Antherus 18us papa post primum mensem pontificatus [83], 3. *Non Januar.* martirizantur.

3. Fabianus papa 19us, sedit annis 14. Maximinus Aquileiæ occiditur.

GORDIANUS 23us, annis 6.

2. Pupienus et Albinus, qui imperium arripuerant, in palatio occisi sunt (*A. D.* 240).

3. Hoc tempore Julius Affricanus chronographus clarus habetur.

4. Hac tempestate Origenes Theodorum [84] et Athenodorum fratres, postea episcopos nobiles, divina imbuit philosophia.

6. Gordianus cum victor a Parthis reverteretur, haut longe [85] a Romano solo interficitur.

VARIÆ LECTIONES.

[73] Victor. — XLIII. *prius anno sequenti adscripta erant in* 1. *In chronico Hieronymi Demetrii nomen quæstioni de pascha antecedit.* [74] *huic anno annus mundi* 4150. *et Christi* 200. *adscribuntur in* 1. [75] *hæc alio atramento.* [76] qui — Septembris *alio atr.* [77] XVIII. *corr.* XVII. 1. [78] *ita* 1. 2. Opilius 3. [79] A. — constituitur *alio atr.* [80] qui — Octobris *alio atr.* [81] qui — discessit *alio atr.* [82] qui — Decemb. *alio atr.* [83] III. N. Jan. *alio atr.* [84] cognomento Gregorium *addit.* 5. (*v. a.* 266.) [85] *supra lineam* 1.

PHILIPPUS 24us, cum filio Philippo, annis 7. Hic primus omnium imperatorum christianus fuit. [86] *De hoc Philippo legitur in œclesiastica historia, quod in ipsa die paschæ cum communicare vellet, ab episcopo loci non permitteretur, usque dum præmissa confessione peccatorum inter penitentes satisfaceret.*

1. Philippus filium suum Philippum consortem regni sui fecit (*A. D.* 245).

3. (HIER. a 249) Alexandriæ 13us Dionisius episcopus clarus doctor sedit annis 19. [87] *Qui in suo tempore Sabellianam heresim apud Ptolomaidem asserit exortam* (1271*).

4. Millesimus annus ab Urbe condita festive celebratur.

5. Origenes presbiter his temporibus tanta scripsit, ut Ieronimus quodam loco quinque milia librorum ejus se legisse dicat (1272).

7. Philippus senior Veronæ, junior vero Romæ, occiditur.

DECIUS 25us, anno 1, mensibus 3. Iste septimam in christianos persecutionem excitavit.

1. Fabianus martirizatur 13. [88] *Kal. Febr.*, pro quo Cornelius papa 20us sedit ann. 3. Decius cum filio suo occiditur *in* [89] *Tracia a Gothis.*

GALLUS 26us cum Volusiano filio, ann. 2, mens. 4.

1. Origenes [90] anno ætatis septuagesimo moritur. [91] Novatus presbiter *Romanæ œclesiæ* [92], heresis auctor extitit *Novatianorum, qui se catharos, id est mundos,* [93] *dixerunt. Novatiani* [94] *in crimine lapsis veniam denegant, etsi digne peniteant.*

2. (HIER. a. 256.) Gallus et Volusianus Teramnæ interfecti sunt.

VALERIANUS 27us, cum Gallieno ann. 15. Iste octavam persecutionem exercuit in christianos.

1. Cornelius papa martir efficitur 18. *Kal. Octobr.* [95] Lucius papa 21us, sedit menses 8, *passus* [96] 4. *Non Martii* (*A. D.* 255).

2. Stephanus papa 22us, sedit annos 2. *qui martirio coronatus est* 4. *Nonas Augusti* [97].

3. Cyprianus doctor eximius Carthaginensis episcopus martirio coronatur.

4. (HIER. a. 260-262. HERM. a. 259.) Sixtus papa 23us, sedit ann. 11, [98] *qui pro Christo decollatus est* 8. *Idus Augusti.* Valerianus commota persecutione, a Sapore rege Persarum captus, et oculis privatus, in servitute miserabili consenescit; et Gallienus territus, pacem reddidit christianis.

8. Germani Italiam, Alemanni Gallias et Italiam populantur.

9. (Cf. HIER. a. 266.) Grecia, Macedonia, Pontus, Asia depopulantur per Gothos.

11. (HIER. a. 267.) Alexandriæ Maximus episcopus 14us, sedit ann. 18.

12. Hoc tempore Theodorus, qui et Gregorius, Neocæsariæ episcopus virtutibus claruit.

13. Ierosolimæ Hymeneus episcopus constituitur 37us.

14. Dionisius papa 24us, sedit ann. 9. *Hic discessit* 6. *Kal Januarii* [99].

15. Gallienus Mediolani occiditur.

CLAUDIUS 28us, ann. 1, mens. 9. Iste Gothos jam per 15 annos Illiricum Macedoniamque vastantes superat.

1. Paulus de Samosathe Antiochiæ episcopus hereticus esse convincitur. [100] *Hic Anthiochiæ episcopus feminarum consortio delectabatur, quod et clericis suis concessit, ne sibi hoc crimen possent imputare, quippe astricti eodem crimine. Hic etiam Christum hominem communis naturæ asseruit. Hic cum damnatus nollet ab œcclesia discedere, ad cumulum sui dedecoris publica manu expellitur ab œclesia, ut narrat œclesiastica hystoria* (EUSEB. VII, c. 23, 24) [*A. D.* 270].

2. Claudius Sirmio moritur, pro quo frater QUINTILLUS regnavit dies 17, et Aquileiæ occiditur.

AURELIANUS 29us, ann. 5, mens. 6. Hic rei publicæ utilis, primo clemens christianis, postea persecutor fuit.

2. Zenobia [101] regina orientis vincitur.

3. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus et Zenobia captivi præcesserunt.

4. Aurelianus templum Soli ædificat, et nonus persecutionem in christianos excitat (*A. D.* 275).

5. (HIER. a. 278.) Aurelianus divino fulmine territus, inter Bizantium et Eracliam a militibus occiditur.

(*Ib.* a. 279.) TACIUS 30us, mens. 6, quo apud Pontum occiso, FLORIANUS regnat dies 88, et apud Tharsum interficitur.

1. Felix papa 25us, sedit ann. 5us, [102] *qui martirio coronatus est* 3. *Kal. Junii.*

PROBUS 31us, ann. 6, mens. 4.

1. Galliæ a barbaris vastatæ, a Probo Romano restituuntur imperio.

2. Anatholius Laodiciæ episcopus clarus habetur.

3. Manes quidam, genere Persa, insanam Manicheorum heresim condidit (*A. D.* 280).

4. Antiochiæ episcopus Quirillus constituitur 18us.

VARIÆ LECTIONES.

[86] *quæ sequuntur, in margine scripta sunt.* [87] *quæ sequuntur, alio atram.* [88] XIII. K. F. *alio atr.* [89] in T. a G. *alio atr.* [90] origenis 1. [91] et in tyro sepelitur *Mur.* [92] r. æ. *supra scr.* [93] i. m. *supra scr.* [94] *hæc in marg. scripta.* [95] XVIII. Kal. Oct. *alio atr.* [96] p. IIII. N. M. *alio atr.* [97] q. m. c. e. IIII. N. A. *alio atr.* [98] *hæc alio atr.* [99] H. d. VI. K. I. *alio atr.* [100] *hæc in margine superiore paginæ* 1. [101] Cenobia *littera* C *rubra cf. ann. seq.* [102] VI. cor. V. *reliqua alio atr.* 1.

NOTÆ.

(1271*) Factum id a sancto Babyla episcopo Antiocheno refert Eusebius Hist. eccles. VI, 27, quo tamen testimonio non obstante Pagius in critica Baronii ad ann. 244, n. 4, Philippum Christianum fuisse negat cum aliis eruditis. Uss.

(1272) Fortasse in epistola ad Paulam, in qua se operum Origenis catalogum texuisse testatur cap. 54 De viris illustr., quæ tamen intercidit. Uss.

5. Euthicianus papa 26us, sedit mens. 10 [103], *passus pro Christo 8 Kalend. Augusti.*

6. Gaius papa 27us, sedit ann. 15. Alexandriæ Theonas episcopus 15us, ann. 18. Probus apud Sirmium tumultu militum occiditur.

CARUS 32us, cum filiis Carino et Numeriano, ann. 2.

1. Carus victor de Parthis, super Tygridem fulmine ictus interiit.

2. Numerianus occiditur. Carinus apud Margum a Diocletiano interficitur. Hucusque ab incarnatione Domini supputantur anni 284 secundum Dionisium (*A. D.* 285).

DIOCLETIANUS 33us, ann. 20.

1. Ab hoc anno Greci paschales circulos inchoabant.

2. Diocletianus Herculium Maximianum in consortium regni assumit.

3. Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit.

4. Hoc tempore Carausius Britannias, Narses rex Persarum orientem, Ægyptum Achilleus, Quinquegentiani Africam vastaverunt (*A. D.* 290).

6. Diocletianus Constantium, Constantini patrem, cæsarem facit, qui regnavit ann. 16.

7. Diocletianus Galerium Maximianum cæsarem facit.

8. Hoc tempore Phierius presbiter et Achillas et Melitius Alexandriæ claruerunt.

9. His temporibus diversis et multis præliis hostes diversi vincuntur.

11. Diocletianus se ut Deum adorari jussit.

13. Gaio papa 10. *Kal. Maii* [104] martirizato, Marcellinus 28us successit, ann. 9 [105], *qui item passus est pro Christo, 6. Kal. Maii. Huc usque æclesiastica historia Eusebii successiones præsulum Romanorum sive Alexandrinorum aperte describit, sicut et hic descriptæ habentur.*

14. Diocletianus victo Achilleo, Alexandriam Ægiptumque recepit.

15. Constantius 60 millia Alemannorum occidit *A. D.* 300. HIER. a. 304).

16. Alexandriæ Petrus 16us episcopus, sedit ann. 12.

17. Galerius [106] Maximianus Narseum superavit, et uxorem ac liberos ejus captivavit.

18. Diocletianus et Maximianus insigni pompa de hostibus triumphant.

19. Diocletianus in oriente, et Herculius Maximianus in occidente æclesias subvertunt, libros divinos incendunt, et christianos decima persecutione post Neronem cruciaverunt.

20. (OROS. VII, 25.) Diocletianus Nicomediæ, et A Maximianus Mediolani purpuras et regnum ob senectutis defectum sponte deponunt.

GALERIUS [107] et CONSTANTIUS augusti. Maximinus persecutor christianorum et Severus cæsares eliguntur.

1. (*Ibid.* HIER. a. 309.) Constantius augustus, vir mansuetus, in Britannia Eboraci obiit.

CONSTANTINUS, Constantii ex concubina Helena filius, ann. 30, mens. 10. Hic primus imperator, excepto Philippo christianus fuit, et ab hoc christiani imperatores ceperunt.

1. Maxentius, Maximiani Herculii filius, augustus appellatur. Marcellus 29us *papa sedit ann. 5, passus* [108] 17. *Kal. Februarii.*

2. Maximianus Herculius apud Massiliam turpiter B interficitur.

3. Occiso Severo, Licinius cæsar efficitur.

4. (OROS. VII, 28.) Galerius [109] Maximianus, christianorum persecutor, divina ultione tactus, parcere christianis jussit.

5. Maximinus cæsar persecutionem restaurat (*A. D.* 310).

6. (HIER. a. 316; *Hist. misc.*) Petrus Alexandriæ episcopus martirio coronatur, pro quo Achillas sedit. Eusebius papa 30us, ann. 6. [110]; 6 Non. Octobris discessit. *Magna fames et lues in persecutores facta est.*

7. Persecutio tandem post 10 annos finita est.

8. (Cf. HIER. a. 315.) Constantinus Maxentium civili prælio, Deo juvante, apud pontem Mulvium [111] C vicit.

9. *Maximinus* [112] *cæsar cum magno cruciatu miserabiliter et digne moritur.*

10. Plurimi persecutorum et magorum trucidantur.

12. (EUSEB. *Hist. eccles.* IX, 10; OROS. VII, 28.) Licinius Cæsar primo bonus christianorum ultor, prava contra Constantinum machinans et christianos persequens, vicitus bello interiit. Melciades papa 31us sedit annis 4, obiit [113] 4. *Idus Januarii* [114].

14. Hoc tempore Alexandriæ presbyter Arrius nefandam Arrianorum heresem condit, sub Alexandro episcopo, qui Achillæ successit.

16. Silvester papa 32us [115], ann. 23 mens. 10, *qui discessit* 2. *Kalend. Januarii* [116].

D 17. Concilium in Nicea congregatur 318 episcoporum, *sub Silvestro* [117] *papa, in quo Arrius condemnatur* [118] *et 70 capitula constituuntur, sicut Athanasius dicit, qui eidem sinodo interfuit.*

Sunt ex Nicea decies septena statuta,
Sicut Athanasius scribit simul et papa Marcus.

19. Hoc tempore crux dominica ab Helena Con-

VARIÆ LECTIONES.

[103] *reliqua alio atr.* [104] X. K. M. *alio atr.* [105] qui — Maii *alio atr.* [106] Valerius *littera* V *rubra* 1. [107] Valerius *littera* V *rubra, adscripto* G *nigro* [108] p. XVII. K. F. *alio atr.* [109] Valerius *littera* V *rubra* 1. [110] VI. N. O. d. *alio atr.* [111] vluium 1. 2. [112] maximininus 1. [113] *deest* 1. [114] IIII. Id. I. *alio atr.* [115] XXXII. *corr.* XXIII. 1. [116] q. d. II. K. I. *alio atr.* [117] *supra locum rasum, quo e. g.* julio *aut simile quid scriptum erat* 1. [118] demnatur *et reliqua anni atramento alio.*

A stantini matre Ierosolimis reperitur, sub Machario ejusdem urbis episcopo.

20. Vicennalia Constantini acta Romæ (*A.D.* 325).

22. (Oros. vii, 28). Constantinus Sarmatas, Gothos et multas nationes Romano subdit imperio.

24. Constantinus Bizantium urbem reparavit, et ex suo nomine Constantinopolim appellavit, et sedem Romani regni esse voluit.

25. Athanasius episcopus ordinatur Alexandriæ [119].

26. His temporibus Indi et Hiberi efficiuntur christiani (*A.D.* 330).

27. His temporibus Eusebius Cæsariensis episcopus, et Juvencus poeta, et plurimi doctores claruerunt.

B 28. (Euseb. *Hist. eccles.* ix, 11; Hier. a. 340.) Antonius monachus clarus habetur.

29. Constantia, Constantini soror, uxor Licinii moritur.

30. Constantinus in Arrianum dogma labitur.

31. Constantinus dum bellum in Persas pararet, apud Nicomediam obiit, anno ætatis 66° (*A.D.* 335).

CONSTANTIUS, filius Constantini, cum Constantino et Constante fratribus ann. 24, mens. 5, dies 13.

1. Constantius fit Arrianus per Arrianum presbiterum et Eusebium Nicomediensem, et persequitur catholicos.

C 2. (Hier. a. 341.) Jacobus Nisibinus episcopus virtutibus claruit.

3. Constantinus bellum fratri Constantio inferens, juxta Aquileiam occiditur.

4. Terræ motus multas urbes diruit.

5. Franci a Constante perdomiti, in pacem recepti sunt (*A.D.* 340).

6. Constantinopoli ejecto ab Arrianis Paulo episcopo, Macedonius heresiarches in locum ejus substituitur.

7. (Hier.) Hoc tempore Maximinus Treverorum episcopus clarus habetur, a quo Athanasius Alexandriæ episcopus, a Constantio profugus, honorifice suscipitur.

8. [120] Marcus 33us papa sedit ann. 2 [121] *Nonis* [122] *Octobris.*

D 9. Athanasius episcopus ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

10. Eclipsis solis facta est, et terræ motus multas subvertit [123] Julius 34 papa, ann. 15, 2 *Id. Apr.* [124] (*A.D.* 345).

11. Bellum contra Persas gravi Romanorum damno geritur.

12. Constans haut longe ab Hispania (Hier.) interficitur, anno ætatis 30°.

14. His temporibus ossa Timothei et sancti Andreæ apostolorum et Lucæ evangelistæ Constantinopolim allata sunt.

16. Antonius monachus centesimo quinto ætatis suæ anno in heremo moritur; quo tempore multi heremitæ virtutibus claruerunt (*A.D.* 351).

17. Victorinus rethor et Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.

18 Julianus cæsar efficitur a Constantio.

19. Magna Alemannorum copiæ apud Argentarium [125] deletæ sunt.

20. Julianus Rheno Germanos vicit (1273) [*A.D.* 355].

21. Hilarius Pictaviensis episcopus, et Athanasius Alexandrinus, et omnes catholici episcopi ab Arrianis multa mala sunt perpessi.

22. Apud Ariminum sinodus Arrianorum 400 episcoporum [126] contra fidem facta est.

23. (Oros. vii, 29; cf. Hier. a. 352.) Julianus successu bellorum elatus, augusti nomen usurpat. Constantius in Parthos bellum parat [127]. Liberius papa 35us sedit annos 6. Quo expulso, locum ejus Felix papa 36us uno anno occupavit; et iterum Liberius suæ sedi restituitur [128]. Sanctus autem Felix Constantium imperatorem hereticum esse declarans, martirizatus est, 4 Kal. Augusti.

24. Constantius Parthico bello dimisso, contra Julianum arma sumens, moritur.

JULIANUS apostata, annum 1, mense 8. Hic ex christiano lectore paganus factus, persequitur christianos.

1. Pagani apud Sebasten sepulchrum sancti Johannis Baptistæ invadunt (*A. D.* 360).

2. Julianus ad bellum Parthicum profectus, et christianorum sanguinem diis suis vovens, Dei judicio a quodam hoste occisus interiit, anno ætatis 32°.

JOVIANUS menses 8. Iste iterum cum omni exercitu ad christianitatem redit.

1. Sinodus heretica Antiochiæ facta est. Jovianus in nova domo recubans, suffocatus odore prunarum et calcis moritur.

VALENTINIANUS, annos 11. Hic ob fidem Christi tribunatu militum a Juliano privatus est.

1. Valentinianus Valenti suo fratri orientis imperium dedit.

2. (Oros. vii, 32.) Valens ab Eudoxio Arrianorum episcopo seductus et baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur.

3. (Hier. a. 370.) Gratianus, Valentiniani filius,

VARIÆ LECTIONES.

[119] *alio atr.* [120] *hæc alio atr.* [121] *scil.* obiit. [122] N. O. *alio rursus atr.* [123] *hæc alio atr.* [124] II. Id. A. *alio rursus atr. scil.* discessit. [125] argentariam *corr.* argentarium 1. [126] CCCC ep. *supra lin.* [127] *quæ seqq., alio atr.* [128] stituitur *et reliqua alio iterum atramento.*

NOTÆ.

(1273) Hæc Herimannus et Bernoldus ex Orosio transcripsisse videntur vii, 29 : *Rheno Germanos revinxit.*

Ambianis imperator efficitur. Vera lana pluviæ immixta de nubibus fluxit.

4. Athanaricus rex Gothorum christianos in sua gente persequitur [129]. Damasus papa 37us, sedit annos 18.— 3. [130] Idus Decembris.

5. Hoc tempore Apollinaris episcopus plura scripsit, set postea heresim condit.

6. Magna fames in Phrigia.

7. His diebus post Auxentii Arriani mortem Ambrosius episcopus Mediolani ordinatur.

8. (Hier. a. 377.) Valentinianus Saxones in regione Francorum cede perdomuit.

9. (*Ibid.*) Burgundionum 80 fere milia juxta Rhenum consederunt.

10. Post Auxentium Arrianum, ordinato Ambrosio, Italia ad rectam fidem redit.

11. (Oros. vii, 32.) Valentinianus bellum in Sarmatas parans, apoplexi moritur.

VALENS post mortem fratris cum Gratiano et Valentiniano annos 4.

1. Gratianus 30 milia Alemannorum delevit.

2. Valens legem dedit, ut monachi militarent; nolentes fustibus jussit interfici. Gothi datis a Valente hereticis doctoribus, Arriani efficiuntur (*A.D.* 375).

3. (Hier. a. 381.) Gothi fame compulsi rebellant.

4. Valens a Gothis occiso exercitu fugiens, in domo quadam vivus crematur. Huc usque chronica Eusebii Ieronimus perduxit. Hinc autem usque ad millesimum quinquagesimum quartum annum ab incarnatione Domini domnus Heremannus chronica sua perduxit.

378. Post mortem Valentis Arriani imperatoris, Gratianus cum Valentiniano fratre suo, annis 6 regnavit [131].

379. Gratianus imperator Theodosium orienti imperatorem præfecit. Priscillianus, de Galliis episcopus, hoc tempore sui nominis heresim condit.

380. Ab hoc anno Theophilus Alexandrinus episcopus paschales ciclos inchoat.

381. Sinodus secunda universalis 150 episcoporum Constantinopoli agitur, contra Macedonium heresiarcham, ipsius urbis episcopum, sub Theodosio augusto et [132] Damaso papa; *et* [133] *post damnationem prædicti heretici tres canones constituuntur.*

383. Archadius, filius Theodosii augusti, a Patre in consortium regni assumptus, regnavit annis 26.

384. Maximus sibi regnum usurpans, Gratianum Lugduni occidit. Romæ post Damasum papam Siricius, qui in chronicis Prosperi Ursinus dicitur, papa 40us, sedit annos 14. *Si* [134] *numero prædictorum pontificum sanctum Petrum et Cletum papam annumeras, quos prætermisimus in numero, Siricium papam in ordine quadragesimum certissime invenies.*

A *Nota etiam seriem Romanorum præsulum et eorum annos diversissime descriptos in quibusdam libris inveniri.* Ieronimus presbiter, jam in Bethleem habitans, clarus habetur. Priscillianus hereticus in sinodo Burdegalensi damnandus, fugit, set Treveris ab Ebodio præfecto interficitur.

386. *Hoc tempore Siricius papa scripsit decretalia 15 capitula Hymerio Tarraconensi episcopo* [135].

388. Theodosius augustus Maximum tyrannum Aquileiæ occidit.

389. Ytatius et Ursatius episcopi, ob necem Priscilliani quem accusaverant, æclesiæ communione privantur.

390. Hoc tempore sanctus Martinus, Ambrosius, episcopi, Ieronimus presbiter, Johannes Crisosto-
B mus, Augustinus et Severus aliique quam plures doctores claruerunt.

392. Valentinianus dolo Arbogastis laqueo vitam finivit. Ieronimus librum quem de viris illustribus æclesiæ scripsit, huc usque perduxit.

393. Theodosius imperator cum filiis Archadio et Honorio tres annos regnavit.

394. Johannes anachoræta, cujus vitam Ieronimus decripsit, Theodosium imperatorem contra Eugenium tyrannum victorem fore prædixit.

395. Theodosius imperator Eugenium tyrannum vicit, et ipse eodem anno Mediolani in pace requievit. Pro [136] quo Archadius et Honorius filii ejus, annos 13. Augustinus Yponæ ordinatur episcopus Johannes heremita migravit ad Dominum. Huc
C usque æclesiasticam historiam Eusebii Rufinus [137] sive Ieronimus perduxit, transferendo eandem.

396. Gildo comes Affricam sibi tyrannice usurpavit.

397. Sanctus Martinus Turonorum episcopus migravit ad Dominum, anno ætatis 81°, episcopatus vero 26°, cujus vitam et virtutes Sulpitius Severus egregie composuit.

398. Sanctus Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus, doctor egregius, migravit ad Dominum, 5. Kal. Maii. Romæ Anastasius, papa 41us, sedit annis 4. Gildo comes pugna victus interiit.

399. Templa idolorum destruuntur, et ludi gladiatorum tolluntur.

D 400. (Beda) Gothi Italiam devastant. Hoc tempore Anastasius papa sua decreta constituit, et inventos in Urbe Manicheos damnavit. Corpora prophetarum Abacuc et Micheæ a Domino revelantur.

401. Johannes Constantinopolitanus et Theophilus clarissimi habentur, set adeo discordes, ut molimine Theophili Johannes in Pontum exilio sit relegatus.

402. Gothi Stiliconem ducem cum Romano exer-

VARIÆ LECTIONES.

[129] *hæc alio atr.* [130] III. Id. Dec. *alio iterum atr.* [131] *vox alio atr. addita* 1. [132] *in loco raso, antea* a? [133] et — constituuntur *in loco raso anni* 382. *atramento alio.* [134] *hæc in margine.* [135] *hæc eadem manu sed alio atramento scripta.* [136] Pro — XIII. *in marg.* 1. [137] r. s. i. p. t. e. *in loco raso, eadem manu.*

citu fugaverunt. Innocentius, papa 42us, sedit annos 14, *qui* [138] *57 capitula decretalia scripsit.*

403. Carthagini concilium contra Donatistas habetur.

404. (BEDA.) His temporibus Innocentius papa multa decreta fecit. Orosius presbyter clarus habetur.

405. Hoc tempore Radagaisus cum 200 milibus Gothorum, Deo donante, est victus.

406. Wandali, Suevi et Alani, trajecto Reno, tertio Kal. Januar. Gallias hostiliter ingressi.

407. *Innocentius papa Archadium imperatorem excommunicavit, quia consensit, ut expelleretur Johannes Crisostomus* [139] (1274).

408. Archadius imperator Constantinopoli moritur, relicto pro se filio Theodosio. Cum quo dehinc patruus Honorius annis 15 regnavit. Stilico dux fortis ab Honorio augusto occiditur.

409. Wandali, Alani, Suevi, in [140] die Octobris Hispanias occupant.

410. Alaricus rex Gothorum Romam obsedit et irrupit, anno ab Urbe condita 1164, et quia christianus erat, locis tantum sacratis et ad ea perfugis pepercit.

411. Pestilentia, fames, bestiæ et gladius barbaricus, miserum late devastant orbem.

412. Gothorum maxima pars Gallias ingressa. Heros, sancti Martini discipulus, Arelatensis episcopus, sanctus, innocens, sede sua pulsus est, et pro eo Patroclus ordinatur.

413. His temporibus Pelagius Britto, annitentibus Celestio et Juliano, liberum arbitrium plus justo extollens, et hominem sine gratiæ Domini auxilio, proprio nisu, perfectum fieri posse asserens, fidem æclesiæ turbat. Cujus heresim beatus Augustinus singulariter præ ceteris expugnat, et papa Innocentius cum aliis hereticis condemnat. Burgundiones partem Galliæ, Rheno contiguam obtinuerunt.

414. Attalus Gothis auctoribus in Gallia tyrannidem invasit.

415. Gothi Hispanias petunt, quorum præsidio Attalus destitutus, a Romanis est captus. Jerosolimis corpora sanctorum Stephani protomartiris, Gamalielis et Nichomedi, Luciano presbitero divinitus revelata, inveniuntur.

416. Romæ Zosimus, papa 43us, sedit annis tribus. Qui sua etiam ad æclesiæ statum decreta promulgavit *Ysicio* [141] *episcopo, sub quatuor capitulis.*

417. Honorius augustus Romam triumphans in-
A greditur, Attalo currum ejus præcedente, et in exilium postea misso. Questio et dissensio de hujus anni pascha oritur [142] sub Zosimo papa.

418. Carthagini concilio episcoporum 217 collecto et a Zosimo papa confirmato, Pelagius aliique heretici damnantur. Eclipsis solis 14 Kalend. Augusti facta.

419. Honorius augustus Constantium ducem consortem facit imperii. Romæ Bonifacius, *qui quatuor decreta fecit* [143], papa 44us, sedit annis quatuor, cum quo ab aliis papa ordinatur Eulalius, qui tamen ab augusto deponitur.

420. Bethlehem Jeronimus presbiter, egregius interpres, anno ætatis 91° obiit [144].

421. Constantius imperator Ravennæ moritur.

B 423. Placidia augusta a fratre Honorio pulsa, ad Theodosium augustum in orientem proficiscitur. Romæ Celestinus, papa 45us, sedit annis 9, *qui* [145] *22 capitula decretalia episcopis Galliarum scripsit.* Honorius imperator occidentis Ravennæ moritur, et Johannes tyrannus regnum ejus occupavit.

424. Theodosius Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, cæsarem faciens, ad regnum occidentis cum matre possidendum remittit.

425. Valentinianus cum matre Johannem tyrannum Ravennæ oppressit.

426. Patroclus Arelatensis episcopus a tribuno quodam barbaro innocens trucidatur.

427. Bonifacius in Affrica pollens, duces quosdam contra se dimicantes occidit. Contra quem evocatis C barbaris, mare, ad id tempus ignotum, pervium efficitur.

428. Nestorius episcopus Constantinopolitanus, duas in Christo personas prædicans, hominemque purum ex Virgine natum, deitatem postea accepisse affirmans, a Cirillo Alexandrino episcopo et papa Celestino hereseos arguitur.

429. Agricola hereticus Pelagianista, Britannias suo inficit errore.

430. Sanctus Augustinus Yponensis episcopus, in civitate sua a barbaris obsessus, cum inter ipsas obsidionis angustias pro æclesia sollicitus, Juliani argutiis pro gratia Dei pugnans respondisset: ipsa Dei gratia, ne ruinam suorum videret, subtractus, D 5 Kalend. Septemb. migravit ad Dominum, anno ætatis 76°, episcopatus seu presbiteratus 40.

431. Tertia sinodus universalis 200 episcoporum apud Ephesum congregatur, sub Celestino papa; ubi inter alias hereses Nestorius cum secta sua damnatur, *et* [146] *12 capita contra eundem conscribuntur.*

VARIÆ LECTIONES.

[138] qui — scripsit *alio atramento addita.* [139] *hæc omnia in loco raso, alio atramento; cf. Herim.* [140] *ita* 1. 2. [141] Y. e. s. q. c. *alio atr. addita.* [142] *vox addita.* [143] q. q. d. f. *eadem manu supra lin.* 1. [144] obiut c. [145] q. XXII. c. d. e. g. s. *alio atramento.* [146] et XII c. c. c. c. *alio atramento.*

NOTÆ.

(1274) Epistola Innocentii ad Eudoxiam et duæ Arcadii ad Innocentium, unde hæc hausit Bernoldus, ab eruditis spuriæ censentur; cf. Pagius in Vita hujus pontificis Brev. Rom. pontif. t. I, n. 28 Uss.

432. Romæ Xistus papa 46us, sedit annos 8.

433. Valentinianus augustus multa æclesiis dona dedit.

434. Wandali jam nono anno Affricam infestantes, pactum a Romanis postulant.

435. Pax cum Wandalis facta.

436. Gothi Narbonam obsessam fame premunt.

437. Bellum a Romanis contra Gothos geritur.

438. *His temporibus sanctus Prosper Regiensis episcopus contra librum Cassiani de protectione Dei scripsit, in quo eundem liberum arbitrium nimis extulisse probavit* [147] (1275).

439. Julianus Atelenensis episcopus, Pelagianista jactantissimus, æclesiæ communioni surripere temptans, a Xisto, papa denuo damnatur.

440. Romæ defuncto Xisto, Leo, vir doctrina et moribus insignis, papa 47us, sedit annis 22, [148] qui Euticianam et Nestorianam hereses condemnavit, *et* [148] 49 *decreta conscripsit.*

441. Theodosius imperator contra Wandalos per duces suos bellum movet.

443. Sanctus Brictius Turonorum episcopus decessit, cui sanctus Eustochius successit. Leo papa multos in Urbe Manicheos publicavit, et libros eorum incendit. [150] *Hic* (1276) *constituit, ut monacha velamen capitis ab episcopo benedictum nullatenus acciperet, nisi prius virginitas illius probata foret. Unde et Augustinus asserit, nec illam inter virgines sacras consecrandam fore, si qua foret vel ante baptismum corrupta.*

444. Attila rex Hunorum Bleldam fratrem suum regnique consortem interemit. De hujus anni pascha Proterius et Pascasinus Leoni papæ scribunt.

445. His temporibus Leo papa inter alia bona basilicas apostolorum Petri et Pauli renovavit.

446. Apud Ephesum septem dormientes, qui sub Decio multa pro Christo tormenta passi in spelunca quadam obdormierunt, post annos 196 expergefacti sunt, et, confirmata fide resurrectionis, iterum obdormierunt.

447. Euthices presbiter et abbas Constantinopolitanus, confusa in Christo divinitatis et humanitatis substantia, unam in eo naturam dogmatizans, annitente Theodosio *juniore* augusto et Dioscoro Alexandrino episcopo, resistentem sibi Flavianum Constantinopolitanum archiepiscopum, expulsum, ad mortem usque persequuntur. Contra quam heresim Leo papa legatos misit.

448. Theodosius imperator Leonem papam pro defensione Euthicetis ad se vocat. Qui a populo Romano venire prohibitus, legatos pro se misit.

A 449. Iterum catholici ab imperatore Theodosio ad audientiam evocati.

450. Leo papa legatos ad confutandam heresim mittere curavit. Theodosius imperator moritur. Pro quo Martianus orientis imperium adeptus, et 7 annis regnans, Euthicetem cum suis sequacibus damnat. Placidia augusta obiit. Romani Aetio duce, Gothis auxiliatoribus, Attilam vicerunt regem Hunorum.

451. Attila recollectis viribus Aquilegiam magna vi cepit. Ad quem Valentinianus imperator Leonem papam mittens, pacem cum eo fecit.

452. Attila rex Hunorum in suis sedibus moritur. Hoc tempore quarta sinodus universalis 630 episcoporum in Calcenone contra Euthicen et omnes

B hereticos congregatur, [151] *ibique damnatis hereticis* 27 *canones statuerunt.*

453. Valentinianus imperator Aetium patricium manu sua in palatio fraudulenter occidit.

454. Valentinianus imperator in campo Martio ab amicis Aetii interemitur. Pro quo Maximus invadens imperium, infra duos menses a militibur occiditus; post quem Avitus sumpsit imperium. Ipsos anno Geisericus rex Wandalorum Romam cunctis opibus expoliat. Huc usque Prosper chronica sua perduxit, *qui et epistolam Leonis papæ de vera Domini incarnatione contra Euthicen creditur composuisse.*

455. Avitus imperium Placentiæ deposuit. Pro quo Majorianus regnavit annis 4.

C 456. Martianus imperator orientis obiit; pro quo Leo imperator annis [152] 17 regnat. Ab hoc anno Victorius paschales cyclos, set errore plenos, inchoat, jubente papa Hylario.

457. Majorianus imperator occidentis in Affricam contra Wandalos movit procinctum.

460. Majorianus imperator a Richmere patricio fraudulenter perimitur.

461. Severus Ravennæ a Richmere imperator effectus, quatuor annis regnavit. Turonis beatus Perpetuus episcopus factus, corpus sancti Martini transtulit.

462. Romæ Hylarius, papa 48us, sedit annis 6, mensibus 3. Qui hereses Euthicianam et Nestoria-

D nam damnavit, et inter alia bona etiam duas bibliothecas [153] in Urbe condidit, [154] *et sex synodica capitula constituit.*

463. Rex Alanorum Italiam petens, apud Pergamum a Richmere patricio pugna victus interiit.

464. Severus imperator fraude, ut aiunt, Richmeris veneno periit.

VARIÆ LECTIONES.

[147] *hæc paulo alio atramento scripta.* [148] *sequentia in loco raso.* [149] et XLVIIII d. c. *alio atramento.* [150] *quæ sequuntur, in margine addita sunt.* [151] *quæ sequuntur alio atramento.* [152]. *deest* 12. [153] bibliothecas 1. [154] *sequentia alio atramento.*

NOTÆ.

(1275) Confunditur hic S. Prosper Regiensis in Lombardia episcopus cum S. Prospero Aquitanico qui episcopus nunquam fuit, cujusque liber contra Cassianum exstat in ejus operibus edit. Venet. a 1744. Vid. ibid., præf. p. XXI. Uss.

(1276) Ex gestis pontiff. R.

466. Leo imperator Anthemium de Constantinopoli ad regendum occidentis imperium Romam misit, qui regnavit annis 5.

467. Tolosæ ubi sedes regni Gothorum erat, in medio civitatis sanguis e terra prorumpens, tota die una profluxit.

468. Arabundus imperium temptans, jussu Anthemii imperatoris exilio deportatur. Romæ Simplicius, papa 49us, sedit annis 15, mensibus 3, [155] *qui duo decreta promulgavit.*

469. Romanus patricius imperium affectans, decollatur.

470. In Gallia sanctus Remigius, celitus antequam nasceretur prænunciatus, a cella in quam se adolescentulus Deo militans incluserat, vi abstractus, Remorum archiepiscopus fit [156].

471. Richmer Anthemium imperatorem cum magna clade urbis Romæ occidit, et Olybrium imperatorem constituit, ipseque periit.

472. Ravennæ Glicerius sumpsit imperium. Constantinopoli Leo Leonem consortem regni fecit, quippe suum nepotem.

473. Leo senior imperator obiit; post quem Leo junior paucis mensibus regnans, et ipse moritur. Post hunc Zeno imperator regnavit annis 17. Romæ Glicerio successit Nepos in imperio.

474. Orestes patricius Nepotem imperatorem fugavit, filioque suo Augustulo imperium dedit.

475. Odoacer rex Torcilingorum et Rugorum, pervasa Italia, Romam obtinuit; anno a conditione ejus 1230°, Orestem et Paulum patricios occidit, Augustulum imperatorem exilio damnavit.

476. Odoacer Romæ invito Zenone regnat.

478. Tempore Zenonis imperatoris corpus Barnabæ apostoli, et evangelium Mathei evangelistæ stilo ipsius scriptum, ipso revelante inventa sunt.

479. Simplicius papa Petrum Alexandrinum episcopum, hereticum Euthicianum, ab Acatio Constantinopolitano accusatum damnat.

480. Hilderico regi Francorum mortuo, successit Loudowicus filius ejus, quem dicunt Clodoveum, et regnavit 30 annis.

482. Theodericus Theodmari filius, rex Ostrogothorum, id est [157] qui olim in Italia remanserant Gothorum, Zenoni augusto familiaris [158] effectus, cum suis ei Gothis militavit.

483. Zeno augustus Theodericum hujus anni consulem et magistrum militum fecit. Romæ Felix tercius, papa 50us, sedit annis fere 9, [159] *et canonum unum capitulum* [160] *constituit.*

485. Hoc tempore Acatius Constantinopolitanus heresi favens, Petrum Alexandrinum revocat, *quem* [161] *quondam* [161] *accusabat* [161]. Quo audito, Felix papa utrumque cum sequacibus erroris condemnat.

488. Theodericus rex Ostrogothorum, permisso Zenonis augusti Italiam petiit. Cui Odoacer occurrens, bello conflixit, set victus aufugit.

489. Theodericus Odoacrum jam tercio devicit, eumque fugatum Ravennæ obsedit.

490. Odoacer quarto confligens cum Theoderico, victus est et captus. Constantinopoli Zenon imperator moritur. Post quem Anastasius imperium orientis 28 annis rexit.

491. Romæ, defuncto Felice papa, concilium a presbiteris et diaconibus agitur.

492. Theodericus Ravennæ Odoacrum sibi insidiantem peremit, et ipse occidentis imperium 30 annis obtinuit. Romæ Gelasius, papa 51us sedit annos 4, menses 7, vir doctus et pius; qui omnes [162] hereticos damnavit, clerum Romanum auxit, multa decreta fecit, *id* [163] *est capitula* 28.

493. Hoc tempore in Affrica beatus Fulgentius, Ruspensis episcopus, claruit doctrina et actibus.

494. Ludowicus rex Francorum Alemannos bello vicit, Deo juvante, cui, cum in eodem bello periclitaretur, se crediturum promisit.

495. Ludowicus seu Clodoveus rex Francorum, instante Rodhilde conjuge sua christiana, a sancto Remigio Remensi archiepiscopo fide Christi imbutus, cum gente sua baptizatur.

496. Trasamundus rex Wandalorum in Affrica, catholicis infestus, æclesias clausit, et 240 episcopos in Sardinia exilio afflixit.

497. Boetius patricius et consul multa his temporibus ingenii sui monimenta in seculari philosophia excellenter edidit. Romæ Anastasius, papa 52us, sedit annis fere duobus, *et* [164] *capitula* 8 *decretalia fecit.*

498. Isauri, occiso Lilingo duce suo, ab Anastasio imperatore trucidantur.

499. Theodericus rex Romæ et alibi multa per hæc tempora mirifica construxit ædificia. Romæ Simmachus, papa 53us, sedit annis 15, mensibus fere 8. Cum quo simul per dissensionem nimiam ordinatur Laurentius, et magna Romæ inter clerum et populum discordia facta, donec judicio Theoderici regis Symmachus in sede confirmaretur. *Hic* [165] 13 *capitula synodica constituit.*

500. Simmachus papa sinodo Romæ acta, Laurentium emulum suum Nuceriæ ordinavit episcopum.

501. Theodericus rex aquæductum Ravennæ fecit. His temporibus sanctus Mamertus Viennensis archiepiscopus virtutibus claruit, qui propter luporum et ursorum immanitatem aliasque plagas, triduanas ante ascensionem Domini lætanias primus instituens, Domini misericordiam plagarumque cessationem promeruit.

503. Quidam ex Romanis Symachum papam falso

VARIÆ LECTIONES.

[155] q. II. d. p. *alio atramento.* [156] anno ætatis XXII. *Mur. addit.* [157] id 1. id ē 2. [158] *supra lin.* [159] *reliqua alio atramento.* [160] XXVII cap. *corr. prima manu* vel unum cap. 1. [161] *supra lin.* [162] *supra lin.* [163] i. cap. XXVIII *alio atramento.* [164] et c. VII. d. f : *alio atramento.* [165] H. XII c. s. c. *alio atramento.*

criminantes, et apud regem accusantes, Laurentiumque revocantes, magnum Romæ scisma fecerunt, et Petrus Altinæ urbis episcopus, permisso Theoderici sedem apostolicam invasit.

504. Sinodo 115 episcoporum collecta, beatus papa Simmachus de illatis purgatur, et sedi suæ cum gloria restituitur, et pervasores sedis ejus Laurentius Nucerinus et Petrus Altinas condemnatur.

505. Ludowicus rex Francorum Parisius beati Petri basilicam ædificat.

506. Theodericus rex Italiæ contra Francos in Galliam exercitum movit.

507. Dissensio iterum inter Simmachum papam et æclesiam oritur.

508. Hoc anno Romæ Boetius vir eruditissimus consulatum administravit. Hoc quoque tempore Avitus, abbas Aurelianensis, virtutibus et prophetiæ spiritu clarus effulsit.

509. Ludowicus, qui et Clodoveus, Francorum rex Parisius obiit, ubi sedem regni instituit.

510. His temporibus Symmachus papa inter alia bona Manicheos in Urbe inventos damnavit. Basilicam sancti Petri et porticum marmore stravit, et alia hujusmodi.

513. Cassiodorus hujus anni consul fuit, qui postea conversus et monachus effectus, cœnobium construxit, et in seculari divinaque litteratura clarus effulsit; psalmos exposuit, libros institutionum et chronica fecit, et tripartitam historiam ordinavit. Romæ tandem dissensione cessante, Symmachus papa obiit in pace.

514. Romæ Hormisda, papa 54us, sedit annis 8. Qui inter alia Euthicianos et Manicheos damnavit, clerum erudivit, basilicas adornavit, [166] *et quatuor decreta fecit.*

515. Vitalianus, quidam servus cum Scithis Anastasio imperatori rebellat.

516. Hormisda papa Anastasio imperatori pro fide catholica Constantinopolim legatos misit, cui imperator inter alia rescripsit ita : « Nos jubere volumus, non nobis juberi. »

518. Anastasius imperator heresi favens Euthicetis et catholicos persequens, ictus fulmine interiit, major octogenario. Pro quo Justinus, imperator catholicus, Constantinopoli regnavit annis 8, et cum Vitaliano tyranno pacem fecit, quem postea tamen peremit.

519. Justinus augustus legatos Hormisdæ papæ pro fide missos honorifice suscepit, eisque in damnatione hereseos consentiens, multa per eos donaria Romam misit.

521. Justinus augustus hereticis infestus, Arrianos etiam Constantinopoli persequitur. Unde iratus Theodericus, rex Italiæ Arrianus, exitium catholicis in Italia minitatur.

522. In Affrica mortuo Trasamundo, rege Wan- A dalorum Arziano, Heldericus pro eo regnavit annis 8. Qui statim æclesias diu clausas aperuit, et omnes catholicos de exilio revocavit.

523. Romæ Johannes, papa 55us, sedit annis 2, mensibus 9. Qui a Theoderico Constantinopolim missus, et a Justino augusto et cunctis civibus honorifice susceptus, ad portam quæ dicitur Aurea, cecum illuminat, et coronato a se augusto Justino, cum multis muneribus rediit.

524. Theodericus, rex Gothorum et tyrannus Romanorum, Boetium patricium et philosophum diu carceratum occidit, nec multo post socerum ejus Simmachum patricium itidem interemit. Johannem quoque papam beatum carceris afflictione necavit, 15. Kal. Jun.

B 525. Theodericus tyrannus post tres menses ab obitu Johannis papæ subito Ravennæ obiit, et sicut cuidam solitario revelatum est, a Johanne papa et Simmacho patricio in ollam Vulcani dejectus est. Post quem nepos ejus Athalaricus puer cum matre regnavit annis 8. Romæ Felix IV, papa 56us, sedit annis 4, mensibus 2.

526. Constantinopoli Justinus imperator obiit, pro quo Justinianus nepos ejus imperavit annis 38.

527. Justinianus augustus Belesarium amicum suum principem miliciæ fecit. Gens Winilorum seu Longobardorum rege Odwino Pannoniam invasit, et ibi habitavit.

528. His temporibus beatus abbas Benedictus immensa virtutum gloria claruit. Priscianus quoque C grammaticus his fuit temporibus.

530. In Affrica occiso Helderico rege Wandalorum catholico, Geilamer regnum invadens, in catholicos et in omnes debachatur. Romæ Bonifacius II, papa 57us, sedit annis 2, mense ferme 1.

531. Bonifacius papa Vigilium diaconum in sinodo post se papam eligi sub chirographo decrevit. Quod tamen postea, quia contra canones erat, combussit.

532. Ab hoc anno, scilicet Justiniani imperatoris sexto, Dionisius Romanus abbas cyclum magnum paschalem inchoat, qui jam semel ab incarnatione Domini in annis 532 exactus, totidem in se annos continet. Romæ Johannes II, qui et Mercurius, papa 58us, sedit annis 2, mensibus 4. Cui Justinianus D augustus de fide sua litteras transmisit.

533. Romæ mortuo Athalarico rege Gothorum, Amalsuinda mater ejus Theodatum in consortium regni sumit; qui tamen eam post occidi jussit, et ipse solus regnavit.

534. Belesarius patricius a Justiniano imperatore missus, gentem Wandalorum in Affrica bello victam delevit, captoque rege eorum Geilamero, Carthaginem rei publicæ restituit.

535. Romæ Agapitus, papa 59us, sedit anno fere uno. Hic a Theodato tyranno pro gratia Justiniani

VARIÆ LECTIONES.

[166] et q. d. f. *alio atramento.*

augusti Constantinopolim [167] missus, Anthemium ejusdem urbis episcopum hereticum damnavit, ordinatoque alio episcopo, *id est* [168] *Menate catholico*, ipse ibidem obiit, *in æcclesiasticis regulis aprime eruditus* [169].

536. Romæ Silverius, Hormisdæ dudum papæ filius, contra voluntatem cleri a Theodato tyranno pecunia corrupto, 60[us] papa violenter promotus, sedit anno 1, mensibus 5.

537. Silverius papa cum in restitutione Anthemii et communione hereticorum augustis nollet parere, jussu ipsorum a Belesario patricio falso criminatus, a Vigilio diacono afflictus exilio, obiit 12 Kal. Jul., et postea miraculis claruit. Ipseque Vigilius papa 61[us] ordinatus, sedit annis 17, mensibus 7.

538. Belesarius patricius et Vigilius papa Vitigisum regem Gothorum pugna victum Constantinopolim perducunt ad Justinianum augustum.

539. Belesarius patricius Parthos, Antiochiam et Syriam vastantes, redire coegit.

541. Totila rex Gothorum Romam Campaniamque devastat.

542. Hujus Justiniani tempore corpus sancti Antonii monachi divinitus revælatum, Alexandriam transfertur. Hoc tempore quinta [170] sinodus universalis Constantinopoli contra Theoderum et omnes hereticos, sub Vigilio papa collecta, 14 [171] *capitula constituit.*

543. Hoc tempore Benedictus abbas, cum discipulum suum Maurum ad Gallias transmisisset, ipse multas post virtutes migravit ad Dominum.

544. Sanctus Remigius, Remorum archiepiscopus et gentis Francorum apostolus, anno episcopatus 74°, Idibus Januarii plenus virtutibus migravit ad Dominum. Arator subdiaconus Romanus librum suum, quem de actibus apostolorum heroico metro edidit, Vigilio papæ oblatum publice recitavit.

545. Totila rex iterum Romam invasit.

546. *Hoc tempore fuit sanctus Liberatus, Carthaginiensis archidiaconus, qui de auctoritate Calcedonensis concilii multa utilia conscripsit, et Vigilium papam aliquando hereticis favisse, monstravit* [172].

547. Vigilius papa cum ad consensum hereseos et restitutionem Anthemii episcopi nullatænus adduci posset, Constantinopolim vi perductus, exilio graviter est afflictus.

548. Justinianus augustus basilicam Salvatoris, quæ Agiæ Sophiæ dicitur, incomparabili opere Constantinopoli [173] construxit. Ipse leges quæ Justinianæ dicuntur, composuit.

550. Victor episcopus Capuanus, de hujus anni pascha scribens, erroneos Victorii cyclos arguit.

551. Hucusque Jordanis episcopus chronica sua de gestis Romanorum adbreviata perduxit.

552. Hoc tempore Justinianus augustus Narsetem eunuchum principem militiæ faciens [174], Italiam misit.

554. Vigilius papa, tandem impetrantibus Romanis et Narsete de exilio relaxatus, cum Romam redire cepisset, in Sicilia morbo calculi decessit. Pro quo Pelagius, papa 62[us], sedit annis 11, mensibus 10. Qui a populo Romano factionis contra Vigilium inculpatus, ascenso apud Sanctum Petrum ambone et evangelio super caput ejus posito, juramento se [175] a crimine illato purgavit. (*Gesta pontt. Rom.* ib. *S. Marci.*) *Hic ordinatus est a Perusino et Ferentino episcopis, et Andrea Ostiensi archipresbitero. Nam hoc est privilegium Ostiensis æclesiæ, ut episcopus ejus, et* [176] *archipresbiter si episcopus non affuerit, Romani pontificis ordinationi jure perpetuo interesse debeat. Et episcopus si affuerit, deinceps privilegium pallii portandi habebit, quod nulli alii cardinali episcopo licebit.*

557. Hildibertus rex Francorum moritur, et Parisius in basilica sancti Vincentii sepelitur, regnumque ejus Lotharius frater assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

558. Hoc tempore Turonis basilica sancti Martini, rebellibus ad eam fugientibus, igne crematur.

559. Lotharius rex de malis suis penitentiam agens, basilicam sancti Martini studiose reparans stagno texit. Sanctus Medardus episcopus plenus virtutibus migravit ad Dominum, et a Lothario rege Francorum Suessionis cum magna gloria sepelitur.

560. Lotharius rex, filius Clodovei magni, anno regni 51° Compendii moritur.

563. Haribertus rex libidini deditus, a sancto Germano Parisiorum episcopo, excommunicatus, obiit.

564. Constantinopoli Justinianus imperator anno imperii 38 decessit. Pro quo Justinus minor regnavit annis 11, homo iniquus et avarus. His temporibus immensa pestilentia et mortalitas totam Italiam, et maxime Liguriam, vastavit.

565. Sanctus Columba presbiter [177] et abbas, de Hybernia veniens, Britannis verbum Dei prædicat. Narses patricius, divitiis auctus et ob id a Romanis invidiam passus et apud augustum criminatus, a Roma in Campaniam discessit. Eique successor Longinus in Italiam mittitur.

566. Romæ Johannes III, papa 63[us], sedit annis fere 14. Qui æclesiam Philippi et Jacobi apostolo-

VARIÆ LECTIONES.

[167] missus Constantinopolim missus 1. [168] i. M. c. *alio atramento.* [169] i. a. r. a. e. *alio atramento.* — *Herimannus habet :* constanter cum augusto pro fide Christi decertavit. [170] VI. *corr.* Va. 1. [171] XIIII c. c. *alio atramento.* [172] *hæc omnia eadem manu addita.* [173] constantinopili 1. [174] *vox addita.* [175] *quæ sequuntur, alio atramento, loco annorum* 555 *et* 556 *scribuntur* 1. [176] *vox semiabscisa* 1 *deest* 2. [177] et a. *alio atramento.*

rum, quam decessor ejus Pelagius ceperat, perfecit et dedicavit.

567. Narses patricius, qui multum pro re publica laboraverat, a Justino augusto injuriis lacessitus, Longobardos, in Pannoniis habitantes, ad vastandam et possidendam Italiam invitavit. Multa prodigia et præcipue igneæ acies in cælo visæ sunt.

568. Longobardi rege Alboino mense Aprili Venetiam ingressi, eam paucis civitatibus exceptis sibi subjiciunt.

569. Alboinus rex cum Longobardis Liguriam invasit, Mediolanum et alias plerasque urbes cepit, Papiam plus triennio obsedit.

570. Alboinus plerasque in Tuscia urbes cepit. Sanctus Vedastus episcopus decessit.

571. Papienses regi Alboino ad deditionem veniunt. Narses patricius obiit.

574. Alboinus rex Longobardorum per insidias conjugis suæ apud Veronam ab armigero suo occiditur.

575. Constantinopoli Justinus imperator post multa mala sua in amentiam versus, obiit. Pro quo Tyberius Constantinus, qui et ipse mente capto palatium rexerat, regnavit annis 7, vir Deo devotus.

576. Sanctus Germanus Parisiorum episcopus migravit ad Dominum.

578. Romæ Benedictus, papa 64us, sedit annis 4, mensibus 2. A quo beatus Gregorius de monasterio ablatus et diaconus ordinatus, Constantinopolimque apocrisiarius missus, Euthicium ejusdem urbis episcopum in fide resurrectionis errasse Tyberio augusto præsente convicit. Ubi etiam episcopis moralia in Job, venientibus ad eum monachis suis, scribere compulsus est.

579. Magna aquarum inundatio et illuvies, fulmina, terræ motus, homines terruere.

580. Cometa die paschæ visa. Suessionis celum ardere visum est. Pestilentia ingens fit.

581. Hoc tempore, exercitus Tyberii imperatoris Persas potenter superavit.

582. Constantinopoli Tyberius, omni laude dignissimus, obiit. Pro quo Mauricius regnavit annis 21. Romæ Pelagius II, papa 65us, sedit annis 10, mensibus 2. Hic templum sancti Petri tabulis argenteis deauratis texit, et alia multa bona.

583. Hildebertus rex Francorum, acceptis $50,000^{bus}$ solidorum auri a Mauricio imperatore, ut Longobardos de Italia pelleret, cum eisdem pactum firmavit, et imperatori pecuniam requirenti nec responsum reddidit.

584. Guntramnus rex in suburbano Cavillonensi monasterium sancti Marcelli construxit.

585. Hilpericus rex Francorum per insidias interemptus, Parisii sepelitur.

586. Longobardi Autharium regem sibi constituunt.

587. Globus igneus scintillans et quasi rugiens e A celo in terram cecidit. In Hispania Richaredus, Levigildi regis Gothorum Arriani filius, post mortem patris rex effectus, a Leandro Hispolitano episcopo cum tota gente Gothorum ad catholicam fidem convertitur.

588. In Hispania heresis Arriana destructa, et sinodus Toletana collecta est industria Leandri episcopi et Richaredi regis. Cesara regina, uxor Aunulfi regise Persarum, occulte baptizata, postmodum et suum maritum cum tota gente sua apud Anthiochiam se baptizare persuasit.

589. Hildibertus rex sororem suam, Authario regi Longobardorum promissam, regi Gothorum, qui nuper catholicus factus est, in matrimonium tradidit.

B 590. Tunica domini Salvatoris a Symone quodam Judeo tormentis coacto monstrata, a Gregorio Antiocheno, Johanne Constantinopolitano, et Thoma Jerosolimitano, et aliis pluribus episcopis, jejunio triduano celebrato, in archa marmorea in oppido Zaphad inventa, summo cum honore Jerosolimam allata est.

591. Rex Longobardorum Theodelindam, regis Bajoariorum filiam pulchram et piam, duxit uxorem.

592. Ingens mortalitas facta est, in qua primo Pelagius papa, deinde innumeri extincti sunt. Et beatus Gregorius, tunc Romanæ æclesiæ archidiaconus, constitutis letaniis et plaga cessante, papa 66us ordinatus, doctrina et actibus cunctis merito præferendus apostolicis, sedit annis 13, mensibus 6, C diebus 10. Qui statim inter alia multa librum pastoralem egregio edidit stilo. Hic quoque super corpus beati Petri cyborium fecit, et missas celebrare instituit, itemque sancti Pauli, similiter *et sex capitula synodica scripsit* [178].

593. Siccitas magna et fames facta est, et insolita locustarum magnarum multitudo.

594. Item locustarum multitudo frugibus nocuit.

595. Gregorius papa sinodum 24 episcoporum ad Sanctum Petrum colligit, indictione 14.

596. Sanctus Columba presbiter et abbas, post multa mirabilia in insula Hii juxta Hiberniam, migravit ad Dominum, anno ætatis 70°. Hoc tempore beatus Gregorius papa missis doctoribus Augustino, D Mellito, Johanne et aliis, Anglorum gentem in Britannia ad fidem Christi convertit.

597. Hildebertus rex Francorum obiit.

598. His temporibus cum Romanus patricius aliquot urbes a Longobardis dudum captas per deditionem recepisset, et ob id Agilolfus rex Italiæ et ipsi Romæ infesto exercitu immineret, studio sancti papæ Gregorii et suffragio Theodelindæ religiosæ reginæ, pax utrimque facta est.

599. His temporibus monasterium sancti Benedicti in castro Cassino situm, fugientibus ex eo monachis, a Longobardis omnino destructum et desolatum est.

VARIÆ LECTIONES.

[178] et VI c. s. s. *alio atramento.*

600. Gregorius papa Lundoniæ [179] et Eboraci episcopos in Britannia, misso pallio, metropolitanos esse decernit, indictione 4. Clades glandolaria multas civitates afflixit.

602. Mauricius imperator Focam, rei publicæ utilem, principem militiæ fecit. Globi ignei in cælo visi sunt.

603. Constantinopoli Focas Mauricium imperatorem turpiter interfecit, et ipso pro eo annis 8 regnavit. Corpus sancti Victoris martiris, qui cum beato Urso Solodori passus est, apud Genvensem urbem divina revelatione in loculo argenteo invenitur, et miraculis declaratur.

604. Etherius Lugdunensis archiepiscopus obiit, eique Secundinus successit.

605. Beatus papa Gregorius et doctor sanctissimus migravit ad Dominum indictione octava. Post quem cessante episcopatu mensibus plus quinque, *Sabinianus* [180] *papa* 67us, sedit anno uno, mensibus 5. Et post hunc item cessavit episcopatus anno ferme uno, quia de Constantinopoli legatio imperialis expectabatur. Hoc anno synodus nefaria Cavillonis congregata, et beatus Desiderius Viennensis archiepiscopus injuste deponitur et exilio damnatur.

606. Fames Romæ facta, et pax cum Longobardis in annum unum. Mense Aprili et Maio cometa videtur.

608. Romæ Bonifacius III, papa 68us, sedit mensibus fere 9. Post quem item cessavit episcopatus mensibus 10. Hic quia Constantinopolitana æclesia primam se scribebat, apud Focam augustum optinuit, ut Romana æclesia omnium caput æclesiarum decerneretur. Hic quoque synodum 72 episcoporum Romæ collegit.

609. Romæ Bonifacius IV, papa 69us, sedit annis 6, mensibus 8. Et post hunc cessavit episcopatus mensibus fere 7. Hic apud Focam augustum templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, et in honore sanctæ Mariæ et omnium sanctorum dedicavit 3. Id. Maii et Sanctæ Mariæ ad Martires appellavit, festivitatemque omnium sanctorum Kal. Novemb. celebrari constituit. *Hujus* [181] *papæ tempore quidam cecus Romæ legitur contendisse contra Judeos de virginitate sanctæ Mariæ. Cui cum Judei objicerent, cur matrem Christi tantopere defenderet, qui ipsum illuminare non posset : « Triduum, inquit, expectate, et magnalia Christi videbitis in me. » Erat autem post triduum purificatio sanctæ Mariæ, quæ festivitas eo tempore Romæ non ut modo ad Sanctam Mariam Majorem, set ad Sanctam Mariam ad Martyres celebrabatur. Ad quam dum domnus papa et Judeos et christianos in eadem sollemnitate convocasset, affuit et cecus et responsorium a se compositum id est : « Gaude, Maria »* [182] *ad* A *octavam lectionem nocturnorum ipse cantavit, quo decantato et errorem Judeorum confutavit et ipse lumen recepit, ipsa interveniente cujus virginitatem in eodem responsorio defendit.* Beatus Desiderius Viennensis archiepiscopus de exilio revocatus, factione Brunnihildis et Theoderici lapidatus, post obitum miraculis claruit.

610. His temporibus Persæ multas provincias Romanis auferentes, Jerusalem cruce Domini spoliaverunt.

611. Eraclianus Focam augustum regno privavit, filioque suo Eraclio illud concessit, qui regnavit annis 26. Beatus abbas Columbanus, sancti Galli magister, a Luxoviensi cenobio a se constructo, molimine Brunnichildis pulsus, sanctum ibi Eustasium B pro se reliquit abbatem.

612. Beatus Augustinus Anglorum archiepiscopus migravit ad Dominum. Sanctus Columbanus a Luxovio pulsus, concessu Theodeberti regis Brigantium venit, ibique triennio mansit.

613. In Hispania mortuo Betterico, Sisebodus rex efficitur Gothorum.

614. Eraclius imperator Constantinum filium imperii consortem fecit. Beatus Columbanus de Brigantio pulsus, febricitantem ibi Gallum reliquit; ipseque in Italiam veniens et benigne ab Agilolfo rege susceptus, cenobium Bobiense construxit. Sanctus quoque Gallus solitudinem cellæ suæ incolere cepit.

616. Hoc tempore Ysidorus Spalensis episcopus clarus in Hispaniis habetur. Brunnihildis iniquis- C sima, equis indomitis alligata, jussu Sigiberti regis Francorum digna morte periit. Prædictus Ysidorus hucusque adbreviationem temporum perduxit.

617. Romæ Deusdedit, papa 70us, sedit annis 3, mense fere 1.

618. His [183] temporibus Jerosolima inter alias Palestinæ urbes a Chosdroe rege Persarum capta, et crux dominica in Persidem abducta est.

620. Romæ Bonifacius V, papa 71us, sedit annis 5, vir valde mitis et pius. In Britannia defuncto sancto Laurentio archiepiscopo, Mellitus successit. Magundat magus, genere Persa, ad fidem Christi conversus et Anastasius dictus, Jerosolimis miræ sanctitatis monachus efficitur.

622. Bertrudis [184] regina, uxor Lotharii regis piissima bonæ memoriæ, obiit.

623. His temporibus bæatus Attala et post hunc Bertolfus Bobienses abbates, et sanctus Gallus claruerunt [185].

624. In Britannia defuncto Mellito archiepiscopo, successit Justus. Qui sequenti anno beatum Paulinum ordinans episcopum, Anglis illis qui adhuc pagani erant prædicatorem et doctorem misit.

625. Romæ Honorius, papa 72us, sedit annis 13,

VARIÆ LECTIONES.

[179] lugdunæ *superscripto* lundoniæ 1. [180] s. p. *in loco raso; ita noster ex Gestis pontt. Romanorum Herimannum emendavit.* [181] Hujus — defendit *alio atramento in margine addita* 1. [182] m. 1. [183] *hæc alio atramento in loco raso. Fortasse auctor primo Herimanni sententiam de terræmotu, etc. scripserat, recordatus sanctæ crucis abreptionem jam a.* 610 *referri.* [184] Gertrudis *littera* G *minio scripta* 1. [185] *vox in loco raso.*

qui multis bonis operibus abundavit.

627. In Britannia Eduinus rex Anglorum a Paulino episcopo conversus, cum gente sua baptizatur, anno adventus Anglorum in Britanniam pene 180°.

628. Beatus Anastasius monachus multa pro Christo tormenta passus, tandem in Perside a rege Chosdroe cum aliis 70 strangulatus, martir efficitur. Ipso anno Eraclius imperator Persidem petiit, victo et occiso Chosdroe, dominicam crucem Jerosolimam revexit.

630. Lotharius rex Francorum fortis, pius et religiosus, obiit, anno regni 45°.

631. Dagobertus rex Francorum, sancto Arnolfo Metense episcopo et Pipino majore domus utens consiliariis, nimio amore justiciæ [186] flagravit.

632. Pax perpetua inter Eraclium imperatorem et Dagobertum legatis mediantibus pacta est.

633. In Britannia Eduinus, rex Anglorum pacificus et pius, a paganis regibus interimitur.

634. Oswald filius Edilfridi christianissimus, paucis collectis et adorata cruce quam erexerat, interfectores Eduini regis superavit, ipseque 8 annis regnavit.

635. His temporibus cum Sergius Constantinopolitanus, annitente Cyro Alexandrino heresim acephalorum [187] instaurans, unam in Christo divinitatis, et humanitatis voluntatem et operationem dogmatizasset, ipsumque imperatorem seduxisset, ab apostolica sede damnatus est.

637. Constantinopoli Eraclius imperator a Sergio Constantinopolitano episcopo in hæresim, ut aiunt, inductus obiit. Pro quo Eraclonas cum matre Martina annis 2 regnavit.

638. Romæ defuncto papa Honorio, cessavit sedes apostolica annum 1, menses 7, dies 14, quia Constantinopoli auctoritas imperialis morte principum nutabat. Quo tempore Lateranensis thesaurus distractus est.

639. Constantinopoli mortuo Eraclona imperatore, frater ejus Constantinus regnavit mensibus 6.

640. Constantinopoli post mortem Constantini, filius ipsius, Constantinus, qui et Constans, regnavit annis 28. Romæ Severinus, papa 73us, sedit mensibus 2, diebus 4; post quem cessavit episcopatus mensibus 5.

641. Romæ Johannes IV, papa 74us, sedit anno 1, mensibus fere 10; qui missa pecunia, multos captivos in Histria et Dalmatia a barbaris redemit.

642. Romæ Theodorus, papa 75us, sedit annis 6, mensibus fere 6. Hic corpora sanctorum Primi et Filiciani levavit, et hereticos damnavit. In Britannia Oswald rex Anglorum piissimus, contra Pendanum regem paganum pugnans occubuit, et plurimis post mortem miraculis claruit. Pro quo frater ejus Oswi regnavit annis 28.

644. Sanctus Paulinus, Eboracensis episcopus et A doctor Anglorum, anno episcopatus vicesimo migravit ad Dominum, 6 Idus Octobris.

645. Hoc tempore Pyrrus Constantinopolitanus, Sergii et in sede et in heresi successor, cum a Theodoro papa dudum damnatus, ex Affrica Romam venisset, et fictam penitentiam satisfactionemque simulasset, benigne susceptus et reconciliatus est. Postea vero domum reversus, et errorem repetens, denuo ab ipso papa depositus, damnatus et anathemizatus est.

646. His temporibus beata virgo Gerdrudis, filia Pipini, soror Grimoaldi majorum domus, Nivalensis cenobii mater, virtutibus claruit. Hujus soror Begga et ipsa religiosa, Angiso sancti Arnolfi filio nupsit, cui etiam Pipinum juniorem peperit.

B 647. His temporibus cum Paulus Constantinopolitanus Pyrri successor heresim non solum non dimitteret, set augmentaret, ipsumque imperatorem cum aliis seduceret, nec a domno papa admonitus et increpatus resipisceret et ipse indentidem damnatus est.

648. Tempore Constantis imperatoris gens Sarracenorum crudelissima multas provincias vastavit.

649. Romæ Martinus, papa 76us, sedit annis 6, mensibus fere 2. Quo tempore Paulus Constantinopolitanus, ipso imperatore Constante seducto, legatos apostolicæ sedis pro heresi eum arguentes carceribus et exiliis afflixit, et catholicis ubicumque potuit persecutionem excitavit.

C 650. Martinus papa indictione nona sinodum Romæ 105 episcoporum colligit, in qua Cyrum, Sergium, Paulum cum sequacibus erroris damnavit.

651. Beatus Aidanus Scottigena [188] episcopus et doctor Anglorum, 2. Kal. Sept. decessit.

652. Hoc tempore Olimpius exarchus a Constante imperatore Italiam missus, cum domnum papam ceterosque in fide catholica unanimes depravare eisque nocere non posset, tandem cum papa pacificatur.

653. In Britannia Honorius Anglorum archiepiscopus obiit, pro quo Deusdedit 10 annis præfuit.

654. Beatus papa Martinus jussu Constantis, D heretici imperatoris, in basilica Salvatoris quæ Constantiniana dicitur, comprehensus, et Constantinopolim perductus, cum flecti nullatenus posset, exilio in Cersona damnatus est.

655. Martinus papa in exilio migravit ad Dominum, ibique sepultus miraculis claruit postmodum; pro quo Romæ Eugenius, papa 77us, sedit annis 2, mensibus fere 10, vir benignus et mitis. In Britannia Pendan rex Merciorum paganus, ab Oswi rege, sancti Oswaldi fratre, victus interiit, et gens Merciorum Christi fidem accepit.

656. Petrus Constantinopolitanus quasi satisfa-

VARIÆ LECTIONES.

[186] amore Justiciæ *add.* [187] acephorum 1. [188] sottigena 1.

ciens pro fide sua, misit Romam sinodicam epistolam valde obscuram et dubiam, set a domno papa et æcclesia Romana non est accepta.

657. Romæ Eugenio papa defuncto, cessavit episcopatus mensibus 2.

658. Romæ Vitalianus, papa 78us, sedit annis 14, mensibus 6. [189] Qui literis ex more Constantinopolim missis in sede confirmatus, æclesiam Romanam insigniter rexit.

659. Constantinus, qui et Constans, imperator sancto Petro donaria preciosa Romam misit.

660. In Italia defuncto rege Longobardorum Hariberto, duo filii ejus Godabertus et Pertharich regnum inter se dividebant, quorum uno occiso, id est Godaberto, alteroque fugato ad Hunos, Grimoaldus dux Beneventanus regnum eorumdem obtinuit.

661. Hoc tempore Pærtharich de exilio reversus, iterum in exilium ire est compulsus.

662. Constantinus, qui et Constans, Italiam contra Longobardos venit, set nichil profecit.

663. Constantinus imperator Romam venit, et a Vitaliano papa honorifice susceptus, sancto Petro pallium auro textile obtulit; set cuncta pene ornamenta urbis [190] abstulit [190].

664. Eclipsis solis 5 Nonas Maii facta. In Britannia a Scottis et Anglis quæstio de pascha ventilatur, et Scotti a Wilfrido presbitero rationabiliter victi sunt, qui postea episcopus ordinatur (*v. a.* 678).

665. Angli ad Vitalianum papam pro episcopo et doctore postulatum Romam mittunt.

668. In Sicilia Constantinus imperator, qui et Constans, post multas deprædationes per provincias actas, tandem a suis in balneo peremptus est; pro quo Constantinus ejus filius regnavit annis 17, imperator sane catholicus et pius. Hoc anno Theodorus archiepiscopus a Vitaliano papa ordinatus, et cum Adriano abbate ad Anglos missus, multis et verbo profuit et exemplo.

669. Sarraceni Siciliam vastant.

670. In Italia mortuo Grimoaldo Longobardorum rege, Pertharich regnum paternum 17 annis obtinuit.

672. Romæ Vitaliano papa defuncto indictione 15, post 2 menses Adeodatus, papa 79us, sedit annis 4, mensibus 2; vir valde mitis et pius, qui multa ædificia Romæ construxit.

673. Hoc anno Theodorus Anglorum archiepiscopus sinodum utilem collegit.

674. [Dagobertus [191] rex Francorum, præcipuus æcclesiarum Dei venerator, obiit. Regnavit annos 44. Parisius sepelitur.]

676. Romæ defuncto Adeodato papa, post menses 4 [192] Donus, papa 80us, sedit anno 1, mens. 5;

A qui porticum sancti Petri marmore stravit. Cometa per 3 menses visa.

677. Æclesia Ravennas, quæ autocephaliam sibi usurpans a Romana desciverat, Dono papæ se iterum subjecit.

678. Romæ defuncto Dono, post 2 menses Agatho, papa 81, sedit annis 2, mensibus 6. [191] *atseG) pontt. Rom.) Hic papa apud imperatorem effecit, ut quantitas relevaretur, quæ pro ordinatione pontificis solita erat dari; ita tamen ut decretum generale de electione papæ prius ad imperatorem mitteretur, quam ille consecraretur.* Wilfridus Anglorum episcopus ab Egberto rege sede sua pulsus, multos in exilio ad Dominum convertit.

679. Constantinus augustus legationem Romam B misit, et ut pro confutandis hereticis sinodus apostolica auctoritate Constantinopoli fieret, postulavit. Agatho papa sinodum 120 episcoporum Romæ collegit, et hereticos unam in Christo operationem dogmatizantes damnavit.

680. Eclipsis lunæ, et magna mortalitas Romæ facta. Agatho papa legatos Constantinopolim misit indictione 9. Qui honorifice ab augusto suscepti, sextæ sinodo universali 150 episcoporum præfuerunt, et convictos hereticos, unam in Christo voluntatem et operationem asserentes, damnaverunt, [193] *et 9 capitula conscripserunt.* Theodorus Anglorum archiepiscopus sinodum collegit.

681. Constantinopoli sexta sinodus universalis C 150 episcoporum indictione nona mense Februario acta, et Macharius Antiochenus sequacesque erroris damnati sunt. Quibus damnatis, subito plurimæ aranearum telæ in basilica coram omnibus ceciderant, hereticas nugas dejectas esse portendentes. Agatho papa decessit.

682. Romæ defuncto Agathone papa, cessavit episcopatus anno 1, mensibus 7.

683. Romæ Leo II, papa 82us, sedit mensibus fere 11; vir per omnia eruditissimus et piissimus, qui sua decreta fecit, plurima egregie scripsit, docuit, et constituit. Sanctus Cudbertus Lindiufarnensis æclesiæ episcopus, Britanniam multis virtutibus decoravit.

684. Romæ defuncto Leone, cessavit episcopatus D anno fere 1. Post quem Benedictus II, papa 83us, sedit mensibus 10 vir satis laudabilis. Cometæ apparent.

685. Romæ post pascha defuncto Benedicto, exactis plus duobus mensibus Johannes V, papa 84us, sedit anno 1. Qui prius archidiaconus, legatus in sexta sinodo apostolicæ sedis fuerat. Constantinopoli Constantino imperatore defuncto, filius ejus Justinianus regnavit annis 10; qui heresi pollutus, orthodoxis est infestus.

VARIÆ LECTIONES.

[189] VII. *corr.* VI 1. [190] *in loco raso.* [191] *hic in codice* 1. *alia manu et alio atramento inserta. Historiæ tam Dagoberti I. quam II. repugnant; in codice* 2. *eadem ac reliqua manu leguntur*; *adsunt et in* 3. [192] *hæc alio atramento in marg.* 1. anno 677 *adsignat* 2. [193] *et* VIIII c. c. *alio atramento.*

686. Romæ defuncto Johanne, post 3 menses Conon, papa 85us, ordinatus, sedit mensibus 11, vir item laudabilis. In Britannia sanctus Johannes Hagustaldensis episcopus clarus habetur.

687. Romæ defuncto Conone exactis fere 3 mensibus, Sergius, papa 86us, sedit annis 13, mens. fere 9. Qui in fide catholica fortis, persecutionem ab augusto Justiniano passus est. Vir quippe sanctus et omnibus bonis intentus.

688. Ceadwal rex occidentalium Saxonum, ad fidem Christi conversus [194] Romam [194] venit, et in sabbato sancto paschæ a Sergio papa baptizatus et Petrus vocatus, inibi in albis defunctus, ab ipso papa summo honore tumulatus et epithaphio decoratus est.

689. In Italia Alachis dux tyrannidem invasit, et maxime clericos insequitur.

690. Theodorus venerabilis Anglorum archiepiscopus, anno adventus sui in Britanniam 23°, ætatis vero 88°, decessit; qui librum penitentialem satis utilem conscripsit.

694. His diebus duo Angli presbiteri, dum Saxonibus prædicarent, martirio coronati, et miraculis declarati, a Pipino Coloniæ sunt tumulati.

695. Constantinopoli Justinianus imperator hereticus a Leone et Tyberio abscisis naribus regno expulsus est, et ipse Leo regnum 3 annos obtinuit. Vir sanctus Willibrordus, a Sergio papa archiepiscopus ordinatus et Clemens vocatus, genti Fresonum prædicans, virtutibus claruit.

696. Sergius papa, Domino revelante, capsam cum portione dominicæ crucis invenit.

697. In Britannia sanctus Cudbertus, ex anachoreta episcopus, migravit ad Dominum post multas virtutes; cujus vitam Beda presbiter descripsit.

698. Constantinopoli Tiberius imperium invadens, Leonem imperatorem 7 annis quibus ipse post hunc regnabat in carcere tenuit.

699. Hoc tempore sinodus Aquilegiensis facta, et quidam qui concilium quintum universale noluerunt recipere, a Sergio papa correcti sunt.

701. Romæ defuncto Sergio, Johannes VI, papa 87us, sedit annis 3, mensibus 2.

703. Beda presbiter Anglus, vir doctus, usque huc chronica minoris libri de temporibus perduxit. Hoc tempore cum Gisulfus dux Beneventi Campaniam vastaret et captivos abduceret, a Johanne papa pacem postulante dona accipiens, captivos reddidit.

704. In Britannia Edilred rex Mertiorum, relicto [195] regno [195], monachum se fecit.

705. Constantinopoli Justinianus imperator auxilio Terbelli regis Vulgariorum imperium recipiens, A Leonem et Tyberium imperii pervasores occidit. Gallicinum patriarcham excecatum Romam misit, et in loco ejus Cyrum abbatem, qui se in Ponto exulem aluerat, promovit. De hoc imperatore fertur, quod quotiens a detruncatis naribus profluum terserit, totiens aliquem de inimicis suis perimi jusserit. Romæ Johannes VII, papa 88us, sedit annis duobus, mensibus fere 8, vir facundus et eruditus. Sanctus [196] Heddi episcopus migravit ad Dominum.

706. Johannes papa oratorium sanctæ Mariæ ad Sanctum Petrum construxit, et multas æclesias ornavit.

707. Hoc tempore Haribertus rex Longobardorum possessionem alpium Cottiarum, dudum a Longobartis captam et detentam, per privilegium B aureis literis scriptum sancto Petro Johannique papæ reddidit.

708. Romæ Sisinnius papa 89us ordinatus, ingravescente podagra, 20 tantum diebus supervixit. Post quem Constantinus papa 90us effectus, sedit annis 7, diebus 15.

709. Cœnredus rex Merciorum, et cum eo Offa regius juvenis, filius Sigiheri regis, relictis regnis Romam veniunt, ibique monachi effecti, non multo post obierunt. Wilfridus Anglorum episcopus obiit, cui Acca successit.

710. Adrianus abbas venerabilis, anno ex quo a Vitaliano papa in Britanniam cum Theodoro archiepiscopo missus est 41° obiit. Hildebertus rex Francorum obiit, pro quo Dagobertus annis 5.

C 711. Constantinopoli Philippicus imperator factus, Justinianum imperatorem occidit, et ipse annum unum et sex menses regnavit, catholicos persequens, hereticis favens. (Cf. *Gesta pontt. Rom.*) *Unde* [197] *et a Constantino papa* [198] *anathematizatur. Quapropter regni principibus eum pro excommunicato devitantibus, regium diadema deponere compellitur.*

712. Heribertus rex Longobardorum moritur, pro quo Liudprandus.

713. Constantinopoli Anastasius Philippicum oculis et regno privavit, et ipse annis 3 regnavit.

714. Anastasius imperator missis Constantino papæ litteris, se catholicum declaravit. Pipinus filius Ansigisi, nepos sancti Arnolfi, major domus et D dux Francorum, anno regni 27° obiit; pro quo filius ejus Karolus regnavit annis 27.

715. Romæ [199] defunto Constantino papa, Gregorius II, papa 91us [200], sedit annos 15, menses 9, *qui* [200] 17 *capitula conscripsit* (1277). Dagobertus junior, filius Hildeberti, rex Francorum obiit, pro quo Helpericus, qui et Daniel.

716. Egbertus vir sanctus, natione Anglus, Scottos legitime pascha celebrare docuit. Constantinopoli Theodosius imperator factus anno I regnavit.

VARIÆ LECTIONES.

[194] *supra lin.* [195] *in loco raso.* [196] *hæc eadem manu addita.* [197] *hæc alio atramento.* [198] *quæ sequuntur, in loco raso.* [199] Romæ—menses IX *prius, ut in Herimanno, anno* 714 *adsignata erant* 1. [200] pp. XCI *et* qui XVII cap. c. *alio atramento.*

NOTÆ.

(1277) A. 714 apud Herimannum.

Qui Anastasium imperatorem pugna victum, presbiterum ordinari fecit.

717. Romæ Tyberis supra modum inundans, multa ædificia subvertit. Hoc tempore Winfridus, qui et Bonifacius, genere Anglus, Germaniæ gentibus verbum salutis prædicat auctoritate Gregorii papæ.

718. Constantinopoli Leo imperator annis 9 regnavit. Cujus tempore Sarraceni Constantinopolim obsidentes triennio, tandem divino auxilio, fame, peste, ferro repelluntur.

719. Sanctus Bonifacius a Gregorio papa Mogontiaci archiepiscopus ordinatus, multis gentibus profuit verbis et exemplis.

720. Mortuo Helperico, Teodericus filius Tagoberti rex a Karolo constituitur. Sanctus Othmarus cellæ sancti Galli primus abbas constitutus, 40 annis rexit.

721. Karolus Reginfredum vicit, Andegavis urbem vi cepit. Sanctus Johannes Hagustaldensis episcopus obiit.

722. Karolus Alemanniam et Bajoariam subegit.

723. (BEDÆ *Chron.*) Hoc tempore corpus sancti Augustini de Sardinia in Ticinum a Ludbrando translatum est.

724. Karolus transito Ligere Aquitaniam vastat. Sanctus Pirminius abbas et chorepiscopus a Karolo Augiæ insulæ præfectus, serpentes inde fugavit, et cenobialem vitam ibi instituit, annis 3. [201] *Choros grece, regio latine dicitur, unde chorepiscopus, id est regionalis episcopus, qui per regiones discurrit.*

725. Sarraceni Gallias vastant præda et incendio.

726. (Cf. EINHARDI *Vitam Karoli*, c. 1.) Karolus Sarracenos una cum rege eorum prostravit. Huc usque Beda venerabilis presbiter chronica sua perduxit in majori libro de temporibus. Huc [202] usque regnum Romanorum; exhinc Francorum supputatur. Karolus Pipini filius, cum jam principatum major domus 12 annis tenuisset, posthæc eundem principatum 15 annis obtinuit, regibus tamen in Francia, set parva dignitate regnantibus.

727. Karolus Burgundiam petens, eam sibi subegit. Sanctus Pirminius ex Augia pulsus, Etonem pro se constituit abbatem, et ipse Alsatiam, alia instructurus cœnobia petiit.

728. Karolus Aquitaniam sine bello recipit.

729. Sanctus Egbertus presbiter Anglus obiit, anno ætatis 90, die paschæ, id est 8 Kalend. Maii.

730. Sarraceni Avinnionem urbem capiunt, et circumquaque regiones devastant.

731. Karolus Avinnionem, cesis Sarracenis, vi expugnatam recipit. Beda presbiter et monachus natione Anglus, doctor eximius, obiit 7 Kal. Jun. Romæ Gregorius III, papa 92us [203] sedit annos 10, menses 9. Tria cenobia, id est Altaha, Mourbach, Favarias, ex Augensibus fratribus instructa sunt.

732. Karolus Gothiam invadit.

733. Karolus exercitum Sarracenorum de Hispaniis venientem delevit.

734. Augiæ Eto abbas, Kebam successorem relinquens, ipse Argentoraci [204] episcopus promotus, non longe post sui nominis Etenheim cenobium construxit.

735. Karolus item deletis Sarracenis victor rediit.

736. Karolus Gothos petiit, et inde victor rediit, Audoinus episcopus obiit. Augiæ defuncto post 2 annos Keba, Ernfredus Augiæ abbas et Constantiæ episcopus effectus, 10 annis præfuit.

737. Karolus Saxones victor fecit tributarios.

739. Karolus totam Provinciam suæ subjicit ditioni.

740. Victis circumquaque hostibus, pax et quies regno Francorum facta est per Karolum.

741. Romæ Zacharias, papa 93us, sedit annos 10, menses 4. Karolus moritur Carisiaci, et apud Sanctum Dionisium sepelitur; pro quo filii ejus, diviso inter se regno Francorum, majores domus præfuerunt, Karlomannus annis 6, Pipinus annis 10.

742. Karlomannus et Pipinus duces Aquitaniæ et Sueviæ rebellantes cito comprimunt [205].

744. Fuldense cenobium in saltu Bochonia a sancto Bonifacio archiepiscopo fundatum est.

745. Karlomannus cum fratre Saxoniam rebellantem vastavit.

746. Sanctus Bonifacius annuente Karlomanno, auctoritate Zachariæ papæ duos in sua parrochia episcopatus facit, Wirziburgensem scilicet, cui sanctum Burchardum, et Eichstensem, cui sanctum Willibaldum, conprovinciales suos, primos episcopos ordinavit. Sidonius, Augiæ monachus, quintus ei loco abbas, Constantiæque episcopus factus, præfuit annis 13; qui cellam quoque sancti Galli ambiens, iniquis principibus in damnatione sancti Othmari abbatis consensit.

747 Karlomannus pro Dei amore mundo abrenuntians, in castro Cassino monachum se fecit.

750. Pipinus Griphoni 12 comitatus in partibus Neustriæ dedit.

751. Pipinus missis Romam legatis, Zachariam papam de regno Francorum et ignavis ejus regibus consuluit.

752. Auctoritate Zachariæ papæ, et non multo post Stephani 94[1], qui eidem in pontificatu 6 annis successit, deposito ac detonso rege Hilderico, Pipinus rex Francorum electus, et Suessionis a sancto Bonifacio archiepiscopo unctus, regnavit annis 17. Audogarius primus Campidonensis cenobii fundator et abbas, locum illum incolere cepit.

753. Pipinus rex Saxoniam vastat, ibique Hildi-

VARIÆ LECTIONES.

[201] *hæc alio atramento in marg.* [202] *hac voce incipit Gottw.* [203] *hic et hinc inde usque ad a.* 872 *numerus paparum alio atramento additur.* [200] vel argentinæ *glossa* 1. [204] *hinc linea erasa est* 1.

garius Coloniensis archiepiscopus est occisus. Stephanus papa pro auxilio contra Haistulfum Longobardorum regem poscendo ad Pipinum regem in Franciam venit, et filios ejus Karolum et Karlomannum Parisius reges unxit.

754. Sanctus Bonifacius Mogontiacensis archiepiscopus cum Fresonibus prædicaret, martirizatus est ab eis, anno episcopatus 36°, et apud Fuldense cenobium sepultus. Pro quo Lullus archiepiscopus præfuit annis 32. Karlomannus frater Pipini, cum ad eum pro dissuadenda expeditione Italica venire vellet, Lugduno obiit. Pipinus Italiam cum exercitu petens, Haistulfum regem Papiæ obsessum obsides dare et res sancti Petri sub sacramento reddere coegit. Stephanus papa duce Jeronimo, Pipini fratre, Romam rediit.

755. Haistulfus sacramentum contemnens Romam obsidet, omnia circum ferro et igne vastans. Pro qua re papa legatos per mare ad Pipinum pro auxilio misit.

756. Pipinus rex iterum Italiam petens, Haistulfum Papiæ obsidet, et Ravennam aliasque urbes pervasas eum sancto Petro et domno papæ per legatum reddere compulit.

757. Constantinus imperator inter alia munera Pipino regi etiam organum misit.

758. Romæ Stephano papæ Paulus 95us successit, annis 10.

759. Waifarius tyrannidem in Aquitania exercuit. Sanctus Othmarus abbas a Warino et Roudhardo consensu Sidonii episcopi inique damnatus, et in insulam Rheni Stein relegatus, migravit ad Dominum. Cujus abbatiam cum Sidonius episcopus et abbas temerarie invasisset, ante altare sancti Galli profluvio ventris obiit. Pro quo Johannes Augiensis monachus episcopatum et utramque abbatiam accipiens, præfuit annis 21. Qui primum Romanæ sedis privilegium Augiæ ab Adriano papa impetravit.

760. Pipinus Aquitaniam seu Wasconiam invadit, et Waifarium injuste usurpata sub sacramento reddere coegit.

761. Waifarius iterum tyrannidem exercuit.

762. Pipinus rex cum Karolo filio suo Aquitaniam petens, multas urbes ibi cepit.

764. Pipinus magnum conventum Carisiaci habuit.

765. Roudgangus Metensis [206] archiepiscopus corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii a Paulo papa impetravit.

766. Corpus sancti Gorgonii in Gorzia cenobio, sancti Naboris in Nova Cella, sancti Nazarii in Laureshaim conditum est.

767. Romæ Paulus papa obiit, pro quo Stephanus 96us sedit annis 4.

768. Pipinus subacta Aquitania, 8 Kal. Octob. Parisius obiit, anno ætatis 54°. Pro quo filii ejus diviso regno, Karolus Magnus annis 46, et Karlomannus 4 annis, regnaverunt.

769. Corpus sancti Othmari abbatis post decem annos, in insula qua obiit, incorruptum inventum, ad monasterium sancti Galli translatum est.

770. Karolus filiam Desiderii regis Longobardorum uxorem duxit, set postea repudiavit.

771. Karlomannus obiit, et Remis sepelitur. Karolus magnam synodum colligit.

772. Karolus Saxones petit; unde acceptis obsidibus rediit. Romæ post Stephanum Adrianus I, papa 97us, sedit annis 24.

773. Karolus ab Adriano papa pro defensione rerum sancti Petri rogatus, Italiam petiit, et Desiderio rege obsesso Papiæ, ipse Romam orandi gratia adiens, pascha [207] ibi celebravit.

774. Longobardi cum Desiderio rege eorum Karolo se tradunt, anno 205°, ex quo Italiam cum rege Alboino intraverant. Corpora sanctorum Gordiani et Epimachi de Roma in Alemanniam translata sunt.

775. Karolus Saxoniam iterum rebellantem vastat.

776. Karolus Roudgaudum, regnum Italiæ affectantem, occidit.

777. Saxones tandem multa cede perdomiti, Karolo subduntur et christiani efficiuntur.

778. Karolus Hispanias petiit, quibus subactis redit. Saxones iterum rebellant.

779. Karolus iterum Saxones superavit.

780. Karolus dispositis rebus Saxonum et Sclavorum, ipse Romam gratia orandi adiit.

781. Pipinus filius Karoli Romæ ab Adriano papa baptizatur, [208] *et ab eodem a baptismo suscipitur,* et cum fratre Ludowico rex ungitur. Constantiæ episcopus et abbas Johannes obiit, pro quo Egino episcopus annis 32, et Petrus Augiæ abbas annis 5 et apud Sanctum Gallum Roudpertus abbas anno 1, præfuerunt. Hoc tempore cruces apparuerunt multis in vestibus. Sanguis e terra et aere fluxisse dicitur. [209] *Sciendum Karolomagno Adrianum papam Romæ librum dedisse continentem canones apostolorum, cum conciliis Niceno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi Antiocheno, Laodicensi, Constantinopolitano, Calcedonensi, Sardicensi, et quoddam excerptum ex Affricanis conciliis continentem, cum decretis Romanorum pontificum; Siricii* 40^{i}, *Innocentii* 42^{i}, *Zosimi* 43^{i}, *Bonifacii* 44^{i}. *Celestini* 45^{i}, *Leonis* 47^{i}, *Hilari* 48^{i}, *Simplicii* 49^{i}, *Felicis* 50^{i}, *Gelasii* 51^{i}, *Anastasii* 52^{i}, *Symmachi* 53^{i}, *Hormisdæ* 54^{i}, *Gregorii* 71^{i}. [210] *Hunc librum quidam Adrianum cognominant. Idem Karolus duos libros ex tractatibus sive sermonibus sanctorum Patrum per Paulum, diaconem suum collegit, eo quod quælibet apocrifa nollet legi in*

VARIÆ LECTIONES.

[206] metentis. [207] pascha 1. [208] et—suscipitur *alia manu et alio atramento.* [209] *quæ sequuntur, in margine superiore scripta sunt. Ea hoc potissimum loco collocanda esse censui; cf. Legg. I, 44. Codex 2 ea anno 789 adsignat; desunt 3.* [210] *Hinc alio atramento.*

æclesia. Nam prædicti duo libri per circulum anni singulis festivitatibus pene sive jejuniis ad nocturnales lectiones sufficere possunt cum bibliotheca. Perfecti sunt autem illi duo libri anno Domini 808.

782. Karolus Saxonum 4500 decollare jussit. Apud Sanctum Gallum Waldo abbas præfuit anno 1.

783. Hiltigard regina uxor Karoli, 2 Kal. Maii, et Berhta, mater ejus, 4 Idus Julii obierunt.

784. Junior Karolus a patre in Saxoniam missus, Westfalos bello domuit.

785. Widikind Saxo ad deditionem Karolo veniens baptizatus est.

786. Karolus iterum Romam ivit orandi gratia. Augiæ post Petrum Waldo, abbas octavus, præfuit annis 20.

787. Rouddrud, filia Karoli, Constantino imperatori desponsatur.

789. [211] *Hoc anno Karolus* 83 *pene canonum capitula totius regni sui episcopis transmisit, ut ejus auxilio corrigenda corrigere possent.*

790. Hunc annum Karolus Wormatiæ quietus transegit.

791. Karolus terram Hunorum devastat.

792. Sinodo Ratisponæ collecta, heresis Feliciana damnata est.

793. Saxones item more suo rebellant.

794. Sinodo magna in Franconofurt habita, heresis item Feliciana damnata est. Pseusosynodus Grecorum pro adorandis imaginibus habita, ab episcopis damnata est. His temporibus Alcwinus, qui et Albinus, apud regem ceterosque vita et doctrina clarus habetur.

795. Huni missis legatis se cum terra sua Karolo tradunt, et christianitatem promittunt.

796. Romæ defuncto Adriano papa. Leo III, papa 98us, sedit annis 20.

797. Constantinopoli Constantinus imperator a Grecis execatur.

798. Helena mater Constantini imperatoris ceci legatos Karolo pro pace misit.

799. Leo papa ut fama est in letania majore a Romanis lingua præcisa excecatur, et per quosdam liberatus, in Saxoniam ad Karolum est perductus. Geroldus præfectus Bajoariæ signifer et consiliarius Karoli, pius et religiosus, contra Hunos pugnans occubuit, Augiæque, quam multis auxerat donis et prædiis, sepultus est. Patriarcha Jerosolimitanus reliquias de sepulchro Domini mittit Karolo regi.

800. Karolus Jerosolimam insignia dona transmisit, et Romam petens, Leonem papam, se de illatis et non probatis criminibus sacramento purgantem, sedi suæ restituit.

801. Karolus in die natalis Domini a Leone papa corona imposita, primus regum Francorum Cæsar Augustus Imperator, Romanis laudes succlamantibus appellatus est. Qui postea juxta leges Roma-
A nas temeratores Leonis papæ capitali sententiæ addixit; set precibus ejusdem papæ vita concessa, in exilium eos relegavit. Terræ motus factus est 2. Kal. Maii.

802. Aaron rex Persarum inter alia munera elephantem Karolo imperatori misit.

803. Sanguis Domini Mantuæ inventus, Karolo imperatori nunciatur. Cujus rei veritatem perquirendam Leoni papæ imperator demandavit. Qua occasione arrepto itinere, papa ad imperatorem venit, et cum eo natalem Domini Carisiaci celebravit.

804. Domnus papa magnis muneribus ab imperatore donatus, Romam rediit.

805. Karolus junior a patre missus, Boemiam subjugavit.

B 806. Karolus imperator regnum inter tres filios suos divisit.

807. Aaron rex Persarum cum aliis muneribus artificiosum Karolo imperatori misit horologium.

808. Eardolf rex Nordanumbrorum regno pulsus ad Karolum imperatorem questum venit.

809. Quæstio de processione sancti Spiritus synodo habita ventilatur.

810. Hispani et Greci per legatos cum illo pacem firmant. Pipinum filium suum, regem Italiæ, mortuum esse didicit.

811. Heito abbas Augiæ et episcopus Basileæ, missus Constantinopolim, odoporicum, *id est itinerarium* [212] suum scripsit.

C 812. Michahel imperator legatis Karoli remissis, suos etiam pacem confirmatum misit. Beneventani 25 milia solidorum auri tributum Karolo persolvunt.

813. Karolus imperator Amalharium Treverensem archiepiscopum, et Petrum Nonantulanum abbatem Constantinopolim misit, quorum odoporicum, *id est liber itinerarius* [213] item scriptum habetur. Ipse Ludowicum filium consortem regni fecit. Mortuo Pipino filio ejus rege Italiæ, filium ipsius Berinhardum, nepotem suum regem fecit Italiæ. Quina permagna concilia Mogonciaci, Remis, Turonis, Cavillonis, Arelati pro statu æclesiarum fieri jussit.

814. Karolus imperator magnus, cum prius thesauros suos inter 21 archiepiscopatus regni sui ceterosque episcopatus et æclesias divisisset, febre et pleuresi pulsatus, 5 Kal. Febr. Aquisgrani obiit, ibique sepultus est honorifice, anno ætatis 71°, regni 47°, subjectæ Italiæ 44°, imperii 14°, indictione 7a. Pro quo Ludowicus filius ejus, cognomento Pius, regnavit annis [214] 27. Qui statim generale colloquium Aquisgrani habuit, et multam perperam gesta per regnum correxit.

815. Quidam ex Romanis primoribus in necem Leonis papæ conjurantes, puniuntur.

816. Leone papa defuncto. in 8. Kal. Junii. Stephanus 99us sedit mensibus septem. Qui ad Ludo-

VARIÆ LECTIONES.

[211] *sequentia alio atramento* 1 [212] i.i. *alio atram.* 1. *deest* 3. [213] i. l. i. *alio atram.* 1. [214] *alio atram.*

wicum regem in Franciam veniens, Remis cum imperatorem coronavit, deinde Romam rediit. Imperator, sinodo collecta, multa de statu et religione cenobiorum bene disposuit.

817. Stephano papa 9 Kalend. Febr. defuncto, Pascalis 100us sedit annis 7. Legati Leonis imperatoris de Constantinopoli pro pace ad Ludovicum veniunt imperatorem.

818. Ludowicus imperator cismarinos Britannos domuit.

819. Synodo Aquisgrani habita, multa de statu æclesiarum disposita sunt.

820. Ex inundatione pluviarum pestilentia magna facta est [215].

821. Ludowicus imperator regnum inter filios divisit, exilia relaxavit, debita cunctis dimisit.

822. Ludowicus imperator de publicis suis peccatis publicam penitentiam egit, et quæque in regno suo corrigenda, correxit. Lotharius in Italiam, Pipinus ducta uxore in Aquitaniam, reges missi sunt. Fuldis Eigil abbas obiit, cui Rabanus, vir doctus et divinorum librorum tractator egregius, successit. Augiæ Hetone abbate et episcopo privatam vitam adoptante Erlebaldus abbas 10us successit.

823. Lotharius rex Italiæ, rogante papa Paschale, imperator ab eo Romæ coronatur. Agri multi præter solitum grandine sunt vastati, veris [216] etiam inter ipsam et magnis lapidibus alicubi decidentibus.

824. Romæ Eugenius, 101us papa, post Paschalem sedit annis 3. Augiæ Wettinus monachus e corpore ductus et reductus [217], post triduum obiit. Cujus visiones Heito episcopus prosa, et Walachfridus heroico metro scripsit.

826. Herioldus rex Danorum cum uxore et filiis et magna suorum multitudine Mogonciaci baptizatus est. Hildovinus abbas de Sancto Dionisio, ab Eugenio papa ossa beati Sebastiani martiris impetravit, quæ Suessionis in basilica sancti Medardi collocavit.

827 Corpora sanctorum martirum Marcellini et Petri in Franciam translata sunt, Hoc in anno Ansegisus abbas in quatuor libellis collegit tam seculares quam æclesiasticas leges, quas Karolus Magnus et Ludowicus atque Lotharius imperatores promulgaverunt.

828. Romæ [218] post Eugenium Valentinus, 102us papa, sedit diebus 40, et post hunc Gregorius IV, 103us papa, sedit annis 16. Reliquiæ sancti Marcellini Aquisgrani allatæ, plurimis glorificantur miraculis.

829. Aquisgrani terræ motus sabbato sancto paschæ factus.

830. Corpus sancti Marci evangelistæ, sub nomine

A Valentis martiris, Ratolfus Veronensis episcopus a duce Venetiæ impetravit, et cum corpore Genisii martiris in Augiam insulam attulit.

831. Imperator omnes contrarios sibi honore privando, animos tam filiorum quam ceterorum contra se irritavit.

832. Imperator contra filios suos exercitum movit; uxorem timore filiorum abdicavit.

833. Imperator item contra filios in Alsatiam venit. Ibi veniente Gregorio papa cum filiis, imperator a suis relictus, in filiorum potestatem devenit.

834. Imperator judicio episcoporum armis depositis, ad agendam penitentiam includitur.

835. Imperator cum filiis Pipino et Ludowico Lugduni magnum habuit conventum.

B 837. Ticinum 3. Kal. Januarii octies noctu tremuisse dicitur.

838. Imperator habito conventu Noviomagi, Ludowico filio regnum Francorum interdixit. Puoto diaconus palatii in Judaismum lapsus.

839. Imperator filio suo Lothario repacificatur. *Ebbo* [219] *Remorum archiepiscopus degradatur.*

840. Imperator filio suo Lothario ad imperium designato, 12. Kal. Julii obiit, et Mettis sepelitur.

841. Ludowicus junior, adunatis cum fratre suo Karolo copiis, cum Lothario monarchiam appetente de partitione regni concordare non possent, juxta Fontinatam villam 7. Kal. Julii acie confligunt. Ludowicus et Karolus castris potiti sunt, fugato Lothario.

C 842. Tandem cunctis pacem optantibus, regnum in tria partiri constituunt. Augiæ Valahfridus Strabo vir doctus, abbas 12us, præfuit, qui metro et prosa conscripsit multa.

843. Lotharius cum imperatoris nomine Italiam accepit et Belgicam Galliam, quæ nunc usque ab eo [220] regnum Lotharii dicitur; Lodowicus Germaniam, Karolus Gallias obtinuit.

844. [221] Defuncto Gregorio papa, Sergius II 104us sedit annis 3.

845. [222] Rhabanus Fuldensis abbas librum quem de sancta cruce variis figuris metroque composuit, Sergio papæ transmisit.

846. [223] Lotharius imperator Burgundiones rebellare molientes ad deditionem coegit.

D 847. (*Gesta pontt. Rom.* [224] Romæ Leo IV, papa 105us, sedit annis 9, mensibus tribus, qui Romæ munitionem, quam Leoninam dicunt, fecit, eamque apostolica benedictione dedicavit, et sub anathemate in perpetuum confirmavit. [225] Mogontiaci Rhabanus, Fuldensis abbas doctissimus, ordinatur archipræsul. Qui mox Ludowico jubente sinodum magnam Mogontiaci collegit. Tempore [226] Leonis papæ quarti et

VARIÆ LECTIONES.

[215] *hinc aliud atramentum, sed eadem manus.* [216] v. e. i. i. et *desunt* 3. [217] et r. *desunt* 3. [218] Romæ — ann. XVI *primum anno* 827, *tum anno* 828 *adscripta sunt in* 1. [219] E. R. a. d. *hæc alio* (*anni* 1088.) *atr.* 1. [220] ab eo *alio atr.* [221] *hæc primum a.* 843, *tum a.* 844. *adscripta sunt* 1. [222] *hæc primum a.* 844, *tum a.* 845. *adscripta sunt* 1. [223] *et hæc primum anno superiori adscripta fuisse videntur* 1. [224] Romæ — confirmavit *item hæc a. superiori primum adscripta fuerunt* 1. [225] *hic numerus erasus est* 1. [226] *hæc in margine supra a.* 850 *habentur* 1. — *anno* 852. *adscripta* 2.

Rabani Mogontiacensis archiepiscopi in conventu episcoporum Mogontiaci (*conc. Mog.*), confutata est heresis prædestinatianorum, quorum capita beatus Augustinus confregit atque contrivit in libro de correptione et gratia et prædestinatione sanctorum *ac bono perseverantiæ* [227].

848. Gotescalcus quidam presbiter, quosdam homines ad vitam; quosdam ad mortem inevitabiliter a Deo prædestinatos dogmatizans, in conventu episcoporum Mogontiaci convictus, regno expellitur.

849. Augiæ Walahfridus Strabo abbas obiit; pro quo Folcuinus abbas 13us præfuit annis 9.

850. Magna fames circa Rhenum, in qua Rhabanus archiepiscopus multos pauperes aluit.

852. Magna sinodus et generalis conventus Mogontiaci a Rhabano archiepiscopo et Ludowico rege habitus.

853. Nordmanni basilicam sancti Martini Turonis incendunt.

855. Lotharius imperator, relicto mundo divisoque inter filios regno, monachum se Prumiæ fecit, et non multo post, 3. Kal. Octob. ad regnum celeste migravit. Post quem filii ejus Ludowicus imperator Italiam, et Lotharius Cisalpinas partes regni tenuerunt.

856. Mogontiaci Rhabano archiepiscopo defuncto, successit Karolus, filius Pipini regis Aquitaniæ. Romæ Leone defuncto, 106us Benedictus III, papa sedit annis 2, mensibus 6.

857. Synodus a Karolo archiepiscopo Mogontiaci colligitur.

858. Villam quandam juxta Mogonciacum et Rhenum, Cammunti vocatam, nequam spiritus homines multipliciter infestando devastavit. Romæ post Benedictum 107us Nicolaus papa sedit annis 9.

859. Crebri terræ motus Mogontiacum concutiunt; ibique Probus presbiter religiosus et sanctus, 7. Kal. Julii obiit.

860. Hiemps maxima etiam Ionium mare usque in Venetiam per glaciem equis meabile fecit.

861. Meginradus Augiæ monachus, et primus incola heremi quæ Turicino adjacet lacui a quibusdam latronibus inibi 12. Kal. Febr. peremptus, post mortem virtutibus claruit, Augiæ sepultus. A quo usque hodie Heremus ipsa a sanctis et religiosis viris culta, in nobile excrevit cenobium.

862. Lotharius rex faventibus archiepiscopis Gunthario Coloniense et Teothgaudo Treverense, repudiavit Tiothpirgam uxorem legitimam, sinodo ad hoc machinandum collecta.

863. Synodo Romæ collecta, Guntharius et Theothgaudus archiepiscopi illuc transmissi, a Nicholao papa sunt depositi, et cum synodo sua anathematizati, Lothariusque rex, nisi resipisceret, excommunicatus est.

864. Guntharius Coloniensis episcopale officium post interdictum usurpans, set postea ductus penitentia Romam venit, set minime reconciliari meruit.

865. Arsenius episcopus, Nicolai papæ legatus, ipsi Lotharis fidem conubii per sacramenta 12 principum suorum pollicenti, Tiothpirgam conjugem reconciliatam reddidit.

866. Vulgari missis a Nicolao papa Ludowico rege prædicatoribus, fidem Christi suscipiunt.

867. Lotharius rex posthabitis principum sacramentis, Thiotpirgam repudiavit iterum, se priori concubinæ commiscens. Unde eum papa Nicolaus cum suis complicibus excommunicavit, literis ad diversos missis.

868. Synodus magna coram Ludowico rege colligitur Wormatiæ. Romæ defuncto papa Nicolao, 108us Adrianus II sedit annis 5. Ad quem cum Lotharius rex venisset, et frustra opitulante fratre Ludowico imperatore, pro Waldradæ concubinæ suæ matrimonio satis egisset, nichil profuit. (REGIN. *Chron.* a. 869.) *Ea* [228] *quidem conditio ei dabatur, ut si innocens esset, fiducialiter corpus Domini perciperet; sin vero, illud nullatenus accipere præsumeret. Set ipse temerarius accessit, et cum suis complicibus inevitabile judicium sibi suoque regno, heu! nimium demens, percepit. Nam tanta clades hanc præsumptionem divinitus subsecuta est, ut in ejusdem Lotharii regno, tota virtus ac nobilitas, non peste set quasi hostili gladio, deleta videretur.*

869. Lotharius rex cum complicibus suis se apud papam Adrianum de illatis criminibus excusans et corpus Domini temerarie ab eo accipiens, cum rediret domum, Placentiæ periit; autoresque sceleris pene omnes obiter periere. Regnumque ejus Karolus patruus ejus invasit.

870. Synodus magna Coloniæ collecta, et multa pro statu æclesiæ decreta.

871 (REGIN. *Chron.*) [229] *Ludowicus imperator Adalgiso tyranno per sacramentum repacificatur; quo tamen sacramento eum post Joannes papa absolvit, et eum contra eundem tirannum incitavit ad bellandum.*

872. Basilius imperator Grecorum portionem dominicæ crucis Ludowico regi transmisit.

873. Romæ defuncto Adriano, 109us Joannes VIII papa sedit annis 10 [230], *cujus præcepto Joannes diaconus Romanæ æclesiæ vitam sancti Gregorii authentice descripsit.*

874. Ratolfus Veronensis episcopus obiit, qui sui nominis cellam construxit juxta Augiam.

875. Ludowicus imperator Italiæ defunctus, Mediolani sepelitur, anno regni 20°. Cujus regnum patruus ejus Karolus rex Galliarum invadens, a Joanne papa se imperatorem coronari fecit.

876. Ludowicus rex religiosus apud Francono-

VARIÆ LECTIONES.

[227] ac b. p. *atram. paulo diverso* 1. *desunt* 3. [228] *Hæc in marg. alio atramento* 1. *Anno* 869. *adscripta in* 2. [229] *hæc eadem manu addita* 1. [230] *reliqua addita alio atramento* 1.

fuit 5 Kal. Septembris obiit, anno regni 36°, regnumque ejus tres filii, Karlomannus Bajoariam, Ludowicus Germaniam, Karolus Alemanniam, singuli cum adjacentibus provinciis accepere.

877. Karolus rex Galliarum obiit, anno regni 37°. Post quem filius ejus Ludowicus Balbus regnum Galliarum accepit.

878. Ludowicus rex Germaniæ cum fratre Karolo regnum Lotharii divisit.

879. Ludowicus Balbus, filius Karoli, rex Galliarum, 3 Idus Aprilis Compendii obiit.

880. Karlomannus rex Bajoariæ apud villam Otingam obiit, 11 Kalend. Aprilis.

881. Nordmanni multas provincias in Gallia vastant. Karolus rex, frater Ludowici, Romam veniens, una cum regina Richgarda imperiali unctione a Joanne papa coronatur, [231] *et omnes Italorum episcopi, præter papam, imperatori jure jurando subjiciuntur.*

882. Ludowicus rex Germaniæ 13 Kalend. Febr. obiit. Karolus imperator Nordmannos cuncta circumquaque vastantes, pacem regno ejus deinceps sacramento firmare compulit, et regem eorum christianitatem professum de baptismo suscepit, sicque firmata amicicia digressi sunt.

883. Romæ Johannes papa a quodam toxicatus, etiam a quodam alio percussus malleo, obiit, statimque percusssor ejus a nemine lesus moritur. Et Marinus archidiaconus, papa 110us, præfuit anno 1, mensibus 6, Ludowicus rex Galliæ obiit.

884. Karlomannus filius Ludowici Balbi, rex Galliæ obiit, et regnum Galliæ Karolus imperator obtinuit.

885. Marinus papa obiit, pro quo Adrianus III, papa 111us, sedit anno 1, mensibus 4.

886. Imperator a papa invitatus, Italiam venit. Romæ quintus Stephanus, papa 112us, post Adrianum sedit annis 6.

887. Richgarda imperatrix, adulterii cum Liutwardo Vercellensi episcopo incusata, divino judicio se ab omni virorum commixtione integram et virginem comprobavit, quamvis jam 12 annis in conjugio imperatoris aparuerit. Moxque a rege separata, in Andelahense cenobium virginum a se constructum secessit, ibique Deo serviens, virgo regina permansit. Imperator autem ab omnibus deseritur, et Arnolfus, fratris sui Karlomanni filius, rex eligitur.

888. Karolus imperator [232] jam privatus Deo devote serviens, ut quidam dicunt a suis strangulatus, obiit Idus Januar. et Augiæ sepelitur.

890. Arnolfus rex ex parte apostolici rogatur, ut Romam veniens, Italiam sibi de tyrannis defendat.

891. Arnolfus rex Nordmannos ad internecionem delevit.

A 892. Romæ post Stephanum Formosus, prius Portuensis episcopus, papa 113us, sedit annis 4, mensibus 7.

893. Formosus papa Arnolfum regem ad suscipiendam et a tyrannis eruendam Italiam invitat.

895. [233] Synodus magna apud Triburiam collecta. Itemque rex a papa rogatus, Italiam petit.

896. Arnolfus rex tandem Romam venit, et a Formoso papa imperator coronatus est. Formosus papa die paschæ obiit. Pro quo sextus Bonifacius papa 114us ordinatus, 15° die podagra defunctus est.

897. [234] Cui sextus Stephanus papa 115us substitutus, sedit annum 1. Qui tyrannis favit.

898. [235] Romæ post Stephani interitum Romanus B papa 116us sedit mensibus paulo plus 4, et post hunc Theodorus II, papa 117us, sedit dies 20. Post quem nonus Johannes papa 118us ordinatus, sedit annis 2.

899. Outa regina adulterii incusata 72orum principum juramento absoluta est.

900. [236] Romæ quartus Benedictus, papa 119us, sedit annis 3, mensibus 5. Arnolfus imperator Ratisponæ, ubi frequentius manebat, obiit, 6 Idus Decembris [237], anno regni 12°; pro quo filius ejus Ludowicus puer regnavit.

902. Beringer, Reginolf et Gerhard nobiles germani, filii Atonis comitis et Adellindæ, occisi, apud Bouchaugiense cenobium virginum, a prædicta C Adellinda constructum, sepeliuntur, ubi et ipsa mater postea est sepulta.

904. Romæ post Benedictum Leo V, prius presbyter forensis, papa 120us, sedit mensibus ferme duobus. Post quem, ut in quibusdam inveni, Christophorus prius cardinalis, papa 121us, sedit mensibus quatuor; qui dejectus est, et monachus factus.

905. Romæ Sergius III, papa 122us, annis 7, mensibus quatuor.

906. Adalpertus nobilis et bellicosus de Babenberg, Counradum emulum suum pugna victum cum aliis multis peremit.

907 Adalpertus perfidia Hattonis archiepiscopi et Liutpaldi ad Ludowicum regem spe pactionis adductus, decollari est jussus.

D 908. Ungarii Saxoniam et Thuringiam vastant. Liutpaldus occisus est.

909. Ungarii Alemanniam vastant.

910. Ungarii Francos devincunt.

911. Ludowicus rex adolescens moritur, et Ratisponæ sepelitur. Post quem, deficiente nostris in partibus regio stemate, Counradus filius Chounradi, rex electus et unctus, regnavit annis 7. Burchardus dux Alemanniæ in conventu suo occiditur.

912. Ungarii a Bajoariis et Alemannis juxta flumen Ine occiduntur. Cometæ sunt visæ. Roudolfus

VARIÆ LECTIONES.

[231] *reliqua in loco raso* 1. [232] imp. 1. imperio *Herimannus.* [233] *hæc desunt* 3. [234] *hæc primum anno* 896. *adsignata erant* 1. *ut in Herimanno.* [235] *hæc primum anno* 897 *adsigna erant* 1, *ut in Herimanno.* [236] Romæ mensibus V. *primum anno* 899. *adsignata erant, ut in Herimanno* 1. [237] VI. Id D. *alio atramento* 1.

rex Burgundiæ obiit; pro quo Roudolfus filius ejus regnavit annis 25. Romæ Anastasius II, papa 123us, sedit annis 2, mens. 2. Apud Sanctum Gallum Notkerus magister doctus obiit. A

913. Ungarii Alemanniam vastant.

914. Salomon Constantiensis episcopus est captus.

915. Romæ Lando papa 124us sedit mensibus 5. Post quem Leo VI, papa 125us, mensibus ferme duobus; et post hunc Joannes X, papa 126us, annis 14, mensibus 2.

916. Ungarii totam Alemanniam igne et gladio vastant. Synodus coram misso apostolici, id [238] est Petro Ostiensi episcopo, apud Altheim est habita. *In* [239] *qua synodo generali decreto sancitum est, ut quicumque deinceps bannum ab episcopis impositum corrupisset, per jejunium 40 dierum in pane tantum et aqua et sale, commissum lueret.* Apud Sanctum Gallum beata virgo Wilborada artius est inclusa. B

917. Ab Ungariis Basilea destruitur. Erchanger dux et frater ejus decollantur.

918. Burchardus dux Alemanniæ constitutus, tyrannidem invasit, Counradus rex obiit.

919. Heinricus comes, natione Saxo, in regnum electus, sine regali unctione regnavit annis 18. Burchardus dux Alemanniæ Roudolfum regem Burgundiæ vicit.

920. Karolus rex Galliarum in Franciam venit. Apud [240] Sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa est. C

923. Sanguis Domini in Augiam insulam a quadam matrona defertur, sicuti litteris inibi manifestatur.

924. Sanctus Oudalricus, Augustæ Vindelicæ episcopus, præfuit annis 50.

925. Ungariis item Alemanniam vastantibus et ad cenobium sancti Galli venientibus, Wilborada virgo inclusa, a quodam eorum perempta, martirio coronatur; Rachildisque, contectalis ejus, illesa divinitus conservata est.

926. Ungarii vastata Alemannia, per totam Franciam, Alsatiam atque Galliam igne et gladio deseviunt. Buchardus dux occiditur, pro quo Herimannus Alemanniæ dux efficitur. D

927. Heriger Mogonciacensis [241] archiepiscopus obiit, pro quo Hildibertus.

929. Romæ Stephanus VII, papa 127us, sedit annis 2, mense uno.

930. Henricus rex Boemiam petit.

931. Romæ Joannes XI, papa 128us, sedit annis quatuor. Heinricus rex reges Abodritarum et Nordmannorum christianos fieri effecit, ipseque Gallias petit.

932. Heinricus Ungarios in Siurbia interfecit.

934. Constantiæ Chounradus genere et vita clarus præsul ordinatus, præfuit annis 41.

935. Romæ Leo VII, papa 129us, sedit annis 3, mensibus 6.

936. Heinricus rex obiit, et in Saxonia apud Chutilinegnbr sepelitur. Pro quo Otto, filius ejus regnavit annis ferme 38.

937. Ungarii Franciam, Alemanniam, Galliam et Burgundiam vastantes, tandem per Italiam redierunt in Pannoniam. Monasteria sancti Galli et sancti Bonifacii concremantur. Roudolfus rex Burgundiæ obiit, pro quo filius ejus Chounradus regnum suscepit, Arnolfus dux Bajoariæ obiit, ducatumque ejus accepit Bertholfus. Bajoarii cum aliis multis regi Ottoni rebellant.

938. Otto rex contra Bajoarios procinctum movit, peneque omnes sibi subjugavit. Romæ Stephanus VIII, papa 130us, sedit annis 3, mensibus quatuor.

939. Otto rex omnes sibi rebelles preter Metensem episcopum subjugavit.

940. Otto rex Gallias contra Ludowicum regem petiit. Hiems seva et mortalitas animalium.

942. Otto et Ludowicus reges pacificantur. Romæ Marinus II, papa 131us, sedit annis 3, mens. 6.

943. Ungarii Bajoarios invadentes vincuntur.

944. Terræmotus factus est, 16 Kalendas Maii.

945. Romæ Agapitus II, papa 132us, sedit annis ferme 10. Otto rex Galliam ingreditur.

946. Apud Sanctum Gallum Rachildis virgo inclusa migravit ad Dominum.

947. Bertholfus dux Bajoariæ obiit, cui Henricus, frater Ottonis regis, in ducatum successit.

948. Herimannus dux Alemanniæ obiit, cujus ducatum Liutolfus, Ottonis regis filius, accepit. Synodus magna episcoporum coram Ottone et Ludowico regibus apud Ingelenheim facta.

949. Lothario rege Italiæ mortuo, Beringarius regnum ejus invasit, viduamque ejus Adelheidem, Roudolfi regis Burgundiæ filiam, multis injuriis afflixit.

950. Otto rex Italiam petit, sibique eam subjecit, et pulso Beringario, domnam Adelheidem liberavit.

951. Synodus 25 episcoporum magnusque totius regni conventus apud Augustam Vindelicam coadunatur. Ibique Beringarius Ottoni regi ad deditionem venit. Ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab occidente per aera venit, et draco visus est ambulans.

952. Otto rex cum filio suo Liutolfo Italiam intrat, et nuptiæ regales Papiæ celebrantur.

953. Lutolfus dux Ottoni [242] patri suo rebellat, set a sanctis episcopis reconciliati sunt.

VARIÆ LECTIONES.

[238] i. e. P. O. e. *addita* 1. *desunt* 3. [239] In — lueret *addita* 1. [240] A. s. G. R. v. i. e. *alio atram.* 1. [241] Nam juxta antiquos non Mogontium set Mogonciacum dicitur *in marg.* 1. 2. [242] Otoni 1.

954. Ungarii item egressi, Franciam, Bajoariam Italiamque devastant.

955. Ungarii totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam, Alemanniæ urbem, Deo juvante ab Ottone rege pugna victi, immensa cede necantur, 4. Idus Augusti. Ex nostris etiam Chounradus dux cum aliis multis occubuit. Ungarii etiam qui tunc effugere poterant, per totam Bajoariam trucidati sunt. Reges eorum Ratisponæ in patibulis suspensi sunt. Romæ Johannes XII, qui et Octavianus, papa 133us, sedit ann. 8, menses quatuor; qui tanti ordinis, pro dolor! oblitus, vanitati et spurciciæ fuit deditus.

956. Lutolfus dux Italiam hostiliter invadit, et Beringarium cum filio ejus fugavit.

957. Lutolfus dux Adalpertum bello vicit, et ipse eodem anno obiit, et Burchardus ducatum ejus accepit.

958. Cruces in vestibus quibusdam aparuerunt.

961. Otto rex filium suum Ottonem ex Adelheide regina regem eligi fecit, et ipse Italiam cum exercitu petit. Signum in sole apparuit.

962. Otto rex Romam veniens, a Johanne seu Octaviano papa imperator coronatur, ipseque papam pro sceleribus suis arguens, minime eum potuit corrigere.

963. Imperator natalem Domini Papiæ moratus, iterum Romam venit, pro sceleribus Johannis papæ dijudicandis. Set eodem Johanne imperatorem in Campaniam fugiente, in ejus locum a Romanis et imperatore vir venerabilis Leo VIII papa 134us ordinatus est.

964. Romani Leonem papam expellunt, mortuoque Johanne papa priore, Benedictus diaconus a Romanis, nolente imperatore, ordinatur, sui nominis quintus, papa 135us, et sedit mens 2. Et civitas ab imperatore obsessa est et tanta fame oppressa, ut modius furfuris 30 veniret denariis. Nec multo post dedita urbe traditoque Benedicto, imperator Leonem papam restituit, et Romanos ei fidem per sacramenta promittere coegit.

965. Imperator de Italia redit, et Burchardus dux Suevorum in Italia rebelles imperatori vicit.

966. Romæ defuncto Leone, Johannes XIII^{us}, prius Narniensis episcopus [243], papa 136us, sedit annis plus minus 7.

968. Eclipsis solis 11 Kal. Decembris facta.

969. Hoc tempore Johannes papa a quibusdam multum afflictus exilio, vix tandem a quodam Johanne suæ sedi restituitur.

970. Otto imperator Romam veniens, injurias domni papæ in auctoribus scelerum graviter vindicavit.

971. Sanctus Oudalricus episcopus infirmus, Adalberoni, sororis suæ filio, episcopatum suum ab imperatore impetravit.

A 972. Synodo apud Ingelenheim ab episcopis collecta, beatus Oudalricus episcopus et Adalbero transgressionis canonum accusantur; set caussa sua dicta et excusata, absoluti discesserunt. Romæ Benedictus VI, papa 137us, sedit ann. 1, mens. 10.

973. Adalbero clericus, futurus ut sperabatur episcopus obiit. Otto imperator Nonis Maii subito mortuus, apud Parthenopolim, id est Magedeburg, ubi ipse archiepiscopium [244] fecerat, sepultus est, et filius ejus Otto regnavit pro eo. Sanctus Oudalricus Augustensis episcopus migravit ad Dominum, anno ætatis 83° episcopatus 50°, quarto Nonas Julias. Burchardus dux Alemanniæ obiit, et Otto, filius Liutolfi, paternum pro eo ducatum recepit.

974. Romæ Benedictus papa a Romanis criminaB tus strangulatur, et eo vivente Bonifacius papa ordinatur; sed post unum mensem expulsus, Constantinopolim petit; et Benedictus VII, Sutriæ prius episcopus, papa 138us, sedit annis 9. Constantiæ Chounradus sanctæ memoriæ episcopus, 6 Kal. Decembris hac vita decessit, cui Ganenolfus [245] successit.

976. Dissensio inter Ottonem regem et Heinricum ducem Bajoariæ commota est.

977. Discordia inter Ottonem ducem Sueviæ et Heinricum ducem Bajoariæ [246].

978. Otto rex contra Lotharium regem in Gallias duxit exercitum.

979. Constantiæ Gamenolfus episcopus obiit, eique Gebehardus nobilis præsul succedens, 16 annis C rexit ecclesiam; qui basilicam sancti Gregorii in ripa Rheni abbatiamque suis ex prædiis construxit.

981. Otto rex, peragrata Italia, Calabriam cum exercitu ingreditur.

982. Otto rex apud Calabriam, occiso a Grecis et Saracenis exercitu, de navi exiliens in qua captus erat, aufugit (cf. ALPERTUM). Otto dux Suevorum obiit, et Chounradus sibi successit.

983. Otto rex Romæ infirmatus, 6 Idus Decemb. obiit, et in porticu sancti Petri sepelitur.

984. Otto tercius, secundi Ottonis ex Greca conjuge filius, adhuc puer pro patre regnavit. Romæ Johannes XIV, qui et Petrus, Papiæ prius episcopus, papa 139us, sedit mens. 8, eumque Bonifacius, prius relegato Benedicto, male ordinatus, de Constan-D tinopoli quo fugerat reversus, comprehendit, et eum ut perhibent toxicavit, ejusque sedem 140us papa invasit.

985. Romæ Bonifacius VII, postquam undecim mensibus invasam sedem occupaverat, subita morte periit, et mortuus a suis cesus, confossus et triviatim pedibus tractus, vix tandem clericis miserantibus est humatus.

986. Romæ Johannes XV, papa 141us, sedit annis 10, mensibus 7; qui clericos suos parvipendens, odio ab ipsis est habitus.

987. Fames magna est facta.

VARIÆ LECTIONES.

[243] ordinatus est. 3. *reliqua desunt.* [244] archiepm 1. [245] *ita* 1. [246] commota est *repeti* 3.

991. Theophanu Greca imperatrix, mater Ottonis regis, obiit.

992. [247] Aquisgrani in generali synodo coram legatis Johannis papæ sancitum est, ut quatuor ebdomadis ante natalem Domini, et a septuagesima ante pascha, et 14 diebus ante festum sancti Johannis Baptistæ, nullus secularia placita agere aut conjugium contrahere præsumat (1278).

994. Counrado regi Burgundiæ defuncto, successit Roudolfus filius [248] ejus in regnum.

995. Heinricus dux Bajoariæ obiit, cujus ducatum filius ejus ejusdem nominis obtinuit. Constantiæ Gebehardus episcopus venerabilis obiit, et in basilica sancti Gregorii papæ a se constructa sepultus quiescit; eique Lampertus monachus in episcopatu succedens, præfuit annis 23.

996. Otto rex Italiam cum exercitu petit, sibique rebelles coartavit.

997. Otto rex, subactis rebellibus, Italia Romaque potitus est. Et Gregorius V, qui et Bruno, filius Otonis ducis, papa 142us ordinatus, et Otto ab eo imperator coronatus est. Qui venerabilis papa canonicam ibi disciplinam reparare satagens, sedit annis tribus, mensibus 9. Augiæ Alawicus abbas 26us promotus, Romæ ab ipso papa consecratus et privilegio donatus est. Counradus dux Alamannorum obiit, et pro eo Herimannus ducatum accepit

999. Otto imperator iterum Italiam cum exercitu [249] invadit.

1000. Romæ defuncto Gregorio papa, Silvester II qui et Gerbertus, primo Remorum, post Ravennatum archiepiscopus, seculari literaturæ nimium deditus, et ob hoc curioso imperatori admodum amatus, papa 143us sedit annis 5.

1001. Otto imperator Italiam sibi quaquaversum subditam lustrat.

1002. Otto imperator in Italia 10 Kal. Feb. obiit, anno regni 18°, et intestina ejus Augustæ, reliquum vero corpus ejus Aquisgrani sepelitur. Pro quo Heinricus dux Bajoariæ rex effectus, regnavit annis 23.

1003. Heinricus rex Heinricum marchionem et alios sibi resistentes exercitu petit. Argentina a Herimanno duce Alemanniæ, regi rebellante, spoliata et divinitus in auctores sceleris graviter vindicatum est, et ab ipso duce sacro loco satisfactum.

1004. Heinricus rex Italiam petens, sibi eam subjecit; Papiam ipsa die qua coronatus et irrumpens, gladio et igne perdomuit. Inde in Saxoniam rediens, Boemiam et Bolizlaum ducem Sclavorum cum tota gente sua subjugavit.

1005. [250] Romæ post Gerbertum Johannes XVI, papa 144us, ordinatur sedit anno uno.

1006. Romæ Johannes XVII, qui et Fasanus, papa 145us ordinatur, et sedit annis sex [251].

1007. Heinricus rex summo studio apud castrum suum Babenberg dictum, nobilem et divitem construxit episcopatum [252], primusque ibi hoc anno episcopus promotus est Eberhardus.

1008. Augiæ remoto Ymmone abbate crudeli, Bern vir doctus et pius, Prumiensis monachus, Augiæ abbas constituitur; qui grataanter susceptus, et a Constantiensi episcopo Lamperto abbas ejus loci 29us consecratus, pietate et scientia clarus, præfuit annis 40.

1009. [253] Romæ Sergius IV, papa 146us, ordinatur.

1011. Willigisus Mogonciacensis archiepiscopus obiit, eique Erchenbaldus successit.

1012. Chounradus dux Carentani moriens, Adalberoni ducatum reliquit. Herimannus dux alemanniæ obiit, cujus ducatum Ernust accepit.

1013. Romæ defuncto Sergio papa, Benedictus VIII, papa 147us, sedit annis ferme 12.

1014. Heinricus rex Romæ imperiali benedictione a Benedicto papa coronatur.

1015. Ernust dux Alemanniæ in venatu ab Adalberone comite feram appetente, sagitta vulneratus, interiit, et ducatum ejus filius equivocus, viduam vero ejus Giselam Counradus, Heinrici filius, imperator postea futurus, accepit. Megingaudus Trevirorum archiepiscopus obiit, pro quo Poppo.

1017. Gotefridus, dux partis Lotharingorum, Gerhardum comitem bello vicit.

1018. Constantiæ Lamperto episcopo defuncto, Roudhardus præfuit annis ferme 5.

1019. Chrounradus, filius Chrounradi quondam ducis Carentani, Adalberonem ducem apud Ulmam pugna victum fugavit.

1020. Benedictus papa ab imperatore invitatus, Babenberg venit, ibique æclesiam sancti Stephani dedicavit.

1021. Heribertus Coloniæ Agrippinæ archiepiscopus, vir magnæ sanctitatis, hac vita discedens, multis miraculis claruit; cui Piligrinus successit. Erchenbaldo quoque Mogonciacensi archiepiscopo defuncto, Aribo succesit. Heinricus imperator in Italiam expeditionem movit.

1022. Heinricus imperator Campaniam petens, Troiam, Noapolim, Capuam, et ceteras civitates in deditionem accepit; et Nordmannis quibusdam, qui tempore ejus illo confluxerant, quoddam, ut ferunt,

VARIÆ LECTIONES.

[247] *hæc alio atramento inserta.* [248] f. e. i. r. *desunt* 3. [249] exercertitu *c.* [250] Fames magna facta est. Johannes XVI papa 3. *vitio typographi.* [251] a. sex *eodem atramento additum* 1. [252] in honore S. Georgii martyris *addit.* 3. [253] *hæc alio atramento exarata et anno* 1010. *adscripta, linea ejusdem atramenti anno* 1009. *adsignantur* 1. *anno* 1009. *adscripta* 2. *anno* 1010. 3.

NOTÆ.

(1278) Acta hujus synodi perierunt et hinc tantum innotuerunt.

illis in partibus territorium concessit, sicque ipse per Romam victor rediit in Germaniam. Roudhardus Constantiensis episcopus obiit. Pro quo Heimo ferme annis [254] præfuit. Notkerus quoque magister de Sancto Gallo obiit.

1023. Ratisponæ post Gehebardum episcopum, virum laude dignissimum, alter Gehebardus inthronizatur.

In [255] hoc ano convenit sinodus Mogontiaci (1279), in qua constitutum est, ut plebs christiana 14 dies ante festum sancti Johannis a carne et sagimine abstineat, nisi infirmitate cogente, aut festivitate, quæ in illo episcopio celebris habetur. Similiter 14 dies ante natalem Domini. Item ibi constitutum est, ut vigilia epiphaniæ, vigilia omnium sanctorum, vigilia assumptionis sanctæ Mariæ, vigilia sancti Laurentii jejunentur, ita ut una refectionis hora admittatur.

1024. Romæ defuncto Benedicto, frater ejus Johannes XVIII, ex laico papa 148us, sedit annis ferme 9. Heinricus quoque imperator, 3 Idus Julii absque filiis diem obiens, apud Babenbergensem episcopatum a se constructum, quem omnium prædiorum et thesaurorum suorum reliquerat heredem, in basilica sancti Petri sepelitur; habitoque conventu apud villam Kambam, Chounradus senior, filius Heinrici, rex promotus, ab Aribone archiepiscopo Mogonciaci unctus est, 6 Idus Septembris. Nec multo post uxor ejus Gisela a Piligrino archiepiscopo Coloniæ regina benedicitur, 11 Kal. Octobris.

1025. Rebellio contra Counradum regem a Counrado ejus patruele et Ernusto duce Alemanniæ et aliis quam pluribus est facta.

1026. Rex Counradus Italiam petens, totam pene sibi subjugavit ex hac parte Romæ. Constantiæ post Heimonem episcopum Warmannus præfuit, annis ferme 8.

1027. Counradus rex Romam perveniens, a Johanne papa in die sancto paschæ imperator coronatur. Inde in Alemanniam reversus, apud Ulmam Ernustum ducem et Counradum, se illi dedentes, exilio deputavit.

1028. Heinricus filius imperatoris, Aquisgrani rex electus, a Piligrino Coloniense archiepiscopo in die sancto paschæ est unctus.

1029. Brun Augustensis episcopus obiit et Eberhardum accepit successorem.

1030. Ernust dux exilio relaxatus, iterumque imperatori rebellans, cum multis aliis occiditur 16 Kal. Septembris.

1031. Aribo Mogonciaci archiepiscopus obiit. Cui Bardo monachus, vita et habitu venerandus, successit.

A 1032. Roudolfus rex Burgundiæ ignavus obiit, et Counrado imperatori diadema suum transmisit. Cujus regnum Odo, sororis suæ filius, princeps Gallicæ Campaniæ, invasit. Bern abbas Augiæ, missis Romam cenobii sui privilegiis, a Johanne papa item privilegium cum sandaliis, ut episcopalibus indumentis missas ageret, accepit. Unde a Warmanno Constantiense episcopo apud imperatorem quasi sui pervasor officii accusatus, eo usque ab utrisque coartatur, donec idem cum sandaliis privilegium ipsi episcopo traderet, publice in sinodo sua, id est in cena Domini sequentis anni, incendendum. Ipso anno Bouchaugiense cenobium 2 Idus Junii [256] incendio flagrat.

1033. Imperator Odonis provinciam Gallicam [257]
B invadens Campaniam, tam diu vastavit, donec ipse Odo supplex adveniens, satisfactionem licet ficte promitteret. Romæ defuncto Johanne, Benedictus IX, qui et Theophilactus, papa 149us, licet tanto ordini indignus, sedit annis plus 12.

1034. Imperator Burgundiam petens, sibi eam subjecit. Constantiæ Warmanno episcopo defuncto, successit Eberhardus. Meginhardo Wirziburgensi episcopo Brun, filius Mathildis successit.

1035. Sinodus magna apud Triburiam ab imperatore collecta est.

1036. Piligrino Coloniensi archiepiscopo Herimannus, Gebehardo secundo Ratisponensi episcopo defuncto tercius Gebehardus successit. Heinricus rex, filius imperatoris, Chunihildem, Gnutonis Da-
C norum et Anglorum regis filiam sibi apud Noviomagum regalibus nuptiis copulavit uxorem. Leutizi Sclavi imperatori vectigales facti. Imperator hieme Italiam petit.

1037. Imperator Papiam adiens, Heribertum Mediolanensem archiepiscopum, infidelitatis accusatum in custodiam misit; qui fuga elapsus, cunctis viribus imperatori rebellare contendit. Imperator Mediolanum obsedit, et circumquaque quælibet ad rebelles pertinentia devastavit. Odo princeps Gallicæ Campaniæ a Gozzilone Lotharingorum duce pugna victus fugiensque, a quodam milite occiditur.

1038. Imperator cum natalem Domini Parmæ ageret, orto tumultu inter Parmenses et exercitum,
D utrimque multi, set ex Parmensibus plures, ceciderunt, et ipsa civitas incendio comsumpta est. Papa archiepiscopum Mediolanensem imperatori rebellem excommunicavit. Chunihildis regina, uxor Heinrici regis, 17 Kal. Augusti, et Herimannus dux Alemaniæ 5 Kal. Augusti, cum multis aliis in Italia obierunt. Stephanus rex Ungariorum bonæ memoriæ obiit, qui seipsum cum tota gente sua ad fidem Christi convertit; pro quo Petrus regnavit.

VARIÆ LECTIONES.

[254] *deest*. 1. 2. [255] In — admittatur *in margine postea addita, eadem tamen manu* 1. [256] JAN. *corr.* JUN. 1. Julius 3. [257] galliam 1. 2. *sed. v. infra a.* 1037.

NOTÆ.

(1279) Potius Saligenstadi, haud procul Moguntia et Francofurto; cf. Vitam Meinwerci c. 178.

1039. Counradus imperator 3 Nonas Junii obiit. Pro quo Heinricus rex filius ejus regnavit.

1040. Heinricus rex ducem Boemiæ bello petit, set multis proceribus et militibus in præstructione silvæ citra et ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit [258], Eberhardo primo Babenbergensi episcopo defuncto, Suidegerus successit.

1041. Ungarii quendam Ovonem sibi regem constituentes [259], Petrum regem suum expellunt. Qui profugus et exul, Heinrici regis gratiam, cui priori anno rebellaverat, querit et invenit. Heinricus rex Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaque cuncta devastat, et rebellem ducem obsides dare, et ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coartat [260].

1042. Ovo Ungariorum tyrannus, cum Bajoariæ fines devastaret, maxima pars exercitus ejus ab Adalberto marchione bello devicta periit. Heinricus rex Pannonias petens, urbes munitas delevit, et plures deditione subjecit. Et dum Petrum regem suum recipere nollent, ducem eis quendam præfecit; quem statim post ejus discessum Ovo in Bœmiam repulit.

1043. Heinricus rex iterum Pannonias petens, ab Ovone, vix pactum impetrante, suscepta satisfactione et muneribus discessit. Inde in Alemanniam veniens, in sinodo Constantiensi cunctis qui contra eum deliquerant omne debitum ipse dimisit. Hocque et alios suis debitoribus facere adhortans, inauditam multis seculis pacem effecit. Post hæc Agnetem Willihelmi Pictaviensis filiam accipiens, et Mogonciaci reginam ungui faciens, regales apud Ingelenheim nuptias celebravit. Ibi Liutpaldus, Adalberti marchionis filius, obiit.

1044. Gozzilo dux Lotharingorum moriens, Gozziloni filio suo, quamvis ignavo, ducatum suum a rege Heinrico promissum reliquit. Set alter filius ejus Gotefridus, jamdudum dux, cum ducatum fratri debitum a rege obtinere nequisset, pio regi rebellare præsumit. Heinricus rex parvo exercitu contra gravissimam Ungariorum gentem [261] fortiter pugnavit, et vicit. Ovonem tyrannum fugavit, et Petrum expulsum pristinæ dignitati restituit. Postea vero Petrus in regno confortatus, eundem Ovonem cum uxore et filiis comprehensum, decollavit. Magna vis famis homines immunda animalia comedere coegit [262]. Romani [263] Benedictum papam pro [264] sceleribus [264] suis [264] expellunt, et quendam Silvestrum papam 150um [264] temere [264] constituunt; quem tamen Benedictus papa postmodum quorundam auxilio expellit; ipseque suæ sedi redditus, sponte [265] a papatu
A discessit, et Gratianum, nomine Gregorium VI, papam 151um, pro se ordinari permisit, anno Domini 1046.

1045. Otto Palatinus comes, dux Alemanniæ constituitur. Petrus rex Ungariorum, Heinrico regi ad se invitato, regnum Pannoniarum tradidit; quod tamen ab eo ipse, dum viveret possidendum, recepit. Brun Wurziburgensis [266] episcopus obiit, 7 Kalend. Junii. Gotefridus dux ad deditionem regi veniens, in custodiam mittitur. Leutici se regi dedunt, et solitum censum promittunt. Guntharius heremita ad Christum migravit, et in Braga, Boemiæ urbe [267] sepultus quiescit.

1046. Rex Aquisgrani in pentecoste Gotefrido duci, e custodia relaxato, ducatum reddidit; et Widgero Ravennæ præsuli, nimium creduli, nondum
B consecrato, episcopatum abstulit. Ungarii regem suum Petrum oculis privant, et pro eo quendam Andream regem statuunt. Heinrico regi cum expeditione in Italiam venienti, Gratianus papa, nomine [268] sextus [268] Gregorius [268], quem Romani expulsis prioribus statuerant, Placentiæ obvians, honorifice suscipitur; qui tamen postmodum apud Sutriam in synodo non [269] invitus pastorale officium deposuit [269]. Pro quo Suidegerus Babenbergensis episcopus nimium reluctans, omnium consensu eligitur. In tempore [270] hujus apostolici innumerabiles terræmotus et maximi in Italia facti sunt, et hoc fortasse ideo, quia idem apostolicus non canonice subrogatus est antecessori suo, non canonice deposito; videlicet quem
C nulla culpa deposuit, set simplex humilitas ab officio cessare persuasit [270]. Eberhardus Constantiensis episcopus Romæ obiit, pro quo Theodericus.

1047. In ipso natalis Domini die Suidegerus papa 152us [271] ex more consecratus, Clemens II est vocatus; sedit mensibus novem. Qui mox ipsa die Heinricum regem cum conjuge sua Agnete imperiali benedictione sublimavit. Hunfridus Ravennæ efficitur archiepiscopus; Beneventani cives, socrum imperatoris de monte Gargano reversam male tractantes, imperatori rebellant. Imperator corpus beati Widonis, Pomposiæ abbatis, de Parmænsi civitate Spiram secum transtulit. Poppo Treverorum archiepiscopus obiit, pro quo Heberhardus. Gotefridus
D dux et Balduwinus de Flandris imperatori rebellant. Item Theodericus de Phladirtinga [272] marchio rebellat imperatori; contra quem imperator exercitum movens, parum profecit. Clemens, qui et Suidegerus papa, 7 [273] Idus [273] Octobr. [273] obiit. Gotefridus dux inter alia quæ contra regem fecit, Viridunensem civitatem combussit; cujus ducatum imperator Adalberto cuidam tradidit.

VARIÆ LECTIONES.

[258] *ita et* 4. 4b. 5. [259] eligentes 4. 4b. [260] *ita et* 4. 4b. 5. [261] *deest*. 1. 2. [262] Magna — coegit *hæc et* 4. 5. *habent*. [263] Romani — MXLVIo, *in margine postea adscripta* 1. [264] *alio atramento adjecta* 1. [265] sponte — MXLVI. *alio atramento adjecta*. 1. [266] *ita* 1. 3. [267] *deest* 3. [268] *addita* 1. *desunt* 3. [269] non — deposuit *in loco raso* 1; *cf. diversum ab hoc Herimanni textum*. [270] In — persuasit *in margine addita* 1. [271] CLI. *corr*. CLII. 1. [272] *in loco raso* 1. [273] *addita* 1.

1048. Imperator Ottonem de Suinvurt Suevis ducem constituit. Sanguis Domini apud urbem Mantuam, ut creditur, divina per quendam cæcum revelatione invenitur. Bern abbas Augiensis, vir doctrina et moribus insignis, obiit; cui Oudalricus successit. Poppo Brixiensis episcopus ab imperatore electus, Romam mittitur, et honorifice susceptus, papa 153us [274] ordinatur, nomine Damasus II, et [275] sedit 30 dies. Heinricus imperator et Heinricus rex Galliarum convenientes in Metensi territorio, pacem inter se juramento confirmant. Gotefridus Adalbertum ducem occidit; cujus ducatum Gerhardo imperator dedit[276].

1049. Imperator Chounradum ducem Bajoariæ constituit, et Gotebaldum Aquileiæ patriarcham post Heberhardum nuper defunctum, promovit. Nonnulli principes et episcopi Phladirtingam intrantes. Theodericum pugna victum occidunt, et provinciam illam imperatori subjiciunt. Brun Leucorum, id est de Tullo[277], episcopus, ab imperatore electus, Romam mittitur, et papa 154us [278] nonus Leo vocatur, et sedit annis quinque. Qui in proximo pascha Oudalricum Romæ Augiensem consecravit abbatem, et monasterii ejusdem privilegia, a sede apostolica tradita, confirmavit et innovavit. Idem papa Romæ synodum, maxime contra symoniacam heresim, celebravit. Hic [279] in plenaria synodo constituit ut Romanorum presbiterorum concubinæ extunc et deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ. Emptiones et venditiones altarium sub anathemate prohibuit. Imma [280] obiit anno dominicæ incarnationis 1049, 2 Nonas Aprilis. Odilo Cloniacensis abbas venerabilis migravit ad Dominum. Kal. Januar. [281] Gotefridus et Balduwinus reconciliantur imperatori.

1050. Domnus papa synodum Romæ post pascha collegit, in [282] qua heresim Beringarianam, nuper ad apostolicam sedem delatam, damnavit. Item in autumno sinodum Vircellis [283] collegit, in qua eandem heresim anathematizavit [282] (1280). Quo tempore Agnes imperatrix filium imperatori peperit.

1051. Imperator natalem Domini apud Goslare egit, et multos ex principibus filio suo jurejurando fidem promittere fecit. Hunfridus Ravennas archiepiscopus, domno [284-285] papæ apud Augustam reconciliatur. Post pascha synodum Romæ collegit Leo papa, ubi Gregorium Vercellensem episcopum, propter quoddam adulterium et perjuria perpetrata, absentem et nescientem excommunicavit. Quem tamen post Romam venientem et satisfactionem [286] promittentem, priori officio restituit. Eadem æstate

A Bardo, venerabilis Mogonciaci archiepiscopus 3 Idus Junii defunctus, multis claret miraculis; pro quo Liutpaldus. Constantiæ Theoderico episcopo defuncto, successit Rumaldus. In autumno imperator regnum Ungariæ devastavit. Hoc tempore Touta, nobilis et religiosa vidua, Bouchaugensi et Lindaugensi cœnobiis abbatissa ab imperatore præficitur.

1052. Imperator Goslare natalem Domini agens, quosdam ibi hereticos Manicheos, omnis esum animalis execrantes, consensu omnium, ne heretica scabies serperet in plures, in patibulo suspendi fecit. His diebus Bonifacius [287], Italiæ marchio ditissimus, Beatricis nobilissimæ comitissæ maritus, a duobus militibus sagittis toxicatis vulneratus, moritur, et Mantuæ honorifice sepelitur. Reliquiæ beati Zenonis

B confessoris, a Waltario Veronense episcopo in Alemanniam ad villam Ulmam allatæ, plurimis claruere miraculis [288].

1053. Imperator cum domno papa natalem Domini Wormatiæ egit. Ubi cum papa sicut dudum ceperat Fuldensem abbatiam aliaque nonnulla loca et cenobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab imperatore reposcens exegisset, demum imperator pleraque in Ultraromanis partibus ad suum jus pertinentia, pro Cisalpinis illi quasi per concambium tradidit. Eique contra Normannorum violentiam propulsandam auxilia delegavit. Ea siquidem gens a temporibus prioris Heinrici imperatoris in partes Calabriæ, Samniæ, Campaniæque

C confluxit. Et quia indigenis contra Grecorum et Sarracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur, primo gratanter accipitur. Postea vero pluribus eorum ad uberem terram concurrentibus, viribus adaucti, ipsos indigetes et res eorum violenter possedere. Unde domnus papa cum plurimis Teutonicorum Romam rediens, post pascha contra Nordmannos exercitum movit. Set exercitu ejus partim fugato, partim occiso a Nordmannis, ipse papa in quodam castello ab eis obsessus, expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset; acceptus ab eis, Beneventum cum honore tamen reducitur. Ibique, ne rediret, aliquamdiu detinetur. Imperator Heinricus habito conventu apud Tribu-

D riam, filium equivocum regem a cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit. — Hazilinus etiam, Babenbergensis episcopus, infamis moritur.

1054. Imperator Adalberonem consobrinum suum, in villa Otinga, ubi natalem Domini egit, Babenbergensi æclesiæ præfecit. Domnus papa tandem, in-

VARIÆ LECTIONES.

[274] CLII. *addito* I. 1. [275] et s. XXX d. *addita* 1. [276] *hic nonnulla erasa sunt* 1. [277] *supra lineam* 1. *desunt* 3. [278] CLIII. *add.* I. 1. [279] Hic — prohibuit *in margine addita* 1. [280] Imma — April. *in marg. postea addita* 1. [281] IIII. Non. *corr. postea* Kal. 1 IIII. Kal. 2. 3. [282] in — anathematizavit *in loco raso* 1. [283] *ita hic* 1. 2. 3. [284-5] domnæ 1. 2. [286] *in loco raso* 1. [287] bonefacius 2. [288] *post hæc locus adrasus* 1. *cui olim fortasse* Constantiæ basilica sanctæ Mariæ corruit *ex Herimanni chronico inscripta erant; hodie, quæ supra* col. 1280, *lin.* 34—40. *transcripsi, ibi et in margine leguntur.*

NOTÆ.

(1280) Eadem fere iisdem verbis in Bernoldi opere de Berengarii damnatione multiplici leguntur. Uss. Prodr. II, 432.

stante pascali tempore, Romam reversus, egrotans, glorioso exitu, cunctis prius benedicens et admonitis valedicens sanctoque Petro peccata sua confessus et devote se illi commendans, 16 Kal. Maii obiit, et in basilica sancti Petri juxta sepulcrum sancti Gregorii sepultus, miraculis claruisse memoratur. Pro quo Gebehardus, Victor II nominatus, papa 155us [289], sedit [290] tribus annis. Huic (1281) subdiaconus toxicum in calicem misit; quem cum ipse post consecrationem levare vellet, nec posset, a Domino cau- A sam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur; statimque toxicator ejus a demonio arripitur. Ita igitur causa manifestata, domnus papa calicem cum sanguine dominico cuidam altari jussit includi, et pro reliquiis in perpetuum conservari. Deinde iterum cum populo tandiu ad orationem prosternitur quousque subdiaconus a demonio liberaretur. Balduinus imperatori rebellat. Gotefridus, dux clam ingressus Italiam, domnam Beatricem, viduam Bonifacii marchionis, sibi in conjugium copulavit.

PARS ALTERA GENUINA

(AN. 1055-1100.)

MLV.

Imperator Italiam visitat, et prædictam Beatricem inde abduxit captivam, quippe multum moleste ferens, duci Gotefredo esse copulatam. Velf dux Carinthiorum obiit.

MLVI [291].

Victor papa misso Hildebrando tunc archidiacono, set postea apostolico, sinodum Turonis generalem collegit, in qua Beringarius Andegavensis æclesiæ canonicus, a quo Beringariana heresis denominatur, sinodaliter et præsentialiter pro eadem heresi examinatur. Qui cum se defendere non posset, heresim suam coram omnibus anathematizavit et abjuravit, secundum formam quam sancta et universalis sinodus Ephesina prescripsit (1282-83).

MLVII [292].

Heinricus imperator filium suum, jam regem factum, principibus regni commendans, obit 3 Non. Octobris. Pro quo Heinricus filius ejus, admodum puer, cum matre sua Agnete cepit regnare. Romæ post Victorem Fridericus, frater Gotefridi ducis, dudum beatæ memoriæ Leonis papæ archicapellanus, ex clerico monachus factus, postea abbas in monte Cassino promotus, Stephanus nonus nomen B adeptus, papa 156us [293] præfuit novem mensibus [294]. Hic (1284) omnes Romanos clericos ab æclesiastico conventu separavit, qui post interdictum beati Leonis papæ incontinentes extiterant. Sic enim piæ memoriæ (1285) Petrus Damiani, cardinalis episcopus, in literis [295] suis testatur.

MLVIII.

Romæ post Sthephanum quidam Benedictus contra canones privata quorumdam gratia ordinatus, sine consecratione mensibus septem [296] præfuit æclesiæ. Qui a Gotefrido duce expellitur, et Gerhardus Florentiæ episcopus, secundus Nicolaus vocatus, papa 157us [297], præfuit annis fere tribus. Qui constituit, ut qui tunc a symoniacis essent gratis [298] C promoti, ministerio suo permitterentur uti. Deinceps autem quicunque a symoniacis ordinarentur, nichil tali promotione lucrarentur. Hunc etiam papam Petrus Damiani, piæ memoriæ episcopus, ad corrigendam juxta canones clericorum incontinentiam, provocavit (1286).

MLIX.

Fridericus et fratres [299] ejus de Glichberga [300] (1287) Heinrico regi rebellant.

VARIÆ LECTIONES.

[289] CLIIII. *corr. alio atramento* CLV. [290]. sedit III an. *in loco raso. Hinc usque ad initium anni* 1057. *scripta in loco raso littera minuta, eadem tamen manu. anno circiter* 1092. *inserta sunt. Quid deletum sit, dubitatur. Fortasse quædam ad laudem Herimanni Augiensis scripta erant; in necrologio saltim eodem fere atramento, hæc ad d.* 8. *Kal. Oct. leguntur* : Heremannus doctor egregius obiit, *et in libello de canonum auctoritate hæc scribit* : Chronica quam domnus Heremannus egregius calculator et temporum solertissimus indagator ex diversis chronicis et historiis diligentissime composuit, quæ usque ad MLIVum dominicæ incarnationis annum fideliter perduxit. (*Usserm. Prodr. II. p.* 340.) *Sententia quam Urstisius hoc anno post* demonio liberaretur *exhibet* : Herimannus Wolferadi comitis filius, etc. *usque* sepultus est *ex Sangallensi Bertholdo assumpta est, quam videsis supra.* (*Patrol.* t. CXLVI, ad an. 1080.) *Textus anterioris vestigia in Gottwicensi et Murensi Bertholdo annis* 1055 — 1057. *superesse videntur.* [291] *hæc littera minuta scripta sunt, eadem tamen manu* 1. [292] *fortasse numerus* MLVI. *postea in* MLVII. *mutatus est* 1. [293] CLV. *corr* CLVI. 1. [294] *quæ sequuntur, postea eadem tamen manu addita sunt* 1. [295] ltis |1. [296] m. VII. *inserta paulo post* 1. [297] CLVII. *corr. alio atr.* CLVIII. 1. [298] *vox circiter anno* 1092. *addita* 1. *deest* 4. 4b. [299] frater 3. [300] l *jam* i *apparet* 1.

NOTÆ.

(1281) Eadem iisdem verbis apud Lambertum ad an. 1054 (*Patrol.* t. CXLVI.) leguntur.

(1282-83 *Victor*) — *Beringarius* et *qui cum* — *præscripsit* Bernold., opusc. ult., num. 3, 5.

D (1284) v. Petri Dam. ep. IV, 3 ad Cunibertum.

(1285) Obiit a. 1072.

(1286) Similia leguntur Bernold., col. 1066.

(1287) Gleyberg prope Giessen.

MLX [301].

Romæ Nichholaus papa generali sinodo præsidens, Beringærium [302] præsentialiter et sinodaliter pro heresi sua iterum examinavit; qui tandem quasi conversus, libros suæ hereseos coram sinodo concremavit, et eandem heresim ut prius jurando anathematizavit (1288).

MLXI.

Romæ Nicolao papa defuncto 6 Kalend. Augusti, Romani Heinrico regi, ejusdem nominis quarto, coronam et alia munera mittentes, de summi pontificis electione regem [303] interpellaverunt. Qui generali concilio Basileæ habito, imposita corona a Romanis transmissa, patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio, Romanorumque legatis eligentibus, Chadelo Parmensis episcopus 7 Kalend. Novembris papa eligitur et Honorius appellatur, papatum [304] nunquam possessurus. Set vicesima septima die ante ejus promotionem, Lucensis episcopus, nomine Anshelmus, a Nordmannis et quibusdam Romanis papa 158us [305] ordinatus, Alexander vocatus, sedit annos 12. Qui satis strenue symoniacam heresim destruxit, et ministris altaris cum conjugibus coire, juxta canonum statuta cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos clericorum aperte incontinentium officia audire, per bannum prohibuit; sicque clericorum incontinentiam satis prudenter refrenavit. Hujus autem constitutionis maxime fuit auctor Hildebrandus, tunc Romanæ æclesiæ archidiaconus, hereticis maxime infestus.

MLXII.

His temporibus fames magna fuit. Magna dissensio facta est inter imperatricem Aguetem et Gundharium Babenbergensem episcopum.

MLXIII.

Heinricus rex exercitum in Pannoniam movens, Salemonem, filium Andreæ regis, in regnum patris sui restituit. Heinricus Augustensis episcopus obiit, pro quo Imbrico. Cedes magna Coslare contigit in æclesia rege præsente.

MLXIV [306].

Magna seditio orta est inter Adalbertum Haminburgensem archiepiscopum et principes regni.

MLXV [307].

Domus regalis Goslari [308] concremata est. Eodem anno, ab incarnatione Domini 1065, quando (1289) et pascha celebratum est 6 Kalendas Aprilis, in qua A die et Christus resurrexit, in tertia die paschalis ebdomadæ, 4. Kalend. Aprilis indictione tercia, rex Heinricus anno regni sui 9°, ætatis suæ 14°, accinctus gladio in nomine Domini. Pataviensis [309] episcopus obiit; cui Altmannus imperatricis capellanus successit. Hoc tempore Sigifredus Mogontiacensis archiepiscopus, et Gundharius Babenbergensis episcopus, et Otto Ratisponensis episcopus, et Willihelmus Trajectensis episcopus, cum magna multitudine Jerusalem profecti, in eo itinere a paganis multa sunt perpessi. Nam et bellum cum eis inire sunt coacti [310]. In eodem itinere Guntharius obiit. Cui Ricimannus [311] symoniace successit.

MLXVI [312].

B Multi nobiles bello civili perierunt. Cometæ sunt visæ in octavis paschæ, 9 Kal. Maii, et per 30 dies apparuere. Eberhardus Treverensis archiepiscopus, 17 Kalend. Maii, sabbato sancto paschæ, completis a se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace. Cui Chonradus Coloniensis præpositus debuit succedere; set a civibus non est electus. Unde quidam comes, nomine Theodericus, eundem Chonradum ad urbem Trevirorum tendentem comprehendit, et diu sub custodia maceratum, quatuor militibus necandum commisit; qui dum eum ter per quoddam præcipitium [313] dejecissent, et nil sibi nisi brachium collidere possent, unus ex illis penitentia ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem volens eum decollare, C maxillam ejus tantum abscidit; et sic ipse Deo dignus martir ad Dominum migravit. Passus est autem Kal. Junii, anno ab incarnatione Domini 1066, regni vero Heinrici 10, sepultus apud abbatiam nomine Doleiam. Tres autem milites mortis hujus servi Dei auctores digna ultio postmodum subsecuta est. Nam unus eorum acceptum cibum degluttire non valens, alii duo manus suas lacerantes, ad claustra inferni descenderunt [314]. Udo post interfectum Chounradum præsul Trevirensis constituitur. Nuptiæ Heinrici regis.

Item cometa visa est. His temporibus venerabilis Petrus Damiani, ex heremita cardinalis episcopus, multa conscripsit, et incontinentiam sacerdotum D satis rationabiliter in scriptis suis confutavit, ordinatos autem a symoniacis, ut aiunt, nimium clementer tractavit [315]. Hugo Bizantiensis archiepisco-

VARIÆ LECTIONES.

[301] *totus annus* 1060. *priori textu eraso, circa a.* 1092. *minori littera insertus est* 1; *cf. textum codicis* 4^{b}. *supra in Bertholdo p.* 271. [302] beringærium 1. *e addito.* [303] *supra lin. add.* 1. [304] p. n. p. *in marg. addita post obitum ut videtur Kadalai, de quo certi nil constat; post annum tamen* 1073. *cf. Affo storia di Parma T. II. habentur etiam in* 2. 3. 4. 4^{b}. [305] CLVII. *addito* 1. *alio atramento* 1. [306] *narratio hujus anni deest* 3. [307] MLXIIII. 3. [308] *ita* 1. 2. 4. 4^{b}. goslare 3. [309] P. e. o. c. A. i. c. s. *in margine alio atramento* 1. *sed adsunt etiam in* 2. 3. 4. 4^{b}. 5. [310] *reliqua anni alio atramento addita sunt* 1. [311] rizimannus 2. [312] MLXV. 3. [313]. peipium 1. [314] *hic numerum anni* MLVI. *inserit* 3. [315] *reliqua anni alio atramento postea addita sunt* 1. *sed adsunt etiam in* 2. 3. 4. 4^{b}.

NOTÆ.

(1288) Eadem fere opusc. ult., num. 1. Acta Conc. ap. Mansi XIX, 897.

(1289) Non intendit, Christum in Paschate resurrexisse, sed Pascha hoc anno die 27 Martii evenisse, quo die Dominicam resurrectionem factam esse credebant veteres; unde et eodem die in antiquis Kalendariis passim notatur *Resurrectio Domini*, uti et die 25 Martii *Incarnatio et passio Domini*. Dis-

pus obiit (1290). Cui ejusdem æclesiæ canonicus (1291) a fratribus electus, a rege substituitur.

MLXVII.

Saxonia civili laborat discordia. Nordmanni Romam adire voluerunt hostiliter. Burchardus Halberstetensis episcopus Leuticorum gentem viriliter devastavit [316]. Heinhardus Spirensis episcopus in itinere Romano obiit. Cui Heinricus successit.

MLXVIII.

Heinricus [317] rex adolescentiæ suæ errore seductus, legitime conjugis adeo obliviscitur, et tam nefandis criminibus involutus esse diffamatur, ut etiam principes ejus eum regno privare molirentur. Totus ille annus pluvialis.

MLXIX.

Pax et reconciliatio in populo, in natali Domini apud Goslare, regali edicto sub sacramento sunt confirmatæ. Heinricus rex gentem Leuticorum devastat. Dedo marchio Saxonicus regi Heinrico rebellat; set postmodum coactus ad deditionem venit. Oudalricus abbas Augiensis obiit, pro quo Meginhardus. Constantiæ Rumaldus episcopus obiit; cui Karolus per symoniacam heresim in episcopatu successit. Gotefridus dux inter seculares excellentissimus, et in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lacrimarum facillimus, in erogatione elimosinarum largissimus, in vigilia natalis Domini satis laudabili fine requievit in pace [318].

MLXX.

Francia civili laborat discordia. Otto dux Bajoariæ regi Heinrico rebellat, et Magnus, filius Ottonis ducis Saxoniæ aquilonialis. Set rex prædictum Ottonem, cum legitime ad satisfactionem vocatus nollet venire, ducatu privavit. Meginhardus sponte dereliquit Augiensem abbatiam; post quem quidam Roudpertus indigne eidem abbatiæ præfectus, digne postmodum est expulsus (1292). Hiemps ventosa et pluvialis.

MLXXI.

Welf dux Bajoariæ efficitur. Heinricus rex multas insidias passus, viriliter omnes transivit. In pentecoste (1293) Otto, jampridem dux Bajoariæ, cum sociis suis regi Heinrico ad deditionem venit sua sponte, anno ab incarnatione Domini 1071, regni autem Heinrici 15, ætatis vero ejus 30, indictione 9, tercia feria ejusdem ebdomadæ, 18 Kalend. Julii. Karolus qui Constantiensem episcopatum symo-

A niace [319] acquisivit, quique thesauros ejusdem æclesiæ, utpute sacrilegus fur, in suos usus dispersit; habito concilio Mogonciaci, ex præcepto papæ Alexandri, prædictus Symonis discipulus, nondum consecratus deponitur, quippe cum a clericis Constantiensibus ibidem accusatus, objecta negare non posset. Cui successit Otto in episcopatum (1294).

MLXXII.

Heinricus rex pene sine difficultate bellorum sibi reluctantes superavit. Petrus Damiani, piæ memoriæ cardinalis episcopus, jam dudum mundo crucifixus, migravit ad Dominum, 8 Kalend. Martii [320] (1295). Cui domnus Geroldus, revera monachus, scientia scripturarum insignis, et moribus prædecessori suo

B non impar, in episcopatum successit. Adalbertus Haminburgensis sive Bremensis archiepiscopus obiit. Cui Leobmarus [321] successit. Rex multa sibi munitissima castella construxit in partibus Saxoniæ et Thuringiæ, et multas sibi munitiones injuste usurpavit; unde multorum animos contra se excitavit.

MLXXIII.

Roudolfus dux Alemanniæ, et Bertholfus dux Karinthiorum, et Welf dux Bajoariæ, a rege Heinrico discesserunt; qui aliis subintroeuntibus consiliariis, suum consilium apud regem non valere perspexerunt. Theodericus comes penitentia ductus pro facinore quod in beatum Chounradum Trevirensibus præsulem deputatum commisit, licet multa pericula obstarent, ardenti tamen fide cum aliis multis Jero-

C solimam cepit ire. Qui cum mare navigio intrarent, subita tempestate circumventi, statimque obtenebrata die quo irent incerti, celesti lumine sepius exhilarantur. Deinde non jam mortem in periculis timentes, set vitam æternam præmeditantes, marinis fluctibus emundati a peccatorum sordibus, migraverunt ad Dominum, 13 Kalend. Martii: quippe Theodericus comes, Widerolt, Marcuart, cum aliis 113. Romæ Alexander papa decessit. Pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ æclesiæ archidiaconus, communi omnium consilio expetitur papa constituendus. Quo audito ipse archidiaconus, se viribus esse imparem tanto honori, immo oneri, reputans, inducias respondendi petiit, et sic fuga elapsus, aliquot dies ad Vincula sancti Petri occul-

D tatus latuit. Set tandem vix inventus, et ad apostolicam sedem vi perductus, papa 159us [322] ordinatur 7 Kalend. Maii [323], et Gregorius VIIus appellatur [324].

VARIÆ LECTIONES.

[316] *reliqua anni alio atramento in margine adjecta sunt* 1. *sed habentur etiam in* 2. 3. 4. 4b. [317] *prima linea in loco raso* 1. *at eadem in reliquis habentur.* [318] in p. *paulo post addita* 1. *desunt* 3. [319] symoniacæ *corr.* symoniace 1. [320] VII. K. M. *supra lin. addita* 1; *et adsunt in reliquis.* [321] leothmarus 2. leomarus 3. [322] CLVII. *addito* 1 *alio atramento* 1. [323] VII Kal. Maii *alio atramento Bernoldi tamen manu addita* 1. *adsunt* 3. *desunt* 2. 4. 4b. [324] *Hucusque Bernoldus primo scripsisse, dein anno* 1074. *quæ jam sequuntur addidisse videtur.*

NOTÆ.

tinguebant ergo scriptores medii ævi diem Paschæ quolibet anno variantis a die resurrectionis in Kalendariis ad d. 27 Martii fixo. Uss.

(1290) Die 27 Julii; cf. Dunod. Hist. de l'Eglise, ville et diocèse de Besançon I, p. 104, sqq.

(1291) Hugo II.

(1292) Gregor. Regist. I, 82.

(1293) D. 12 Jun.

(1294) Mansi, t. XX, p. 10.

(1295) In Necrologio obitum ejus diei 9 Kal. Mart. assignat Bernoldus.

Cujus prudentia, non solum in Italia set etiam in Teutonicis partibus, refrenata est sacerdotum incontinentia. Scilicet quod prædecessor ejus in Italia prohibuit, hoc ipse in tota catholica æclesia prohibere studuit. Tota Thuringia et Saxonia regi Heinrico rebellant, propter prædictas munitiones et alia multa quæ contra voluntatem ejusdem populi rex in eorum regione fecit inconsulte. Eggehardus tandem abbas Augiensis efficitur, et a prædicto papa Romæ consecratur.

MLXXIV.

Heinricus rex absentibus sui regni principibus eo pacto pacificatur cum Saxonibus, ut munitiones prædictæ destruerentur, propter quas seditio orta est, quæ et postea sunt destructæ. Roudolfus dux et ceteri reconciliantur regi. Hoc tempore legati sedis apostolicæ in Alemanniam ad regem venere, pro [325] ipsius regis moribus corrigendis. In quorum manus se rex ipse sub correctionis sponsione commisit, suumque auxilium domno apostolico ad deponendos symoniacos firmissime promisit. Ipsi etiam regis consiliarii omnes res æclesiarum injuste acquisitas se reddituros, coram eisdem legatis sub sacramento promisere; quippe qui easdem res a symoniacis emerunt, consilio suo eosdem indignos ad æclesiasticum honorem adjuvando. His ita dispositis, legati sedis apostolicæ redierunt [326] (1296). Heremannus marchio, filius [327] Bertaldi ducis, Cluniaci angelicam vitam perfectissime arripiens [327], adhuc adolescens, uxore et unico filio et omnibus quæ possederat derelictis [328], vere monachus, migravit ad Dominum, 7 Kalend. Maii (1297).

MLXXV.

Heinricus rex nativitatem Domini Argentoraci fecit. Expeditionem in Saxoniam ordinavit. Heremannus Babinbergensis episcopus, a clericis suis [329] pro simoniaca heresi accusatus, a papa deponitur, cui Roubertus substituitur. Gregorius papa in prima epdomada quadragesimæ sinodum Romæ collegit (1298), in qua causam Heinrici [330] Spirensis episcopi, set simoniaci, examinavit. Qui ipsa die cum examinaretur causa ejus Romæ, id est 6 Kalend. Marcii, infirmatus est Spiræ, sed deinde 4 Kalend. Martii miserabiliter expiravit, quando et a Gregorio papa diffinitam suæ damnationis sententiam in Romana sinodo excepit (1299). In eadem sinodo decretum est a Gregorio papa, ut clerici aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium precio adepti, deinceps in æclesia non ministrent, non æclesiam precio adquisitam aliquis retineat, nec deinceps alicui æclesiam vendere vel emere liceat. Deinde ut a clericali officio cessent, quicumque se per incontinentiam reprehensibiles exhibent. Item, ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos prædictas apostolicas institutiones contemnere percipiat (1300). Rex Wormatiæ pascha celebravit, post pentecosten exercitum in Saxoniam promovit, in qua expeditione innumerabilis multitudo 5 Idus Junii juxta flumen nomine Unstrout utrimque ceciderunt, et multi ex Saxonibus regi ad deditionem venerunt. Detwinus Leodicensis episcopus decessit; cui Heinricus successit. Anno venerabilis Coloniensis archiepiscopus, miræ sanctitatis, requievit in pace 2 Nonas Decembris; cui Hiltolfus, impar genere et moribus, successit.

MLXXVI.

Rex natalem Domini Goslarie celebravit, ibique quosdam jurare compulit, ut filium ejus post ipsum eligerent ad regnum. His temporibus rex Heinricus per symoniacam heresim sanctam æcclesiam fedare non cessavit, scilicet pro precio episcopatus, abbatias, et alia hujusmodi investiendo, et inter alia crimina etiam excommunicatis communicando. Cintius [331] quidam Romanus civis, Gregorium papam in die natalis Domini missarum solemnia celebrantem comprehendit; quem ita comprehensum quidam ex militibus ejusdem Cintii occidere destinavit. Set cum gladium super caput ejus libraret, nimio terrore correptus corruit, nec inceptum ictum explere potuit. Cintius autem papam in turrim suam captum eduxit, quæ statim a Romanis penitus dilapidatur, et papa prudenter eripitur, qui et suo captori vix a Romanis vitam impetravit. Cum autem rex sepius jam dudum a papa præmonitus se corrigere nollet, et papa in admonendo nil proficeret, ad ultimum mandavit ei, quod in Romana sinodo tunc proxima eum excommunicaturus esset, nisi resipisceret. Quæ legatio in octavis Domini ad regem pervenit. Unde rex (1301) in septuagesima [332] apud Wormatiam colloquio facto, et alio in Longobardia apud Placentiam, omnes quos potuit obedientiam prædicto papæ exhibendam abjurare fecit, et missa le-

VARIÆ LECTIONES.

[325] p. i. r. m. c. *in loco raso eadem tamen manu* 1., *et adsunt in reliquis.* [326] *hinc inde aliud atramentum* 1. [327] f. b. d. *et* a. v. p. a. *in loco raso* 1. *sed eadem, manu et adsunt in reliquis.* [328] is *in loco raso* 1. [329] a. cl. s. *desunt* 2. [330] *deest* 3. [331] Cintius—celebrantem *in loco raso, sed eadem manu* 1. [332] LXXma *ap* 1.

NOTÆ.

(1296) Gregorii VII, Regist. I, 85; II, 30.

(1297) 6. *Kal. M.* Necrol. Bernoldi.

(1298) Mansi XX, p. 443.

(1299) Cf. eadem fere verba in epistola de damnatione schismaticorum ap. Ussermann Prodr. II, p. 268 et apologiam pro Gebhardo Const. ep. ibid., p. 379-382 : *Ut autem damnatorias sententias nostri apostolici et ipsius principis apostolorum super Ananiam et Saphiram pari efficacia pollere non dubites, damnationem Spirensis episcopi et mortem ejus studiose consideres*, etc. Reliqua habes supra hujus voluminis col. 1170.

(1300) Apolog. decret. Greg., col. 1107.

(1301) Cf. epistolam de damnatione schismaticorum col. 1169, ubi e. g. hæc leguntur : *Anno igitur dominicæ incarnationis* 1076, *Gregorio VII papa in apostolica sede constituto*, Reliqua vide hujus voluminis col. 1169.

gatione ad Romanam sinodum, quæ in proxima quadragesima celebrata est (1302), ipsum apostolicum ab apostolica sede contumaciter jussit descendere (1303). Set missi ejus turpissime in sinodo tractati, vix a Romanis, adjuvante papa, evaserunt. Ipsum autem regem, sinodo indicante, fidelitate hominum, regno et communione privavit, et omnes ei ad regnum juratos juramento absolvit. Omnesque episcopos, qui regi sponte contra papam faverant, officio et communione privavit; reliquis autem, qui inviti eidem conspirationi intererant, usque ad festivitatem sancti Petri indutias dedit (1304). Gotefridus dux, filius Gotefridi ducis, particeps immo auctor supradictæ conspirationis, turpiter a quodam coquo per posteriora cum ad necessarium sederet vulneratus, ante [334] medium [334] quadragesimæ [333] expiravit. Item Willihelmus Trajectensis episcopus, multa in apostolicum conviciatus, subitanea morte, absque æclesiastica communione post [334] pascha [334] multatur; cui Conradus subrogatur. Jam omnes pene principes regni a communione Heinrici se sequestrarunt. Mense igitur Octobri colloquium apud Openheim a principibus regni colligitur, cui legatio sedis apostolicæ interfuit. Ibi Heinricus, in purificationem sanctæ Mariæ tunc proximam se præsentandum domno papæ apud Augustam firmissime promisit. Nam et illuc domnum apostolicum ipse cum principibus regni invitavit. Frater Kadalaus ex seculari milicia conversus, ad Opinheimense colloquium legationem papa detulit, quam eidem multum egrotanti papa in remissionem omnium peccatorum imposuit. Expleta igitur legatione frater Kadalaus suscepto monachi habitu, sub evangelica perfectione requievit in pace.

MLXXVII.

Dux Bolenorum (1305) se in regem coronavit. Maxima nix totum regnum a 2. Kalend. Novemb. anni prioris, usque in 7 Kalend. Aprilis anni præsentis obtinuit. Heinricus rex dictus, propriæ causæ diffidens et idcirco generalem audientiam subterfugiens, furtive Italiam contra papæ præceptum et concilia principum intravit, et apostolico ad condictum diem Augustam tendenti, ante purificationem sanctæ Mariæ Canusii [334] obviavit (*Jan.* 28). Ubi et ab eo per inauditæ humiliationis simulationem, utcumque potuit, non regni, set communionis tantum concessionem vix demum extorsit, dato tamen prius sacramento, ut de objectis criminibus ad judicium papæ satisfaceret, nec papæ vel alicui ejus fideli usquam eunti vel redeunti aliquam molestiam inferri consentiret. Hoc autem juramentum nec 15 dies observavit, captis venerabilibus [335] episcopis, Geraldo Ostiensi [336], et Anselmo Lucensi.

A Unde et papa missis legatis principibus regni declaravit, se parum profecisse, in eo quod illum in communionem receperit, cum omnes [337] symoniaci vel excommunicati non minus tunc foverentur ab eo quam pridem. His ergo auditis, princeps regni generali colloquio apud Forecheim 3 Idus Martii habito, egregium ducem Roudolfum sibi in regem sublimarunt, quem in 7. Kal. Aprilis, ubi eo anno medium quadragesimæ occurrit, Mogontiæ [338] coronarunt. Maxima autem nix, quæ eo anno tamdiu totam terram obtexit, in electione novi regis resolvi tandem incepit. In die autem consecrationis ejus per suggestionem simoniacorum clericorum maxima seditio Mogontiæ orta est, ita ut etiam palatium irrumpere vellent, et religiosissimos cle-
B ricos et monachos occidere. Sed dextera Dei milites novi principis, licet inermes, ita protexit, ut nullum nisi unum ex suis perderent, ex adversariis autem plus quam centum partim ferro partim aqua necarent. Quibus etiam pro homicidiis hujusmodi a legatis apostolicæ sedis talis penitentia imposita est, ut singuli aut 40 dies jejunarent, aut 40 pauperes semel pascerent, nec tamen æcclesiasticam communionem quasi homicidæ vitarent. Roudolfus rex post consecrationem in Sueviam secedens, regnum sibi subjugavit. Interim Heinricus Longobardiæ morabatur, ad quem Cincius, civis Romanus, secum ducens captum venerabilem Cumanum episcopum, nomine Reginaldum, Papiam venit, quippe remunerari a Heinrico volens, eo quod in servitium ejus hunc modo episcopum et in præterito anno domnum apostolicum captivaverat; set ibi subitanea morte præventus, debitam remunerationem accepit, quam
C tot sacrilegiis promereri non timuit. Heinricus [339] audita promotione Roudolfi, auxilium papæ contra illum imploravit, licet supradictum Ostiensem episcopum in captione adhuc teneri permiserit. Unde et papa illi respondit, se non posse ejus interpellationi satisfacere, quamdiu apud illum sanctus Petrus in legato suo ligatus [340] teneretur. Frustrata igitur supplicatione sua, animum in tirannidem convertit, nec regnum jam per justiciam, set per violentiam obtinere cogitavit. Rex autem Roudolfus apud Augustam gloriosissimum pascha celebravit (*Apr.* 16) cum legatis apostolicæ sedis. Ex quibus unus, religiosissimus scilicet abbas Bernardus, Romam dirigitur set ab Oudalrico comite (1306), Hein-
D rici complice, captus et prædatus, annum pene dimidiavit in captivitate, quem Cluniacensis abbas de manibus Heinrici vix demum eripuit. Rex [341] autem post pascha generale colloquium apud Ezzelingin cum principibus regni collegit, quo soluto, ipse cum admodum paucis ad obsidendum quoddam castel-

VARIÆ LECTIONES.

[333] noctis 3. [334] *supra lin.* 1. [335] venerabibus 1. [336] ostiense *corr.* ostiensi 1. [337] *deest* 3. [338] *deest* 3. [339] H. rex 2. [340] legatus *corr.* ligatus 1. [341] R. 2.

NOTÆ.

(1302) Mansi XX, 467.
(1303) Vide col. 1169.
(1304) *Officio — dedit.* Ibid., p. 220.
(1305) Boleslaus II.
(1306) *de Lentzburg* addit. 3.

lum perrexit. Set ecce ex improviso emulus ejus Heinricus cum maxima multitudine Boemiorum et Bajoariorum advenit, quos cum rebus æcclesiarum derepente sibi comparare potuit; quibus libentissime rex cum ipsis paucis quos eo tempore habuit obviasset, si non principes ejus hoc in aliud tempus differendum cautius judicarent. Heinricus igitur accepta occasione, omnia circumquaque præda, ferro, et igni non cessavit devastare, homines quoque more pecudum captivare [342]. Nam fautores ejus ex Boemia, homines libentius quam pecudes prædabantur, ut eos usque ad satietatem suæ libidini inhumanæ prostituerent, et postea inhumanius eos Cinocephalis devorandos venderent. Rex autem Roudolfus, celebrato pentecoste apud cellam sancti Aurelii (*Jun.* 4) (1307), legatum quendam ad apostolicum direxit, et ipse in Saxoniam properavit. Eo tempore Heinricus imposita sibi corona apud Ulmam, interdictum regnum usurpavit; ubi et prædictum comitem Oudalricum, ut [343] optime promeritum, inbeneficiavit, eo quod venerabilem abbatem Bernardum, apostolici legatum, adhuc in captione cruciaret. Vercellensis quoque episcopus, depositi regis cancellarius, cum omnibus suis sequacibus generale colloquium circa Kalendas Maii in Runcalibus condixit, ut si aliquo modo posset, Gregorium papam deponeret. Sed ipse ad eundem terminum absque æcclesiastica communione vitam simul et episcopatum heu miserabiliter deposuit, quo ille papam nefaria præsumptione statuit deponere.

Non multo post ejus interitum præfectus Romanæ urbis, indefessus miles sancti Petri contra scismaticos, a quodam Heinrici fautore crudeliter occiditur. Ad cujus corpus in parvo tempore plus quam viginti miracula contigerunt, ut fidelium virorum relatione didicimus. Imbrico Augustensis episcopus, qui in præterito pascha Roudolfo regi fidelitatem juravit, nil de perjurio curans, Heinrico advenienti adhesit, et apud illum quadam die missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, ut sacræ oblationis perceptio in judicium ei proveniret, si dominus ejus Heinricus regnum sibi injuste usurparet. Post hanc temerariam perceptionem parvo tempore quod supravixit usque ad mortem, nunquam se sanum de lecto levavit. Nam circa Kalendas Julii absque æcclesiastica communione defunctus est. Item Sigehardus Aquileiensis patriarcha, in auxilium Heinrici contra bannum apostolici armata manu veniens, in amentiam vertitur apud Ratisponam, et ipso itinere repentina morte intercipitur; sicque domum non sine aliquibus suorum funeribus, in corpore et anima mortuus, reportabatur. Augusto mense jam pene transacto, Heinricus cum scismaticorum multitudine procinctum [344] in Saxoniam promovere decrevit (*Aug.*), cui Roudolfus rex [345] cum Saxonibus usque Herbipolim obviam processit, et eandem urbem, sibi rebellantem, obsedit; quo dum fideles ejus ex Suevia properarent, in Heinricum ejus emulum offenderunt, qui a facie eorum secedens, plus quam centum homines in una æclesia, id est apud Wizinloch [346] (1308), sibi resistentium, concremavit sicque ultra Renum fugiens, ab incepto itinere fideles regis divertere non potuit. Eo tempore papa utrique regi ex parte sancti Petri præcepit ut treuvas ad invicem facerent, et adventum ejus ad Teutonicas partes pro dirimenda lite non impedirent, sed debitum consilium et auxilium ad hoc iter ei præberent. Legatis autem suis, qui adhuc in Teutonicis partibus morabantur, præcepit, ut ex duobus regibus illum excommunicarent, qui prædictæ legationi non obediret, obedientem vero ex parte sancti Petri in regno confirmarent. Quod et non multo post factum est (*Nov.*); scilicet in die sequenti post festivitatem sancti Martini, Goslariæ, Heinrico pro inobedientia iterum excommunicato et Roudolfo pro obedientia in regnum sublimato, Nam Heinricus prædictam legationem papæ nec suscipere dignatus est, nec animum ad treuvæ compositionem, set ad tyrannidis crudelitatem intendit [347]. Geraldus venerabilis Ostiensis episcopus, de [348] quo supra commemoravimus, jam dudum Deo [349] vivus, mundo crucifixus, de hujus vitæ ergastulo liberatus est, 8 Idus [350] Decembris. Agnes religiosissima imperatrix, jam [351] 20 annis in viduitate [352] Deo devotissime serviens, nec filio suo Heinrico contra apostolicam sedem in aliquo consentiens, Romæ requievit in pace 19 Kal. Januar [353]. Sepulta Romæ in æcclesia sanctæ Petronillæ.

MLXXVIII.

Heinricus iterum apostolicæ sedi de sua quasi injusta damnatione conquæritur. Unde Gregorius papa facto concilio mense Martio (1309) * idoneos legatos iterum destinavit, qui facto generali colloquio, causam regni juste determinarent : et omnes sinodali sententia damnavit, quicumque impedirent, ne colloquium fieret. Quod Roudolfus libentissime voluit fieri; Heinricus autem, utcumque potuit, illud

* In hoc concilio facta est exceptio quarundam personarum de Heinriciana excommunicatione, et hoc utique ad tempus, id est uxorum, filiorum, servorum et reliquorum, qui non scienter vel saltim non libenter excommunicatis sociantur *in margine addita* 1. *desunt* 2. *habentur in* 3. *post* Martio.

VARIÆ LECTIONES.

[342] h. q. m. p. c. *desunt* 3. [343] ut o. p. *in loco raso eadem tamen manu postea incerta* 1. [344] p. movit in Saxoniam, cui 2. [345] *deest.* 2 [346] i ap. Wizinloch *supra lineam eadem manu scripta* 1. *desunt* 3. [347] *Quæ sequuntur, in margine littera minori addita sunt* 1. 2. [348] de q. s. c. *desunt* 2. [349] sclo *corr.* do 1. deo 2. seculo 3. [350] VIII. ID. 1. IX. Idus 3. [351] i. dudum XX, 2. [352] viduate 1. [353] 19. K. I. *desunt* 3.

NOTÆ.

(1307) Hirschau.
(1308) Wisloch.
(1309) Mansi XX, 503.

impedire non cessavit. Nam contra præceptum apostolici maxima multitudine flagiciosorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit, cui rex Roudolfus apud Strowe cum exercitu obviavit : et illo fugato, ipse campum victoriæ obtinuit, 7 Idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Roudolfi Wecel, venerabilis Magideburgensis episcopus, et Wormaciacensis episcopus captus est. Infinita autem multitudo utrimque occubuit : plures tamen et excellentiores ex parte Heinrici. Eodem tempore, cum Alemanni facto exercitu ad dominum suum regem [354] Roudolfum properarent, pene 12 milia conjurati populi transitum Nectaræ [355] fluvii illis prohibentia partim occiderunt, plurimos autem misericordius castigando eunuchizaverunt. Deinde quandam munitionem inimicorum facto impetu occupaverunt. Roudolfo igitur in Saxoniam reverso, Heinricus derepente recollectis viribus, Alemanniam præda, ferro et igni, circa festivitatem omnium sanctorum devastavit Terram [356] videlicet catholicorum ducum Berthaldi atque Welfonis et aliorum sancti Petri fidelium penitus dissipare aggressus est. Tunc quoque parum minus quam centum ecclesiæ in [357] illa expeditione violatæ sunt. Eodem etiam tempore ex parte Roudolfi Bertaldus Carinthiorum dux, piæ memoriæ, et Heinricus marchio, obierunt in pace. Facto autem alio concilio Romæ, 13. Kal. Decemb. (1310) utriusque regis legati licet non eadem veritate in synodo juravere, quod domini eorum non impedierint [358] colloquium pro causa regni statuendum. Unde et papa ea vice inter eos judicare non potuit : quamvis bene sciret, cui parti magis justicia faveret. In sinodo ista Beringarius Andegavensis [359] canonicus, ut [359] ab [359] heresi [359] sua [359] resipisceret [359], sinodaliter [359] convenitur [359], eique induciæ usque ad proxime futuram sinodum conceduntur (1311).

MLXXIX.

Gregorius papa sinodum Romæ mense Februario collegit (1312), in qua Beringarius [359] jam [359] tercio [359] convictus [359] heresim [359] suam [359] abjuravit [359] et [359] anathematizavit [359] quæ asserit : corporales res in altari positas non [359] vere [359] sed [359] figurate tantum in corpus et sanguinem Domini transire (1313). In eadem sinodo Heinricus Aquilejensis patriarcha papæ juravit, nulli se deinceps communicaturum, quem sciret a papa excommunicatum [360]. In hac sinodo papa presbyteros deinceps in fornicationem lapsos absque spe recuperationis deposuit [360], et scriptum quod dicitur sancti Oudalrici ad papam Nicolaum de nuptiis presbiterorum, et capitulum Pafnutii de eadem re, immo omnia sacris canonibus adversa, damnavit. In hac sinodo legati regis Roudolfi super Heinricum proclamaverunt, eo quod totum regnum confundere et sanctam ecclesiam conculcare non cessaret. Iterum igitur papa legatos suos pro causa regni determinanda ad Teutonicas partes destinavit, videlicet venerabilem Petrum Albanensem episcopum, Petrum inquam illum, qui jam dudum Florentinum episcopum, nomine Petrum, probavit symoniacum : quippe per medium ignem transiens absque lesione, unde et igneus cognomine, Albanensem episcopatum promeruit obtinere. Cum quo et Oudalricus Paduanus episcopus in legationem destinatur. Legatus autem Heinrici, legatos [361] papæ priusquam abirent in eadem sinodo jurejurando securos fecit de conductu et obedientia domini sui. Item legatus Roudolfi de obedientia domini sui in sinodo juravit. Legati igitur sedis apostolicæ in Teutonicam terram pervenientes, obedientiam Roudolfi et inobedientiam Heinrici indubitanter probaverunt; quod et [362] postea [362] cum [362] redirent [362], papæ [362] viva voce protestati sunt. In hac æstate venerabilis abbas Massiliensis Bernardus, vir plenus caritate, requievit in pace, 13 Kalendas Augusti [363]. Doctor Adelbertus, facto verboque disertus, jam 30 annis mundo crucifixus, et in fine ad evangelicam perfectionem perductus, migravit ad Dominum, 3 Nonas Decembris.

MLXXX.

Iterum Heinricus post epiphaniam cum exercitu in Saxoniam venire disponens, a Roudolfo 6. Kalendas Februarii [364] fugatur, nec tamen ab incepta tirannide compescitur; de qua expeditione Roudolfus legatum statim Romam ad sinodum [365] direxit. Gregorius papa sinodum Romæ Martio mense collegit, ad quam de Teutonicis partibus prædicti sedis apostolicæ legati redierunt, et omnimodam Roudolfi obedientiam et Heinrici inobedientiam domno apostolico renunciaverunt. Unde ipse in fine sinodi [366] Heinricum deposuit, ipsumque cum omnibus suis fautoribus anathematizavit, et Roudolfum apostolica auctoritate in regia dignitate confirmavit (1314). Unde emulus [367] ejus [367] congregata multitudine omnium scismaticorum sive excommunicatorum, apud Briximam (1315) legitimum papam abjuravit

VARIÆ LECTIONES.

[354] *deest* 2. [355] neccari 3. [356] T. — aggressus est *in loco raso* 1. [357] i. i. e. *in loco raso* 1. [358] *corr. ex* impedirent 1. [359] *in loco raso, littera minori scripta* 1. [360] In — deposuit *in loco raso littera minori scripta* 1. [361] l. p. p. a. in e. *in loco raso littera minori scripta* 1. [362] *in loco raso littera minori scripta* 1, [363] XIII K. Aug. *supra lin.* 1. [364] VI. K. Febr. *supra lin.* 1. [365] ad s. *in loco raso littera minori* 1. [366] H. —anathematizavit *in loco raso litt. min.* 1. [367] *supra lineam abjecta* 1.

NOTÆ.

(1310) Mansi XX, 507.
(1311) Cf. Bernoldi librum De Berengarii damnatione, p. 435.
(1312) Mansi XX, 525.
(1313) Bern., De Bereng. damn., p. 435.
(1314) De facta in eodem concilio damnatione Ottonis episcopi Constantiensis v. Bernoldi apologiam pro Gebehardo episcopo apud Uss. II, 381, cf. acta concilii Mansi XX, p. 531.
(1315) V. Mon. Germ. Legg. II, 51.

(*Jun.* 25), et Guibertum, Ravennatem [368] quondam episcopum, set jam triennio a papa Gregorio inrecuperabiliter depositum [368] et anathematizatum (1316), sibi non in papam, set in heresiarcham elegit [368]. Deinde apud Magontiam conventu facto, eandem ipsam electionem a quibuscumque potuit confirmari fecit. Jam autem mediante Octobri, Heinricus expeditionem in Saxoniam iterum parans, a militibus Roudolfi itinere unius diei fugatur, quamvis in eadem congressione Roudolfus rex piæ memoriæ occubuerit (*Oct.* 15). Ille, inquam, alter Machabeus cum inter primos hostibus instaret, in servitio sancti Petri occumbere promeruit, et postea uno die superstes, omnibus suis rite ordinatis, ad Dominum migrasse non dubitatur Idibus Octobris. Regnavit autem tres annos et dimidium. De cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, et maxime pauperes, doluerunt. In cujus animæ [369] commendationem Saxones innumerabiles elimosinas fecerunt. Erat enim procul dubio pater patriæ, servantissimus justiciæ, indefessus propugnator sanctæ æclesiæ. Sepultus est autem apud Merseburc gloriosissime. Eodem die decessionis ejus in Longobardia milites prudentissimæ [370] ducis Mathildæ fugantur ab exercitu pene totius Longobardiæ, apud Vultam prope Mantuam. Ipsa [371] quoque die Gisilbertus religiosissimus presbiter et monachus et Roudolfi regis ad papam legatus, Longobardiæ requievit in pace. His temporibus Heinricus totam Italiam adeo conturbavit, ut nullus secure ad limina apostolorum posset ire, qui non prius abjuraret, quod ad papam Gregorium diversurus non esset.

MLXXXI.

Heinricus post obitum Roudolfi regis Veronam in pascha venit, et inde ad invadendam Romam (1317), cum suo non apostolico, set apostata Guiberto, utputa domni apostolici non semel perjuro et [372] anathematizato [372], profectus est, set inacte [373] reversus est. Eodem tempore principes regni Teutonicorum, scilicet archiepiscopi, episcopi, duces, marchiones et comites, conventu facto, Heremannum nobilem virum sibi in regem elegerunt; qui statim de eodem conventu aciem contra fautores Heinrici direxit. Ipsi enim electionem ejus impedire volentes, eodem tempore maximam multitudinem contraxerunt; set novo rege ex improviso irruente, omnes penitus aut cede prostrati sunt, aut inrevocabiliter fugati, licet regiis militibus se insequentibus non parvo præstarent numero. Quapropter rex de divino auxilio tali triumpho certificatus, eadem nocte in campo victoriæ castra metatus est, et postea ad subjugandum sibi regnum digressus est. Electus est autem ante festivitatem sancti Laurentii, et in sequenti die post festivitatem ejusdem sancti, de inimicis triumphavit in confinio Bajoariæ, in loco qui dicitur Hostete (1318). Postea in Saxoniam consecrandus discessit.

MLXXXII.

Heremannus rex natalem Domini gloriosissime celebravit Goslarie; ibi etiam in festivitate sancti Stephani, eo quod patronus ejus fuerit, regiæ dignitatis unctionem et coronam, principibus regni annitentibus, ab episcopis sollemniter accepit. Heinricus autem in Italia, assumpto apostata suo Guiberto, iterum Romam invasurus proficiscitur, adunata multitudine scismaticorum; ibique ea æstate moratus pene incassum laboravit, nisi quod milites suos quibusdam castellis, ut facerent werram Romanis, imposuit, quia eum nec hac vice Romam intrare permiserunt. Ignem quoque in domum sancti Petri per quendam traditorem immittere voluit, set Dei misericordia protegente non potuit. Cogitavit enim, ut de improviso portas irrumperet [374], si Romani derelictis propugnaculis ad incendium restinguendum concurrerent; unde ignem domibus quibusdam Sancto Petro contiguis immitti fecit. Set domnus apostolicus huic versutiæ obviavit; nam primum viso incendio, omnes milites Romanos [375], ad propugnacula defendenda transmisit, ipseque solus fiducia sancti Petri fretus, facto signo [376] crucis contra [376] incendium [376], ignem progredi ulterius non permisit. Igitur Heinricus capto venerabili episcopo de Sutria (1319), aliisque nonnullis, suoque apostata Guiberto in Tiburtina urbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur. Heremannus autem rex multum de adversitate sedis apostolicæ dolens, eamque de manibus Heinrici liberare volens, expeditionem in Italiam paravit [377], unde et de Saxonia in Sueviam venit.

MLXXXIII.

Heremannus rex natalem Domini in Suevia cum principibus regni satis honorifice celebravit. Inde cum exercitum in Longobardiam promovere vellet, molesta sibi legatio de Saxonia venit; quippe quod Otto dux prudentissimus miles obierit, quem in Saxonia pro capite [378] omnium suorum reliquit; in

VARIÆ LECTIONES.

[368] ravennatem *usque* depo *in loco raso*, situm *usque* elegit *in marg. litt. min.* 1. [369] anmæ 1. [370] entissimæ ducis *in loco raso litt. min.* 1. [371] *ita* 1. [372] *supra lineam addita* 1. [373] inacte 3. [374] irrumperent *deleto postea* n 1. irrumperent 2. [375] romonas *corr.* romonos 1. [376] *supra lineam addita* 1. [377] *ita* 1. præparavit 2. [378] capitaneo 2.

NOTÆ.

(1316) Eadem verba legimus in ep. Gebehardi arch. Salisb. ad Herimannum Metensem ap Hugonem Flav. Mansi XX, 542. De Guiberto cf. Gregorii Reg. VIII, 5, 7, 12, 13, 14.

(1317) Cf. Greg. epist. ad ep. Pataviensem Reg. IX, 3, et ad Desiderium abbatem Canensem Reg. IX, 11.

(1318) Hochsted ad Danubium.

(1319) Est Bonizo. Uss.

cujus obitu maximum scisma futurum non dubitaret [379], nisi hujusmodi scisma anticipare maturaret. Hac igitur necessitate, postposita expeditione, Saxoniam festinanter redire compellitur. Iterum Heinricus cum multitudine scismaticorum sive excommunicatorum ante pentecosten Romam impugnaturus [380] aggreditur, et domum Sancti Petri in sabbato infra epdomadam pentecostes armata manu aggreditur. Sicque [381] Guibertum Ravennatem, perjurum, depositum et anathematizatum, apud Sanctum Petrum intronizavit, non per Ostiensem, et Albanensem, et Portuensem episcopos, qui hoc privilegium habent, ut papam consecrent; sed per Mutinensem et Aritiensem [382] exepiscopos, utpote jam multis annis depositos et anathematizatos. Statim igitur juxta Sanctum Petrum quendam monticulum, nomine Palaceolum (1320), incastellavit, eique milites multos, ut impugnarent Romanos, imposuit, qui [383] eum Transtiberinas regiones urbis nullo pacto intrare permittebant. Multi tamen jam ex Romanis Heinrico consenserant, partim precio inducti [384], partim multis promissionibus seducti, omnes autem æqualiter jam trienni [385] impugnatione nimium fatigati. Quid plura? Omnes pene Romani, præter principem Salernitanum, hoc cum Heinrico laudaverunt, ut papa Gregorius sinodum in medio Novembri colligeret Romæ, cujus sinodi statuta de causa regni nec Heinrico, nec Romanis, immo nulli penitus liceret prævaricari. Heinricus quoque ituris ad illam sinodum et redituris securitatem jurejurando fecit. Unde et papa omnes religiosos episcopos et abbates ad sinodum literis suis vocavit. Reverso igitur Heinrico Longobardiam, milites ejus quos in castello illo prope Sanctum Petrum dimisit, repentina mors pene omnes invasit, inter quos et Oudalricus de Gosczezheim [386] absque æclesiastica communione [387], heu! miser interiit, auctor hujus scismaticæ conspirationis et incentor. Ex 300 autem militibus, qui in illo castello pro custodia dimissi sunt, vix 30 gladium sancti Petri, ut aiunt, concessa vita evaserunt. Ipsum autem castellum a Romanis penitus solo adæquatum est. Heinricus igitur Ravennate suo interim Ravennam transmisso, ad prædictam [388] sinodum [388] profectus est, quo et legati Teutonicorum principum ire debuerunt; set a Heinrico in via apud Forum Cassii (1321) capti et prædati sunt circa festivitatem sancti Martini [389], licet omnibus sinodum illam pe-

A tentibus securitatem juramento promiserit. Unde et Romani multum contra Heinricum murmurare ceperunt. Erant autem religiosissimi [390] monachi et clerici, quos in captione fecit cruciari; cum quibus et Ottonem venerandum Ostiensem episcopum captivavit (1322), videlicet ad ipsum ab apostolica sede transmissum. Multi tamen ex Francigenis ad illam sinodum tam episcopi quam abbates pervenerunt. Meliores autem episcopi et domno apostolico magis necessarii, id est Ugo Lugdunensis, Anselmus [391] Lucensis, Reginnaldus [392] Cumanus, specialiter a Heinrico ad sinodum pervenire [393] prohibiti sunt. Domnus tamen papa sinodum tribus diebus sollemniter celebravit, et ne Heinricum specialiter iterum anathematizaret, vix a sinodo exoratus, omnes ta-
B men excommunicavit, quicumque aliquem ad Sanctum Petrum vel ad papam venientem quoquo modo impedirent. Sed jam advenit terminus, ad quem Romani, nesciente papa, Heinrico se effecturos juraverant, ut aut Gregorius papa eum incoronaret, aut alius quem ipsi illo expulso eligerent. Quod juramentum licet in præterita æstate factum fuerit, omnes tamen intimos papæ usque ad terminum pene latuit. Adveniente igitur termino, Romani papæ de juramento manifestaverunt, dicentes, se Heinrico jurasse, non ut papa illum sollemniter regali unctione incoronaret, sed tantum simpliciter, ut ei coronam daret. Annuit igitur papa eorum votis, ut eos a juramento absolveret, videlicet ut Henrico, si vellet,
C cum justicia, sin autem, cum maledictione coronam daret. Unde Romani mandaverunt Heinrico, ut veniret ad accipiendam coronam cum justicia, si vellet; sin autem, de castello sancti Angeli per virgam sibi dimissam a papa reciperet. Sed Heinrico utrumque recusante, alium legatum illi direxere, qui eos bello defenderet, si necesse esset: se bene attendisse quod [394] juraverint, nec se amplius eo juramento detineri obnoxios. Igitur domno papæ [395] multo firmius quam pridem consilio [396] et auxilio adhæsere. Heinricus autem multo instantius pro eis suæ parti applicandis, nunc minando, nunc promittendo laboravit, multumque tempus circa Romam moratus huic negocio invigilavit. His temporibus piæ memoriæ Stephanus quondam rex Ungarorum,
D qui se ipsum cum sua gente ad fidem Christi convertit, post quadragesimum obitus sui annum (1323) miraculis claruit. Salomon rex Ungarorum, set regia

VARIÆ LECTIONES.

[379] *hinc littera paullo minor, sed mox iterum crescit* 1. [380] pugnaturus 2. [381] Sicque — anathematizatos *littera minori in margine addita* 1. [382] aritinensem 2. ariminensem 3. [383] qui — jam *littera minori addita;* jam *in loco raso* 1. [384] conducti 2. [385] triennii 2. [386] gozcezheim 4^b. [387] *supra lineam additum* 1. [388] *in loco raso litt. min* 1. [389] *hunc tres lineæ usque* fecit cruciari *in loco raso, et quæ sequuntur alio atramento scripta sunt* 1. [390] religiosi 2. [391] anshelmus 2. [392] reginaldus 2. *ita et infra.* [393] venire 2. [394] q. 1. qd 2. quid 3. [395] papa 2. apostolico 3. 4^b. [396] *manu sæc. XVI. vel XVII.* p̄lio *correctum est.*

NOTÆ.

(1320) Ad Tiberim prope castellum S. Angeli.

(1321) Hodie Sancta Maria di Forcassi, a meridie Viterbii prope Vetrallam.

(1322) Cf. Mansi XX, 587.

(1323) Ejus obitum anno 1038 reponit Hermannus. Uss.

dignitate indignissimus, prædicti Heinrici cognatus (1324), a compatriota suo, nomine Latislao [397] regno privatus incarceratur, et ille pro eo regia dignitate sublimatur. Beringarius novæ heresis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abiit in locum suum; qui licet eandem heresim sepissime in sinodo [398] abjuraverit, ad vomitum tamen suum canino more non expavit redire. Nam et in Romana sinodo canonice convictus heresim suam in libro a se descriptam combussit, et abjuratam anathematizavit; nec tamen postea dimisit [399]. Sed [400] jam septennio totum Romanum imperium civili bello, immo scismatis discidio laboravit, aliis quidem domno apostolico, aliis autem Heinrico faventibus, et ob hoc utrimque [401] totum regnum [402] præda, ferro et igni miserabiliter devastantibus. Paucissimi catholici episcopi ex parte apostolici remanserunt; qui et a propriis sedibus expulsi, suis gregibus providere non permittebantur. Quapropter omnes pene religiosi, sive clerici sive laici, in aliqua monasteriorum latibula hujusmodi mala declinavere, ne videlicet devastationem sanctæ æclesiæ cernerent, cui in nullo adminiculari possent. Satius [403] enim illis videbatur, ut saltim se ipsos delitescendo salvarent, quam pro aliis incassum laborando cum eisdem perirent. Eo autem tempore in regno Teutonicorum tria monasteria cum suis cellulis, regularibus disciplinis instituta egregie pollebant : quippe cœnobium sancti Blasii in Nigra Silva, et sancti Aurelii, quod Hirsaugia dicitur, et sancti Salvatoris, quod Scefhusin, id est navium domus, dicitur. Ad quæ monasteria mirabilis multitudo nobilium et prudentium virorum hac tempestate in brevi confugit, et depositis armis evangelicam perfectionem sub regulari disciplina exsequi proposuit, tanta inquam numero, ut ipsa monasteriorum ædificia necessario ampliarent, eo quod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque monasteriis nec ipsa exteriora officia per seculares, set per religiosos fratres administrantur, et quanto nobiliores erant in seculo, tanto se contemptibilioribus officiis occupari desiderant, ut, qui quondam erant comites vel marchiones [404] in seculo, nunc in quoquina vel pistrino fratribus servire, vel porcos eorum in campo pascere pro summis deliciis computent. Ibi nempe et porcarii et bubulci præter habitum idem sunt quod monachi (1325). Tanto autem caritatis ardore omnes pariter fervent, ut quilibet eorum non tam suum quam alienum desideret proficuum; et in exhibenda hospitalitate tam mirabiliter insudant, ac si se perdidisse estiment, quicquid pauperibus Christi vel hospitibus non erogaverint.

MLXXXIV.

Heremannus rex nativitatem Domini in Saxonia celebravit. Emulus autem ejus in Romanorum finibus hiemavit, ibique Guibertum Ravennatem suum Romam venturum exspectavit, ut ab eo apud Sanctum Petrum incoronaretur, eo quod Gregorium papam ad hoc flectere non posset, ut eum, nisi legitime reconciliatum, incoronare vellet. Reginnaldus (1326) Cumanus episcopus, scientia et religione clarissimus, et ob hoc Gregorii [405] papæ adjutor studiosissimus, migravit ad Dominum 6 Kal. Febr. Welf dux Bajoariæ civitatem Augustam a quodam Sigefredo, nec nominando episcopo, cum Bajoariis invasam, viriliter eripuit, eamque legitimo pastori nomine Wigoldo subjugavit. Sigifredus Mogonciacensis archiepiscopus, Gregorii papæ per multas tribulationes adjutor indefessus, requievit in pace (1327). Regina Anglorum obiit (1328), uxor Willihelmi [406] regis, qui totam Anglorum terram Romano pontifici tributariam fecit, nec aliquem in sua potestate aliquid emere vel vendere permisit, quem apostolicæ sedi inobedientem deprehendit. Rex Ungarorum Latislaus [407], parti catholicorum assentaneus, emulum suum Salomonem de carcere relaxatum, Ratisponam ad uxorem suam ire permisit, licet ingratam. Nam nec illa nec ille conjugale fedus ad invicem eatenus servaverunt, immo contra apostolum se ipsos invicem fraudare [408] non timuerunt. Erat autem ipsa soror Heinrici sepe nominati, quæ et ab ipso jam diu Ratisponæ sustentabatur, etiam ante quam maritus ejus captivaretur. Heinricus Aquileiensis expatriarcha, non semel domni apostolici perjurus et excommunicatus, in corpore et anima moritur (1329). His temporibus rex Constantinopolitanus maximam pecuniam Heinrico quondam regi transmisit ut Roubertum Wiscardum, ducem Calabriæ et Apuliæ et juratum [409] militem domni papæ, in ultionem ejusdem regis bello appeteret. Nam Roubertus jam dudum fines Constantinopolitanorum invasit, iterumque illuc expeditionem movere disposuit. Sed Heinricus acceptam pecuniam non in procinctum supra Roubertum, quod juramento promisit, set ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendit, cujus adjutorio Lateranense palatium fe-

VARIÆ LECTIONES.

[397] Talislao 4^b. [398] in s. *desunt* 2. [399] *vox pene deleta* 1. [400] *Hinc usque* haberent *scriptura valde pallida* 1. [401] plerumque *manus sec. XVI. XVII. in* 1. [402] r. t. 2. [403] Satis 2. [404] marchio 2. [405] greg. 1. gregorio 2. [406] Willihalmi 2. [407] Tatislaus 4^b. [408] faudare 1. [409] A. conjuratum 2.

NOTÆ.

(1324) Scilicet sororis ejus maritus. Uss.

(1325) Cf. Gerberti Historiam Nigræ Silvæ t. I, p. 239, 325. Burchardus De casibus S. Galli cap. 7, SS. t. II, p. 159.

(1326) Comensis.

(1327) Obiit exsul in Thuringia 14 Kal. Mart. Uss.

(1328) Mathildis, Balduini V. Flandriæ comitis filia, quam anno 1083. d. 2 Nov. defunctam alii memorant. Uss.

(1329) Vid. supra ad ann. 1079.

ria quinta ante Palmas (*Mart.* 21) cum suo Ravennate Guiberto intravit. Nobiles autem Romani præter admodum paucos cum domno papa Gregorio tenuerunt, qui et 40 obsides ei dederunt. Papa autem in castellum sancti Angeli se recepit, omnesque Tiberinos pontes et firmiores Romanorum munitione in sua obtinuit potestate. In die igitur resurrectionis dominicæ (*Mart.* 31) Heinricus ab heresiarcha suo Ravennate coronam non gloriæ set confusionis accepit. Nam hujusmodi coronator, juxta attestationem sanctorum patrum, non benedictionem, quam perdidit, set damnationem, quam habuit, suo coronato imposuit. Erat enim ipse aliquando Ravennas archiepiscopus, et omnimodam Romano pontifici obedientiam juravit, quam et nonnullo tempore fideliter executus est. Set non multo post, spreto juramento, singulari contumacia contra apostolicam sedem erigitur, unde et ab apostolica sede (1330) et ab episcopis totius æclesiæ in Romana sinodo (1331) post canonicas inducias inrecuperabiliter deponitur et anathematizatur; nec hoc semel, nec in una sinodo, set in omnibus sinodis, quotquot jam sexennio [410] Romæ celebratæ sunt. Hic igitur [411] in perjurio ita inveteratus, et pro eodem sepius inrevocabiliter depositus et anathematizatus, sedem Romani pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematiatorum, utpote sui similium, præterito anno [412] invasit, legitimo pastore adhuc eidem sedi præsidente. Nempe Mutinensis et Aritinus exepiscopi cum reliquis excommunicatis eum ordinaverunt; qui etiamsi catholici essent, et apostolica sedes (1332) pastorem non haberet, nullum tamen eidem sedi pontificem ordinare possent. Hujus enim ordinationis privilegium solis cardinalibus episcopis, Ostiensi, Albanensi et Portuensi [413] a sanctis patribus est concessum, nec aliquibus aliis conceditur, ipsis hoc adimplere valentibus. Set hi libentius omnia extræma paterentur, quam tam sacrilegæ ordinationi tam superbissimi præsumptoris miscerentur, quem et ipsi cum domno apostolico sinodali judicio canonice damnarunt. Ergo (1333) Mutinensis et Aritinus cum reliquis hereticis Ravennatem illum non in Romanum patriarcham, quod nullo modo potuerunt, set in damnatissimum heresiarcham promoverunt, ut quanto altius inter ipsos [414] emineret, tanto majoris damnationis privilegium possideret. Quapropter et Heinricus ab eodem incoronatus, damnationem ejus hereditasse non

A dubitatur; similiter et omnes, quicumque aliquid, quod a domno papa suscipiendum esset, a prædicto heresiarcha quasi susceptum usurpaverunt. Morabatur autem Heinricus in Lateranensi palatio cum Ravennate suo, nec a fidelibus papæ [415] per civitatem ad Sanctum Petrum transire permittebatur. Set in ipsa paschali ebdomada (*Apr.*) fideles apostolici bello aggreditur, in qua congressione 40 pene ex suis inter mortuos et vulneratos perdidit, nam reliqui fugerunt; ex parte autem domni papæ nec unus cecidit. Heremannus autem rex pascha celebravit in Saxonia (1334), ubi et maximæ treuvæ [416] inter fideles domni papæ factæ sunt, quæ et in toto pene Teutonicorum regno non multo post confirmatæ sunt. Roubertus Wiscardus dux Nordmanno-
B rum (1335) in servicium sancti Petri post Kal. Maii Romam armata manu invasit, fugatoque Heinrico, totam urbem Gregorio papæ rebellem penitus expoliavit, et majorem ejus partem igni consumpsit, eo quod Romani quendam ejus militem vulneraverint [417]. Deinde acceptis obsidibus a Romanis, et in castello sancti Angeli, quod domum Theoderici dicunt, reservatis, ipse ad recuperandam terram sancti Petri cum papa Gregorio de Roma exercitum promovit, iterum Romam in festivitate sancti Petri reversurus. In brevi autem plurima castella et civitates domno papæ recuperavit. Heinricus autem Rouberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinato revertitur (*Jun.*).

Eodem tempore milites prudentissimæ ducis Ma-
C thildæ in Longobardia contra fautores Heinrici et inimicos sancti Petri viriliter pugnaverunt, ex quibus episcopum Parmensem et sex [418] capitaneos cum aliis fere centum bonis militibus ceperunt. Equos etiam plus quam quingentos, et loricas plurimas, et omnia tentoria inimicorum, pleniter potiti victoria, habuerunt. Heinricus vero circa Kal. Augusti expeditionem in Sueviam paravit (*Aug.*); set Suevis sibi obviantibus, pugnare noluit, quamvis eum erectis vexillis pluribus diebus ad pugnam provocaverint, et ex suis plus quam centum vel occiderint vel captivaverint. Nam prope Licum flumen castra metatus est, cujus ripa munitus, ab hostibus non facile potuit invadi. Suevi autem ex altera parte
D fluminis in conspectu ejus castra metati sunt, satis a ripa separati, ne hostibus facultatem transvadandi interclusisse viderentur. Set frustra; nam Heinricus transire noluit, vel potius non præsumpsit, qui

VARIÆ LECTIONES.

[410] septennio *habet Gebeh. Salisb.* [411] ergo 2. [412] præt. anno *deest ap. Gebehardum.* [413] *in loco raso* 1. [414] *in loco raso* 1. [415] p. populis per *Uss. contra auctoritatem codicum.* [416] trewæ 1. treugæ 3. treuve 4 b. [417] wlneraverint 1. [418] *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(1330) *Ab apostolica sede — sedi præsidente,* ad verbum concinunt cum epistola Gebehardi Salisburgensis apud Hugonem Flaviniac. Mansi XX, 542.

(1331) Anno 1078, in Quadragesima Romæ celebrata, nec non in altera anni 1080. Uss.

(1332) *Apostolica sedes — concessum* habet etiam Gebehardus Salisburg.

(1333) *Ergo — promoverunt.* Ibid.

(1334) Goslariæ.

(1335) A papa invitatus. Vid. ejus epistolam 17, lib. IX. Uss.

et post discessum Suevorum, timens insidias eorum unum pene diem ripam relinquere pertimuit.

Tandem Heinricus Ratisponam revertitur, inde ultra Renum Mogontiam proficiscitur, nichilominus et Suevi ultra Renum Burgundiam cum expeditione proficiscuntur, et quoddam castellum Bertaldi ducis, filii regis Roudolfi, a fautoribus Heinrici obsessum, viriliter eripuerunt. Nam quibusdam rapidissimis fluminibus transvadatis, vel potius transnatatis, adeo obsessores castelli, licet adhuc longe positi, perterruerunt, ut relictis papilionibus, equis et loricis, ab obsidione passim diffugerent, nec deinceps in illa expeditione Suevis, terram eorum ferro, præda et incendio vastantibus, resistere præsumerent. Erepto igitur castello, congruisque alimentis [419] in annum præmunito, destructisque quibusdam inimicorum munitionibus, Suevi cum pace in sua rediere (*Oct.*). Interim Heinricus congregata multitudine scismaticorum, Wecilonem, clericum Halverstatensis episcopi fugitivum, Mogontiensi episcopatu remuneravit, eo quod illi in omni pertinacia contra Deum et sanctum Petrum indefessus cooperator adfuit; qui ipse jam dudum anathematizatus (1336), et ab anathematizatis electus, nichilominus etiam et ab anathematizatis juxta Pelagium papam non consecratus set execratus est. Nam juxta beatissimos patres Innocentium, Leonem atque Gregorium, nichil nisi damnationem et maledictionem a damnatis accipere potuit. Domnus autem papa, collecta sinodo Salerni, iterum sententiam anathematis in Gibertum heresiarchen, et Heinricum, et in omnes eorum fautores promulgavit (1337); quod et in festivitate sancti Johannis baptistæ præterita jam dudum Romæ fecit, cum Heinricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati sedis apostolicæ, videlicet [420] Petrus Albanensis episcopus in Francia, Oddo Ostiensis episcopus in terra Teutonicorum usquequaque divulgarunt. Ostiensis etiam, cum Alemanniæ moraretur, sanctæ Constantiensi æcclesiæ, jam dudum viduatæ, catholicum pastorem ordinavit (1338), scilicet Gebehardum Berthaldi ducis filium, nobilem quidem genere, set nobiliorem in monarchica conversatione. Hunc sane invitum, immo multum ejulantem ac reclamantem, Constantiensibus clericis et laicis petentibus et laudantibus episcopum 11 Kal. Januarii consecravit, quem [421] pridie, id est in festivitate sancti Thomæ, cum aliis clericis presbyterum fecit; inter quos et horum cronicorum scriptorem in eadem sollemnitate ad presbiterium [422] promovit, eique [423] potestatem ad suscipiendos penitentes ex apostolica auctoritate concessit (1339).

MLXXXV.

Heremannus rex natalem Domini Goslarie celebravit, ad [424] quem [424] præfatus [424] Ostiensis [424] episcopus [424] post [424] epiphaniam [424] pervenit in Saxoniam, et colloquio (1340) interfuit quod Saxones contra [424] Heinrici [424] fautores [424] condixerunt (*Jan.* 21), ut hoc illis probarent, se jure Heinricum devitare ut excommunicatum. Quod et facto colloquio, decima quinta die post epiphaniam firmissime probaverunt, ea videlicet ratione, quia Romanus pontifex illum eis a se in Romana sinodo anathematizatum literis (1341) denunciaverit. Adversarii autem eis objecerunt, quod papa eum nequiverit excommunicare, eo quod expoliatus non potuerit vocari, judicari, sive damnari (1342). Ad hæc Saxones responderunt, se judicium sedis apostolicæ non debere detractare (1343), nec posse; hoc cum illo potius tractandum, qui illum damnaverit, non cum Saxonibus, qui damnationi ejus non interfuerint, qui sedis apostolicæ judicio nullam retractationem, set obedientiam debuerint. Ita igitur soluto colloquio discessum est ab invicem. Eo tempore Hildinisheimensis episcopus (1344) cum suis sequacibus manus Saxonum vix evasit, eo quod contra commune votum totius Saxoniæ Heinricianis se admiscuerit. Pro eadem etiam culpa comes Theodericus eodem tempore occisus est a nostræ partis fautoribus. Præfatus quoque sedis apostolicæ legatus prædicto episcopo, cum nollet resipiscere, officium penitus interdixit. Heremannus rex in Quitelineburg pascha celebravit (*Apr.* 20); ubi ut legatus domni apostolici in ipsa paschali epdomada generalem sinodum (1345) cum archiepiscopis, episcopis et abbatibus sancti Petri fidelibus sollemniter celebravit. Interfuit autem huic sinodo Gebehardus reverentissimus Juvavensis archiepiscopus. Item venerabilis Hartwicus Magideburgensis archiepiscopus cum suis suffraganeis. Item suffraganei Mogontinæ sedis de Saxonia. Nam Wirceburgensis episcopus (1346) et

VARIÆ LECTIONES.

[419] præsidiis *Uss. contra codicum auctoritatem.* [420] *deest* 4b. [421] quem — concessit *littera parva addita sunt* 1. *desunt* 2. [422] ad presbyteratum 4b. in presbyterum 3. [423] eique — concessit *desunt* 4b. [424] *in loco raso littera minori* 1.

NOTÆ.

(1336) Nimirum ex eo tempore, quo jam ante suam intrusionem Heinrico regi sub anathemate posito diu servierat, uti loquitur Urbanus II epist. 19. Uss.

(1337) *Guibertum hæresiarcham et omnes fautores ejus post sententiam venerabilis papæ Gregorii necessario devitamus.* Bernoldi Opusc. VI, 7 supra.

(1338) Cf. Bernoldi apologiam pro Gebehardo, supra.

(1339) Agit de hac potestate sibi in ordinatione concessa Bernoldus in opusculo de presbyterorum officio, n. XI. Uss.

(1340) Ad Perestad (hodie Bechstedt) in Thuringia XIII Kal. Febr., cujus acta prolixe describit annalista Saxo ad h. a. Uss.

(1341) Desunt in registro Gregorii.

(1342) *Exspoliatus — damnari* sunt verba archiepiscopi Moguntini, ut testantur acta concilii apud ann. Sax.

(1343) Verba Gebehardi Salisb. Ibid.

(1344) Uto nomine. Uss.

(1345) Cf. Bernold. col. 1138.

(1346) Adalbero, Adelbertus, Gewoldus et Gebhardus, synodo per legatos suos subscripti. Uss.

Wormaciensis, Augustensis quoque et Constantiensis de Alemannia, quia ipsi canonica necessitate impediti venire non poterant, per legationem suam se sancto concilio repræsentaverunt, seque per omnia ejusdem sinodi statutis assensuros mandaverunt. Rex etiam Heremannus cum suis principibus eidem sinodo interfuit. Cum igitur omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta sanctorum Patrum de primatu sedis apostolicæ, quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, vel de ejus judicio judicare; quod et totius sinodi publica professione laudatum et confirmatum est. Et hoc utique contra Heinricianos, qui fideles sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem domni papæ Gregorii super Heinricum cum illis retractare præsumerent. Quidam autem Babinbergensis clericus, nomine Gumpertus [425] (1347), Romani pontificis primatui derogare volens, in mediam sinodum se contulit, asserens Romanos pontifices hunc sibi primatum ascripsisse, non aliunde concessum hereditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum aperte a tota sinodo confutaretur, præcipue tamen a quodam laico convictus est per evangelicum: *Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* x, 21). Cum enim hoc generaliter in omnibus æclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne major a minore judicetur, quis hoc vicario sancti Petri denegare poterit, quem omnes catholici pro domino et magistro venerantur? In eadem sinodo ordinatio Wecilonis Mogontini invasoris, et Sigefridi Augustensis, et Norperti Curiensis, immo omnes ordinationes et consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt, juxta decreta sanctorum patrum Innocentii [426], Leonis primi, Pelagii, atque ejus successoris Gregorii primi. Item secta prædicti Wecilonis ejusque sociorum sub anathemate damnata est, quæ asserit seculares rebus suis expoliatos æclesiastico non subjacere judicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus; quæque excommunicatos absque reconciliatione recipi posse contendit. Statutum est autem ibi ut quicumque ab episcopo suo, nec officio nec communione privato, excommunicatus esset etsi injuste nullatenus tamen reciperetur ad communionem, nisi absolutus æclesiastico more. Similiter et pro sacrilegio excommunicatos decrevit sancta sinodus non recipiendos

A absque solita reconciliatione, etsi jam dudum quod sacrilege sibi vendicaverant reddidissent. In eadem sinodo presbyteris, diaconibus, subdiaconibus perpetua juxta decreta sanctorum patrum indicta est continentia. Item statutum est ne laici pallas altaris vel sacra vasa contingant. Item, ne laici decimas sibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium nisi concessione legitimorum possessorum. Item [427], ut vernum jejunium in prima epdomada quadragesimæ, æstivum in pentecoste [428] semper celebretur. Item, ne quis caseum vel ova comedat in quadragesima. Item sinodali judicio confirmata et laudata est ordinatio domni Gebehardi Constantiensis episcopi, immo omnia quæ præfatus sedis apostolicæ legatus, cum esset Constantiæ, ordinavit.

B Item ibi mota est quæstio (1348) de consanguinitate ipsius regis et uxoris suæ, unde rex in media synodo [429] surrexit, seque de hac re judicium sanctæ sinodi [429] per omnia observaturum professus est. Sancta autem sinodus hanc causam in præsenti canonice examinari non posse judicavit [430], eo quod legitimi accusatores non adessent. In fine autem sinodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Gibertum heresiarchen, sedis apostolicæ pervasorem, et in apostatas sancti Petri, Ugonem Album, Johannem Portuensem exepiscopum [431], Petrum excancellarium. Item in Leomarum [432] Bremensem, Utonem Hildinesheimensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basilensem, Houzemannum Spirensem exepiscopos [433]. Item in Wecilonem

C Mogontinum pervasorem, Sigifredum Augustensem, Nortbertum Curiensem; in hos, inquam, et in omnes eorum complices inevitabilis sententia anathematis promulgata est (1349). Sed hi omnes adversarii æcclesiæ Dei in tertia (1350) epdomada post finitam sinodum, suam Moguntiæ collegerunt non sinodum set conciliabulum, in quo umbratilem sententiam excommunicationis contra fideles sancti Petri deprompserunt; utpute nequaquam illos excommunicare valentes, set apertissime se ipsos a communione catholicorum sequestrantes, ut non tantum judicio sanctæ ecclesiæ, sed et proprio eorum judicio, sicut omnes heretici, a catholicis essent separati. Sedes quoque catholicorum episcopo-

D rum viventium temeraria cupiditate cecati sibi vendicare non timuerunt. Deus autem omnipotens suis fidelibus per se ipsum auxiliari non cessavit, suum-

VARIÆ LECTIONES.

[425] n. g. *supra lineam* 1. [426] *deest* 2. [427] *hæc sententia in loco raso* 1. [428] pentecosten 4b. [429] *ita* 1. [430] dijud. 2. [431] episcopum 2. [432] Teomarum 4b. [433] episcopos 2.

NOTÆ.

(1347) Alii Cunibertum vocant. Uss.

(1348) De hoc agit Venericus, quem alii Walramum seu Waltramum Naumburgensem episcopum esse volunt. Uxorem Hermanni regis alii Adelheidem dicunt, filiam Otsonis de Orlamunda Misniæ marchionis ex Adela, quæ patrem habuit Lambertum II comitem Lovaniensem, matrem vero Odam Gothelinis magni Lotharingiæ ducis filiam, unde forte ista consanguinitas seu affinitas orta est, quæ pro more hujus temporis matrimonio usque ad septimum gradum obstabat. Uss.

(1349) Nomina eorum qui synodo aut per se aut per legatos subscripserunt, habentur ap. Mansi XX, 609.

(1350) Waltramus et alii nonnulli conciliabulum hoc secunda hebdomada post Pascha d. 29 Apr. actum volunt. Ejus Gesta ex variis scriptoribus collecta habentur ap. Mansi XX, 613. Uss.

que judicium super inimicos sanctæ æcclesiæ mirabiliter exercuit. Nam totam pene Italiam, in qua potissimum excommunicati furebant, tam magna fames obtinuit, ut homines non tantum immunda quæque, set etiam humanam carnem manducarent; quam tam famem inaudita mortalitas subsecuta est, ut nec tertia pars hominum remaneret, set deficiente colono maxima pars terræ in solitudinem redacta est. Padus [434] quoque fluvius Longobardiæ ripas suas excedens multa castella, villas, immo circa jacentes regiones penitus submersit et inhabitabiles reddidit. Ipsa etiam capita scismaticorum eo tempore, heu! misere in locum suum abiere, videlicet Parmensis, et Regiensis (1351) exepiscopi [435], Theodaldus Mediolanensis non [436] archiepiscopus set [437] antichristus [437], Adelbertus et Reginherius marchiones, et comes Boso, et alii innumerabiles quorum factione tota pene Italia contra domnum papam et sanctum Petrum [437] se erexit. Hi quoque Mathildam, prudentissimam [438] ducem et fidelissimam sancti Petri militem, multis injuriis affecerant in Italia. Illis [439] autem divina animadversione [440] de medio sublatis, ipsa suam potestatem recuperavit, et sanctæ Dei æcclesiæ in omnibus adminiculari non cessavit; sicque ejus prudentia Mutinensi æcclesiæ, et Regiensi, atque Pistoriensi catholici pastores ordinati sunt. Sed jam Deus omnipotens famulum suum Gregorium papam nolens diutius laborare, immo pro laboribus suis digne remunerare [441], de [441] hujus [441] vitæ [441] ergastulo [441] eum [441] evocavit [441] (*Mai*, 25). C Nam [441] aliquanto [441] tempore [441] graviter [441] corpore [441-442] infirmatus [441], sed [443] in defensione justiciæ usque ad mortem firmissimus, Salerni diem clausit extremum; de cujus obitu omnes religiosi utriusque sexus, et maxime pauperes, doluerunt. Erat [444] enim catholicæ religionis ferventissimus institutor, et æcclesiasticæ libertatis strennuissimus defensor. Noluit sane ut æcclesiasticus ordo manibus laicorum subjaceret, sed eisdem et morum sanctitate et ordinis dignitate præmineret; quod illum latere non poterit, quicumque ejusdem apostolici regestum diligenter perlegerit. Postquam autem in gubernatione sedis apostolicæ, immo totius æcclesiæ, duodecim annos et unum mensem legitime [445] decertavit, tandem ex hac luce anno dominicæ D incarnationis 1085, indictione octava, 8. Kal. Junii subtractus, supernæ vocationis bravium accepisse non dubitatus, sepultus Salerni in æclesia sancti Mathei, quam ipse eodem anno dedicavit. Sed [446] Guibertus heresiarcha multum de obitu ejus letabatur, licet parum prosperitatis suæ parti in eo

A lucraretur. Nam omnes catholici post mortem domni apostolici non minus quam antea eidem heresiarchæ restiterunt ipsumque de Roma Ravennam repedare compulerunt [446]. Eo tempore quidam ex Saxonibus a fidelitate sancti Petri apostatantes, et a rege eorum Heremanno turpiter declinantes, Ἡυνρυκυμ [447] regem totiens abjuratum receperunt, existimantes se nichil deinceps mali ab eo passuros, set optata pace eo regnante se fruituros; res autem in contrarium devenit. Nam ipse statim recepta potestate, pristinam tirannidem in illos exercere non desiit. Unde et ipsi versa vice turpissime eum fugaverunt, et de finibus eorum cum multo dedecore expulerunt. Episcopi autem Saxoniæ et quidam ex principibus cum rege eorum Heremanno in fidelitate B sancti Petri permanserunt [448], potiusque honores suos relinquere, quam excommunicatis communicare delegerunt. Qui tamen postea a Saxonibus ad proprias sedes revocati sunt, potsquam Saxones Ἡυνρυκυμ [449] inde expulerunt, sicut prædiximus.

MLXXXVI.

Heremannus rex nativitatem Domini celebravit in Saxonia. Hoc tempore multæ cedes, prædæ et incendia facta sunt inter fautores Heinrici et fideles sancti Petri. Propter eandem etiam discordiam nondum sedes apostolica legitimum pastorem habere potuit. Heinricus [450] contra Saxones exercitum 6. Kal. Febr. promovit. Sed Saxones ei cum magna multitudine obviam venientes, inacte eum repedare compulerunt. Eo tempore Palatinus comes Heremannus et Otto Constantiensis exepiscopus [451] ex parte Heinrici absque æcclesiastica communione heu! miserabiliter periere. Ex parte autem catholicorum reverentissimus Anselmus Lucensis æcclesiæ episcopus, jamdudum mundo crucifixus, migravit ad Dominum 14 [452] Kal. Aprilis. Principes Bajoariorum duci suo Welfoni in pascha (*Apr.* 5) reconciliati, a Heinrico discesserunt, eumque cum eodem duce et reliquis Alemannorum principibus armata manu Ratisponæ invaserunt, et ne discedere posset, multo tempore eum ibi detinuerunt. Roubertus dux Normannorum per Calabriam atque Siciliam post multarum terrarum invasionem, post multorum pauperum et divitum oppressionem, cujus avariciæ nec Calabria nec Sicilia suffecit, quin et transmarina regna sibi subjugare contra fas et jus anhelaverit, viam universæ terræ arripuit. His temporibus fideles sancti Petri principes Suevorum cum Saxonibus et Bajoariis generale colloquium post festivitatem apostolorum prope Wirceburc condixerunt (*Jul.*) Quod Heinricus congregata multitudine scismaticorum interturbare voluit, set Suevis super-

VARIÆ LECTIONES.

[434] Phadus 2. [435] episcopi 2. [436] *desunt* 2. [437] et s. P. *desunt* 2. [438] p. d. et f. s. P. m. *desunt* 2. [439] Illis — ordinati sunt *desunt* 2. [440] aniadversione 1. [441] *in loco raso* 1. [442] *deest* 2. [443] sed in d. i. u. ad m. f. *desunt* 2. [444] Erat *usque* diligenter perlegerit *desunt* 2. [445] *deest* 2. [446] Sed *usque* compulerunt *desunt* 2. [447] Heinricum *græce scribitur* IHYNPYKY̅ 1. IHYNPYKY̅ 4b. [448] *loco sequentium* 2. *alia habet quæ v. supra* col. 1280. [449] HYNPKY̅ 1. H 4b [450] H. rex 2. [451] episcopus 2. [452] XVI. *corr.* XV. 1.

NOTÆ.

(1351) Eberardus et Gandulphus. Vid. Domnizo in Vita Mathildis lib. II, c. 3. Uss.

venientibus resistere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipsi autem Herbipolim ad obsidendos fautores Heinrici processerunt, et adjunctis Saxonibus eandem sepi circumdederunt. Interim Heinricus exercitum viginti milium pene inter pedites et equites congregavit, et ad civitatem liberandam jam quinque septimanis obsessam aciem direxit. Quo audito fideles sancti Petri, soluta obsidione, obviam ei duobus miliariis, non tam multitudine sua quam misericordia Dei et justitia sancti Petri, non tam armis quam virtute sanctæ crucis confisi processerunt. Unde et crucem altissimam in quodam plaustro erectam et rubro vexillo decoratam usque ad locum certaminis secum deduci fecerunt. Welf quoque dux cum sua legione, et Magideburgensis legio relictis equis pedites incedebant (*Aug.* 11). Cum autem jam jam congressuri essent, omnes in terram prostrati celum oratione penetraverunt, quam pro eis ibidem reverentissimus Magideburgensis archiepiscopus (1352) cum multis lacrimis et gemitibus effudit. Igitur in nomine Domini congressi, incredibilem hostium stragem fecerunt, ita ut novem nimium altæ congeries cadaverum ibi viderentur, præter illos qui per campos et silvas fugitantes occubuerunt. Heinricus autem in primo impetu congressionis dissimulato habitu primus inter primos terga vertens, omnia vexilla sua nostris derelinquens, usque ad Renum satis accelerato pervenit. Sed nostri eum longo itinere insecuti, tandem magnam prædam de hostibus reportaverunt. Ipsius [453] sane scrinia cum vestimentis regalibus, item nescio quot capellas episcoporum (1353) cum aliis innumerabilibus nostri acceperunt [453]. In illa igitur congressione quot milia adversariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex parte autem fidelium sancti Petri nonnisi quindecim homines mortuos invenire potuimus, licet [454] diligentissime perquireremus, et ipsorum quindecim nonnisi tres in loco certaminis obierunt, nam reliqui aliquot diebus postea vixerunt. Inter mortuos autem et vulneratos nonnisi triginta reperire potuimus ex nostris. Et hoc utique nulli humanæ virtuti, set potius divinæ ascribendum est, cum fideles sancti Petri vix decem milia habuerint, adversarii autem etiam viginti milia excessisse referantur. Itaque nostri per Dei misericordiam victoria potiti, in campo certaminis ea nocte castra metati sunt, et in crastinum ad obsidionem urbis reversi, absque sanguine eam ceperunt. Deinde Wirceburgensi episcopo cum magnis laudibus civium, clericorum et laicorum in sedem suam restituto, congruoque præsidio militum civitati imposito, ipsi cum magna gloria et letitia singuli in sua redierunt. Factum est autem hoc prælium in sequenti die post festivitatem sancti Laurentii, videlicet in anniversaria die, quando et Heremannus rex cum Suevis Bajoarios devicit. Ego [455] quoque ipse, qui hæc chronica a [456] 1054° anno dominicæ incarnationis hucusque perduxi, de prædicto prælio non tam aliorum relata, quam quæ ipse vidi et audivi, ad laudem et gloriam Dei fidelibus annunciare curavi [457]. Reverentissimus abbas de cella sancti Blasii, nomine Gisilbertus, migravit ad Dominum 6. Idus Octobris, cui venerabilis Uto ejusdem monasterii prior in abbatiam successit [457]. Chonradus comes (1354), frater Heremanni regis, set indefessus fautor Heinrici, in fine tamen, ut aiunt, reconciliatus æclesiæ, in Jerosolimitano itinere obiit [458]. Beatus Anselmus, quondam Lucensis episcopus, ipso eodem depositionis suæ anno innumerabilibus miraculis cepit coruscare (1355), qui post obitum venerabilis papæ Gregorii VII fideles sancti Petri contra tirannidem Heinrici adhuc in carne vivens multum incitavit, set multo plus post obitum suum miraculis coruscans eosdem contra eundem persistere confortavit. Unde et pars Heinrici de die in diem cepit deficere, catholici autem in fidelitate sancti Petri non cessaverunt proficere. Heinricus tamen [458] prope nativitatem Domini quoddam castellum in Bajowaria obsedit (*Dec.*). et, ut aiunt, in eadem obsidione natalem Domini voluit celebrare. Quo audito, Welf et Berthaldus duces non cum magna multitudine Suevorum et Bajoariorum derepente supervenientes, de obsidione eum discedere non permiserunt, nisi prius [459] accepta securitate ab ejus principibus, ut colloquium fieri permitteret, in quo diutina regni discordia quoquo modo tandem idoneum finem accipere posset. Accepta igitur securitate, locum ei cum pace discedendi concesserunt; sicque ipse in ipsa vigilia natalis Domini compulsus est, ut festum suum alibi celebraret. Duces autem ad sua cum pace et leticia rediere, statimque cum reliquis regni principibus prædestinatum colloquium ad Opinheim in tertia ebdomada quadragesimæ communiter condixere.

MLXXXVII.

Heremannus rex nativitatem Domini Saxoniæ celebravit. Berthaldus comes (1356), sancti Petri fidelissimus miles, contra scismaticos strenuissime di-

VARIÆ LECTIONES.

[453] Ipsius *usque* acceperunt *desunt.* 2. [454] l. d. p. in 2. *post* explorare potuimus *jam legitur.* [455] Ego — abbatiam successit *desunt* 2. [456] M°. L°. IIII° anno dnicæ incar. *in loco raso, litera minori* 1. [457] *hinc alio tempore pergit* 1. [458] obiit. Heinricus prope 2. *media desunt.* [459] accepta evid(entissime) *a.* 1089. (*infra pag.* 449. *lin.* 34.) *folio exciso in* 4b*. *desunt.*

NOTÆ.

(1352) Hartwigus.

(1353) Capellæ sunt vestimenta ac vasa sacra reliquiæ sanctorum, aliaque ad sollemne officium divinum necessaria. Uss.

(1354) Luxemburgicus. Uss.

(1355) Vide ejus Vitam apud Mabill. Sæc. VI. p. II, p. 483. Uss.

(1356) Fortasse comes Durgaugensis, contra Udalricum III, S. Galli abbatem Heinrici regis acerrimum defensorem pugnans, qui eo tempore in odium Bertholdi marchionis totum pagum Durgowe circuiens devastavit. Uss.

micans occubuit. Interim Heinricus omni ingenio et dolo, quia [460] vi non potuit, prædictum colloquium ne fieret efficere voluit; set fideles sancti Petri illo nolente, immo eis periculum belli intentante, ad condictum terminum pervenere (*Feb. ex.*). Ipse vero justiciam solito more subterfugiens, et rationabili etiam consilio suorum acquiescere nolens, adesse et contempsit; unde et omnes pene suos contra se murmurare, et nonnullos eorum ab eo discedere fecit, nostri autem cum pace ad sua rediere. Sed necdum sedes apostolica legitimum pastorem habere potuit, eo quod Guibertus Ravennas heresiarcha perjurus et anathematizatus eandem sedem factione Heinrici jam octo annis infestaverit. Etsi enim ipse illam cum pace nequiverit obtinere, adeo tamen per organa diaboli prævaluit, ut jam biennio sedes apostolica pastorali gubernatione caruerit [461]. Unde cum omnes catholici merito dolerent, tandem sanctæ Romanæ æclesiæ cardinales episcopi, et reliqui catholici de clero et populo cum auxilio Normannorum Desiderium, ejusdem æclesiæ cardinalem et Cassinensis monasterii abbatem, papam 160mum ordinaverunt, eique tercii Victoris nomen indiderunt; qui statim post electionem suam missis usquequaque literis se juxta decreta sanctorum patrum declaravit incessurum. Judicium quoque sui antecessoris piæ memoriæ Gregorii papæ super Heinricum et omnes ejus fautores confirmavit. Consecratus est autem exeunte Maio mense (1357) apud Sanctum Petrum a cardinalibus episcopis Ottone Ostiense, et Petro Albanense cum reliquis cardinalibus. Guibertus vero heresiarcha non magis ab incepta perversitate cæssavit, immo se apud Sanctam Mariam ad Martires, quam Rotundam dicunt, incastellavit. Domnus papa autem in insulam quæ inter duos pontes sita est se recepit. Principes quoque regni Teutonicorum, fideles inquam sancti Petri, generale colloquium cum Heinrico et fautoribus ejus in Kalendis Augusti prope Nemetensem civitatem habuerunt, eique adjutorium suum ad obtinendum regnum, si de excommunicatione exire vellet, fideliter promiserunt. Ille autem in solita sua obstinatione persistens, nec se excommunicatum profiteri dignatus est, licet hoc sibi a nostris in faciem instanter probaretur. Unde et nostri nullam pacem vel concordiam cum eo [462] habere statuerunt. Quapropter expeditionem suam super ipsos in octavam sanctam Michahelis proxime venturam indixit. Nostri autem se eandem expeditionem octo diebus præventuros, seque ei in loco congregationis, cum quantis possent, obviam ituros condixerunt. In prædicto colloquio literæ domni papæ recitatæ sunt, in quibus et suam promotionem principibus regni denunciavit, et judicium sui antecessoris piæ [463] memoriæ Gregorii papæ super Heinricum et fautores ejus apertissime confirmavit. Latislaus rex Ungarorum missa legatione ad idem colloquium, se in fidelitate sancti Petri perseveraturum declaravit, et fidelibus sancti Petri [464] cum viginti milibus equitum contra scismaticos se affuturum, si necesse foret, promisit. [465] Prædicta tamen expeditio utrinque ad illum terminum remansit. Salomon quondam rex Ungarorum, scilicet [466] a Latislao jam dudum regno privatus et in exilium expulsus, dum quiddam fortiter contra regem Grecorum molitur, post incredibilem hostium stragem et ipse viriliter occubuit. Eodem quoque tempore quidam scismaticus, qui Pataviensem episcopatum, vivente adhuc legitimo pastore, jam dudum invasit (1358), de hac vita discedens [467] certissimum suæ damnationis exemplum reliquis scismaticis dereliquit. Cum enim jam in extremis jaceret, seque ad æternam damnationem jam jam abiturum non dubitaret, apparuit ei ejusdem æclesiæ episcopus, ut tanto evidentius culpam sciret, quam apud inferos luere deberet. Rogavit tamen eum ut ei culpam indulgeret, ipsumque ab excommunicatione solveret. Rogavit quoque circumastantes ut eum de episcopatu eveherent, nec eum in episcopatu sepelirent. Sed hæc verba astantibus quasi deliramenta videbantur. Ipse autem se sanæ mentis protestatus, itidem rogitare non cessavit; set incassum; nam ante æclesiasticam absolutionem morte præventus est. Nonnulli tamen qui tam periculosæ morti ejusdem scismatici aderant, compuncti sunt; qui et postea ad legitimum pastorem redeuntes, veniam et absolutionem consecuti sunt [468]. Romæ Victor papa jam pluribus annis infirmus, et in eadem infirmitate ordinatus, post quartum mensem sui pontificatus diem clausit extremum (*Sept.* 16); unde multum letatus est heresiarcha Guibertus cum suis sequacibus. Heinricus quoque eo tempore, licet infirmus, expeditionem in Saxoniam cum Beheimensibus promovit; set sancto Petro suos fideles protegente, inglorius inde nimis accelerate rediit. Nam Heremannus rex eum [469] cum tanta multitudine Saxonum insecutus est, ut facillime ipsum cum omnibus suis obtineret, si non dolo Eggiberti comitis (1359) evasisset. Hic nempe comes [470], gloriæ domini [471] sui Heremanni regis [472] multum invidens, inimicos sanctæ

VARIÆ LECTIONES.

[460] q. v. n. p. *desunt* 2. [461] *alio tempore pergit* 1. [462] c. e. *desunt* 2. [463] p. m. G. p. *desunt* 2. [464] s. P. *desunt* 2. [465] *hinc alio tempore pergit* 1. [466] s. 1. [467] discessit. Romæ Victor 2. *media desunt*. [468] *alio tempore pergit* 1. [469] *deest* 2. [470] *deest* 2. [471] d. s. *desunt* 2. [472] *deest* 2.

NOTÆ.

(1357) Leo Ostiensis Chron. Cass. III, c. 6, factum id scribit VII Idus Maii, quæ tum erat Dominica. Uss.

(1358) Hermannus, Luitoldi Carentani ducis frater, in Moguntino conciliabulo a. 1085, contra Altmannum intrusus: unde illud jam dudum nonnisi ad biennium extendi potest. Uss.

(1359) Misniæ marchio Uss.

æclesiæ de manibus ejus dolo suo maluit liberare, quam de eisdem cum domino suo pene absque periculo in honorem Dei et sancti Petri triumphare. Et hoc utique ideo, quia jam concepit animo, dominum suum regno privare.

MLXXXVIII.

Heremannus rex nativitatem Domini in Saxonia celebravit, ubi et Eggibertus comes se regnum affectare manifestavit set incassum, nam principes regni ei assentire noluerunt, immo tanto firmius domno regi deinceps adherere ceperunt [473]. Berthaldus dus doctor egregius, in sacris literis adprime eruditus, in senectute bona plenus dierum migravit ad Dominum 4. Idus Martii. His temporibus Pisani et Genuenses (1360) et alii multi ex Italia Affricanum regem paganum hostiliter invaserunt, et deprædata ejus terra, ipsum in quandam munitionem compulerunt, et eum deinceps apostolicæ sedi tributarium effecerunt. Dux Velf [474] civitatem Augustam recuperavit, capto ejusdem episcopatus invasore Sigifredo. Ugo comes de Egenesheim Alsatiam jam diu ab inimicis occupatam invasit [475]; et [475] recuperare [475] temptavit [475]. Metenses Brunonem, illius sedis pervasorem, penitus a civitate expellunt, seque nullum deinceps nisi legitimum pastorem recepturos juramento firmaverunt, qui eo tempore in Tuscia detinebatur in captione. In Saxonia piæ memoriæ Burchardus Halverstatensis episcopus, in causa sancti Petri firmissimus, eheu! occiditur; sed nichil differt an febris an gladius mittat nos ad Dominum. Migravit [476] autem ad Dominum 8. Idus Aprilis. Guibertus autem heresiarches nondum ab invasione sedis apostolicæ cessavit, nec Heinricus imperator ipsius veternosam tirannidem [477] contra fideles sancti Petri deponere voluit, quos tamen vincere non potuit. Romæ cardinales episcopi et reliqui de clero et populo catholici Ottonem Ostiensem episcopum, religione et eruditione præcipuum, papam 161um ordinaverunt, eique nomen, secundi Urbani indiderunt 4. Idus Martii; qui statim in sequenti die missis literis (1361) omnibus catholicis, et suam ordinationem omnibus declaravit, et se in omnibus vestigia sui prædecessoris piæ [478] memoriæ Gregorii papæ observaturum denunciavit. Wigoldus Augustensis episcopus post recuperationem suæ civitatis, et captionem Sigifredi pseudoepiscopi [479] sui supplantatoris, et ipse diem clausit extremum. Hezel, fidelissimus miles sancti Petri [480] et advocatus sanctæ Mariæ Augiensis cœnobii, monasterium in honorem [481] sancti Gregorii (1362) in proprio allodio construxit, in ipse demum monachus factus migravit ad Dominum Kalendis Junii. Eo [482] tempore quidam Guiberti heresiarchæ discipulus, videlicet Wormatiensis pseudoepiscopus, qui illam sedem per scismaticos non consecratus set execratus invasit, tandem resipiscens et ad catholicam [æclesiam [483]] rediens, episcopatum dimisit, seque ad penitentiam in Hirsaugiensi [484]] monasterio contradidit. Sic utique jam ante triennium et alius ejusdem Guiberti discipulus, Metensis inquam pseudoepiscopus (1363), penitentia ductus episcopatum dimisit, quem statim Bruno, cujus superius mentionem fecimus, non minus sacrilege invasit. Nam per scismaticos intravit, vivente adhuc legitimo illius sedis pastore Heremanno, qui potius in captione detineri, quam in scismate pro episcopo honorari [485] catholice delegit [486]. Gebehardus reverendæ memoriæ Juvavensis archiepiscopus, in [487] causa sancti Petri præcipuus, qui scismaticos publice dictis et scriptis confutare consuevit, de hac luce 17. Kal. Julii [488] subtractus, magnum [489] merorem catholicis dereliquit. Bernhardus Constantiensium magister scolarum, vir eruditissimus, in causa sancti Petri ferventissimus, in Saxonia sub monachica professione migravit ad Dominum [490]. Wecilo Mogontiensis et Meginhardus Wirciburgensis pseudoepiscopi, inter scismaticos eruditione et errore præcipui, absque æclesiastica communione in locum suum misere, set non miserabiliter, abiere. Saxones a fidelitate sancti Petri discedentes, Heinricum, quem multotiens abjuraverant, receperunt; unde Heremannus rex catholicus ab eis in Lothringiam secessit, ibique non multo post viam universæ terræ arripuit, anno dominicæ incarnationis 1088, regni vero ejus 7, indictione 13, et in patria sua Metis honorifice sepelitur (1364). Iterum Saxones factione Eggiberti marchionis Heinrico rebellarunt, eumque, ablatis sibi regalibus insignibus, de obsi-

VARIÆ LECTIONES.

[473] *alio tempore pergit* 1. [474] Welfo *eraso* o. 1. welfo 4b, [475] *in loco raso littera minori* 1. [476] Migravit — Aprilis *in loco litt. m.* 1. *desunt* 4b; *quorum loco :* Et hæc quidem apud fideles S. Petri agebantur *habet, et ita primum a Bernoldo scriptum fuisse, priusquam præsentem lectionem reciperet, vestigia in codice* 1. *ostendunt.* [477] contra — potuit *in loco raso l. m.* 1. [478] p. m. G. p. *desunt* 2. [479] p. e. *desunt* 2. [480] s. P. *desunt* 2. [481] in h. *desunt* 2. [482] Eo — catholice delegit *desunt* 2. [483] *deest* 1. 4b. [484] hirsaugensi *superscripto* i 1. [485] *in loco raso l. m.* 1 [486] *iterum pergit* 1. [487] in c. s. P. p. *desunt* 2. [488] 17. Kal Jul. *desunt* 4b. [489] *hic in* 2. *folium excisum est; pergit* matizatum censere. [490] *pergit* 1.

NOTÆ.

(1360) De victoria hac cf. Leonem Ostiensem 3, 70, et carmen in codice regio Bruxellensi servatum; v. Annales nostros t. VII, p. 539.

(1361) Exstant in Martenii collectione Monum. ampliss. t. I, col. 520. Uss.

(1362) In Chronico S. Georgii, quod exstabat in deperdito jam codice Villingano, legebatur ad a. 1084 : *Hoc anno cella S. Georgii primitus incœpta est ædificari*, et ad a. 1088 : *obiit Hezil fundator cellæ S. Georgii*; quod cum Bernoldo convenit. Uss.

(1363) Waldo S. Arnulfi abbas ex Hugone Flaviniac. Uss.

(1364) Cf. Chron. Petershus, l. II, n. 39.

dione cujusdam munitionis (1365) in quendam montem turpiter fugarunt (*Dec.* 24), ibique eum biduana obsidione ad confessionem anathematis et expetitionem reconciliationis compulerunt. Eo igitur pacto accepta pace discessit, sed a solita tirannide non recessit. Eggehardus abbas Augiensis, etsi non adeo religiosus, in fine tamen laudabiliter conversus, ut [491] aiunt [491], diem [491] clausit [491] extremum [491] cui [492] successit Oddalricus.

MLXXXIX.

In [493] vigilia nativitatis Domini Eggebertus marchio Heinricum [494] et omnem ejus exercitum cum paucis militibus, a quibusdam religiosis (1366) confortatus, viriliter invasit, eumque de obsidione cujusdam [495] sui [495] castelli [495] (1367), ubi ille nativitatem celebrare disposuit, turpissime fugavit. In hac invasione ex parte Heinrici Leomarus [496] Bremensis archiepiscopus et Berthaldus comes capiuntur. Losannensis 1368 non tam episcopus quam antichristus, dum fortiter vult agere, occiditur. Ipse autem Heinricus, perditis regalibus insignibus, vix de manibus insequentium eripitur; sicque usque ad Babinberc de Thuringia fugiendo tandem pervenit, ibique inglorius sollemnizare compellitur. Eggebertus autem marchio castello suo et castris inimicorum pene absque sanguine potitus, captis quoque pluribus et occisis, gratiarum actiones Deo et sancto Petro referre non cessavit quibus [497] et se deinceps puriori fidelitate adhesurum destinavit. Heremannus Metensis episcopus atque catholicus, post longam captionem ad episcopatum suum revertitur, et a multis gratanter recipitur; Bruno autem, ejusdem episcopatus temerarius invasor, ab omnibus despicitur. Nam et ipsi Heinrico pro turpissimis moribus (1369) suis multum displicuit, licet ei quondam eundem episcopatum vendiderit [498]. Hac igitur necessitate idem Bruno constrictus, episcopatum dimittere et ad patrem suum Adalbertum comitem in catholicorum partem repedare compellitur. Domnus papa Urbanus his temporibus Romæ in insula quæ inter duos pontes sita est morabatur, decretalemque epistolam (1370) venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo 14. Kal. Maii direxit, in qua ei episcopalem potestatem super clerum et populum Augiensis insulæ, præter monachos, concessit, data etiam auctoritate ut abbatem inibi vice sua ordinaret, item et apud Augustam sive Cu-

A riam episcopos constituere procuraret. Nempe in tota Alemannia Baioaria, Saxonia et aliis vicinis regionibus, prædicto [499] episcopo, et venerabili Almanno Pataviensi episcopo, vicem suam commisit, ut ordinationes improbandas improbarent, roborandas roborarent. Sententiam quoque anathematis a prædecessore suo papa Gregorio promulgatam ea discretione confirmavit, ut in primo gradu Ravennatem heresiarcham cum Heinrico rege anathematizatum [500] censeret; in secundo gradu eorum fautores, qui eisdem armis, pecunia, consilio, obedientia faverent, quique ab eisdem vel ab eorum fautoribus æclesiasticos ordines vel honores acciperent; in tercio autem gradu communicatores eorum posuit, quos etsi non excommunicaret, adeo tamen
B eos externa communione maculatos asseruit, ut in catholicam societatem sine absolutione et penitentia recipi non deberent : videlicet qui [501] excommunicatis salutatione, osculo, oratione, convictu vel ignoranter communicassent. Ordinatos vero in excommunicatione set non simoniace ab episcopis quondam catholice ordinatis, ut in adepto ordine persisterent sine promotione permisit, si tamen hoc eorum probitas et æclesiæ utilitas flagitare videretur. Aliquantis etiam ad superiores ordines promoveri concessit; set hoc rarissime, et cum summa necessitate. Guibertus autem heresiarches ejusque complices in parte regis eorum Heinrici anathematicas ordinationes facere non cessaverunt, ipsasque suis
C sectatoribus non nisi karissime venditas impenderunt. Unde et malum excommunicationis in tantum propagatum est eo tempore, ut catholici vix se ab ejus contagio possent illesos custodire. In Teutonicis partibus quatuor episcopi in catholica communione perstiterunt, videlicet Wirceburgensis, Pataviensis, Wormatiensis, Constantiensis, set et Metensis episcopus; quorum confortamento reliqui catholici scismaticis a principio restiterunt. Ugo comes de Eginisheim indefessus [502] miles sancti Petri, set nimium credulus Strazburgensi pseudoepiscopo, a servientibus ejusdem episcopi occiditur in cubiculo ipsius, cum ipso ad dormiendum collocatus, 2. Non. Septembris. Bonizo (1370*) piæ memoriæ Sutriensis episcopus, set inde pro fidelitate sancti Petri jam
D dudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes et exilia, a Placentinis catholicis pro episcopo recipitur; set a scismaticis ejusdem loci ef-

VARIÆ LECTIONES.

[491] *in loco raso* 1. [492] c, s. O. *alio tempore, sed paulo post et eadem manu addita* 1. *desunt* 4b. [493] *pergit* 1. [494] heinricum — confortatus *in loco raso* 1. [495] *in loco raso* 1. [496] Teomarus 4b. [497] quibus — destinavit *in loco raso* 1. [498] *alio tempore pergit* 1. [499] Geberhardo *addit* 3. [500] *hic pergit* 2. [501] quod 2. [502] i. m. s. P. s. n. c. St. p. *desunt* 2.

NOTÆ.

(1365) Gleichen in Thuringia.

(1366-1367) Inter eos præcipue Hartwigus Magdeburgensis archiepiscopus numeratur a Waltramo. Uss.

(1368) Burchardus.

(1369) Pessimos ejus mores depingit Waltramus, etsi Heinrico addictus, De unit. eccles. l. II, c. 30, quem filium Adalberti comitis de provincia Alemanniæ facit, Calwensis scilicet, monachum antea S. Trudonis. Uss.

(1370) V. Mansi XX, 666; epistolæ epitome hic sistitur. Uss.

(1370*) V. Ughellum Ital. Sac. t. I, p. 1273; t. II, p. 210.

fossis oculis, truncatis omnibus pene membris martirio coronatur. In Alemania Otto comes, impudentissimus adulter, et pro adulterio a Constantiensi episcopo excommunicatus, Dei judicio turpissime decollatur a militibus Ludovici comitis, cujus uxorem publicis nuptiis, eo vivente, sibi nefandissime copulavit; qui apud monasterium in prædio ipsius constructum a suis sepultus, jussu Constantiensis episcopi ejicitur, et, ut scriptum est, ad sepulturam asini deputatur. Milites quoque ejus opes ipsius diripuerunt, et tam allodium ejus quam feodum non heredes ipsius, set extranei possederunt, juxta quod in maledictionibus Judæ prophetatur: *Et diripiant alieni labores ejus* (*Psal.* CVIII, 11). Sic utique et post mortem suam in sepultura et in direptione rerum suarum evidentissime indicavit quam efficaciter sententiam excommunicationis exceperit. In Italia nobilissima [503] dux Mathildis filia Bonifacii marchionis, sed vidua Gotefridi ducis, Welfoni duci filio Welfonis ducis conjugio copulatur, et hoc utique non tam pro incontinentia quam pro Romani pontificis obedientia, videlicet ut tanto virilius sanctæ Romanæ æclesiæ contra excommunicatos posset subvenire. Qui statim maritum ejus impetere voluerunt, set cum ei resistere non possent; treuvas ab eo usque in pascha per interventum conjugis ejus impetraverunt. Heinricus rex dictus [504] multum de prædicto conjugio tristatur; qui iterum in Saxoniam cum expeditione profectus, sine honore reverti compellitur. Petrus piæ memoriæ Albanensis episcopus, in [505] causa sancti Petri ferventissimus, migravit ad dominum. Hic [506] est ille Petrus, qui Petrum Papiensem, Florentini episcopatus invasorem, per judicium ignis simoniacum esse probavit, unde et deinceps illum sancta æclesia igneum cognominavit. Nam magnam piram fiducialiter ingressus, absque omni lesione pertransiit, ut et flammæ vestes ejus susum ventilarent, nec tamen illas, nedum ipsum aliquo modo lederent (1371). Unde et prædictus Papiensis Petrus ab Alexandro papa deponitur; alter autem Petrus, pauperrimi [507] monasterii tunc monachus, in Albanensem episcopatum sublimatur. Erat enim tantæ sanctitatis, constantiæ et fidei, ut vix aliquis sui temporis ei potuerit comparari. Hic ergo de hac vita discedens, magnum merorem catholicis reliquit. Domnus papa Urbanus generalem sinodum 115 episcoporum collegit, et æclesiastica statuta suorum prædecessorum apostolica auctoritate firmavit. Guibertus autem heresiarches a Romanis turpiter expellitur, et ne amplius apostolicam sedem invadere præsumat, juramento promittere compellitur. Set jam aliquantulum diuturna regni discordia inter catholicos et scismaticos tepescere cepit, ut non jam bellum ad invicem, sed pacem componere sanius judicarent. Quapropter duces et comites sancti Petri fideles cum Heinrico colloquium habuerunt, eique suum consilium et auxilium ad obtinendum regnum firmissime promiserunt, si Guibertum heresiarcham vellet dimittere, et ad æclesiasticam communionem per catholicum pastorem remeare. Quam quidem conditionem nec ipse multum respueret [508], si tamen in hoc ei principes sui assentire vellent, videlicet episcopi qui se cum Guiberto deponendos esse non dubitaverunt, eo quod in ejus parte ordinationem, immo execrationem perceperunt. Hi ergo ei penitus hac vice dissuaserunt, ne sanctæ matri æclesiæ reconciliaretur. Domnus papa Constantinopolitanum imperatorem [509] ab excommunicatione per legatos suos absolvit, idem literas Philippi regis Francorum debitam ei subjetionem promittentis suscepit.

MCX.

In Bajoaria fideles sancti Petri jam adeo contra scismaticos invaluerunt, ut in Salcburgensi æpiscopatu catholicum ordinarent archiepiscopum (1372); quem statim religiosissimus Pataviensis episcopus et Urbani papæ legatus cum Wirceburgensi et Frisingensi episcopis sollemniter consecravit. Heremannus piæ memoriæ Metensis episcopus, et Berthaldus dux Alemanniæ, filius Roudolfi regis, in fidelitate sancti Petri Maio mense diem extremum clausere, magnumque merorem catholicis, et exultationem scismaticis reliquere. Soror quoque præfati ducis, regina Ungarorum (1373), eodem mense obiit. Ex parte autem excommunicatorum [510] Luitoldus [511] dux Carinthiorum inopinata morte præripitur, cum nuperrime contra fas et jus repudiata propria uxore aliam superinduxerit, Guiberto [512] quidem heresiarcha hoc ei concedente. Eggebertus quoque marchio de Saxonia, in [513] causa sancti Petri satis strennuus — dolo cujusdam abbatissæ de Quitelineburg (1374), sororis inquam Heinrici regis, ut aiunt — per insidias occiditur. Domnus papa Urbanus [514] generalem sinodum episcopis diversarum provinciarum per legatos suos in Tolosana (1375) civitate circa pentecosten collegit, ibique multa in æclesiasticis causis, quæ corrigenda erant, correxit. In qua sinodo Tolosanus episcopus (1376) de illatis

VARIÆ LECTIONES.

[503] n. d. *desunt* 2. [504] *deest* 2. [505] i. c. s. P. f. *desunt* 2. [506] Hic — catholicis reliquit *desunt* 2. [507] p. m. t. m. *in loco raso* 1. [508] *in loco raso* 1. [509] regem 2. [510] regis 2. [511] lvitolduf 1. [512] G. q. h. h. c. c. *desunt* 2. [513] i. c. s. P. s. s. *desunt* 2. [514] *deest* 2.

NOTÆ.

(1371) V. supra ad an. 1080.

(1372) Thiemonem S. Petri abbatem VII Id. April. consecratum. Uss.

(1373) Hanc fuisse Adelheidem Rudolphi anticæsaris filiam, nuptam S. Ladislao Hungariæ regi, contra hujus cœlibatus assertores pluribus probat Gerbertus Hist. Silvæ Nigræ t. I, p. 233, et in tractatu de Rudolpho et familia Rheinfeldensi. Uss.

(1374) Adalheidæ.

(1375) Vid. Mansi XX, 733.

(1376) Isarnus.

criminibus canonice expurgatur, et legatio pro restauranda christianitate in Toletana civitate, rege Hispanorum hoc supplicante, destinatur [515]. Welfo dux Italiæ multa incendia et deprædationes a Heinrico rege hoc in anno [516] Longobardiam ingresso patitur; sed adhortatu domnæ [517] Mathildis [518] suæ karissimæ conjugis eidem Heinrico resistere, et [519] in fidelitate sancti Petri persistere viriliter contendit. Hoc anno magna fames multas regiones repente afflixit, quanvis non magna sterilitas terræ præcesserit [520]. Adelbero reverendæ memoriæ Wirceburgensis episcopus, unus de antiquioribus episcopis, in causa sancti Petri contra [521] Guibertum et ejus complices strenuissimus, post multa pericula, persecutiones et exilia, quæ pro Christo libentissime passus est, in bona confessione diem clausit extremum (*Oct.* 6), in prædio suo quod Lanbach (1377) vocatur [522].

MXCI.

Domnus papa eo tempore in partibus Campaniæ morabatur, et ab omnibus catholicis debita reverentia colebatur, videlicet a Constantinopolitano imperatore, et a Philippo Francorum rege, aliisque diversorum regnorum principibus tam æclesiasticis quam secularibus, excepto in Teutonicorum regno, ubi multi ex catholicis in partem excommunicatorum avaricia decepti sponte sua se transtulerunt. Romani quoque turrem Crescentii, quæ eatenus domno papæ obediebat, dolo captam diruere temptaverunt. Dominus autem papa facile Romam cum exercitu intrare, et rebellium contumaciam domare potuisset, si non magis cum mansuetudine causam suam agere delegisset. Eo tempore Mantuani, diuturna obsidione a Heinrico rege jam per annum constricti, a domino suo Welfone duce discesserunt, et se et civitatem suam suo devastatori tradiderunt. Romani quoque Guibertum heresiarcham, quem jam dudum expulerunt, iterum Romam intrare, et sanctam æclesiam suis non benedictionibus set maledictionibus infestare permiserunt. Capuani Nordmannos de Capua expulerunt, quibus jam multo tempore sub pluribus apostolicis et regibus subjecti fuerunt. Unde et Nordmanni eos circumquaque usque ad murum civitatis præda et incendio devastaverunt. Domnus papa Urbanus generalem sinodum Beneventi (1378) collegit (*Mart.* 28), et sententiam anathematis super Guibertum heresiarcham et omnes ejus complices synodali judicio confirmavit [523]. Fridericus [524] comes et marchio 3. Kal. Jul. requievit in Domino [525]. Willihelmus piæ memoriæ Hirsaugiensis abbas, in causa sancti Petri ferventissimus, et in monastica religione studiosissimus [526], utpote multorum pater monasteriorum, 3. Non. Julii migravit ad Dominum. Hic primum Hirsaugiense monasterium tam in ædificiis quam in regularibus disciplinis mirabiliter exaltavit, ipsumque privilegio sedis apostolicæ sub Gregorio papa in perpetuum libertavit. Plura etiam monasteria usquequaque [527] ex [527] integro [527] construxit : duo quidem in Nigra Silva, unum sancti Georgii, alterum sancti Gregorii (1379), item aliud ad Duplicem aquam [528] prope Danubium, item aliud in Wirceburgensi episcopatu, in loco qui Chamberg dicitur. Scaphusense quoque monasterium [529] et Petrishusense, in Ripa Reni jam dudum ædificata, regularibus disciplinis instituit. Sed et alia quam plura in diversis regionibus tum [530] per se, tum [530] per sibi subjectos vel de novo fecit, vel jam facta regularibus disciplinis instituit. Hic etiam multa monimenta sui naturalis [531] ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum celestis hemisperii excogitavit; naturalia solsticia sive equinoctia et statum mundi certis experimentis invenire monstravit; quæ omnia quidam ejus familiaris etiam litteris mandare curavit (1380); multas etiam quæstiones de compoto probatissimis rationibus enodavit. Hic in musica peritissimus fuit, multaque illius artis subtilia, antiquis doctoribus incognita, elucidavit (1381), multos etiam errores in cantibus deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio (1382) sane omnibus pene antiquis videbatur præminere. Set ante hæc omnia in illo studium monasticæ districtionis prævaluit, in quo totus adeo efferbuit, ac si nunquam aliud aliquid studii habuerit. Erat enim [532] miræ sanctitatis, sanctæ simplicitatis, ferventissimæ karitatis, Deo vivus et seculo vere crucifixus : quem Dominus in senectute bona ad æternam patriam revocavit, cui ipse a juven-

VARIÆ LECTIONES.

[515] *jam pergit* 1. [516] h. i. a. *in loco raso* 1. *ubi prius* jam dudum *legebatur.* jam dudum 4^b^. *utrumque recte quum Heinricus jam Aprili mense Veronæ præsens fuerit.* [517] *deest* 2. [518] M. uxoris suæ eidem 2. [519] et i. f. s. P. p. *desunt* 2. [520] *jam pergit* 1. [521] c. G. et e. c. *desunt* 2. [522] *jam pergit* 1. [523] *jam pergit* 1. [524] Fridericus *usque* Domino *desunt* 4^b^. [525] *in loco raso, ubi prius lectio codicis* 3 in pace *scripta fuerit* 1. [526] *in loco raso* 1. [527] *in loco raso* 1. [528] scilicet Zwiuelton *glossa sæc. XIV.* 2. [529] *deest* 2. [530] *in loco raso* 1. [531] *in loco raso* 1. [532] *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(1377) Lambach in Austria superiore, ubi cœnobium condiderat.

(1378) Celebrata est synodus V Kal. Apr. Mansi XX, 738.

(1379) In Reichenbach. Vid. Gerbert Hist. Nigræ Silvæ t. I, p. 282; de S. Georgii p. 283; de Zwifaltensi p. 288; de Scafhusensi p. 262. Cf. Mabillonii observationes præviæ in ejus Vitam l. c., p. 717, et Trith. Chr. Hirs. t. I, p. 267. Uss.

(1380) Videtur innuere Heymonem ejus discipulum et Vitæ scriptorem. Operum ejus catalogum dederunt Anon. Mell. et Trithemius De script. eccles. et in Chronico ad annum 1070. Uss.

(1381) Musicam S. Wilhelmi edidit Gerbertus t. II, Scriptor. music. Uss.

(1382) Hac voce quatuor matheseos partes, arithmeticam, geometriam, musicam et astronomiam indicabant veteres. Uss.

tute in hac peregrinatione indefesso labore servivit. Bernhardus [533] quoque Constantiensium magister scolarum, cujus obitum supra notavimus (1383), multa [534] nobis [534] sui [534] ingenti [534] monimenta [534] reliquit [534], multaque pro catholicis contra scismaticos sui temporis elegantissime scripsit; et primum quidem [535] ad quosdam suos amicos de judicio Gregorii papæ VII. super scismaticos; et de sacramentis extra æcclesiam usurpatis (1384). Postea etiam ad venerabilem Hartvicum [536] Magideburgensem episcopum de eadem causa magnum librum luculentissime composuit ex persona sanctæ æcclesiæ, in quo testimoniis sanctorum patrum omnes insidiosas cavillationes eorumdem scismaticorum [537] prudenter annichilasse videtur. Set in eisdem scriptis nimio zelo ductus alicubi modum excessisse notatur, videlicet ubi agit de sacramentis scismaticorum. Negat enim omnino, ab eis vel ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici, ita ut ab illis ordinatos, si resipiscant, iterum ordinandos censeat. Set hoc sacratissimo Niceno [538] concilio æque ut evangelium [539] venerando repugnat, quod clericos ex Novatianis conversos cum ordine recipi, non iterum ordinari præcepit. Item Affricani patres de clericis Donatistarum conversis statuisse leguntur (1385). Item Gregorius papa primus Maximum Salonitanum præsumptorem excommunicatum, et ab excommunicatis ordinatum, cum ordine recepit, non utique iterum ordinavit (1386). Hoc sane illi nullatenus facerent, si nullum eos ordinationis sacramentum extra æcclesiam accepisse putarent. Item beatus Anastasius papa, scribens ad Anastasium imperatorem, asserit quod ordinatos ab Acatio, licet anathematizato, nulla portio lesionis attingeret, quantum ad integritatem sacramentorum. Item beatus Augustinus in multis suis scriptis, et præcipue in libro contra Donatistas de baptismo, invictissime probat æcclesiastica sacramenta extra æcclesiam et haberi posse et dari, set perniciose tam danti quam accipienti (1387). Hæc autem summatim tetigimus, ut in prædictis scriptis lectorem cautum faceremus, ne præpropere alicui sententiæ assentiat, quam tam autenticis sanctorum patrum sententiis adversari deprehendat. Ceterum si quis hæc plenius nosse desiderat, scriptum cujusdam (1388) ad eundem Bernhardum de eadem quæstione directum diligenter perlegat, in quo testimoniis sanctorum patrum evidentissime docebitur quid sancti patres de illa quæstione censuerint sentiendum. Verum idem venerabilis Bernhardus in ista, sicut et beatus Ciprianus in rebaptizationis sententia, non pertinaciter contra æcclesiam egerunt, set uterque nimium contra scismaticos zelantes aliquantulum regulam æcclesiastici dogmatis excesserunt [540]. Altmannus sanctæ recordationis Pataviensis episcopus, in [541] causa sancti Petri et in æcclesiastica religione studiosissimus, post multa pericula, tribulationes et exilia, quæ pro Christo sustinuit, in senectute bona migravit ad Dominum 6 Id. Augusti [542]. Hic in episcopatu suo tria (1389) cenobia clericorum juxta regulam sancti Augustini communiter viventium instituit et tercium (1390) in Frisingensi episcopatu, in allodio Welfonis ducis per clericos suos ædificavit [543], et regularibus disciplinis instituit [544]. Hic fuit tantæ sanctitatis, continentiæ et religionis, ut reverentissimo papæ Gregorio, sanctoque Lucensi episcopo, immo omnibus religiosis reverendus esset et amabilis [545], scismaticis vero et sceleratis odiosus et formidabilis. Unde [546] in obitu suo bonis magnum merorem, malis vero magnam reliquit exultationem. Welfo dux Bajoariæ in Augusto mense Longobardiam venit [547] (*Aug.*), ut Heinrico regi reconciliaretur, si ipse vellet permittere ut apostolica sedes a Guiberto heresiarcha invasa canonice disponeretur nec non et si eidem duci filioque ejus Welfoni, cæterisque eorum fautoribus bona eorum reddere vellet, quæ eis injuste ablata forent. Quam conditionem ille noluit adimplere; unde et dux in Alemanniam non tardavit redire. Multi tamen ex Alemannis Heinrico regi reconciliati sunt, et excommunicationem sedis apostolicæ communem sibi cum Heinrico fecere [548]. Dux (1391) autem iterum multos contra Heinricum ejusque fautores incitavit, ut etiam novum regem eligere decernerent, si quorumdam pigricia sive malivolentia eos

VARIÆ LECTIONES.

[533] Bernhardus — dogmatis excesserunt *desunt* 2. [534] *in loco raso* 1. [535] *vox supra lineam scripta* 1. [536] haruicum 1. [537] *in loco raso* 1. [538] neceno *corr.* niceno 1. niceno 3. 4b. [539] euglm̊ (o *eraso*) 1. [540] *hic pergit* 2. [541] i. c. s, P. et *desunt* 2. [542] VI. (*prius* VII.) Id. Aug. *in loco raso* 1. in Augusto mense 4b. [543] instituit 2. [544] auxit 2. [545] *in loco raso* 1. [546] Unde — exultationem *desunt* 2. [547] ingreditur 3. [548] fecere. Unde in Alemannia tantum excommunicatio prævaluit, ut multi religiosi viri et feminæ potius in perpetuum exulare deligerent, quam sub communione excommunicatorum deperirent. *addunt* 4b 4b*, *qui his verbis desinunt. Hæc a Bernoldo primum et in codice* 1. *scripta, quum pergeret, erasa, eorumque in loco* Dux — decernerent *scripta sunt.*

NOTÆ.

(1383) Scilicet ann. 1088.

(1384) Typis edita apud Ussermann. Prodr. II, 185, sqq.

(1385) Similia exstant Bern. Opusc. II, 4, supra.

(1386) Opusc. I, 9, supra.

(1387) Opusc. II, l. l.

(1388) Suum ipsius opusculum intelligit Bernoldus De sacramentis excommunicatorum juxta assertionem sanctorum Patrum, eidem Bernardo circa a. 1085 inscriptum, Prodr. II, pag. 187, 188. Uss.

(1389) Ista sunt S. Nicolai prope Passavium, S. Floriani in Austria superiore, et S. Hippolyti inferiore, nunc sedes episcopi. Uss.

(1390) Leg. *quartum* nempe Raitenbuchense, ad cujus fratres idem Bernoldus scripsit tractatum de presbyterorum officio. Vid. Vita S. Altmanni t. II, Aug. Bolland., p. 357, ad diem 8 August. ubi plura etiam de Gottwicensi cœnobio Uss.

(1391) Quæ jam sequuntur omnia usque ad finem libri Bernoldus in cœnobio Scafhusano conscripsit.

non impediret. His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in clericis et monachis religiosissime commanentibus, verum etiam in laicis, se et sua ad eandem communem vitam devotissime efferentibus; qui, etsi habitu nec clerici monachi viderentur, nequaquam tamen eis dispares in meritis fuisse creduntur [549]. Se enim servos eorumdem pro Domino fecerunt, imitantes ipsum qui non venit ministrari set ministrare, qui et suos sectatores ad majoritatem per servicii exhibitionem docuit pervenire. Nempe ipsi abrenunciantes seculo, se et sua ad congregationes tam clericorum quam monachorum regulariter viventium devotissime contulerunt, ut sub eorum obedientia communiter vivere et eis servire mererentur. Quapropter invidia diaboli contra eorumdem fratrum probatissimam conversationem quosdam emulos incitavit, qui eorum vitam malivolo dente corroderent, quamvis ipsos ad formam primitivæ æclesiæ communiter vivere viderent. Unde domnus papa Urbanus illorum conversationem ab ipsis apostolis plantatam, set ab eorum successoribus latissime propagatam, decreti sui apostolica auctoritate firmavit, ipsumque decretum prælatis eorumdem fratrum his verbis denunciare curavit: *Quosdam*, inquit, *accepimus morem vestrorum cenobiorum corodentes* [550], *quo laicos seculo renunciantes, et se suaque ad communem vitam transferentes, regendos in obedientia suscipitis. Nos autem eandem conversationem et consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus, laudabilem, et eo perpetua conservatione dignissimam, quo in primitivæ æclesiæ formam impressa est, judicantes, approbamus, sanctam et catholicam nominamus, et per præsentes litteras apostolica auctoritate confirmamus* [551]. Non solum autem virorum set et feminarum innumerabilis multitudo his [552] temporibus se ad hujusmodi vitam contulerunt, ut sub obedientia clericorum sive monachorum communiter viverent, eisque more ancillarum quotidiani servicii pensum devotissime persolverent. In [553] ipsis quoque villis filiæ rusticorum innumeræ, conjugio et seculo abrenunciare et sub alicujus sacerdotis obedientia vivere studuerunt. Set et ipsi conjugati nichilominus religiose vivere et religiosis cum summa devotione non cessaverunt obedire. Hujusmodi autem studium in Alemannia potissimum usquequaque decenter effloruit; in qua provincia etiam multæ villæ ex integro se religioni contradiderunt, seque invicem sanctitate morum prævenire incessabiliter studuerunt. Sic utique Deus sanctam suam æclesiam

A in periculosissimo tempore mirabiliter consolari dignatus est, ut de multorum conversione gauderet, quæ de excommunicatorum aversione jam diu non [554] cessavit [554] dolere [554]. In Teutonicis partibus caro cum sanguine pluvit, et bufones cum piscibus e celo ceciderunt, ut multi probabiles viri se vidisse testati sunt. In Alemannia ad Aquam duplicem prope Danubium sanguis de panibus effluere videbatur; quæ singula aliquid novi in regno portendere a quampluribus etiam religiosis credebantur. Juditha piæ memoriæ marchionissa, nobilis genere set nobilior in sanctitate, uxor quondam Heremanni religiosissimi marchionis (1392), migravit ad Dominum 5. Kal. Octobris. Ipsa enim cum marito suo religiose
B vixit, post cujus obitum 19 annos in viduitate et sancta conversatione permansit. Demum ad domnum papam Salernum pervenit, ibique sub ejus obedientia discessit [554]. Adelheida [554] Taurinensis [554] (1393) comitissa [554] 14 [554] Kal. [554] Januarii [554] obiit [554].

MXCII.

Domnus papa nativitatem Domini in terra sancti Petri extra Romam celebravit. Nam Guibertus heresiarcha ita se prope domum sancti Petri incastellavit, ut non facile absque humani sanguinis effusione expelli inde potuerit. Heinricus quoque, imperator ipsius [555], Longobardia jam biennio [556] morabatur, ibique [556] circumquaque [556] terram Welfonis Italici ducis præda, ferro et incendio devastare
C non [556] cessavit [556], ut [556] eundem [556] ducem [556] et prudentissimam [557] ejus uxorem a fidelitate sancti Petri discedere, sibique [558] adherere compelleret, set frustra; nam dux in sua sententia perstitit ipsique satis viriliter restitit. Set et pater ejusdem ducis, Welfo dux Bajoariæ, eundem [559] Heinricum ante proximam nativitatem Domini mirabiliter confudit, quem ad colloquium pervenire prohibuit, quod idem Heinricus et rex Ungarorum condixerunt, ad quod etiam pene jam convenerunt. In [560] Alemannia quidam laicus communem vitam more [561] apostolorum [561] professus [561], qui se et sua ad monasterium sancti Salvatoris (1394) contradidit, ibique diu debitam obedientiam exhibuit, derepente cepit apostatare, seque et sua de prædicto monaste-
D rio sacrilege non timuit abripere. Quapropter domnus papa Urbanus missis literis (1395) venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo ex apostolica auctoritate præcepit ut eundem apostatam canonice vocaret, et mucrone anathematis a membris Christi penitus eum amputaret, nisi [562] citius de eadem

VARIÆ LECTIONES.

[549] Se — auctoritate confirmamus *desunt* 2. [550] *ita* 1. [551] *pergit auctor*. Non solum — obedire *in loco raso* 1. [552] h. t. *desunt*. 2. [553] In — cessavit dolere *desunt* 2. [554] *in loco raso* 1. [555] *deest* 2. 3. impius imperator *habet* 3. [556] *in loco raso* 1. [557] *deest* 2. [558] a. f. s. p. d. que *desunt* 2. [559] e. regem h. 2. [560] In — resipisceret *desunt* 2. [561] *in loco raso* 1. [562] nisi — resipisceret *addita paulo post* 1.

NOTÆ.

(1392) Badensis; v. a. 1074.

(1393) Socrus Heinrici IV, de qua Gerbert in tractatu de Rudolfo anticæsare p. 118, seqq. Uss.

(1394) Scafhusense; cf. Chronicon Petershusanum lib. III, n. 24.

(1395) Litteras Urbani ante oculos habuit, quas ex cod. Udal. dedit Mansi XX, 707, 708. Episcopus Constantiensis ibi falso Gaufredus vocatur.

apostasia et sacrilegio resipisceret. Iterum principes Alemanniæ ad defensionem sanctæ matris æclesiæ contra scismaticos unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negocium exsequendum fratrem Constantiensis episcopi Berthaldum [563] ducem totius Sueviæ constituerunt, qui nondum aliquem ducatum habuit, etsi jam dudum nomen ducis habere consueverit. Magna fames totam Saxoniam occupavit, quæ et principes illius provinciæ in alias regiones eo anno ad tempus discedere coegit. Unde et generalis conventus fieri non potuit, quem principes Alemanniæ cum Saxonibus habere voluerunt. In Longobardia Chounradus, filius Heinrici regis, bona Adalheidæ Taurinensis comitissæ (1396) invasit, quæ ejusdem comitissæ nepos, filius Friderici comitis, habere debuit. Hic autem comes [564] sub habitu seculari more sancti Sebastiani strenuissimus miles Christi fuit, videlicet æclesiasticæ religionis ferventissimus amator et catholicæ pacis indefessus propugnator. Hunc [565] venerabilis papa Gregorius, hunc beatus Anshelmus Lucensis episcopus quasi unicum filium amaverunt. Hunc clerici et monachi, immo omnes religiosi ferventissime dilexerunt. Hic in fidelitate sancti Petri contra scismaticos usque ad mortem studiosissime certavit, in cujus etiam festivitate de hujus vitæ ergastulo ereptus, eidem in celesti patria creditur associatus. Erat autem filius domnæ Sophiæ et Ludowici comitis, quæ erat matertera comitissæ Mathildis, quæ [566] cum domino suo Welfone duce in Italia contra scismaticos multum laboravit. Obiit autem prædictus comes in præterito anno, id est dominicæ incarnationis 1091. indict. 14 [567], 3. Kal. Jul. scilicet [568] in festivitate sancti Petri, et in crastinum, id est in sollemnitate sancti Pauli, sepelitur. Hujus ergo filium ex nepte domnæ Adelheidæ susceptum Heinricus rex cum filio suo exheredare proposuit, terramque ejus hostiliter invadendo, et circumquaque devastando, etiam Fructuariensi [569] monasterio multa mala intulit [570]. In Bajoaria venerabilis Salcburgensis episcopus Diemo [571] Pata-

A viensi æclesiæ jam dudum viduatæ ordinavit episcopum nomine Oudalricum, sanctæ Augustensis æclesiæ præpositum, eumque in ipso die pentecostes cum episcopo Constantiensi et Wormatiensi sollemniter consecravit: hocque magnam fiduciam dedit catholicis, ut in fidelitate sancti Petri persisterent, et scismaticorum vesaniæ indefessius obsisterent [572]. In Ungaria his temporibus multa prodigia contigerunt, ut audivimus. Nam quidam mons se in Danubium præcipitavit: unde fluvius ille alveum suum mutare coactus, circumjacentes terras longe lateque vastavit. Item in sicca terra lacus magnus alibi emersit, et in alio lacu mons quidam de repente apparuit. Fluvius quoque nomine Thizaha (1397) per triduum sanguineus fluxit. B Sed et terræ motus ibi inauditus factus est, ita ut homines ejus impetum stando sustinere non possent. Tonitru quoque maximum et a seculis inauditum homines ibi terruit, quod supra terram transivit, et sub terra redire sentiebatur eadem via. In Alemannia Chono comes de Wulvelingin, strenuissimus miles sancti Petri, diem clausit extremum Idibus Octobris, et in monasterio quod ipse cum fratre suo comite Luitolfo in proprio allodio fundaverunt, honorifice sepelitur; ejusque bona frater ejus idem Luitolfus hereditario jure possedit, etsi jam dudum seculari militiæ abrenunciaverit. Ne [573] hoc utique fecit ea intentione, ut ad seculum rediret, set potius ideo ut prædictum monasterium eisdem bonis melioraret [574]. C In hoc anno quatuor presbiteri, non parvi nominis inter suos [574] et religionis, ex Suevia [575] Jerosolimam in orationem [576] profecti sunt; qui post multas tribulationes et angustias in ipso itinere, cum redirent, in bona confessione satis feliciter obiere; quorum unus, qui sanctam Mariam quotidiano officio singulari devotione venerari consuevit, ad æclesiam sanctæ Mariæ, in ipso mari cum moreretur, per navim Deo ordinante deportari meruit, ibique a quarto consacerdote suo, qui solus ex illis quatuor adhuc super-

VARIÆ LECTIONES.

[563] b. nomine 2. [564] *quæ sequuntur usque* Hunc clerici *in loco raso* 1. [565] Hunc — associatus *desunt* 2. [566] quæ — laboravit *desunt* 2. [567] XIIII. [568] scilicet — mala intulit *desunt* 2. [569] *in loco raso* 1. [570] *iam pergit* 1. [571] *in loco raso* 1. [572] *pergit* 1. [573] *ita* 1. [574] *pergit* 1. [575] *ita distinguit* 1. [576] S. peregrinantes Hierosolymam profecti sunt. 3.

NOTÆ.

(1396) Inter bona, quæ Adelheidi ex hæreditate paterna obtigerant, Guichenon (Hist. genealog. de la maison de Savoie t. IV, p. 200.) numerat marchionatum de Susa, ducatum Taurinensem, vallem Agostanam, aliasque terras circa Genevam, quæ omnia defuncta matre ad filium ejus primogenitum Petrum devolvebantur, et a patre ad filiam Agnetem de Sabaudia nuptam Friderico de Monte Belligardi seu Bar, et comiti Lucelemburgensi. Uss. — Sequitur Agnetis ex Adelheide stemma:

Meginfredus marchio

Herimannus Alam. dux (Herm. a. 1036) † 1038. — Adalheida † 1092 — Otto Sabaudiæ comes

Petrus — Amadeus — Bertha Heinrici IV. uxor — Adelheida Roudolfi ducis Al. uxor.

Agnes — Fridericus comes

Counradus rex

(1397) Theiss.

erat, honorifice sepelitur, ipseque sepultor eius non A multo post [577] itidem [578] defungitur [579]. Beatrix, soror Friderici marchionis (1398) et uxor quondam Berthaldi ducis (1399), tandem per diuturnam infirmitatem a Domino misericorditer castigata et examinata felicissime [578] diem clausit extremum 7. Kal. Novembris, et in civitate Leucorum ab episcopo loci honorifice sepelitur. Domnus Oudalricus, qui abbatiam sancti Galli et Aquileiensem episcopatum non intrando per ostium obtinuit, per quendam monachum sui monasterii (1400) Gebehardum Constantiensem episcopum supplantare conatus est, cui investituram ejusdem episcopatus a Heinrico impetravit. Set cum eundem supplantatorem ante natalem Domini inthronizare vellet, a Constantiensibus receptus non est, immo non sine contumelia repedare B compulsus est. Magnus quoque terræ motus in eodem episcopatu apud cellam Salvatoris eo tempore noctu contigit; unde et paucis tunc innotuit, præter quosdam religiosos viros (1401) et feminas, quibus eadem nocte nondum somnus obrepsit. Hunc terræ motum catholici juxta evangelium divinam iram portendere pro supradicta præsumptione non dubitarunt.

MXCIII.

Domnus papa Urbanus nativitatem Domini extra Romam in terra sancti Petri celebravit, eo quod nondum Romam absque armata manu intrare potuerit, Guibertistis quidem et excommunicatis multum adhuc ibi prævalentibus, nec facile se absque violentia inde expelli permittentibus. Ipse vero Guibertus C eo tempore cum imperatore suo Heinrico Longobardiæ morabatur, et quicquid potuit cum ipso contra ducem Welfonem et ejus uxorem Mathildam, sancti Petri filiam, machinabatur. Venerabilis Wernherus, Merseburgensis æclesiæ episcopus, post multas conflictationes contra scismaticorum tergiversationes, tandem in fidelitate sancti Petri diem extremum clausit; qui solus tunc in Saxonia catholicæ communionis episcopus remansit. Unde et catholicis magnam tristiciam, et excommunicatis magnam leticiam obeundo reliquit. Obiit autem satis feliciter 3. Idus Januarii. In Alemannia per diversa loca multi ignes per ærem simul ferri videbantur in octava epiphaniæ in summo mane, qui utique ignes D multa incendia non multo post per illam terram late grassatura significare non dubitabantur. Nam dux Welfo et comes Odalricus [579] de Brigantio (1402) et alii quam plures omnimodis se invicem incendiis devastare aggressi sunt. Sigifredus abbas Scafhusensis de Alemannia cellam Nobiliacum (1403) dictam a Richardo Massiliensi abbate impetravit, locumque sibi suisque fratribus ibi præparavit, quo ad tempus secedere posset, si forte in suo monasterio propter excommunicationem persistere nequisset. Nam illa veternosa excommunicatio quam piæ memoriæ Gregorius papa super Guibertum et ejus complices fecit, jam adeo majores atque minores in Alemannia contaminavit, ut quique religiosi se inter eos salva catholica communione perduraturos desperaverint. Nobilissima comitissa Sophia, vidua Ludowici comitis, mater piæ memoriæ Beatricis ducis et Friderici marchionis, in senectute bona, cum jam multos filiorum suorum filios [580] videret, diem clausit extremum. In Longobardia prudentissimi milites sancti Petri, Welfo dux et uxor ejus Mathilda, jam triennio contra scismaticos viriliter dimicantes, tandem multum contra ipsos, Deo opitulante, confortati sunt. Nam Chounradus filius Heinrici regis a patre discessit, et Welfoni duci reliquisque fidelibus sancti Petri contra patrem cum suis adjuvit. Civitates quoque de Longobardia, Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia, contra Heinricum in viginti annos conjuraverunt, qui omnes prædicto duci fideliter adheserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam quidam obtinuerunt ut fautores Heinrici ad ipsum non possent proficisci. Augustenses episcopum (1404) quem Heinricus illis dedit expulerunt, ipsique sibi catholicum pastorem (1405) canonice elegerunt, qui Eboregiensem episcopum in castello quo transitus Alpium custoditur (1406) captivavit, quod ipse illi facere deliberavit. Metentis æcclesia et Tullensis et Virdunensis ab obedientia [581] Eigilberti Treverensis excommunicati discesserunt, eique se non amplius obedituras apertissime mandaverunt; quorum Metensis refutato episcopo (1407) quem Heinricus eis dare voluit, ipsi sibi canonice [582] catholicum pastorem (1408) elegere [583], eumque a Gebehardo Constantiensi episcopo, sedis apostolicæ legato, catholice atque canonice consecrari fecere 6.

VARIÆ LECTIONES.

[577] *post* iti *folium excidit* 2. [578] *in loco raso* 1. [579] *ita* 1. [580] s. f. *desunt* 3. [581] dientia *ita pergit* 2. [582] *deest* 2. [583] *jam pergit* 1.

NOTÆ.

(1398) Est hic ipse Fridericus, de quo mox supra actum, comes Moncionis et Montisbeliardi ob prædictam hæreditatem marchio dictus, cujus et sororis ejus Beatricis stemma sistit Schœpflinus Hist. Zaring. Bad. t. I, p. 58, sqq. Uss.

(1399) Primi hoc nomine Zaringensis. Uss.

(1400) Arnoldum nominat Burkhardus De casibus monast. S. Galli cap. 7; cf. Chronicon Petershusanum l. III, n. 26. Uss.

(1401) Quorum unus Bernoldus fuerit?

(1402) Vid. Disquisit. ad Chron. Petershusanum p. 292 sqq. (*Patrologiæ tom.* CXLIII, in HERMAN. CONTRACT.) et Chron. l. III, n. 16. Uss.

(1403) Urstisius in nota cellam hanc illam S. Fidis in Grafenhausem juris hodie San-Blasiani vico suspicatur. Vid. Gerbert. Hist. Silvæ Nigr. t. I, p. 264. Uss.

(1404) Sigefridum.

(1405) Eberhardum; v. Ann. August. a. 1094, SS. t. III, p. 124.

(1406) Bard.

(1407) Adalberone

(1408) Popponem.

Kal. Aprilis, in medio quadragesimæ [584]. Domnus papa Urbanus generalem sinodum (1409) centum pene episcoporum in quadragesima ex diversis provinciis in Apulia congregavit, et diversis æclesiarum necessitatibus sinodali provisione competenter succurrere curavit [585]. In Longobardia Chuonradus filius Heinrici regis a patre dolo circumvenitur et captivatur; set Dei misericordia inde ereptus, a Mediolanensi archiepiscopo (1410) et reliquis sancti Petri fidelibus in regem coronatur, annitente Welfone duce Italiæ, et Mathilda ejus karissima [586] conjuge. Set et pater ejusdem ducis, Welfo dux Bajoariæ, non multo post ad eundem noviter coronatum regem in Longobardiam venit, eique cum filio suo fideliter adherere sategit. Heinricus vero pater regis in quandam munitionem [587] se contulit, ibique diu absque regia dignitate moratus nimioque dolore affectus se ipsum, ut aiunt, morti tradere voluit, set a suis præventus ad effectum pervenire non potuit. In Alemannia dux Berthaldus monasterium novum in honorem sancti Petri in prædio suo in Nigra Silva a fundamentis extruxit, multisque bonis ditavit. Set et omnia bona alterius monasterii, quod ejusdem ducis pater in alio loco (1411) ædificavit, iste ad istud transtulit. Hoc ergo monasterium frater ipsius ducis Gebehardus, Constantiensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, sua consecratione initiavit, alterque Gebehardus Yrsaugiensis abbas regularem disciplinam monachorum ibidem instituit. Hæc autem consecratio facta est in Kalendis Augusti, cum est statio ad vincula sancti Petri, quorum [588] etiam magnam partem venerandus abbas Sigefredus de cella Salvatoris eidem loco contulit, et multas aliorum sanctorum reliquias. In eadem etiam consecratione abbas illi loco eligitur, ejusque dispositioni et monachi et extructio loci cum omnibus ad illum pertinentibus libere committitur, ipseque locus apostolicæ sedi specialiter subjacere destinatur [589]. Item in Alemannia Hartmannus comes et frater ejus Otto novum monasterium in proprio allodio, in loco ubi Danubius et Ilaris fluvius conveniunt (1412), in honorem sancti Martini construxerunt; quod item prædictus Constantiensis episcopus in mense Septembri sua consecratione iniciavit; set venerabilis abbas Uto de Sancto Blasio regularem disciplinam ibidem instituit. Eodem etiam tempore idem episcopus prædicto abbati aliud monasterium (1413) non longe multum inde (1414) in honorem sancti Georgii consecravit; quem locum et quæque ad illum pertinentia, quidam nobilis homo Chonradus [590] et fratres ejus ad Sanctum Blasium absque omni conditione tradiderunt, et prædictum abbatem, ut Dei servicium in eodem loco institueret, rogaverunt; quorum votis idem abbas annuere non cessavit. Hoc tempore uxor egregii comitis Adelberti (1415), nomine Weliga [591] (1416), magni ducis Gotifredi (1417) filia, satis laudabiliter cum viro suo in seculo conversata, diem clausit extremum, et apud Hyrsaugiense monasterium, quod ipsa potissimum instituit et amavit, satis honorifice sepelitur [592]. Signum in sole factum est 9. Kal. Octobris ante [593] meridiem, ut circulus quidam in illo appareret, et ipse in sereno celo obscurissime [594] luceret [595]. Sed hoc magis quidam eclipsin quam signum fuisse putaverunt, præcipue cum luna esset vicesima octave ea die. Nam [595] egregius calculator domnus Heremannus [596] etiam in vigesima septima luna eclipsin accidisse scribit anno [597] Domini 1033 [598]. Gehebardus Constantiensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, Welfonem ducem Bajoariæ per manus in militem accepit, sicut et proprium fratrem Bertaldum ducem Alemanniæ jam dudum fecit; cum quibus et reliquis Alemanniæ principibus magnum conventum apud Ulmam habuit. In quo conventu firmissime laudatum est, ut Constantiensi episcopo omnimodis secundum statuta canonum obediretur, et ut ducis Berthaldo et comitibus secundum legem Alemannorum obsecundaretur. Deinde firmissimam pacem tam duces quam comites, tam majores quam minores, se observaturos a 7. Kal. Decembris usque in pascha, et a pascha, in duos annos juraverunt : videlicet omnibus monachis sive conversis et clericis catholico episcopo subjectis, æclesiis et earum atriis et doti earum, mercatoribus, et omnibus eodem juramento obligatis, excepto Arnoldo invasore Constantiensis æclesiæ et omnibus ejus fautoribus. Hanc pacem singuli principes qui convenerunt, usquequisque [599] per potestatem suam, usquequaque viritim jurare fecerunt. His temporibus rex Hispaniæ Adefonsus, in fide ca-

VARIÆ LECTIONES.

[584] *iterum pergit* 1. [585] *pergit* 1. [586] *deest* 2. [587] monitionem *corr.* munitionem 1. [588] quorum — committitur *desunt* 2. [589] *pergit* 1. [590] *ita* 1. [591] Wilga *Uss. contra codicum auctoritatem.* [592] *pergit* 1. [593] ante — luceret *in loco raso* 1. [594] *deest* 2. [595] Nam. e. c. d. H. *in loco raso* 1. [596] H. Contractus 3. [597] an *hinc folium fere totum excisum est* 2. [598] *pergit* 1. [599] vſq; ꝗſq;

NOTÆ.

(1409) Trojæ scilicet in Apulia v Id Mart. synodus celebrata est 75 episcopis præsentibus. Mansi XX, 789.

(1410) Anselmo.

(1411) Weilheim infra arcem Teck; cf. Gerberti Hist. Nigræ Silv. t. 1, p. 290. Uss.

(1412) Wiblingen, S. Blasii colonia, B. Wernero abbate illuc cum fratribus misso. Vid. Gerbert. l. c., p. 250. Uss.

(1413) Oschsenhusen cella tunc S. Blasii; v. Gerbert. l. c., p. 294. Uss.

(1414) Sc. a Wiblingensi cœnobio.

(1415) Hoc nomine II. comitis Calwensis, qui Hirsaugiense monasterium restauravit. Vid. l. c., p. 260. Uss.

(1416) Sive Wiltrudis.

(1417) Barbati.

tholicus et in conversatione Cluniacensis abbatis obedientiarius sepissime contra paganos pro christianis viriliter dimicavit, multasque æclesias jam dudum penitus devastatas in pristinum statum restauravit. Ipse etiam Cluniaci majorem æclesiam a fundamentis ædificavit, ad cujus æclesiæ ædificationem infinitam pecuniam Cluniacum direxit; qui etiam jam dudum se ibidem monachum fecisset, si domnus abbas (1418) ad tempus eum sub seculari habitu retinere non satius judicaret. In Longobardia venerabilis Anshelmus Mediolanensis archiepiscopus, in causa sancti Petri studiosissimus, qui nuper Chonradum regem incoronavit, satis laudabilem fecit finem, magnumque merorem fidelibus sancti Petri dereliquit; cui venerabilis Arnolfus de Porta argentea in episcopatu successit.

MXCIV.

Domnus papa Urbanus natalem Domini Romæ solemniter celebravit, quamvis plures Wibertini in urbe adhuc latuerint, quos domnus papa absque militari manu non facile potuit expellere. Maluit ergo eorum injuriam ad tempus tolerare, quam Romanos cives armata manu inquietare. Guibertus autem heresiarcha cum imperatore suo apud Veronam eo tempore fuit, seque libenter papatum deserere simulavit, si alio modo pax in æclesia recuperari non potuerit. Uxor hujus imperatoris jam diu multis injuriis lacessita, multisque annis, ne aufugeret, custodita, tandem ad Welfonem ducem Italiæ aufugit; quæ apud suos tot et tanta tamque inaudita mala se passam conquesta est, ut etiam apud inimicos misericordiam se inventuram non dubitaret; nec in hac utique spe decepta est. Nam dux et uxor ejus Mathildis gratanter eam susceperunt, et honorifice tractaverrunt. Juditha uxor ducis Welfonis Bajoariæ, jam diu infirmata, et ea castigatione non parum meliorata, diem clausit extremum 4. Nonas Martii, et apud monasterium, quod maritus ejus in honorem sancti Martini (1419] in proprio allodio construxit, a Gebehardo Constantiensi episcopo honorifice sepelitur; ad quod monasterium maritus ejus dux capellam (1420) ipsius tradididit, quæ in auro et argento et preciosissimis paramentis mille libras pene valuit, idemque monasterium in possessionibus centum pene mansis melioravit; sicque melioratum et de sua potestate emancipatum sancto Petro sub jure tributario contradidit, ut apostolicæ sedi deinceps principaliter subjaceret, et sub ejus defensione, ut alia libera monasteria jure perpetuo polleret. Domnus papa Romæ prope sanctam Mariam novam [600] in quadam firmissima mu-

A nitione morabatur; sed Wibertini turrim Crescentii obtinentes, adhuc liberum viatoribus transitum ad papam per pontem Tiberis nondum permiserunt [601]. Nam abbatem quendam de cella sancti Petri in Alemannia (1421), a Gehebardo Constantiensi episcopo et a fratre ejus duce Berthaldo ad papam directum, dum per illum pontem transire vellet, in captione detinuerunt. Welfo dux Bajoariæ firmissimam pacem quam dudum [602] cum Alemannico duce Berthaldo et reliquis Alemanniæ principibus iniciavit, usque Bajoariam, imo usque ad Ungariam propagavit. Francia quoque Teutonica et Alsatia eandem pacem in suis partibus se observaturas juramento decreverunt. Hec tamen pax in Alemannia maxime invaluit, eo quod principes ejus quisque in sua po-
B testate justiciam facere non cessaverit; quod reliquæ provinciæ nondum facere decreverint. Et [603] præcipue dux Berthaldus ad faciendam justiciam in ducatu Alemanniæ adeo exarsit, ut in observatione justiciæ omnes prædecessores suos pene vicerit, et de hoc omnium ora pio rumore compleverit. Magnam tamen difficultatem adhuc in illis partibus sancta mater æclesia in devitatione excommunicatorum perpessa est, quos utique vix devitare posset, si non jam dudum domnus papa sententiam excommunicationis quodammodo cum apostolica auctoritate temperasset. Nam multos ipse more prædecessoris sui venerabilis papæ Gregorii de excommunicatione seclusit, videlicet viatores, rusticos, servos et ancillas, uxores et filios, quos tamen per-
C versa voluntas eodem vinculo excommunicationis non astrinxerit. Gebehardus Constantiensis æclesiæ episcopus magnam sinodum Constantiæ in epdomada majori ante pascha cum abbatibus et clericis innumerabilibus, et cum prædictis ducibus et reliquis Alemanniæ principibus canonice celebravit (*April. inc.*), ibique multa quæ corrigenda erant correxit. Ibi etiam incontinentiam [604] presbyterorum et violentiam simoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio penitus sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi contra fas et jus ministrare præsumpsissent. Statuit etiam ibi juxta statuta sanctorum patrum, ut jejunium Martii in prima epdomada quadragesimæ, et jejunium Junii in epdomada pentecostes semper celebrentur. Item
D statuit ut tam in epdomada pentecostes quam in epdomada paschali tres tantum dies festive celebrarentur. Nam usque ad illud tempus Constantiensis episcopatus morem comprovincialium non est secutus, videlicet integram septimanam in pascha (1422), et unum diem tantum in pentecoste obser-

VARIÆ LECTIONES.

[600] *vox detrita et atramento recenti restaurata* 1. [601] *pergit* 2. [602] q. d. *desunt* 3. [603] Et — compleverit *desunt* 2. [604] incnentiā 1.

NOTÆ.

(1418) Hugo, qui a 1108 obiit.

(1419) Weingartense.

(1420) Thecam SS. sanguinis Domini [hic intelligit P. Hess Prodr. Monum. Guelph. 47. In Necrol. Weingart. (Hess. Mon. Guelph., p. 136) notatur III. Non. Mart. qui forte fuit dies depositionis. Conf. Origines Guelphicas t. II, p. 277. Uss.

(1421) Adalbero fuisse videtur. Uss.

(1422) Hic ritus antiquissimus colligitur ex serm. 259 S. Augustini, et statuitur can. 66 Trullano. Et

vando; quamvis utræque septimanæ ejusdem observationis esse debuerint, et quamvis alii episcopatus pene omnes prædictam constitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc inquam ipse in proprio episcopatu et ex episcopali auctoritate et ex apostolica legatione canonice potuit instituere; nam lægatus fuit sedis apostolicæ per [605] totam Teutonicam terram usquequaque. Querimonia Praxedis reginæ, quæ dudum ad Welfonem ducem Italiæ a marito suo discessit, ad Constantiensem synodum pervenit, quæ se tantas tamque inauditas fornicationum spurcicias et a tantis passam fuisse conquesta est ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret. In [606] hac synodo venerabilis abbas Sigefridus de cella sancti Salvatoris super Toutonem (1423) obedientiarium suum se proclamavit, qui se et bona sua ad illum monasterium libere contradidit; sed non multo post sacrilege se et sua inde penitus abalienare temptavit. Unde sancta sinodus juxta statuta canonum judicavit ut vir ille absque omni contradictione ad obedientiam sui abbatis rediret, eique cum suis bonis jure perpetuo humiliter subjaceret, et de transacta inobedientia juxta præceptum abbatis dignam penitentiam exequi studeret; sicque factum est ut sinodus faciendum esse judicavit. In Bajoaria magna mortalitas grassabatur, adeo ut in Ratisponensi civitate infra duodecim septimanas [607] octo milia quingenti illa mortalitate intercepti numerarentur; set et alias provincias eadem mortalitas afflixit, non tamen adeo ut Bajoariam. In Teutonicis partibus multa prodigia facta sunt. Nam et homines se ipsos suspenderunt, et lupi multos manducaverunt. Et hoc ex divina ultione factum non dubitabatur, eo quod legem divinam neglexissent, et excommunicatione maculari non timuissent. Fulmina quoque de celo multum homines terruerunt. Nam in monasterio apud Utenburron [608] majus crucifixum et sedilia monachorum, utpote non regulariter viventium, a fulmine dissipata sunt. Item in Basiliensi æclesia majori fulmen contrivit trabem crucifixi sustentatricem, videlicet cum excommunicatis ibidem multi convenissent. Hoc tempore magister Manegoldus de Liutenbach monasterium clericorum [609] apud Marhbach (1424) instituere cepit, seque unum eorumdem

VARIÆ LECTIONES.

[605] p. t. T. t. u. *desunt* 2. [606] In — esse judicavit *desunt* 2. [607] Hebdomadas 3. [608] Utenbürron 2. [609] *deest* 2.

NOTÆ.

adhuc a. 948 in concilio Ingilheimensi c. 6 decernitur *ut paschalis hebdomada festive tota celebretur;* et additur: *et in Pentecosten secunda, tertia, quarta feria non minus quam dies Dominicus solemniter honoretur.* Quod tamen in desuetudinem abiisse hic ex Bernoldo colligitur. Uss. Cf. Ann. August. h. a.

(1423) De hoc jam egit Bernoldus ad a. 1092, rem tamen aliter enarrat Chronicon Petershusanum. Uss.

(1424) In Alsatia prope Colmariam. De hoc Manegoldo æque, ut Bernoldus erat, pœnitentiario apostolico, quemque is hoc et annis 1097 ac seq. deprædicat, nonnulla subnotare visum est. Cognomen suum de Lutenbach a superioris Alsatiæ oppido Lautenbach seu Luterbach, unde ortus fuit, traxisse videtur. De illo hæc Richardus Pictavensis in chronica sæc. XII (Martene collect. ampl. t. V, p. 1169): *His temporibus* (tempore Heinrici I, regis Galliæ, adeoque ante a. 1056,) *florere cœpit in Theutonica terra Menegaldus philosophus, divinis et sæcularibus litteris ultra coætaneos suos eruditus. Uxor quoque ejus et filiæ, religione florentes, multam in Scripturis habuere notitiam, et discipulos proprios filiæ ejus prædictæ docebant.* Eumdem dilaudat Bulæus (Hist. Univers. Paris., t. I, p. 347): *Manigaudus de Lutenbach Teutonicus Parisiis omnibus disciplinis imbutus in patriam regreditur, et quod didicit, popularibus exponit.* Hæc uberius declarat Trithemius (Annal. Hirs., t. I, p. 282), ad a. 1087 de Theogero ex S. Georgii abbate, postea Metensi episcopo ita scribens: *Ad litteras ponitur, et sub magisterio cujusdam Manegoldi præfecti scholarum in Alsatiæ provincia, viri non solum doctissimi, sed etiam morum sinceritate integerrimi* (*qui Christianus recte dicebatur et erat philosophus*) *optime institutus in brevi doctus omni genere scientiarum evasit,* quod spectata Theogeri ætate circa a. 1060 factum videtur. Defuncta autem uxore clericatui nomen dedit, ita enim de eo anonymus Meilicensis de Script. eccles. c. 105; *Manegoldus presbyter, modernorum magister magistrorum, strenuus assertor veritatis fuit, a qua nec promissis nec minis schismatici regis* (Heinrici IV) *flecti potuit. Quin immo in dissensione illa, quæ inter Gregorium VII et Heinricum IV exorta fuit, pro tuenda justitia laboravit usque ad vincula;* quod Bernoldus ad a. 1098 refert. In Annalibus brevibus Argentin., sæc. XII (Grandidier, Preuv. du Vol. II de l'hist. d'Alsace, tit. 433) hæcs leguntur: *Anno Dom. MXC fundata est Marbach ecclesia S. Augustini a militari et illustri viro Burchardo de Gebelswilre, cujus adjutor et cooperator fidelissimus magister Manegoldus de Lutenbach exstitit.* Quod item legitur in fragmento hist. apud Urstis. p. II, p. 83. Unde Bernoldus hoc ad a. 1094 referens de illo tempore intelligendus venit, quo absoluto monasterio canonicam ibi vitam instituit, et ipse se illius canonicis adjunxit, factus brevi post primus eorum præpositus, qualis jam notatur in bulla Urbani ad ipsos Turonis IX Kal. April. a. 1096, data (Gall. Christ. t. V instrum., p. 474). Quo tempore ipse Manegoldus cum pontifice Turonis erat, haud dubie monasterii sui confirmationem petiturus, et forte tunc primus ab eo præpositus constitutus. Colligitur id ex litteris ejusdem Urbani II ad Gebhardum episcopum Constantiensem a. 1096 (Pez., Thes. Anecd. t. VI, p. I, p. 297), in quibus testatur se, cum Turonis esset, per Manegoldum magistrum scholarum litem componere tentasse inter Scafhusensium et Raitenbuchensium congregationes exortam. Erat igitur adhucdum scholarum magister, cum Turonos accederet, nominatus dein a papa Marbacensis præpositus. Vid. Gallia Christ. (t. V, p. 384), ubi tamen cœnobium istud melius ad Basileensem quam Argentoratensem diœcesim referretur. Exstat porro apud Pezium (l. c., p. 298) alia Urbani II epistola, in qua, exprobrata præposito et M. decano in Raitenbuch inobedientiæ et dolositatis culpa, sub interdicti pœna præcipit ut Scafhusensibus satisfaciant. Hunc Manegoldum (si tamen littera initialis M. eum

clericorum communiter et regulariter viventium esse voluit. In [610] Nigra silva, in loco qui de sancto Blasio cognominatur, monasterium in honorem ejusdem sancti a fundamentis cepit ædificari 3 Idus Septembris. Nam Deus adeo illum locum exaltavit, totque illuc ad conversionem venire fecit, ut necessario ampliora ædificia instituere debuerint. Ipsa quoque die inceptionis hujusmodi ædificationis, domnus Uto, venerabilis abbas ejusdem loci, priorem suum, domnum Hartmannum (1425) in Orientale regnum (1426), scilicet in marcham Ungaris collimitaneam, cum aliis confratribus suis direxit, ad novam abbatiam in episcopatu Pataviensi, in loco qui Cotewich dicitur, instituendam. Erat autem in illo loco cenobium clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc a domno papa, et per papam a proprio eorum episcopo impetrarunt, ut, deposito habitu clericali, fierent monachi. Quapropter domnus abbas de Sancto Blasio ex præcepto domni papæ et ex episcopi postulatione in eodem loco abbatiam instituere disposuit, fratresque suos illuc ad hoc exequendum direxit. Heremannus juvenis bonæ indolis et advocatus Augiensis, per insidias heu ! crudeliter a servis Augiensis æclesiæ, dum ad æclesiam causa orandi vellet ire, in frusta conciditur 7 Kal. Octobris, et in monasterio apud sanctum Georgium, quod ejus pater in proprio allodio construxit, honorifice sepelitur. Venerabilis presbiter Perhicherus, multarum sanctimonialium provisor religiosissimus, migravit ad Dominum 2 Kal. Octobris, magnumque [611] merorem reliquit tam viris quam feminis [612]. Sed et alii innumerabiles presbiteri in Teutonicis partibus obierunt, qui suos parrœchianos in magno periculo ejusdem mortalitatis dimiserunt. Nam adeo maxima mortalitas usquequaque grassabatur, ut in una villa plus quam mille quinquaginta homines infra sex epdomadas mortui numerarentur. Set et in una die et in una villa plus quam quadraginta alicubi [613] mortui sunt. Ipsa quoque cimiteria æclesiarum adeo sepulturis impleta sunt, ut homines ibi mortuos suos sepelire non potuerint. Unde in pluribus locis, facta prægrandi fossa extra cimiterium, omnes suos mortuos in illam conjecerunt. Hæc autem mortalitas non solum Teutonicos, set et Franciam, Burgundiam, Italiam usquequaque vexabat; quæ tamen sapientibus non adeo detestanda videbatur. Nam maxima multitudo cum penitentia et confessione et probabili fine discesserunt, quem infirmitate detenti [614] sibi post aliquot dies proventurum præscierunt. Quippe omnes pene infirmi ad certitudinem obitus sui se præparaverunt, quod alio tempore vix aliqui sancti [615] facere potuerunt. Ipsi etiam superstites a secularibus vanitatibus, id est a jocis, a tabernis et aliis hujusmodi superfluis abstinere

VARIÆ LECTIONES.

[610] In—direxit *desunt* 2. [611] m. m. r. t. v. q. f. *desunt* 2. [612] *pergit* 1. [613] *in loco raso* 1 alibi *Uss. contra auctoritatem codicum.* [614] detentis 1, 2. [615] vix sani *Uss. contra auctoritatem codicum.* — aliqui *deest* 3.

NOTÆ.

denotet) decanum Raitenbuchensem Mauriani (Hist. litt. de France, t. IX, p. 285) eumdem statuunt cum Marbacensi præposito. Quamvis autem circa illa tempora Manegoldus quidam decanus in Raitenbuch exstiterit, qui librum contra Gregorii VII laceratores composuit, ut testatur Gerhohus ex Raitenbuchensi canonico præpositus Reicherspergensis (Pez. l. c. p., II, p. 491); eum tamen præpositum Marbacensem egisse, nobis ne vero quidem simile videtur. Hic enim ex Bertholdo a. 1094 Marbacense collegium instituit, cujus anno 1096 Turonis præpositus constitutus, domum redux reconciliandis schismaticis in Alsatia unice occupatus fuit, ob id etiam ab Heinrico rege diu in captione detentus, ut ibidem ad a. 1098 legitur. Aut qui in dissitis adeo locis monastica munia, in Alsatia quidem præpositi, decani vero in Bavaria, obire potuit unus idemque Manegoldus? Nec etiam credibile est, virum papæ tantopere addictum, ut propterea carcerem quoque a schismaticis pertulerit, ejusdem tamen repetitis mandatis eo usque restitisse, donec ad ea exsequenda censuris compelleretur; quod utique fecit Raitenbuchensis iste decanus, uti mox et altera Urbani II epistola vidimus. Utrumque pariter Manegoldum distinguit Pezius (Præf. ad t. II Thes. Anecdot., p. 30) ex libro Manegoldi contra Wolfhelmum Coloniensem, quem edidit Muratorius (Anecdot. t. IV, p. 163), in quo cap. 24 mentionem facit Wirrici Trevirensis magistri, qui sub persona Virdunensis episcopi fecit epistolam contumeliis sanctæ ecclesiæ redundantem, cui velocius respondere deliberat. Wirricus iste haud alius est quam Wenericus clericus Trevirensis, postea Vercellensis episcopus, qui teste Thrithemio (Annal. Hirsaug., t. I, p. 253) scripsit ex persona Theoderici Virdunensis episcopi ad Gregorium VII volumen, quod de sacerdotii et imperii discordia prænotavit. Exstat apud Martene (Thes. Anecdot., t. I, p. 214) : agunt de illo etiam Mauriani (Hist. litt. de France, t. VIII, p. 252, sqq.). Ipsa vero Manegoldi promissa responsio contra hunc Weuricum, quam Pezius aliique aut nunquam factam, aut saltem deperditam arbitrati sunt, nuper reperta est in codice msc. bibliothecæ ser. marchionis Badensis, quæ Carolsruhæ est, unde transumptum ad monasterium Pollinganum pervenit 78 capitibus comprehensum, quorum titulos cum parte præfationis (l. c., tit. 495) sistit Grandidier. Opusculum inscripsit auctor Gebehardo, dubium an Constantiensi episcopo, vel Salisburgensi archiepiscopo, jam a. 1088 defuncto, meminitque ibi destructi sui monasterioli quondam præpositi Hartmanni, quod haud aliud esse arbitror quam Lautenbach seu Lutembach a Manegoldo in patrio suo Alsatiæ superioris oppido circa ann. 1070 forte constructum aut saltem dotatum, et forte a schismaticis in odium Manegoldi destructum, ac postea in canonicorum sæcularium hodieque insigne collegium commutatum. Saltem se in hortis in Lutenbach cum Wolfhelmo convenisse testatur Manegoldus mox initio sui contra eumdem opusculi supra citati Uss. Vid. Bernoldus infra ad finem anni.

(1425) De nova hac colonia et Hartmanno ejus ductore cf. Gerberti Hist. Nigræ Silvæ t. I, p. 253, et Vitam S. Altmanni episcopi Pataviensis et fundatoris Gottvicensis Pez. Script. Austr. t. I, p. 115. Uss. Hartmannus ab Altmanno episcopo prior Sancti Nicolai Pataviensis constitutus anno 1076 a militibus Heinrici IV pulsus sanctum Blasium migraverat. Cf. Ussermanni not. 9, ad h. l.

(1426) Osterriche, Oesterreich.

studuerunt, et ad confessionem et penitentiam currere, seque sacerdotibus commendare non cessaverunt. Unde maxima multitudo eadem mortalitate satis probabiliter obiere. In Galliarum civitate quam Ostionem (1427) vulgariter dicunt, congregatum est generale concilium a venerando Ugone (1428) Lugdunensi archiepiscopo et sedis apostolicæ legato, cum archiepiscopis, episcopis et abbatibus diversarum provinciarum, 17 Kal. Novembris. In quo concilio renovata est excommunicatio in Heinricum regem et Wibertum sedis apostolicæ invasorem, et in omnes eorum complices; item rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eo quod vivente uxore sua alteram superinduxerit; item Simoniaca heresis et incontinentia sacerdotum sub excommunicatione damnata est; item monachis interdictum est in eodem concilio ne parrœchialium sacerdotum officia in parrœchiis usurpent. Hæc, inquam, omnia ibi sunt constituta, et apostolica legatione firmata. Adelbertus comes de Calva [616], juvenis bonæ indolis, obiit 3 Non. Decembris [617]. In Alsatia magister Manegoldus de Liutenbach mirabiliter æclesiasticam religionem, jam dudum in illis partibus omnino extinctam, Deo miserante, reaccendit. Nam invalescente apud illos diuturna mortalitate [618], omnes pene majores et militares illius provinciæ ad ipsum catervatim convenere, et de excommunicatione per potestatem ipsi a domno papa concessam absoluti, etiam de reliquis eorum peccatis, accepta penitentia, per eum absolvi non cessaverunt. Hi omnes domno papæ Urbano deinceps obedire decreverunt; unde et officia Simoniacorum et incontinentium presbiterorum penitus recipere noluerunt. Hujus autem obedientiæ domnus Manegoldus maxima causa fuit; unde et magnam invidiam sibi apud perfidos excitavit quam tamen pro minimo reputavit, quia pro Deo contemni etiam gloriosissimum esse non dubitavit.

MXCV.

Domnus papa Urbanus, jam dudum de Roma profectus, nativitatem Domini in Tuscia gloriosissime celebravit; in qua provincia Pisanus episcopus, nomine Dagobertus, ei studiosissime servivit, quem ipse jam dudum archiepiscopali pallio et potestate sublimavit, quod eatenus Pisanæ sedis episcopus habere [619] non [619] consuevit [619]. Heinricus autem [620] rex dictus [620] eo tempore in Longobardia morabatur, pene omni regia dignitate privatus. Nam filius ejus Chonradus jam dudum in regem coronatus, se ab illo penitus separavit, et domnæ [621] Mathildi

A reliquisque fidelibus sancti Petri firmiter conjunctus totum robur paterni exercitus in Longobardia obtinuit. Welfo, filius Welfonis ducis Bajoariæ, a conjugio domnæ [621] Mathildis [622] se penitus seques travit, asserens illam a se omnino immunem permansisse; quod ipsa libentissime in perpetuum reticuerit, si non ipse prior illud satis [623] inconsiderate [623] puplicaverit. Unde pater ipsius in Longobardiam nimis [624] irato animo pervenit, et frustra diu multumque pro hujusmodi reconciliatione laboravit. Ipsum etiam Heinricum sibi in adjutorium ascivit contra domnam Mathildam, ut ipsam bona sua filio ejus dare compelleret, quamvis nondum illum in maritali opere cognosceret [625]; unde diu frustra laboratum est. Domnus papa; Deo et sancto

B Petro prosperante, jam pene ubique prævaluit, et in media Longobardia in civitate Placentina, inter ipsos scismaticos, et contra ipsos generalem sinodum (1429) condixit (*Mart.* 1); ad quam episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Bajoariæ, aliarumque provinciarum canonica et apostolica auctoritate missis literis convocavit.

Facta est autem hæc sinodus circa mediam quadragesimam Placentiæ, ad quam sinodum multitudo tam innumerabilis confluxit, ut nequaquam in qualibet æclesia illius loci posset comprehendi. Unde et domnus papa extra urbem in campo illam celebrare compulsus est; nec hoc tamen absque probabilis exempli auctoritate. Nam ipse primus legislator Moyses populum Dei in campestribus legalibus

C præceptis Deo jubente instituit, et ipse Dominus non in domibus set in monte et in campestribus discipulos suos evangelicis statutis informavit (1430). Missas quoque nonnunquam extra æclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente, celebramus, quamvis æclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoremus. In hac sinodo Praxedis regina, jam dudum a Heinrico [626] separata, super maritum suum domno apostolico et sanctæ sinodo conquesta est de inauditis fornicationum spurciciis [627] quas apud maritum passa est; cujus querimoniam domnus papa cum sancta sinodo satis misericorditer suscepit, eo quod ipsam tantas spurcicias non tam commisisse, quam invitam pertulisse

D pro certo cognoverit. Unde et de penitentia, pro hujusmodi flagiciis injungenda, illam clementer absolvit, quæ et peccatum suum sponte et publice confiteri non erubuit. Ad hanc sinodum Philippus rex Galliarum legationem suam direxit, seque ad illam itiner [628] incepisse, sed legitimis soniis (1431)

VARIÆ LECTIONES.

[616] caleuua 2. [617] *reliqua anni desunt* 2. [618] immortalitate *corr.* mortalitate 1. [619] *in loco raso* 1. [620] *deest* 2. [621] *deest* 2. [622] mathidis 1. [623] *in loco raso* 1. [624] *in loco raso* 1. [625] cnosceret 1. [626] H. rege 2. [627] spurciis 1. [628] *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(1427) Autun.

(1428) Cf. litteras Hugonis archiep. Lugdun. de congregando illo concilio, Mansi XX, 799.

(1429) Mansi XX, 804.

(1430) Hæc exempla ex præfatione Actorum sumpta sunt.

(1431) I. e. mora. Lex Salica tit. 1.

se impeditum fuisse mandavit (1432). Unde indutias sibi usque in Pentecosten apud domnum papam, sinodo intercedente impetravit. Domnus autem Hugo [629] Lugdunensis archiepiscopus ad eamdem sinodum vocatus, ab officio suspenditur, eo quod ipse non venerit, nec legatum cum canonica excusatione illuc pro se direxerit. Item legatio Constantinopolitani (1433) imperatoris ad hanc sinodum pervenit, qui domnum papam omnesque Christi fideles suppliciter imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra paganos pro defensione sanctæ æclesiæ conferrent, quam pagani jam pene in illis partibus deleverant, qui partes illas usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis obtinuerant. Ad hoc ergo auxilium domnus papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent se illuc Deo annuente ituros, et eidem imperatori contra paganos pro posse suo fidelissimum adjutorium collaturos. Hæc autem inter alia in illa sinodo constituta sunt ad penitentiam nullo modo reciperentur qui concubinas, vel odium ex corde (1434), vel quodlibet mortale peccatum dimittere nollent. Item ut nullus presbiter aliquos ad penitentiam reciperet, nisi cui proprius episcopus hanc curam commisisset. Item ut quibuslibet rite ad confessionem venientibus eucharistiam non denegemus, quos solo corpore, non mente, inter excommunicatos manere, nec tamen eorum sacramentis communicare cognoscimus. In hac quoque sinodo heresis Simoniacorum penitus damnata est, ut quicquid vel in sacris ordinibus vel in æclesiasticis rebus data vel promissa pecunia adquisitum Simoniace videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires (1435) habuisse vel habere judicaretur. His tamen qui non Simoniace et nescienter a Simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando ordine concessa est; qui vero scienter ab hujusmoip ordinati sunt, cum suis ordinatoribus inrecuperabiliter damnati sunt (1436). Item heresis Nicholaitarum, id est incontinentium, subdiaconorum, diaconorum et præcipue sacerdotum, inretractabiliter damnata est, ut deinceps de officio se non intromittant, qui in illa heresi manere non formidant; nec populus eorum officia ullomodo recipiat, si ipsi Nicholaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant. Item heresis Beringariana, jam ab antiquo sepissime anathematizata, iterum damnata est, et sententia catholicæ fidei contra eamdem firmata est; videlicet quod panis et vinum, cum in altari consecrantur, non solum figurate sed etiam vere et essentialiter in corpus et sanguinem Domini convertantur. Item in Guibertum heresiarchen, sedis apostolicæ invasorem, et in omnes ejus complices sententia anathematis sinodali judicio cum ardentibus candelis iterum promulagata est. In hac sinodo quatuor fere milia clericorum et plus quam triginta milia laicorum fuisse perhibentur. In hac sinodo constitutum est ut pro crismate, et baptismo, et sepultura nichil unquam exigatur (1437). Item ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, scilicet primum in prima epdomada quadragesimæ, secundum in epdomada Pentecostes, tercium vero quartum in Septembri et Decembri solito more fiant (1438). Huic sinodo reverentissimi antistites interfuerunt, de Baojaria quidem Diemo Salcburgensis [630] archiepiscopus, et Oudalricus Pataviensis episcopus, ejus suffraganeus, de Alemannia vero Gebehardus Constantiensis episcopus; qui et Arnoldum Mediolanensem archiepiscopum diu quidem electum (1439), set nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domni papæ Mediolani consecravere. Ipse quoque domnus papa Oudalricum Augiensem abbatem eo tempore consecravit, qui itidem prædictæ sinodo interfuit; cui in præsentia Constantiensis episcopi omnem episcopalem postestatem [631] in clerum et populum Angiensis insulæ interdixit, quam dudum Constantiensi episcopo concessit (1440). Abbas tamen ille non multo post de illa potestate se intromisit; unde quærimonia facta ab episcopo, domnus papa illum missis literis ab hujusmodi præsumptione iterum compescuit. Chonradus rex filius Heinrici domno papæ Urbano Cremonam venienti obviam progreditur, eique stratoris officium exhibuit 4 Idus Aprilis. Deinde [632] fecit ei fidelitatem juramento de vita, de membris, et de papatu Romano. Domnus autem papa in filium sanctæ Romanæ æclesiæ recepit illum, eique consilium et adjutorium ad obtinendum regnum et coronam imperii adquirendam coram populo firmissime promisit, salva quidem justicia illius æclesiæ, et statutis apostolicis maxime de investituris in [633] spiritualibus [633] [634] officiis [633] a [633] laico [633] non [633] usurpandis [633]. Welfo dux Bajoariæ cum suo Welfone tandem de Longobardia in Alemanniam rediit, multumque de restitutione Henrici in regnum, quamvis de anathemate nondum absolutum [635], cum principibus regni frustra laboravit. Nam et fautores Heinrici non facile ejus persuasione crediderunt; Catholici autem excommunicationem et perjurium incurrere timuerunt, si reciperent Heinricum, quem sub excommunica-

VARIÆ LECTIONES.

[629] ugo 1. [630] salbburgensis *corr.* salcburgensis 1. [631] *deest.* 2. [632] Denule 1. [633] *addita eadem manu* 1. [634] spālibus 1. [635] *ita* 1.

NOTÆ.

(1432) Vid. Ivonis Carnotensis epistola 46 ad papam apud Baronium h. a. Uss.
(1433) Imperatoris Alexii.
(1434) Mansi XX, 814.
(1435) *Quidquid — vires* sunt verba e capite 2 sumpta; sequentia e cap. 3 et 4.
(1436) Conformiter illis quæ Bernoldus ad Gebehardum Constant. episcopum ad hanc synodum iturum ipsius rogatu perscripsit. Vid. opusculum XIII. Uss.
(1437) Cap. 13.
(1438) Verba capitis 14.
(1439) Vid. in fide anni 1093.
(1440) Vide supra ad ann. 1089.

tione communiter abjuraverunt. Chonradus rex cum regio apparatu in Tusciam Pisas perrexit, ibique sponsam suam, filiam Rogerii ducis de Sicilia, adhuc admodum parvulam, cum inaudita pecunia sibi oblatam accepit. Domnus papa, rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias marino itinere cepit divertere, et ad Sanctam Mariam ad Podium in Assumptione ipsius (*Aug.* 15) pervenit, sinodumque ad montem Clarum in octavam sancti Martini apostolica [636] auctoritate [636] condixit, ad quam diversarum provinciarum episcopos missis literis canonica vocatione invitavit. Liutolfus, sanctissimi Leonis papæ noni filius (1441) sanctæque Tullensis æclesiæ decanus, monasterium clericorum, quod canonicam Romani cognominant, prope eandem civitatem construxit, in quo clericos secundum sancti Augustini regulam vivere professos congregavit; quibus et præpositum ejusdem professionis præfecit, quem episcopus loci etiam in abbatem eidem congregationi sollemniter consecravit. Est enim consuetudo in illis partibus, ut præpositi congregationum hujusmodi abbates nominentur et in abbates consecrentur, hoc tantum excepto, quod baculos non portant. Domnus quoque papa Urbanus eidem loco privilegium fecit, in quo firmissime decrevit ut clerici illius loci regulam sancti Augustini in perpetuum custodiant, et deinceps libertatem eligendi abbatis semper obtineant. Est autem illud monasterium in honorem sancti Leonis papæ specialiter constructum, et æclesia in ejusdem apostolici honorem solemniter dedicata. Datum est hoc privilegium in Longobardia venerabili Liutulfo a domno papa anno Dominicæ [637] Incarnationis [637] 1095. Liutolfus ditissimus marchio de Orientali regno, in causa sancti Petri fidelissimus contra [638] scismaticos, diem clausit extremum; de [639] cujus obitu quantum Catholici doluerunt, tantum adversarii sanctæ æclesiæ gavisi sunt. Heinricus etiam Palatinus comes, multum et ipse dives, set [640] apostolicæ sedi non adeo obediens, viam universæ terræ arripuit, diviciasque [641] multas a multis sibi inutiliter diripiendas dereliquit. In Galliis ad Clarum montem generalis sinodus (1442) a domno papa in octava sancti Martini congregata est (*Nov.* 18), in qua tredecim archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, et ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac sinodo domnus papa eadem statuta quæ et in præterita sinodo Placentina confirmavit; insuper et Philippum regem Galliarum excommunicavit, eo quod, propria uxore dimissa, militis sui uxorem sibi in conjugium sociavit. Ibi etiam aliam sinodum in terciam subsequentis quadragesimæ epdomadam Turonis celebrandam denunciavit.

MXCVI.

Domnus papa Arelatis (1443) diem Dominicæ nativitatis cum diversarum provinciarum episcopis gloriosissime celebravit. In his locis ex parte scismaticorum Viceburgensis episcopus (1444) ad apostolicum pervenit, ejusque misericordiam consecutus est; ita tamen, ut eadem misericordia a legatis papæ in Teutonicis partibus eidem perficeretur. In tercia epdomada quadragesimæ (*Mart.* 17) domnus papa sinodum celebravit (1445), cum diversarum episcopis provinciarum in civitate Turonensi, ubi iterum suorum præteritorum statuta conciliorum generalis sinodi assensione roboravit; et non multo post episcopum Strazburgensem (1446), de excommunicatione resipiscentem, recepit in communionem, ita tamen, ut de illatis criminibus se expurgaret. His temporibus maxima multitudo de Italia et omni Gallia et Germania Jerosolimam contra paganos, ut liberarent Christianos, ire cepit. Cujus expeditionis domnus papa maximus auctor fuit. Nam et in præteritis [642] sinodis studiosissime omnes de hac expeditione præmonuit [643], eamque eis in remissionem peccatorum faciendam firmissime commendavit. Omnes quoque qui ad hoc iter se devoverunt, signo crucis se ipsos in vestibus notare fecit, quod etiam signum quibusdam in ipsa carne notatum apparuit. Unde et a quampluribus Dei ordinatione et inspiratione ipsum iter inceptum fuisse credebatur. Nimium tamen simpliciter innumerabilis multitudo popularium illud iter arripuerunt, qui nullomodo se ad tale periculum præparare noverunt vel potuerunt. Unde et eorum non parva pars in Ungaria occubuit, quæ terram Ungarorum satis imprudenter devastare præsumpsit. Reliquam vero subsequentem multitudinem rex Ungariæ terram illam intrare non permisit; cujus etiam non parva pars ad introitum Ungariæ occubuit. Non erat autem mirum quod propositum iter ad Ierosolimam explere non potuerunt, quia non tali humilitate et devotione, ut deberent, illud iter adorsi sunt. Nam et plures apostatas in comitatu suo habuerunt, qui abjecto religionis habitu cum illis militare proposuerunt. Sed et innumerabiles feminas secum ha-

VARIÆ LECTIONES.

[636] *in loco raso* 1. [637] *in loco raso* 1. [638] c. s. *desunt* 2. [639] de — gavisi sunt *desunt* 2. [640] s. a. s., n. a. o. *desunt* 2. [641] d. m. a. m. s. i. d. d. *desunt* 2. [642] p̄titis 1. [643] promovit 3.

NOTÆ.

(1441) Spiritualis, sub illius adhuc Tullensis episcopi cura in claustro illius Ecclesiæ educatus. De celebri hac S. Leonis abbatia vid. Gallia Christ., t. XIII, p. 1104, ubi etiam inter instrumenta col. 472 Lutolfi charta fundationis habetur, data VI Idus Octobr. a. 1091. Uss.

(1442) Vid. hujus concilii Acta, Mansi t. XX, p. 815. Uss.

(1443) Acta concilii Lemovicensis papam Lemovici solemnia Christi celebrasse testantur. Mansi XX, 921.

(1444) Einhardus.

(1445) XII Kal. April. Mansi t. XX, p. 927.

(1446) Ottonem.

bere non timuerunt, quæ naturalem habitum in virilem nefarie mutaverunt, cum quibus fornicati sunt; in quo Deum mirabiliter, sicut et Israheliticus populus quondam, offenderunt. Unde post multos labores, pericula et mortes tandem, cum Ungariam non permitterentur intrare, domum [644] inacte cum [645] magna [645] tristicia [645] ceperunt [645] repedare [645]. Philippus rex Galliarum, jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domno papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venit, et, abjurata adultera, in gratiam receptus est, seque in servicium domno papæ satis promptum exhibuit. Domnus papa, bene dispositis rebus in Gallia, post reconciliationem regis Galliarum et post multa concilia tandem in Longobardiam [646] cum magno triumpho et gloria repedavit, et Exaltationem sanctæ crucis apud Mortarium (1447) prope Papiam sollemniter celebravit, multosque episcopos et principes in suo comitatu habuit. Sigifredus piæ memoriæ Scafhusensis abbas, vir [647] magnæ prudentiæ et admirabilis benevolentiæ, 5 Kal. Novembris ad Dominum migravit, omnibusque [648] fidelibus tam laicis quam spiritualibus magnum merorem in sua discessione reliquit; cui venerabilis Gerhardus in ordine successit in 4 Non. Novembris [648]. Werinharius comes (1448) obiit 3 Idus Novembris. Luitfredus sanctæ recordationis abbas de monasterio sancti Martini, jam [649] pene triginta annis mundo crucifixus et soli Deo vivus, in senectute bona, videlicet plenus dierum [649], diem clausit extremum 2 Kal. Januarii.

Hoc [650] anno in quibusdam civitatibus Judei magna cede trucidati sunt ab his qui Hierosolimam petierunt; ita dico, ut apud Spiram fugientes in palacium regis et episcopi, etiam repugnando vix se defenderent, eodem episcopo Johanne illis auxiliante. Qui etiam postea ob hoc ira commotus, et pecunia Judeorum conductus, quosdam fecit obtruncari Christianos. Item apud Wormaciam Judei persequentes fugiendo Christianos, ad episcopum properabant. Qui cum non aliter illis salutem, nisi baptizarentur, promitteret, inducias colloquii rogaverunt. Et eadem hora episcopi cubiculum intrantes, nostris foras expectantibus quid responsuri essent, diabolo et propria duricia persuadente, se ipsos interfecerunt.

MXCVII.

Domnus papa tandem ad apostolicam sedem cum magna gloria et tripudio reversus, nativitatem Domini Romæ cum suis cardinalibus gloriosissime celebravit, quippe tota urbe Romana pene sibi subjugata, præter turrim Crescentii, in qua adhuc latitabant Wibertini. Azzo marchio de Longobardia, pater Welfonis ducis de [651] Bajowaria, jam major centenario, ut aiunt, viam universæ terræ arripuit, magnamque werram suis filiis de rebus suis dereliquit. Nam Welfo dux omnia patris sui bona, utpote matri suæ donata, obtinere voluit; set fratres ejus, de alia matre procreati, noluerunt se penitus exheredari; unde et aditum ei in Longobardiam prohibuerunt, cum iret ad possidendum. Domna Mathildis egregia [652] dux et marchionissa, devotissima sancti Petri filia, magnum sibi nomen ubique eo [653] tempore [653] acquisivit. Nam ipsa pene sola cum suis contra Heinricum et heresiarcham [654] Wibertum complicesque eorum jam septennio prudentissime pugnavit, tandemque Heinricum [655] de Longobardia satis viriliter fugavit; et ipsa [656], recuperatis suis bonis, Deo et sancto Petro gratias referre non destitit. Heinricus vero cum paucis Ratisponam in Pentecosten devenit (*Mai* 24), et ibidem totam æstatem et circa castrum Nurinberc [657] satis private moratus, tandem Nemetum migravit, itidem ibi satis private diu moraturus [658]. Interim dux Welfo Bajoariæ Longobardiam profectus est ad possidendam hereditatem patris sui Azzonis marchionis, qui nuper defunctus est; set filii ejusdem marchionis de alia conjuge (1449) prædicto duci totis viribus restitere. Unde idem dux adjutorium Heinrici ducis Carentani et fratris ejus Aquileiensis patriarchæ coactus asciscere, fratres suos hostiliter invasit; sicque hereditatem patris de manibus eorum ex magna parte sibi vendicavit [659] (1450). Oudalricus comes (1451) præclarissimus [660], in causa sancti Petri contra schismaticos propugnator ferventissimus, heu! satis immatura morte, set cum bona confessione [660] diem clausit extremum, et apud Brigantium, ubi ipse monasticam vitam instituit, honorifice sepelitur 6 Kal. [661] Novembris [662].

MXCVIII.

Domnus papa Romæ nativitatem Domini celebravit, maximamque pacem in ipsa urbe et in ejus finibus firmissime composuit, ibidemque pascalem sollemnitatem (*Mart.* 28) cum magna gloria itidem celebravit. Sed emulus ejus Guibertus in partibus Ravennæ eo tempore demoratus, quandam munitionem perdidit, in qua ipse spem suam maxime habuit,

VARIÆ LECTIONES.

[644] demum *corr. eadem manu* domum 1. demum 2. [645] *in loco raso* 1. [646] logobardiam 1. [647] v. m. p. et a. b. *desunt* 2. [648] omnibusque — Non. Novembris *desunt* 2. [649] jam *usque* plenus dierum *desunt* 2. [650] Hoc — interfecerunt *in margine addita scriptura paullo longiori quam Bernoldi; qui et* Hierosolimam *non scribit* 1. *adsunt* 2. 3. [651] de B. *desunt* 2. [652] e. d. et m. d. s. P. f. *desunt* 2. [653] *in loco raso; antea* id tempus *scriptum fuisse videtur* 1. [654] *deest* 2. [655] *deest* 2. [656] *i* in r. 2. [657] *vox inserta* 1. [658] moratus 2. [659] *pergit* 1. [660] in — confessione *desunt* 2. [661] VI. K. N. *desunt* 2. [662] *pergit* 1.

NOTÆ.

(1447) Mortare, ab occidente Papiæ. Uss.

(1448) Wernerus II comes de Habsburg, qui Liutfridum e S. Blasio ad Murense monasterium evocavit. Vid. Gerbert Hist. Nigræ silvæ t. I, p. 246.

(1449) Garsende.

(1450) Vid. Origines Guelf. t. II, p. 280 et 298.

(1451) De Brigantino et Curiensi hoc comite jam supra ann. 1093, actum, qui Augiam majorem fundavit, ubi ipse æque ac Bertha uxor, Rudolfi anticæsaris filia, sepulcrum nacti sunt. Vid. Gerbert de Rudolfo anticæsare. Mortis ejus circumstantias refert Chronicon Petershus. Uss.

videlicet castellum nomine Argentum (1452), quod Pado imminet, et omnes per Padum transeuntes distringere potest. Gerhardus [663] venerabilis abbas Scaphusensis [664] pro humilitate locum suum, annuente domno papa, dimisit, et ab ipso concessionem, ut alius eisdem loco abbas præficeretur, impetravit. Sed magna calamitas illum locum pastore destitutum statim subsecuta est, ita ut ex fratribus multi illum desererent, et sæculares bona loci illius sibi sacrilege vendicarent. Unde et abbas ibidem ordinari diu non potuit, juxta quod domnus papa fieri disposuit. Advocatus etiam ipsius loci comes Adelbertus munitionem quandam ibi prope firmavit, et bona abbatiæ sibi sacrilege vendicavit. Quapropter monachi cum crucibus et reliquiis et letaniis suppliciter ad eandem munitionem processerunt; set a militibus comitis partim occisi, partim vulnerati, set omnes male tractati, domum redire vel reportari compulsi sunt; quippe crucibus et reliquiis particulatim disruptis et per campum heu! miserabiliter dissipatis. Hinc ille comes tam clericis quam laicis multum erat abominabilis. Set et ipsi monachi judicio Dei hoc promeruisse a quamplurimis judicabantur, eo quod abbatem suum non bene tractaverint, eumque a se absque competenti ratione non tam dimiserint quam expulerint. Manegoldus [665] venerabilis præpositus canonicorum apud Marchbach degentium a Heinrico rege diu in captione detentus est [666], eo quod scismaticis contra æclesiasticam auctoritatem obedire noluerit; unde et tota æclesia ei longe lateque condoluit [665]. Gotefredus dux nepos magni ducis Gotefredi, Roubertus filius Baldowini comitis, Behemundus [667] filius Rouberti ducis Calabriæ atque Siciliæ, Rimundus comes de Sancto Egidio, item Otto Strazburgensis episcopus et comes Hartmannus de Alemannia (1453), hi inquam omnes et alii quam plures, cum innumerabili multitudine jam dudum Jerosolimam tendere ceperunt, et Nicea civitate atque Antiochia aliisque civitatibus de potestate paganorum ereptis, et præcipue patriarcha Jerosolimitano in locum suum restituto, usque prope [668] Jerosolimam cum multis præliis atque victoriis pervenerunt. Unde domnus papa ad eandem multitudinem suam legationem direxit, videlicet venerabilem Theobertum (1454) Pisanæ æclesiæ archiepiscopum, qui et illis in omnibus apostolica vice adesset et æclesias in locis unde pagani expulsi sunt instauraret [669].

A Sed Constantinopolitanus rex huic dispositioni impedimento fuit, qui se omnimodis a nostrorum adjutorio subtraxit. Nam civitates illas quas nostri de manibus paganorum eripuerunt, ille penitus incendio devastare vel paganis reddere non timuit [670], iterque Jerosolimitanum per suam potestatem omnibus peregrinis omnino [671] prohibuit. Hoc anno factum est mirabile signum in celo 5 Kal. Octobris, ut tota pene illa nocte magna pars celi sanguinea appareret; nec rubor ille in uno tantum loco permansit, set omnes partes celi præter meridiem pervagavit, multique quasi solis radii de eodem rubore videbantur procedere.

MXCIX.

B Domnus papa nativitatem Domini Romæ cum magna pace celebravit; nam et castellum Sancti Angeli cum aliis munitionibus in sua potestate detinuit, omnesque emulos suos in civitate cum Dei adjutorio satis viriliter aut placavit aut vi perdomuit [672]; sinodum quoque suam in tercia epdomada [673], Romæ celebrandam post pascha, missis literis usquequaque denunciavit. Rapoto Palatinus comes de Bajoaria, pertinacissimus fautor immo caput eorum qui apostolicæ sedi et catholicæ unitati hactenus adversati sunt, diem clausit extremum. Item Chonradus Trajectensis non episcopus sed scismaticus turpiter a quodam occisus interiit, quem ipse deprædari præcepit [674]. Romæ domnus papa generalem sinodum (1455) 150 episcoporum et abbatum, C et clericorum innumerabilium in tercia epdomada post pascha (*Apr.* 30) collegit; in qua sinodo confirmatis suorum antecessorum statutis etiam sententiam anathematis super Guibertum heresiarcham et omnes ejus complices iteravit. Statuit quoque ibi ne communicare præsumerent qui concubinas haberent, nisi prius eas omnino dimitterent. De Jerosolimitano itinere multum rogavit, ut irent, et fratribus suis laborantibus succurrerent [675]. In Alemannia tandem post multa pericula abbas in Schaphusensi monasterio ordinatus est nomine Adelbertus; qui de prioris abbatis quasi expulsione infamatus ita se judicio æclesiæ expurgavit, ut ab episcopo per obedientiam quam regulæ debuerit in-D terrogatus, se innocentem de illo crimine profiteretur. Ordinatus est autem a venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo et sedis apostolicæ legato in nativitate sancti Johannis Baptistæ [676]. Liutoldus bonæ me-

VARIÆ LECTIONES.

[663] Gerhardus — condoluit *hic desunt; quorum loco in fine anni* Gerhardus — impetravit *et* Manegoldus — detentus *adduntur* 2. [664] S. qui successit Sigifrido pro 2. [665] M. canonicus de Marchbach a r. [688]. captus et diu in captione ab eodem detentus 2. [666] est — condoluit *desunt* 2. [667] boimundus 2. II. *in loco raso* 1. [669] *pergit* 1. [670] *pergit* 1. [671] *deest* 2. [672] *pergit* 1. [673] ebdomada *reliqua excisa sunt* 2. [674] *pergit* 1. [675] *pergit* 1. [676] *pergit* 1.

NOTÆ.

(1452) Argenta, vicus in Pado de Primaro, a septentrione Imolæ et Faventiæ.

(1453) Comes de Kirchberg, fundator Wiblingensis monasterii in Suevia. Vid. Hist. Silvæ Nigr. t. I, p. 251, sq. Uss.

(1454) Supra col. 1421 Dagobertus vocatur.

(1455) Mansi t. XX, 961 pridie Kal. Mai.

moriæ comes, jam diu æger pedibus, sed in causa sancti Petri contra scismaticorum pravitatem propugnator indefessus, tandem ex seculari dignitate in monachicam [677] religionem transmutatus, feliciter migravit ad Dominum 15 Kal. Septembris et in monasterio (1456), quod ipse in proprio allodio de propriis bonis fundavit, et in quo se ipsum monachum fecit, honorifice sepelitur. Romæ venerabilis papa Urbanus, hujus nominis secundus, postquam sedem Romanam 11 annos et 5 menses gubernavit, post multas tribulationes tandem 4 Kal. Augusti de hac luce migravit; post cujus obitum domnus Paschalis, qui et Reginherius, in ordine 163us papa ordinatur, et hoc ex divina revelatione factum ubique divulgabatur. Ordinatus est autem sollemniter a clero et populo post discessum sui prædecessoris die 16. Adelbertus comes piæ recordationis, in fidelitate sancti Petri contra scismaticos jam ex antiquo studiosissimus, et demum ex comite monachus factus, feliciter diem clausit extremum 10 Kal. Octobris, et in monasterio quod ipse de propriis bonis construxit, et in quo monachicum [678] habitum suscepit, honorifice sepelitur, scilicet Hirsaugiæ, præsidente domno Gebehardo abbate.

MC.

Domnus Paschalis papa nativitatem Domini Romæ cum magna pace celebravit, et per litteras suas venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo in Teutonicis partibus apostolicas vices commendavit, quas et ab antecessore ejus jam multis annis obtinuit. In Alemannia venerabilis abbas Manegoldus de monasterio Sancti Georgii (1457) a monacho suo in eodem loco heu! miserabiliter occiditur, et sibi quidem in perpetuam salutem, set monacho ad certissimam damnationem. Occisus est autem 15 Kal. Martii, ubi eo anno fuit caput jejunii [679]. Supervixit tamen usque in sabbatum, cum magna devotione suum amplectens martirium. Nam 12 Kal. Martii diem clausit extremum. Jam multum pene ubique sententia excommunicationis cepit tepescere, ut etiam quidam religiosi, qui usque ad hoc tempus in illa causa erant ferventissimi, a Catholicis discederent, et inter excommunicatos promoveri non timerent. Set sancta æclesia in sedis apostolicæ obedientia circa excommunicatos nichilominus perstitit, quæ post apostasiam Judæ reliquos apostolos etiam firmius cum Domino perstitisse cognovit. Gerhardus venerabilis abbas, qui dudum Scaphusensem abbatiam pro Deo dimisit, et hoc cum auctoritate domni Urbani papæ, Jerosolimam cum exercitu Christianorum petiit, qui [680] post multos labores civitatem obtinuerunt, et prædicto abbati sepulchrum Domini custodiendum commiserunt. Otto Strazburgensis scismaticus, de Jerosolimitano itinere reversus, set de scismate, ut putabatur non emendatus, diem clausit extremum (1458).

VARIÆ LECTIONES.

[677] monachiam 1. [678] *Omnia inde a* Roma *usque* Gebehardo abbate *atrramento recenti inducta sunt* 1. [679] cœptum jejunium 3. [680] qui — commiserunt *in loco raso* 1.

NOTÆ.

(1456) Zwifalten.

(1457) Isnensi; cf. Chronicon Isnense apud Hess Prodr. Monum. Guelph. p. 275. Uss.

(1458) Alii pœnitentem III. Non. Augusti obiisse scribunt. Erat frater Friderici Hohenstauffensis ducis Alemanniæ. Atque hic finem scribendi fecit Bernoldus in mense Augusto, brevi etiam postea vivendi, die 16. Sept. ex fastis nostris. Uss.

(*Quæ sequuntur ex Tengnagelii Collectione repetimus, apud Gretzer, Opp. tom. VI.*)

SYNODUS MOGUNTINA
IN CAUSA CAROLI CONSTANTIENSIS EPISCOPI SIMONIACI,
SUB
SIGEFRIDO
ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO

Una cum sex ejusdem Sigefridi epistolis, quarum quatuor sunt ad Alexandrum II, pontificem max. Duæ ad Gregorium VII.

Accesserunt cleri populique Moguntini ad Sigefridum litteræ, quibus cum Cluniaco ad suam sedem revocant.

Omnia nunc primum ex vetustis membranis publici juris facta.

LECTORI.

De Sigefrido seu Sigifrido seu Sifrido ejusque rebus gestis, lege Serarium, lib. V Rerum Moguntiacarum. De synodo, quam evulgamus, ita Bertoldus seu Bernaldus in Chronico anno 1071 : *Carolus, qui Constantiensem episcopatum Simoniace acquisivit, quique thesauros ejusdem Ecclesiæ, utpote sacrilegus fur, in*

suos usus dispersit, habito concilio Moguntiæ, ex præcepto papæ Alexandri, prædictus Simonis discipulus, nondum consecratus deponitur, quippe cum a clericis Constantiensibus ibidem accusatus, objecta negare non posset, cui successit in episcopatu Otho. De eadem synodo Marianus et Lambertus.

Vivebat tunc in curia et Ecclesia Romana Hildebrandus archidiaconus et archicancellarius, postea Gregorius VII in pontificatu appellatus, acerrimus schismaticorum et incontinentium clericorum hostis et insectator; cujus monitu Alexander pontifex, quamvis ipse etiam sua sponte satis adversus sacrilegos et flagitiosos inflammatus, multa agebat, et inoliti mali fibras stirpitus elidere tentabat, exagitatus et ipse a schismaticis, opposito Cadaloo antipapa, sicut postea Gregorius VII a Guibertina factione vexatus est.

SYNODUS MOGUNTINA IN CAUSA CAROLI CONSTANTIENSIS EPISCOPI.

Imperante super omnia æternaliter regum Rege Domino nostro Jesu Christo, et sub eo regnante temporaliter serenissimo Heinrico rege hujus nominis quarto, venerabili quoque Sigefrido, Moguntinæ Ecclesiæ primate et apostolicæ sedis legato, aurigante currum Dei anno jam XII, qui tunc volvebatur, annus Incarnati Verbi 1071, octava indictione Romani census, celebrata est sancta synodus apud Moguntiam metropolim Orientalis Franciæ, principalem vero pontificii sedem totius Germaniæ et Galliæ Cisalpinæ, cui præsedit idem memorabilis Sigefridus, assidentibus et cooperantibus sibi venerabilibus archiepiscopis Gebehardo Juvavensi et Utone Treverensi : considentibus vero et collaborantibus reverendis episcopis Adelberone Wirzburgensi, Gundecharo Eistetensi, Embrichone Augustensi, Herimanno Babebergensi, Werenhero Argentinensi, Heinrico Spirensi, Bennone Osinburgensi [Osnaburgensi], Ermenfrido Sedunensi, Heriberto Mutinensi : considentibus vero et annitentibus sanctissimis abbatibus, nec non inferiorum ordinum quamplurimis magnæ auctoritatis et sapientiæ viris. Aderant autem etiam legati reliquorum fratrum, videlicet suffraganeorum ejusdem metropolitani antistitis epistolas et mandata ferentes, quibus excusati haberentur, quod invitati concilio interesse non possent, certis quibusdam impedientibus causis, alii quidem, corporeæ infirmitatis urgente molestia, alii, in quibusdam regni negotiis regiæ jussionis detinente potentia. Qui, dum canonice sunt excusati, ipsi legati competenti loco et ordine eorum funguntur unusquisque vice antistitis sui.

Hæc denique sancta synodus cum propter multa pastoralis curæ negotia pluresque causas, quibus juste adhibenda erat ecclesiasticæ correctionis censura, tum maxime indicta et habita est, propter Carolum quemdam, qui Constantiensis Ecclesiæ designatus erat episcopus, sed, ut post rei exitus docuit, non satis canonice electus et provectus (1459). Hic, ut solemne est, accepta a rege pontificalis annuli et pastoralis ferulæ investitura, et in sede episcopii receptus, regiæ potestatis jubente censura, postulabat a primate Moguntiensi ejusdem Constantiensis Ecclesiæ se episcopatum consecrari. Sed venerabilis Sigefridus, columbino oculo serpentinæ prudentiæ omnem præcavens impietatem, dicebat A hoc apostolicæ benedictionis sacramentum non debere, nec canonice posse in eo sine examinatione celebrari, pro eo quod fidelium graviumque personarum relatione didicerit, quinimo et fama usquequaque vulgaverit quod non per ostium in ovile ovium (*Joan.* X) vellet intrare, sed per furtivam Simoniace impietatis scalam aliunde niteretur ascendere, se quoque talis introitus ejus nolle ostiarium fieri, cui Christus ipse, qui ostium est (*Ibid.*), videtur obniti. Quin ipsam impietatis scalam in lapide offensionis et petra scandali (*I Petr.* II), se velle conterere, ipsumque a mercenaria Dominici gregis occupatione longe longeque repellere. Ille contra se hujus criminis et hæreticæ impietatis immunem multis argumentis asserere nitebatur, seque, si ei B copia tempusque detur, hujus infamiæ notam a se propellere velle testatur, indeque petit synodalis concilii audientiam, in qua super hac re suam probare possit innocentiam, ibique consecrationem, quam petebat, aut canonice sibi dari aut canonice negari.

Mittuntur interea ad venerabilem metropolitanum crebræ de palatio legationes, mistis precibus minas et imperiosa de hac consecratione mandata ferentes. Mittuntur et litteræ a præsule apostolicæ sedis, mandantes ne ullo modo consecretur sine scrutinio canonicæ purgationis. Et quod rex potestate jubebat Romanus pontifex auctoritate prohibebat. Accedunt et canonici Constantiensis Ecclesiæ ex com- C muni totius cleri et populi legatione, unanimiter asserentes Carolum nulla ratione consecrari debere, quia, ex quo eum inviti et sub conditione elegerunt et receperunt, nullam eis pastoralis officii impendisset curam ; quin potius tyrannicæ dominationis non cessaret super eos exercere præssuram, nec manum continuisset a sacris nec pepercisset in diripiendis Ecclesiæ thesauris, et quodcunque rapaci violentia corradere potuisset, hoc totum ministris Magni, imo Magi illius Simonis, id est, suis fautoribus distribuisset, ut quorum adnisu adulterinam meruisset electionem, eorum venali mercimonio consequeretur mercenaria pro consecratione exsecrationem, pro benedictione maledictionem.

At metropolitanus antistes inter hujus [harum] D legationum varietates, velut inter duros tempestatum turbines, laudabili constantia in seipso fixus hæret

(1459) Bertholdus in Chronico anno 1069 : *Constantiæ episcopus Romuldus obiit; cui Carolus per Simoniacam hæresin in episcopatum successit.*

immobilis, et nusquam favore vel gratia, terrore vel munere inflectitur a statu canonicæ rectitudinis. Multis itaque nuntiis hinc inde missis et remissis, multis quoque diebus huic audientiæ delegatis, et cognitores [cognitionibus] causæ principis occupante præcepto non impletis, cum Ecclesia Constantiensis, suo viduata pastore, jam fere biennio sacerdotali careret benedictione, tandem, miseratione divina, potestati præponderavit auctoritas, et Christi sacerdotibus divina aspiravit voluntas. Unde eorum communi assensu synodalis concilii certa legitimaque dies denuntiatur, et coepiscoporum unanimitas ad concilium invitatur; quorum alii, ut oportebat, sine dilatione adfuerunt; alii vero, qui certa de causa adesse non poterant, canonice excusati subparem præsentiam vicaria legatione suppleverunt.

Primo igitur concilii die, quem sanctæ Mariæ dormitio tunc celeberrimum exhibebat, cum spiritualis curiæ senatores, patrocinante Spiritu sancto, intra regiam Majoris Ecclesiæ, ante cancellos altaris protomartyris Stephani, quod in orientali abside confectum est, convenissent in unum, primo, ut par erat, sanctæ et individuæ Trinitati debitas referunt gratiarum actiones, et pro incolumi totius Ecclesiæ statu supplices Deo offerunt preces; deinde post mutuam fratrum salutationem, et debitam sedium recognitionem, juxta authenticam paternæ traditionis synodum, conferunt ad invicem de veritate catholicæ fidei, damnantes Simonem et omnes hæresiarchas cum dogmatibus suis et sequacibus suis, pauca pro tempore tractant de qualitate instantis negotii; ac sic demum, propter celebranda tantæ solemnitatis officia, solvunt concilium, crastino maturius redituri in idipsum.

Postera vero die, certa concilii hora, cum iterum apostolici sacerdotes in unum convenissent, et præmissis Deo laudibus et precibus, et salutari sede consedissent (1460), quod cuique sacerdoti in sua diœcesi venit in dubium, rationabili disciplina deducunt ad medium, et, prout res postulabat, unumquodque tractatum aut terminatum est synodali judicio.

Illud vero quod maxime in causa fuit, de Constantiensi apposito, inter fratres studiose ventilatur; sed interveniente principis mandato, in sequentem diem procrastinatur, agentibus internuntiis ut sacerdotes Domini a constantiæ suæ rigore ad regiam se inflecterent voluntatem; aliis instantibus ut designatus ille male usurpatum sponte dimitteret honorem. Tertia vero die, Christi sacerdotes, hujus negotii longa exspectatione suspensi, et libera quadam indignatione, imo zelo justitiæ accensi, sacerdotali constantia principem suum adeunt, cumque de salute animæ suæ, de pace Ecclesiarum, deque statu regi [regni] spirituali disciplina conveniunt, proponentes ei de Scripturis et gestis Veteris ac Novi Testamenti congrua doctrinæ salutaris exempla quibus animus ejus adhuc cereus et indocilis formaretur ad similia, dicentes et docentes solium regni ejus nullatenus posse stabiliri, nisi firmetur justitia et observatione mandatorum Dei.

Summus autem ille dominorum Dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum principis, ita mitigavit eum ad verba sanctæ exhortationis ut nulla juvenili moveretur acerbitate, et, quod in potestatibus difficile est, nulla sacerdotes insolenti læderet responsione; multum tamen se excusans, in hoc suæ potestatis dono nullam se exercuisse venalitatem, nullam super hac re cum eodem Carolo se pepigisse conventionem. Si quid autem cum domesticis et familiaribus suis, propter opem intercessionis, ipso ignorante, pepigerit, suum non esse accusare, vel excusare. Hoc ipse viderit. De dextera vero sua, quam illi propter antiquam in præpositura benevolentiam gratiæ suæ donum porrexit, omnem avaritiæ labem dixit se excutere, et quod ipse simpliciter fecit si ille veneno alicujus malitiæ corruperit, se ob id divinæ justitiæ nolle contraire.

Hac autem salubri sermocinatione cum sacerdotibus habita, cum eis venit in concilium. Et ille Constantiensis designatus intromittitur ad audiendum. Adsunt etiam pro foribus Constantienses clerici, postulantes per legatos ut et ipsi mererentur admitti. Tunc vero videres lætissima sanctæ Ecclesiæ gaudia et vera mundi convenisse luminaria, quando circumfulgebat nobilis corona sacrorum ordinum, vivis gemmata lapidibus Christi sacerdotum, velut fulgoribus micantium astrorum. Tunc cœli narrabant gloriam Dei, et verbum eructabat dies diei (*Psal.* XVIII), quando sacerdos sacerdoti sententiam justitiæ exponebat, et sanctam Ecclesiam salutaris eorum doctrina instruebat. Tunc vasa electionis supereffluebant ambrosium liquorem sancti Spiritus, et justi fulgebant sicut splendor firmamenti (*Dan.* XII) quando sacerdotes Domini verba sapientiæ, velut nubes pluebant, et corda audientium velut terram fructiferam ad germinandum infundebant.

His ergo ita dispositis et digito Dei ordinante distinctis, utrique admittuntur, prædictus scilicet Carolus, et hi qui accusationibus pulsabant personam. Prima actione regularis prælatus Constantiensis Ecclesiæ protulit libellum accusationis, in quo continebantur causæ quibus indignus haberetur, et judicaretur sacramento apostolicæ benedictionis. Quarum prima et maxima erat, quod exemplo magistri sui Simonis pestiferi, per pecuniam invasisset sedem; cætera omnia, quæ ibi legebantur, proclamabant violentam ejusdem Ecclesiæ devastationem. Ille idem prælatus et fratres ejus qui aderant item offerunt suæ testificationis libellos, in quibus singuli, nomen et officium suum designantes, quidquid accusando vel testificando proposuerant, asserunt se canonice probaturos.

Carolus econtra nititur improbare personas, di-

(1460) Vid. loc. mend.

cens quod ejus infamiæ nota essent respersi, quod nec se, nec quemquam alium possunt canonice accusare. Adjungit quoque se omnia objecta synodali judicio purgaturum; et in omnibus quibus eum impetebant se esse innoxium. Longa igitur altercatione hinc inde disceptatum est, et multis tota die in adversum nitentibus, usque in profundam noctem concilium pertractum est, dum inter multos ambigitur de numero accusatorum et testium, dum longa deliberatione quæritur judicium utrum, isti liceat se excusare adversus accusationem istorum. Dum res inter fratres diutissime disseritur, concilium, propter intempestam noctem adhuc sine opere, pretio dirimitur.

Quid autem ipse Carolus secum illa nocte egerit, quibus retractationum verberibus ream conscientiam flagellaverit, sequens utique dies declaravit. Nam, ut ex ipso effectu gestæ rei probari potest, vere credimus quod Deus conscientiæ judex et testis in corde suo sederit pro tribunali, et cum eo exercuerit censuram judicii sui, ubi peccati conscientia, cogitationum accusantium non excusantium testimonio, ne veritati et æquitati resisteret, damnata est et constricta. In crastinum namque, quando sperabamus qui, juxta promissum suum, objecta purgaret, et consecratione dignum innocentiam suam monstrando se probaret, ille jam mente confusus, non ultra ferens aspectum concilii, et interius judicatus, non extra sustinens pondus imminentis judicii, ultraneus ipse in se sententiam tulit, et annulum et ferulam pastoralem ei a quo injuste acceperat resignans, sacerdotum spem et metum, quem pro eo gerebant, labore longioris quæstionis absolvit, culpam suam uno tegens pallio excusationis, quod, juxta decretalia Cœlestini papæ, *episcopus dari nollet invitis.*

Videntes autem sanctissimi sacerdotes magnalia quæ fecit Dominus, et fideli admiratione retractantes quam incomprehensibilia sint judicia ejus et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI), corde et ore, et omnimoda devotione benedicunt Deo altissimo, qui longos eorum labores tam inopino terminavit compendio, orantes et deprecantes ut de regno suo eliminet omnem apostasiam et omnia scandala, nec ultra Satanam ejusque apostolos in sua sancta regnare sinat Ecclesia : sed in omnibus consiliis et operibus eorum dignetur servos suos consolari, et clementer implere quod Ecclesiæ suæ se promisit adfuturum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII).

Communi autem decreto præcipiunt quæ in hac synodo gesta sunt ecclesiasticis inseri gestis, et in archivis sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ servari ad perpetuam memoriam et eruditionem venturæ posteritatis, ut hoc majorum exemplo minores instructi non timeant resistere, si in hujusmodi negotio se viderint prægravari, certissime scientes nullo modo gratiam Spiritus sancti fidelibus defuturam, si in sanctitate et justitia restiterint injustitiæ usque ad perseverantiæ coronam.

Decernunt præterea ex antiqua Patrum traditione et authentica priscorum conciliorum rectitudine ut hæc omnia Romano pontifici seriatim litteris inserta nuntientur, ut cujus mandato et hortatu cœpta et perfecta sunt, ejus apostolica auctoritate roborata firmentur, et omnipotenti Deo, qui omnium bonorum auctor est, Romæ et Moguntiæ, et ubicunque terrarum hæc lecta vel audita fuerint, debitæ gratiarum actiones fideli devotione solvantur.

Acta sunt autem hæc apud Moguntiam metropolim Orientalis Franciæ, anno ab Incarnatione Domini 1071, indictione VIII, XVIII Septemb., regnante serenissimo Heinrico rege hujus nominis IV, anno regni ejus XIII, ordinationis vero ejusdem XVII apud Moguntiam, vero præsulante reverentissimo primate Sifrido, anno ordinationis ejus XII, super omnia autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui non accedit cras futurum, nec recedit heri præteritum, sed permanet sempiternum hodie, et in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLÆ SIGEFRIDI

EPISCOPI MOGUNTINI

AD ALEXANDRUM II ET GREGORIUM VII

PONTIFICES MAXIMOS

(*Vide Patrologiæ tom. CXLVI, in Alexandro I, et supra, hujus tomi col.* 735.)

EPISTOLA CLERI ET POPULI MOGUNTINI

AD SIGEFRIDUM ARCHIEPISCOPUM.

Patri ac pastori suo, quam venerabili tam desiderabili, SIFRIDO archipræsuli, oves pascuæ ejus, scilicet universus Moguntinæ sedis clerus et populus, senes cum junioribus, divites cum pauperibus unanimi devotione sedulas orationes, easque cum lacrymis solito impensiores.

Obsecramus te, venerande Pater, et obtestamur per eum cujus pretioso sanguine sumus redem-

pti, per pastoralem curam qua tibi sumus commissi (1461), per tremendum superni regis judicium, perque illud terribile tribunal cui in die judicii debes astare, et de nobis Principi pastorum rationem reddere, ut memineris diei illius in qua divinæ consecrationis oleo delibutus suscepisti curam animarum nostrarum, et in apostolicam promotus benedictionem, vice Christi, factus es pastor ovium, scilicet quando datus est tibi annulus desponsationis Ecclesiæ et baculus pastoralis curæ, accepisti quoque claves regni cœlorum, et judiciariam sedem in choro apostolorum. Recordare, quæso, illius dulcissimi verbi, quod tibi eadem die dictum est, ut semper memineris Dei et ejusdem diei. O pater, cur nos deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Nonne accepisti annulum, ut Ecclesiam tuam, velut sponsam, diligeres? baculum quoque, ut eam a luporum incursione defenderes? Ubi est charitas illa qua Christus pro ovibus suis animam suam posuit? et eadem charitate tibi regendas commisit? Quare projicis a manibus tuis claves regni cœlorum? Quare te ipsum detrudis de sede, imo de choro apostolorum? Optaremus quidem tuæ paternitati ut ascenderes ad ea si qua essent altiora, non te detruderes de summis ad inferiora. Fatemur, Pater, eos bene facere qui sæculum relinquunt, quique, seipsos sibi abnegantes et crucem suam bajulantes, post Christum vadunt; qui in vinea Domini Sabaoth nullam colendi curam acceperunt; quibus satis est, si tantum possint se salvare, quia, de nullo habent, nisi de se, rationem reddere. Tu autem, Pater, melius regis sæculum quam relinquis; propensius sequeris et diligis Christum, si oves ejus pascis. Quia ipse probationem dilectionis suæ in pascendis ovibus suis constituit dicens : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* XXI).

Ut ergo, salva reverentia, dixerimus, tanto convinceris minus Christum diligere quanto te subtrahis a credita tibi ovium ejus pastione. Nunquid nam gratior ei erit qui solus et vacuus a messe ad aream redibit, aut qui multos animarum manipulos, et purgatum zizaniis triticum ad horreum Domini sui reportabit? Cur non recordaris evangelici illius dispensatoris, qui, cum fidelis et prudens distribuit familiæ Domini sui tritici mensuram, et crediti talenti felicem usuram reportat, in modico fidelis supra multa constituitur, et beatificum audiens *Euge*, gaudium Domini sui intrare jubetur (*Luc.* XII)? Nunquid Petrus et Paulus et cæteri apostoli, quorum officio fungeris, ita crucem suam bajulantes sequebantur Dominum ut, sæculum relinquentes, relinquerent etiam curam animarum? Nonne Petrus pro lucrandis animabus, exemplo Magistri, crucem subiit? Et Paulus gladio cervicem præbuit? Nonne ipse Christus, vita et salus nostra, coæternus et coomnipotens in sinu Patris sui, charitate salvandi hominis homo mortalis factus est in sinu Virginis matris? Omnis ordo, omnis dignitas, omnis professio apostolicæ subditur dignitati, nec quidquam est in mundo eminentius vel vicinius Deo vita episcopali, cui cedit omnis monachus, vel minor, vel reclusus, omnis cœnobita, vel eremita.

O Pater sanctissime, oramus te per Deum perque salutem animæ tuæ, ut eorum quæ diximus velis recordari, et vigilanter ante oculos habeas tribunal Christi, nec deseras nos oves ejus quas suscepisti tuendas, ut ab eo non pœnam negligentiæ, sed mercedem obedientiæ accipias. Festina ad sedem tuam quantocius redire et eos, qui in luctu et mœrore sunt, paterno affectu consolare. Jam enim res episcopii tui hac illac diripiuntur, et multa alia ab officialibus regis invaduntur; per plurimas regiones tuas multa fit perturbatio; de invasione sedis tuæ, inter multos contentio. Hæc, Pater, tuum unum caput omnia sedabit. Has omnes perturbationes et contentiones sola præsentia tua in pacem reformabit. Denique si Ecclesiæ scita et canonum jura permittant te sedem tuam relinquere, et alterius professionis vitam instituere, tu tamen nihilo unquam Deo posses melius servire quam si intentionem illam exueres, et sedem et episcopatum tuum ab his qui invadere volunt defenderes.

Nunc ergo te Patrem rogamus nos filii, te pastorem oves gregis tui ut quantocius ad nos redeas et dolorem et mœstitiam cordis nostri serenitate tui vultus detergas. Sin autem, primo invocabimus Deum Patrem omnium, inclinabimur Christo Principi pastorum, Apostolicum adversum te adibimus, in adjutorium nostrum invocabimus omnem ordinem et dignitatem, nullum in toto regno quem non rogemus dimittemus; episcopum, te vivente, nunquam pro pastore recipiemus mercenarium.

(1461) Anno 1072 recesserat Sigefridus in Cluniacense monasterium; reliquam illic vitam consumpturus. Sed a clero et populo Moguntino revocatus sedem suam recepit. De quo vide Lambertum et Marianum in Chronicis.

STEPHANI EPISCOPI HALBERSTATENSIS,

ET

S. ANSELMI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

EPISTOLÆ DUÆ ADVERSUS SCHISMATICOS.

SUB GREGORIO VII ET URBANO II ROMANIS PONTIFICIBUS.

LECTORI.

Sunt quidem duæ istæ epistolæ, altera Stephani Halberstatensis episcopi, sub Ludovici Thuringiæ comitis nomine, ad Walramum Naumburgensem seu Numburgensem episcopum data; altera B. Anselmi archiepiscopi Cantuariensis ad Wilhelmum, abbatem Hirsaugiensem. Prius quoque typis evulgatæ, sed, quia Dodechinus, continuator Mariani Scoti, apud quem epistola Stephani exstat, non est passim obvius, neque Opera S. Anselmi omnium manibus teruntur, ideo eas hic seorsim cum aliis ejusdem classis et sortis monumentis publicare visum est. Utinam Stephani epistola aliquando integra in lucem extrahatur, nam Dodechinus integram Chronico suo non inseruit! Dignissima sane est quæ studiose ab unitatis et concordiæ catholicæ amatoribus perlegatur, et schismaticis ac hæreticis etiam nostri ævi, velut clypeus, invictus, objiciatur et opponatur. Videtur Waltrami quoque epistola fine mutila.

Est autem Ludovicus iste secundus, hoc nomine Thuringiæ comes, cognomento *Saltator*, cum ex carcere in profluentem desiliens, aufugisset. Discessit e vita anno 1123, natus jam annos 73, sepultus in cœnobio Reinhardsbron, quod ipse cum multis aliis oppidis et arcibus in Thuringia exstruxerat. Vide Historiam de Landgraviis Thuringiæ, cap. 13, tom. I, illustrium scriptorum Germaniæ, quos D. Pistorius publicavit.

De Stephano Halberstadensi ita epitome Bibliothecæ Gesnerianæ : *Stephanus, qui et Herrandus, Halberstatensis Ecclesiæ episcopus, scripsit in persona Ludovici comitis epistolam ad Waltramum Naumburgensis Ecclesiæ episcopum defendentem Heinricum rebellem Ecclesiæ Romanæ, defensorium papæ, lib.* I, *et plures epistolas ad diversos, lib.* I, *et quædam alia.* Utinam exstarent! Anselmi epistola ferme tractat ea capita quæ libellus Bernaldi, quem supra habes.

Dodechinus abbas in additionibus ad Chronicum Mariani Scoti.

Anno 1090 Waltramus Megdeburgensis [*l.* Naumburgensis seu Numburgensis] Ecclesiæ antistes, cum esset favens præcipue Henrico regi, missis litteris ad Ludovicum comitem, suggerens ei ut se subdens sæpe jam dicto regi tueretur partes ejus : in quibus litteris tanquam pro defensione ordinationis Dei, re autem vera favendo regi, laborans, beatæ memoriæ A Gregorio papæ, et piæ recordationis Rodolpho regi, et aliis principibus, qui jam in somno pacis requieverant, obloquendo detrectarat [detraxerat, *vel* obtrectarat], dicens eos, quasi non fuerint, sic periisse; affirmans eis malum principium fuisse quos finem pessimum contigisset habuisse; quarum litterarum modus iste est.

EPISTOLA WALTRAMI SEU WALRAMI.

VALTRAMUS, Dei gratia, id quod est, LUDOVICO serenissimo principi, cum instantia orationum, semetipsum ad omnia devotissimum. Omni regno utilis est concordia, desiderabilis est justitia; hæc enim virtus mater est probitatis et conservatio totius honestatis. Qui autem intestina grassando dissensione ad humani sanguinis alios irritat effusionem, profecto vir sanguinum est, atque illius particeps qui nostrum sanguinem sitiens semper circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V). Tu igitur, gloriosissime B princeps, attendens quomodo Deus, pacis est non dissensionis (*I Cor.* XIV); quod ex te est, pacem cum omnibus habeas (*Rom.* XII). *Deus charitas est* (*I Joan.* IV); diabolus odium. Tota lex et prophetæ in dilectione pendent (*Matth.* XXII). Qui autem odit fratrem suum, homicida est, nec habet partem in regno Christi et Dei (*I Joan.* III). Hoc ipsa Veritas, hoc discipulus ille Veritatis protestatur qui de pectore Dominico Evangelii profundius potatus veritatem, fluminis impetu lætificat abundantius civita-

tem Dei (*Psal.* XLV). Sed ille Vas electionis, qui A usque ad tertium cœlum raptus (*II Cor.* XII), non secundum hominem, sed per revelationem Jesu Christi Evangelium suum didicit (*Gal.* I); *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi a Deo. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). Sicut amici nostri inter mulierculas et simplex vulgus somniant, regiæ potestati subdi non oportere, falsum esse ergo quod omnem animam potestati subdi oporteat. Sed nunquid Veritas mendacii arguenda est? An experimentum quæramus ejus qui in Apostolo loquebatur, Christus? (*II Cor.* XIII.) An æmulemur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Fortiorem se confidit qui Dei ordinationi resistit, quoniam *non est potestas, nisi a Deo*. Sed, quid ait B propheta! *Confundantur omnes qui pugnant adversum te, Domine; et peribunt viri qui resistunt tibi* (*Isai.* XLI).

Rodolphus, Hildebrandus, Eggebertus, et innumeri principes, Dei ordinationi in Heinrico imperatore restiterunt. Et ecce, quasi non fuerint, perierunt, quia profecto necesse est malum fuisse principium, quorum finis pessimus subsecutus est. Nunc ergo, quoniam qui ex adverso sunt, suis adversum nos eminus digladiantur ratiocinationibus; vestro judicio, ubi jus, vel etiam in vestro judicio conseramus, domicilio tantum non suo usurario, sed Christi et antiquorum Patrum utamur testimonio. Ac ne forte recusetur, lex hujus esto certaminis, vel me C in populorum transire sententiam, vel ex nostro triumpho vos Domino nostro imperatori lucrifaciamus. Attendatur et illud : *Si quis aliter evangelizat præter quod evangelizatum est vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Hoc anathema non de profanæ novitatis usuario, sed de tertio intonuit cœlo. De istis autem *qui ignorantes Dei justitiam, et quærentes suam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X), fiducialiter dixerim : *Maledicentur* [forte *maledicent*] *illi, et tu benedices; qui insurgunt in me, confundantur, servus autem tuus lætabitur* (*Psal.* CVIII); quoniam (ut ais, Domine) *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV) : *nec damnas justum, cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXVI). *Tu quis es qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit* (*Rom.* XIV).

Finis Epistolæ Waltrami.

Has sane litteras prædictas comes Ludovicus suscipiens, vocato ad se venerabili Stephano, qui et Herrandus, Halverstadensi episcopo, eas tradidit legendas, rogavitque eum quatenus, his diligenti examinatione perspectis, juxta rationem veritatis congrua obviaret responsione, et linguam blasphemantis, os quoque iniqua proferentis contra justitiam, auctoritate sancti Spiritus, et testimonio Scripturarum obstrueret, ne amplius contra Ecclesiam Dei latratus proferret insanos, et fureret. Venerabilis autem episcopus, secundum petitionem comitis susceptis litteris, ac diligenti examinatione perspectis, vocato notario, epistolam dictavit, in qua primum præscriptum Valtramum episcopum hæreticum Simoniacum redarguit; regem etiam Heinricum hæreticum et excommunicatum, ideoque nec regem dicendum comprobavit; episcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro Sodomitica immunditia vendentem declaravit. Sed ipsius jam epistolæ textus exponatur, ut illius venerabilis viri fervor in tenore justitiæ agnoscatur.

EPISTOLA LUDOVICI COMITIS

VEL

STEPHANI

HALBERSTADENSIS EPISCOPI.

Comes LUDOVICUS domino VALTRAMO, quidquid D tali vocabulo dignum est.

Sicut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, ita malus homo de malo thesauro profert malum (*Matth.* XII; *Luc.* VI). Unde tibi tanta arrogantia ut me ad indignationem tam injuriosis injuriis provocares? Etenim dominos et Patres meos, qui me in via justitiæ confortant, viros sanguinum, similes Satanæ, oblique appellas; et monita salutis, quæ suggerunt, inter mulierculas et simplex vulgus somniare dicis. Nunquid Deus indiget tuo judicio, ut pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuum, et imitaris linguam blasphemantium, ita ut recte de te dicat Propheta : *Noluit intelligere, ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo* (*Psal.* XXXV). Quamvis ergo quantum perversus, tantum perversa locutus sis, nos tamen ori nostro custodiam ponere decrevimus, et siluimus, cum consisteret peccator adversum nos (*Psal.* XXXVIII). Sed excitat nos sermo divinus, dicens : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur* (*Prov.* XXVI). Nunquid enim fatuitas personabit, et sapientia obmutescet? Nunquid loquetur mendacium, et veritas silebit? Nunquid tenebræ operient terram, et Dominus non orietur? Imo *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I). Qua consideratione concaluit cor

nostrum, et in meditatione nostra exarsit ignis (*Psal.* XXXVIII).

Loquimur igitur et clamamus, vulpesque parvulas, quæ vineas Domini demoliuntur (*Cant.* II), quantum possumus, arcemus, timentes prophetiam illam exprobrantem : *Non ascendistis ex adverso, ne opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prœlio in die Domini* (*Ezech.* XIII). Audiant, non tu, qui aures habes, et non audis; qui oculos habes, et non vides (*Psal.* CXIII); qui lumen, quod in te est, tenebras fecisti (*Luc.* XI); audiant, inquam, omnes cordati qui aures audiendi habent, quam alte aut non intelligas aut intelligere dissimules neque quid loquaris, neque de quibus affirmes (I *Tim.* I). Ad subjectionem domini Heinrici, quem imperatorem dicunt, nos invitas, et in quantum intelligere datur, ut per omnia subditi simus, quasi apostolico argumento necessitatem imponis, dicens : *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo. Qui ergo potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). Quam Apostoli sententiam te male intelligere, pejus interpretari dicimus. Si enim omnis potestas a Deo est, ut tu intelligis, quid est quod de quibusdam dicit Dominus per prophetam : *Ipsi regnaverunt et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi eos Ose.* VIII). Si omnis potestas a Deo est, ut tu intelligis, quid est quod ait Dominus : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te?* (*Matth.* V.) Quid enim est potestas, nisi oculus? Certe Augustinus in expositione Apostolicæ sententiæ : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII). « Quod si potestas, inquit, aliquid jubeat quod contra Deum sit, hic contemne potestatem, timendo potestatem. » Nunquid iniquitas apud Dominum? Nunquid Christus peccati minister est? Absit! Quid ergo dicemus? Nunquid ab Apostolo diversa sententia prophetiæ evulgatur? Augustinus : « Minime diversas tibias inflat spiritus unus. » Itaque audiamus Apostolum concordantem, et seipsum exponentem, et inimicum ultoremque suum destruentem, *Non est*, inquit, *potestas nisi a Deo*. Quid sequitur : *Qui ergo, inquis, potestati resistit*, et reliqua. Absit? Non hoc sequitur; sed quid sequitur? *Quæ autem a Deo, ordinata sunt*, nempe hoc est, quod quærimus. O lingua dolosa, o cor machinans malum! Spiritus vadens, et non rediens (*Psal.* LXXVI). Cur mentitus es Spiritui sancto? (*Act.* III.) Arguat te conscientia tua. *Ecce fugit impius nemine persequente* (*Prov.* XXVIII). Cur, ut deciperes supprimere veritatem voluisti? Cur medullam, cur animam hujus sententiæ furatus es? Nam, si hæc verba de medio sententiæ apostolicæ tollantur, contra sibi inconveniens et exanimis jacebit.

Impletur sermo divinus, *Qui parat proximo suo foveam, incidet in eam* (*Prov.* XXVI). Certe nec culpam furti, nec pœnam evadere poteris. Quid infelix, quid Judici venturo, cum a servis negotiatoribus lucrum requiret, responsurus es, qui Dominicæ pecuniæ fraudator in medium produceris. (*Matth.* XXV.) Quare non judicium et laqueum proditoris timuisti, ne similem reatum similis vindicta sequeretur? Prævidens per Spiritum sanctum Apostolus te tuique similes hæreticos in Ecclesia emersuros, qui bonum malum, malum bonum dicerent, qui tenebras lucem, et lucem tenebras ponerent (*Isai.* V), qui de sententiis veritatis occasionem inducendi erroris captarent, cum præmisisset : *Non est potestas, nisi a Deo*, ut conjecturam reprobi intellectus amputaret, *quæ autem sunt*, inquit *a Deo ordinata sunt*. Da igitur potestatem ordinatam et non resistimus, imo dabimus illico manus.

Miror autem, si in te vel gutta sanguinis est, quod non erubescis dominum Henricum regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur jus dare sceleri, fas nefasque divina et humana confundere? An ordo videtur tibi in corpus suum peccare, videlicet (proh pudor! pro nefas!) uxorem propriam scelere omnibus sæculis mundi inaudito, lupanar facere? An ordo tibi videtur, cum Dominus dicat *Defendite viduam* (*Isai.* I), viduas judicii æquitatem postulantes nefanda contaminatione prostituere? Hæc qui ordinata, qui sana dixerit, hunc insani capitis esse insanus juret Orestes. Usque ad hæc miserrima tempora natura secretum amavit, sed traditus in reprobum sensum rex vester, naturæ involucrum detexit, qui omnem pudorem ponit in propatulo.

Ut autem illa quæ sine numero sunt, taceamus, videlicet concremationes ecclesiarum, deprædationes, homicidia, incendia, truncationes et his similia, quæ ille potest, nos, enumerare non possumus, ea quæ maxime Ecclesiam Dei gravant, loquamur. Audi ergo vera, non fucata. Audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates spirituales vendit hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, episcopatus et abbatias vendit; etenim Constantiensem, Babenbergensem, Moguntinensem, et plures alios, pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, Strasburgensem, pro gladio; abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem episcopatum (quod dicere et audire nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ, si impudenter negare volueris, teste cœlo, teste terra, omnes etiam a furno redeuntes scioli concludent : Ergo dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere. Sane, quia fratrum nos odiis fatigas, intellige nulli nos odium de inaffectione, sed de pietate intendere. Absit ut dicamus : Henricus inter fratres aut Christianos reputetur, qui, toties corripientem Ecclesiam non audiens, sicut ethnicus et publicanus habetur (*Matth.* XVIII). Cujus odium pro magna sacrificio Deo offerimus, dicentes cum Psalmista : *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos et inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII) :

Cujus odii dignitatem veritas commendans ait : *Si quis non odit patrem et matrem, fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Non ergo de odio juste reprehenduntur qui animam nostram, cum a via Dei exorbitamus, qui patrem et matrem, et omnem affectum, qui nobis in via Dei obstat, odisse præcipimur. Inde est quod omni studio, omni conatu laboramus ut hostes Ecclesiæ, nos quoque ut adversarios caveamus, et non, quia nostri, sed quia Dei inimici sunt, odio habeamus.

Porro, quod de pace cum omnibus hominibus habenda persuades, meminisse debes quia præmisit. Apostolus : *Si fieri potest* (*Rom.* XII). (Fieri autem non potest ut cum iis qui Deo contrarii sunt pacem habeamus. Quis autem nesciat Dominum Salvatorem non solum pacem commendare, cum dicit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV), sed etiam ipsam pacem existere, sicut ait Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum?* (*Ephes.* II.) Quid ergo ait : *Pax nostra,* commendans pacem? *Nolite,* inquit, *arbitrari quia veni mittere pacem in terram : non veni pacem mittere sed gladium* (*Matth.* X). Quid est hoc? Quare pax, gladium? Quare pax bellum indicit? Nimirum, ut destruatur pax diaboli. Habet enim diabolus pacem suam, de qua Dominus dicit : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet* (*Luc.* XI). O quam potenter per vos satellites suos atrium suum hoc tempore diabolus custodit, qui, scuto falsitatis et galea perfidiæ protecti, nulla veritatis jacula, nulla fidei spicula admittitis! Potest tamen Dominus noster, utpote fortior armatus superveniens, fortem vestrum vincere et arma in quibus confidit auferre (*ibid.*). Non ergo recte culpamur, si pacem illam omni bello crudeliorem detestamur, quam ipsa Veritas super Hierusalem flendo reprobat dicens : *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* (*Luc.* XIX); et quam Psalmus (LXXII) : *Super iniquos zelavi, pacem peccatorum videns.*

A Quod vero papam Gregorium, regem Rodolphum, marchionem Eggebertum pessimi interitus damnas, et dominum tuum, quia illis superstes est, bonificas; liquet profecto, ab omni spirituali te consideratione manere vacuum. Nonne beatius est bene mori quam male vivere? *Beati* enim, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V). Jam et Neronem, quia apostolis Petro et Paulo, jam et Herodem, quia Jacobo apostolo, jam et Pilatum, quia Domino Jesu Christo supervixerint, beatos æstimas. Qua opinione quid insanius aut infelicius dici potest? Quapropter et ab hac blasphemia linguam magniloquam compesce, nisi forte in numero illorum te constituis qui, in fine justorum videntes gloriam, seram et infructuosam agentes pœnitentiam, præ angustia spi-
B ritus gementes dicent : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et sol justitiæ non luxit nobis. Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia velut umbra* (*Sap.* V). Quæ nos verba in memoria adamantina scribentes, omnem similitudinem extollentem se adversus veritatem Dei contemnimus; et gloriantes in tribulationibus, calumniari, proscribi et exterminari, denique occidi possumus; flecti vel vinci non possumus. Et cum magno tripudio illud quod tu puer adolescens, juvenis frequentatus,
C nondum corde senex concepisti, de patribus nostris exsultamus, qui contemnentes jussa principum meruerunt præmia æterna.

Porro sententias tuas diligenti curiositate trutinantes, quasi spiritualia spiritualibus comparare volumus. Sed sicut.....

Et reliqua non pauca.

Cætera desunt, quæ multa fuisse testatur hæc Dodechini clausula : Et reliqua non pauca.

EPISTOLA S. ANSELMI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS,

Ad Wilhelmum abbatem Hirsaugiensem

Docet quid agendum sit cum comite quodam qui divina celebrantibus sese immiscuerat; et de presbyteris incontinentibus.

Domino et Patri reverendo abbati GUILHELMO, frater ANSELMUS, in hac vita diuturnam prosperitatem, in futura æternam felicitatem.

Ex quo vestra probitas... *Reliqua vide in epistolis* ANSELMI, *infra, ad annum* 1109.

COMMENTARIOLUS HESSONIS SCHOLASTICI

De tractatione pacis inter Callistum II pont. Romanum, et Henricum V imperat., anno Redemptoris 1119; deque Concilio Remensi.

Nunc primum ex tenebris in lucem prolatus.

(*Vide infra in Callisto II, ad annum* 1124, *ubi opusculum Hessonis locum obtinebit opportuniorem.*)

ADDENDA.

(Col. 1275-76.)

DE BERENGARII HÆRESIARCHÆ DAMNATIONE MULTIPLICI

BERNALDI TRACTATUS.

Ed. Geiselmann 1936 ex integro.

(*Germania sacra*, t. II, p. 427, ex edit. P. F. CHIFFLETII.)

MONITUM.

Dolendum est tractatum hunc, seu præfationem potius, ad alium tractatum de corpore et sanguine Domini, ipsius Bernaldi nomine insignitum, in ultimo monasterii nostrii incendio a.i 1768 una cum apographo illius periisse. Testem hujus habeo omni exceptione majorem celss. nostrum abbatem ac principem Martinum Gerbertum, qui hujuscemodi monumenta ante fatale incendium amanuensium ope describi curavit. Actum igitur fuisset de hoc opusculo, nisi et ex tanto testimonio et nomen Bernaldi et ex Chiffletii *Scriptoribus de fide catholica* (Divione a. 1656, in-4°) ipse tractatus fuisset conservatus. Inde etiam Chiffletii conjectura de Blasiano tractatus hujus scriptore extra dubium ponitur, quem ipsum hunc nostrum Bernaldum fuisse styli quoque et argumenti conformitas prodit. Habetur quoque hic ipse tractatus in Collectione conciliorum Labbeana t. IX, pag. 1050, desumptus ex citata Chiffletii collectione; cujus præfationem notis illustratam hic præmittere visum est.

PRÆFATIO CHIFFLETII.

Obiisse constat Berengarium versipellem hæresiarcham affecta jam ætate, anno Christi 1088 (1462), die sexta Januarii; de quo hæc Villelmus Malmesburiensis l. III Hist. Angl. : *Quin et ipso die Epiphaniorum moriens gemituque producto recordatus, quod* (1463) *miseros quosdam adolescentulos primo ætatis flore secta sua infecerit, Hodie, inquit in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pænitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pænam.* Nec laudatore caruit, sed tunc quidem illaudato, nempe Hildeberto (1464) [qui ei multorum præconiorum epitaphium cecinit] flagitioso juvene, et in vita etiam clericali ob incontinentiam infamato; quod ei recens electo Cenomanensi episcopo exprobrat Ivo Carnotensis episcopus epistola 277.

Prudentius ei funus duxit auctor hic noster eodem anno 1088, ut ipsemet testatur, ab exordio pontifi- A catus S. Leonis papæ IX quadragesimo : qui metu, ne quos forte occultos haberet etiam in monasteriis sectatores, primo Berengarianam hæresim tot conciliis, quot nulla eatenus hæresis, ab ecclesia catholica damnatam memorat : deinde ex Patribus docet omnes complices sectatores et communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censeri (1465). Monachum quidem se prodit, cum sub finem opusculis simplicioribus fratribus se adnumerat. Benedictinum vero fuisse e S. Blasii cœnobio (1466) in Suevia ex eo fit probabile quod in codice Jurensi hæc de Berengarii multiplice damnatione adnotatio subjicitur catalogo apostolicorum Romanorum, eodem, ut videtur, auctore conscripto, et in Gregorium VII desinenti : sub quo παρέργως colligit de cellæ S. Blasii florente tum religione (1467) ac primis Patribus.

E sex conciliis (1468), in quibus Berengarii hæ-

(1462) Bernoldus in Chronico obitum hujus ad annum 1083 memorat.

(1463) In editis ita legitur : *Quot miseros quondam adolescens primæ ætatis calore secta*, etc.

(1464) Hildeberti Cenomanensis primum episcopi, postea archiepiscopi Turonensis opera Parisiis a. 1708 in-fol. edidit P. Anton. Beaugendre Maurianus, una cum prævia ejus vitæ historia, ubi illum ab impacto hic gemino crimine egregie defendit, uti et Natalis Alexander Hist. eccles. sec. XI, c. 6, art. 7.

(1465) Idem argumentum passim tractat in præcedentibus quoque opusculis.

(1466) Vid. monitum. Qua vero ratione codex iste ad S. Eugendi seu Claudii Jurense cœnobium tantopere a S. Blasii monasterio dissitum pervenire potuerit si quæras, hæc habeto. Fundaverat circa ann. 1090 Cuno ab Hasenburg Lausannensis episcopus Herilacense seu Erlacense cœnobium in insula S. Joannis, lacui Bielensi adjacente, in Helveticæ Burgundiæ Raurica plaga, nunc in ditione Bernensi. B Fundationem autem perfecit Burchardus ad Hasenburg, frater Cunonis, et ab anno 1072 episcopus Basileensis, qui e D. Blasii monasterio, cujus tunc advocatiam tenebat, primam illuc monachorum coloniam cum Ekehardo abbate direxit (*Hist. Silvæ Nig.*, t. I, pag. 248). Hi igitur, uti et de cæteris ad Murense et Gottwicense cœnobia missis colonis alibi jam diximus, codices in S. Blasio scriptos secum detulere, et maxime recens compositos, quos inter haud dubie erant Bernaldi auctoris opuscula, præsens præprimis, eum in finem scriptum, ut monachi a Berengarii hæresi præservarentur. Quæ facile esse causa potuit, ut ex Erlacensi monasterio ejusdem exemplar ad haud adeo remotum S. Claudii cœnobium mitteretur.

(1467) Florentem hunc monasterii sui statum haud uno loco memorat Bernoldus in Chronico ad ann. 1083, 1094, etc., licet de primis Patribus nihil ibi referat.

(1468) Illa tantum concilia recenset Bernaldus a

resim exagitatam affirmat, primum fuit Romanum, cui præfuit Leo papa IX, post pascha anni Christi 1050. Secundum Vercellense anni ejusdem mense Septembri sub eodem pontifice (1469). Tertium Turonense anni 1055, præsidente Hildebrando, Victoris papæ legato, postmodum Gregorio papa VII. Quartum Romanum episcoporum CXIII, sub Nicolao papa II, mensis Aprilis anni 1059. Quintum Romanum sub Gregorio papa VII. Sextum item Romanum sub eodem, episcoporum CL, mensis Februarii anni 1079, cui auctor hic testatur se interfuisse. Et priorum quidem quatuor synodorum meminerunt Lanfrancus (1470) et Guitmundus in suis libris adversus Berengarium. Sextum habent Conciliorum tomi. At quintam illam sub Gregorio VII, e duabus priorem præter auctorem hunc nemo, quod sciam, litteris prodidit (1471). Sed unam aliquam fuisse oportuit e quinque ante annum 1079 sub eodem Gregorio Romæ celebratis; et illam certe, ut putamus, quæ anni 1078 mense Novembri coiit. Etenim scribit hic auctor, Berengario audientiam in duabus synodis generalibus Romæ a Gregorio papa VII fuisse concessam, et in posteriore duntaxat compulsum refert ad abjurandam hæresim suam, et fidem catholicam profitendam.

Hinc nimirum Benno pseudocardinalis (1472) occasionem arripuit calumniandi, et de sanctissimo pontifice ista mentiendi : *Idem præsumptor*, inquit, *jejunium indixit cardinalibus, ut Deus ostenderet quis rectius sentiret de corpore Domini, Romanane Ecclesia, an Berengarius. Per hoc manifeste probatus infidelis, cum in Nicæno concilio scriptum sit quia « dubius in fide infidelis est »*. Quibus consentanee episcopi schismatici novemdecim anno 1080 ipso die Pentecostes adversus Gregorium Moguntiæ congregati [de qua pseudosynodo abbas Urspergensis ad annum 1080 (1473)] illum pontificatu indignum judicarunt, tum aliis falsissimis de causis, tum etiam *quod catholicam et apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in quæstionem poneret, ac hæretici Berengarii antiquus esset discipulus*.

A

Sic ergo opinamur, concessam Berengario priorem audientiam a Gregorio in concilio Romano, quod Novembri mense anni Christi 1078 celebratum est : ubi cum versutus senex errori suo multa, præsertim ex Augustino male intellecto deprompta, obtendisset, amplius pronuntiasse pontificem, ac totius rei decisionem in proximam synodum post tres exinde menses, anni scilicet 1079 mense Februario agendam distulisse; interim jejunia imperasse et preces ad impetrandam divinam opem, ne præpropere de re tanta videretur statuisse. Non enim de damnando solum Berengario agebatur, quod jam quatuor ante synodis factum constabat; sed curandum erat pio pastori, ut, quæ post Berengarium deerraverant, oves non paucæ ad catholicæ Ecclesiæ caulas reducerentur. Expendendæ igitur erant Berengarii exceptiones docendique synodi Patres omnes, quam ille vel Scripturæ divinæ vel S. Augustini aliorumve doctorum veterum abutens verbis ab eorum mente aliena loqueretur. Nihil hic erat quod in prudentissimo ac piissimo pontifice redarguerent schismatici. Sed hi nimirum suis illis portentosis calumniis id consecuti sunt, ut in virum sanctissimum odio efferati ab optimo quoque insanire ac furere crederentur.

B

De Christino, ut iste ait, ad annum 1088 jam episcopo, qui cum Lanfranco haud multo ante episcopatum Beringarianam hæresim scriptis confutarat, hæreret mihi scrupulus, nisi appareret hunc ipsum esse Guitmundum (1474) episcopum Aversanum. Cum enim apud Petrum Cluniacensem in libro contra Petrobrusianos hæreticos, § *Post baptismum negatum*, non longe ab initio (t. XXII *Biblioth PP. Lugd.*, p. 1057), tres tantum memorentur, qui con-

summis pontificibus contra Berengarium celebrata. Cætera particularia in Francia præcipue habita enumerat Natalis Alexander Hist. eccl. sæc. XI, dissert. 1, ubi cuncta hæc curatius examinantur.

(1469) Legendus hic est Mabillonius in observationibus suis De multiplici Berengarii damnatione *Vet. analect.* nov. ed., p. 513), ubi non sine scrupulo utrumque hoc concilium ad annum 1050 collocat, motus præcipue auctoritate Hermanni Contracti, coævi, qui pariter utrique eumdem annum in chronico suo assignat. Sibi ipsi tamen haud satis constat Mabillonius, dum Sæc. V. Bened., p. 895, eamdem synodum Romanam, in qua simul Gerardum Tullensis episcopus sanctis ascriptus est, ad annum 1049 collocat ex eo quod ista præcedere debuerit solemnem corporis ejusdem sancti elevationem Tullis ab ipso papa circa finem Octobris factam : quod ipsum quoque sentit P. Bouquet in sua collectione t. XI, p. 474. Ast utrumque ann. 1050 fuisse factum patet ex litteris canonizationis, in quibus synodus ista circa Nonas Maii celebrata dicitur, cum illa anni 1049, die 11 Aprilis habita fuerit. Vid. Nat alem Alexandrum l. c.

(1470) Lib. De corpore et sanguine Domini, c. 4; et Guitmundus initio libri I. Vid Nat. Alex.

(1471) Igitur si nemo alius hujus synodi meminit, Bernaldus hic is ipse est Bertholdus Constantiensis, qui in suo Chronico ad ann. 1078 hæc eadem habet : *In synodo ista* Romana autumnali *Berengarius Andegavensis canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter convenitur, eique induciæ usque ad proxime futuram synodum dantur*. Vid. Mabillon. l. c., p. 515, et Natalem Alexandrum l. c.

(1472) Bennonem hunc pseudocardinalem, si tamen unquam exstitit, cæteris scriptoribus usque ad sæculum XIII ignotus, inter *veritatis* Ecclesiæ suæ *testes* connumerat Flaccius Illyricus, cujus etiam librum *De vita et gestis Hildebrandi* operi suo p. 220 inseruit, aliique postea egregium hunc testem avide

C

adoptarunt : qui vero falsi in plerisque convictus a Baronio, utroque Pagio, Natali Alexandro, ac ipso Fleurio, nonnisi impudentissimus calumniator fuisse manifeste comprobatur.

(1473) Item Baronius ad h. a. num. 18. seq.

(1474) Guitmundum Aversanum episcopum fuisse binominem, aperte colligitur ex Paulo Bernriedensi in Vita Gregorii VII, ubi agens de legatis papæ ad conventum Forcheimensem ann. 1077 missis illos ita enumerat : *Hi autem erant legati, Bernhardus S. R. E. cardinalis diaconus, item alter Bernhardus abbas religiosus de Massilia... qui etiam secum duxit egregium doctorem quemdam, nomine Christianum, postmodum Aversanæ urbis episcopum, cujus opus exstat eximium contra Turonensem Berengarium.* D. Rivet auctor Historiæ litterariæ Franciæ (t. VIII, p. 556) in ea est opinione, Guitmundum nomen suum primum mutasse Romæ, quo ex suo S. Leutfredi in Normannia cœnobio confugerat, ut hac ratione lateret Wilhelmum Angliæ regem, qui illum ad dignitates ecclesiasticas promovere meditabatur, Christianum eum pariter appellat Anonymus Mellicensis cap. 90, *De scriptoribus ecclesiasticis;* ubi vero sibi haud constat. Postquam enim cap. cit. retulit Christianum pontificem Apulorum (adeoque Aversanum), qui contra Berengarium invictissime disseruerit, quod utique Guitmundum nostrum denotat, mox tamen cap. 102 alium inducit Guidmundum, *qui et Christianus, primo in monasterio Stabulaus monachus fuit, ubi dum abbas constitui atque ad alterum locum regendum mitti debuisset, aufugit, ignotamque provinciam appetens, ne posset agnosci, nomen mutavit in melius, assumens scilicet Christianitatis vocabulum cunctis commune fidelibus. Tandem vero requisitus et repertus, sub Gregorio VII Aversæ factus est episcopus.* Ast perperam hic Christianus seu Guitmundus Aversanus confunditur cum altero Christiano cognomine Druthmaro, sæculi IX scriptore, qui ex Corbeia Veteri,

D

tra Berengarium libros scripserunt, videlicet Lanfrancus, Guitmundus et Algerus; Algerum (1475) quidem constat nec fuisse episcopum, nec forte natum anno 1088, quippe monachus factus Cluniaci post obitum Friderici Leodiensis episcopi anno Christi 1121, VI Kalendas Junii veneno enecati, in Petri Venerabilis disciplina diu vixit, ut ipse testatur Petrus abbas epistola 2 libri III, et Chronicon vetus Cluniacense apud Wionem l. II, *Ligni vitæ*, cap. 62. Quare cum ante annum 1088 nullus tum episcopus adversus Berengarium scripsisse reperiatur, Lanfranco et Guitmundo exceptis, et auctor a Lanfranco et Christino episcopis id factum dicat, aut binominem fuisse putamus Guitmundum, ut etiam A Christinus (imo Christianus) nuncupatus sit; aut certe scriptorem hunc memoria lapsum pro Guitmundo Christinum posuisse.

Quod denique hic dicitur de forma profitendæ fidei catholicæ, vel abjurandi erroris ab Ephesina synodo hæreticis prescripta, habetur illa quidem in epistola Cyrilli seu concilii Ephesini ad Nestorium, quæ incipit *Cum Salvator noster*, et inscribitur in codice canonum veteris Ecclesiæ Romanæ *canon sancti Ephesini primi concilii*, exstatque in actis Græco-Latinis p. I, cap. 26; quæ tamen, ut apparet, in codice quo usus est hic auctor caput obtinebat quintum decimum.

DE BERINGERII HÆRESIARCHÆ DAMNATIONE MULTIPLICI.

I. Beringerius (1476) Andegavensis hæresim sui nominis condidit, et veritatem Dominici corporis et sanguinis contra evangelicam veritatem abnegare præsumpsit : videlicet asserens panem et vinum in sacrificio Domini non vere nec essentialiter, sed figurate tantum converti in corpus et sanguinem Dominicum; quod catholicæ fidei et evangelicæ veritati apertissime adversatur, uti SS. Patres docuerunt.

II. Quapropter S. Leo papa nonus eamdem hæresim suo tempore ad apostolicam sedem per litteras ipsius Beringerii delatam (1477) generali synodi judicio ventilavit, et ventilatam synodali judicio damnavit. Ipsum quoque Beringerium communione Ecclesiæ privavit, quam ipse Dominici corporis et sanguinis communione suis assertionibus voluit privare. Deinde ipsum ad proximam tunc synodum in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam B vocavit audiendum. Ad hanc synodum non ipse Beringerius, sed quidam ejus fautores pervenerunt, qui se legatos ejus asserentes, eumque defendere volentes, in primo aditu defecerunt. Domnus autem apostolicus iterum synodali judicio sententiam Beringerii, et librum Joannis Scoti (1678) De corpore Domini sub anathemate damnavit, et fidem quam omnes catholici de veritate corporis et sanguinis Domini hactenus habuerunt, et adhuc habent, confirmavit. His utrisque synodis domnus Lanfrancus, non multo post Anglorum archiepiscopus, scribens contra Beringerium se interfuisse fatetur : in quarum priore de Beringeriana hæresi se infamatum et expurgatum, sed in utrisque ejusdem hæreseos damnationi cum omnibus catholicis se assensisse testa- C tur (1479).

III. Victor quoque papa, et in sede et in auctori-

ubi monachus erat, ad Stabulense monasterium vocatus, juniores ibi diu sacras litteras docuit, quibus etiam Commentarium suum in Matthæum inscripsit (t. XV *Biblioth. PP. Lugdun.*, p. 86). Id cum Mellicensis a Guitmundo factum scribat, lapsus omnino fuit Druthmarum cum Guitmundo confundens. Vid. Hist. litter. Franciæ T. V. p. 84.

Quo autem tempore Aversanus episcopus factus sit Guitmundus seu Christianus, controvertunt scriptores; alii namque id jam a. 1061 sub Alexandro II, alii sub Gregorio VII, nonnulli sub Urbano II contigisse referunt. Horum primos falli ex supra relato Pauli Bernriedensis testimonio constat, vi cujus ann. 1077 necdum erat episcopus. Pagius in critica ad ann. 1105 id a Gregorio VII factum sustinet ex Ivonis Carnotensis decreto (parte IV, c. 213), ubi cap. *Si consuetudinem* Gregorius inscribit Wimundo episcopo Aversano quem et nos eumdem cum Christino seu Christiano esse arbitramur, secundum scilicet hujus nominis illius sedis antistitem (UGHELL. *Ital. sacr.* t. p. 487). Opera illius exstant t. XVIII Biblioth. PP. Lugdun., ubi *archiepiscopus* vocatur ob pallii honorem ipsi a papa concessum. Recte igitur se habet Chiffletii conjectura.

(1475) Algeri scholastici primum Leodiensis, dein Cluniacensis monachi, elogium illo adhuc vivente scripsit Nicolaus canonicus Leodii, quod in Analectis suis p. 129 edidit Mabillonius. Honorificam pariter ejusdem jam defuncti mentionem facit Petrus venerabilis abbas Cluniacensis L. III, epist. 2 (*Biblioth. Clun.* p. 798); atque in citata contra Petrobrusianos epistola de tribus istis Berengarii antagonistis hoc fert judicium. *Horum primus* Lanfrancus *de veritate corporis et sanguinis, quæ sacramentorum velamine tegitur, bene, plene, perfecte; sequens* Guitmundus *melius, plenius, perfectius; ultimus* Algerus *optime, plenissime, perfectissime disseruit, adeo ut nihil etiam scrupulosissimo lectori quærendum reliquerit.* De duobus his ultimis ita censet Erasmus in præfatione ad eorum opera Antwerpiæ a. 1536 a se edita : *Guitmundus acrior est et ardentior, ac plus habet spiritus rhetorici; hic* Algerus *sedatior est et religiosior; uterque tum dialecticæ tum reliquæ philosophiæ belle peritus, licet citra obstinationem.* Cæterum Algeri libri tres De sacramento corporis et sanguinis Domini, qui soli fere ex reliquis illius operibus ætatem tulere, habentur etiam t. XXI Biblioth. PP. Lugdun.

D (1476) Hoc modo in hoc opusculo compellatur Berengarius, errore tamen, ut videtur amanuensis, quanquam alias ambo hæc nomina promiscue usurpari soleant.

(1477) Id ipsum iisdem fere verbis refert idem Bernoldus in Chronico ad ann. 1050 in codice autographo Monacensi : *Dominus papa synodum Romæ post pascha collegit, in qua hæresim Beringerianam, nuper ad apostolicam sedem delatam, damnavit. Item in autumno synodum Vercellis collegit in qua eamdem hæresim anathematizavit*; quæ quidem in Hermani codice Augiensi haud leguntur.

(1478) Est hic Joannes Scotus Erigena dictus, sæculo nono Oxoniensis professor, quem antesignanum habuit Berengarius. Vid. Natal. Alexand. Hist. eccl. sæc. IX, dissert. XIV.

(1479) Libro De corpore et sanguine Domini, cap. 4 inter ejus opera edit. Paris, a. 1648, p. 234, de Vercellensi concilio agens, itemque Guitmundus l. III.

tate successor S. Leonis papæ, misso legato in Gallias, venerabili inquam Hildebrando tunc archidiacono, sed nostri temporis apostolico (1480), generalem synodum Turonis congregavit: in qua ipse Beringerius accepta optione defendendi se, cum se penitus defendere non posset, sub jurejurando propriam hæresim anathematizavit, et communem sanctæ Ecclesiæ fidem de veritate corporis et sanguinis Domini se deinceps servaturum sub eodem juramento promisit; licet postea ad eamdem hæresim redierit.

IV. Nicolaus autem papa eidem Beringerio Romæ in generali synodo (1481) audientiam concessit, causamque ejus cum centum tredecim episcopis synodali judicio ventilavit. Sed ille iterum, cum sectam suam defendere non valeret, tandem quasi correptus libros propriæ hæreseos in conspectu domni apostolici et totius synodi manu propria concremavit, et errore abnegato catholicam professionem, quam in Turonensi concilio fecerat, sub jurejurando iterum renovavit, ita pronuntians:

V. « Ego Beringerius indignus diaconus ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue illam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem et vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedi: et ore et corde profiteor, de sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem (me) tenere quam domnus et venerabilis papa Nicolaus, et hæc sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem et vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed et verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum et sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam ὁμοούσιον Trinitatem, et per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando contra hæc sentire ac prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam. Lecto et perlecto sponte subscripsi (1482). » Formam autem hujus juramenti et anathematis ita sancta Ephesina synodus quibuslibet abdicandis hæresibus capitulo 15 prescripsit, et de hæresi infamatos nonnisi per hujusmodi abdicationem hæresis expurgari debere decrevit: unde et a Beringerio talem receperunt satisfactionem.

VI. Hanc juratoriam professionem Beringerii domnus papa Nicolaus statim per diversa transmisit regna, ut omnes Deo gratias agerent pro ejus conversione, quoniam pridem multum scandalizati sunt de ejus aversione. Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit, et ultra omnes hæreticos, Romanos pontifices et sanctam Romanam Ecclesiam verbis et scriptis blasphemare præsumpsit. Nempe S. Leonem papam non pontificem, sed pompificem et pulpificem appellavit; sanctam Romanam Ecclesiam vanitatis concilium et Ecclesiam malignantium; Romanam sedem non apostolicam, sed sedem Satanæ dictis et scriptis non timuit appellare (1483). Sed hæresim suam post tot synodicas damnationes et abjurationes clanculo per discipulos suos usquequaque non cessavit disseminare, et quoslibet incautos veneno suæ hæreseos inficere.

VII. Unde venerabilis papa Alexander, successor Nicolai papæ, litteris eum satis amice præmonuit ut a secta sua cessaret, nec amplius sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incepto desistere noluit, hocque ipsum eidem apostolico litteris suis remandare non timuit (1484).

VIII. Quapropter reverentissimus papa Gregorius, successor Alexandri, iterum eidem Beringerio audientiam in duabus synodis generalibus Romæ (1485) concessit. Sed cum ipse sectam suam catholicæ fidei contrariam denegare non posset, iterum sub juramento eamdem abdicare, et fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus conciliis fecit.

IX. Tot igitur conciliis Beringerianam hæresim damnatam percepimus tum ex fidelium relatione virorum, qui eisdem conciliis interfuerunt, tum ex scriptis religiosorum virorum, qui de his fidelissime scripserunt. Nam eadem concilia nostris tem-

(1480) Sed anno 1088 quo hæc scripta sunt, jam defuncto. De Turonensi hoc concilio vid. Labb. t. IX, pag. 108, ex Guitmundo et Lanfranco, aliique scriptores passim; nec non Bernoldus in chronico ad ann. 1055.

(1481) Scil. an 1059, quamvis Bernoldus in Chronico id anno 1060 primum iisdem fere verbis referat.

(1482) Juramentum istud etiam refertur in actis hujus concilii apud Labbeum t. IX Concil., p. 1112, et apud Lanfrancum, quod Berengario firmandum obtulit Humbertus cardinalis jussu papæ a se conscriptum. Hoc in hæresis abjuratione faciendum præcipitur in S. Cyrilli Alexandrini epistola ad Nestorium, in actis concilii Ephesini Labb. concil. t. III, p. 397, n. 2.

(1483) Omnia hæc ex Lanfranco abunde constant; pauca enim Berengarii scripta ad nos pervenerunt. Legendi hac de re Natalis Alexander Hist. eccles. sæc. XI, dissert. I, Bulæus in hist. universit. Paris. t. I, a pag. 405, ac Rivetus Maurianus. Hist. litter. Franc. t. VIII.

(1484) Excerpto Bernaldo nullus hujus rei mentionem fecit, nec quidquam sub hoc pontifice contra hunc hæreticum actum legitur, nisi quod Maurilius Rothomagensis archiepiscopus concilium adversus ejus errores ann. 1063 celebrarit, ut scribit Mabillonius Analect. p. 514; quod tamen alii jam ann. 1055 factum volunt.

(1485) Scil. x Kal. Dec. ann. 1078, ubi, teste Bernoldo in Chronico, Beringario *induciæ usque ad proxime futuram synodum* datæ sunt, quæ mense Februario sequentis anni 1079 celebrata est.

poribus infra quadraginta annos celebrata reperiuntur, quod anni ab exordio pontificatus S. Leonis (IX) papæ usque in præsentem annum (1486) computantur, qui est ab Incarnatione Domini 1088. Unde et adhuc multi vivunt qui eisdem conciliis interfuerunt, qui et nobis de eisdem conciliis fidelissime testificati sunt. Ultimæ quoque generali synodo sub Gregorio papa septimo anno Dominicæ incarnationis 1089, nos ipsi interfuimus (1487), et vidimus, quando Beringerius in media synodo constitit, et hæresim de corpore Domini, sicut supra diximus, coram omnibus propriæ manus sacramento abdicavit : videlicet sub præsentia Gregorii papæ, Heinrici patriarchæ Aquileiensis, et reverentissimorum episcoporum Petri Albanensis, B. Anselmi Lucensis, Landulfi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensis, Altmanni Pataviensis, et reliquorum centum quinquaginta episcoporum et abbatum, et innumerabilium clericorum.

X. Horum igitur conciliorum tam generalium et apostolica auctoritate tam principaliter firmatorum sanctiones contra Beringerianam hæresim nobis sufficere debent, cum SS. Patres etiam unius generalis concilii auctoritatem contra quamlibet hæresim sufficere censerent, quod tamen concilium Romanus pontifex non per se, sed per suos legatos firmasset. Sic enim Nicænum concilium contra Arianos, Constantinopolitanum contra Macedonianos, Ephesinum contra Nestorianos, Chalcedonense contra Eutychianistas sufficere statuerunt : quorum nullum Romani pontifices per se sed per suos legatos canonizaverunt. Multo magis ergo nobis plures synodi generales contra unam solam hæresim sufficere debent, quibus ipse Romani pontifices interfuerunt, et ipsas præsentialiter apostolica auctoritate firmaverunt : præsertim cum ipsi in tot synodis ab invicem non discrepaverint, sed omnes unanimiter Beringerianam hæresim in diversis conciliis sub anathemate damnaverint. Indubitanter sane cuilibet Catholico qui non omne quod credit rationibus comprehendere quærit, ut fides habeat meritum, cui humana ratio non dat experimentum, illa inquam catholica tot generalia apostolicæ auctoritatis concilia contra hanc hæresim sufficiant,

A quia juxta assertionem S. Augustini omnis Catholicus securus eam detestatur, cui Ecclesiam universalem in apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. Item Augustinus (l. VII *De baptism.*, cap. 53) : *Id autem*, inquit, *fiducia securæ vocis asserere est, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Hoc utique quilibet Catholicus simpliciter sapiens et sapienter simplex dum fideliter attendit, cavillationes hæreticorum, quorum sermo ut cancer serpit, etiam audire contemnit ; dum tantum securus sit quid credere debeat juxta SS. Patrum attestationem universalem Ecclesiæ consensionem.

XI. Et nos quoque hujusmodi simplicibus in hac B schedula satisfacere proposuimus, videlicet testimonia SS. Patrum de veritate corporis Dominici simpliciter proponentes, et synodales Berengerianæ hæreseos damnationes fideliter subnectentes (1488). Nec necessarium nobis videbatur, ut singulares Beringerii nænias enumeraremus, et enumeratas singulariter annullaremus : præsertim cum eruditissimi doctores Lanfrancus, inquam, et Christianus, ambo religione et eruditione Christianissimi non multo post episcopi (1489), de his enucleatissime scripserint, et singulas authenticis rationibus invictissime proscripserint. Illorum quippe libri etiam curiosissimis perquisitoribus sufficere possunt, ut singulas tergiversationes Beringerii deprehendant, et quibus rationibus annullatæ sint, consequenter C agnoscant. Non ergo necessarium fuit ut nos illas jam aliquantulum sopitas et in æternum sopiendas enumerando suscitaremus, et post synodicas damnationes iterum cum eis catholicorum aures offenderemus.

XII. Hæc autem in fide schedulæ simplicioribus fratribus, nostri inquam similibus (1490) fraterna præmonitione suggerimus, ut diligentissime prævideant ne uspiam hæreticæ persuasioni contra catholicam et apostolicam fidem assentiant; nam juxta Apostolum facientes et consentientes par pœna complectitur, et juxta B. Gelasium omnes complices, sectatores et communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur; et juxta S. Ambrosium

D

(1486) Quo scilicet hæc scripta sunt.

(1487) Patet hinc ratio cur Bernoldus in Chronico auctiore de ista synodo anni 1079 talia retulerit, quæ nuspiam alibi leguntur, ac manifeste ocularem eique præsentem testem produnt. Crediderim Bernaldum ceu canonum peritissimum Romam pervenisse in comitatu sive Altamanni Pataviensis episcopi et legati apostolici, sive abbatis Augiensis, quem pariter ad illam synodum perrexisse scribit in chronico auctiore ad e. a. Atque hac occasione Gregorio papæ innotuisse videtur Bernaldus, cujus dein jussu ann. 1084 ab Ottone legato presbyter et pœnitentiarus apostolicus fuit ordinatus, ut ipse de se in Chronico fatetur.

(1488) Præcessit igitur aliud Bernaldi opusculum De veritate corporis Dominici ex SS. Patrum testimoniis pro more suo concinnatum, cujus hic tractatulus de Beringarii damnatione nonnisi appendix erat aut præfatio. Jacturam illius in prævio monito deploravimus, quod deprehendisse mihi visus sum id eodem codice Weingartensi, in quo aliæ pariter Bernaldi lucubrationes superius editæ continentur, ubi duo ejusdem argumenti tractatus, reperi, quorum primus sine titulo incipit : *De corpore Domini sic opportune videtur agendum*, etc., in quo eadem quoque Berengarii abjuratio exstat : alter vero, seu *Quæstiones de corpore Domini*, prioris nonnisi continuatio est. Cum vero neuter nomen auctoris præferat, ac insuper a stylo Bernaldi abhorreat, hic inserendos haud duximus, etsi luce publica dignos.

(1489) De his plura notata supra not. 1474.

(1490) Similem phrasim Bernaldi videre passim est in cæteris ejus opusculis.

et alios SS. Patres quemlibet hæreticum esse constat, quicunque in fidei doctrina sancta Romana Ecclesia discordat. Est autem in superiori juramento quod apostolica et synodalis auctoritas firmavit, et Beringerio ad satisfaciendum proposuit, satis breviter et distincte comprehensum vel in quo ipse erraverit, vel quid sancta Romana et universalis A Ecclesia credendum statuerit. Hoc ergo diligenter notare, et notatum diligenter observare debemus, ut et nos damnemus quod ipsa damnavit, et recipiamus quod ipsa recipit; ne nos ipsi jure damnemur si vel hæresi assentire, vel a sancta Romana Ecclesia quoquo modo dissentire detegimur.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

LIBER SECUNDUS REGISTRI. 359

OPERUM PARS SECUNDA. — EPISTOLÆ EXTRA REGISTRUM VAGANTES.

EPISTOLÆ DIVERSORUM AD GREGORIUM VII.

S. GREGORII VII OPERUM PARS TERTIA. — CONCILIA ROMANA.

AD OPERA S. GREGORII APPENDICES.

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI OCTAVI.